SACRA SPECVLATIVA DOCTRINA

ZACHARIÆ PASQVALIGI

CLER. REGVL.

Digitized by Google

Digitized by Google

SACRA
SPECVLATIVA DOCTRINA
DE DEO
COETERISQVE DIVINITVS
REVELATIS

Ex Theologicis Principijs ad Scholaſticę Lecturæ Methodum

DEDVCTA

A

ZACHARIA PASQVALIGO
VERONENSI CLER. REG. S.T.P.

CVM SVIS INDICIBVS:



VENETIIS, Apud Bertanos, Anno Iubilei M. DC. L.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI

ALOYSIO CAPPONIO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

Omnia felicitatis incrementa

ZACHARIA PASQVALIGVS.

Cler. Regul. præcatur.

CARMELITANI SCALZI ... S. MARIA DELLA SCALA

NIL mirum, Eminentiſſime Princeps, ſi hominem diuinum animal (a) Triſmegiſtus; diuinitatis participem (b) Ariſtoteles; Dei ſimulacrum (c) Lactantius; Deitatis ſpeculum (d) Prudentius; quid ex diuina mente delibatum (e) Epitectus dixere. Quippe ad Dei imaginem factum ex ſacris paginis didicimus: vt non immerito cæleſtis maieſtatis plenus ſibi ipſi admirationi ſit. Verum tunc demùm omnium mentes rapit, & alto quodam ſtupore perfundit, quando natiua excellentia ijs ornamentis perficitur, quæ virtus, ac ſapientia ſubminiſtrat, dum melior illius pars diuino quodam lumine illuſtrata totam naturam configurat, totum hominem ſibi vindicat. Quod Tibi contigiſſe Eminentiſſ. Princeps cernet quiſque, & diſcernet, qui ſuos in te oculos conuerterit. Mitto Gentis tuæ genus longa maiorum ſerie ſpectabile, quà litteris illuſtrium, quà prudentia, quà publicis officijs, quà amicitia Principum. Mitto illarum dignitatum cumulum, quales Apoſtolicæ Cameræ Theſauri Præfectura; Sacra Cardinalatus purpura; Bononienſis legatio, ad plures annos producta; Rauennatis Archiepiſcopatus inſulæ quæ Tibi amplam laudis, & gloriæ ſegetem obijcecere: mitto inquam hæc omnia adſcititia, quæ quamuis maxima, fortunæ tamen bona veteres dixere; nam hæc parerga quædam, quæ hominem exornant, non faciunt: imò, nec rectè parerga, quia à te decus accipiunt, & ornamentum. Illas vnas animi tui dotes mente obuerſo, quas virtus contento ſtudio laborauit, vt eſſet, quod admiratio conciperet, fama celebraret. Et qualis tua mens, niſi fertilis ager, cui Sapientiæ, & prudentiæ ſemina concredita in vberrimam meſſem euaſere? Hinc illa omnis eruditionis copia ingenij perſpicacitate commendata. Hinc illa explicandi facilitas, vt meritò difficilia, & obſcura quæque perſpicuitatem tibi debeant, ſi ingenij tui lumine perfundentur. Hinc ille in dicendo lepor, qui omnes ita afficit, vt aurea Herculis catena trahi ſe ſentiant, nec agnoſcant. Hinc illa ſententiarum pondera, vel ipſius Ariſtarchi trutinam ſuſtinentia, quia defecata doctrina, non vmbratiles fructus, ſed ſolidos producit. Nec minor prudentiæ tuæ prouentus, quippe rerum omnium cognitione pollens, omnia ita in proſpectu habes, ſiue præterierint, ſiue nec dum aduenerint, vt ad omnem euentum paratus nouas ſemper Conſiliorum rationes ſubminiſtres. Hinc quid iuſtum, & honeſtum, quid iniuſtum, &

turpe

a In claue circa fin.
b. lib.2. dē part. animal.
c lib.2.c.2.
d in Apotheſi.
e lib.1.diſſertat.1.

Digitized by Google

turpe decernere, vtilia ab inutilibus ſecernere negocia quæque implicatiſſima extricare, & in euentum promouere feliciſſimum, rebus omnibus terminos ſuos deſcribere, omnia cum tempore metiri, ijs opportunitates ſuas tribuere; decus, magnitudinem addere, ingenij tui dexteritas in priuilegium ſibi aſſerit; vt proinde grauiſſima Romanæ Sedis negocia tuo quoque conſilio debeant ſecundos euentus. Ex hac porro ſapientia ac prudentia gemino veluti puriſſimo fonte profluit totus virtutum chorus ad illam vnam metam collimantium, vt vniuerſam vitæ tuæ ſeriem inſtituant auguſtiſſimam. Inter quas illa eminet pietas, quæ ſeriò Deum, non perfunctoriè colere docet. Iuſtitia illa virtutum omnium apex, qua teipſum intra rationis metam continens perenni quadam, ac ſempiterna lege inflexibilem ſeruas recti tenorem, vt eius, quod cuiuſque eſt, æquus diſtributor pulchram pacem, beatam æqualitatem diffundas in humani generis communionem. Quam ſanè abunde ſenſit, laudauit Bononienſis Populus, dum apud illum Pontificia legatione fungereris. Illa morum grauitas, quæ veluti interior lux animi radios ſuos proijcit in vultum, geſtum, motum, vocem, ſermonem, inceſſum, cultum, ſingulis decus ſuum impertiens, & humanam tibi condens maieſtatem, totum te veneratione circumfundit. Magnanimitas illa, qua excelſitate quadam omnia deſpicis præter id, quod honeſtum eſt, ac decorum. Ignea denique illa charitas, quæ diuinis flammis æxeſtuans omnes quidem complectitur, ſed in eos præcipuè beneficam ſe præbet, quibus debet, quam Rauennas populus expertus, dum exundantibus aquis pæne mergeretur, ſui Paſtoris adhuc memorat, & celebrat beneficentiam. Hæc cum in te Eminentiſſime Princeps, ſuſpicerem, in tui venerationem rapiebar, vtquæ tantè excellentiæ teſtimonium redderem tacita quadam vi cogebar. Sed neſcius, qua teſtificatione vterer, illud demum mentem ſubit, quod munerum quoque oblatio non incongruum teſtimonium ſit, quod in Heroum, imò Dei ipſius profitenda præſtantia adhibeatur. Has igitur tibi offero Theologicas lucubrationes, exigui quidem momenti munuſculum, ſi artificis peritia: at grande ſi materia ſpectetur, ſi quidem Deus eſt, qui Theologico ſtylo deſcribitur. Ideo nec incongruè tuam prouocat humanitatem, quando mens rebus magnis recogitandis ſemper aſſueta habebit, quod ſummum eſt, in quod libens ſuos figat obtutus altiſſima quæque arcana contemplans cælitus declarata. Prono itaque excipe animo, quod in deuotionis meæ teſtimonium exhibeo, tuoque fauore benignus adſpira, vt lucis vſuram, quam liber auſpicatur, ſub tuis auſpicijs ſecundo curſu teneat. Sic omnium vota in tui felicitatem conſpirent: ſic omnium plauſus tuam excipiant proſperitatem.

D.Thom. 2.2.quæſ. 102.art.3.

LECTO-

LECTORI.

Mirabitur quis, quod nouum prodeat volumen, in quo toties in Scholis decantata innumeris pene codicibus deſcripta repetantur. Et qui tandem, inquiet, finis ſcribendi? quouſque nouis ſemper commentationib. prememur? & fortè is ex illis ipſis erit, qui quotidie in ſcholis declamitat, qui probæ notæ Doctoribus relictis prolixa ſcriptione ſuos Auditores onerat. Verum ne ſibi ipſi infenſus ſit, dum mihi notam parat incurrere, audiat Ambroſium ó.lib. 1.offic.cap.26. *Omnibus hominibus*, inquit, ſapientiſſimus Doctor, *ineſt ſecundum naturam humanam verum inueſtigare, quod ad ſtudium cognitionis, & ſcientiæ trahit, & inquirendi infundit cupiditatem. In quo excellere vniuerſis pulchrum videtur, ſed paucorum eſt aſſequi.* Audiat, inquam, & totam perluſtrans Theologicam ſcientiam, reſpondeat, quid certi producatur, præter ea, quæ diuino teſtimonio firmata ſunt, ſacroſanctis conciliorum Sanctionibus ſtabilita, Patrum conſenſu recepta? Quam opinioſi Doctores, quam labantia vniuſcuiuſque placita? Et ſi qui ad aliquod ſuæ ſcholæ lumen veluti Cinoſuram ſe conuertunt quam parum inter ſe ipſos concordes, quamuis vnius doctrina ſapere profiteantur? Si igitur tàm pauca certa, tam multa dubia, & adhuc iudicis ſententiam expectantia, quid mirum, ſi quotidie Doctores aduocent, ſuis opinionibus verbo, ſcripto patrocinentur, & continua declamatione, non intermiſſa ſcriptione cauſam agant? Veritatis namque Patrem, teſtante Plutarcho, (*in quæſt. Rom. quæſt.* 12.) Tempus dixere ſapientes; nempè quia tempore paritur, & non niſi longa aſſiduaque indagatione eruitur. Hinc ſæpius perpenſa, ac exagitata vberius ſplendeſcit, pronunciat Pontifex Summus Innocentius *Cap. graue* 31. *quæſt.* 9. & nimium ipſi periculi creari, ſi diſputantibus interdicatur inquiſitio, dixit alter ſummus Eccleſiæ Apex Ioannes (*Extrau. Quia nonnumquam De verb. ſignific.* Si igitur diſputationibus eſt locus cur mihi vitio dandum, ſi inſitum omnibus ingenium ſequar; veritatis veſtigia inſequar, & quas adornaui Theologicas meditationes proferam? Si quem liber inſcriptione interpellat, neminem tamen facit lectorem inuitum; Si quem ſpontaneum ac habentem nanciſcitur, ſua certè illum prolixitate non fatigabit: breuitati namque quam maximè conſultum, nec tamen ablegata perſpicuitas; non præteritæ Doctorum ſententiæ, non diſſimulatæ difficultates, non aduerſantium rationum pondera neglecta, ſed omnia ſtrictim, ac compendiario ſtylo explicata. Theologiam vniuerſam tripartitam volumen quoque tripartitum exhibet. Primum illam complectitur partem, quam noſtræ ſcholæ Profeſſores Speculatiuam dicunt: eam ſcilicet cui Deus pro argumento eſt, naturaque illa ab omni ſenſu ſecreta, quam diuina oracula Angelum vocant. Alterum eam partem exhibet, quam moralem indigitant, in qua homo ſupra ſuam euectus naturam diuinis muneribus exornatus, atq. ad altiſſimi finis menſuram actiones ſuas, moreſque componens diſputandi ſubminiſtrat materiam, & ea inquirendi, quæ ad æternam fęlicitatem viam ſternunt. His tota abſoluitur theologia diuino vt plurimum teſtimonio ſtabilita. Sacrorum Conciliorum decretis formatà, Patrum ſententijs, fulgentiſſimi illius præſertim luminis Auguſtini, munita. Quia tamen commentatio omnis a labenti ingenio profecta, Ideo Catholicæ Eccleſiæ cenſuræ omnia ſubijcio; nec reſpuam ſed libens audiam benigni Lectoris ſententiam, ſi quid peccatum, aut minus rectè dictum iudicabit.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIONES.

EX Commiſſione A.R.P.Generalis librum vnum,cui titulus ſacra ſpeculatiua doctrina de Deo cęteriſque diuinitus reuelatis.Et Alterum,cui titulus Sacra Moralis doctrina de ſtatu ſupernaturali humanæ naturæ cæteriſque ipſum concernentibus R.P.D.Zacharię Paſqualigi S. Theol.profeſſoris legi & perpendi,nec aliquid catholicæ fidei diſſonum, aut bonis moribus notaui , ſed omnia mira facilitate,ac breuitate explicata, accutiſſimè diſputata, & explicata, ac in ipſa doctirnæ profunditate plana.Quare utrumque dignum cenſeo,vt non ſolum in tyronum, ſed etiam prouectiorum vtilitatem euulgetur. Romæ in ędibus Sancti Andreæ de Valle die 20.Februarij 1649.

D.Alfonſus Beſutius Cler. Reg. Sac. Theol. Profeſſor.

DE mandato A.R.Patris D.Ioannis Gonzagæ noſtræ congregationis Præpoſiti Generalis accuratè perlegi opus R. Patris D. Zachariæ Paſqualigi, cui titulus ſacra ſpeculatiua Doctrina de Deo, cæteriſque diuinitus reuelatis;& opus cui titulus Sacra Moralis Doctrina de ſtatu ſupernaturali humanæ naturæ,atque cęteris ipſum concernentibu s,atque omnia in ijs reperi rectam fidem morumque integritatem redolere ; imò clara, ac breui ſubtilitate explicata , vt iure ſuo lucem depoſcere videantur.Quare vtrumque digniſſimum cenſeo quod in publicam ſtudioſorum vtilitatem typis mandetur hac die 20.Februarij 1649.

D.Stephanus Quaranta Cler.Reg. SS.Congregationum Rituum, ac Indicis Conſultor,Sancti Officij Qualificator,ac in Vrbe examinator.

D. Io. Gonzaga Præpoſitus Generalis Congreg. Cler. Reg.

HAEc opera inſcripta Sacra Speculatiua Doctrina de Deo cęteriſque diuinitus reuelatis; & ſacra moralis doctrina de ſtatu ſupernaturali humanę naturæ, atque cæteris ipſum concernentibus à R.P.D.Zacharia Paſqualigo noſt ræ congregationis Theologo compoſita cum iuxta perfectam aſſertionem Patrum,quibus id commiſſim us fuerint recognita,et approbata,vt typis mandentur quoad nos ſpectat,facultatem concedimus.In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ac ſolito noſtræ Congregationis ſigillo munitas damus . Romæ in domo noſtra Sancti Silueſtri Montis Quirinalis die 9.Martij 1649.

D. Io. Gonzaga Præpoſitus Generalis Cler. Reg.

Locus ✠ Sigilli.

D.Io. Montoyo Secretar.

Imprimatur,ſi videbitur Reuerendiſſ.D.S.P.A.Mag.Aſcanius Riualdus Vic.

OPus hoc , cuius Inſcriptio eſt Sacra Speculatiua Doctrina de Deo,cæteriſque diuinitus reuelatis, Authore A.R.P.D.Zacharia Paſqualigo Veronenſe Clerico Regulari, Ex commiſſione Reuerendiſſimi Patris Vincentij Candidi Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtri , æquali attentione, & voluptate perlegi,nihilq.in eo Doctrinę SS.Patrum,ſanę,& orthodoxę non conſonum,ſubtilis ingenij acumine non pręcellens,firmiſque ſententijs non ſtabilitum reperi;Dignum itaq.vt in communem omnium vtilitatem cedat,ſicut,& alia,quæ author indefeſſo labore dictauit, iudico. Datum Romæ in Carmelo D.Mariæ Tranſpontinæ die 26.Ianuarij 1649.

F.Matthæus de Orlando Carmelita Collegij eiuſdem Carmeli D.Mariæ Tranſpontinæ Regens, ac Prouincialis Hiberniæ.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Mag.et Socius Reuerendiſs.P.Sac.Pal.Apoſt. Mag. Ordin.Prædicat.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM.

De natura, & proprietatibus Theologiæ.

De exiſtentia, & neceſſitate Theologiæ. diſp. 1.

An Theologia ſit neceſſaria. ſect. 1.
An Theologia ſit ad hæſiua explicando fidem per concluſiones deductas. ſect. 2.

De principijs, quibus vtitur Theologia. diſp. 2.

An propoſitiones de fide ſint principia Theologię. ſect. 1.
Quomodo propoſitiones reuelatę concurrant ad aſſenſũ Theologicum. ſect. 2.
An propoſitio euidens poſſit eſſe principum Theologicum. ſect. 3.
An concluſio Theologica poſſit eſſe ex premiſsa probabili. ſect. 4.

De qualitate intrinſeca Theologiæ. diſp. 3.

An Thologia ſit habitus diſtinctus à fide. ſect. 1.
An Thologia ſit habitus ſupernaturalis. ſect. 2.
An, & quomodo Theologia ſit certa. ſect. 3.
An Theologia ſit euidens. ſect. 4.
An Theologia ſit vnus habitus. ſect. 5.

De obiecto Theologiæ diſp. 4.

Quod nam ſit obiectum materiale Theologiæ. ſect. 1.
Quomodo ſe habeat reuelatio ad obiecum Theologiæ. ſectio 3.
An Theologia habeat Unam rationem obiecti ſect. 2.
Quænam ſit ratio formalis obiecti Theologiæ ſecc. 5.

De modo quo procedit Theologia circa ſuum obiectum. diſp. 5.

An procedat ſcientifico modo. ſect. 1.
An Theologia habeat ſubalterno modo. ſect. 2.
An Theologià procedat ſpeculatiuo modo, an verò practico. ſect. 3.
Quomodo Theologia defendat ſua principia. ſect. 4.

De modo quo procedit Theologia circa ſuum obiectum. diſp. 6.

An Theologia ſe habeat ſub alterno modo. ſect. 2.
An Theologia procedat ſpeculatiuo modo, an vero practico. ſect. 3.
Quomodo Theologia defendat ſua principia. ſectio 4.

De locis Theologicis. diſp 4.

De àuctoritate diuina. Sect. 1.
De ſenſibus ſacrę ſcripturæ. ſect. 2.
Ex quonam ſenſu ſint confirmãda dogmata et eruẽda principia. ſect. 3.
De traditionibus. ſect. 4.
De auctoritate Eccleſiæ. ſect. 5.
De auctoritate Sanctorum Patrum. ſect. 6.
De auctoritate ſcholaſticorum. ſect. 7.
De Hiſtoria. ſect. 8.
De ratione naturali. ſect. 9.

De Deo & eius natura.

De exiſtentia Dei. diſp. 7.

Quomodo Theologia ſupponat Deum eſſe. ſect. 1.
An Deum eſſe ſit per ſe notum. ſect. 2.
An poſſit a priori de Deo demonſtrari exiſtentia. ſectio tertia.

Digitized by Google

INDEX RERVM.

An Dei exiſtentia poſſit demonſtrari a poſteriori. ſectio 4.
Quomodo demonſtretur, Deum eſſe ſect. 5.

De modo quo Deus cognoſcitur. diſp. 8.

Quibus modis cognoſcatur. ſect. 1.
An poſſit Deus quidditatiuè cognoſci. ſect. 2.

De eſſentia Dei. diſp. 9.

An Deus ſit ens a ſe. ſect. 1.
An Deus ſit ens per eſſentiam. ſect. 2.
An diuina eſſentia, ſit ipſa plenitudo eſſendi. ſect. 3.
An Deus ſit actus purus. ſect. 4.
Deducuntur nonnulla corollaria. ſect. 5.

De perfectione Dei. diſp. 10.

An in Deo ſit plenitudo perfectionis. ſect. 1.
Quomodo perfectiones omnes ſint in Deo. ſect. 2.

De infinitate Dei. diſp. 11.

An Deus ſit infinitus. ſect. 1.
Quomodo ſe habeat infinitas ad Deum. ſect. 2.

De conſtitutiuo diuinæ eſſentię diſp. 12.

Per quid vltimo a parte rei conſtituatur diuina eſſentia. ſect. 1.
Quodnam ſit formale conſtitutiuum eſſentiæ Dei ſecundum noſtrum modum concipiendi. ſec. 2.

De attributis diuinæ naturæ. diſp. 13.

Quid & quot ſint attributa. ſect. 1.
An attributa diſtinguantur ab eſſentia formaliter ex natura rei. ſect. 2.
An attributa ſit de quidditatiue eſſentię. ſect. 3.
An eſſentia ſit de conceptu attributorum. ſect. 4.
An vnum attributum ſint de eſſentia alterius. ſect. 5.
An attributa diſtinguantur ratione. ſect. 6.
Auod nam ſit fundamentum diſtinguendi attributa. ſectio. 7.

De ſimplicitate, & vnitate Dei. diſp. 14.

An Deus ſit vnus. ſect. 1.
Quid dicat ſimplicitas. ſect. 2.
An ſimplicitas ſit perfectio ſimpliciter ſimplex. ſectio tertia.
An Deus ſit omnino ſimplex. ſect. 4.
An ſimplicitas diuina excludat compoſitionem metaphyſicam. ſect. 5.
An ſimplicitas excludat Deo communicationem in genere analogo ſect. 6.

De diuina immutabilitate. diſp. 15.

An Deus ſit immutabilis. ſect. 1.
An Deus ſit immutabilis ſecundum actus immanentes. ſect. 2.
An immutabilitas ſit propria Dei. ſect. 3.

De veritate, & bonitate diuina. diſp 16.

An & quomodo Deo conueniat veritas. ſect. 1.
Quomodo Deus ſit bonus. ſect. 2.

De Dei immenſitate. diſp. 17.

An Deus ſit præſens omnibus rebus. ſect. 1.
An immenſitas demonſtretur ex operatione Dei. ſect. 2.
An attributa diſtinguantur ab eſſentia formaliter ex natura rei. ſect. 2.
An poſſit aliunde demonſtrari immenſitas Dei. ſect. 3.
In quo formaliter conſiſtat præſentia Dei. ſect. 4.
An immenſitas ſit ſpeciale attributum ſect. 5.
Quibus modis Deus ſit in rebus. ſect. 6.
An Deus ſit in ſpacijs imaginarijs. ſect. 7.
An & quomodo Deo conueniat eſſe vbique. ſect. 8.

De æternitate Dei. diſp. 18.

Quid ſit ęternitas. ſect. 1.
An ęternitas ſit formaliter duratio ſectio 2.
An æternitas diſtinguatur a diuina vita. ſect. 3.
An æternitas ſit menſura diuini eſſe ſect. 4.
An æternitas ſit menſura durationes creatæ. ſect. 5.
Per quid formaliter compleatur ęternitas. ſectio ſexta.
An æternitas poſſit demonſtrari de Deo ſectio 7.
An Deus ratione æternitatis coexiſtat tempori. ſectio octaua.
Quomodo ſe habeat æternitas ad res ſecundum ſuam prę-ſentiam. ſect. 9.

De intellectu, & ſapientia, diuina.

De intellectu Dei. diſp. 19.

Quomodo demonſtretur Deo conuenire intellectionem. Sectio 1.

Quo-

Quomodo cognoſcatur, & conueniat Deo intellectus. ſectio.2.
An diuino intellectui conueniat aliqua per modum actus primi. ſect.3.
Quanta, & qualis ſit ſcientia Dei. ſect.1.
Quomodo Diuina ſcientia ſe habeat in ſe ipſa. ſect.2.

De primario obiecto diuinæ cognitionis. diſp.21.

An Deus ſit primarium obiectum. ſect. 1.
An omnia, quæ ſunt in Deo pertineāt ad obiectum primarium. ſect.2.

De modo, quo ſe habet ſcientia Dei ad ſuum obiectum. diſp.22.

An dicat ordinem ad ipſum. ſect.1.
An Deus cognoſcat ſe ipſum comprehenſiuè. ſectio.2.

De obiecto ſecundario diuinę cognitionis. diſp.23.

Quomodo Deus cognoſcat creaturas in ſe ipſo. Sectio prima.
Quomodo Deus cognoſcat obiectum ſecundarium. ſectio prima.
An Deus cognoſcendo creaturas, eas producat in eſſe cognito. ſect.3.
An Deus cognoſcat poſſibilia in ſe ipſis. ſect.4.
An non entia pertineant ad obiectum ſecundarium. ſectio.5.
An, & quomodo malum pertineat ad obiectum ſecundarium. ſect.6.

De cognitione poſſibilium, diſp.24.

Quomodo ſit admittenda ſcientia ſimplicis intelligentiæ. ſect.1.
An cognitio poſſibilium ſit practica an ſpeculatiua. ſec.2.
An ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſit cauſa rerum. ſectio.3.

De cognitione futurorum contingentium abſolutorum. diſp.25.

An à Deo cognoſcantur. ſect.1.
An futuræ Contingentiæ abſolutæ habeant determinatam Veritatem. ſect.2.
An Deus cognoſcat futura contingentia in ſuis ideis. ſectio.3.
An Deus cognoſcat futura contingentia in ſuo decreto. ſect.4.
An futura contingentia cognoſcantur in ſuis cauſis. ſectio.5.
An Deus cognoſcat futura contingentia ratione ſuæ efficacis cognitionis. ſect.6.
An futura contingentia cognoſcantur in ſe ipſis. ſect.7.
Quomodo præſcientia Dei ſit neceſſaria. ſect.8.
An, & quomodo præſcientia ſtet cum libertate. ſect.9.

De cognitione futurorum conditionatorum contingentium. diſp.26.

An Deus cognoſcat hęc futura. ſect.1.
An Deus cognoſcat futura conditionata ante decretum. ſect.2.

De Diuinis ideis, diſp.27.

An idea diuina dicat eſſe obiectiuum creaturarum. Sectio.1.
An ideę diuinæ cōſiſtant formali in eſſentia diuina, an vero in aliquo alio. ſect.2.
Quarum rerum Deus habeat Idæas. ſect.3.

De voluntate Dei.

De natura diuinæ voluntatis, diſp.28.

An & quomodo Deo conueniat voluntas. ſect.1.
An Deo conueniat ratio appetitus. ſect.2.

De obiecto primario, & adæquato diuinæ voluntatis. diſp.29.

An bonitas diuina ſit primarium, et adæquatum obiectum ſect.1.
Quomodo amor diuinus ſit obiectum amoris. ſect.2.
Quomodo Deus amet ſeipſum. ſect.3.

De obiecto diuinæ voluntatis, diſp.30.

An creaturæ ſint obiectum ſecundarium diuinę voluntatis. ſect.1.
An Deus amet creaturas poſſibiles. ſect.2.

De modo, quo voluntas diuina verſatur circa creaturas. diſp.31.

An ſe habeat libero modo. ſect.1.
An libertas Dei ſtet cum indifferentia. ſect.2.
An voluntas diuina poſſit ſe habere negatiuè ſect.3.

De actu libero diuinæ voluntatis. diſp.32.

An conſtituatur aliquo modo per relationem rationis, Sectio.1.

Digitized by Google

An liberum decretum compleatur per aliquid extrinſecum.ſect.2.
An actus liber compleatur per obiectum diſtinctiuè acceptum.ſect.3.
An actus liber dicat perfectionem.ſect.4.
An volitio libera dicat perfectionem, quæ potuerit non eſſe in Deo.ſect.5.
An actus liber ſit in Deo ſub diſtinctione. ſectio. ſexta.
An actus liber dicat actum neceſſarium cum ſola extrinſeca terminatione.ſect.7.
An actus liber ſit ſola complacentia de poſſibilia. ſectio.8.
An actus liber Dei requirat mutationem phyſicam. ſectio. 10.

De voluntate Dei vt cauſa rerum. diſp.33.

An, & quomodo ſit cauſa rerum.ſect.1.
An diuina Voluntas habeat cauſam ſect.2.
Qualis ordo ſit inter actus diuinæ voluntatis. ſectio. tertia.

De voluntate ſigni beneplaciti, & antecedenti.diſp.34.

Quid, & quotuplex ſit voluntas ſigni.ſect.1.
An voluntas beneplaciti ſemper impleatur. ſect. ſecunda.
Quomodo Deus Velit omnium ſalutem ſect.3.
An voluntas antecedens poſſit eſſe inefficax. ſectio. quarta.

De effectibus diuinæ voluntatis. diſp.35.

An malum ſit effectus diuinæ Voluntatis. ſectio. prima.
Quomodo Deus concurrens ad actum peccati non ſit cauſa peccati ſect. 2.

De actu diuinæ voluntatis reſpectu boni.diſp.36.

An, & quomodo in Deo ſit amor ſect.1.
An amor diuinus habeat rationem charitatis.ſect.2.
An amor diuinus habeat rationem deſiderij. ſectio tertia.
Quomodo Deus amet omnia. ſect.4.

De actibus diuinę voluntatis circa malum.diſp.37.

An Deo conueniat odium.ſect.1.
An in Deo ſit fuga; timor, triſtitia, diſperatio.ſectio. ſecunda.
An in Deo ſit ira.ſect.3.

De diuina Iuſtitia. diſp.38.

An Deo conueniat debitum reſpectu creaturarum. ſectio 1.
An in Deo ſit iuſtitia vniuerſalis, & legalis.ſect.2.
An in Deo ſit iuſtitia punitiua.ſect.3.
An in Deo ſit Iuſtitia ſpecialis proprie dicta.ſectio. quarta.

De alijs virtutibus diſp.39.

An in Deo ſit miſericordia ſecundum propriam rationem. ſect.1.
An in Deo ſit liberalitas.ſect.2.

De prouidentia Dei.

De exiſtentia, & eſſentia prouidentiæ.diſp.40.

Quomodo prouidentia Deo conueniat ſalua noſtra libertate.ſect.1.
In quorum actu conſiſtat prouidentia.ſectio.2.
Quodnam ſit obiectum prouidentæ.ſect.3.
An prouidentia reſpiciat immediatè, & æqualiter res omnes. ſect.4.
An prouidentia ſemper aſſequatur ſuum finem.ſectio. quinta.
An Deus per prouidentiam prædefiniat res futuras ante cooparationem cauſarum ſecundarum. ſectio. ſexta.
An actus liberi boni prædefiniantur a Deo. ſectio. ſeptima.
An Deus prædefiniat actus malos.ſect.8.
An Deus præintendat finem ex permiſsione peccati aſſequendum. ſect.9.
An Deus præintendat finem quando ad ipſum ordinat media.ſect. 10

De prouidentia ſupernaturali, & prædeſtinatione.diſp.41.

An, & quid ſit prędeſtinatio, & prouidentia ſupernaturalis.ſect.1.
An prouidentia ſupernaturalis ſupponat decretum de creatione. ſectio. 2.
An prouidentia ſupernaturalis ſupponat naturalem. ſectio.3.

De

Digitized by Google

De ſigno in quo facta eſt prædeſtinatio. diſp. 42.

An prædeſtinatio ſit facta ante præuiſionem peccati originalis. ſect. 1.
An prædeſtinatio ad gratiam ſit ex præuiſione alicuius meriti. ſect. 2.
An prædeſtinatio ad gratiam ſupponat opus morale, vt diſpoſitionem. ſect. 3.

De prædeſtinatione ad gloriam diſput. 43.

An ſit ex præuiſis meritis. ſect. 1.
An prædeſtinatio adæquata ſupponat merita præuiſa. ſect. 2.
Quæ ſit mens Diui Auguſtini. Sect. 3.

De effectibus prædeſtinationis. diſput. 44.

An natura, & creatio ſint effectus prædeſtinationis. Sectio. 1.
An alia bona naturalia ſint effectus prædeſtinationis. ſect. 2.
An vocatio ſit effectus prædeſtinationis. ſect. 3.
An gratia per modũ habitus ſit effectus prædeſtinationis. ſect. 4.
An opera ſupernaturalia, vt ſunt a libero arbitrio, ſint effectus prædeſtinationis. ſect. 5.
An permiſsio peccati, & effectus prædeſtinationis. ſect. 6.

De reprobatione. diſp. 45.

Quid ſit reprobatio. ſect. 1.
An detur aliqua reprobatio negatiua. ſect. 2.
An detur aliqua reprobatio negatiua ſect. 2.
An reprobatio ſit poſt peccatum originale præuiſum. ſect. 3.
An deſtinatio ad pœnas ſit ante præuiſionem peccati. ſectio. 4.
An peccatum originale ſit cauſa damnationis. ſect. 5.
An detur cauſa adæquata reprobationis ſect. 7.
An detur aliqua alia reprobatio. ſect. 6.
De effectibus reprobationis ſect. 8.

De libro vitæ. diſp. 46.

An Deo conueniat liber vitæ. ſect. 1.
An detur in Deo liber mortis. ſect. 2.
An poſſit aliquis deleri de libro vitæ. ſect. 3.

De viſibilitate Dei.

De poſſibilitate viſionis Dei intuitiuę. diſp. 47.

An Deus poſſit videri per eſſentiam a creatura. ſect. 1.
An Deus poſſit naturaliter videri. ſect. 2.
An Deus vt viſibilis ſit terminus appetitus naturalis. ſect. 3.
An poſſit naturaliter oſtendi Deum eſſe clare viſibilem. ſect. 4.
An ſit poſſibilis creatura, a qua Deus poſsit naturaliter videri. ſect. 5.
An Deus poſsit intuitiue videri ab oculo corporeo. ſect. 6.

De eo quod in Deo videri poteſt. diſp. 48.

An per viſionem intuitiuam videantur omnia, quę ſunt in Deo ſect. 1.
An de potentia abſoluta poſſit Deus videri ſecũdum eſſentiam, & non ſecundum perſonas, aut ſecundum vnam rationem, & non ſecundum aliam. ſect. 2.
Quomodo decreta libera Dei ſint cognoſcibilia. ſect. 3.
An, & quomodo creaturę ſint viſibiles in Deo. ſectio. 4.
Quomodo Deus ſit medium ad videndas creaturas. ſectio. 5.
An ex vi viſionis Dei videantur omnia poſſibilia. ſectio. 6.
Vnde proueniat, quod hæc potius poſſibilia videantur, in Deo, quam alia ſect. 7.
An exiſtentia cognoſcantur in verbo ſect. 8.
Quænam exiſtentia videantur de facto a Beatis. ſectio. nona.
An præterita, & futura cognoſcantur a Beatis per propriã ſpeciem. ſect. 10.
An Deus ſit viſibilis a viatoribus, & quis eum viderit. ſectio. 11.

De medio, quo Deus eſt viſibilis, diſput. 49.

An ſit poſſibilis ſpecies impreſſa in ordine ad videndum Deum intuitiuè. ſect. 1.
An de facto Deus videatur per ſpeciem impreſſam. ſectio. 2.
An præter ſpeciem expreſſam ſit etiam neceſſaria ſpecies expreſſa ſect. 3.

De incomprehenſibilitate, & ineffabilitate Dei. diſp. 50.

An Deus ſit comprehenſibilis. ſect. 1.
In quo formaliter conſiſtat incomprehenſibilitas. ſectio. 2.
An Deus poſſit per aliquod nomen comprehenſiuè ſignificari. ſect. 3.

Digitized by Google

An viatores poſſint Deum nominare nomine quidditatiuo; vt eſt in ſe. ſect. 4.
An beati poſſint nominare Deum quidditatiuo modo ſec. 5.

De Deo Trino.

De exiſtentia Trinitatis. diſp. 50.

An Deus ſit trinus. Sect. 1.
An filius ſit conſubſtantialis, Patri. ſect. 2.
An Spiritus Sanctus ſit cōſubſtātialis Patri, & filio. ſec. 3.
An ex veteri teſtamento probetur Trinitas. ſect. 4.

De cognoſcibilitate Trinitatis. diſp. 51.

An Trinitas poſſit naturaliter oſtendi. Sect. 1.
An facta reuelatione poſſit naturaliter cognoſci, & demonſtrari Trinitas. ſect. 2.
An in creaturis ſit Imago, per quam cognoſcatur Trinitas. ſect. 3.
An trinitas poſſit cognoſci, euidenter cognitione abſtractiua, quidditatiua. ſect. 4.
An Viatori ſit poſſibilis euidentia de exiſtentia Trinitatis. ſect. 5.
An Myſterium Trinitatis repugnet rationi naturali. ſectio. 6.
Quomodo ſoluendi ſint ſyllogiſmi contra Myſterium Trinitatis ſect. 7.
An ratione contradictionis Myſterium Trinitatis repugnet lumini naturali. ſect. 8.

De diuinis proceſſionibus, diſp. 52.

An in Deo dentur proceſſiones reales. Sect. 1.
An proceſſiones diuinę ſint a natura. ſect. 2.
Quot ſint proceſſiones in Deo ſect. 3.
An proceſſiones realiter diſtinguantur. ſect. 4.
Quomodo intellectus, & Voluntas ſint principium diſtinctarum Proceſſionum. ſect. 5.
Per quid formale proceſſiones paſſiuæ diſtinguantur. ſect. 6.
Quomodo proceſſiones paſſiuæ inter ſe differant. ſect. 7.
In quo conſiſtat fœcunditas, ex qua proueniunt diuinæ proceſſiones. ſect. 8.

De proceſſionibus actiuis, ſiue originibus. diſp. 53.

An detur in Deo duplex intelligere, & duplex velle, Sectio. 1.
An detur dicere, & quomodo ſe habeat ad intelligere. ſectio. 2.
An, & quomodo ſint aſſignanda principia, & productiones proceſſionum paſſiuarum. ſect. 3.
In quonam ſint origines actiuę. ſect. 4.
Quomodo ſint explicandæ origines. ſect. 5.
An origines actiuę importent formaliter aliquid de eſſentia. ſect. 6.
Quomodo, & quid formaliter per origines ſeu proceſsiones communicetur. ſect. 7.

De exiſtentia diuinarum Relationum. diſp. 54.

An relationes diuinæ ſint reales ſecundum eſſe ad. *ſec. 2.*
An in Deo dentur relationes reales ſect. 1.

De Relationibus comparatis ad eſſentiam. diſp. 55.

An relationes diſtinguantur realiter ab eſſentia. Sect. 1.
An relationes diſtinguantur ab eſſentia aliquo pacto ante opus intellectus. ſect. 2.
An relationes ſint de quidditatiue eſſentiæ diuinæ. ſect. 3.
An Relationes dicant formaliter eſſentiam. ſect. 4.

De relationibus ſecundum ſe conſideratis. diſp. 56.

Quot ſint relationes reales. ſect. 1.
An Relatio ſpirationis actiuę conſtituat quartam relationem. ſect. 2.
An relatio dicat perfectionem in Deo ſect. 3.
An relationes habeat fundamentum ſect. 4.
Quem terminum habeant relationes diuinæ. ſect. 5.

De perſona in communi. diſp. 57.

Quid ſignificet perſonas. ſect. 1.
Quid ſit perſona. ſect. 2.

De perſona in diuinis. diſp. 58.

An in Deo ſit ponenda ratio perſonæ. ſect. 1.
Quid formaliter dicat perſona diuina. ſect. 2.
An in Deo ſit ponenda hypoſtaſis. ſect. 3.

De conſtitutiuo diuinarum perſonarum. diſp. 59.

An dentur proprietates conſtituentes perſonas. ſect. 1.
An proprietates conſtituentes perſonas ſint abſolutæ, an relatiuæ. ſect. 2.
An proprietates conſtituentes perſonas dicant origines, ſect. 3.
Sub qua ratione relatio conſtituat perſonam. ſect. 4.

De identitate diuinarum perſonarum. diſp. 60.

Qualis ſit iſta identitas. ſect. 1.
An perſonę diuinæ ſint vnum in aliquo ſubſiſtentia abſoluta. ſect. 2.
An perſonę diuinæ conueniant in aliqua ratione communi perſonæ. ſect. 3.

Digitized by Google

De diſtinctione diuinarum perſonarum. diſp. 61.

Qualis ſit iſta diſtinctio. ſect. 1.
An ratione perſonarum detur numerus in diuinis. ſect. 2.

De ijs quæ plurificantur ad Plurificationem perſonarum. diſp. 62.

An tres perſonæ dicant tres ſubſiſtentias relatiuas. ſec. 1.
An perſonæ diuinæ dicant tres exiſtentias relatiuas. ſect. 2.
An attributa negatiua plurificentur in diuinis. ſect. 3.
An plurificentur attributa poſitiua. ſect. 4.
An tres perſonæ diuinæ ſint tres entitates, & tria entia. ſect. 5.
An tres perſonæ ſint tres res. ſect. 6.
An plurificentur in perſonis cætera tranſcendentia. ſect. 8.

De notionibus diuinarum perſonarum. diſp. 63.

An dentur notiones. Sect. 1.
Quot ſint notiones. ſect. 2.
Quomodo ſe habeat notio, proprietas, & relatio. ſect. 3.

De actibus notionalibus diuinarum perſonarum. diſp. 64.

An detur potentia ad actus notionales. Sect. 1.
Quid formaliter dicat vis productiua. ſect. 2.
An actus notionales ſint de aliquo. ſect. 3.
An actus notionales ſint voluntarij. ſect. 4.
An voluntas generandi ſit prior generatione. ſect. 5.
An proceſſio Spiritus Sancti ſit libera. ſect. 6.
Quiſnam ſit terminus actuum notionalium. ſec. 7.

De diſtinctione, & qualitate actuum notionalium. diſp. 65.

In quo diſtinguantur actus notionales. Sect. 1.
Quid requiratur ad formalem rationē generationis. ſect. 2.
Cur prima proceſſio ſit generatio, & non ſecunda. ſect. 3.
Expenditur alia reſponſio. ſect. 4.
An verbum ſit Genitum, quia formaliter ipſi communicetur intelligere. ſect. 5.
An verbum ſit Genitum, quia procedat ſimile principio quo *totali. ſect. 6.*
An verbum ſit genitum, quia ipſi communicetur natura ſub ratione naturę. ſect. 7.
Aſſignatur ratio, cur tantum prima proceſſio ſit generatio. ſect. 8.
Soluuntur nonnullę difficultates. ſectio. 9.

De perſona patris. diſp. 66.

Quomodo nomen Patris dicatur de prima perſona. Sect. 1.
An eſſe ingenitum conueniat Patri. ſect. 2.
Quid dicat ratio ingeniti. ſect. 3.
An, & quomodo Pater ſit principium. ſect. 4.
Quomodo ſe habeat ratio principii in Deo. ſect. 5.

De ſecunda perſona Trinitatis. diſp. 67.

An ſit proprie Verbum. ſect. 1.
An verbum dicatur eſſentialiter, an vero notionaliter. ſectio. 2.
Quid dicat verbum de ſuo formali. ſect. 3.
An Verbum ſit imago Patris. ſect. 4.
Cur Spiritus Sanctus non ſit imago. ſect. 5.
Quomodo ſe habeat verbum in ratione loquutionis, & dictionis. ſect. 6.

De productione verbi. diſp. 68.

An Verbum procedat ex notitia contingentium. Sect. 1.
An Verbum procedat ex notitia poſſibilium. ſect. 2.
An verbum procedat ex notitia diuinarum perſonarum. ſect. 3.

De Tertia perſona Trinitatis. diſp. 69.

An, & quomodo tertia perſona ſit Spiritus Sanctus. ſectio. 1.
Quomodo Spiritui Sancto conueniat nomen Amoris. ſectio. 2.
Quid dicat amor notionalis. ſect. 3.
An Spiritus Sanctus ſit amor, quo perſonæ diuinæ diligunt ſectio. 4.
An Spiritus Sanctus ſit proprie donum. ſect. 5.
Quomodo Spiritus Sanctus ſit donum. ſect. 6.

De productione Spiritus Sancti. diſp. 70.

An Spiritus Sanctus procedat a filio. Sect. 1.
An pater, & filius ſint vnum principium Spiritus Sancti. ſect. 2.
An pater, & filius vt vnum principium, ſint vnum ſubſiſtens. ſect. 3.
Quomodo ſe habeat relatio ſpirationis actiuæ ad Paternitatem, & filiationem. ſect. 4.
An Spiritus Sanctus requirat per ſe duas perſonas, vt principium. ſect. 5.
An, & quomodo Pater per Filium ſpiret. ſect. 6.
An ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio diſtingueretur ab ipſo. ſect. 7.

De ęqualitate diuinarum perſonarum diſput. 71.

Quid importet æqualitas diuinarum perſonarum. Sect. 1.

De circuminſerſione diuinarum perſonarum. diſp. 72.

An detur circuminſerſio. Sect. 1.
In quo conſiſtat circuminſerſio. ſect. 2.
An ſola vnitas naturę ſit ratio circuminſerſionis. ſect. 3

De miſ-

Digitized by Google

INDEX RERVM.

De miſſione diuinarum perſonarum. diſp. 73.

Quid ſit miſſio. Sect. 1.
Quid de formali dicat miſſio. ſect. 2.
De miſſione Viſibili, & inuiſibili. ſect. 3.

De Deo homine redemptore.

De exiſtentia, & conuenientia Incarnationis. diſp. 74.

An incarnatio ſit facta. ſect. 1.
An Chriſtus ſit verus homo, & verus Deus. ſect. 2.
An ſuppoſita exiſtentia Incarnationis poſſit naturaliter cognoſci ſect. 3.
An poſſibilitas Incarnationis poſſit naturaliter cognoſci. ſect. 4.
An incarnatio fuerit conueniens. ſect. 5.
An incarnatio fuerit conueniens pro redimendo genere humano. ſect. 6.

De neceſſitate incarnationis. diſp. 75.

An incarnatio fuerit neceſſaria ſecundum ſe ſect. 1.
An ſuppoſito peccato fuerit neceſſaria Incarnatio. ſect. 2.

De cauſa finalis Incarnationis. diſp. 76.

Quænam fuerit cauſa finalis Incarnationis ſect. 1.
An Incarnatio ſit facta principalius propter remedium originalis. ſect. 2.
An Chriſtus veniſſet, ſi fuiſſet originale ſine actuali, aut è contra. ſect. 3.

De cauſa formali Incarnationis ſeù vnione hypoſtatica. diſp. 77.

An Vnio ſit facta in natura. ſect. 1.
An Vnio ſit facta in Perſona. ſect. 2.
An Vnio naturarum in Chriſto ſit ſubſtantialis. ſect. 3.
An hæc vnio ſit omnium maxima ſect. 4.
Quid dicat Vnio hypoſtatica. ſect. 5.

De aſſumptione. diſp. 78.

Quid de humana natura aſſumpſerit. ſect. 1.
An verbum aſſumpſerit hypoſtaticè ſanguinem. ſect. 2.
An cæteri humores fuerint aſſumpti ſecũdum hypoſtaſim. ſect. 3.
An dentes, vngues, & pili ſint aſſumpti ſecundum hypoſtaſim. ſect. 4
An in aſſumptione fuerit aliquis ordo temporis. ſect. 5.
An interueniat aliquid ordo naturæ. ſect. 6.
An potuerit aſſumi natura cum propria perſonalitate.
An Vna perſona poſſit aſſumere plures naturas. ſect. 8.
An verbum potuerit aſſumere aliam naturam. ſect. 9.

De perſona aſſumente. diſp. 79.

An ſola perſona filij carnem aſſumpſerit. ſect. 1.
Per quod verbum terminauerit naturam humanam. ſectio. 2.
An hic Deus communis tribus Perſonis poſſit aſſumere. ſect. 3.
An plures perſonæ diuinæ poſſint ſimul aſſumere eandem naturam. ſect. 4.

De cauſa meritoria Incarnationis. diſp. 80.

An humanitas Chriſti meruerit Vnionem hypoſtaticam. ſect. 1.
An de potentia abſoluta potuerit Chriſtus mereri incarnationem. ſect. 2.
An antiqui patres meruerint Incarnationem. ſect. 3.
An beata virgo meruerit eſſe mater Dei. ſect. 4.

De Termino Incarnationis. diſp. 81.

Quænam ſit terminus Incarnationis. ſect. 1.
An terminus ad quem ſit perſona compoſita. ſect. 2.

De Chriſti filiatione. diſp. 82.

An Chriſtus ſit filius adoptiuus Dei. ſect. 1.
An, & qua certitudine Chriſtus vt homo ſit filius Dei naturalis. ſect. 2.
An Chriſtus dicat relationem filiationis ad matrem. ſect. 3.

De prædicatione Chriſti. diſp. 83.

An Chriſtus poſſit dici prædeſtinatus. ſect. 1.
An Chriſtus, vt hic homo ſit prædeſtinatus, vt ſit filius Dei, ſect. 2.

De ſubiectione, & ſeruitute Chriſti. diſp. 84.

An Chriſtus fuerit ſubiectus Patri. ſect. 1.
An Chriſtus fuerit ſubiectus legibus ſect. 2.
Quibus legibus Chriſtus fuerit ſubiectus. ſect. 3.
An Chriſtus ſit ſeruus proprie dictus. ſect. 4.

De communicatione Idiomatum. diſp. 85.

An detur in Chriſto propria communicatio Idiomatum. ſect. 1.
Quales ſint hæ propoſitiones, Deus eſt homo, & homo eſt Deus. ſect. 2.
An Chriſtus poſſit dici creatura. ſect. 3.
An poſſit dici Chriſtus incæpit eſſe. ſect. 4.

De

Digitized by Google

INDEX RERVM.

De Gratia Chriſti. diſp. 86.

An Chriſtus Sanctificetur per Vnionem hypoſtaticam. ſect. 1.
Quomodo humanitas ratione hypoſtaticę Vnionis ſanctificetur. ſect. 2.
Quanta ſit ſanctitas humanitatis ex Vnione. ſect. 3.
An, & qua certitudine ponenda ſit in Chriſto gratia habitualis. ſect. 4.
An gratia habitualis fuerit Chriſto neceſſaria, vt mereretur. ſect. 5.
An gratia Chriſti fuerit infinita. ſect. 6.
An gratia Chriſti poſſit augeri. ſect. 7.

De Virtutibus Animæ Chriſti. diſput. 87.

An Virtutes Theologales fuerint in Chriſto. ſect. 1.
An in Chriſto fuerint Virtutes morales ſupernaturales. ſect. 2.
An Chriſtus habuerit virtutes morales acquiſitas. ſect. 3.
An in Chriſto fuerint dona Spiritus Sancti ſect. 4.
Quomodo in Chriſto fuerit donum timoris. ſect. 5.
An in Chriſto fuerint gratiæ gratisdatæ. ſect. 6.

De Gratia Chriſti vt capitis. diſp. 88.

Quorum Chriſtus ſit Caput. ſect. 1.
Quenam ſit Gratia capitis. ſect. 2.

De ſcientia Chriſti in communi. diſp. 89.

An in Chriſto fuerit ſcientia creata. ſect. 1.
Qualis ſit cognitio creata Chriſti. ſect. 2.

De cognitione Beata Chriſti. diſp. 90.

Quando Chriſtus fuerit Beatus. ſect. 1.
Quomodo in Chriſto fuerit ſummum gaudium ratione Beatitudinis cum ſumma triſtitia ratione paſſionis. ſect. 2.
An Chriſtus cognouerit in Verbo omnia futura. ſect. 3.

De ſcientia infuſa Chriſti. diſput. 91.

An Chriſtus habuerit aliquam ſcientiam infuſam per ſe. ſect. 1.
An hęc ſcientia fuerit dependens a phantaſia. ſect. 2.
An hęc ſcientia ſit habitus diſtinctus a ſpeciebus. ſect. 3.

De obiecto ſcientiæ infuſæ. diſp. 92.

An poſſibilia ſint obiectum huius ſcientiæ. ſect. 1.
An res naturales ſint obiectum huius ſcientię. ſect. 2.
An actus liberi, & futura contingentia fuerint obiectum huius ſcientię. ſect. 3.
An myſteria creata gratię fuerint obiectum huius ſcientię. ſect. 4.
An myſteria, quæ dicunt aliquid increatum, ſint obiectum huius ſcientiæ. ſect. 5.
Quomodo Chriſtus fuerit in actu huius ſcientię. ſect. 6.

De ſcientia acquiſita. diſp. 93.

An, & quomodo Chriſtus habuerit ſcientiam acquiſitam. ſect. 1.
Quodnam ſit obiectum huius ſcientię. ſect. 2.
An hęc ſcientia potuerit eſſe falſa. ſect. 3.

De voluntate Chriſti, & eius operatione. diſp. 94.

An in Chriſto fuerit humana voluntas cum ſua operatione. ſect. 1.
An Voluntas Chriſti fuerit contraria diuinę. ſect. 2.
An voluntas humana Chriſti fuerit ſemper impleta. ſect. 3.
An in Chriſti voluntate fuerit libertas. ſect. 4.
Quomodo indifferentia Voluntatis Chriſti ſtet cum impeccabilitate. ſect. 5.
Quomodo ſtet libertas Chriſti cum Viſione Beata. ſect. 6.

De impeccabilitate Chriſti. diſp. 95.

An Chriſtus fuerit impeccabilis. ſect. 1.
An Chriſtus de potentia abſoluta potuerit peccare. ſect. 2.
An Chriſtus fuerit impeccabilis etiam ſecundum principium quo. ſect. 3.
An Chriſtus potuerit peccare, ita Vt Vnio diſſolueretur. ſect. 4.
An in Chriſto fuerit, vel potuerit eſſe fomes peccati. ſect. 5.
An in Chriſto potuerint eſſe habitus vitioſi. ſect. 6.

De paſſionibus animæ Chriſti. diſp. 96.

An in Chriſto fuerint illi affectus, qui dicuntur paſſiones. ſect. 1.
An in Chriſto fuerit triſtitia. ſect. 2.
An in Chriſto fuerit timor. ſect. 3.
An in Chriſto fuerit admiratio. ſect. 4.
An in Chriſto fuerit ira. ſect. 5.

De merito Chriſti. diſp. 9

Quo tempore Chriſtus meruerit. ſect. 1.
Quando Chriſtus ceſſauerit mereri. ſect. 2.
An Chriſtus meruerit per actus Virtutum. ſect. 3.
An Chriſtus meruerit per actus charitatis. ſect. 4.

De eo, quod Chriſtus meruit. diſp. 98.

An Chriſtus meruerit ſibi aliqua bona ſupernaturalia. ſect. 1.
An Chriſtus meruerit ſibi gratiam, & Gloriam. ſect. 2.
An de potentia abſoluta potuerit mereri gratiam, & gloriam. ſect. 3.
An Chriſtus meruerit nobis gratiam, gloriam, & remiſſionem peccatorum. ſect. 4.

An

Digitized by Google

An Chriſtus meruerit nobis applicationem ſuorum meritorum.ſect.5.
Quid Chriſtus meruerit iuſtificatis.ſect.6.
An chriſtus meruerit nobis prædeſtinationem.ſect.7.
Quid Chriſtus meruerit Angelis ſect.8.

De Chriſti ſatisfactione.diſp.99.

An homo habeat iuſtitiam ad Deum.Sect.1.
An Chriſtus ſatisfecerit pro peccatis generis humani. ſectio 2.
An Chriſti ſatisfactio habuerit ex ſe valorem, & condignitatem.ſec.3.
Vnde ſumatur valor perſonalis operum Chriſti.ſec.4.
Quem valorem habeant operationes Chriſti ex re oblata. ſect.5.
In quo conſiſtat valor operum Chriſti. ſec.6.
An valor Chriſti fuerit infinitus.ſec.7.

De conditionibus iuſtitiæ ſatisfactionis Chriſti.diſp.100.

An Chriſti ſatisfactio ſit ad alterum.Sect.1.
An Chriſti ſatisfactio defecerit a iuſtitia,quia ipſe non tenebatur ſatisfacere. ſect.2.
An ad complendam Chriſti ſatisfactionem requiratur acceptatio.ſect.3.
An in Deo fuerit obligatio acceptandi Chriſti ſatisfactionem.ſect.4.
An ſatisfactio Chriſti fundetur in gratia creditoris. ſect.5.
An Chriſti ſatisfactio ſit ex propriis. ſect.6.
An Chriſti ſatisfactio ſit ex indebitis.ſect.7.
Quę iuſtitia interueniat in Chriſti ſatisfactione.ſect.8.

De ſatisfactione puri hominis. diſp.101.

An poſſit purus homo perfectè ſatisfacere pro ſuo peccato. ſect.1.
An poſſit purus homo pro peccato proprio imperfectè ſatisfacere.ſec.2.
An poſſit homo condignè ſatisfacere pro peccato commiſſo ſine aduertentia ad offenſam Dei.ſect.3.
An purus homo poſſit pro veniali proprio condignè ſatisfacere.ſec.4.
An purus homo conſtitutus caput generis humani poſſit pro alienis peccatis ſatisfacere.ſec.4.

De adoratione Chriſti. diſp.102.

An Chriſtus ſit adorandus adoratione latrię. Sect.1.
An hęc adoratio redundet in humanitatem.ſect.2.
An humanitas poſſit adorari præciſè a Verbo adoratione inferiori.ſect.3.

De intellectuali natura creata atque ad ſupernaturalem ſtatum eleuata.

De exiſtentia Angelorum. diſp.103.

An certum ſit dari Angelos.Sec.1.
Quando Angeli ſint producti.ſect.2.
An Angeli ſint creati ante mundum Corporeum.ſect.3.
Vbi Angeli ſint creati.ſect.4.
An Angeli ſint increati in aliquo magno numero.ſec.5.
An numerus Angelorum excedat numerus hominum. ſectio.6.

De natura Angelorum.diſp.104.

An Angeli ſint incorporei.Sec.1.
An Angeli componantur ex materia & forma. ſec.2.
An ſit paſſibilis Angelus,ſed natura intellectualis conſtans ex materia ſpirituali,& forma. ſect.3.
An Angeli ſint immortales,& incorruptibiles.ſec.4.
Quomodo Angeli ſint annihilabiles.ſect.5.

De diſtinctione Angelorum.diſp.105.

An detur inter Angelos diſtinctio ſpecifica.Sect.1.
An Angeli intra eamdem ſpeciem poſſint ſolo numero differre.ſec.2.

De intellectu Angelico diſp.106.

An Angelo ſit intellectus agens.Sect.1.

De cognitione Angelorum. diſp.107.

An cognitio Angeli ſit aliquid ſuperadditum.Sect.1.
An cognitio Angeli ſit compoſitiua, & diuiſiua. ſectio.2.
An cognitio Angeli ſit diſcurſiua.ſect.3.
An cognitio Angeli poſſit eſſe falſa. ſect.4.

De modo, quo intellectus Angeli ſit in actu.diſp.108.

An Angelus poſſit ceſſare ab omni actu cognitionis. ſectio.1.
An poſſit Angelus ſimul plura cognoſcere.ſect.2.
An Angelus actu cogitet de omnibus quæ poteſt cognoſcere.ſect.3.
An Angelus comprehenſiue cognoſcat.ſect.4.

De medio cognitionis Angelicæ diſp.109.

An Angelus indigeat ſpeciebus impreſſis. Sect.1.
An ſpecies emanens a ſubſtantia Angeli.ſect.2.
An Angelus habeat ſpecies concreatas.ſect.3.
An Angeli deſumant ſpecies ab obiectis.ſec.4.
An vna ſpecies poſſit eſſe repreſentatiua plurium. ſectio.5.

De obiecto intellectus Angelici.diſp. 110.

Quodnam ſit obiectum adæquatum intellectus Angelici. Sect.1.
An obiecta ſupernaturalia,quò ad modum ſint obiectum propor-

proportionatum intellectui Angelici. ſec. 2.
An ſupernaturalia quò ad ſubſtantiam ſint obiectum proportionatum intellectui Angelico. ſec. 3.
An cogitationes cordis ſint obiectum connaturale Angeli. ſect. 4.
Cur ſecreta cordis non cognoſcantur ab Angelo. ſect. 5.
Quid nomine cogitationis intelligatur ſec. 6.

De cognitione ſui ipſius. diſp. 111.

Quomodo Angelus cognoſcat ſeipſum. Sect. 1.
An Angelus poſſit ceſſare a cognitione ſui ipſius. ſec. 2.

De modo, quo angelus cognoſcit obiecta extra ſe. diſp. 112.

Quomodo Angelus alios Angelos cognoſcat. ſec. 1.
Quomodo Angeli cognoſcant ſingularia. ſect. 2.
Quomodo Angelus cognoſcat futura in cauſis. ſec. 3.
An Angelus naturaliter cognoſcat futura in ſe ipſis. ſectio. 4.

De modo quo Angelus Deum cognoſcit naturaliter. diſp. 113.

An cognoſcat naturaliter per propriam ſpeciem ſect. 1.
Quomodo Angelus per ſuam ſubſtantiam Deum cognoſcat ſec. 2.
An Angelus cognoſcat ſe, & Deum eodem actu. ſect. 3.

De locutione Angelorum. diſp. 114.

Quomodo Angeli inuicem loquuntur. Sec. 1.
Explicatur modus loquutionis Angelicæ. ſec. 2.
Reſoluuntur quædam difficultates. ſec. 3.

De illuminatione Angelorum. diſp. 115.

An unus Angelus alium illuminet. Sec. 1.
Quid ſit illuminatio. ſec. 2.

De voluntate Angelorum. diſp. 116.

An voluntas Angeli ſit libera ad peccandum contra naturalem rectitudinem. Sec. 1.
An voluntas Angeli ſit immutabilis in electione. ſect. 2.

De actu voluntatis Angelicę. diſp. 117.

An voluntas Angeli ſemper ſit neceſſario in aliquo actu. Sect. 1.
An Angelus diligat ſe amore neceſſario. ſect. 2.
An Angelus amet Deum neceſſario. ſec. 3.
An Angelus inclinet ad magis amandum Deum, quam ſeipſum. ſect. 4.

De loco Angelorum. diſp. 118.

An Angeli ſint in loco. Sect. 1.
An Angelus ſit præſens loco per vbi intrinſecum. ſec. 2.
An Angelus ſit præſens loco per operationem tranſeuntem.
An Angelus ſit in loco per aliquid æquiualens actioni. ſec. 4.
An Angeli ſint in loco per potentiam operatiuam. ſect. 5.
Quænam ſit formalis ratio, per quam Angelus eſt præſens loco. ſect. 6.
Quomodo ſe habeat extenſio virtualis Angeli ad locum ſect. 7.

De comparatione Angelorum ad loca. diſp. 119.

An poſſit Angelus eſſe in minori, & minori loco. Sec. 1.
An poſſit Angelus eſſe in loco indiuiſibili. ſect. 2.
An poſſit Angelus eſſe ſimul in pluribus locis. ſect. 3.
An poſſint plures Angeli eſſe ſimul in eodem loco. ſect. 4.

De motu Angelorum. diſp. 120.

An, & quomodo Angelus moueatur. ſect. 1.
An Angelus a ſeipſo moueatur. ſect. 2.
An motus Angeli ſit aliquid ipſi intrinſecum. ſec. 3.
An motus Angeli debeat eſſe neceſſario inter terminos poſitiuos. ſect. 4.

De modo, quo fit motus Angeli. diſp. 121.

An motus Angelis condigno continuus. Sect. 1.
An Angelus poſſit moueri de extremo ad extremum per medium in inſtanti. ſec. 2.
An motus Angeli abſque medio poſſit eſſe in inſtanti. ſec. 3.
An Angelus poſſit moueri de extremo ad extremum non tranſeundo per medium. ſect. 4.
An motus Angeli ſit determinatus quoad velocitatem. ſectio. 5.

De Gratia Angelorum. diſp. 122.

An angelus fuerit in ſtatu vitę, & gratiæ. ſect. 1.
An angelus fuerit creatus in gratia. ſect. 2.
An Angeli habuerint gratiam ex propriam diſpoſitionem. ſect. 3.
An Angeli conſequuti ſint gratiam ſecundum quantitatem naturalium. ſect. 4.
An Angeli habuerint in via cognitionem Dei ſupernaturalem. ſect. 5.

De merito Angelorum. diſp. 123.

An Angeli in primo Inſtanti exercuerint actus gratiæ. Sectio. 1.
An, & quomodo Angeli meruerint beatitudinem. ſect. 2.

De peccato Angelorum. diſp. 124.

An Angeli fuerint beati in primo inſtanti. Sect. 1.
In quo inſtanti Angeli receperint beatitudinem. ſect. 2.

De Beatitudine Angelorum. diſ. 125.

An Angeli peccauerint ex aliqua inconſideratione. ſect. 1.

An An-

Digitized by Google

An Angeli potuerint peccare in primo inſtanti. ſect.2.
An primum peccatum fuerit ſuperbiæ. ſect.3.
An obiectum peccati Angeli fuerit beatitudo naturalis. ſect.4.
An Angelus peccauerit circa beatitudinem ſupernaturalem. ſect.5.
An Angelus peccauerit appetendo æqualitatem cum Deo. ſect.6.
An Chriſtus fuerit obiectum peccati Angelici. ſect.7.

De pœna Angelorum malorum. diſput. 126.

An ignis torqueat Dæmones. ſect.1.
Quomodo ignis torqueat Dæmones. ſect.2.
Explicatur modus, quo ignis torquet Dæmones. ſect.3.

De obſtinatione Dœmonum. diſput. 127.

Quænam ſit cauſa obſtinationis dæmonum. ſect.1.
An obſtinatio impediat Dæmonem, ne aliquod bonum efficiat. ſect.2.
Cur Dæmon non poſſit operari aliquod bonum. ſect.3.

De cuſtodia Angelorum. diſput. 128.

An Angeli ſint deputati ad cuſtodiam hominum. ſect.1.

FINIS.

SACRA

Digitized by Google

SACRA SPECVLATIVA DOCTRINA,

De natura, & proprietatibus Theologiæ.

DE EXISTENTIA, ET NECESSITATE THEOLOGIAE.

DISPVTATIO PRIMA.

An Theologia ſit neceſſaria.

SECTIO I.

1 THEOLOGIA idem eſt, ac ſermo de Deo, quatenus innititur reuelatis. Supponendum autem eſt dari Theologiam, quæ ſit habitus perficiens intellectum in ordine ad cognoſcẽdum Deum; cum enim dentur propoſitiones reuelatæ, & intellectus noſter ſit diſcurſiuus, poteſt ex ipſis per lumen naturale deducere aliquas concluſiones, quę cõſtituant Theologiã.

2 Supponendum ſecundo Theologiam, licèt non fuerit ſemper ſcholaſtico modo tractata, extitiſse tamen ſemper in Eccleſia Dei; adfuit enim ſemper fides, & viri periti, qui ipſam explicabant. Vnde ſolum eſt variata ſecundum modum, non autem ſecundum ſubſtantiam.

3 Dicendum primò, *Theologiam non eſse ſimpliciter neceſsariam ad ſalutem neceſſitate phyſica, neque ſingulis hominibus, neque toti Eccleſiæ.* Probatur. In tantum eſset neceſsaria, in quantum ſine ipſa non poſset conſeruari fides; poteſt autem conſeruari. Tum quia non dependet ab ipſa à priori; tũ quia non implicat, quod quis ita firmiter credat, vt à nulla contraria ſuaſione inficiatur. Dices. Eſt neceſsarium ad ſalutem dirigere operationes noſtras: ergo opus eſt Theologia, quę applicet in particulari regulas vniuerſales fidei. Reſpondetur negando conſequentiam: quia hæc applicatio non fit per Theologiam, ſed per conſultationem, qua regula abſtractè conſiderata applicatur materiæ particulari.

4 Dicendum ſecundo, *Theologiam eſſe neceſsariam toti Eccleſiæ neceſſitate morali, non autem ſingulis hominibus*; ita communiter contra Faſolum 1. *par. q.*1. *art.* 1. *dub.* 3. Qui vult quod ſit etiam neceſsaria ſingulis hominibus. Probatur. Ad Titum 1. *Oportet Epiſcopum eſſe amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana; & eos, qui contradicunt redarguere.* Ratio eſt, quia fides indiget explicatione, vt poſſit facilius inſinuari. Vnde etiam Chriſtus ad ſuam doctrinam inſinuandam argumentabatur ex reuelatis in veteri teſtamento, vt Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 11.

5 Obijcit Faſolus. Fides eſt neceſſaria in ſingulis hominibus, & in ſingulis hominibus poteſt inficí: ergo cum Theologia ſit neceſsaria ad conſeruandam fidem, erit neceſsaria in ſingulis hominibus. Reſpondetur negando conſequentiam, quia poteſt conſeruari per Theologiam, quæ ſit in alijs, cum ab ipſis poſſint edoceri. Inſtat. Non poſsunt expelli errores, niſi per cognitionem contrariam, quæ ſit in eo, à quo expelluntur, hæc autem cognitio eſt Theologia: ergo Reſp. Hanc cognitionem eſse theologiam materialem, non autem ipſum habitum Theologiæ, de quo procedit quæſtio.

An theologia ſit adheſiua explicando fidem per concluſiones deductas.

SECTIO II.

6 DIcendum eſt, *Theologiam explicare fidem deducendo concluſiones, quæ nõ ſint reuelatæ, quibus præciſè aſſentimur ratione diſcurſus.* Ita communiter cum D. Thoma 1. *par. q.* 1. *art.* 8. contra Goffredum *quolib.* 3. *q.* 10. & Aureolum *q.* 1. *prologi art.* 3. Probatur. Ex vi diſcurſus Theologici ita aſsentimur concluſioni deductæ, vt præciſo quolibet alio motiuo, illi aſsẽtiamur,

& ſublato diſcurſu non poſſamus aſſentiri, ergo Theologicus diſcurſus facit adhærere. Antecedens patet: nam aſſentimur pluribus propoſitionibus, quæ non ſunt reuelatæ; & ideò non poſſumus aſſentiri ex motiuo fidei, ſed remanet ſolus diſcurſus mouens ad aſsenſum.

7 Dicendum 2. *Diſcurſum, quo aliqua propoſitio reuelata infertur ex alijs reuelatis, nedum eſſe declaratiuũ, ſed etiam adhæſiuum*. Probatur. Si non adeſſet alia ratio mouens ad aſſenſum concluſionis, talis diſcurſus ſufficienter moueret, nam poſito aſſenſu præmiſſarum ex vi illationis ſequitur aſſenſus cõcluſionis, ergo eſt adheſiuus.

8 Dicendum 3. *Concluſionem de fide, vt deductam per diſcurſum ex quibuſcunque præmiſſis, licet ſecundũ ſubſtantiam ſit de fide, non eſt tamen de fide, vt deducta*. Probatur. Vt deducta non attingitur cum dependentia à diuino teſtimonio, ſed à diſcurſu, & illatione, ergo vt deducta non attingitur per fidem.

9 Obiicitur 1. Ex D. Aug. 14. de Trinitate cap. 1. vbi docet, quod per theologiam fides nutritur, defẽditur, & roboratur, ergo theologia eſt tantum explicatiua fidei, non autem adhæſiua. Reſp. negando conſequentiam, quia etiã per diſcurſum fides nutritur, & defenditur, dum oſtenditur credibilitas reuelatorum, & per nouas concluſiones magis manifeſtantur.

10 Obiicitur 2. Ex D. Dionyſio cap. 2. de Diuinis nominibus, vbi docet. Non poſſe de Deo aliquid dici, aut cogitari præter illa, quæ ſunt reuelata, ergo Theologia nõ poteſt deducere nouas concluſiones. Reſp. negando cõſequentiam, quia D. Dionyſ. intelligit de iis, quæ non ſunt reuelata, nec formaliter, nec virtualiter; concluſiones autem, quas deducit Theologia, ſunt reuelatæ virtualiter.

11 Obiicitur 3. Si quis negaret propoſitionem deductam ex reuelatis, eſſet hæreticus, ergo vt deducta eſt de fide. Reſp. Si quis illam negaret ſimpliciter, eſſet hæreticus, quia negaret teſtimonium diuinum; ſi verò illam negaret, vt deductam, non eſſet hæreticus, quia tunc non negaret propoſitionem, ſed connexionem illius cum præmiſſis.

12 Inſtabis. A deſtructione conſequentis ſequitur deſtructio antecedentis, ergo qui illam negaret, vt deductã, negaret etiam antecedẽs, atq; adeò eſſet hæreticus. Reſp. Diſtinguendo conſequens, eſſet hæreticus, ſi illam negaret, ex vi vtriuſque illationis: nempè ſyllogiſticæ, & materialis; ſecus autem ſi conceſſa illatione formæ, non admitteret illationem materiæ, tunc cum non negaret præmiſſas ſimpliciter, ſed ſolam connexionem naturalem concluſionis cum præmiſſis, circa quam poteſt contingere error, cum attingatur per lumen naturale, & idem dicendum eſt etiam, quando concluſio eſt virtualiter reuelata.

DE PRINCIPIIS, QVIBVS VTITVR Theologia.

DISPVTATIO II.

An propoſitiones de fide ſint principia Theologiæ.

SECTIO I.

1 PRima ſententia eſt negatiua: ita Aureolus *quæſt. 1. prologi*. Toletanus *quæſt. 2.* Durandus *quæſt.*

1 Prob. Nulla facultas deducit vt concluſiones propria principia, Theologia autem deducit propoſitiones de fide, vt concluſiones, ergo.

2 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita D. Thomas 1. *par. quæſt. 1. art. 2. 3. & 5.* Faſolus *diſp. 1. dub. 3.* Scotus *quæſt. 1. prologi, quæſt. 5.* & alii communiter.

3 Dico primo. *Propoſitiones reuelatas eſſe principia, ex quibus theologia deducit ſuas concluſiones*. Ita D. Dionyſius *cap. 2. de Diuinis Nominibus*. Sanctus Baſilius *lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 1.* Probatur. Propoſitiones reuelatæ continent virtualiter alias deriuatas, de obiectis, de quibus agit Theologia, ergo poteſt Theologia deducere has veritates, vt concluſiones.

4 Dico ſecundo. *Theologiam non procedere neceſſariò, ex immediatè reuelatis, ſed ſufficere ſi mediatè procedat*. Probatur. Ad ſaluandam concluſionem theologicam, ſufficit ſi dependeat à reuelatis; ſaluatur autem talis dependentia, ſi ab ipſis mediatè procedit, nam adhuc reſoluitur in reuelata.

5 Ad fundamentum in oppoſitũ. Reſp. Nullam facultatem deducere, vt concluſiones ſua principia, ſi ſint immediata, & per ſe nota, ſecus autem ſi habeant medium, per quod probentur, vt contingit in principiis Theologicis.

Quomodo propoſitiones reuelatæ concurrant ad aſſenſum Theologicum.

SECTIO II.

6 PRima ſententia aſſerit, concurrere per cognitionẽ ſupernaturalem fidei, atq; adeò vt formaliter creditas, ita D. Tho. *q. vnica prologi. art. 3. & q. 2. ad 2.* Richardus *q. 7.* Durand. *q. 1.* Suar. *diſp. 3. de fide ſect. 11.* Faſol. *1. par. q. 1. art. 2. dub. 1.* Machinus *diſp. 2. ſect. 2.* & alii. Probant. Si non concurrerent, vt creditæ, non fundarent aſſenſum diuerſum à cæteris ſcientiis, ergo; ſequela prob. quia aſſenſus ſpecificatur à medio formali, quod non eſt aliud, niſi ipſa principia. 2. Ex propoſitionibus, vt fide creditis, poteſt deduci aliqua theologica veritas, ergo. 3. Theologia non inniteretur teſtimonio diuino, atque adeò non eſſet certa, ergo.

7 Secunda ſententia aſſerit concurrere, vt materialiter creditas; hoc eſt ſecundum illam veritatem, quæ per reuelationem manifeſtatur. Ita Maior. *q. 4. prologi*. Gabr. *q. 7.* Vaſquez *1. par. diſp. 4. cap. 8.*

8 Notandum eſt. Propoſitiones reuelatas, vt attinguntur per actum fidei, dicere tantum illam veritatẽ, quæ per reuelationem innoteſcit; quia tamen poteſt intellectus reflectere ſupra ipſas per cognitionem naturalem; ideò tunc innoteſcit etiam ſecundum veritatem virtualem, quę penetratur ab intellectu, quatenus habet pro motiuo veritatem formalem ipſarum.

9 Dico primo, *Propoſitiones reuelatæ non influunt in concluſionem theologicam, vt cognitæ fide infuſa, ſed vt cognitæ naturali cognitione*. Probatur. Præmiſsæ influunt in concluſionem, prout ipſam continent virtualiter, atque adeò vt connexæ cum ipſa tanquam cauſa cum ſuo effectu, ergo propoſitiones reuelatæ influunt, vt cognitæ naturaliter. Conſequentia probatur. Quia, vt continens virtualiter concluſionem, & vt connexæ cum ipſa, non attinguntur fide ſupernaturali, ſed cognitione naturali, nam attinguntur ea cognitione, qua attingitur talis connexio, quæ cum non ſit reuelata, non poteſt attingi per fidem.

10 Dico ſecundo, *Cognitio fidei applicat principia, vt poſſint adhiberi ad inferendas concluſiones*. Conſiſtit autem applicatio in eo, quod diuina reuelatio reddit nobis certas tales propoſitiones. Probatur. Huiuſmodi principia non poſſunt ſupponi, vt certa, niſi ex diuino teſtimonio, ergo cognitio fidei eſt applicatiua ipſorum.

11 Dices hæreticus non habet fidẽ, & tñ vtitur propoſitionibus reuelatis, vt principiis, ergo. Reſp. habere fidem naturalem, quæ materialiter innititur teſtimonio diuino, & ſufficit, vt principia ſupponantur tanquam certa.

12 Dico 3. *Theologia, quæ eſt in hæretico eſt eiuſdẽ rationis cũ Theologia Catholici*, ita Maior. *q. 4. prol.* Scotus *in 3. diſt. 13. q. 1.* Gabriel *q. 2. art. 1. & 2.* Ocham. *q. 8. art. 3.* & alii contra Bann. *1. par. q. 1. art. 2. dub. 1.* Faſol. *dub. 9.* Molin. *art. 3. diſp. 2.* Amicum *diſp. 1. ſect. 3. & alios*. Prob. Theologia hæretici habet idem obiectum formale, & innititur veritati reuelatæ, tanquam immediato motiuo aſſentiendi concluſioni, ergo cum habeat eadem ſpecificatiua, & eadem principia, erit eiuſdem rationis.

12 Di-

Digitized by Google

12 Dices. Theologia hæretici non ſupponit in ipſo fidem, ergo non eſt eiuſdem rationis. Reſp. negãdo cõſeq. quia concluſio theologica non dependet per ſe à fide, ſed ſolum vt ab applicante, tamquã certas veritates reuelatas.

13 Ad primum negatur ſequela. Quia aſſenſus ſpecificatur ab obiecto formali, quod in Theologia eſt diuerſum ab obiecto formali aliarum facultatum. Ad ſecundum negatur aſſumptum, quia vt deducatur aliqua veritas ex reuelatis, debet in ipſis penetrari, vt in ſua cauſa. Ad tertium Theologiam non eſſe certam, quia innitatur teſtimonio diuino, ſed quia innititur reuelatis obiectiuè ſumptis.

An propoſitio euidens poſſit eſſe principium Theologicum.

SECTIO III.

14 DIcendum eſt *propoſitionẽ euidentem poſſe eſſe principiũ theologicũ*. Ita communiter. Prob. Propoſitio reuelata poteſt ratione medii termini vniri cum euidenti ad inferendam aliquam concluſionem, vt in hoc ſyllogiſmo (Homo eſt riſibilis, Chriſtus eſt homo, ergo Chriſtus eſt riſibilis) ergo concluſio theologica poteſt eſſe ex altera propoſitione euidenti. Dices talem concluſionem non eſſe theologicam. Contra. Talis concluſio eſt dependens à reuelatis, ita vt intellectus illi aſſentiatur ex motiuo theologico, nempè ex connexionis cum veritate reuelata, ergo eſt theologica.

15 Dico ſecundo *concluſionem theologicam, non poſſe eſſe ex purè euidentibus, ita vt non dependeat ab aliqua reuelata*. Probatur. Si eſſet ex purè euidentibus intellectus non aſſentiretur ipſi ex connexione cum veritate reuelata, atque adeò nec ex motiuo theologico: ergo non eſſet Theologica.

16 Quæres. An propoſitio deducta ex reuelatis, poſſit applicari per diſcurſum, vt attingatur per habitum fidei. Reſpondetur. Negatiuè contra Vaſquez 1. *part. diſp. 5. cap. 3.* Vel enim attingeretur ex motiuo fidei; & tunc attingeretur vt immediatè reuelata, non autem vt deducta, vel attingeretur ex motiuo fidei, & tunc neque attingeretur per habitum fidei.

An concluſio theologica poſſit eſſe ex præmiſſa probabili.

SECTIO IV.

17 DIcendum eſt *vna reuelata, & altera probabili deduci concluſionem theologicam*. Ita Durandus *quæſt. 1. prol. num. 14.* Palatius *quæſt. 6. & 9.* Probatur. Poteſt probabilis connecti cum reuelata ad inferendam concluſionem, nam medius tomus, qui per reuelationem ex connexus cum vno extremo poteſt habere connexionem probabilem cum alio extremo: ergo poteſt concurrere ad concluſionem theologicam, nam in tali caſu infertur veritas, quæ continetur actualiter in veritate reuelata.

18 Dices. Præmiſſam probabilem determinare reuelatam, vt non cauſet concluſionem theologicam, quæ debet eſſe certa. Reſpondetur. Licet probabilis non poſſit cauſare certitudinem, adhuc tamen reuelata concurrit ſecundum veritatem, quam continet virtualiter, & ideò cauſat concluſionem theologicam; licet non habeat totam ſuam perfectionem defectu certitudinis.

19 Dicendum ſecundo. *Suppoſito quod habitus ſit qualitas diſtincta à ſpeciebus, aſſenſus concluſionis ex altera probabili, elicitur ab eodem habitu theologiæ*. Prob. Idem habitus elicit omnes actus, qui verſantur circa idem obiectum formale à quo ſpecificatur; quia habet cognoſcibilitatem ipſius, ſed hic aſſenſus verſatur circa habitum theologicum, ergo.

DE QVALITATE INTRINSECA Theologiæ.

DISPVTATIO III.

An Theologia ſit habitus diſtinctus à Fide.

SECTIO I.

1 PRima ſententia ponit duplicem habitum Fidei, ſupranaturalem, & acquiſitum, & aſſerit; quod Theologia ſit idem cum habitu fidei acquiſito, quæ tamen pro motiuo habeat teſtimonium Diuinum, ita Scotus *in 3. diſtinct. 35. quæſt. vnica*. Ocham *quæſt. 3. prologi*. Mairon *quæſt. 4.* Gabr. *quæſt. 7.* & alii.

2 Secunda ſententia eſt eſſe eundem habitum cum fide ſupernaturali: ita Syluest. *quæſt. 1. conflati, ar. 10.* Altiſiodor. *lib. 2. ſum. tract. 29. cap. 1. quæſt. 7.* Albertus *in 1. diſtinct. 1. ar. 5.* Fundamentum vtriuſque ſententiæ eſt; quia Theologia procedit ex reuelatis obſcuro modo: ergo non poteſt eſſe alia cognitio quam fides.

3 Dicendum eſt, *Ecce habitum eſſentialiter diſtinctum à fide, ſiue acquiſita, ſiue ſupernaturali*: ita Durandus *quæſt. 4. prologi*, Argentin. *art. 2.* Palat. *quæſt. 6.* Baſſol. *quæſt. 5. art. 3.* Molina 1. *par. quæſt. 1. art. 2. diſput. 5.* Zumel. *quæſt. 2.* & alii. Prob. Fides eſt eſſentialiter aſſenſus liber ex immediato motiuo alicuius teſtimonii. Aſſenſus autem Theologicus, non eſt ex tali motiuo, ſed ex vi diſcurſus, & eſt neceſſarius; quia intellectus neceſſitatur ab euidentia connexionis concluſionis cum præmiſſis, ergo.

4 Dices habere teſtimonium pro motiuo remoto, nam aſſentimur concluſioni, quia aſſentimur præmiſſis reuelatis. Contra. Specificatio fit à motiuo proximo, non autem remoto. Deinde fides debet eſſe immediatè ex aliquo teſtimonio, ergo.

5 Ad fundamentũ in oppoſitum negatur conſequentia, quia ex reuelatis interueniente diſcurſu non poteſt generari fides, vt conſtat ex dictis. Dices principia, & concluſiones verſantur circa idem obiectum, ergo pertinent ad eundem habitum. Reſpondetur negando conſequentiam: quia verſantur circa idem obiectum, ſed prout dicit diuerſum modum cognoſcibilitatis: vnde in ſcientiis principia, & concluſiones conſtituunt diuerſum habitum.

An Theologia ſit habitus ſupernaturalis.

SECTIO II.

6 PRima ſententia aſſerit eſſe ſupernaturalem, quòad ſubſtantiam: non tamen quòad modum, quia non eſt infuſus, ſed acquiſitus: ita Fonſeca *6. metaph. cap. 1. quæſt. 6. ſect. 8.* Molina *1. parte quæſt. 1. art. 2. diſp. 1.* Faſol. *dub. 13.* Amicus *diſp. 1. ſect. 4.* & alii. Probatur motiuum, ex quo generatur, eſt ſupernaturale, nempè diuina reuelatio, ſeu vnio extremorum cum medio termino, quæ eſt quid reuelatum: ergo eſt habitus ſupernaturalis.

7 Secunda eſt negatiua, ita Mair. *quæſt. 4. prologi.* Scot. *in 3. diſtinct. 23. quæſt. vnica.* Gabri. *quæſt. 2. art. 1. & 2.* Ocham *quæſt. 8. ar. 3.* Nauarct. *1. par. controu. 8.* Vaſq. *diſput. 4. c. 4. & alij.*

8 Dicendum eſt. *Theologiam eſſe habitum naturalem tã quòad ſubſtantiam, quàm quòad modum*. Probatur: ideò eſſet ſupernaturalis, quia concurrit teſtimonium Diuinum vt motiuum, & procedit ex reuelatis. Sed hoc eſt falſum ergo. Minor probatur. Quia tam teſtimonium Diuinum, quàm præmiſſæ non concurrunt immediatè, ſed ſubſternuntur diſcurſui humano; atq; adeò ſecundum menſuram, & determinationem ipſius, & ideò determinantur, vt influant naturali modo. Confirma-

Digitized by Google

tur. Sequeretur quod concluſio probabilis, ſiue erronea eſſet ſupernaturalis, ſi deduceretur ex vna de fide, quod tamen eſt falſum: quia actus ſupernaturalis non poteſt eſſe falſus, ſicut poteſt eſſe probabilis, & de facto talis eſt erronea. Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ patet ex dictis.

An, & quomodo Theologia ſit certa.

SECTIO III.

9 Certitudo alia ſe tenet ex parte obiecti, & eſt idem, ac eſſe neceſſarium ipſius; alia verò ex parte potentiæ; & ex certitudo formalis, quæ dupliciter conſideratur: nimirum ex parte ſubiecti, & ex parte cognitionis. Primo modo oritur ex diſpoſitione ſubiecti ex eo, quod ſit taliter diſpoſitum, vt firmiter adhęreat. Secundo modo dicit firmitatem cognitionis, quatenus cauſatur ab obiecto, prout mouet intellectum. Prior certitudo materialiter ſeſe habet, nec pertinet ad certitudinem aſſenſus. Vnde quæſtio procedit de certitudine poſteriori.

10 Prima ſententia vult, quod quando Theologia procedit ex duabus reuelatis, vel ex vna reuelata, & altera euidenti per euidentem conſequentiam ſit certa æqualiter cum fide, & talem concluſionem eſſe de fide: ita Canus *lib. 6. de locis Theologicis cap.* 8. *ad* 10. Sotus 1. *poſt quæſt.* 2. Peſantius 1. *par. quæſt.* 1. *art.* 5. *diſput.* 1. Prob. Ex negatione talis concluſionis ſequitur aliquid contra fidem, ergo. 2. Nazianzen. oratione 5. habet. Quod ea, quæ euidenter ex Sacra ſcriptura colliguntur, habenda ſunt tamquam expreſſa. 3. Poſita connexione reuelata vnius extremi cum medio termino, aliud extremum ex natura ſua ita connectitur, ac ſi connexio eſſet reuelata, quia implicat non connecti, ergo.

11 Secunda ſententia aſſerit, quod licet Theologia ſit certior aliis ſcientiis ratione obiecti, eſt tamen minus certa certitudine formali cum obiectum non moueat ſecundum totam ſuam efficaciam. Ita Durand. *in* 3. *diſtinct.* 23. *quæſt.* 7. Baſſolus *art.* 1. Ocham *quæſt.* 3. *prologi*, Alenſis 1. *part. quæſt.* 1. *membro* 4. *artic.* 2. & alii. Probatur, Poteſt ſtare cum fide aliqua dubitatio. Ergo multo magis cum aſſenſu Theologico: ergo cum ſcientia excludat omnem dubitationem, erit magis certa. 2. Theologia in Beatis ex certior, quàm noſtra ſolum ratione euidentiæ, nam habet idem obiectum formale, ergo.

12 Tertia ſententia docet Theologiam eſſe certiorem omnibus ſcientiis naturalibus, ita Scotus *quæſt.* 4. *prologi ad quartum principale*. Caietanus 1. *part. quæſt.* 1. *artic.* 5. Bannes, Molina, Vaſquez, ibidem Faſolus *dub.* 1.

13 Notandum 1. Certitudinem eſſe firmam adhæſionem, qua intellectus per aſſenſum adhæret obiecto. Prouenit autem ex eo, quod obiectum ita determinat intellectum ad vnam partem, vt non relinquat locum alteri. Quia autem poteſt intellectus dupliciter ita determinari, nempè per euidentem veritatem obiecti in ſe ipſa manifeſtatam; & per veritatem manifeſtatam ex alicuius teſtimonio; ideò datur duplex certitudo, alia fundata in euidentia obiectiua: & alia fundata in veritate teſtificantis. Sunt autem diuerſæ certitudines, tum quia ſunt ex diuerſo motiuo; tum quia vna eſt intrinſecè euidens, & alia intrinſecè obſcura.

14 Notandum 2. Quod licet principia reuelata non concurrant ad concluſionem, vt cognita fide infuſa, concurrunt tamen ſecundum illam certitudinem, quam habent à Diuino teſtimonio; ſupponitur enim intellectus ita determinatur ad vnam partem, vt non relinquatur locus alteri; & ideò quando aſſumit per cognitionem naturalem principia reuelata, aſſumit cum eadem certitudine.

15 Dico 1. *Quando Theologia procedit èx vtraque reuelata, licet concluſio non ſit de fide, eſt tamen magis certa, quàm concluſio ſcientifica.* Probatur, Quo maior eſt certitudo præmiſſarum, certior eſt concluſio. Præmiſſæ autem reuelatæ ſunt magis certę, quàm euidentes naturales; implicat enim, quod diuinum teſtimonium fallat; non autem implicat, quod fallat euidentia naturalis, quia poſſumus putare euidentia, quæ non ſint talia.

16 Dices, Præmiſſas non habere illam certitudinem, quàm confert Diuinum teſtimonium; quia non concurrunt, vt cognitæ per fidem infuſam. Contra. Licet non concurrant, vt cognitæ fide infuſa: concurrunt tamen ſecundum illam certitudinem, quam accipiunt à Diuino teſtimonio; quia intellectus aſſumit, vt iam certificatas per Diuinum teſtimonium. Ergo, ſic ſcientia ſubalterna aſſumit principia, vt certificata in ſubalternante.

17 Dico 2. *Quando concluſio deducitur ex vna de fide, & altera euidenti naturali, non eſt magis certa, quam ſcientifica.* Probatur. Concluſio ſequitur debiliorem partem, quia cum dependeat ab vtraque præmiſſa, vt à cauſa adæquata, non poteſt excedere virtutem ſingularum: nec vlla præmiſſa poteſt magis influere, quàm alia: ergo cum naturalis euidens non poſſit cauſare maiorem certitudinem, quam ſit ſcientifica concluſio non erit magis certa, quam ſit ſcientifica.

18 Ad 1. Primæ ſententiæ diſtinguo antecedens. Negata concluſione. Sequitur aliquid contra fidem, non formaliter, ſed conſequutiuè. Quia ſi negetur vtraque illatio formæ, & materiæ, ſequitur deſtructio antecedentis. Ad 2. Nazianzenum eſſe intelligendum de illis, quæ ſunt reuelata in confuſo: non autem de virtualibus reuelatis: Ad 3. negatur aſſumptum, quia illa connexio vnius extremi cum medio non certificatur à Diuino teſtimonio.

19 Ad 1. Secundæ ſententiæ. Poteſt ſtare cum fide dubium extrinſecum, quod non ſit de certitudine reuelata, quod non tollit omnimodam certitudinem aſſenſus; non autem dubium intrinſecum. Ad 2. Theologiam in Beatis eſſe certiorem, non ratione euidentiæ, ſed quia certitudo eſt altioris ordinis: ordo autem ſcientiæ eſt inferior ordine fidei, & ideò ratione euidentiæ non pertingit ad certitudinem fidei.

An Theologia ſit euidens.

SECTIO IV.

20 Prima ſententia eſt affirmatiua. Diuerſimodè tamen explicatur. Aliqui volunt, eſſe euidentem, quatenus per lumen fidei manifeſtatur obiectum, de quo intellectus naturali lumine demonſtrat veritates, ita Toletan. *quæſt.* 2. *prologi art.* 2. Alii eſſe euidentem, quia Theologi habent quoddam lumen ſupernaturale diſtinctum à lumine fidei, quo euidenter cognoſcunt intrinſecam naturam terminorum: ita Henricus 1. *par. ſummæ art.* 15. *num.* 46. Alii eſſe euidentem, quatenus principia ipſius reſoluuntur in duo principia euidentia; nempè quod Deus non poſſit mentiri, & quod Deus reuelat, quæ nobis ab Eccleſia proponuntur, hæc enim reuelatio fit euidens ex miraculis, quibus fides confirmata eſt, ita Carthuſ. *quæſt.* 1. *prologi*. Alii eſſe euidentem non euidentia conſequentis, ſed conſequentiæ: ita Ocham *quæſt.* 3. *prologi*. Gabriel. *quæſt.* 7. Alii denique eſſe euidentem per reſolutionem principiorum in ſcientiam Dei, & Sanctorum, ideſt Beatorum, qui euidenter cognoſcunt, quod nos cognoſcimus obſcurè: ita Albertus *tract.* 1. *ſummæ quæſt.* 1. Capreol. *quæſt.* 1. *prologi art.* 2. & 3.

21 Secunda ſententia negat, eſſe euidentem: ita Scotus *in* 3. *diſtinct.* 24. *quæſt. vnica*, & *quæſt.* 3. *prologi*, *quæſtiuncula* 4. Ricchardus *quæſtio.* 2. Paludanus *ibidem*. Aureolus *quæſtio.* 12. Durandus *ibidem*,

Digitized by Google

Caietanus 1. *part. quæſt.* 1. *art.* 2. Bannes *dub.* 1. Molina *diſput.* 1. Vaſquez *diſp.* 4. *cap.* 8. & alii.

22 Notandum 1. Theologiam non poſſe eſſe euidentem ratione luminis fidei, cum tale lumen ſit omnino obſcurum; Nec etiam ratione alterius luminis diſtincti à fide, quia ad cauſandam euidentiam non ſufficit lumen potentiæ, ſed requiritur etiam euidens propoſitio obiecti.

23 Notandum 2. Principia extrinſeca, in quæ reſoluuntur propoſitiones reuelatæ, non poſſe cauſare euidentiam concluſionis, quia non faciunt apparere connexionem extremorum ab intrinſeco, ſed tantum in veritate reuelantis. Ex eo enim, quod ſit euidens, quod verum ſit, quicquid Deus reuelat; & poſita etiam euidentia reuelantis, ſequitur ſolum, quod euidens ſit, verum eſſe, quod eſt reuelatum; non autem, quod veritas reuelata ſit euidens in ſeipſa.

24 Notandum 3. Euidentiam conſequentiæ non eſſe euidentiam concluſionis: vnde cum Theologia per aſſenſum Theologicum attingat concluſionem, non ſequitur, quod ſit euidens conſequentia.

25 Notandum 4. licet principia Theologiæ ſint euidētia in Scientia Dei, & Beatorum, non tamen cauſare euidentiam in concluſione Theologica; quia influunt, vt ſunt in intellectu diſcurrentis; & ideò niſi ſint nobis euidentia, non poſſunt cauſare euidentiam in concluſione.

26 Dicendum eſt. *Theologiam eſſe omnino ineuidentem quò ad ſuas concluſiones deductas ex reuelatis.* Probatur. Concluſio non poteſt habere aliquam euidentiam, niſi eā recipiat à præmiſſis, ſed non poteſt illam recipere à præmiſſis. Ergo minor probatur. Quia altera ſaltem ex præmiſſis ſemper eſt obſcura. Concluſio autem ſequitur debiliorem partem.

27 Obiicies. Scientiæ ſubalternæ ſunt euidentes, & tamen principia ipſius non ſunt euidentia, niſi in ſcientia ſubalternante. Ergo Theologia erit euidens ex eo, quod principia ipſius ſint euidentia in ſcientia Beatorum. Reſpondetur negando ſecundum partem antecedentis. Quia principia ſcientiæ ſubalternæ, licet accipiant euidentiam à ſcientia ſubalternante, ſunt tamen euidentia in ſeipſis reſpectu illius in quo eſt etiam ſcientia ſubalternans, & ideò poſſunt cauſare euidentiam in concluſione.

An Theologia ſit vnus habitus.

SECTIO V.

28 PRima ſententia aſſerit, eſſe vnum habitum ſpecie infima: ita D. Thomas 1. *par. quæſt.* 1. *art.* 3. Caietanus *ibidem*. Bannes *dubio* 1. Molina *diſput.* 3. Faſol. *dub.* 1. Vaſq. *diſp.* 7. *cap.* 3. Scotus *quæſt.* 1. *prolog.* Capreol. *quæſt.* 4. *art.* 1. Richardus *quæſt.* 3. Arrubal 1. *par. diſp.* 3. *cap.* 7. & alii. Probant. Tota Theologia habet vniformem modum procedendi, cum ſemper procedat ex reuelatis, & omnia obiecta habent eundem modum cognoſcibilitatis, ergo &c. 2. Habitus Theologicus generatur ex actibus circa concluſiones, quæ ratione connexionis prædicati cum ſubiecto ſunt eiuſdem rationis, ergo generatur vnus, idemque habitus.

29 Secunda ſententia eſt negatiua, ita Durandus *quæſt.* 4. *prologi*, qui ponit duplicem habitum; alium, qui explicet myſteria fidei; & alium qui deducat concluſiones. Gofred. *quodlib.* 20. *quæſt.* 1. qui ponit vnum habitum ſpeculatiuum, & alium practicum. Machin. 1. *par. diſput.* 3. *ſect.* 2. qui ponit vnum habitum circa concluſiones deductas ex reuelatis, & alium circa concluſiones deductas, vnam ex vna reuelata, & alteram naturali. Molina 1. *par. quæſt.* 1. *art.* 8. *diſp.* 3. Granad. *tract.* 1. *diſp.* 8. & alii recentiores, qui ponunt vnum habitum circa concluſiones deductas ex reuelatis; & deinde tot habitus, quot ſunt concluſiones deductæ ex vna reuelata, & altera naturali.

30 Notandum 1. Habitū nō poſſe eſſe vnum, niſi principia, ex quibus procedit, ſint eiuſdem rationis, & habeant ſuam proportionalem vnitatem. Hæc autem vnitas conſiſtit in ratione motiui; quia cum principia fundentur in obiecto, ex eo quod fundentur in eodem obiecto formali, habeant ſuam proportionalem vnitatem ſecundum vim motiuam, quia proportionali modo continent vim motiuam obiecti. Hinc principia reuelata, & naturalia poſſunt habere ſufficientem vnitatem ſecundum vim motiuam, ſi fundentur in eodem obiecto formali.

31 Notandum 2. Modum cognoſcibilitatis conſiderari dupliciter; Primò, vt fundatur in aliqua ratione generica, quæ non importat certam determinatam rationem in eſſendo; Secundo fundatur in determinata ratione obiecti in eſſendo, ſic eſſe cognoſcibile certò, & euidenter eſt modus genericus, qui conuenit omnibus obiectis ſcientificis; eſſe verò ſcibile ſecundum determinatam rationem eſſendi, vt ſecundum rationem dimenſibilis, aut corporis naturalis, eſt modus determinatus in eſſendo.

32 Dico 1. *Theologia habet vnitatem ſecundum modum cognoſcibilitatis genericum.* Probatur. Omnia, quæ conſiderantur in Theologia, applicantur eodem modo, nempè per reuelationem; ex quo conſurgit ſpecialis modus cognoſcibilitatis, nempe cum dependentia à reuelatis, ergo.

33 Dico 2. *Hic modus cognoſcibilitatis eſt determinabilis per alias rationes importantes ſpecialem modum ſecundum determinatam rationem entis.* Probatur. Modus cognoſcibilitatis ſcientificus eſt determinabilis per alias rationes ſpeciales, quia ſe extendit ad diuerſa obiecta, quæ attinguntur ſecundum proprias rationes, ergo etiam modus cognoſcibilitatis cum dependentia à reuelatis; nam hic quoque ſe extendit ad diuerſa obiecta, quæ attinguntur ſecundum diuerſas rationes.

34 Dico 3. *Obiectum Theologiæ non habet vnicum modum cognoſcibilitatis vltimò determinatū, atque adeò non eſt vna ſpecie, ſed multiplex iuxta diuerſa obiecta formalia, quæ conſiderat.* Probatur. Obiecta Theologiæ fundant ſpeciales rationes, ſeu modos cognoſcibilitatis determinantes modum cognoſcibilitatis, ex reuelatione: ergo ſpecificant diuerſos habitus, quia habitus ſpecificantur ab obiecto, quatenus fundant ſpecialem modum cognoſcibilitatis. Antecedens probatur. Quia modus cognoſcibilitatis fundatur in eſſe obiecti, cum dicat vim determinatam motiuam in ordine ad determinatas concluſiones. Confirmatur. Si Deus reuelet omnia principia ſcientiarum naturalium, adhuc diſtinguerentur plures habitus, quia adhuc importarent eadem obiecta ſecundum ſuas diuerſas rationes: ergo etiam in Theologia, cum contineat eandem diuerſitatem obiectorum.

35 Ad 1. Diſtinguo Antecedens. Theologia habet eundem modum procedendi genericum, & eundem modum cognoſcibilitatis genericum; non autem ſpecificum. Ad 2. negatur ſecunda pars antecedentis, quia connexio prædicati cum ſubiecto fundatur in diuerſo modo cognoſcibilitatis determinato; & ideò in omnibus concluſionibus eſt eiuſdem rationis genericæ, nempè certa, & ineuidens; non autem eiuſdem rationis ſpecificæ.

Digitized by Google

DE OBIECTO THEOLOGIAE.

DISPVTATIO IV.

Quodnam ſit obiectum materiale Theologiæ.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt. Quod cum intellectus attingit aliquod obiectum ſecundum ſpecialem modum cognoſcibilitatis,duo debent interuenire; nempè aliquod mouens intellectum ad illum ſpecialem modum attingentiæ: & aliud, quod ſeparet obiectum a b omni alio modo cognoſcibilitatis. Ratio mouens eſt illa,quæ determinat obiectum, & conſtituit formaliter in ratione talis obiecti: Ratio autem ſeparatiua eſt illa, qua obiectum applicatur ad talem ſpecialẽ modum cognoſcibilitatis; vnde diſtinguitur in obiecto duplex ratio. *Quæ*,ſeu motiua, & ratio *ſub qua*. Seu applicatiua; ideò duplex ratio ſub qua eſt diſtinguenda nempè mouens,& applicans.

2 Supponendum eſt 2. Non poſſe conſtitui aliud obiectum formale,*vt quod*, præter id,quod conſurgit ex obiecto materiali, & ratione motiua; cum enim obiectum formale, *vt quod*, ſit obiectum completum, debet conſurgere ex materia, & forma in genere obiecti. Forma autem non poteſt eſſe aliud,quam ratio motiua. Si enim aliquæ aliæ ponatur, vel ſubſternetur rationi motiuæ, & tunc erit obiectum materiale: vel eam ſibi ſubſternet, & tunc ratio motiua non erit vltima,& formalis, atque adeò nec etiam motiua.

3 Supponendum 3. Non rectè diſtingui inter rationem formalem *Quæ*, & *ſub qua*, quaſi prima determinet obiectum ad illud eſſe,quod conſideratur à ſcientia:poſterior verò ſit formale motiuum: quia ſi ratio formalis eſt completa, determinat obiectum, & ſpecificat actus determinatos, & ſibi commenſuratos. Ex hoc autem,quod ſpecificat, etiam mouet; quia determinat intellectum, & ideo non eſt neceſſaria alia ratio motiua.

4 Dicendum eſt, *Adæquatum obiectum materiale Theologiæ eſſe ea omnia, quæ reuelata ſunt,non vt reuelata, ſed prout ſtante reuelatione poſſunt aliqua alia de ipſis cognoſci: ita tamen vt Deus obiectum ſit primariũ*, ita Diuus Thomas 1.*par.quæſt.*1. *art.*7. Caietanus, Bannes,Molina *ibidem*, Vaſquez *diſp.* 7. Faſol. *dub.*1. & 2. Richardus *quæſt.*6. *prologi*. Baſſol. *quæſt.*3. Scotus *ibidem*, Ariminenſ. *quæſt.*4. & alii. Probatur Theologia procedit neceſſario ex principiis reuelatis, ergo obiectũ ipſius debet ſubſterni reuelationi: quia debet fundare principia, ex quibus procedit. Confirmatur. De quacunque re reuelata poſſunt ex reuelatis oſtendi aliquæ concluſiones, ergo quælibet res reuelata poteſt eſſe obiectum.

5 Dices omnia, quæ tractantur in Theologia, poſſunt vniri in Chriſto tanquam in obiecto adæquato; nam in ipſo vnitur natura Diuina, & humana, ergo Chriſtus eſt obiectum adæquatum. Reſpondetur. Non poſſe vniri modo ſufficienti ad obiectum adæquatum, cum Chriſtus ea non contineat tanquam partes, aut principia,aut paſſiones, ſicut debet continere obiectum adæquatum.

An Theologia habeat vnam rationem obiecti.

SECTIO II.

6 PRima ſententia vult omnia obiecta Theologiæ cõuenire in communi ratione entis Diuini, vt dicit quid analogum,ita Capreol. *quæſt.*4. *prologi. concluſ.* 5. Gillius *lib.*1.*tract.*3. *cap.*9. Faſol. 1. *par. quæſt.*1. *art.*7. *dub.*6. Probatur. Ens Diuinum importat quid commune continens ſub ſe omnia, quæ tractantur in Theologia, nam in Deo eſt forma Diuinitatis; in cæteris verò attributio ad ipſam,ergo.

7 Secunda ſententia eſt negatiua: ita Aegidius 1. *par. prologi,quæſt.* 3. Aureolus *artic.*3. Baſſol. *quæſt.*3.*art.*2.

8 Dico 1. *Attributio nõ ſufficit ad conſtituendã cõmunẽ rationẽ obiecti.* Probatur. Attributio in vno dicit formam intrinſecam, in aliis verò denominationem à forma extrinſeca. Ergo non poteſt importare rationem communem obiecti. Conſequens probatur. Quia ex parte illorum, quæ dicunt attributionem, vel conſideratur denominatio, & ſunt forma, & denominatio extrinſeca non ſunt vna ratio; vel conſideratur fundamentum denominationis, & hoc eſt quid diuerſum à forma attributionis.

9 Dico 2. *Deus non poteſt habere communem rationem obiecti cum cæteris,quæ à Theologia conſiderantur*. Probatur. Deus conſideratur à Theologia ſecundum rationem Deitatis. Secundum hanc autem nihil habet commune cum creatis, ſed infinitè diſtat ab ipſis, ergo.

10 Dico 3. *Neque obiecta Theologiæ creata habent vnam communem rationem obiecti*. Probatur, vbi non ſunt principia communia, non poteſt eſſe ratio communis obiecti. Obiecta autem Theologiæ non habent principia reuelata communia,quia reuelatio eſt circa proprias naturas ipſorum, ergo. Ad fundamentum in oppoſitum patet ex dictis.

Quomodo ſe habeat reuelatio ad obiectum Theologiæ.

SECTIO III.

11 PRima ſententia aſſerit, eſſe complementum obiecti formalis motiui, ità vt obiectum formale motiuum proximum ſit actus fidei; vltimum verò, in quod fit reſolutio, ſit reuelatio, ita Caietan. 1. *part. quæſt.*1. *art.*3. Bannes *ibid.* Zumel *quæſt.* 2. Faſol. *art.*7. *dub.*9. Capreol. *quæſt.*4. *prologi art.* 1. Amicus *part.* 1. *diſput.* 5. *ſect.*5. & 9. & alij. Probatur. Idem eſt obiectum formale ſcientiæ, & principiorum; formale autem obiectum principiorum Theologiæ eſt reuelatio: ergo. 2. Aſſenſus Theologicus non innititur teſtimonio proprii intellectus, quia eſt clarum, nec teſtimonio creato, quia eſt fallibile, ergo diuino atque adeò reuelatione. 3. Actus fidei ſunt formale motiuum aſſenſus Theologici, cum ex illis deducantur. Actus autem fidei habent pro motiuo formali reuelationem.

12 Secunda ſententia aſſerit, reuelationem eſſe tantum conditionem, ita Durand. *quæſt.*4. *prologi*. Ocham *q.*8. Baſſol. *quæſt.*3. *art.* 2. Vaſquez 1. *part. diſput.* 7. *cap.*3. Smizing. *quæſt.*2. *proæmiali, concluſ.*5. & alii.

13 Notandum 1. Omnem rationem obiecti, ſiue motiuam, ſiue terminatiuam importare aliquid reale ex parte obiecti; quia cum concurrat obiectiuo modo ad actum, debet importare aliquid quo obiectum concurrat, & ſpecificet; quia obiectum ſpecificat ſecundum integram rationem obiecti.

14 Notandum 2. Modum cognoſcibilitatis fundari in in obiecto, ſed variari ex diuerſa applicatione obiecti; vnde etiam fundatur in tali applicatione; non quia applicatio conferat modum cognoſcibilitatis obiectiuæ; ſed quia facit, quod obiectum applicetur ſecundum diuerſam rationem determinatiuam, ratione cuius fundat talem determinatum modum tendendi potentiæ circa ipſum.

15 Notandum 3. Licet aſſenſus Theologicus habeat obſcuritatem ex eo, quod procedat ex reuelatis; non tamen reuelatio refundit aliquid in ipſum, quia obſcuritas non eſt aliquid poſitiuum,ſed negatio euidentiæ; vnde ad cauſandam obſcuritatem ſufficit ſi obiectum determinetur, ne influat ſecundum euidentiam obiectiuam.

16 Dico 1. *Reuelatio non pertinet ad obiectum formale Theologiæ*. Probatur. Ratio formalis obiecti debet

eſſe

Digitized by Google

eſſe intrinſeca, ità vt ſit aliquid de ipſo obiecto, ſi quidem fundat proprium modum intrinſecæ cognoſcibilitatis. Reuelatio autem eſt quid extrinſecum.

17 Dico 2. *Reuelatio conſtituit obiectum in ſtatu peculiaris cognoſcibilitatis, quatenus ipſum applicat, vt ſit tali modo cognoſcibile*. Probatur. Reuelatio applicat obiectum ad influendum in aſſenſum Theologicum abſque euidentia, & facit, quod ſit cognoſcibile dependenter à reuelatis, ergo.

18 Ad 1. Primæ ſententiæ. Idem eſt obiectum ſcientię, & principiorum materiale, non autem formale; quia principia attingunt obiecta vt cognoſcibilia, ex immediata euidentia terminorum. Ad 2. Negatur antecedens quoad primam partem, quia aſſenſus Theologicus innititur lumini naturali, quatenus ſuppoſita reuelatione ex veritatibus reuelatis deducit nouas concluſiones. Ad 3. Negatur maior, quia actus fidei ſolum applicant principia.

Quænam ſit ratio formalis obiecti Theologiæ.

SECTIO IV.

19 PRima ſententia aſſerit, eſſe Deum ſub ratione Saluatoris, & Glorificatoris; ita Durand. *quæſt. 5. prologi*. Aegid. *quæſt. 3*. Arimin. *quæſt. 4*. Probatur. Idem eſt obiectum Theologiæ, & fidei. Deus autem ſub ratione Saluatoris eſt obiectum fidei.

20 Secunda ſententia vult, eſſe Deum ſub ratione ſummi boni: ita Argen. *quæſt. 1. prolog.* Marſil. *in 1. quæſt. 2. art. 5*. Probatur. Theologia conſiderat Deum ſub illa ratione ſub qua proponitur à fide; proponitur autem ſub ratione ſummi boni, quia proponitur, vt obiectum ſpei, & amoris.

21 Tertia ſententia aſſerit; Deum ſub ratione deitatis eſſe obiectum formale, ita D. Thom. *1. part. quæſt. 1. art. 1*. Bannes *ibid.* Molina *diſp. 1*. Vaſquez *diſp. 10. cap. 5. & 6*. Scotus *quæſt. 3. prologi*. Baſſol. *quæſt. 4. art. 1*. Ocham, *quæſt. 9*. & alij. Variant tamen inter ſe, nam Baſſolis vult, id eſſe verum ſolum quoad veritates neceſſarias: quoad contingentes verò vult, obiectum eſſe Deum ſub ratione voluntatis, quia ratione voluntatis continet virtualiter veritates contingentes. Scotus verò vult, Deitatem eſſe obiectum, prout importat infinitatem: Alii verò. Deitatem eſſe obiectum ſecundum finitatem virtualis intellectionis, quæ nihil aliud eſt, quàm diuina cognoſcibilitas, prout finito modo poteſt mouere intellectum.

22 Dico 1. *Deus ſub ratione finitatis cognoſcibilis non eſt obiectum formale*. Probatur. Ratio formalis obiectiua debet eſſe aliqua forma realis in ipſo obiecto, quæ per ſe primò attingatur: hæc autem finitas, nec per ſe primò attingitur; nam attingitur Deus vt infinitus, nec eſt in Deo; imò ipſi repugnat, cum ſit quoddam infinitum cognoſcibile.

23 Dico 2. *Deus ſub ratione voluntatis non eſt formale obiectum reſpectu contingentium*. Probatur. Ratione voluntatis non continet veritates contingentes ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum exiſtentiam, quia voluntas eſt tantum cauſa exiſtentiæ. Theologia autem eas conſiderat ſecundum eſſentiam.

24 Dico 3. *Deus non eſt obiectum formale ſub ratione Saluatoris, aut Glorificatoris: ſiue ſub alia ratione reſpectiua*. Probatur. Vel hæc ratio reſpectiua ſumitur formaliter, vel fundamentaliter. Si primum: non poteſt eſſe ratio cognoſcendi Diuinam eſſentiam, quia illi conuenit contingenter. Si ſecundum; ſe habet per modum attributi demonſtrabilis de Deo, & ideò non poteſt conſiderari per modum obiecti formalis à Theologia, quia conſiderat Deum ſecundum ſuam eſſentiam.

25 Dico 4. *Obiectum formale Theologiæ, non eſt vnum, ita vt quod eſt obiectum formale reſpectu Dei, ſit etiam reſpectu rerum creatarum, quæ à Theologia conſiderantur*. Probatur. Obiectum formale debet eſſe forma intrinſeca obiecto materiali adæquato, ſed non datur talis forma intrinſeca Deo ex rebus creatis, ergo. Maior patet, quia obiectum formale importat formam determinantem cognoſcibilitatem obiecti, quia autem cognoſcibilitas ſequitur eſſe proprium obiecti, non poteſt formali modo determinari, niſi per aliud, quod ſpectet ad eſſe ipſius, alioquin cognoſcibilitas non eſſet propria, ſed aliena. Deindè ratio formalis obiectiua ponit proportionem neceſſariam inter habitum, & obiectum, ergo debet eſſe intrinſeca, vt obiectum poſſit attingi ſecundum illam menſuram, ſecundum quam ab ipſa ſubſternitur habitui. Minor etiam probatur, quia ratio formalis obiectiua Dei debet ipſi cõuenire vt Deus eſt; quod autem conuenit ipſi, vt Deus eſt, non poteſt conuenire creaturis.

26 Dices. Veracitas Dei eſt ratio obiectiua formalis reſpectu obiecti fidei, ergo aliqua ratio in Deo poterit eſſe formale obiectum Theologiæ reſpectu rerum creatarum. Reſpondetur negando conſequens; ideò enim veracitas poteſt eſſe formale obiectum, quia res credibilis non attingitur immediatè ſecundum proprium eſſe, ſed vt ſtat in diuina teſtificatione. Diuina autem teſtificatio imbibit intrinſecè veracitatem. Et ideò obiectum formale coniungitur intrinſecè cum materiali. Ratio autem obiectiua, quę conuenit Deo ſecundum ſuum eſſe non poteſt coniungi intrinſecè cum creatura.

27 Inſtabis, Bonitas Diuina non coniungitur intrinſecè cum proximo, & tamen eſt ratio formalis obiectiua charitatis, ergo. Reſpondetur. Eſſe rationem formalem obiectiuam amandi proximum, vt obiectum ſecundarium: & proindè eſt ratio obiectiua amandi Deum, cui eſt intrinſeca, vt obiectum primarium, & ratione Dei proximum. Theologia autem conſiderat ſuum obiectum, non vt ſecundarium, ſed vt primarium; & ideò ratio formalis obiectiua debet eſſe ipſi intrinſeca.

28 Dico 5. *Neque alia obiecta creata, quæ conſiderantur in Theologia, habent vnam rationem formalem obiectiuam*. Probatur. Conſiderantur ſecundum propriam naturam, ſecundum quam inuicem differunt; prout autem differunt, non habent vnam rationem communem. Confirmatur. Si haberent communem rationem, daretur etiam aliquod principium reuelatum omnibus commune fundatum in tali ratione, quod tamen eſt falſum.

29 Dico 6. *Deus eſt obiectum Theologiæ reſpectu illius partis, quæ tractat de ipſo ſecundum rationem Deitatis*. Probatur. Quando aliquid conſideratur ſecundum propriam eſſentiam, conſideratur etiam ſecundum ſpecialem modum proprię cognoſcibilitatis, vt inductione patet; quia eſſentia non poteſt innoteſcere ſecundum ſeipſam, niſi ex vi ſpecialis cognoſcibilitatis. Specialis autem modus cognoſcibilitatis in Deo habetur ratione Deitatis.

30 Obiicies. Obiectum ſcientię debet eſſe notū. Deus autem ſecundum rationem Deitatis non eſt nobis notus. Ergo. Reſpondetur debere eſſe notum quoad exiſtentiam, & ſuam rationem formalem. Deus autem ſecundum hanc eſt nobis notus per lumen fidei, & etiam per lumen naturale, quatenus ex creaturis cognoſcitur.

31 Obiicies 2. Deus ſecundum formalem rationem Deitatis eſt obiectum viſionis beatificæ, ergo non Theologiæ. Reſpondetur. Secundum rationem Deitatis eſſe obiectum materiale viſionis beatificæ, formale verò eſſe ſummam intelligibilitatem. Deinde negatur etiam conſequent. quia eadem ratio diuerſimodè applicata poteſt eſſe formale obiectum diuerſorum habituum, quia ratione diuerſæ applicationis conſurgit diuerſus modus cognoſcibilitatis.

32 Ad fundamentum primæ ſententiæ. Reſpondetur. Idem eſt obiectum fidei, & Theologiæ, ſi loquamur de materiali, non autem ſi loquamur de formali.

33 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ. Fidem manifeſtare Deum nedum ſub ratione vltimi finis, ſed etiam
ſub

Digitized by Google

ſubtratione Dei. Theologia autem accipit pro formali obiecto Deitatem, quæ eſt prior ratione vltimi finis, quę eſt attributum demonſtrabile de Deo.

DE MODO QVO PROCEDIT Theologia circa ſuum obiectum.

DISPVTATIO V.

An procedat ſcientifico modo.

SECTIO I.

1 PRima ſententia aſſerit eſſe propriè ſcientiam: ità ij omnes qui ipſi tribuunt euidentiam: & prætereà Argen. *quæſt.7.prolog. art.*1. Capreol.*quæſt.*1. *art.* 1. Hiſpal.*ibid.* Bannes 1.*part.quæſt.*1. *art.7. dub.*1. Baſſol. *dub.*14. Granad. *tract.*1. *diſp.6.* Gonzal.*diſp.*1. *concluſ.* 3. Nauarct. *controuerſ.* 4.§. 4. & ferè communiter Thomiſtæ. Probatur. Scientia contra diſtinguitur ab opinione per ſolam certitudinem, vnde ſi eſset euidens ſine certitudine, non eſset ſcientia, ergo cum Theologia habeat certitudinem, habet conſtitutiuum ſcientiæ. 2. Theologia eſt virtus intellectualis ſemper inclinans ad verum, & non eſt habitus principiorum, neque prudentiæ, neque ars, neque fides, vt patet, ergo ſcientia.

2 Secunda ſententia eſt negatiua, ita Scotus *queſtion.3. prologi, quæſtiuncula* 4. *laterali*. Richard. *quæſt.*7. Aureolus *quæſt.*1. Ocham *quæſt.* 2. Molina 1. *part. quæſt.*2. *art.*2.*diſput.*1. Vaſq. *diſp.4.cap.6.* Amicus *diſput.* 1. *ſect.* 1. Machinus *quæſt.*1. *ſect.*2. & alii.

3 Dico 1. *Theologia non participat propriam rationem ſcientiæ*. Probatur. Theologia non participat formaliter illam rationem cognitionis, quam dicit ſcientia eſsentialiter, ergo: Antecedens prob. ſcientia habet certitudinem intrinſecè euidentem, quâ obiectum manifeſtatur certum in ſeipſo: & tàm certitudo quàm euidentia habentur ab eodem ſpecificatiuo. Certitudo autem Theologiæ eſt eſſentialiter inuidens atque adeò diuerſæ rationis, ergo.

4 Dico 2. *Theologia eſt habitus ſpecialis à cæteris diſtinctus habens ſpecialem modum procedendi circa ſuum obiectum*. Prob. Procedit cum certitudine abſque euidentia: alii autem habitus, qui ſunt virtutes intellectuales, procedunt cum certitudine, & euidentia. Ergo, &c.

5 Ad 1. Reſpond. Scientiam contra diſtingui ab opinione per talem certitudinem, nempè intrinſecè euidentem, quæ eſt diuerſa à certitudine Theologiæ. Ad 2. Eſſe ſpecialem virtutem intellectualem, quam Ariſtoteles non enumerauit inter virtutes intellectuales, quia ipſam non agnouit.

6 Quæres. An Theologia ſit ſapientia: Reſpondetur negatiuè, quia non participat conditiones conſtitutiuas ſapientiæ. Sapientia enim eſt ſcientia, & agit de omnibus ea conſiderando in communi, quod non facit Theologia; vnde non eſt maximè vniuerſalis ratione obiecti formalis. Deindè ſapientia procedit per cauſas vniuerſaliſſimas; & vtitur principiis vniuerſaliſſimis, quæ non conueniunt Theologiæ.

7 Ex dictis colligitur. Theologiam habere ſecundum ſe demonſtrationem propter quid, non autem quoad nos formaliter, ſed tantum materialiter; principia enim ex quibus procedit continent cauſam virtualem concluſionis, quæ ſufficit ad demonſtrationem: quia tamen reſpectu noſtri carent euidentia, non ſunt formaliter demonſtrationes.

8 Colligitur 2. Etiam de contingentibus, quę à Theologia conſiderantur, poſſe haberi demonſtrationes materiales, quia conſiderantur ſecundum ſuam naturam, ſecundum quam ſunt neceſſaria, & immutabilia ex intrinſeca conformitate cum idæis Diuinis.

An Theologia ſe habeat ſubalterno modo.

SECTIO II.

9 SVpponendum eſt. Scientiam ſubalternam eſſe diuerſam à ſubalternante: vnde non ſolum debet habere diuerſas concluſiones, ſed etiam diuerſam formalem rationem obiecti, quia autem debet dependere à ſubalternante, ideò accipit ab ipſo principia, quæ ſunt concluſiones ſubalternantes. Ex quo fit, quod ſcientia ſubalterna debeat ſuperaddere aliquid ſuper obiectum ſubalternantis, & ipſum conſiderare ſub illa ratione, quam ſuperaddit; alioquin non poſſet vti concluſionibus ſubalternantis pro principiis.

10 Supponendum 2. Scientiam ſubalternam non poſſe procedere ſcientifico modo, niſi habeat euidentiam ſuorum principiorum; quia autem non poteſt habere, niſi reſoluantur in principia ſubalternantis, ideò ſubalterna debet ſimul cum ſubalternante eſſe in eodem ſubiecto.

11 Prima ſententia aſſerit Theologiam ſubalternari Scientię Diuinæ, & Beatorum, ita Capreol.*quæſt.*1.*prologi art.*1. Hiſpal. *ibid.* Caietan. 1.*part.quæſt.*1.*art.*2. Gonzalez *diſp.*1. *concluſ.*4. & alii. Probant. Quia Theologia ſumit hæc principia à Scientia Diuina, & Beatorum.

12 Secunda ſententia eſt negatiua, ita Scotus *quæſt.*3. *prologi: quæſtiuncula* 5.*laterali*. Baſſolis *quæſt.*5. Bannes 1. *part. quæſt.* 1. *art.* 2. *dub.*3. Faſol. *dub.* 14. Vaſq. *diſp.6. cap.*2. Arrubal *diſput.*2. *cap.*8. & alii.

13 Dico 1. *Theologia non ſubalternatur ſcientiæ Dei; aut Beatorum*. Probatur. Tum quia non conſiderat aliquid in ſuo obiecto, quod ſit ſuperadditum ſcientiæ Dei, aut Beatorum. Tum quia non accipit à tali ſcientia ſua principia, quæ ſunt concluſiones ipſius, ſed habet pro principiis primas veritates de Deo, vt quod ſit ens, eſſentia, &c.

14 Dices. Deus conſideratur à Theologia, vt cognoſcibilis in creaturis; vnde veluti accidentaliter contrahitur, vt cognoſcatur per ſpecies creaturarum. Contra. Quia hæc non eſt determinatio ex parte obiecti, ſed tantum ex parte modi cognoſcendi.

15 Dico 2. *Theologia non ſubalternatur alicui ſcientiæ vniuerſali*. Probatur. Quia licet vtatur principiis, & concluſionibus ſcientiarum vniuerſalium, vtitur tamen ſemper etiam aliqua præmiſſa reuelata, per quam determinatur premiſſa vniuerſalis ad diuerſum modum cauſandi concluſiones. Scientia autem ſubalterna vtitur tantùm concluſionibus ſubalternantis.

16 Ad fundamentum oppoſitę ſententię negatur aſſumptum, nam ſumit ſua principia à reuelatione independenter à ſcientia Beatorum. Inſtabis. Theologia dependet à reuelatione, hæc reuelatio à ſcientia teſtificantis, ergo dependet à ſcientia Dei. Reſpond. Hanc dependentiam non ſufficere ad ſubalternationem, quia non eſt in eodem genere, nec eſt dependentia à concluſionibus ſcientiæ Dei, quas poſſet deducere, ſi diſcurreret.

17 Quæres. An Theologia ſubalternet ſibi ſcientias naturales. Reſpondetur negatiuè, nam ſcientiæ tam ſpeculatiuæ, quam practicæ habent ſua principia per ſe nota, nec vtuntur concluſionibus Theologicis pro principiis: alioquin non eſset euidentes.

An Theologia procedat ſpeculatiuo modo, an verò practico.

SECTIO III.

18 SVpponendum eſt. Habitudinem cognitionis practicæ ad obiectum eſſe regulabilis ad regulatum; vnde reſpicit aliquid operabile, in quo introducat ſuam menſuram: & ideò obiectum cognitionis practicæ non ſupponitur, ſed fit à cognitione; Hinc quicquid eſt capax alicuius regulationis poteſt eſſe obiectum cognitionis

Digitized by Google

nis practicæ, & proindè etiam actus intellectus, vt docent communiter cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 47. *art.* 2. *ad* 2. contra Scotiſtas; nam etiam aliquis actus intellectus poteſt dirigi, vt debito modo fiat ex honeſto fine, vt ſunt actus imperati.

19 Supponendum 2. Cum obiectum ſit id, quod ſpecificat rationem practici, quatenus habet rationem operabilis, fit, vt ratio practica ſumi debeat ex obiecto proximò formali; quia habitus non ſpecificatur à materiali; requiritur tamen, vt etiam obiectum materiale ſit aliquid operabile, alioquin non poſset in ipſum introduci praxis: Hinc cum dicitur, ſcientiam practicam ſpecificari à fine, debet intelligi de fine practico, qui eſt idem cum obiecto formali.

20 Prima ſententia aſſerit, Theologiam neque eſſe practicam, neque ſpeculatiuam, ſed effectiuam: ita Aegid. *part.* 4. *prologi, quæſt. vnic.* Tolet. *quæſt.* 10. *artic.* 7. Argen. *quæſt.* 4. *art.* 3. Probatur. Quicquid conſideratur in Theologia, vel eſt vtendum, vel fruendum; ergo obiectum amoris, ergo eſt effectiua. 2. Theologia habet propriè actum charitatis, qui non eſt praxis, alioquin daretur actus nobilior charitate; ergo non eſt practica.

21 Secunda ſententia aſſerit eſſe purè practicam, ita Scotus *quæſt.* 5. *prolog.* Rich. & Tartaretus *ibid.* Baſsol. *quæſt.* 6. *art.* 2. & communiter Scotiſtæ. Probatur. Theologia eſt apta conformari appetitui recto, ergo eſt practica. Antecedens prob. Obiectum ipſius eſt Deus, qui cum ſit finis vltimus, eſt etiam menſura operandi, ergo poteſt menſurare ipſam Theologiam.

22 Tertia ſententia vult, eſſe purè ſpeculatiuam; ità Marſil. *quæſt.* 3. *prologi*, *art.* 3. Henr. 1. *part. ſummæ art.* 8. *quæſt.* 3. & alij. Probatur Theologia verſatur principaliter circa Deum, & beatitudinem, quæ ſunt purè ſpeculabilia, ergo.

23 Quarta ſententia aſſerit, eſſe ſimul practicam, & ſpeculatiuam, ita D. Thom. 1. *part. quæſt.* 1. *art.* 4. Caietan, & Bannes *ibidem*. Molina *diſp.* 2. Vaſquez *diſp.* 8. *cap.* 6. Faſol. *dub.* 3. D. Bonau. *quæſt.* 3. *prol.* Richard. *quæſt.* 4. Ocham *quæſt.* 12. Arim. *quæſt.* 5. & alij. Differunt tamen hi Auctores, nam Nominales volunt, Theologiam eſſe aggregatum ex pluribus habitibus, quorum aliqui ſunt practici, alij ſpeculatiui. Caietanus verò, Bannes, & Faſol. volunt, non eſſe formaliter practicam, & ſpeculatiuam, ſed eminenter, ita vt dicat vnam formalem rationem, in qua ſit eminenter, & practica, & ſpeculatiua. Vaſquez autem vult eſſe formaliter practicam, & ſpeculatiuam, quia ratio practici, & ſpeculatiui important differentias accidentales, quæ poſſunt conuenire eidem habitui.

24 Dico 1. *Idem habitus non poteſt in ordine ad idem obiectum formale ratione ſuæ ſpecificationis eſſe ſimul practicus*, & ſpeculatiuus. Probatur. Habitus non poteſt habere aliquid in ſua ſpecificatione, quod non accipiat ab adæquato ſpecificatiuo: ergo non poteſt eſſe ſimul practicus, & ſpeculatiuus: nam idem obiectum formale ſecundum eandem rationem non poteſt ſpecificari practicè, & ſpeculatiuè, quia non poteſt ſe habere, vt aliquid operabile, & non operabile.

25 Dico 2. *Theologia vt attingit obiectum formaliter operabile, eſt practica, vt verò attingit non operabile, eſt ſpeculatiua*. Probatur. Omnis facultas ſpecificatur ab obiecto formali, ergo poſitis obiectis ſpeculabilibus, & practicis ponetur habitus ſpeculatiuus, & practicus.

26 Dico 3. *Illa pars Theologiæ quæ agit de Deo eſt purè ſpeculatiua*. Probatur. Obiectum formale ipſius non eſt aliquid operabile, ergo.

27 Ad 1. Reſpondetur negando conſeq. nam licet, quicquid conſiderat Theologia, ſit vtendum, vel fruendum, non tamen conſideratur ſecundum has rationes, ſed ſecundum rationem practici, & ſpeculatiui. Ad 2. negatur aſſumptum, quia charitas eſt finis Theologi, non autem Theologiæ.

28 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ neg. aſſumptum; nam cognitio non eſt practica, quia ſit apta conformari recto appetitui, nam ex hoc habetur, quod ſit obiectum practicum, ſed eſt illa, quæ eſt menſura operandi.

29 Ad fundamentum 3. ſententiæ. Theologiam eſſe quidem ſpeculatiuam, vt quando verſatur circa Deum; quia tamen conſiderat etiam obiecta operabilia, ideò reſpectu ipſorum eſt practica.

30 Obijcies. Eadem cognitio Diuina eſt ſimul practica, & ſpeculatiua. Ergo etiam Theologia poterit eſſe ſimul practica, & ſpeculatiua. Reſpondetur. Eſſe ſimul practicam, & ſpeculatiuam in ordine ad diuerſa obiecta ſubordinata, nempè primarium, & formale, reſpectu cuius eſt ſpeculatiua, & ſecundarium reſpectu cuius eſt practica; vnde etiam Theologia eſt practica, & ſpeculatiua in ordine ad diuerſa obiecta. Quia tamen obiecta non ſunt ſubordinata, ſed omnia primaria, & ſpeculatiua, ideò non poteſt eſſe vnus, & idem habitus.

Quomodo Theologia defendat ſua principia.

SECTIO IV.

31 Aliqua principia Theologica ſecundum veritatem materialem poſſunt probari, ſi contingat, quod non ſint immediata, & medium ipſorum contineatur in alio principio reuelato; formaliter tamen non poſſunt probari, quia vt ſtant ſub Diuino teſtimonio, habent rationem motiuam primariam, & immediatam. Vnde difficultas eſt, an Theologia poſſit deffendere ſua principia ſoluendo argumenta in oppoſitum.

32 Prima ſententia aſſerit, poſse ſolum euidenter negatiuè, quatenus intellectus experitur, ſe non conuinci, non autem euidenter poſitiuè oſtendendo poſitiuè falſitatem ipſorum: ita Caietan. 1. *part. quæſt.* 1. *artic.* 8. Vaſquez *diſp.* 11. *cap.* 3. Amicus *diſp.* 1. *ſect.* 1. Arrubal *diſput.* 7. *cap.* 4. Granad. *tract.* 1. *diſp.* 9. & alij. Probatur. Euidens eſt, propoſitiones reuelatas eſſe veras, ergo euidens eſt, argumenta oppoſita poſſe ſolui.

33 Secunda ſententia aſſerit, eſſe quidem ſolubilia non tamen euidenter. Ita Ocham *quæſt.* 9. *prologi*. Baſsol. *quæſt.* 5. *art.* 4. Durand. *quæſt.* 1. & alij.

34 Dico 1. *Argumenta contra reuelata in communi non ſunt euidenter ſolubilia poſitiuè*. Probatur. Argumentum non eſſet euidenter ſolubile poſitiuè, niſi adeſſet euidentia de eo, quod per ipſum impugnatur, nulla autem adeſt euidentia de rebus fidei, etiam in vniuerſali conſideratis. Ergo, minor prob. Nam licet ſit euidens, Deum non poſſe mentiri; non tamen eſt euidens, quod reuelatio ſit à Deo. Deindè etiamſi eſſet, non tamen per hoc haberemus euidentiam de reuelatis, quia euidentia inatteſtante eſt extrinſeca rei reuelatæ, & non facit euidentem veritatem ipſius, ergo.

35 Dico 2. *Argumenta contra reuelata, ſi ſint in materia ſupernaturali, neque negatiuè poſſunt euidenter ſolui.* Probatur. Vt argumentum ſit euidenter ſolubile negatiuè non ſufficit, quod intellectus experiatur, ſe non conuinci; ſed requiritur, quod ex penetratione terminorum percipiat, non habere vim conuincendi, ſed hoc in reuelatis non poteſt percipi, quando argumenta ſunt in materia ſupernaturali: ergo, minor patet. Quia à negatione effectus non licet arguere ad negationem cauſæ, cum effectus poſſit impediri, vnde fieri poteſt, quod argumentum habeat vim conuincendi, licet non conuincat.

36 Dico 3. *Argumenta contra reuelata in materia naturali poſſunt euidenter ſolui, licet aliquando non ſoluantur*. Probatur. Dum ſunt in materia naturali, non excedunt facultatem luminis naturalis; & ideò naturaliter poteſt cognoſci veritas oppoſiti.

37 Dico 4. *Omnia argumenta, licet non ſint euidenter ſolubilia, poſſunt tamen ſolui cum rationali fundamento.* Probatur. Quia poteſt reddi ratio negationis alicuius propoſitionis ex veracitate Diuina. Tum quia intellectus

poteſt

Digitized by Google

poteſt manuduci per aliqua exempla ad percipiendam falſitatem; Tum quia poteſt aſſignari aliqua ratio diſparitatis ratione ſubiectæ materiæ. Tum quia credibilitas myſteriorum fidei eſt euidens.

38 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, licet ſit euidens poſita euidentia teſtificationis Deum reuelare, non eſt tamen euidens veritas reuelata. Deinde teſtificatio diuina de facto non eſt nobis euidens.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

DISPVTATIO VI.

De Auctoritate Diuina.

SECTIO I.

1 LOcus Theologicus eſt radix, ſeu Theſaurus quidam, ex quo eruuntur argumenta Theologica. Loca autem Theologica alia ſunt intrinſeca, alia extrinſeca, vt docet Auguſtin. *lib.2. de ordine, cpa.* 1. Intrinſeca ſunt illa, quæ ex intrinſeco rerum ſumuntur, & fundantur in ipſa ratione. Extrinſeca verò ſunt illa, quæ extrinſecus aſſumuntur, & conſiſtunt in auctoritate.

2 Supponendum eſt. Loca Theologica reuocari ad quatuor, cum D.Thom. 1. *par. quæſt.1. art.8. ad* 3. Sunt autem Auctoritas Diuina; Auctoritas Doctorum Eccleſiæ: Auctoritas Philoſophorum; & ratio naturalis: Auctoritas enim diuiditur in Diuinam, & creatam: Creata verò in Angelicam, & humanam; & quia Theologus non habet Angelicam, relinquitur humana, quæ ſubdiuiditur in auctoritate Doctorum Eccleſiæ, & in auctoritate Philoſophorum.

3 Supponendum 2. Cum auctoritas diuina conſiſtat in reuelatione, duplici modo haberi poteſt; vel per verbum ſcriptum, quod conſiſtit in libris Canonicis Sacræ Scripturæ; vel per verbum traditum, quod conſiſtit in traditionibus Apoſtolicis.

4 Supponendum 3. Decreta Conciliorum, Summorum Pontificum, & communem ſenſum Eccleſiæ reduci ad auctoritatem diuinam, quia fundatur in reuelatione, quatenus nos certificat de reuelatis.

5 Dico 1. *Dogma fidei non poteſt confirmari niſi ex certo, & infallibili ſenſu Scripturæ, ſeu traditionis Conciliorum, aut Summorum Pontificum, aut ex communi ſenſu Eccleſiæ.* Probatur. Dogma fidei debet eſſe certum, & infallibile; non poteſt autem eſſe tale, niſi habeatur ex infallibili teſtimonio.

6 Dico 2. *Tunc ſenſus eſt certus, & infallibilis, quando eſt ita planus, vt non poſſit rationabiliter aliam explicationem admittere.* Probatur. Scriptura eſt ſcripta cum aſſiſtentia Spiritus Sancti, qui non poteſt intendere ſenſum irrationabilem, ergo.

7 Dico 3. *Tunc etiam eſt certus, & infallibilis, quando ita congruit cum alijs locis Scripturæ, vt ſi aliter accipiatur, ſequantur repugnantia cum alijs locis.* Probatur. Non poteſt Spiritus Sanctus ſibi eſſe contrarius: ergo non poteſt in vno loco intendere contrarium illius, quod intendit in alio; alioquin non intenderet verum, quia vna veritas non eſt alteri contraria.

8 Dico 4. *Ille etiam eſt ſenſus certus, & infallibilis quo Apoſtoli vſi ſunt in explicandis Scripturis, & quilibet ex ipſorum traditione*, ita D.Aug. *lib.23. contra Fauſtum, cap. vltim.* & communiter Patres. Probatur. Quia Apoſtoli fuerunt edocti à Chriſto circa intelligentiam Scripturarum. Lucæ 24. *Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas.* Et fuerunt ſpeciali modo illuminati à Spiritu Sancto. Ioann. 24. *Ille vos docebit omnia.*

9 Dico 5. *Senſus approbatus ab Eccleſia eſt certus, & infallibilis.* Nomine Eccleſiæ intelligitur, aut Concilium generale legitimè congregatum; aut Summum Pontifex, vt caput Eccleſiæ viſibilis, aut communio fidelium per totum orbem diffuſa. Prob. Spiritus Sanctus aſſiſtit Eccleſiæ, vt non ſinat eam errare circa res fidei, & bonos mores. Intelligentia autem Scripturarum ſecundum verum ſenſum pertinet ad fidem, & mores inſtruendos.

10 Dico 6. *Senſus receptus communi conſenſu Patrum eſt certus, & infallibilis.* Probatur. Deus contulit Patribus ſpeciale auxilium ad declarandas Scripturas; quia eos conſtituit Doctores fidelium; eſſet autem contra diuinam prouidentiam, ſi permiſiſset, quod omnes communiter errarent in exponendis Scripturis circa res fidei.

11 Dico 7. *Quando nullo modo ex prædictis poteſt eorum verus ſenſus Scripturæ, verba ipſius in proprio ſenſu ſunt accipienda, ſi nullum ſequatur inconueniens: in hoc tamen caſu ſenſus Scripturæ non erit certificatus*: ita D. Aug.8. *de Gen. ad litteram, c.1. &* 7. Probatur. Communis ſenſus loquendi vſurpat verba in propria ſignificatione, ergo etiam Scriptura.

De ſenſibus Sacræ Scripturæ?

SECTIO II.

12 SVpponendum 1. Eundem locum Scripturæ poſſit habere diuerſos ſenſus, vt communiter docent Patres, & Scholaſtici: vnde alius eſt litteralis, & alius ſpiritualis. Litteralis eſt ille, quem Deus immediatè per verba ſignificat, vt docet D.Thom. 1. *part. quæſt.* 1. *art.* 2. Spiritualis verò, quem important voces mediantibus rebus, quas ſignificat in litterali: quia prima ſignificatio eſt vocum, ſecunda verò eſt rerum.

13 Supponendum 2. Senſum litteralem non ſemper habere locum, ſed ſolum, quando non ſequitur aliquod inconueniens: & ita docet D. Auguſtin. *lib.3. de Doctrina Chriſtiana, cap.10. &* 11. & communiter Patres.

14 Supponendum 3. Senſum litteralem alium eſſe proprium, & alium Metaphoricum. Proprius eſt, quando voces ſignificant ſecundum propriam ſignificationem: Metaphoricus, quando voces habent ſignificationem trãſlatam, vt illud Apocalyp. 5. *Vicit Leo de Tribu Iuda.* Hic autem ſenſus metaphoricus eſt litteralis, vt docet D. Thom. 1. *part. quæſt.1. art.3. ad* 10. Poteſt tamen dici aliquo modo ſpiritualis, quatenus quod ſignificatur, tribuitur ſecundum aliquam proportionem rei ſignificatæ, vt docet D.Auguſt. *lib.3. de Doctrina Chriſtiana, cap.*5. Differt autem ſenſus litteralis metaphorico à ſimilitudinario, quod ſimilitudinarius explicatur ſemper per particulam comparatiuam: vnde verba etiam propriè ſignificant.

15 Supponendum 4. Senſum Parabolicum eſſe illum, in quo aliquid explicatur per modum hiſtoriæ, quæ non eſt vera, ſed vt facta ſumitur, vt eſt illa Lucæ 15. de Filio Prodigo. Reducitur autem ad metaphoricum, quia continet metaphoram continuatam, vt docet Abulenſis *quæſt.* 28. *in cap.*13. *Matth.*

16 Supponendum 5. Senſum ſpiritualem, ſeu myſticum diuidi in eum, qui reſpicit operationem noſtram, & in eum, qui reſpicit fidem; finis enim Scripturæ eſt noſtra inſtructio in ordine ad finem ſupernaturalem, per potentias rationales nempè intellectum, & voluntatem: vnde quæ myſtico modo ſignificantur, pertinent ad has potentias. Si ergo pertinent ad voluntatem, reſpiciunt operationem, & conſurgit ſenſus moralis: ſi verò pertinent ad intellectum, & reſpiciunt actum credendi, tunc, vel ſignificat ea, quæ pertinent ad præſentem Eccleſiam, vt ſunt, quæ habentur in veteri Teſtamento, & conſurgit ſenſus allegoricus, vel ſignificant, quæ ſunt triumphalis Eccleſiæ, & conſurgit ſenſus anagogicus. Vnde quatuor ſenſus Scripturæ. Litteralis, Moralis, Allegoricus, & Anagoricus, qui comprehenduntur his verſibus.

Littera geſta docet, quid credas Allegoria.
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.

17 Sup-

Digitized by Google

17 Supponendum 6. Omnes hos ſenſus poſſet reperiri in eodem loco Scripturæ. Licet non reperiantur neceſſariò, vt docet D.Thom. *quodlib.6. quæſt.6. art.13.* Non eſt tamen neceſſe, vt omnia quæ habentur in veteri Teſtamento, ita ſint allegoria, vt ſignificent aliquid prius geſtum: hoc enim non poteſt conuenire ijs, quæ propheticè ſcripta ſunt, vt docet Tertullianus *cap. 16. de Reſurrect.* Item poteſt allegoria reperiri in nouo teſtamento; Vnde D. Aug. *tract. 132. in Ioann.* Explicat allegoricè quædam loca noui teſtamenti.

18 Supponendum 7. Senſum ſpiritualem, ſeu myſticum fuiſſe intentum à Spiritu Sancto, vt docet D. Tho. *1.part. quæſt.1. art.10.* cum D.Auguſt. *lib.31. de Doctrina Chriſtiana, cap.25.* Talis enim ſenſus eſt verus ſenſus Scripturæ: non eſſet autem, ſi non eſſet intentus à Spiritu Sancto: Difficultas autem eſt, an idem locus poſſit habere plures ſenſus litterales.

19 Prima eſt ſententia negatiua: Ita Alenſis *1.par. quæſt. 1. memb.4. art.7.* Albertus, *1. part. ſum. tract.1. quæſt. 5. memb.2.* Henricus, *in ſum. art. 16. quæſt.2. & 3.* Medina, *lib.3. de recta fide in Deum cap.25.* Probatur. Sacer Scriptor voluit exprimere ſuum conceptum, ergo cum habuerit vnum conceptum, vnus tantum eſt ſenſus litteralis: 2. Si eſſent plures, facerent æquiuocationem, & nihil certi haberetur. Secunda ſententia eſt affirmatiua, ita communiter cum D. Thom. *quæſt.1. art.10.*

20 Dicendum eſt; *Eundem locum Scripturæ poſſe habere plures ſenſus litterales.* Ita D. Auguſt. 11. *confeſ.* & communiter Patres. Probatur. Sunt poſſibiles plures ſenſus litterales, quia idem locus poteſt conformari cum pluribus rebus: ergo fuerunt intenti à Spiritu Sancto; Quia Spiritu Sanctus vſus eſt verbis Scripturæ perfectiſſimo modo, atque adeò ſecundum omnem ſignificationem. Sic illud Iſaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit.* Intelligitur litteraliter de generatione æterna Verbi. De temporali generatione Chriſti, & etiam de ſpirituali, qua generat filios adoptiuos.

21 Ad 1. Reſpondetur. Licet plures ſenſus non fuerint intenti à Sacro Scriptore; fuiſſe tamen intentos à Spiritu Sancto. Ad 2. Negatur ſequela, quia tunc adeſt æquiuocatio, quando aliquid eſt verum in vno ſenſu, & falſum in alio; omnes autem ſenſus litterales ſunt veri.

Ex quonam ſenſu ſint confirmanda dogmata, & eruenda principia?

SECTIO III.

22 Dico 1. *Senſus myſticus ex natura ſua eſt ſufficiens ad confirmanda dogmata, & fundanda principia Theologica.* Probatur. Senſus myſticus eſt intentus à Spiritu Sancto: vnde aliqua loca veteris teſtamenti in nouo accipiuntur in ſenſu myſtico, ergo eſt infallibilis.

23 Dico 2. *Senſus myſticus non eſt ſufficiens reſpectu noſtri.* Ita D. Aug. *epiſt.48.* Probatur. *Non eſt certus reſpectu noſtri*, ergo.

24 Dico 3. *Senſus myſticus certus reſpectu noſtri eſt ſufficiens; fit autem certus, vel quia eſt declaratus à Spiritu Sancto; vel quia colligitur ex alijs locis litteralibus; vel quia recipitur communiter à Patribus.* Probatur. In tali caſu poteſt ratione teſtimonij Diuini mouere intellectum, ergo.

25 Dico 4. *Tàm ſenſus litteralis, quàm Metaphoricus eſt ſufficiens.* Probatur. Quia talis ſenſus eſt locutio Spiritus Sancti.

De Traditionibus.

SECTIO IV.

26 Dico 1. *Dantur in Eccleſia Diuinæ traditionis.* Eſt de fide, definitum à Tridentino *ſeſſion.4.* Probatur. Ad Theſſalonicenſes *cap. 2.* Itaque: *Fratres ſtante, & tenente traditiones, quas didiciſtis, ſiue per Sermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram.* Ratio eſt, quia non omnia, quæ Apoſtoli acceperunt à Chriſto pro inſtitutione Eccleſiæ, fuerunt ſcripta.

27 Dico 2. *Traditiones ſunt neceſſariæ ad fidem conſeruandam.* Probatur. In Scriptura habentur aliqua, quæ poſſent retorqueri ad prauum ſenſum, niſi traditio nos certos faceret de vero ſenſu; ergo. Hinc plura dogmata ex traditione confirmantur, vt Sacramentum extremæ vnctionis, vt docet Trident. *ſeſſ.14. cap.1.*

27 Dico 3. *Traditiones habent certam, & infallibilem authoritatem.* Ita Trident. *ſeſſ.4. in Decretis de Scripturis Canonicis*, & communiter Patres. Probatur. Quia continent quæ ſunt reuelata à Deo.

28 Dico 4. *Traditiones cognoſcuntur verè ex triplici capite.* Primò. Si ſint receptæ à Concilijs Generalibus, vt quod Sacramenta ſint inſtituta à Chriſto, præcipitur in Tridentin. *ſeſſ.7. Canone 1.* Secundò. Si ſint approbata per vniuerſalem, & immemorabilem vſum Eccleſiæ, vt adoratio Euchariſtiæ. Tertiò. Si confirmentur communi teſtimonio Sanctorum Patrum, vt remiſſio peccati originalis in infantibus per baptiſmum.

De Auctoritate Eccleſiæ.

SECTIO V.

29 Supponendum eſt tanquam certum de fide. Eccleſiam habere auctoritatem infallibilem: Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Et 1. Corinth.3. *Eccleſia dicitur columna, & firmamentum.* Conſideratur autem Eccleſia tripliciter, vel in capite, & dicit Vicarium Chriſti, ad quem ſpectat regimen ipſius Eccleſiæ, vel in ſua vniuerſalitate, & dicit vniuerſam congregationem fidelium ſub vno capite: vel in aliqua congregatione repræſentante totam vniuerſalitatem, vt eſt Concilium Generale legitimè congregatum.

30 Dico 1. *Ex Eccleſiæ auctoritate, quatenus importat caput ſumitur infallibilis veritas.* Probatur. Ad caput ſpectat regere Eccleſiam; ergo cum Eccleſia non poſſit errare, neque regimen ipſius poteſt eſſe fallibile; atque adeò caput non poteſt errare.

31 Dico 2. *Ex auctoritate Eccleſiæ, quatenus importat vniuerſalem congregationem ſumitur infallibile teſtimonium.* Probatur. Ad prouidentiam Dei ſpectat, ne tota collectio fidelium erret in fide, ergo. Hinc Matth. *vltim. Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi.*

32 Dico 3. *Ex auctoritate Eccleſiæ, vt importat Concilia approbata à Summis Pontificibus, deſumitur veritas infallibilis.* Probatur. Quia Concilia repræſentant vniuerſalem Eccleſiam, & habent aſſiſtentiam Spiritus Sancti.

De Auctoritate Sanctorum Patrum.

SECTIO VI.

33 Supponendum eſt auctoritatem Sanctorum Patrum eſſe humanam, & fallibilem. Vt docet D. Hieronym. *epiſt. contra error.* Ioannis Hieroſolymit. Vnde etiam D. Auguſt. *lib.2. de ordine cap.10.* Non vult, ſibi credi, niſi rationem redderet.

34 Supponendum 2. Doctrinam approbatam Sanctorum Patrum ab Eccleſia eſſe infallibilem, ſi approbetur, vt certa de fide. Si verò eligatur ſolum vt melior, non eſt infallibilis, ſed tantum probabilior, quia tunc Eccleſia procedit humano modo; ſicut etiam quando laudat Doctrinam alicuius Patris, quia tali pacto nihil de fide definit. Et hoc eſt quod habetur in cap. *Sancta Romana, diſtinct.15.*

Digitized by Google

ſtinct.15. Vnde, quando Concilium Lateranenſe præcipit vt Orthodoxam Doctrinam plurium Patrum, illam amplectitur, quatenus pertinet ad fidem, & tanquam deſumptam ex reuelatis.

35 Dico 1. *Communis conſenſus Sanctorum Patrum aſſerentium aliquid pertinere ad fidem, non tamen definientium, eſſe de fide, non facit infallibile teſtimonium, etiamſi inter ipſos nulla ſit diſſenſio*. Ità Bannes 1. *part. quæſt.* 1. *art.*4. *dub.*59. & alij. Probatur In tali caſu non docent vt Doctores fidei; nec habent aſſiſtentiam Spiritus Sancti; ſed humano modo procedit, ergo.

36 Dico 2. *Communis conſenſus Patrum decernentium, aliquid eſſe de fide, ſi fundentur in Scriptura, continet infallibilem auctoritatem*; ita Canus *lib.*7. *de locis cap.*3. & alii. Probatur. Si Patres in tali caſu errarent, tota Eccleſia erraret, quia definit, quòd communis eorum interpretatio Sacræ Scripturæ ſit amplectenda, vt in Trident. *ſeſſ.*4. *in Decret. de editione Sacrorum librorum*.

37 Dico 3. *Communis conſenſus Sanctorum Patrum non fundatus in Scriptura non habet auctoritatem infallibilem*. Ita Aug. *epiſt.*19. *ad Hieronym.* Vbi habet, ſe ita legere omnes libros præter Sacros, vt non putet vera, quæ in ipſis habentur, niſi confirmentur per auctoritatem Scripturæ, vel per rationem. Probatur. Quia ſola authoritas Diuina eſt omninò infallibilis.

De Auctoritate Scholaſticorum.

SECTIO VII.

38 QVando Sholaſtici inter ſe diſſentiunt, non faciunt aliquam certitudinem, quando autem communiter conueniunt omnes. Prima ſententia aſſerit, non poſſe recedi ab vnanimi conſenſu ipſorum, quoad res fidei, & morum, abſque errore in fide, ita Canus 8. *de locis cap.*7. *concl.*3. Bannes 1. *part. quæſt.* 1. *art.*8. *dub. vltim.* & alij. Probatur. Si poſſent errare, poſſet errare, & Eccleſia, cum ipſi inſtruant populum. 2. Eccleſia aliquando definit, quæ non habentur ex Scriptura, ex ſolo communi conſenſu Scholaſticorum. 3. Scholaſtici non conueniunt communiter in aliqua propoſitione, niſi ob aliquod teſtimonium Scripturæ, ergo.

39 Secunda ſententia aſſerit, eſſe ſolum temerarium recedere à tali communi conſenſu abſque vrgenti ratione: ita Vega *lib.*9. *in Trident. cap.*14. Gillius, *lib.*1. *tract.*7. *cap.*13. Faſol. 1. *part. quæſt.*1. *art.*8. *dub.*10.

40 Dico 1. *Communis conſenſus Scholaſticorum circa res fidei, & morum non facit certitudinem infallibilem*. Probatur. Vel talis conſenſus eſt deductus ex reuelatis euidenti conſequentia; & tunc non habet vim ex authoritate; ſed ex ſuis principiis, vel nititur ſolum probabili ratione; & tunc non habet, niſi illam certitudinem, quam habent Scholaſtici, ex motiuo, quo mouentur, ergo non poteſt habere authoritatem infallibilem, quia illa ſumitur ex motiuo probabili.

41 Dico 2. *Conſenſus Scholaſticorum non habet maiorem certitudinem, quàm poſſit cauſare motiuum, quo mouentur: & ideò eſt intra ordinem humanum; & poteſt ab ipſo recedi, ex alio motiuo maiori, aut æquiualenti*. Probatur. Tanta eſt certitudo auctoritatis, quanta poteſt cauſari ex motiuo, à quo deſumitur; ergo, ſi motiuum in oppoſitum ſit efficacius, aut æquiualens poteſt recedi à communi auctoritate.

42 Ad 1. Negatur ſequela, quia Eccleſia vniuerſalis habet aſſiſtentiam Spiritus Sancti: vnde ſi recipiat communem ſenſum Scholaſticum, ipſum eleuat ad maiorem certitudinem. Ad 2. negatur aſſumptum. Quia Eccleſia in definiendo ſemper innititur reuelatis. Ad 3. Si illud teſtimonium Scripturæ eſt certum, tunc communis ſenſus innititur reuelatis; non autem auctoritati Scholaſticorum. Si verò incertum, tunc non habetur infallibilitas.

De Hiſtoria.

SECTIO VIII.

43 HIſtoria alia eſt Canonica, quæ continetur in Sacris libris, & eſt infallibilis; Alia Eccleſiaſtica, quæ tradit res Eccleſiæ, & alia prophana, quæ verſatur circa res prophanas.

44 Dico 1. *Hiſtoria ſiue prophana, ſiue Eccleſiaſtica non habet auctoritatem infallibilem*. Ita communiter cum D. Auguſt. 18. *de Ciuitate Dei, cap.*38. Probatur. Quia innititur teſtimonio Hiſtorici, quod eſt humanum, & fallibile.

45 Dico 2. *Et ſi omnes hiſtorici conſentiant, non habetur infallibile teſtimonium*. Ita Gillius *lib.*1. *tract.*7. *cap.*15. *contra Canum in iiſdem locis cap.*8. Probatur. Quia non repugnat, omnes ſimul hiſtoricos falli. Hinc Aug. 18. *de Ciuitate cap.*40. Docet, nunquam eſſe ſtandum hiſtoriæ, quando repugnat Sacræ Scripturæ.

De ratione naturali.

SECTIO IX.

46 DIco 1. *Ratio naturalis inſeruit Theologiæ, non prævalendo, ſed miniſtrando*. Ita Aug. *epiſt. ad Coſcentium*, & D. Thom. 1. *part. quæſt.* 1. *art.*8. *ad* 2. Probatur. Debet inſeruire iuxta ſuam qualitatem: ergo miniſtrando, cum habeat certitudinem inferioris ordinis, quàm ſit certitudo principiorum Theologiæ.

47 Dico 2. *Inſeruire declarando myſteria fidei, ſeu principia Theologica*. Probatur. Plura ſunt quæ dependent præſertim ſecundum terminos à ratione naturali: ſic plures ſenſus litterales ſi Scripturæ non poſſunt explicari, niſi auxilio rationis naturalis: vnde ratio naturalis oſtendit, non poſſe intelligi illud Ioann. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* De manducatione materiali, ac proindè debere intelligi de Sacramentali.

48 Dico 3. *Miniſtrare Theologiæ principia, ex quibus deducat concluſiones*. Probatur. Theologia non poteſt multoties ex reuelatis deducere concluſiones, niſi vtatur etiam aliquo principio naturali ex eo, quod medius terminus habet connexionem euidentem cum alio extremo, ergo.

49 Obijcies. Nulla ſcientia indiget principijs alterius; ergo. Reſpondetur negando conſeq. Quia Theologia fundatur in duplici lumine obſcuro, & claro; vnde etiam poteſt vti principijs aliarum ſcientiarum.

50 Obiicies 2. Theologia eſt ſuperior ſcientiis naturalibus. Scientia autem ſuperior non indiget principiis inferioris. Reſpondetur non indigere, ſi ſit ſuperior quoad vniuerſalitatem obiecti, quia cum principia fundentur in obiecto, non poſſunt deſumi à ſcientiis; quæ habent ſuum obiectum minus vniuerſale. Theologia autem non eſt ſuperior ratione obiecti vniuerſalioris, ſed ratione obiecti excellentioris, & quia reſoluitur in auctoritatem diuinam.

51 Obiicies 3. Si principia aliarum ſcientiarum reuelarentur, melius inſeruirent Theologiæ, ergo. Reſpondetur. In tali caſu Theologia non indigeret principiis aliarum ſcientiarum; de facto autem indiget, quia non ſunt reuelata.

SACRA

Digitized by Google

SACRA SPECVLATIVA DOCTRINA DE DEO VNO.

DE DEO, ET EIVS NATVRA.

Principalius obiectum ex ijs, quæ conſiderat Theologia, eſt Deus quod ſpeculatiuo modo attingit, cum non ſit aliquod operabile; & quantum fieri poteſt ipſius naturam inquirit, vndè eſt habitus diſtinctus ab alijs, qui circa alia obiecta reuelata verſantur. Hanc ergo partem theologia aggredimur ab exiſtentia ipſius obiecti exordientes.

DE EXISTENTIA DEI.

DISPVTATIO. VII.

Quomodo theologia ſupponat Deum eſſe.

SECTIO I.

QVidam ex antiquis philoſophis negauerunt, Deum eſſe, quos ſecuti ſunt Atheiſtę, & Politici noſtri temporis, attamen adeo notum eſt ex creaturis, Deum eſſe, vt eius cognitio dici poſſit inſita à natura, vt loquuntur Tertullianus 1. *contra Marcionem cap.*10. Ireneus *lib.* 2.*cap.* 5. Clemens Alexandrinus *lib.*5.*Stromatum.* Damaſcenus 1. *De fide cap.*3. Iuſtinus *quæſt.*1. *ad Græcos*. Chriſoſt. *oratione* 12. & alij, Quo ſuppoſito. Quærimus quomodo Theologia ſupponat Deum eſſe tanquam proprium obiectum.

2 Dico 1. *Deum præſupponi à Theologia tanquam cognitum lumine naturali*. Probatur. Quia omnis facultas ſupponit proprium obiectum eo pacto, quo poteſt ſupponi, ergo cum naturali lumine notum ſit, Deum eſſe, Theologia ſupponet tanquam notum lumine naturali.

3 Dico 2. *Præſupponere Deum etiam lumine fidei cognitum, ita vt lumen fidei compleat præſuppoſitionem*. Prob. Theol. debet præſupponere obiectū proportionato modo applicatū, ergo per fidē. Cōſeq. prob. Quia non poteſt eſſe proportionato modo applicatum, niſi ſit in ſtatu proximo, in quo fundat principia, ergo cum theologia procedat ex reuelatis, debet præſupponere obiectum applicatum ſecundum eſſe reuelatum.

4 Obijcies 1. Cognitio Dei non poteſt haberi ſine ſpeciali auxilio Dei, vt docent plures Patres, ergo. Reſp. Non poſſe haberi quoad quid ſit, non autē quòad exiſtentiam.

5 Obijcies 2. Quilibet actus fidei debet eſſe ex diuino teſtimonio, ergo debet ſupponere Deū eſſe, ergo per actū fidei nō poteſt credi, quod Deus ſit. Reſp. Nego conſequētiā, nā quando actus procedit ſimplici modo, ſēper attingit obiectū formale, & materiale ſimul, quia ex vtroq; conſtituitur cōpletū obiectū, vndè idē actus attingit ſimul diuinum teſtimonium tanquam obiectum formale, & Deum eſſe tanquam obiectum materiale.

An Deum eſſe ſit per ſe notum.

SECTIO II.

6 SEnſus quæſtionis eſt; An iſta propoſitio Deus eſt, ſit per ſe nota. Supponēdū autē; Propoſitionē aliā eſſe immediatā, aliā mediatā. Prima eſt in qua prędicatum immediatè ſe ipſo cōnectitur cū ſubiecto, vt omne totū eſt maius ſua parte. Secunda vero, eſt in qua prędicatū per aliquod mediū cōnectitur cū ſubiecto, vt Homo eſt riſibilis; non poteſt autem intellectus aſſentiri huic propoſitioni, niſi aſſentiatur ratione medij.

7 Supponēdū 2. Propoſitionē immediatam eſſe etiā per ſe notā, quià innoteſcit ex ipſa connexione, terminorū, vt docet Ariſtoteles 1. *poſteriorum cap.* 3. Quidā tamen volunt propoſitionem per ſe notā latius patere, quam immediatā, ſed non rectè. Quia intellectus non poteſt aſſentiri propoſitioni, niſi percipiat connexionē prædicati cum ſubiecto, hanc autem non poteſt percipere, niſi percipiat ratione medij, quando tale medium interuenit, vndè tunc propoſitio non innoteſcit per ſe ipſam, ſed ratione medij.

8 Supponendum 3. Propoſitionem per ſe notam diuidi in per ſe notam ſecundum ſe, & in per ſe notam quo ad nos; illa autem dicitur per ſe nota ſecundum ſe, & non quo ad nos, quæ habet immediatam connexionem prædicati cum ſubiecto, licet à nobis non percipiatur.

9 Prima ſententia aſſerit, hanc propoſitionē, *Deus eſt*, non eſſe per ſe notam, nec ſecundum ſe, nec quòad nos. Ita Ariminenſis *in* 1.*diſt.*2.*q.*1.*art.*2. Mayronius *ibidē*, Maior *ibidem*, *&* *corollario* 10. Probant. Propoſitio per ſe nota debet innoteſcere per ſe naturaliter abſque indigentia alterius; huiuſmodi autem non eſt hæc propoſitio *Deus eſt*. 2. Eſſe non dicitur euidenter de Deo ſiue concipiatur vt primum ens, ſiue vt prima cauſa, nam aliqui dubitarunt, An detur tale ens, & talis cauſa.

10 Secunda ſententia aſſerit, eſſe abſolutè per ſe notum. Ita Albert. *in ſumma tractat.*3.*q.*17.*p.*2. Alenſis 1.*p.q.*3. *mem.*2. *&* 3. D. Bonau. *in* 1. *diſt.*8.*artic.*1.*q.*2. Toletanus *diſt.*2.*q. vnica art.*4. Argentinas *diſt.*3.*q.*1.*ar.*3. Carthuſ. *queſt.*2. & alij.

Digitized by Google

11 Tertia ſententia aſſerit, eſſe per ſe notum ſecundum ſe, non autem quoad nos. Ita Diuus Thoma 1. *parte quæſtione* 2. *articolo* 1. Caietanus, Banes, Peſantius, Cumela, Molina, Vaſquez *ibidem*. Faſolus *dubitatione* 3. Durandus *in* 1. *diſtinctione* 3. *quæſtione* 2. Ocham. *quæſtione* 4. Gabriel *artic.* 2. Baſſolis *quæſtione* 2. Scotus *diſtinctione* 2. *quæſt.* 2. & alij.

12 Dico primò. *Quod Deus ſit concipiendo ex vna parte Deitatem, & ex alia exiſtentiam, eſt per ſe notum*. Probatur. Illa eſt propoſitio per ſe nota, in qua extrema immediatè connectuntur; exiſtentia autem immediatè per ſe ipſam connectitur cum Deitate, quia includitur in intrinſeca ratione quidditatiua ipſius.

13 Dico ſecundò. *Si Deus accipiatur ſub ratione primæ cauſæ, quod ſit, eſt propoſitio per ſe nota*. Probatur. Exiſtentia ratione primæ cauſæ ſe habet immediatè, ita vt ex ſola penetratione extremorum appareat connexio, ergo. Antecedens probatur. Eo ipſo, quod eſt prima cauſa, eſt cauſa per eſſentiam, & à ſe, eſſe autem vim cauſatiuam per eſſentiam ex intrinſeca ſua ratione dicit exiſtentiam, nam eſſe per eſſentiam, eſt habere eſſe à ſe. Confirmatur. Quod eſt per eſſentiam, ex intrinſeca ſua ratione habet, quod ſit, ergo cum prima cauſa ſit talis per eſſentiam, debet illi conuenire exiſtere ratione propriæ quidditatis.

14 Dices. Conuenire exiſtere ratione Deitatis, cum qua identificatur, quæ eſt ratio eſsendi omnibus perfectionibus, quæ ſunt in Deo. Contra. Tota Deitas habet per ſe ipſam immediatè, & quidditatiuè exiſtentiam, ergo etiam ratio primæ cauſæ, quæ eſt aliquid de Deitate. Secundò quando concipitur Deus ſub ratione primæ cauſæ, concipitur ſub ratione virtutis omnino independentis, & potentis cauſare, ergo ex penetratione illius, quod concipitur, abſque eo quod concipiatur Deitas, concipitur exiſtentia, quia ſine ipſa non ſaluatur ratio primæ cauſæ independentis, & potentis cauſare.

15 Dico tertiò. *Deum ſub ratione primæ cauſæ exiſtere, eſt per ſe notum nobis*. Deſumitur ex Patribus, dum docent, Dei cognitionem eſse nobis inſitam, & naturalem, quod non poſset ſaluari, niſi Deum exiſtere ſub aliquo conceptu, quem de ipſo formamus, eſset per ſe notum nobis. Probatur. Illud eſt per ſe ipſum notum nobis, quod ex penetratione terminorum abſque alio medio cognoſcimus, cognita autem ratione primæ cauſæ, & exiſtentiæ, ſtatim cognoſcimus primam cauſam exiſtere, ergo minor prob. Nõ poſſumus cõcipere primam cauſam, niſi concipiamus omnino independentem, non poſsumus autem concipere, niſi concipiamus exiſtentem.

16 Dices Exiſtentia Dei ſub ratione primæ cauſæ colligitur ex diſcurſu, ergo non eſt per ſe nota. Contra. Quia etiam definitio colligitur ex diſcurſu, nam ex ſignis, & affectibus venimus in cognitionem conceptus eſſentialis rei, & tamen cum predicatur de definito, eſt propoſitio per ſe nota. Secundo diſcurſus à poſteriori non tollit immediationem propoſitionis, diſcurſus autem, quo cognoſcimus exiſtentiam primæ cauſæ, eſt à poſteriori.

17 Obijcies. Plures etiam ſapientes negauerunt Deum eſse; & aliqui populi nullam habuerunt cognitionem de Deo, ergo. Quod ſit non eſt per ſe notum nobis. Reſpondetur negando conſequentiam, nam inſipienter negarunt, Quia non penetrabant, quid nomine Dei ſub ratione primæ cauſæ ſignificaretur, aut ſaltem id ignorabant quoad actualem conſiderationem, quia lumen naturale erat obſeruatum ab inordinatis paſſionibus. Illi autem populi non habuerunt cognitionem de Deo, quia non fuit propoſitum obiectum. Sic ſi alicui non proponatur, quod omne totum eſt maius ſua parte, hoc non cognoſcit.

18 Obijcies ſecundo. Prima cauſa non poteſt cognoſci, niſi cum ordine ad creaturas, ergo ſemper cognoſcitur ex creaturis. Reſpondetur negando conſequentiam, nam aliud eſt cognoſci ex creaturis, & aliud cognoſci ſimul cum creaturis tanquam cum termino; hoc poſteriori modo creaturæ non ſe habent vt medium cognitionis.

19 Ad Primum reſpondetur. Propoſitionem per ſe notam debere per ſe innoteſcere penetratis terminis; & terminos debere poſse naturaliter penetrari; Secus autem non penetratis terminis; huiuſmodi autem eſt iſta propoſitio *Deus eſt*, ſumendo Deum ſub ratione primæ cauſæ.

Inſtabis. Vt propoſitio ſit per ſe nota, debet ſubiectum cognoſci quidditatiuè, Deus autem non cognoſcitur quidditatiuè in hac vita. Reſpondetur negando maior, ſufficit enim, ſi cognoſcatur, prædicatum eſse de quidditate ſubiecti, atque adeo ſufficit, ſi de ipſo attingatur illa ratio, per quam ſibi connectit prædicatum, ratio autem primæ cauſæ immediatè ſibi connectit exiſtentiam.

20 Ad 2. Negatur antecedens. Nam eſse connectitur immediatè cum ratione primæ cauſæ; quod autem aliqui dubitarunt, An detur prima cauſa, id fuit ex illorum inſipientia.

An poſſit à priori de Deo demonſtrari exiſtentia.

SECTIO III.

21 PRima ſenteutia aſserit, quod ſuppoſita demonſtratione à poſteriori, poteſt rurſus à priori demonſtrari, Deum eſse. Ita Suarez *in metaphiſica diſp.* 29. *ſect.* 3. Fundamentum eſt. Quia poteſt demonſtrari à poſteriori, quod Deus ſit ens neceſsarium, ex hoc autem oſtendi poteſt, hoc ens neceſsarium eſse vnicum, atque adeo eſse Deum.

22 Secunda ſententia aſserit, Beatos poſse demonſtrare à priori, quod Deus exiſtat. Ita Scotus *in* 1. *diſt.* 2. *q.* 2. Rubio *q.* 1. *art.* 2. Ocham. *diſt.* 3. *q.* 4. Gabriel *q.* 4. *art.* 2. Arim. *q.* 4. Eſtillius *lib.* 1. *tract.* 8. *cap.* 4. Smiſing. *tract.* 1. *de Deo vno diſp.* 1. *q.* 5. Fundamentum eſt. Quia beati habent quidditatiuam, & definitiuam cognitionem Dei, ergo poſsunt per ipſam demonſtrare exiſtentiam tanquam modum.

23 Tertia ſententia abſolutè negat. Ita Albertus *in ſumma tract.* 3. *q.* 17. Henricus *in ſumma art.* 22. *q.* 4. Richardus *in* 1. *diſt.* 3. *art.* 1. *q.* 3. Peſantius 1. *p. q.* 2. *art.* 2. Faſolus *dubit.* 1. & alij.

24 Dicendum eſt. *Non poſſe exiſtentiam vllo pacto demonſtrari de Deo à priori*. Probatur. Non poteſt ex natura obiecti aſſignari ratio, quæ ſit radix exiſtentiæ, ergo. Antecedens probatur. Exiſtere in Deo habetur formaliter per primum conceptum ipſius, primus enim conceptus importat rationem entis, non quocumque modo, ſed pro vt eſt propria Dei. Hæc autem eſt ratio entis per eſsentiam, quæ formali modo in ſuo conceptu importat exiſtentiam.

25 Dices. Eſsentiam præcedere attributa cum ſua exiſtentia, atque adeo ſicut poſsunt demonſtrari attributa, poſse etiam demonſtrari exiſtentiam attributorum. Contra. Quia hoc non eſt demonſtrare exiſtentiam de Deo, ſed illa ſuppoſita, demonſtrare etiam exiſtentiam attributorum.

26 Dices 2. Prima cauſa exiſtit, eſt propoſitio per ſe nota, ergo ex ipſa poteſt demonſtrari, quod Deus exiſtat, quia Deus eſt prima cauſa. Contra. Cum dicitur, Deus eſt prima cauſa, vel nomine Dei intelligitur ſola ratio primæ cauſæ; & ſic minor propoſitio erit identica, videlicet. *Prima cauſa eſt Prima cauſa*, & medium erit etiam extremum, vel intelligitur aliquid aliud, & tunc quod ſignificatur debet importare conceptum determinatum, & proprium Dei, hic autem conceptus erit aliquid per eſsentiam, vndè imbibet exiſtentiam, quæ intimè imbibitur in quacunque ratione Diuina, atque adeo non illi conueniet exiſtentia reſpectu primæ cauſæ, ſed immediatè.

27 Ad

Digitized by Google

27 Ad Fundamentum primæ ſententiæ negatur ſecunda pars antecedentis. Nam eo ipſo, quod intelligitur Deus vt ens neceſſarium, intelligitur etiam formaliter vt exiſtens, & ideo non poteſt eſſe medium demonſtrationis.

28 Ad Fundamentum ſecundæ ſententiæ negatur conſequentia. Nam quidquid attingitur per illam quidditatiuam cognitionem; attingitur cum exiſtentia ſibi intrinſeca, & ideo non poteſt eſſe medium demonſtrationis.

An Dei exiſtentia poſſit demonſtrari à poſteriori.

SECTIO IV.

29 Ratio dubitandi eſt, quia ex creaturis non poteſt aliqua perfectio propria Dei colligi, niſi quatenus ab ipſis participatur, ergo ſi aliqua perfectio poteſt demonſtrari, poterit etiam omnis, quia omnis eſt participabilis; atque adeo haberi poterit definitiua cognitio Dei, quod implicat. Secundò. Quia habitudo effectus ad cauſam non cognoſcitur neceſſariò cognito effectu, vnde plures effectus cognoſcimus, quorum cauſas ignoramus. Tertiò. Demonſtratio debet fundari in connexione neceſſaria; connexio autem creaturæ cum Deo eſt contingens. Quarto. Adhuc demonſtrationi debet ſupponi ſimplex notitia de ſubiecto, ergo cum ante diſcurſum, quo à creaturis progredimur ad Deum, non ſupponatur ſimplex notitia de ipſo, talis diſcurſus non erit demonſtratio.

30 Prima opinio negat, Dei exiſtentiam poſſe à poſteriori demonſtrari. Ita Baſſolis *in* 1. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 3. Adamus *quæſtione vnica*. Carthus *artic.* 2. Gabriel *quæſt.* 10. *artic.* 3. *dub.* 1. Allicenſis *quæſt.* 3. *art.* 2. & nonnulli alij, qui putant, ideo non poſſe demonſtrari, Deum eſſe, quia eſt per ſe notum, vt Argentinas *in* 1. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 1. *artic.* 2. *ad ſecundum*, & Aegidius *parte prima quæſt.* 1. *art.* 3.

31 Secunda opinio eſt affirmatiua. Ita D. Thomas *prima parte quæſtione* 2. *artic.* 2. Caietanus, Peſantius, Banes, Cumel, ibidem. Vaſquez *diſput.* 20. Faſolus *dubitat.* 2. Herueus *in* 1. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 2. Hiſpalenſis *quæſtione* 3. Palatius *quæſtione* 1. Scotus *quæſtione* 3. Aureolus *quæſtione* 2. *articolo* 3. Suarez *in metaphyſica diſput.* 29. *ſection.* 2. Smiſing. *tract.* 1. *De Deo vno diſput. prima quæſtione* 4. *&* 6. & alij plures.

32 Dico primo. *De fide eſſe, Deum eſſe naturaliter cognoſcibilem ex creaturis*. Ita communiter Patres. Probatur ſapientiæ 13. *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri*. Actorum 14. *Non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit benefaciens de Cælo, dans pluuias, &c.* Ad Romanos 1. *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtauit; inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur, ita vt ſint inexcuſabiles, &c.*

33 Dico ſecundo. *Licet de fide non ſit Dei exiſtentiam eſſe demonſtrabilem à poſteriori, eſt tamen de fide cognoſci cognitione moraliter certa, & infallibili.* Probatur. Quia Apoſtolus habet, homines eſſe inexcuſabiles, quod Deum non glorificent; quod non haberet locum, niſi Deus cum infallibilitate morali cognoſceretur; quia, ſi tantum probabiliter, ſemper intellectus eſſet dubius, & poſſet homo excuſari. Quia non poſſet dici quod eius exiſtentia eſſet manifeſta. Confirmatur. Quia ſcriptura vtitur verbis ſignificantibus euidentiam, & cadunt ſupra obiectum, quod eſt euidenter cognoſcibile. Confirmatur ſecundò. Quia Scriptura ſignificat quandam neceſſitatem, qua intellectus cogitur ad cognitionem Dei, & hoc docent communiter Patres.

34 Dico tertio. *Eſſe à poſteriori demonſtrabilem Dei exiſtentiam*. Probatur. Creaturæ exiſtentes ita dependent eſſentialiter à Deo, vt impoſſibile ſit exiſtere ſine Deo producente, & conſeruante, ergo.

35 Dices de fide eſſe, Deum exiſtere, & ideo non poſſe demonſtrari. Reſpondet Diuus Thomas. Eſſe de fide reſpectu illorum, qui non poſſunt peruenire ad cognitionem, per demonſtrationem. Reſpondetur ſecundo iuxta noſtra principia, fidem non repugnare ſimul cum demonſtratione.

36 Ad Primam rationem dubitandi negatur conſequentia, nam non omnes perfectiones Diuinæ participantur à creaturis, & ideo non poſſunt omnes colligi ex ipſis. Ad ſecundam. Cognito effectu neceſſariò cognoſci cauſam ipſius exiſtere, licet multoties nos lateat, quænam illa ſit; Ex omnibus autem effectibus colligitur neceſſariò exiſtentia cauſæ vniuerſalis, & hæc eſt Deus: Ad tertiam Creaturas exiſtentes contingenter quidem exiſtere, attamen poſita exiſtentia ob eſſentialem dependentiam, qua dependent à Deo; habere cum ipſo neceſſarium connexionem, vndè exiſtentia eſt contingens; connexio vero cum prima cauſa eſt neceſſaria, quia non radicatur in exiſtentia præcisè, ſed in eſſentia creaturæ. Ad quartam notionem ſubiecti præſupponi in demonſtratione à poſteriori, quia in hac cognita dependentia effectus, acquiritur cognitio cauſæ.

Quomodo demonſtretur Deum eſſe.

SECTIO V.

37 Plures rationes ſolent afferri ab auctoribus, quarum tamen aliquæ infirmæ ſunt, vera autem demonſtratio deſumitur à ſubordinatione cauſarum, & nititur duobus principijs naturali lumina euidentibus. Primum eſt. *Quid quid producitur, ab alio producitur*; Alterum vero. *In cauſis efficientibus ſubordinatis non poſſe dari proceſſum in infinitum*, Vnde ſic conficitur demonſtratio. In cauſis ſubordinatis efficientibus non poteſt progredi in infinitum; ſed in hoc rerum ordine, & experientia patet, datur ſubordinatio cauſarum, quarum nulla poteſt producere ſe ipſam, ergo ſiſtendum in aliquo prima improducta. Primum principium declaratur per deductionem ad impoſſibile. Quia, ſi idem poſſet producere ſe ipſum, ſequeretur idem eſſe, & non eſſe, aſſignato enim eodem inſtanti, eſſet in illo, quia produceret, quod enim producit eſt, ita vt in priori naturæ ſupponatur eſſe, quod vero producitur, in priori naturæ ſupponitur non eſſe. Secundum vero principium declaratur eodem pacto. Quia ſi in cauſis ſubordinatis progrederetur in infinitum, ſequeretur, quod tota collectio cauſarum eſſet dependens, quia nulla adeſſet prima independens, à qua ceteræ dependerent. Rurſus etiam tota eſſet independens, quia nulla eſſet cauſa, à qua tota illa collectio dependeret. Confirmatur. Nulla cauſa poſſet operari, quod enim in operando dependet ab alio, indiget ipſo, ita vt abſque eo non poſſit operari, ergo ſi progreditur in infinitum, ſingulæ cauſæ erunt dependentes, atque adeo indigentes, ergo cum non ſit, qui ſuppleat indigentiam, nullo poterit operari. Confirmatur Secundo. Si datur proceſſus in infinitum, omnes illę cauſę infinitę non terminerentur aliqua prima, ergo omnes eſſent mediæ, & haberent aliam ſuperiorem, à qua dependerent, ergo nulla eſſet cauſa, quia nulla poſſet incipere cauſationem ex eo, quod non poſſet incipere à ſe.

38 Dices. Omnes ſingillatim eſſe medias, non autem

Digitized by Google

autem omnes collectiuè, quia ſuper omnes infinitas non datur aliqua prima, à qua incipiant dependere; qualibet enim aſſignata, adeſt ſuperior mouens, & inferior mota. Contra. Quando prædicatum eſt eſſentiale, ſi conuenit omnibus diſtributiuè, conuenit etiam vti collectioni. Sic Quia homini conuenit eſſe rationalis eſſentialiter, conuenit etiam toti collectioni, eſſe autem cauſam mediam, & independentem, eſt prædicatum eſſentiale, ergo cum conueniat omnibus cauſis diſtributiuè, conuenit etiam toti collectioni.

39 Dices ſecundò. Non eſſe euidens, dari hanc eſſentialem ſubordinationem. Contra Euidens eſt dari cauſas deficientes, quæ ab aliquo accipiunt eſſe. Rurſus eſt etiam euidens, Quando incipiunt, præſupponere ſuum non eſſe, atque adeo non poſſe ex ſe ipſis ſe promouere ad eſſe; quia ſicuti, ante quam ſint nullum habent eſſe, ita neque habent, vndè ſe promoueant ad eſſe, ſed merè potentialiter ſe habent, ergo debet dari aliqua cauſa, à qua promoueantur ad eſſe, quæ non ſit potentialis, ſed per eſſentiam exiſtat.

40 Dices tertiò. Speciem poſſe ſe promouere ad eſſe quò ad ſua indiuidua. Contra. Vel ſpecies habet eſſe potentiale eſſentialiter, vel eſt actus purus. Si primum, indiget alio, non ſecus ac indiuidua. Si ſecundum, ergo eſt Deus.

41 Dices quartò. In cauſis infinitis ipſam infinitatem præſtare, quod præſtat cauſa prima in cauſis finitis. Contra. Infinitas pertinet ad numerum cauſarum, non autem ad eſſentiam, ergo non tollit, quin ſingulæ cauſæ potentialiter ſe habeant, quia eſſe cauſam potentialem, & dependentem, pertinet ad eſſentiam, ergo extra totam collectionem infinitam cauſarum, adhuc debet dari cauſa prima independens. Hæc autem ratio valet etiam ſuppoſita mundi æternitate, quia adhuc tota collectio rerum, quæ ponitur ab æterno, debet importare aliquam cauſam primam independentem, quæ res alias extrahat à ſua potentialitate.

DE MODO, QVO DEVS cognoſcitur.

DISPVTATIO VIII.

Quibus modis Deus cognoſcatur.

SECTIO I.

1 DEum cognoſci quò ad exiſtentiam ex creaturis, patet ex dictis, quia autem creaturæ participant à Deo ſuas perfectiones, ideo ex ipſis poſſumus aſcendere ad cognitionem perfectionis Diuinæ, vt docet D. Auguſtinus *in Pſalmus* 26.

2 Supponendum autem eſt. Quod cum Deus ſit ipſum eſſe per eſſentiam, atque infinito modo ſe habens, non poteſt à nobis perfecto modo concipi; quia ſemper excellentiori modo ſe habet, quam à nobis concipiatur, cum per imagines rerum creatarum formemus noſtros conceptus.

3 Supponendum ſecundum. Quod quando res aliqua non poteſt per propriam ſpeciem cognoſci, duplici via poteſt ipſius natura explicari. Prima eſt per remotionem, qua remouentur ab ipſa, quæ non conueniunt. Secunda eſt per affirmationem, qua tribuuntur, quæ conueniunt, & ducit in cognitionem poſitiuo modo.

4 Supponendum tertiò. Deum poſſe cognoſci per affirmationem tripliciter. Vel quia perfectiones; quæ ſunt in creaturis tribuantur ipſi formali modo ſecundum eandem rationem vel quia tribuantur modo ſupereminentiali. Vel denique modo cauſali, quia videlicet ſit in ipſis vis cauſatiua talium perfectionum.

5 Dico primò. *Poſſe Deum cognoſci per viam negationis remouendo ab ipſo, quæ ſunt in creaturis.* Ita docet D. Dionyſius *cap. 7. de Diuinis nominibus*, & *cap. 2. de Cæleſti hierarchia*. Probatur. Quia verè hoc modo exprimitur quoddam eſſe excellens, dum quæ minus ſunt excellentia ab ipſo remouentur.

6 Dico ſecundò. *Cognoſci etiam ex creaturis per viam cauſalitatis, ita vt in ſe habeat ſecundum rationes cauſales, quod creaturis communicat.* Ita D. Dionyſius *cap. 2. de Diuinis nominibus*. Vbi habet. *Diuina omnia, etiam quæ nobis patuerunt, ſolis participationibus cognoſcuntur.* Probatur. Quia omnis effectus debet contineri in ſua cauſa, & cauſa debet importare perfectionem, per quam contineat effectum.

7 Dico tertiò. *Poſſe Deum cognoſci etiam per viam ſupereminentiæ, ita vt quæ ſunt in creaturis, ponantur in ipſo modo ſupereminentiali.* Ita D. Dionyſius *cap. 1. De Diuinis nominibus*. Probatur. Quia infinitas afficit quamcumque perfectionem Diuinam, & ideo extollit ad eminentiam infinitè excellentem omnem perfectionem creatam.

8 Dico quartò. *Perfectiorem eſſe modum cognoſcendi Deum per negationem, quam per affirmationem.* Ita D. Auguſtinus *lib. 5. de Trinitate cap. 1.* Ciprianus *de operibus cardinalibus in prologo*. Damaſcenus 1. *De fide cap. 4. & 12.* S. Maximus *Centuria ſecunda theologica cap. 3.* Nazianzenus *orat. 2. de Theologia*. Dyoniſius *cap. 2. de cæleſti hierarchia*, & *cap. 1. de miſtica Theologia*. Probatur. Quod de Deo negatur, cum omni proprietate negatur; quod vero affirmatur, non affirmatur cum omni proprietate, quia affirmatur ſecundum id, quod eſt in noſtro conceptu, modo videlicet finito, ergo. Quando per negationes explicamus Deum, ſignificamus aliquid ita excellens, vt non poſſit explicari per perfectiones, quas negamus, & proindè explicatur illa ſupereminentia diuinę perfectionis.

An poſſit Deus quidditatiuè cognoſci.

SECTIO II.

9 CVm pro hoc ſtatu non habeamus cognitionem Dei per propriam ſpeciem, quæſtio procedit tantum de cognitione quidditatiua, quæ acquiritur per diſcurſum, hæc autem poteſt eſſe adæquata, & inadæquata. Adæquata non eſt nobis poſſibilis, quia creaturæ non repræſentant Deum adæquate, Vnde difficultas in hoc conſiſtit, An conceptus illi, quos de Deo formamus, ſint quidditatiui.

10 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Scotus *in* 1. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 2. Lichetus, & Tartaretus *ibidem*. Mayronus *quæſt.* 1. Ockamus *quæſt.* 2. *Conc.* 2. Eurandus *quæſt.* 2. Rub. *quæſt.* 3. Ariminenſis *quæſt.* 4. Faſſolis *quæſt.* 1. *art.* 3. Gabriel *quæſt.* 3. *art.* 2. & communiter. Probat. Cognoſcimus de Deo, quod eſt ipſi maximè proprium, vt quod ſit ens per eſſentiam, & alia eiuſmodi, ergo. Secundo attingimus attributa, quæ ex natura ſua non poſſunt attingi, niſi attingatur eſſentia tanquam radix ipſorum, dum autem attingitur eſſentia, attingitur id, quod eſt maximè quidditatiuum.

11 2. Sententia negat. Ita D. Tho. 1. *p. q.* 12. *art.* 2. Caiet. *ibidem*

Digitized by Google

ibidem & de ente,& eſſentia cap.6. Ferrarienſis *3.contra gentes c.45.* Capreolus *in 1. diſt.2.q.1.* Alenſis *1.p.q.2. mem.1.art.2.& 5.* Suarez *in meta.diſp.30.ſec.12.& alij.*

12 Notãdũ primo. Poſſe nos habere cõceptum propriũ de Deo, vt eſt cõceptus entis per eſſẽtiã; hic tamẽ cõceptus nõ eſt purus, ſed mixtus cum eſſe creato, quia habetur per ſpecies rerum creatarum; vndè ita eſt proprius Dei, vt tamen improprio modo repręſentet, quia repręſentat aliquid, quod ex ſua natura non eſt veræ repræſentatio illius; &, cum tota illa repræſentatio ſit deſumpta à rebus creatis, dimminuto modo ſe habet, atque adeo aliter repręſentat, quam obiectum ſe habeat in ſe ipſo.

13 Notandum 2. Conceptũ poſſe eſſe quidditatiuum ex duplici capite, videlicet, ratione obiecti, quia in ipſo attingat aliquid quidditatiuum; vel etiam ratione modi repręſentandi, quia videlicet quidditatiuo modo repræſentet, non poteſt autem eſſe perfectè repręſentatiuus, niſi etiam ſit talis ex parte modi repręſentãdi, quia, ſi nõ repræſentat quidditatiuo modo, ſe habet ac ſi non eſſet quidditatiuus.

14 Notandum 3. Certum eſſe, nos attingere aliquid quidditatiuum in Deo, quia attingimus id, per quod in eſſe Dei conſtituitur, vndè ſolum difficultas eſt, An attingamus quidditatiuo modo.

15 Dicendum eſt. *Nos non attingere quidditatiuo modo perfectiones diuinas.* Probatur. Perfectior eſt modus cognoſcendi Deum per negationem, quàm per affirmationem, vt docent Patres *ſectione pręcedenti* citati; hoc autem eſſet falſũ, ſi per conceptus poſitiuos quidditatiuo modo cognoſceremus, hinc Gregorius *l.1.in Ezech.hom. 8.* ait. *Quantumcunque mens noſtra in contemplatione Dei profecerit, non ad illud, quod ipſe eſt, ſed ad illud, quod ſub ipſo eſt, attingit.* Si autem attingeremus quidditatiuo modo, attingeremus id, quod eſſet ipſe Deus. Confirmatur. Etiam ſi formemus plures conceptus proprios Dei, non tamen attingimus in ſe, quid ſit illud, quo fiunt proprij ipſius, niſi confuſo modo. Sic, cum attingimus infinitatem, non illam attingimus in ſe diſtinctè, ſed tantum confusè, & eam explicamus per negationem termini, ergo non attingimus quidditatiuo modo, quia cognitio quidditatiua repræſentat diſtinctè.

16 Ad 1. Nos cognoſcere quod eſt maximè proprium Dei; ſed non quidditatiuo modo. Ad 2. Nos attingere eſſentiam vt radicem attributorum, ſed non quidditatiuo modo, cum attingamus per alienum conceptum.

DE ESSENTIA DEI.

DISPVTATIO IX.

An Deus ſit ens à ſe.

SECTIO I.

1 Eſſe à ſe dupliciter accipi poteſt. Poſitiuè, & negatiuè. 1. Modo importaret, quod Deus eſſet à ſe per poſitiuum influxum, atque adeò ſe ipſum produceret. 2. Modo dicit, quod ita ſit à ſe, vt excludat cauſam, à qua accipiat eſſe; quod, licet explicetur per aliquid negatiuum, importat tamen poſitiuum fundamentum, videlicet Ens ſummè neceſſarium.

2 Dico 1. *Deum non eſſe à ſe poſitiuo modo, ita vt ſe ipſum producat.* Ita communiter, & deſumitur ex D. Anſelmo *cap.28. Monologij.* Baſilio *1.contra Eunom.* Bernardo *5.de conſideratione c.1.* & alijs. Probatur. Idem ſecũdum idem non poteſt eſſe in actu, & in potentia, ita vt ſit in illa potentia, quæ tollit eundem actum, alioquin idem eſſet, & non eſſet, ergo non poteſt Deus eſſe principium effectiuũ ſui ipſius, quia, pro vt principium, eſſet; quod enim non eſt, non poteſt principiare, quia principiare dicit communicare eſſe; vndè ſupponitur quod eſſe communicatũ cõtineatur in communicante. Rurſus pro vt eſſet à principio, non eſſet in actu; quia, quod accipit actum eſſendi, ſupponitur illum non habere.

3 Dices. De facto in Diuina vna perſona producitur ab alia, & tamẽ habent idem eſſe, nec ſequitur, quod idem ſit, & non ſit. Reſpondetur. Productionem perſonæ non eſſe ſecundum naturam, ſed ſecundum perſonam, alioquin eſſent diſtinctæ naturæ, nos autem loquimur de Deo conſiderato ſecundum naturam.

Inſtabis. Perſona Diuina ſecundum eſſe perſonæ producitur, & tamen non ſequitur, quod ſit, & non ſit ſecundum eſſe perſonæ, ergo. Reſpondetur, nego conſequentiã. Quia eſſe perſonæ eſt ipſum eſſe eſſentiæ, & ideo perſonalitas, quæ eſt terminus formalis productionis, ita producitur, vt non præſupponatur non eſſe, cum ſit ens entitate eſſẽtiæ. At ſi Deus produceretur ſecundũ deitatẽ, cũ deitas nõ ſit ens entitate alterius, pręſupponeretur nõ eſſe.

4 Dico 2. *Deum eſſe à ſe negatiuè.* Eſt de fide. Probatur. Exodi *3. Ego ſum, qui ſum*; hoc eſt. *Ego ſum*, qui habeo eſſe à me, vt communiter Patres. 2. Si Deus non eſſet à ſe, haberet cauſam, à qua acciperet eſſe; hoc autem implicat, quia Deus eſt prima cauſa, ita vt ſupra ipſam non ſit alia cauſa.

5 Dico 3. *Eſſe à ſe ne dum conuenire diuinæ eſſentiæ vt præciſę ab attributis, ſed etiam omnibus attributis.* Probatur. Eſſe à ſe, & non eſſe à ſe contradictoriè opponuntur, atque adeo vnum ex ipſis debet vnicuique enti conuenire, ergo ſi attributa nõ ſunt à ſe, debẽt eſſe ab alio, ergo haberẽt eſſe participatũ. Confirmatur. Etiãſi attributa ponãtur diſtingui ab eſſentia formaliter ex natura rei, adhuc identificantur cum ipſa, ergo ſicut eſſentia non poteſt eſſe ab alio ſecũdũ ſuã entitatẽ, ita nec attributa. Confirmatur 2. Eſſe ab alio, & non eſſe ab alio ſunt differentiæ importantes infinitam diſtantiam, quia eſſe ab alio importat dependentiam, atque adeo limitationem. Eſſe autem à ſe importat independentiam, atque infinitatem; limitatum autem, & infinitum differunt infinita diſtantia, quod non poteſt conuenire attributis, & eſſentiæ.

6 Dico 4. *Eſſe à ſe importare differentiam diſtinguentem diuinum eſſe ab eſſe creato.* Ita Niſſenus *de opificio hominis cap.16.* Probatur. Quia per hoc quod Deus ſit ens à ſe, conſtituitur in eſſe ſupremo, ita vt ſecundum hoc incommunicabiliter omnino ſe habeat, non poteſt enim alteri comunicare, quod ſit à ſe, nam hic modus eſſendi deſtruitur per communicationem.

7 Dices. Differentia debet eſſe vltima, ita vt superueniat omnibus alijs gradibus, eſſe autem à ſe non eſt vltima ratio Deitatis. Reſpondetur, nego anteced. Nam natura differentiæ ſaluatur per id, quod faciat differre. Eſſe autem à ſe facit differre Deum à creaturis. Et ſolum differentia debet eſſe vltimus gradus, quando ſupponit conuenientiam in cæteris. Sic etiam homo differt ab albedine per rationem ſubſtantiæ. Hinc eſſe à ſe in Deo eſt quædam ratio differentialis tranſcendentalis, quæ imbibitur in omnibus perfectionibus diuinis. Inſtabis. Sequeretur, quod creata, & diuina æquiuocè ſe haberent; vndè non poſſemus ex creaturis arguere ad increata. Reſpondetur, nego ſequelã, nã omnia diuina ſunt quidẽ diuerſa à creaturis ſecundum ſubſtantiam, ſed diuerſitate ſupereminentiæ, cum qua ſtat, vt quod dicimus de vno, poſſimus etiam dicere de alio habita ratione huius ſupereminentiæ; æquiuoca autem non importat diuerſitatem ſupereminentiæ, ſed æqualitatis, quæ dicit, quod res differant ſecundum æqualem menſuram eſſe limitati.

8 Dices 2. Aliqui Patres docent, Deum eſſe ſibi cauſam eſſendi, ergo. Reſpondetur. Ita loqui, vt indicent, quod Deus non habet cauſam; vnde idem eſt, ac ſi dicatur, quod Deus præſtat ſibi ipſi proportionaliter formali modo, quod præſtat cauſa reſpectu cauſati.

Digitized by Google

An Deus ſit ens per eſſentiam.

SECTIO II.

9 Eſſe ens per eſſentiam ſignificat, quod exiſtentia pertineat ad eſſentiam. Eſt autem ſupponendum, Deum eſſe ens ſummè neceſſarium, quia cum ſit à ſe, & non habeat extrinſecam cauſam, oportet, quod habeat ſummam neceſſitatem eſſendi excludentem omnem poſſibilitatem non eſſendi.

10 Prima ſententia aſſerit, exiſtẽtiam nõ eſſe de eſſentia Dei, ſed eſſe modum intrinſecum ex natura rei diſtinctum, & ideo conuenire Deo ſolum in ſecundo modo dicendi per ſe. Ita Mayron. *in 1.diſt.2.q.1.art.2.* Bargius, & Trombetta *eadem diſtinctione*. Probant. Si Eſſentia Dei includeret in ſua intrinſeca ratione exiſtentiam, quæ eſt quid commune creaturis, ergo non eſſet primò diuerſa ab ipſis, nec ſimpliciter ſimplex. ergo, 2. Exiſtentia ita aduenit eſſentiæ, vt non variet formalem rationem ipſius. ergo, 3. per infinitatem poteſt à priori demonſtrari, quod Deus exiſtat. ergo, 4. Quia eſſet etiam de eſſentia attributorum, & relationum, nam, & ipſa ſunt actus purus, & ens neceſſarium 5. Quia eſſet etiam de eſſentia creaturę, nam quando aliqua conueniunt in communi ratione, ſi communis ratio eſt eſſentialis vni, eſt etiam eſſentialis alteri.

11 Secunda ſententia aſſerit, eſſe de quidditate Diuinę eſſentiæ. Ita D. Thoma *1.p.q.3.art.4.* Caietanus; Banes, Cumel, Peſantius *ibidem* Molina *diſput.1.* Faſolus *dub.1.* Scotus *in 1.diſt.2.q.2.* Lichetus *ibidem*. Aegidius *diſt.3.p.1.art.2.* Eſtius *lib.2.trac.1.cap.5.* Suarez *lib. 1. de Deo vno c.2.* Ledeſma *in quæſt. radicali de Diuina perfectione*. Smiſing. *trac.1.de Deo vno diſput.2.q.1.* & communiter.

12 Dicendum eſt. *Deum eſſe eſſentialiter ſuumetipſum eſſe, atque adeo exiſtentiam eſſe de quidditate Diuinæ eſſentię.* Hanc concluſionem ferè communiter tam Patres, quàm Scholaſtici putant eſſe de fide ex illo Exodi 3. *Ego ſum, qui ſum*, & traditur à D. Bernardo 5. *De Conſideratione cap.6.* Damaſceno 1. *de fide cap.12.* Hilario 1. *de Trinitate* Athanaſio *oratione contra Idola*. Auguſtino 12. *de Ciuitate cap.2.* & *de cognitione veræ vitæ c.7.* Nazianzeno *oratione de fide*, & *oratione 3. de Theologia*. Hieronymo *in 3. Ad Epheſios*. Gregorio Magno *lib.18. Moralium cap.34.* Et alijs. Probatur. Deus eſt ens neceſſarium, ita vt non poſſit non eſſe, ergo exiſtit exiſtentia ſibi eſſentiali. Conſequentia probatur. Si exiſtentia non eſſet eſſentialis, quantum eſt ex vi ſuæ eſſentiæ præciſè, poſſet eſſe, & non eſſe, ergo quantum eſt ex vi ſuæ eſſentiæ non eſſet ens neceſſarium. Confirmatur. Repugnat Deo habere cauſam ratione ſuæ eſſentiæ, ergo in ſua eſſentia importat id, per quod formaliter excluditur indigentia cauſæ hoc autem non eſt aliud, quam exiſtentia.

13 Dices. Sufficere, ſi habeat exiſtentiam ſibi identificatam, & neceſſariò connexam. Contra. Quia adhuc ratione eſſentiæ præciſè non eſſet ens neceſſarium excludens indigentiam cauſæ. 2. Si eſſentia præciſè conſiderata non diceret formaliter exiſtentiam, potentialiter ſe haberet, quod repugnat eſſentiæ diuinæ, cum ſit actus purus. 3. Exiſtentia eſt identificata eſſentiæ, & non conuenit ratione cauſæ extrinſecæ, ergo eſſentialiter, quia, cum eſſentia ex ſua præciſa ratione non indigeat cauſa extrinſeca promouente ad eſſe, oportet, vt ex ſe habeat exiſtentiam, ratione cuius excludat hanc indigentiam.

14 Obijcies. Alia eſt quæſtio, *An Deus ſit*, & alia, *Quid ſit*, hoc autem non haberet locum, ſi exiſtentia eſſet de eſſentia Dei. Reſpondetur. Ideo eſſe diuerſam quæſtionem, quia cum Diuina eſſentia ſit infinita, non poſſumus vno conceptu eam explicare, ſed cogimur formare diuerſos conceptus inadæquatos, & ſecundum hos alia eſt quæſtio *An ſit*, & alia, *Quid ſit*, & ideo ſolum ſequitur, quod ſecundum noſtrum modum concipiendi inadæquatum alia ſit exiſtentia, & alia eſſentia; non autem quod exiſtentia non ſit de quidditate eſſentiæ.

15 Dicendum 2. *Exiſtentiam neque ratione diſtingui ab eſſentia completo conceptu*. Probatur. Si diſtingueretur, oporteret ſaluare eſſentiam ſine exiſtentia, vt contingit in creatis; hoc autem implicat, quia exiſtentia conſtituit ipſam eſſentiam, cum eſſentia in ratione eſſentiæ ſit actus purus.

16 Ad 1. Negatur ſequela. Nam ex eo, quod exiſtentia eſt de eſſentia Dei, ſequitur, quod ſit primò diuerſa à creaturis, quia eſt etiam diuerſa ſecundum rationem entis, quia alia eſt ratio entis in Deo, alia in creaturis, nam in illo eſt ex ſe formaliter exiſtens, in creaturis vero per participationem vt dixi in Metaphyſica *parte 1.diſp.29. ſec.6.* Neque ex hoc fit, quod eſſentia diuina non ſit ſimpliciter ſimplex, quia exiſtentia non componit cum eſſentia, ſed eſt ipſa formaliter. Hinc non eſt eadem ratio exiſtentiæ in Deo, & creaturis, quia exiſtentia creaturæ in ratione exiſtentiæ eſt participata, exiſtentia verò Dei in ratione exiſtentię imparticipata. Ad 2. In creatis exiſtentiã non variare eſſentiam, quia ſupponit conſtitutam, & contingenter conuenit; in Deo autem conſtituit ipſam eſſentiam, & facit, vt ſit enſam ſe eſſentialiter. Ad 3. negatur antecedens, nam exiſtentia non eſt poſterior infinitate, quia exiſtentia tranſcendentaliter ſe habet; Ad probationem. Exiſtentiam colligi ex infinitate eo pacto, quo partes colliguntur ex toto, videlicet à poſteriori, quia infinitas includit omnem perfectionem. Ad 4. Exiſtentiam eſſe etiam de eſſentia attributorum, quia etiam ipſa ſunt ens à ſe. Ad 5. Negatur ſequela; quia, etiamſi Deus, & creatura conueniant in ratione exiſtendi, non tamen conueniunt in modo habendi, quia Deus illam habet à ſe, creaturæ verò ab alio; tunc autem ratio communis, quæ eſt de eſſentia vnius, eſt etiam de eſſentia alterius, quando eodem modo conuenit, & ſecundum eamdem rationem, & menſuram.

An diuina eſſentia ſit ipſa plenitudo eſſendi.

SECTIO III.

17 Plenitudo eſſendi conſiderari poteſt vel in genere, vel ſecundum determinatas rationes. Primo modo dicit rationem entis illimitato modo ſe habentem 2. Modo dicit omnes determinatas perfectiones. Quæſtio autem procedit de plenitudine eſſendi primo modo.

18 Dicendum eſt. *Diuinam eſſentiam importare formaliter plenitudinem eſſendi*. Hæc concluſio eſt de fide, vt docent communiter Patres, præſertim Baſilius *in 1. Eſaiæ*. Bernardus *5. de conſideratione circa medium*. Auguſtinus *de vera Religione cap.8.* & *lib.2. de moribus Manicheorum cap.1.* Dionilius *de Diuinis nominibus c.5.* Damaſcenus *1. De fide cap. 1.* *Probatur*. Exodi 3. *Ego ſum, qui ſum*; per quod ſignificatum, Deum eſſe abſque limitatione, vt communiter Patres; & Exodi 33. *Deus dixit Moyſi Oſtendam tibi omne bonum*, intelligens de ſe ipſo. Confirmatur. Scriptura tribuit Deo magnitudinem perfectionis interminatam. Pſalmo 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis*, ergo. 2. Confirmatur Deus eſt prima, & vniuerſalis cauſa, ita vt nihil ſit, aut eſſe poſſit extra Deum, quod ab ipſo non accipiat eſſe, ergo Deus in ſua eſſentia importat plenitudinem eſſendi, cum habeat, quod ſit communicatiuus cuiuſcumque eſſe; & ita arguit Dionilius *cap.5. de Diuinis nominibus*, & *cap.1. de Myſtica Theologia*.

19 Obijcies. Si in Deo eſſet plenitudo eſſendi, eſſent in ipſo omnes modi eſſendi, & omnes rationes entis, quod implicat cum ſint incompoſſibiles, & habeant annexas imperfectiones. Reſpondetur, diſtingo Antecedens. Eſſent

Digitized by Google

ſent in ipſo omnes modi, & omnes rationes virtualiter, non formaliter; nam plenitudo eſſendi importat vnicum tantum modum eſſendi eminentiſſimum, quia eſt illa, à qua omnis modus eſſendi participatur; & ideo ſolum virtualiter debet importare omnes modos eſſendi. Ex dictis Colligitur. Deum eſſe ens imparticipatum, quia videlicet non habet partem entis, quam ab alio accipiat, ſed totam plenitudinem, quod enim eſt participatum, dicit intrinſecum ordinem ad illud, à quo participat.

An Deus ſit actus purus.

SECTIO IV.

20 SVpponendum primo eſt. Potentiam aliam eſſe actiuam, aliam paſsiuam ex *9. Metaphyſicorum textu 2.* Actiua eſt principium tranſmutandi aliud, in quantum aliud. Paſsiua eſt principium tranſmutandi ab alio, in quantum aliud. Hinc actiua dicit ordinem ad actum, quem poteſt facere; paſsiua verò ad actum, quem poteſt recipere. Paſsiua autem eſt duplex. Receptiua, quæ eſt ad aliud recipiendum, & alia obiectiua, quæ eſt ad eſſe, quam Thomiſtæ vocant non repugnantiam, ſeu poſsibilitatem. Receptiua importat proprium eſſe, ſed perfectibile per vlteriorem actum; Obiectiua verò non dicit aliquod eſſe in ſe, ſed tantum poſſe habere eſſe.

21 Supponendum 2. Rationem potentiæ actiuæ non repugnare cum actu puro, quia actui puro repugnat tantum potentialitas, quæ minuit actualitatem ipſius, potentia autem actiua ne dum minuit, ſed etiam facit eſſe in actu, quia quodlibet agit, in quantum eſt actu. Hinc actus purus excludit tantum vtramque potentiam paſſiuam, quia hæc ſola derogat puritati actualitatis, & dicit intrinſecam perfectibilitatem, atque adeo indigentiam; Potentia autem obiectiua dupliciter excludi poteſt, vel actualiter, vel etiam repugnanter; primo modo excluditur ab omnibus, quæ exiſtunt, & ideo non ſufficit ad ſaluandam rationem actus puri, quia adhuc tale eſſe poteſt potentiali modo ſe habere; vnde debet excludi etiam repugnanter.

22 Dicendum primo. *Deum eſſe actum puriſſimum.* Eſt de fide ex illo Exodi 3. *Ego ſum, qui ſum*, per quod ſignificatur, Deum habere eſſe perfectiſſimo modo, atque adeo cum excluſione omnis potentialitatis, vt explicant communiter Patres. Probatur. Deus eſt cauſa omniũ prima, ergo eſt actus puriſsimus. Conſequentia probatur. Quia ſi non eſſet actus purus, haberet in ſe aliquam potentialitatem; &, quia omnis potentia eſt in ordine ad aliquem actum, poſſet Deus aliquem actum recipere, ergo deberet ab alio poſſe recipere, atque adeo haberet cauſam ſupra ſe.

23 Dicendum 2. *Rationem actus puri eſſe de intrinſeca ratione Diuinæ eſſentiæ.* Et contra Smiſing. *tractat. 1. de Deo vno diſp. 2. q. 1.* qui vult, eſſe modum intrinſecum ſupponentem eſſentiam conſtitutam. Probatur. Id pertinet ad conſtitutionem, quod pertinet ad diſtinctionem. Ratio autem actus puri eſt id, quo actualitas Diuinæ eſſentiæ diſtinguitur ab actualitate rerum creatarum. Confirmatur. Eſſe à ſe eſt de formali ratione eſſentię, ergo etiam actus purus. Conſequentia probatur. Quia eſſe à ſe dicit formaliter ipſam actualitatem eſſendi, cui repugnat eſſe ab alio; atque adeo cui repugnat omnis potentialitas.

24 Obijcies contra primam concluſionem. In Deo ſunt productiones reales, ergo etiam potentia actiua, & paſſiua ad terminos immanentes. Reſpondetur, nego conſequentiam, nam tunc tantum requiritur potentia paſsiua, quando actus immanens ſe habet per modum formę, & habet ſuam propriam naturam diſtinctam à producente; terminus autem productus in diuinis habet eamdem omnino naturam cum producente.

25 Obijcies 2. Deus poteſt habere, & non habere actus liberos, ergo eſt in potentia. Reſpondetur, nego conſequentiam. Nam actus liberi non important aliquid reale ſuperadditum actui neceſſario, & intrinſecum, vt ſuo loco dicemus.

26 Obijcies 3. contra ſecundam concluſionem. Eſſentia diuina pręcedit attributa, ergo eſt in potentia ad illaſ, ergo ratio actus puri non eſt de quidditate ipſius. Reſpondetur. Eſſentiam diuinam eſſe in potentia ad attributa ſecundum noſtrum modum imperfectum concipiendi, non autem ex ſui natura.

27 Obijcies 4. Actus purus explicat quantitatem diuinę eſſentiæ, ergo eſt modus, non autem eſſentia. Reſpondetur. Explicare formali modo, quatenus formaliter importat ipſam perfectionem entis per eſſentiam, non autem explicat menſuratiuè, & ideo non ſequitur, quod ſit modus.

Deducuntur nonnulla corollaria.

SECTIO V.

28 EX dictis de diuina eſſentia deducitur Primo. Omnem rationem accidentis eſſe excludendam à Deo, vt docent communiter Patres Auguſtinus *5. de Trinitate cap. 7. & lib. 7. cap. 5.* Cyrillus Alexandrinus *li. 19. Theſauri.* Athanaſius *in Apologetico pro Synodo niceno.* Leo Primus *epiſt. 93. ad Turibium cap. 5.* Nyſſenus *homil. 5. in Canticam*, & alij. Ratio autem eſt, quia Deus eſt ens à ſe, & actus purus, vndè non poteſt habere potentiam ad aliquod accidens. Deindè cum ſit eſſentialiter ipſa plenitudo eſſendi, non poteſt indigere aliqua extrinſeca perfectione, qualis eſt accidentalis.

29 Deducitur 2. Omnes perfectiones diuinas ne dum identicè, ſed etiam formaliter non eſſe accidentia, ſed ens ſubſtantiale, vt docet Faſolus *prima parte q. 3. art. 6. dubitatione vnica*, & Eſtlius *lib. 2. trac. 1. cap. 1.* Ratio eſt, quia omnis perfectio formaliter, & intrinſecè eſſent vel, ergo ens participatum, aut imparticipatum, ſeu per ſe ſubſiſtens; perfectiones autem Diuinę formaliter ſumptę non ſunt quid participatum, aut inhærens, ergo quid imparticipatum, & ſubſiſtens.

30 Obijcies. Quod ſemel ſecundum ſuam formalem rationem eſt tale, ſemper eſt tale, ergo ſi Sapientia, aut eiuſmodi perfectiones ſecundum ſuas formales rationes ſunt quid accidentale, etiam in Deo erunt quid accidentale. Reſpondetur. Maiorem eſſe veram, quando ratio formalis ſeruat eundem modum, & menſuram, in caſu autem noſtro non ſeruat, quia hæ perfectiones reperiuntur in creaturis ſecundum modum entis participati, in Deo autem ſecundum modum ſupereminentiæ. Inſtabit. Supereminentia perficit, non autem deſtruit, ergo cum hæ perfectiones ſint quid accidentale, ſupereminentia non deſtruet rationem accidentalitatis. Reſpondetur. Eo ipſo, quod perficit, excludere rationem accidentis, quam importat etiam ſecundum ſuam formalem rationem.

31 Deducitur 3. Deum non eſſe propriè ſubſtantiam, quia ſubſtantia de ſua formali ratione habet quod poſſit ſubſterni accidentibus ea ſubſtentando. Quod, licet dicat perfectionem, habet tamẽ admixtam imperfectionem, cum dicat potentialitatem, ratione cuius eſt perfectibilis, & ita docet D. Thomas *in 1. diſt. 8. q. 4. art. 2. Ad 2.* Durandus *q. 2.* Richardus *art. 1. q. 2.* & communiter Patres. Vnde D. Dionyſius *de Diuinis nominibus* Paſsim docet, Deum non eſſe ſubſtantiam, ſed ſuperſubſtantiam, & D. Auguſtinus *7. De Trinitate cap. 5.* concludit, Deum abuſiuè ſubſtantiam vocari.

32 Deducitur 4. contra Idolatras, & Saduceos, & Manicheos, Deum non habere corpus, neque aliquid corporeum, vt certum eſt de fide, & docent communiter Patres Auguſtinus. *De eſſentia diuinitatis initio*, & *de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 12.* Bernardus *ſerm. 4. in Canticam.* Origenes *homil. 5. in Geneſim.* Nazianzenus *orat. 34.* & alij. Et deſumitur ex illo Ioannis 4. *Spiritus eſt Deus.* Et ratio eſt. Quia omne corpus, ſicuti habet in ſe naturam, habet etiam principium motus, per quod poteſt.

Digitized by Google

teſt intrinſecè moueri. Rurſus. Omne corpus habet partes, & eſt affectum accidentibus, quæ omnia repugnant Deo. Vndè Scriptura, quando tribuit corpus Deo, aut aliquid ſimile, intelligi debet metaphoricè, vt tali pacto explicentur Diuinæ perfectiones, vt docet Auguſtinus *Epiſt. 3. ad Fortunationem.*

33 Deducitur 5. Multominus Deum poſſe eſſe materiam primam, vt voluit Dauid Vinantius, materia enim prima eſt merum aliquid potentiale.

34 Deducitur 6. Deum non poſſe eſſe formam ſpiritualem, vt voluerunt illi, qui putauerunt, Deum eſſe animam Mundi; Et ratio eſt. Quia forma ex ſua intrinſeca ratione eſt pars illius compoſiti, quod per ipſam conſtituitur; vndè eſt ens participatum oppoſitum enti per eſſentiam.

35 Deducitur 7. contra Eſtllium *lib. 2. tractat. 1. cap. 9.* Deum non poſſe dici formam ſubſiſtentem. Et Ratio eſt, quia forma ſecundum ſuum proprium conceptum eſt id, quo res eſt, & ſe habet per modum recepti, etiamſi ſola ratione diſtinguatur, quia ſicut forma phyſica eſt quid phyſicum receptum, ita metaphyſica cõſiderata ſecundum ſuam quidditatem ſe habet quidditatiuo modo vt quid receptum. Hoc autem Deo non poteſt conuenire, quia in ipſo ſunt idem formaliter. *Quod eſt*, & *Quo eſt*, vt docent communiter Patres Auguſtinus *trac. 99. in Ioannem.* Hilarius *lib. 8. de Trinitate*. Bernardus 5. *De Conſideratione cap. 7.* Anſelmus *in Monologio cap. 15.* & alij.

36 Deducitur 8. In Deo non eſſe priuationem, vt docet D. Thomas 1. *parte q. 49. art. 3. ad* 2. Et Ratio eſt. Quia vbi eſt priuatio, ibi eſt exigentia alicuius formæ, atque adeo potentialitas.

37 Deducitur 9. Neque impropriè poſſe eſſe in Deo priuationem, quatenus ab ipſo remouentur formæ importantes imperfectiones, vt vult Eſtllius *lib. 2. tract. 1. cap. 9.* Et ratio eſt. Quia priuatio ſiuè propriè, ſiuè impropriè connotat ſubiectum cum capacitate, vndè ſemper connotat imperfectionem.

38 Deducitur 10. contra Almaricum. Deum non eſſe eſſentiam aut totalem, aut partialem rerum creatarum, vt de fide eſt definitum in Concilio Lateranenſi *c. damnamus*; Et Ratio eſt. Quia creatura eſſet eſſentialiter Deus, & ens per eſſentiam, quod deſtruit rationem creaturæ.

39 Deducitur 11. Deum eſſe viuentem perfectiſſima vita cognoſcitiua, atque adeo intellectualem, vt eſt de fide Danielis vltimo. *Ipſe eſt Deus viuens*. Apocalipſis 5. *Adorauerunt viuentem in ſecula ſeculorum.* Ioannis 14. *Ego ſum via, veritas, & vita*; & Scriptura paſſim tribuit Deo Sapientiam, quæ non poteſt reperiri niſi vbi eſt vita intellectualis. Ratio eſt. Quia Deus eſt prima cauſa efficiens ordinans omnia, & gubernans hoc vniuerſum, vndè debet perfectè cognoſcere ordinem, quo res ſunt dirigendæ.

40 Obijcies. Viuere eſt ſe mouere ab intrinſeco principio; in Deo autem non poteſt eſſe aliquis motus. Reſpondetur viuere eſſe ſe mouere quando vita eſt in ſolo actu primo, & ſe mouet ad actum ſecundum; in Deo autem vita eſt eſſentialiter actus ſecundus.

DE PERFECTIONE DEI.

DISPVTATIO X.

An in Deo ſit plenitudo perfectionis.

SECTIO I.

1 QVæſtio procedit de plenitudine perfectionum ſecundum determinatas rationes. Dicendum eſt. *De fide eſſe in Deo adeſſe omnem plenitudinem omnis perfectionis*. Ita D. Thomas 1. *p. q. 14. art. 1. &* 2. Probatur Exodi 33. *Oſtendam tibi omne bonum*. Sapientiæ 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis*. Ioannes 1. *Quod factum eſt in ipſo vita erat*. Ratio eſt. Deus eſt ens per eſſentiam, ergo in ipſo ſunt perfectiones omnium rerum. Conſequentia probatur. Ens per eſſentiam importat eſſe illimitatum in ratione eſſendi; atque adeo omnem rationem entis, ergo etiam omnem rationem perfectionis.

2 Obijcies. Prima Corinthiorum 15. Loquens Apoſtolus de Deo poſt vltimum iudicium ait. *Tunc erit Deus omnia in omnibus*, ergo nunc non eſt omnia. Reſpondetur. Quod tunc erit omnia in omnibus, quoad fruitionem, quia ſe exhibebit fruendum. Beatis tanquam ſummum bonum continens omnia bona.

Quomodo perfectiones omnes ſint in Deo.

SECTIO II.

3 DIfficultas non procedit de perfectionibus illis, quæ ita ſunt propriæ Dei, vt non poſſint alteri communicari, vt eſt ratio entis per eſſentiam; quia certum eſt formali modo reperiri in Deo, quamuis non poſſimus eas concipere, pro vt in ſe ſunt; ſed procedit de perfectionibus, quæ reperiuntur etiam in creaturis.

4 Supponendum eſt. Perfectiones eſſe in duplici differentia, vt docet D. Anſelmus *cap. 14. Monologij*. Aliæ enim ſunt ſimpliciter ſimplices, quæ nullam habent annexam imperfectionem. Aliæ ſecundum quid, quæ habent annexam aliquam imperfectionem. Perfectio ſimpliciter ſimplex eſt illa, quæ in quocunque eſt melior ipſa, quàm non ipſa; ex quo fit vt non debeat excludere ab eo, in quo eſt aliam perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Vel enim perfectio, quæ eſt incompoſibilis cum ipſa, eſt maior, vel æqualis, vel inferior. Si Primum; faceret vt ſubiectum peiori modo ſe haberet. Si ſecundum, non ſe haberet meliori modo, quia tolleret æqualem perfectionem. Si tertium, Tunc illa, quæ excluditur non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quia poſita in ſubiecto excludit maiorem perfectionem, & ideo non eſt melior ipſa, quam non ipſa.

5 Prima ſententia aſſerit, perfectiones ſecundum quid eſſe virtualiter in Deo, perfectiones vero ſimpliciter ſimplices formali modo in ipſo reperiri. Ita D. Thomas *q. 7. de potentia art.* 1. Molina 1. *p. q. 4. art. 2. diſp.* 2. Peſantius *diſp.* 1. Cumel *q.* 1. Bannes *dubitat.* 3. Suarez *diſp.* 30. *metaphyſicali ſec. 1. num. 9.* Smiſing. *trac.* 2. *De Deo vno diſp. 2. q.* 1. Ledeſma *q.* 1. *De Diuina perfectione concluſione* 3. ergo alij plures, qui potius id ſupponunt, quam diſputent. Probant. Si non eſſent in Deo formali modo, Deus non eſſet perfectus, Quia cum ipſis melius ſe habet. 2. Quia non poteſt excogitari altior gradus entis, quã ille, in quo hæ perfectiones formali modo continentur. 3. Cum in Deo ſint aliquæ perfectiones formaliter maximè debent eſſe illæ, quæ ſunt ſimpliciter ſimplices. Confirmatur. Quia alioquin Deus non haberet formali modo intellectum, & voluntatem. 4. Quia nomina, quæ ſignificant has perfectiones, dicuntur de Deo propriè.

6 Secunda ſententia aſſerit, has perfectiones non eſſe in Deo formali modo, ſed tantum eminenter. Ita Ochamus *in 1. diſt. 36. q. vnica*. Gabriel *art. 1. concluſione 1. &* 2. Durandus *q. 2. num.* 8. Faſolus 1. *p. q. 4. art.* 2. & colligitur ex D. Thoma 1. *parte q. 13. art.* 2.

7 Notandum primo. Certum eſſe, omnes perfectiones tam ſecũdum quid, quam ſimpliciter ſimplices eſſe in Deo eminenter eminentia virtuali, cum enim ſit prima cauſa, à qua omnes iſtæ perfectiones participant eſſe, debent illas cauſali modo contineri. Rurſus, cum Deus ſit agens per intellectum, debet illas ideali modo continere. Vndè ſunt in ipſo ſecundum rationes cauſales conſurgentes ex virtute productiua, & idea.

8 Notandum. 2. Cum Deus habeat plenitudinem perfectionis, & nos non habeamus propriam ſpeciem, quæ repreſen-

Digitized by Google

præſentetur, vt eam aliquo modo intelligamus, cogimur ſimul coadunare plures perfectiones creatas, per quas, quantum, fieri poteſt, perfectionem Diuinam explicemus.

9 Notandum 3. Alias perfectiones ſecundum proprias rationes eſſe inuicem compoſſibiles, alias verò incompoſſibiles. Hinc primæ tantum aptæ ſunt ad explicandam perfectionem Diuinam, quia non ſe inuicem deſtruunt, & dicuntur ſimpliciter ſimplices.

10 Notandum 4. Has perfectiones, ſi conſiderentur ſecundum propriam rationem formalem, non eſſe abſolutè ſimpliciter ſimplices, quia licet cum alijs, quæ ſunt in creaturis, non habeant incompoſſibilitatem, habent tamen cum aliqua, quæ neceſſariò debet tribui Deo, tum quia in ſua formali ratione menſurato modo ſe habent, & important partem entis; Tum quia ordinantur ad perficiendum in certo genere; Tum quia ex vi ſuæ formaliſſimæ rationis diſtinguuntur ab omni alio; Vndè ex intrinſeco ſuo excludunt alias maiores perfectiones, vt eſt eſſe à ſe, eſſe infinitum, eſſe purum.

11 Notandum 5. Aliquas perfectiones eſſe inuicem incompoſſibiles ratione modi eſſendi, aliquas verò ratione propriæ quidditatis. Prima incompoſſibilitas eſt tantum reſpectu illarum, quæ ratione modi eſſendi incompoſſibiliter ſe habent; ſecunda verò reſpectu illarum, quæ exti propriæ quidditatis ſe inuicem deſtruunt. Vnde poſteriori incompoſſibilitas facit, vt vna totaliter deſtruit aliam. Non autem fit, vt poſſimus tribuere Deo perfectiones ſimpliciter ſimplices, non autem ſecundum quid, quia hæ pugnant cum alijs perfectionibus diuinis, etiam ſecundum quidditatem, ſimpliciter vero ſimplices ſolum ſecundum modum eſſendi, quia videlicet finito modo ſe habent. Vndè cum omnia diuina finito modo concipiamus, non habent hæ perfectiones in modo concipiendi repugnantiam cum eſſe Diuino.

12 Dico 1. *Perfectiones ſimpliciter ſimplices non eſſe formali modo in Deo.* Deſumitur ex Patribus Dioniſio *cap. 1. de Diuinis nominibus*, vbi habet. *Itaque ſuperſubſtantiale illud Diuinum, quid quid tandem id eſt ſupremæ bonitatis ſubſtantia eximia, neque vt verbum, aut virtutem, neque vt ſenſuam, aut vitam, aut ſubſtantiam laudare licet vlli ex ijs, qui excellentis omnem veritatem veritatis amatores ſunt, ſed vt ab habitu omni, motu, vita, imaginatione, opinatione, nomine, ſermone, materia, intelligentia, ſubſtantia, ſtatu, ſede, vnione, fine, infinitate. & ijs, quæ ſunt, omnibus eminentiſſimè exceptam.* D. Maximo *centuria ſecunda theologica cap. 2. vbi habet Deus nec vnus intelligentium eſt, nec aliquid eorum, quæ intelliguntur; eſt enim ſupra ipſa; Siquidem circunſcribitur, qui intelligit tanquam indigens habitudinem rei, quam intelligit, aut naturaliter ſubijcitur intelligentis. Relinquitur igitur, vt exiſtimemus, Deum nec intelligere, nec intelligi, ſed potius ſupra quam intelligere, & ſupra quam intelligi.* Damaſceno 1. *Fidei cap. 8. ibi Deus ſupereminens vltra omnia ſuperſubſtantialis ſuperomnia exiſtens, ſuperdiuinus, ſuperbonus ſuperplenus; omni principio, & ordini ſuperlocatus.* Et ſimilia habent alij Patres, quibus ſignificant perfectiones creatas ſecundum proprias formales rationes non dici de Deo.

Probatur. Perfectiones creaturarũ ſecundum ſuam formalem rationem habent repugnantiam cum eo, quod conuenit Deo per ſe primò, vt eſt ratio actus puri, entis per eſſentiam &c. ergo, non conueniunt ipſi formali modo. Conſequentia probatur. Quia nulla perfectio poteſt tribui Deo, quæ deſtruat eſſe Diuinum. Antecedens probatur. Vel illa perfectio formaliter ſumpta eſt quid participatum, vel non; ſi primum, ergo importat aliquid repugnans, cum eſſe Diuino. Si ſecundum, ergo non poteſt conuenire creaturæ; quia quidquid conuenit, participato modo ſe habet.

13 Dices. Præſcindere ab eſſe participato, & imparticipato. Contra. Quia ſi præſcindit, iam non eſt amplius perfectio creaturæ. 2. Quia ſecundum ſuam formaliſſimam rationem eſt communicata creaturæ; &, facta quacunque præcitione, ſemper eſt talis, vt poſſit communicari. 3. Quod præſcindit ab alio, numquam in ſua formali ratione illud inuoluit, iſtæ autem perfectiones, quando ſunt in creatura, in ſua formali ratione inuoluunt dependentiam, atque adeo eſſe participatum. 4. Tales perfectiones ſecundum ſuam formaliſſimam rationem perficiunt naturam ſecundum exigentiam ipſius; creatura autem non exigit aliquid, quod formaliſſimè non ſit participatum.

14 Secundò probatur. Perfectiones ſimpliciter ſimplices, quæ ſunt in creaturis, non poſſunt eſſe in Deo, niſi ſecundum illud, quod dicunt actualitatis, & puritatis, ergo non poſſunt eſſe in Deo formali modo ſecundum proprias rationes. Antecedens patet, alioquin eſſent in ipſo ſecundum aliquam imperfectionem. Conſequentia probatur. Quia ſecundum ſuas formales rationes non ſunt quid purum, ſed potentiale; tum quia ſunt quid producibile, cum de facto producantur in creaturis; tum quia ex natura ſua ſunt formæ ſaltem metaphyſicæ determinato modo perficientes; tum quia important tantum partem entis. Confirmatur. Si ſumatur ex his perfectionibus id, quod eſt purum, & actuale; vel remanet tota ratio formalis, vel non. Si primum. Contra, quia cum talis ratio ſit communicata, habet eſſentialiter admixtam partialitatem. Si ſecundum; ergo non remanet illa ratio formalis; quia omnis ratio formalis conſiſtit in indiuiſibili. Confirmatur 2. Perfectiones ſecundum quid non ſunt in Deo formali modo detractis imperfectionibus, ergo neque ſimpliciter ſimplices. Quia ſi aliqua perfectio detractis imperfectionibus non poteſt eſſe in Deo, neque etiam poterunt aliæ.

15 Dices. Has etiam perfectiones eſſe formali modo in Deo. Contra. Quia tribuerent ſuam formalem determinationem 2. Quia ex natura ſua conſtituunt eſſentias, quæ Deo repugnant 3. Quia non poſſunt detrahi imperfectiones ſalua ipſarum quidditate.

16 Dices 2. Præciſis imperfectionibus non remanere eaſdem rationes formales, ſicuti remanent in perfectionibus ſimpliciter. Contra. Imperfectiones non magis ſunt intrinſecæ perfectionibus ſecundum quidquàm, ſit eſſe potentiale perfectionibus ſimpliciter, ergo 2. Quia in perfectionibus ſimpliciter nõ poſſunt præſcindi omnes imperfectiones, niſi præſcindanter prędicata quidditatiua, vt limitato modo ſe habere, eſſe commenſuratum Diuinis adens, &c.

17 Ad primum negatur ſequella. Ad probationem non eſſe abſolutè ſimpliciter ſimplices, quia important aliquid incompoſſibile cum eſſe Diuino. Ad ſecundum. Negatur aſſumptum, quia ille eſt altior gradus entis, in quo eſt alia eminentior perfectio, quæ proportionaliter, ſed cum infinita diſtantia æquiualeat iſtis. Ad tertium. In Deo eſſe perfectiones formali modo, quæ ſunt abſolutè ſimpliciter ſimplices quales non ſunt creatæ. Ad Confirmationem. Deum, vt docent Patres, præſertim. Dioniſius paſſim *De diuinis nominibus*, non habere intellectum, & voluntatem, ſed ſuperintelligere, & ſuperuelle, per quem modum loquendi ſignificatur, quod ſit in Deo perfectio quædam correſpondens proportionaliter noſtra intelligere, & velle, ſed cum eminentia infinita ipſum ſuperans. Ad quartum nomina ſignificare perfectionem diuinam, pro vt à nobis explicatur; Et, quia explicatur per conceptus perfectionum creatarum, ideo illam ſignificant, vt illis ſubſtractam, non ſunt autem nomina metaphorica, quia ſignificant in ordine ad perfectiones, prout à nobis concipiuntur.

18 Obijcies. Patres docent, nomina, quæ ſignificant perfectionem ſimpliciter conuenire deo, ergo conueniunt etiam perfectiones. Reſpondetur. Conuenire deo, non quocunque modo, ſed cum ſupereminentia, ratione autem ipſius fit, vt non reperiantur in deo ſecundum proprias

rationes

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

rationes formali modo; ſed tantum cum proportionali æquiualentia.

19 Quæres. An Deus, & mundus ſimul ſint quid perfectius, quam ſolus Deus. Reſpondetur negatiuè cum D. Auguſtino 6. *De Trinitate cap.*8. Ratio eſt. Quia, Deus eſt ipſa plenitudo eſſendi. Vndè nulla perfectio reperitur, quæ in ipſo non contineatur ſaltem ſecundum altiorem modum eſſendi. Deinde ſi eſſet quid perfectius, Deus ſolus eſſet quid minus, minoritas autem repugnat Deo, quia non poteſt ſtare cum infinitate.

DE INFINITATE DEI.

DISPVTATIO II.

An Deus ſit infinitus.

SECTIO I.

1 INfinitas alia eſt ſecundum eſſentiam, quæ etiam eſt infinitas in eſsendo; alia ſecundum aliquid accidentale, vt eſſet infinitas intentionis in qualitate; cum ergo inquirimus, An Deus ſit infinitus, loquimur de infinitate ſecundum eſſentiam.

2 Supponendum eſt. Infinitum in eſſendo eſſe illud, quod in ſua eſsentia non habet aliquem terminum eſſendi, atque adeo quod in ſe includit omnem rationem entis excogitabilem, ita vt non dicat aliquid, quod ab ipſo excludat aliquam rationem entis. Et ratio eſt, quia ſi extra ipſum eſſet aliquid, quod illi repugnaret, limitaretur, vt non eſſet illa ratio entis. Vnde aſſentiæ creatæ ſunt finitæ; quia vna ex intrinſecis ſuis principijs excludit perfectiones alterius.

3 Supponendum 2. tanquam certum de fide. Deum eſſe infinitum in eſsendo. Pſalmo 144. *Magnitudinis eius non eſt finis.* Baruc 3. *Magnus eſt, & non habet finem, excelſus, & immenſus*, nomine autem magnitudinis intelligitur perfectio; & hæc veritas eſt etiam definita in Concilio Lateranenſi, vt habetur in Capite Firmiter. Difficultas, ergo ſolum eſt, An hæc infinitas poſſit naturali lumine demonſtrari.

4 Prima ſententia eſt negatiua; aſſerit enim, tantum probabiliter id poſſe oſtendi. Ita Ocham *quolib.*3.*quæſt.*1. Marſilius *in* 1.*q.*42.*art.*2. Rubio *diſt.* 2.*q.*2.*art.*2. Alliacenſis *q.*13.*art.*1. Iamdunus 12. *Metaphyſicorum q.*15. Sueſſan. *q. De infinitate primi motoris.*

5 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita D. Thomas. *Prima parte quæſt.* 7.*art.*1. Bannes, Cumel, Pelantius, Molina *ibidem.* Vaſquez *diſput.*25.*cap.*5. Faſolus *dubit. vnica.* Scotus *in* 1.*diſt.*2. *quæſt.*1. Ariminenſis *q.*3. Ferrarienſis 1. *contra gentes cap.*43. Suarez *in metaphyſica diſp.*30.*ſec.*2. Smiſing. *tractat.*2.*De Deo vno diſp.*2.*q.*1. & alij.

6 Dicendum eſt. *Poſſe naturali ratione demonſtrari Deum eſſe infinitum.* Probatur. Deus non habet eſse receptum ab alio, ergo eſt infinitus in eſsendo. Antecedens eſt euidens. Quia Deus eſt prima cauſa habens eſse à ſe. Conſequentia probatur. Quod non habet partem entis, ſed totam plenitudinem eſt infinitum in eſsentia. Sed quod habet eſse à ſe, non habet partem entis; alioquin haberet eſse participatum, nam pars entis dicit intrinſecum ordinem ad primum ens per eſsentiam, ergo. Confirmatur. Eſse ab alio dicit formaliter habere partem entis, & eſſe finitum, vndè, ſicut cauſa producens effectiuè limitat, ita formalis limitatio conſiſtit in portione entis participati cum intrinſeco ordine ad cauſam, ergo non eſse ab alio erit cauſa non habendi partem entis, ſed totam plenitudinem; quia cum affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio quoque eſt cauſa negationis. Confirmatur 2. Ens omnium eminentiſſimum eſt infinitum, Deus eſt huiuſmodi, ergo. Minor patet. Quia eſt ens primum, à ſe, & per eſsentiam; à quo omnia participant eſse. Maior probatur. Quia cum ens eminentiſſimum ſit illud, à quo omnia participant eſse, ſe eleuat ſupra omnes perfectiones ipſorum, ita vt illas in ſe contineat vt participabiles. Vndè dicit vnam perfectionem, quæ in ſe omnes alias contineat abſque proprio ipſarum termino, quo determinantur, vt vna non ſit alia; ſiquidem communicant ſimul in eadem ſuperiori perfectione, ergo cum contineat omnia entia participata, tollit etiam omnes terminos formali modo ex vi propriæ perfectionis ſed quod formali modo tollit omnes terminos eſsendi eſt infinitum, ergo. Confirmatur 3. Deus eſt ens per eſsentiam non habens ſupra ſe aliud ens perfectius, ergo eſt infinitum. Conſequentia probatur. Quia in ſuo eſse tollit omnes terminos eſsendi inferiorum; & ex eo, quod non habet ſuperius, non habet terminum, quia non remanet per quid aliquid ab ipſo excludatur, quod ſit maioris perfectionis. Confirmatur 4. In creatis ex eo, quod aliqua natura habeat ſuperiorem, arguitur finitas in tali ordine, & ex eo, quod ſimpliciter habeat ſuperius, arguitur finitas abſoluta, ergo ex eo, quod aliquid nullo pacto habeat ſuperius, arguitur abſoluta infinitas.

7 Obijcies. Si Deus eſset infinitus, nullum malum eſſet in rebus, quia eſset infinitè bonus vnum autem contrarium infinitum deſtruit pænitus aliud. Reſpondetur. Vnum contrarium deſtruere aliud, vbi ipſum definitur reperitur; Hinc cum bonitas infinita reperiatur ſolum in Deo, in ipſo ſolum deſtruit omne malum. Inſtabis. Ad tollendum omne malum in rebus creatis nō requiritur infinita bonitas, ſed ſufficit finita. Si autem Deus eſset infinitè bonus, poſset totam hanc bonitatem comunicare, ergo Reſpondetur. Malum aliud eſse priuatiuum, aliud negatiuum. Primum poteſt tolli per finitam bonitatem, quam tamen Deus neceſsariò non communicat, ſed liberè, & ideo poteſt permittere defectus. Secundum non tollitur niſi per infinitam bonitatem.

8 Obijcies 2. Quod eſt in vno loco, ex non in alio, non eſt infinitum ſecundum locum, ergo cum Deus ſit vna ſubſtantia, & non ſit alia non erit infinitus ſecundum ſubſtantiam. Reſpondetur. Eſse diſparem rationem, Quia, quod eſt in vno loco tantum, non habet id, per quod poſſit eſse in alio loco, Deus autem habet omnes perfectiones aliarum ſubſtantiarum altiori modo.

9 Obijcies 3. Extra corpus infinitum non poteſt eſse aliud corpus, ergo ſi Deus eſset infinitum ens, non poſſet extra ipſum eſse aliud ens. Reſpondetur eſse diſparem rationem. Quia, ſi poſito infinito corpore, eſset extrà ipſum aliud corpus, hoc non contineretur in illo; at omne ens, quod eſt extra Deum, continetur etiam in illo, quià ab ipſo participat eſse.

Quomodo ſe habeat infinitas ad Deum.

SECTIO II.

10 DIfficultas eſt an pertineat ad conſtitutiuū eſsentiæ, prout concipitur diſtincta ab attributis; An vero ſit aliquod attributum.

Prima ſententia aſserit, eſse modum pullulantem ab ipſa eſsentia, & habere rationem attributi. Ita Scotus *in* 1. *diſt.*3.*q.*2 Lichetus, & Tartaretus *ibidem.* Aureolus *diſt.* 43.*q.*1.*art.*1.*concluſ.*3. Gillius *lib.* 2.*tract.*1.*cap.*3. Smiſing. *trac.*2. *de Deo vno diſp.*2.*q.*1. Prob. Quia infinitas eſt demonſtrabilis de Deitate à priori, ita vt eſsentia ſit radix ipſius. Secundo Finitas non pertinet ad quidditatem creaturæ, ergo neque infinitas ad quidditatem Dei 3. Quia intenſio non pertinet ad quidditatem qualitatis, ſed eſt modus illius, ſic etiam ratio neceſsarij, contingentis actus, & potentiæ ſunt modi 4. Secundum Patres non cognoſcimus quidditatem Dei, & tamen cognoſcimus, quod ſit infinitus, ergo.

10 Secunda ſententia aſserit, eſse de eſsentia. Ita Ar-

gentinas

gentias *quæſt. 1. prologi*. Toletanus *quæſtione 6.* Faſolus *Prima parte q. 4. artic. 2. dub. 6. ad 5. obiectionem*, & *q. 7. artic. 2.*

11 Dicendum eſt. *Infinitatem eſſe de quidditate Diuinæ eſſentiæ*. Probatur. Illud eſt quidditas Deitatis, quod eſt radix determinatarum perfectionum, quæ ſe habent vt attributa, ſed huiuſmodi eſt infinitas, ergo. minor probatur. Infinitas in eſſendo non dicit determinatam perfectionem, ſed, ſicuti fundat negationem omnis termini, ita formaliter importat plenitudinem eſſendi; plenitudo autem eſſendi dicit implicitè, & veluti in radice omnes perfectiones determinatas. Confirmatur. Non poteſt concipi Infinitas prouenire ab eſſentia, ita vt illam ſupponat tanquam radicem ſui ipſius, ergo non poteſt eſſe attributum, ſiue modus; de ratione enim attributi eſt, at ſupponat eſſentiam tanquam radicem. Antecedens probatur Eſſentia, vt radix præciſa ab infinitate deberet illam virtualiter continere: Non poteſt autem continere, quia radix debet eſſe proportionata, ita vt tanta ſit, quantum eſt illud, quod pullulat, ergo cum eſſentia præciſa ab infinitate, ſit finita, non poteſt eſſe radix proportionata pro infinitate.

12 Ad Primum negando antecedens, nam eſſentia Diuina non eſt radix infinitatis; demonſtratur autem de Deitate, ſeu de ipſa eſſentia, quia nos concipimus Diuinam eſſentiam per plures conceptus inadæquatos, qui ſunt neceſſariò inter ſe connexi ob vnitatem perfectionis, quam explicant; vnde ratione huius connexionis ſe inuicem inferunt. Ad ſecundum negatur aſſumptum. Finitas enim ita eſt intrinſeca creaturæ, vt neque poſſit intelligi ſine ipſa. Ad tertium. Non omnem modum eſſe eſſentialem, ſed tantum illum, quod importat quidditatem rei; ratio autem actus, & potentiæ contingentis, & neceſſarij, eſt eſſentialis, quando fundatur in eſſentia. Ad 4. Negatur conſequentia. Nam cum Patres dicunt, nos non cognoſcere quidditatem Dei, intelligunt de cognitione per proprium conceptum; eodem autem modo neque infinitas eſt à nobis cognoſcibilis, nã eã cognoſcimus tantũ in confuſo.

DE CONSTITVTIVO DIVINAE eſſentiæ.

DISPVTATIO XII.

Per quid vltimò à parte rei conſtituatur diuina eſſentia.

SECTIO I.

1 ESſentia Diuina poteſt dupliciter conſiderari. Vel pro vt eſt à parte rei; vel ſecundum noſtros conceptus. Primo modo importat eſſe reale, quod eſt à parte rei ſecundum ſuam propriam quidditatem. Secundo modo importat illum conceptum, quem de ipſa formamus, pro vt contra diſtinguitur ab attributis.

2 Prima ſententia aſſerit, formale conſtitutiuum Diuinæ eſſentiæ eſſe actuale intelligere. Ita Capreolus *in 1. diſt. 3. q. 2. art. 1. ad 3.* Ferrarienſis 4. *contra Gentes cap. 26.* Durandus *in 2. diſt. 16. q. 1.* Caietanus *1. parte q. 93. artic. 2. & 6.* Bannes *ibidem*. Cumel *q. 27. art. 2.* Suarez *in Metaphyſica diſp. 30. ſec. 15. nu. 15.* & *ſec. 16. nu. 14.* Faſolus *1. parte quæſt. 4. art. 2. dubitatione 8.* & alij plures ex recentioribus. Probatur. Quia per intelligere, non autem per eſſe à ſe, aut quid ſimile diſtinguitur eſſentia ab iis, quæ ſunt in Deo, & non ſunt formaliter de eſſentia, vt ſunt relationes 2. Quia intelligere eſt perfectiſſimus actus vitæ; & in Deo eſt prædicatum perfectius omnibus alijs. Confirmatur. Quia Deus per gradum intelligendi eſt eſſentialiter beatus.

3 Secunda ſententia aſſerit rationem entis per eſſentiam eſſe formale conſtitutiuum. Ita Eſtius *lib. 2. tract. 1. c. 14.* Smiſing. *trac. 1. de Deo vno diſp. 2. q. 2.* Ruiz *diſp. 8. de Trinitate ſec. 5.*

4 Tertio ſententia aſſerit infinitatem eſſe formale conſtitutiuum Deitatis. Ita Toletanus *q. 6. prologi art. 2. concluſione 3.*

5 Notandum primo. Ad rationem conſtitutiui requiri, vt ſit ita proprium rei conſtitutæ, vt non conueniat alteri; debet enim diſtinguere à quocunque alio. Rurſus debet importare quidquid requiritur ad ipſum conſtituendum; alioquin non eſſet adæquatum; denique debet eſſe perfectiſſima ratio ipſius conſtituti, cum ſit actus, quo res perficitur in ſuo eſſe.

6 Notandum ſecundo. Diuerſo modo ſe habere conſtitutiuum Diuinæ eſſentiæ, ac creaturarum; eſſentiæ enim creatæ communicant ad inuicem ſecundum aliquas rationes, vndè conſtitutiuum importat gradum ſuperadditum illis rationibus, in quibus conueniunt; eſſentia autem Diuina, cum ſecundum omnes, & ſingulas rationes infinitè diſtet à creatis, debet conſtitui per aliquid, quod afficiat omnes perfectiones ipſius, & faciat eas infinitè diſtare à creatis.

7 Dico primo. *Intelligere ſiue per modum actus primi, ſiue per modum actus ſecundi non eſt formale conſtitutiuum diuinæ naturæ*. Probatur. Vel Intelligere illam conſtituit vt Intelligere eſt præcisè, vel vt Diuinum. Si Primum. Contra. Quia vt præſcindit à Diuino non eſt perfectio propria Dei. Si ſecundum, ergo Id eſt formale conſtitutiuum, per quod conſtituitur in eſſe Diuino, videlicet per rationem actus puri, infinitatis. Confirmatur. Intelligere importat determinatam perfectionem; & certum gradum entis, ergo non poteſt eſſe formale conſtitutiuum; Conſequentia probatur. Quia eſſentia Diuina eſt infinita in ratione eſſentiæ, ergo non poteſt dicere determinatam perfectionem, alioquin vt talis eſſentia non eſſet infinita in ratione eſſentiæ. Confirmatur 2. Eſſentia Diuina in ſua quidditate importat exigentiam diuinarum proceſſionum, quibus eadem natura producentis communicatur producto, ergo de ſuo formali non dicit intelligere, aut aliquam aliam determinatam perfectionem. Conſequentia probatur. Quia debet dicere id, in quo fundatur talis exigentia, natura autem Diuina non exigit tales proceſſiones ex vi alicuius determinatæ perfectionis, ſed ex eo, quod eſt infinitè perfecta.

8 Dices. Deus ex vi ſuæ eſſentiæ eſt viuens, ergo debet dicere vitam intellectualem. Reſpondetur. Deum eſſentialiter neque eſſe viuentem, neque in aliquo determinato gradu, ſed ſuper omnem gradum. Vndè in ſua formali eſſentia non debet importare gradum determinatum, aut vitam determinatam; ſed vitam eminentiſſimam, quæ non ſolum habeat perfectionem vitæ, ſed etiam alias perfectiones abſque vllo modo, & menſura, vndè quando explicamus Deum per ipſum viuere, non explicamus adæquatè ipſius eſſentiam.

9 Dico 2. *Conſtitutiuum eſſentiæ Dei eſſe ipſam Deitatem, quatenus importat ens per eſſentiam, ſeu plenitudinem eſſendi*. Deſumitur ex Nyſſeno *cap. 16. de hominis opificio*. Dionyſio *cap. 5. de Diuinis nominibus*. Hilario *12. de Trinitate*. Nazianzeno *orat. 36. 38. & 49.* Ambroſio *cap. 5. de Filij diuinitate*. Damaſceno *1. de fide c. 12.* Athanaſio *orat. contra Idola*, & alijs. Probatur Ens per eſſentiã cõplectitur omnes perfectiones, ergo eſt ipſa formalis, eſſentia Dei. Conſequẽtia prob. Quia Deus ratione ſuæ eſſentiæ, debet eleuari ad quandam ſupereminentiam eſſendi, qua infinitè diſtet à creaturis; hoc autem præſtat ſola plenitudo eſſendi, nam Deus infinitè diſtat à creaturis. Quia creaturæ dicunt determinatum gradum perfectionis. Confirmatur. Quando in aliquo conſiderantur plures perfectiones, illa eſt formale conſtitutiuum, quæ eſt maior: ſed in Deo ens per eſſentiam eſt perfectio omnium nobiliſſima, quia ratione ipſius complectitur omnem rationem eſſendi, atque adeo omnes perfectiones, ergo.

11 Dices

Digitized by Google

11 Dices. Ens per eſſentiam tranſcendentali modo ſe habere, quia conuenit omnibus perfectionibus, & ideo non eſſe aptum, vt ſit formale conſtitutiuum. Contra. De ſuo formali dicit plenitudinem eſſendi, plenitudo autem eſſendi non imbibitur in qualibet perfectione, & ideo non eſt tranſcendens, ſi adæquatè ſumatur. Confirmatur. Ens per eſſentiam continet in ſe omnes perfectiones ſimpliciſſimo modo, ergo non continetur in qualibet perfectione ſeorſim.

Confirmatur 2. Diuina eſſentia in ratione eſſentiæ eſt illud, quo in ratione eſſentiæ nihil melius excogitari poteſt; ſed non erit huiuſmodi, niſi conſtituatur per plenitudinem eſſendi, ergo minor patet. Quia ſemper plenitudo eſſendi erit aliquid melius.

12 Dico 3. *Hanc plenitudinem eſſendi, qua conſtituitur Diuina eſſentia, debere explicari per infinitatem eſſendi, ita vt ſolum dicat completè formale conſtitutiuum, pro vt ſtat ſub infinitate.* Probatur. Non poteſt intelligi plenitudo eſſendi, niſi concipiatur eſſe excludens omnem terminum eſſendi, alioquin, ſi haberet terminum, non eſſet plenitudo eſſendi, per ſolam autem infinitatem excluditur terminus. Hinc Nazianzenus *orat.* 38. *vniuerſum id, quod eſt, in ſe implectitur, nec principium habens, nec finem habiturus velut pelagus quoddam eſſentiæ immenſum, & interminatum.* Confirmatur. Præciſa infinitate eſſentia Diuina non eſt illa melior eſſentia, quæ poteſt excogitari, ergo Antecedens patet, quia melior eſt eſſentia, quæ poſitiuè ſe habet infinito modo, quam illa, quæ poſitiuè non ſe habet infinito modo.

13 Ad primum negatur aſſumptum, nam ſuppoſito, quod relationes non ſint de conceptu eſſentiæ, adhuc eſſentia diſtinguitur ab ipſis per eſſe à ſe, ſumendo ipſum Eſſe à ſe adæquatè, quia tunc importat plenitudinem eſſendi. Ad 2. Negatur conſequentiam illam intelligere importat quidem perfectiſſimum gradum vitæ, & hæc perfectio eſt in Deo cum ſupereminentia, quia tamen importat gradum, ſeu determinatam perfectionem, ideo non poteſt eſſe conſtitutiuum, Quia non adæquat totam eſſentiam. Ad Confirmationem negatur conſequentia. Nam ſicut Beatitudo non eſt adæquata perfectio eſſentialis Dei, ita neque intelligere.

Quodnam ſit formale conſtitutiuum Eſſentiæ Dei ſecundum noſtrum modum concipiendi.

SECTIO II.

14 PRima ſententia aſſerit, ipſum intelligere, prout contradiſtinguitur ab ipſo velle, eſſe formale conſtitutiuum Diuinæ eſſentiæ pro vt contradiſtinguitur ab attributis. Ita Bannes, Cumel, Suarez *ſec. præcedenti citati*, & quam plures recentiores. Probant. Intelligere conuenit Deo, quatenus ipſum, & ſe habet antecedenter ad alia, ergo eſt conſtitutiuum 2. Omnia attributa radicantur in ipſo intelligere, vt Sapientia, Prouidentia, &c. ergo 3. Intelligere importat rationem vitæ, qua Deus viuit, ergo non poteſt eſſe attributum.

15 Secunda ſententia aſſerit, etiam ſecundum noſtrum modum concipiendi eſſe ipſum ens per eſſentiam formale conſtitutiuum. Ita indicant nonnulli ex auctoribus *ſectione precedenti* allati pro ſecunda ſententia, præſertim Eſtius.

16 Dico 1. *Intelligere non eſt formale conſtitutiuum Diuinæ eſſentiæ pro vt contradiſtinguitur ab attributis.* Probatur. Ideo intelligere eſt conſtitutiuum, quia eſt viuere; ſed etiam, velle eſt viuere; nam ſicut in creatis dicit vitam accidentalem, ita in Diuinis tranſit in ſubſtantialem, ergo Confirmatur. Vita ſubſtantialis in creatis dicit non ſolum radicale intelligere, ſed etiam velle, ergo cum in Diuinis tranſeat ad actuale, non ſolum dicet actuale intelligere, ſed etiam velle.

17 Dices. Velle non dicere formaliter viuere, quia conſequitur ad intelligere. Contra. Licet conſequutiuè ſe habeat, adhuc tamen importat ipſum formale viuere, ſine quo viuens non eſt completum in ratione viuendi. Secundo etiam in creatis principium radicale volendi conſequutiuè ſe habet ad principium radicale intelligendi, & tamen pertinet ad vitam eſſentialem. ergo

18 Confirmatur. Intelligere non poteſt eſſe radix omniũ attributorum, ergo Antecedens probatur. Quia omnipotentia cum reſpiciat omne producibile, debet fundari in eo, quod dicit. Eſſe ſine termino; hoc enim ſolum debet eſſe radix illius perfectionis, quæ debet continere omnem rationem entis communicabilem. Confirmatur. 2. Tunc Infinitas eſſet attributum, Infinitas autem non poteſt radicari in ipſo intelligere. Confirmatur 3. Illud pro eſſentia debet conſtitui, quod eſt proprium Dei, & antecedit alia, huiuſmodi autem non eſt intelligere, nam prius eſt, quod ſit ens per eſſentiam, Actus purus, ſumma ſubſtantia, &c.

19 Dico 2. *Eſſentiam diuinam prout contra diſtinguitur ab attributis formaliter conſtitui per plenitudinem eſſendi cum infinitate.* Probatur debet ſemper ſaluari ratio formalis ipſius, ergo ſi à parte rei formaliter conſtituitur per plenitudinem eſſendi, debet etiam conſtitui ſecundum noſtrum modum concipiendi. Confirmatur. Quia plenitudo eſſendi eſt radix omnium attributorum, nam in ipſa continentur implicitè omnes perfectiones. Confirmatur 2. Plenitudo eſt propria Dei, & eſt primum prædicatum, in quo omnia alia fundantur, nam ex eo, quod importat eſſe ſine termino, importat etiam omnes perfectiones.

20 Ad Primum. Ex eo, quod debet conſtitui pro eſſentia id, quod conuenit Deo, quatenus ipſum, & antecedit alia, non debere conſtitui ipſum Intelligere, ſed plenitudinem eſſendi, quia hæc antecedit ipſum intelligere. Ad 2. Negatur aſſumptum. Nam non omnia attributa fundentur in ipſo intelligere, vt patet ex dictis. Ad 3. Ex eo, quod Deus eſt eſſentialiter viuens, ſequi tantum, quod intelligere ſit de eſſentia ipſius, pro vt adæquatè conſideratur, non autem quod ſit formale conſtitutiuum, pro vt contradiſtinguitur ab attributis.

21 Inſtabis. Sequeretur, quod Deus ratione ſuæ eſſentiæ non viueret. Reſpondetur negando ſequelam. Quia cum eſſentia dicat plenitudinem eſſendi, dicit etiam implicitè ipſum viuere, & ſolum viuere ſe habet vt attributum, quando explicitè conſideratur, quia tunc concipitur radicari in alia perfectione anteriori.

DE ATTRIBVTIS DIVINÆ Naturæ.

DISPVTATIO XIII.

Quid, & quot ſint attributa.

SECTIO I.

1 SVpponendum primo. Attributum nil aliud eſſe, quam quoddam prædicatum, quod Deo tribuitur, & obiectiuè importat aliquam perfectionem, quæ Deo conuenit; formaliter vero importat conceptum, ſeu nomen, quo illam explicamus. In præſenti autem ſumitur obiectiuè ad explicandũ eſſe diuinũ. De ratione autem attributi eſt, quod conueniat Deo ſecundum eſſe abſolutum, quia ſe debet habere per modum adiacentis reſpectu eſſentiæ diuinæ; prædicata autem perſonalia vel explicant eſſe perſonale, & tunc non ſe habent per modum adiacentis vel explicant qualitates perſonarum diuinarum, & tunc non ſunt attributa Dei, ſed Perſonæ.

2 Supponendum 2. Attributum non importare prædicatum methaphoricum ex ijs, quæ conueniunt Deo, vt dolor,

dolor, pænitentia, &c. hæc enim prædicata non explicant intrinſecam perfectionem Dei, ſicuti debet explicare attributum. Hinc etiam excluduntur à ratione attributi prædicata illa, quæ fundantur in aliquo effectu contingenti, vt Creare, Gubernare, &c.

3 Supponendum tertiò. Ex prædicatis, quæ Deo conueniunt neceſſariò, quædam eſſe poſitiua, quædam negatiua; vtraque autem ſufficiunt ad fundandum attributum; quia licet negatiua remoueant aliquid à Deo, adhùc tamen explicant Diuinam perfectionem, quia remouent ratione poſitiuè fundamenti, per quod excluditur, quod remouetur.

4 Supponendum quartò. Ex prædicatis poſitiuis alia eſſe abſoluta, alia relatiua cum ordine ad creaturas, vt potentia, prouidentia, &c. quorum vnum reſpicit ſtatum poſſibilitatis creaturarum; ſecundum vero ſtatum exiſtentiæ. Hæc autem omnia fundant attributum, quia, licet quæ reſpiciunt ſtatum exiſtentiæ, non conueniant Deo neceſſariò, explicant tamen Diuinam perfectionem, quia fundantur in attributis immanentibus Dei, & explicant aliquam perfectionem ipſorum.

5 Supponendum quintò. Quod, cum attributum ſupponat eſſentiam, & non aliud; ſequitur vt ſolum ſupponantur, ea prædicata, quæ pertinent ad formale conſtitutiuum eſſentiæ, vt ratio entis per eſſentiam, actus puri, & infinitatis. Vndè cæteræ omnes rationes erunt attributa, quia ſupponunt conceptum eſſentiæ, & ab ipſo veluti per explicitos conceptus extrahuntur. Difficultas autem eſt quæ ſint huiuſmodi attributa.

6 Prima ſententia aſſerit eſſe finita. Ita Scotus *in 4. diſt.13.quæſt.1.* Vaſquez *1.p. diſp. 10.num.28.* Suarez *lib. 2.de Deo vno cap.22.* Smiſing. *trac.2. de Deo vno diſput. 1.q.1.num. 9.* & alij præſertim ex recentioribus. Probatur. Quia de facto tantum finita recenſentur, ergo. Secundo. Quia ſcriptura non tribuit Deo infinitas perfectiones. Tertiò quia ad ſaluandam Dei infinitatem non requiritur infinitas extenſiua, ſed ſufficit intenſiua. Quartò. Quia non poſſunt excogitari aliæ perfectiones ſimpliciter ſimplices, præter illas, quæ de facto tribuuntur Deo.

8 Secunda ſententia aſſerit, eſſe infinita. Ita Ocham *in 4. diſtinct.13. artic.1.* Palatius *in 1. diſtinct.1. diſp.3.* Ferrarienſis *3. contra Gentes cap. 56.* Bannes *1. parte queſt.12.artic.7. dubitat.1.* Torres *de Trinitate cap. 28. art.2. diſput.1.*

9 Dico 1. *Attributa, quibus de facto Diuina perfectio explicatur, eſſe finita.* Probatur. Tum quia de facto finita aſſignantur tàm quæ ex creaturis colliguntur, quàm quæ ex ſcriptura. Tum quia non poſſunt eſſe plura, quam ſint perfectiones, quas poſſumus Deo tribuere, hæ autem, cum ſint deſumendæ ex creaturis, ſunt finitæ.

10 Dico ſecundò. *Diuinam perfectionem poſſe explicari per alias, & alias perfectiones in infinitum; atque adeo attributa ex natura ſua eſſe infinita ſyncathegorematicè.* Probatur. Tot poſſunt eſſe attributa, quot perfectiones ſimpliciter ſimplices, hæ autem poſſunt creſcere in infinitum; nam ſtante infinitate Dei, & infinita eius communicabilitate, poteſt intra quodlibet genus fieri multiplicatio in infinitum, ergo etiam intra genus perfectionum ſimpliciter. Confirmatur. Perfectio ſimpliciter eſt communicabilis, ergo in infinitum. Conſequentia probatur. Quia in Deo debet eſſe vis communicatiua talis perfectionis, ergo cum omnia, quæ ſunt in Deo, infinito modo ſe habeant, hæc etiam vis communicatiua erit infinita, ergo ſemper alia, & alia perfectio poterit ab ipſa participari.

11 Ad primum. Reſpondetur de facto finita tantum recenſeri, quia eorum conceptus debent deſumi ex creaturis, ex quibus finitas tantum perfectiones, poſſumus deſumere. Ad ſecundum ſcripturam implicitè tribuere Deo infinita attributa, dum tribuit infinitatem ſimpliciter. Ad tertium infinitatem intenſiuam Dei exigere, quod ex ſua natura poſſit explicari per infinita attributa. quia quælibet perfectio, quæ ipſi tribuatur deſumpta ex creaturis, inadæquatè ſe habet. Ad quartum. Non poſſe alia attributa excogitari, quia ex creaturis non habemus alios conceptus, per quos illa explicemus, non autem ex natura rei.

An attributa diſtinguantur ab eſſentia formaliter ex natura rei.

SECTIO II.

12 SVpponendum eſt tanquam certum de fide. Attributa neque ab eſſentia, neque inter ſe realiter diſtingui, vt definitum eſt in Concilio Remenſi, cuius definitio fuit approbata ab Eugenio III. & in capitulo *Firmiter.* definitur, Deum eſſe omnino ſimplicem, quod ſaluari non poſſet, ſi attributa realiter diſtinguerentur. Rationem affert D. Bernardus contra Gualterum *ſerm. 80. in Cantica.* Si attributa diſtinguuntur realiter ab eſſentia. Vel important aliquid ſuperius, vel aliquid æquale, vel aliquid inferius. Si primum. Contra. quià cum Diuina eſſentia ſit ſummum ens, non poteſt habere aliquid ſuperius. Si ſecundum. Ergo plures Dei, quia ad ſaluandam æqualitatem, opus erit, vt eadem prædicata omnibus attributis conueniant, & eſſentiæ. Si tertium, ergo erit quid creatum, quia omne inferius eo ipſo, quod eſt inferius, non poteſt eſſe ens à ſe.

13 Supponendum ſecundò diſtinctionem formalem ex natura rei ſtare cum identitate reali vt docet Scotus *in 1. diſtinct.2.q.7.* Vndè non eſt diſtinctio ſecundum entitatem, ſed tantum ſecundum formalitatem eiuſdem entitatis, quæ dicitur ex natura rei; quia conſequitur ex natura ipſorum extremorum, quatenus ex vi ſuæ formalitatis vnum non communicat cum alio. Hinc præcedit actum intellectus diſtinguentis, & dicitur etiam diſtinctio rationis ſumendo rationem obiectiuo modo, videlicet pro quidditate; & dicitur etiam virtualis, quatenus actu non importat rem, & rem, ſed ita ſe habet, vt æquiualeat rei, & rei. Differt autem à diſtinctione rationis, quia hæc fit ob imperfectionem conceptus, quatenus aut aliquid inadæquatè concipitur, vt cum concipitur quidditas non concepto modo intrinſeco. Vel quando aliquod totum concipitur, & non ad modum totius, vt cum concipitur definitio diſtincta à definito.

14 Prima ſententia aſſerit, attributa diſtingui inter, ſe & ab eſſentia ex natura rei. Ita Scotus *in prima diſtinctione 8. quæſtion. 4.* Mayron. *quæſt. 5.* Rubio *queſt. 4.* Antonius Andreas *quæſt. 4.* Lichetus *queſt. 3.* Tartaretus *diſtinct. 2. parte 2. quæſt. 7.* Baſſolis *diſtinct. 22. quæſt. 4.* Smiſing. *tractat. 2. de Deo vno diſput. 1. queſt. 2. ſententia 4.* & communiter Scotiſtæ. Probant. Quià patres ponunt in Deo alteritatem, varietatem, multiplicitatem ſecundum attributa; & aſſerunt attributa circumſtare eſſentiam veluti qualitates, quæ non poſſunt ſaluari, niſi poſita diſtinctione formali. Secundò quæ poſſunt realiter ſeparari diſtinguuntur realiter, ergo quæ poſſunt ſeparari formaliter ex natura rei, diſtinguuntur formaliter, &c. Attributa autem ſeparantur formaliter ex natura rei, nam ſeparantur per affirmationem, & negationem, quod enim dicitur de vno, negatur de alio, & contradictoria verificantur de ipſis ſit, vt quod intellectus ſit principium generationis, & non ſpirationis. Confirmatur. Præciſo actu noſtri intellectus, ſi attributa non diſtinguerentur formaliter,

Digitized by Google

Filius non magis procederet, per intellectum, quam per voluntatem, & Concilia hoc definientes ſolum definirent diſcrimen à nobis concipiendum, non autem quod eſſet à parte rei, nec Deus tale diſcrimen cognoſceret, ergo. Tertiò. Si non diſtinguerentur ex natura rei eſſent veræ iſtæ propoſitiones Deus intellectu vult, & voluntate intelligit. Quartò ſapientia, & iuſtitia, prout præſcindunt à Deo, & creaturis diſtinguuntur ſecundum ſuas formalitates, ergo etiam in Deo; quod enim conuenit communi rationi præciſè, ſemper illi conuenit. Quintò. ſapientia eſt magis identificata ſibi, quam Iuſtitia, ergo reſpectu Iuſtitię debet carere aliqua identitate, quæ non poteſt eſse alia, quam formalis.

15 Secunda ſententia negat diſtingui ex natura rei. Ita ij omnes, qui ponunt ſolum diſtinctionem rationis, quos infra afferemus.

16 Notandum 1. Attributa poſſe conſiderari prout ſunt in obiecto, & pro vt ſunt in repræſentatione noſtrorum conceptuum. Differunt autem, quia in obiecto infinito modo ſe habent, Quia quidquid eſt in Deo, infinito modo in ipſo reperitur. Secundo modo modificantur ab ipſa repræſentatione, quia habent illud eſse, quod dat repræſentatio.

17 Notandum ſecundò. Omnes conceptus, quos de Deo formamus formari per ſimilitudines rerum creatarū; vndè id, quod concipimus de Deo, eſt illud, quod eſt in creaturis, præciſis tamen imperfectionibus. Hinc quidquid de Deo concipimus, acquirit in repræſentatione noſtrorum conceptuum modum eſſendi, quem habent res creatæ; Ideo finito modo ſe habet; medium enim repræſentationis non eſt proprium, nec repræſentat ſecundum exigentiam obiecti, ſed eo modo, quo repreſentat rem, cuius eſt proprium medium; implicat enim, quod aliter repræſentet, ac ex natura ſua habet repræſentare.

18 Notandum tertiò modum, quo attributa repræſentantur poſſe conſiderari ex parte repræſentationis, & ex parte obiecti. Primò modo dicit illam menſuram, qua determinatur repreſentatio. Secundo modò dicit modum, quo ſe habet obiectum, quatenus terminat repræſentationem. Quando autem attributa concipiuntur, modus finitus non ſolum ſe tenet ex parte repræſentationis, vt patet; ſed etiam ex parte obiecti, quia obiectum non attingitur per proprium medium, ſed quod eſt in creaturis tribuitur Deo vndè ſemper noſtra cognitio terminatur ad aliquid, quod ſit in creaturis applicatum Deo.

19 Dico 1. *Attributa, pro vt ſunt in ſe, & ſe tenent ex parte obiecti non diſtingui ex natura rei formaliter.* Prob. Quia Patres docent, attributa non ſolum dici eſſentialiter, ſed etiam eſſe ipſam eſſentiam, ita vt eſſentia Dei ſit eſſe ſapientē, bonum &c. Hoc dici non poſſet, ſi ex natura rei formaliter diſtinguerentur, quia tunc eſſent extra eſſentiam. Hinc Leo Papa *ad Thurib. cap. 5.* Quidquid *dignè vtcunque ſentitur, non qualitas eſt, ſed eſſentia.* Baſil. *De Spiritu Sancto cap. 9. Cui bonitas eſt ipſa eſſentia.* Auguſtinus *7. de Trinitate cap. 6. Eadem ibi ſapientia eſt, quæ eſſentia,* & *lib. 15. cap. 5. Quæ iuſtitia ipſa bonitas, & quæ bonitas ipſa Beatitudo,* & ſimilia docent alij Patres.

20 Reſpondet Lychetus. Attributa dici eſſentialia, quatenus eſſentiale contradiſtinguitur ab accidentali; non autem quatenus ſignificat eſſe intra quidditatem. Contra. Quia dicunt vnum eſſe aliud in abſtracto, & eſſe ipſam eſſentiam. Secundo quia volunt, non aliud eſſe Deo, Deum eſſe, ac ſapientem eſſe, quod non eſt aliud, quàm ratione ſapientię conſtitui in eſſe Dei, quod falſum eſſet, ſi attributa ex natura rei eſſent extra quidditatem.

21 Reſpondent 2. Scotiſtę. Patres intelligere de identitate reali. Contra. Quia identitas realis non facit, quod attributa in abſtracto ſint eſſentia.

22 Secundo probatur. Patres docent, attributa importare ipſum eſſe Dei, quo Deus eſt. Auguſtinus 6. de Trin. cap. 4. *Deo hoc eſt eſſe, quod eſt eſſe fortem, aut iuſtum eſſe, aut ſapientem eſſe.* Et lib. 7. cap. 6. *Quid enim aliud dicimus, cum dicimus hoc illi eſt eſse, & quod ſapere, niſi & eſt, quod ſapiens eſt, quapropter qua cauſa eſt illi, vt ſapiens ſit, ipſa illi cauſa eſt, vt ſit.* Hoc autem non poſſet ſaluari, ſi attributa ex natura rei diſtinguerentur ab eſſentia, quia tunc non eſſent formalia conſtitutiua eſſentiæ. Confirmatur Deus eadem ratione formali, eſt Deus, viuens, intelligens, potens, &c. vndè Auguſtinus *in quæſtione. de Trinitate* habet. *Deus eo ipſo, quo eſt, viuit, & eo ipſo, quo viuit, intelligit, & eo ipſo, quo intelligit, poteſt, & eo ipſo, quo poteſt eſt.* Confirmatur 2. In Deo non eſt aliud, quod habet, & id, quod habetur, ergo attributa non diſtinguuntur ex natura rei. Conſequentia probatur. Quia poſita tali diſtinctione non eſſet idem ex natura rei, quod habet, & quod habetur, quia eſſentia eſſet habens, & attributum, quod haberetur hinc Bernard. ſerm. 80. in Cantic. *Si quid itaque de Deo propriè dici poteſt, rectius, congruentiuſque dicitur, Deus eſt magnitudo, bonitas, Iuſtitia, Sapientia, quam Deus eſt Magnus, bonus, iuſtus, aut ſapiens.*

23 Tertiò probatur. Eſſentia Dei eſt infinita, ita vt infinitas ſit ſaltem modus ipſius, ergo attributa non diſtinguuntur ex natura rei ab eſſentia, ita vt ſint extra quidditatem ipſius. Conſequentia probatur. Eſſentia eſt infinita in ratione eſſendi. Infinitas autem eſſendi importat omnem perfectionem, quia importat omnem rationem eſſendi. Confirmatur. Infinitas Diuinæ eſſentiæ eſt infinitas in ratione entis, cui repugnat coarctari ad certam rationem eſſendi, ergo non poteſt ex natura rei excludere attributa.

24 Reſpondent Scotiſtæ. Sufficere, ſi includat attributa virtualiter. Contra. Vbi eſt aliqua ratio formali modo, ibi debet eſſe formali modo id, per quod conſtituitur in eſſe tali; infinitas autem eſt formali modo in eſſentia, & conſtituitur In ſuo eſſe formali per omnes perfectiones, & rationes eſſendi.

25 Reſpondent ſecundò ſufficere, ſi quocunque modo habeat omnes perfectiones. Contra. Infinitas includit omnem perfectionem in ſuo formali, & quidditatiuo conceptu, ita vt neque ſaluari, niſi includat omnem perfectionem, ergo debet etiam includi quidditatiuè in eo, quod eſt formaliter infinitum.

26 Reſpondent tertiò. Eſſentiam, & attributa habere eandem numero infinitatem, & ideo ratione ipſius eſse tam perfecta attributa, quam eſt eſsentia. Contra. Eadem infinitas eſt in eſsentia, & in attributis, ergo non diſtinguuntur ex natura rei, quia iam ſunt vnum in vna, & eadem ratione formali infinitatis. Secundo. Sequeretur, quod idem eſset ex natura rei extra, & intra eſsentiam, videlicet infinitas; nam eſset intra, quia eſsentia, per ipſam eſset infinita; & eſset extra, quia eſset in attributis, quæ ſunt extra eſsentiam.

27 Reſpondent quartò. Infinitatem non eſse de quidditate eſsentiæ, ſed ſolum conuenire illi denominatiuè. Contra. Eſsentia quidditatiuè eſt ens per eſsentiam, ergo habet infinitatem eſsendi, ſaltem vt modum intrinſecum. Secundò. Infinitas eſt in Deo, ergo eſt vna ratio formalis, quæ ex natura rei dicit totalitatem perfectionis, quia eſt de ratione infinitatis vnire formali modo in vnam rationem omnes perfectiones, hæc autem ratio non poteſt eſse alia, quàm eſsentia.

28 Dico ſecundo. *Attributa ſecundum eſſe obiectiuum applicatum per repræſentationem noſtrorum conceptuum important formalitates, quæ diſtinguuntur ex intrinſeca ſua ratione.* Deſumitur ex Patribus, quatenus docēt attributa inconſtare eſsētię; Vnum non eſse aliud; non ſignifi-

Digitized by Google

ſignificare ſubſtantiam, & alia huiuſmodi. Probatur. Attributa, & eſsentia terminant noſtram cognitionem, per eſse obiectiuum rerum creatarum ſibi applicatum, ergo diſtinguuntur ex natura noſtra. Antecedens probatur. Quia perfectiones Diuinæ innoteſcunt nobis ſolum per conceptus rerum creatarum, ergo terminant cognitionem per eſse obiectiuum rerum creatarum. Conſequentia probatur. Quia tale eſse obiectiuum importat formalitates rerum creatarum, quæ diſtinguuntur ex intrinſeca ſua ratione, quia habet eſse menſuratum, & determinatum ad certam rationem eſsendi; vndè vna formalitas non poteſt comunicare cum alia in eſse formali.

29 Ad Primùm. Reſpondetur. Patres ponunt in eſse Diuino Multiplicitatem, varietatem, &c. pro vt ſtat ſub eſse obiectiuo applicato per noſtros conceptus, non ſecundum ſe. Hinc Cyrillus Alexandrinus *lib. 11. Theſauri ait. Non poteſt humana natura maius aliquid, quam ipſa concipere poſſit, de Deo dicere, noſtro enim proprio modo intelligimus, & loquimur ex illis, quæ in nobis ſunt, quaſi per exempla, maiora, hoc eſt Diuina, intelligentes.* Ad ſecundum negatur conſequentia. Nam non poſsunt inter ſe attributa, aut ab eſsentia formaliter ex natura rei ſuperari, quia ratione infinitatis eſsendi ſunt vna ſimpliciſſima ratio formalis. Ad probationem. Illam ſeparationem, quæ fit per affirmationem, & negationem, & ſecundum contradictoria, procedere de attributis, pro vt ſtant in repræſentatione noſtrorum conceptuum, & prout important illos conceptus obiectiuos, quos ex creaturis deſumptos applicamus eſse Diuino. Si autem contradictoria comparentur ad eſsentiam, & attributa, pro vt ſe habent ex parte obiecti, tunc poſſunt enunciari de vna, & eadem formalitate, quia non retinent rationem contradictionis; cum enim habeant finitum modum ſignificandi, non adæquant eſse infinitum, ſupra quod cadunt. Vt autem aliqua ſint contradictoria, debent adæquare id, ſupra quod cadunt; Ad Confirmationem. Cum dicitur Verbum procedere per intellectum, & non per voluntatem, non ſignificatur diſtinctio aliqua attributalis, ſed diſtinctio principij, & termini, quæ eſt à parte rei, nam Principium Filij eſt natura Diuina vt terminata vnica hypoſtaſi, principium verò Spiritus Sancti eadem natura Diuina vt terminata duplici hyppoſtaſi, videlicet Patris, & Filij. Hæc autem diſtinctio eſt realis, quia eſt ſecundum hyppoſtaſes, & ſimiliter etiam diſtinctio termini eſt realis, quia Filius diſtinguitur realiter à Spiritu Sancto. Et hoc eſt quod Fides docet, & Concilia definiunt, & Deus videt. Ad tertium negatur ſequela. Quia illæ propoſitiones procedunt de attributis, pro vt dicunt eſse obiectiuum applicatum per noſtros conceptus. Ad quartum. Sapientia, & Iuſtitia, ſecundum ſuas præciſas rationes importare quid participatum, quia dicunt aliquam portionem entis, & determinatam rationem eſsendi, vndè non poſſunt ſe habere, vt quid commune Deo, & creaturis, alioquin eſset aliquid finitum in Deo, & Deus contineretur ſub eadem ratione communi cum creaturis, vndè argumentum ſupponit falſum. Ad quintum. Sapientiam eſſe ſibi magis identificatam, quam iuſtitia, ſi conſideretur ſecundum propriam rationem, & prout dicit limitatum modum eſsendi, non autem ſi conſideretur, pro vt eſt in Deo, quia tunc ſicuti caret limitatione eſsendi, ita etiam caret diſtinctione, quæ prouenit ex tali limitatione.

An attributa ſint de quidditate eſsentiæ.

SECTIO III.

30 Prima ſententia eſt negatiua. Ita non ſolum Scotiſtæ, ſed etiam Caietanus 1. *parte q. 12. artic.* 1. Vaſquez *diſp.* 119. *cap.* 2. Henricus 1. *parte art.* 32. *q.* 1. *Ad* 3. Albertus *in* 1. *diſt.* 8. *art.* 3. & 4. Gillius *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 2. & 3. Faſolus 1. *p. q.* 4. *art.* 2. *dubit.* 1. & *ſequentibus*. Probant afferendo auctoritates Patrum, qui dicunt attributa circumſtare eſsentiæ, & eſse aliud ab ipſa. Secundò. Quia ſaluatur ratio eſsentiæ per id, quod ſit ſubſtantia infinita viuens.

31 Secunda Sententia aſserit, attributa eſse de quidditate eſsentiæ. Ita Ferrarienſis 1. *contra Gentes cap.* 24. Sotus *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 3. *art.* 3. Hiſpalenſis *in diſt.* 8. *q.* 4. *art.* 3. Toletanus *q. vnica art.* 1. Bannes 1. *p. q.* 28. *artic.* 2. *dubitat.* 3. Molina *dup.* 4. Suarez *lib.* 1. *de Deo vno cap.* 11. & alij.

32 Dico primò. *Attributa non aliquo pacto conſequi eſsentiam, niſi quia de eſse implicito tranſeunt ad eſse explicitum.* Probatur ſi conciperentur fluere ab eſsentia, vt virtualiter contenta in ipſa, deſtrueretur in eſse obiectiuo ratio deitatis, ergo non poſſunt concipi fluere tali pacto, quia noſter modus concipiendi debet accomodari exigentiæ obiecti. Antecedens probatur. Illa eſsentia in illo conceptu ſe haberet potentiali modo. Implicat autem deitatem concipi cum potentialitate. Rurſus non ſe haberet vt ens per eſsentiam, quia obijceretur, vt habens determinatam rationem eſsendi; nam determinaretur, vt non eſset illa perfectio, quam dicunt attributa.

33 Dices. Non eſse veram rationem potentialitatis, quia non habet fundamentum in obiecto. Contra. Ergo nec in obiecto adeſt fundamentum concipiendi, quod tali pacto fluant attributa. Secundò etiamſi non adſit fundamentum, adhuc in eſse obiectiuo aliquid tribuitur deitati, quod ipſam deſtruit.

34 Obijcit Gillius. Sequeretur quod non poſſet ſaluari prioritas eſsentiæ reſpectu attributorum, nec vnius attributi reſpectu alterius. Reſpondetur non debere ſaluari aliam prioritatem, niſi illam, per quam vnum deducimus ex alio; pro hac autem ſufficit, ſi eſsentia ratione ſuæ plenitudinis exigat explicari per omnes perfectiones, quia conſequenter exigit explicari eo ordine, qui eſt inter tales perfectiones.

35 Obijcit ſecundò. Quia ſic attributa eſsent priora eſsentia, quia conſtituerent ipſam. Reſpondetur. Id ſequitur tantum, ſi eſsent in eſsentia ſecundum ſuas determinatas rationes, quia tunc eſsent veluti partes; non ſunt autem, quia illæ determinatæ rationes tribuuntur eſsentiæ ad explicandam eius infinitam perfectionem.

36 Dico ſecundò. *Attributa eſse de conceptu eſsentiæ ſecundum ſe conſideratæ, quia tum eſt ex parte obiecti.* Probatur. Eſsentiam ſecundum proprium conceptum eſt ens per eſsentiam: Ergo quidditatiuo modo ſaltem implicitè importat attributa. Antecedens patet. Quia ens per eſsentiam eſt prima ratio, quam concipimus in Deo. Conſequentia probatur. Quia ens per eſsentiam in ſua formali ratione dicit eſse abſque vlla limitatione, & abſque vllo determinato modo eſsendi, ergo dicit plenitudinem perfectionis, atque adeo totalem perfectionem Dei.

37 Reſpondet Faſolus. Ens per eſsentiam nil aliud dicere, niſi exiſtentiam ſibi quidditatiuam. Contra. Eſsentia diuina quidditatiuè includit exiſtentiam, ergo etiam omnem rationem eſsendi. Conſequentia probatur. Quia eo ipſo, quod dicit exiſtentiam quidditatiuè, dicit etiam eſse à ſe, & conſequenter dicit habere eſse illimitatum. Secundò. Ens per eſsentiam dicit totalitatem entis, ita vt non ſit aliud ens extra ipſum, quod non ſit ab ipſo participatum, ergo dicit plenitudinem eſsendi.

38 Conf. Eſsentia Diuina eſt infinita quidditatiuè, ergo in

Digitized by Google

28 Confirmatur. Eſſentia diuina eſt infinita quidditatiuè, ergo in ſuo conceptu quidditatiuo includit omnes perfectiones. Conſequentia probatur. Quia talis infinitas eſt infinitas in eſſendo, quæ coadunat in vnum omnes perfectiones.

29 Dices infinitatem coadunare omnes perfectiones tantùm identicè. Contra. Infinitas eſt formalis ratio identificatiua, ergo ſecundum illam rationem identificat, ſupra quam cadit, ergo cum cadat ſupra quidditatem, debet quidditatiuo modo identificare. Secundò eſſentia diuina dicit infinitatem ſecundum ſuam rationem quidditatiuam: ergo quidditatiuè dicit omnem rationem quidditatis, atque adeo omnem perfectionem.

30 Dico tertiò. *Attributa ſecundum eſſe obiectiuum, quod habent ex applicatione noſtrorum conceptuum, licèt concipiantur, vt contradiſtincta ab eſſentia, adhuc tamen ſunt de conceptu adæquato eſſentiæ, ita vt debeant ad ipſam comparari tanquam complementum eſſentiale eo pacto, quo plures rationes comparantur, vt partes conſtitutiuæ ad eandem eſſentiam.* Probatur. Eſſentia Diuina eſt ſimpliciter infinita in omni genere: ergo vt concipiatur ſecundum hanc infinitatem, debet ita concipi, vt nulla ratio entis ſit extra ipſum, ergo quando concipiuntur attributa, vt perfectiones inuicem contradiſtinctè, & ab eſſentia, debent adhuc concipi, vt pertinentes ad intrinſecam rationem eſſentiæ, alioquin eſſentia non retineret ſuam infinitatem.

31 Dices. Sequeretur, attributa non conſequi ab eſſentia, nec poſſe de ipſa demonſtrari. Reſpondetur ſequi, quod non conſequantur ab ipſa, vt à radice continente virtualiter; non autem, quod non conſequantur eo modo, quo explicauimus. Poſſunt autem demonſtrari, quia in conceptu eſsentiæ implicito modo continentur, quia non aliud demonſtratur, niſi quod illa perfectio reperiatur in eſse diuino, & illatio fundatur in illa connexione, per quam ratione infinitatis omnes perfectiones adunantur in Deo.

32 Ad primum. Patres, vt diximus in ſuperioribus, nihil aliud intendere, niſi quod attributa inuicem, & ab eſsentia diſtinguantur ſecundum eſse obiectiuum applicatum per noſtros conceptus. Ad ſecundum. Ex eo, quod diuina eſsentia concipitur, vt ſubſtantia infinita, concipitur etiam cum omnibus attributis, quia concipitur cum omni ratione ſubſtantiali, quæ Deo conuenit.

An eſſentia ſit de conceptu attributorum.

SECTIO IV.

33 PRima ſententia eſt negatiua. Ita Alenſis *prima parte quæſt.* 51. *memb.* 1. Albertus *in* 1. *diſtinct.* 8. *artic* 3. *&* 4. Capreolus *quæſt.* 4. *artic.* 2. *ad ſecundum. Aureoli contra primam concluſionem.* Hiſpalenſis *artic.* 4. Vaſquez *prima parte diſtinct.* 119. *cap.* 2. Gillius *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 7. Faſolus *prima parte quæſt.* 4. *art.* 2. *dub.* 10. *& alij.* Probant. Quando concipiuntur attributa, non concipitur eſsentia, quia conceptus formalis illam non repræſentat, ergo. Secundò. Quia attributa præcisè conſiderata non important perfectiones ſubſtantiales eſsendi. Tertiò. Concipiuntur emanare ab eſsentia; ſubiectum autem, à quo aliquid emanat non eſt de intrinſeca ratione ipſius, quia non prædicatur in primo modo dicendi per ſe.

34 Secunda ſententia eſt affirmatiua, ita Torres *de Trinitate quæſt.* 28. *artic.* 2. *diſp.* 2. *dub. vnico.* Valentia *tom* 1. *diſput.* 1. *quæſt.* 12. *punct.* 7. Suarez *in methaph. diſp.* 30. *ſect.* 6. & *lib.* 1. *De Deo Vno cap.* 12. Molina 1. *parte quæſt.* 28. *art.* 2. *diſp.* 4.

35 Dico primò. *Eſſentiam eſſe de intrinſeca ratione attributorum prout ſe tenent ex parte obiecti.* Deſumitur ex Diuo Anſelmo *in Monol. cap.* 16. vbi habet. *Idem igitur eſt quodlibet illorum, quod omnia ſunt ſimul, ſiue ſingula, & cum dicitur iuſtitia, vel eſſentia. Vnum ſignificat, quod aliud, vel omnia ſimul, vel ſingula.* Auguſtino 15. de Trinitate cap. 5. *Non eſt aliud ſapientia, aliud eſſentia.* Probatur. Attributa in proprio conceptu quidditatiuo important rationem entis, qua ſunt aliquid, & hæc ratio entis non eſt aliud, quàm ens per eſsentiam, ergo in ſuo conceptu inuoluunt eſsentiam. Conſequentia probatur. Quia ratio entis per eſsentiam eſt ratio eſsentiæ.

36 Dices. Attributa importare tantum inadæquatè rationem entis per eſsentiam. Contra. Ratio entis per eſsentiam conſiſtit in indiuiſibili ergo, aut tota, aut nihil de ipſa poteſt importari. Secundò. Eſsentia ſecundum proprium conceptum eſsentiæ non poteſt diuidi in plures conceptus: ergo nec ens per eſsentiam; diuideretur autem, ſi ex parte obiecti inadæquatè importaretur.

37 Dices ſecundò. Præſcindere ab ente per eſsentiam. Contra. Non præſcindunt ab eſse reali, ergo, nec ab illa ratione, per quam formaliter ſunt quid reale. Secundò. Si præſcinderet, poſset de ipſis negari, ſicut rationalitas de animalitate.

37 Dico ſecundò. *Attributa conſiderata ſecundum eſſe obiectiuum applicatum per noſtros conceptus, trahunt ad ſe eſſentiam tanquam quid coeſſentiale, ratione cuius ſubſiſtunt in propria quidditate.* Probatur. Attributa licet concipiantur, vt diſtincta ab eſsentia, concipiuntur tamen, vt communicantia in eadem eſsentialitate, ergo illam exigunt, vt quid eſsentiale. Antecedens probatur. Quia communicant in eadem infinitate, & & plenitudine eſsendi.

38 Ad primum negatur antecedens. Nam, quando concipiuntur attributa, concipitur etiam eſsentia implicitè, & ſi perfectè concipiuntur, debet concipi etiam explicitè, quia concipiuntur vt ens per eſsentiam. Ad ſecundum negatur aſsumptum, quia important perfectionem ſubſtantialem, cum importent ipſum eſse per eſsentiam. Ad tertium non emanare ab eſsentia, niſi ſecundum modum concipiendi explicitum, vnde debent concipi contineri in eadem eſsentia, vt aliquid de ipſa.

39 Obiicitur. Attributa includuntur in eſsentia, & eſsentia in attributis, ergo idem eſt includens, & incluſum, prius, & poſterius in eodem genere cauſę formalis. Reſp. Nego antecedens. Nam inter eſsentiam, & attributa non interuenit incluſio, quia eadem perfectio, quæ eſt eſsentia, eſt etiam attributum, & ſolum adeſt diſcrimen, quod quando concipitur, vt eſsentia, diuerſo modo explicatur, ac quando concipitur, vt attributum.

An vnum attributum ſit de eſſentia alterius.

SECTIO V.

40 PRima ſententia eſt negatiua. Ita ii, qui negant, eſsentiam eſse de quidditate attributorum, & præcipuè Gillius *lib.* 2. *tract.* 6. *cap.* 8. Et Faſolus *prima parte quæſt.* 4. *art.* 2. *dubit.* 11. Probant. Quia in ſcriptura aliqui effectus tribuuntur vni, & alii alteri. Secundò. Quia nomina, quibus explicantur, non ſunt Synonima. Tertiò. Attributa ad inuicem habent ordinem prioritatis, & poſterioritatis; vnde vnum demonſtratur per aliud. Quartò. Attributa fundant diuerſa prędicata intrinſeca Deo, vnde dicitur Deus intellectu cognoſcere, voluntate velle, & non è contra.

41 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita ii, qui volunt eſſentiam eſſe de quidditate attributorum.

42 Dico primò. *Attributa ſecundum proprium eſſe conſiderata, ex parte obiecti, ita ſe habere, vt vnum ſit de quidditate alterius.* Deſumitur ex Patribus Bernardo ſerm. 80. in Cantic. *Nec enim aliunde bonus, quam vnde magnus, nec aliundè iuſtus, aut ſapiens, quam vnde magnus, & bonus.* Anſelmo *cap. 16. Monologij*, vbi cum dixiſſet, rationale corpus, & hominem eſſe tria, deinde ſubdit. *Non ſic ſe habere diuinas perfectiones, ſed omnia in Deo dici ſecundum conſiderationem, quia vnum eſt quodlibet illorum, quod omnia ſunt ſimul.* Auguſtin. ſerm. 40. de tempore. *Hoc eſt in Domino virtus, quod iuſtitia, quidquid de illo dixeris, hoc idem dices.* Probatur. Quodlibet attributum eſt infinitum in ratione eſſendi, ita vt infinitas non ſolum ſit quaſi accidentalis, ſicuti eſſet infinitas intenſiua perfectionum creatarum, ſed ſit infinitas ſecundum eſſentialitatem eſſendi: ita vt in ratione quidditatis infinito modo ſe habeant: ergo vnum eſt de quidditate alterius. Conſequentia probatur. Quia poſita infinitate ſecundum quidditatem, debet poni omnis ratio quidditatis, atque adeò omnis perfectio.

43 Dices. Attributa ſecundùm ſe præciſè eſſe tantum infinita in ſuo genere: Contra. Quia non eſſent infinita ſecundum quidditatem, nam haberent quidditatem determinatam ad certum genus; & menſuratam certa menſura. Secundò ſublata infinitate in omni genere remanet aliquid finitum ſimpliciter ſecundum eſſe, atque adeò participatum. Tertiò, infinitas in eſſendo excludit terminum ſecundum rationem eſſendi; quod fieri non poteſt, niſi importet omnem rationem eſſendi.

44 Dico ſecundò. *Attributa ſecundum eſſe obiectiuū applicatum per noſtros conceptus eſſe ſibi inuicem coeſſentialia.* Probatur. Licet concipiantur diſtincta, concipiuntur tamen communicare in eadem ratione actus puri, & infinitatis eſſendi. Ergo ſe habent coeſſentiali modo, quia ea ſe habent coeſſentiali modo, quæ communicant in eadem ratione quidditatiua.

45 Ad primum, Reſpondetur effectus, qui tribuuntur vni attributo, non tribuuntur alteri, prout ſtāt ſub repræſentatione noſtrorum conceptuum, non verò ſecundum ſe. Ad ſecundum nomina diuinorum attributorum non eſſe Synonima, quia explicant diuina attributa mediantibus noſtris conceptibus, atque adeò prout ſtant in repræſentatione ipſorum. Ad tertium. Attributa habere prioritatem, & poſterioritatem quando conſiderantur, vt explicata per conceptus rerum creatarum. Quia ſicuti tribuuntur Deo perfectiones creatæ, ita etiam tribuitur ordo ipſarum; hic autem ordo non fundatur in ipſo eſſe diuino; inſeruit tamen ad colligendum vnam perfectionem ex alia, quia cum eſſe diuinum exigat explicari per omnes perfectiones compoſſibiles, exigit etiam explicari ſecundum illum ordinem, quem ipſæ habent ad inuicem. Ad quartum fundare affirmationes, & negationes, quia prædicata, quæ tribuuntur Deo, procedunt ſecundum noſtros conceptus, atque adeò cadunt ſupra attributa, prout ſtant in repræſentatione noſtrorum conceptuum.

An attributa diſtinguantur ratione;

SECTIO VI.

46 QVæſtio procedit de attributis conſideratis ſecundum verum eſſe obiectiuum, non autem ſecundum illud, quod habent ex applicatione noſtrorum conceptuum. Supponendum autem eſt. Diſtinctionem rationis diuerſimodè aſſignari licet, quoad rem nulla ſit diuerſitas. Vnde alia eſt diſtinctio, in qua idem prorſus concipitur in vtroque extremo, vt cum idem diſtinguitur à ſe ipſo; alia vero, in qua extrema differunt ſolum ſecundum eſſe explicitum, & implicitum, vt cum definitio diſtinguitur à definito. Tertia, in qua extrema differunt ſecundum diuerſas formalitates, vt cum diſtinguitur animalitas à rationalitate, & hæc diſtinctio magis communiter vocari ſolet rationis ratiocinatæ ſecundum conceptus adæquatos.

47 Prima ſententia aſſerit, attributa diſtingui ratione ratiocinata cum fundamento in re. Ita Alenſis *prima parte quæſt. 23. memb. 4. artic. 1.* Aegidius *in 1. diſtinct. 8. parte 2. quæſt. 1. art. 4.* Rubio *quæſt. 4. art. 1.* Toletanus *quæſt. vnica artic. 2.* Durandus *q. 3.* Carthuſianus *quæſt. 2.* Molina *prima parte quæſt. 28 artic. 2. diſp. 3.* Faſolus *quæſt. 4. artic. 2. dubit. 14.* Suarez *lib. 1. de Deo Vno, cap. 13.* Et alii plures, quorum aliqui volunt, diſtingui ſecundum conceptus adæquatos; alii verò ſecundum conceptus inadæquatos. Probant. Quia rationes formales attributorum ſunt ex genere ſuo diſtinctæ. Secundò. Quia hæc diſtinctio ſufficit, vt aliquæ propoſitiones ſint veræ, & aliquæ falſæ. Tertiò. Quia aliquod prædicatum independenter ab intellectu conuenit vni attributo, & non alteri.

48 Secunda ſententia negat, diſtingui ratione. Ita Marſilius *in 1. quæſt. 13. art. 2.* Ochamus *diſt. 2. quæſt. 2.* Gabriel *art. 2. concluſ. 1.* Ariminenſis *diſtinct. 8. quæſt. 2. artic. 1.* Alliacenſis *quæſt. 6. art. 2.* Maior. *quæſt. 1.* Aureol. *part. 3. diſtinctionis, art. 6.* Nouocaſtro *diſtinct. 32. q. 2.*

49 Dicendum eſt. *Attributa non diſtingui ratione, ita vt diſtinctio cadat ſupra eſſe proprium attributorum, quod eſt in Deo, & ſubſternitur eſſe obiectiuo applicato per noſtros conceptus, ſed totam diſtinctionem ſe tenere tantum ex parte noſtrorum conceptuum.* Deſumitur ex Diuo Anſelmo *cap. 16. Monologij*, Ibi ait, *Homo ſecundum varias conſiderationes dicitur corpus, rationalis, & Homo, illa verò ſumma eſſentia nullo modo ita eſt aliquid, vt illud idem ſecundum alium modum, aliumue conſiderationem, non ſit omnia.* Probatur. Si diſtinctio caderet ſupra eſſe intrinſecum Dei, deberet vno conceptu, aliquid de ipſo concipi, & aliquid non concipi, & deberet conceptus terminari ad aliquam formalitatem determinatam, quam intellectus cognoſceret ratione ſuæ quidditatis non eſſe aliam: ſed hoc fieri non poteſt, ergo minor probatur. Tunc in Deo eſſet aliqua determinatio ſecundum rationem entis; omnis autem determinatio in ratione entis importat terminum, quia importat portionem entis. Rurſus illæ formalitates in eſſe obiectiuo incommunicabiliter ſe haberent in proprio eſſe formali, quod fieri non poteſt abſque limitatione. Confirmatur. Non poteſt concipi aliquod attributum diuinum, niſi concipiatur cum intrinſeca independentia: ergo non poteſt concipi, vt ratione diſtinctum ab alio. Antecedens probatur. Attributa, ſi diſtinguuntur, non debent quocunque modo diſtingui, ſed vt diuina ſunt; vt autem ſunt diuina dicunt independentiam. Conſequentia probatur, quia independentia fundatur in infinitate ſimpliciter, atque adeo ſupponit omnem perfectionem.

50 Dices concipi independentiam inadæquatè, prout dicit negationem cauſæ. Contra. Negatio cauſæ debet ſupponere fundamentum in eo, cui conuenit; fundamentum autem eſt tantum eſſe infinitum ſimpliciter.

51 Confirmatur ſecundò. Exiſtentia eſt intrinſeca cuicunque attributo, ita vt non poſſit concipi diſtingui ab alio, niſi concipiatur diſtingui ſecundum propriā ſuam exiſtentiam: ergo non poteſt diſtingui ratione. Conſequentia probatur. Eo ipſo, quod concipitur attributum vt exiſtens per eſſentiam, concipitur cum omni eo, quod importat quidditatiuè ipſum exiſtere per eſſentiam;

Digitized by Google

tiam; exiſtere autem per eſſentiam ſupponit infinitatem eſſendi, & ſicut non poteſt concipi, niſi concipiatur id, quod exiſtit; ita etiam niſi concipiatur infinitas eſſendi.

52 Ad 1. Reſpondetur. Rationes attributales non eſſe ex genere ſuo diſtinctas, niſi prout habent talem menſuram quidditatis; quia autem in Deo deponunt talem menſuram ex eo, quod communicant in eadem infinitate, ideo etiam deponunt diſtinctionem, quæ conſequitur ex eſſe quidditatiuo ipſarum. Ad 2. Aliquas propoſitiones eſſe veras, & aliquas falſas, quia loquimur de Deo, pro vt ſtat in repræſentatione noſtrorum conceptuum, ratione quorum habetur diſtinctio. Ad 3. vnum prædicatum conuenire vni attributo, & non alteri, prout attributa ſtant in repræſentatione noſtrorum conceptuum, non ſecundum ſe.

Quodnam ſit fundamentum diſtinguendi attributa.

SECTIO VII.

53 Difficultas eſt, An hoc fundamentum, ratione cuius concipiuntur attributa per plures conceptus, ſit intrinſecum Deo, An vero extrinſecum. Fundamentum intrinſecum dicitur diſtinctio virtualis, quæ nihil aliud eſt, niſi multiplicitas virtualis ſimplicis entitatis continens in ſe perfectiones ſaltem proportionaliter ſimiles ijs, quæ in aliquibus diſtinguuntur; Fundamentum autem extrinſecum non eſt aliud, quam extrinſeca connotata, vt ſunt effectus, qui proueniant à Deo.

54 Prima ſententia aſſerit fundamentum diſtinguendi attributa eſſe virtualem diſtinctionem. Ita Durandus *in 1. diſtinctione 2. quæſt. 3.* Toletanus *diſt. 8. q. vnica art. 2.* Caiet. *q. 12. de ente, & eſſentia.* Molina *1. p. q. 28. artic. 2. diſp. 2. concluſ. 7.* Eſtilius *lib. 2. trac. 6. c. 8.* & communiter Recentiores. Probant. Quia perfectiones Diuinæ correſpondent pluribus entibus ex natura ſua diſtinctis. 2. Reperiuntur in Deo ſecundum propriam rationem formalem completam, & abſolutam in ſuo genere, ergo non diſtinguuntur ſolo connotato, ſed per propriam rationem.

55 Secunda ſententia aſſerit fundamentum eſſe tantum extrinſeca connotata. Ita Ocham. *in 1. diſt. 2. q. 2.* & alij ſectione precedenti allati pro 2. ſententia.

56 Dicendum eſt. *Fundamentum diſtinctionis non eſſe virtualem diſtinctionem, ſed tantum extrinſeca connotata.* Probatur. Non poteſt ſaluari virtualis diſtinctio, niſi ſaluentur in Deo rationes formales perfectionũ creatarum cum eadem determinatione, quam habẽt in creatis; ſed non poſſunt ſaluari, ergo. Maior patet. Quia diſtinctio virtualis eſt cum ordine ad actualem, quæ ſit in alio ſubiecto; vndè importat eaſdem rationes formales cum eadem determinatione, ita vt in eſſe obiectiuo vna non ſit alia, quod fieri non poteſt, niſi retineant determinationem in eſſe formali. Minor probatur. Talis determinatio menſurat ſingulas rationes determinando, ita vt in eſſe formali vna nõ ſit alia; hæc autẽ ratio mẽſuræ repugnat Deo, quia ipſi repugnat quæcũq; limitatio etiã ſecũdũ eſſe formale? Confirmatur. Poſita in aliquo ratione aliqua formali, implicat, quod cõcipiatur cũ oppoſito illius. Sic implicat quod homo concipiatur cum oppoſito rationalitatis, ergo cum in Deo ſit ratio immenſurati ſimpliciter, implicat, quod in ipſo concipiatur quæcumque ratio mẽſuræ; conciperetur autem, ſi in ipſo adeſſet diſtinctio virtualis; quia conciperentur perfectiones Diuinæ cum illa menſura, quam habent in creatis, ratione cuius diſtinguuntur. Confirmatur 2. Attributa, vt Diuina ſunt, habent modum eſſendi infinitum, vndè non habent illam determinationem, ſecundum quam quidditas vnius fiat extra quidditatem alterius, quia ſecundum quidditatem infinito modo ſe habet, ergo non important diſtinctionem virtualem. Conſequentia probatur. Quia diſtinctio virtualis facit, quod extrema in eſſe obiectiuo ita exigente obiecto finito modo ſe habeant, & vnum ſit extra quidditatem alterius.

57 Dicendo 2. *Attributa diſtingui ratione extrinſecorum connotatorum.* Probatur. Quando concipiuntur attributa, concipiuntur cum ordine ad extrinſeca connotata, ita vt concipiantur, quatenus ſtant ſub ipſis, ergo diſtinguuntur ratione connotati.

58 Ad 1. Perfectiones Diuinas non correſpondere pluribus rebus diſtinctis cum eadem determinatione eſſendi, ſed cum infinitate, & ideo excluditur diſtinctio virtualis. Ad 2. Non reperiri in Deo ſecundum propriam rationem habentem eundem modum, & menſuram, ſed cum infinitate eſſendi, & ideo non poſſunt fundare diſtinctionem virtualem, nec tribuere eundem effectum formalem, vt ſi eſſent diſtinctæ.

DE VNITATE DEI, ET ſimplicitate.

DISPVTATIO XIV.

An Deus ſit vnus.

SECTIO I.

1 Loquimur de vnitate, qua ita ſit vnus, vt non ſint plures Dij. Supponendum autem eſt tam contra Gentiles quam contra quoſdam hæreticos, vt Manicheis, qui ponebãt duplicem Deum, vnum auctorem bonorum, & alium auctorem malorum; & Marcionem, qui ponebat vnum Deum ſeueram, & iuſtum auctorem veteris teſtamenti; & alium miſericordem auctorem noui teſtamẽti. De fide eſſe. Vnicum tantum eſſe Deum. Deuteronomij 4. *Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter ipſum*, & cap. 6. *Audi Iſraeb Dominus Deus noſter Deus vnus eſt*, & cap. 32. *Vide quod ego ſim ſolus, & non ſit alius præter me.* Pſ. 82. *Tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terrã.* Io: 17. *Vt cognoſcant ſe ſolum verum Deum.* Ad Galatas 3. *Deus autem vnus eſt.* Difficultas autem eſt, An poſſit naturaliter demonſtrari, Deum eſſe vnum.

2 Prima ſententia eſt negatiua. Ita Ocham. *in 1. diſt. 2. q. 10.* Gabriel *art. 2.* Adamus *q. 1. art. 2.* Baſſolis *q. 3. art. 3.* Maior *q. 3. art. 3.* Fundamentum, eſt quia putant rationes omnes, quæ afferuntur, poſſe ſolui.

3 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita D. Thomas *1. contra Gentes cap. 42.* & *1. p. q. 11. art. 3.* Ferrarienſis *citato loco contra Gentes.* D. Bonauentura *in 1. diſt. 2. q. 1.* Riccardus *art. 1. q. 1.* Scotus *q. 3.* Argentinas *q. 1.* Caiet. *1. p. q. 11. art. 3.* Cumel, Molina, Faſolus, Vaſquez, *ibidem.* Gillius *lib. 2. tract. 3. cap. 7.* Smiſing. *tract. 3. de Deo vno diſp. 1. q. 1.* Suarez *diſp. 29. metaphyſicali ſec. 2. & 3.*

4 Dicendum eſt. *Poſſe demonſtrari, Deum eſſe vnum.* Sequitur ex dictis de exiſtentia Dei, quia eadem demonſtratio, quæ à poſteriori probat; Deum exiſtere probat etiam Deum eſſe vnum; præterea. Probatur Deus eſt ens neceſſarium, & per eſſentiam, ergo eſt vnus. Conſequentia probatur. 1. Quia, ſi ens per eſſentiam eſſet plurificabile, non eſſet maior ratio, cur in duobus, vel pluribus poſſet plurificari, ſed poſſet plurificari in infinitum, vt ſunt naturæ ſpecificæ, ergo cum ſit neceſſariò, actu daretur infinitas Deorum. 2. probatur eadem conſequentia. Si plurificaretur, deberet habere aliquid reale, per quod plurificaretur, & hoc deberet eſſe extra quidditatem entis per eſſentiam, alioquin conueniret vnicuique, cui conueniret eſſe ens per eſſentiam vndè non eſſet ens per eſſentiã, quia extra ens per eſsẽtiã nõ datur ens per eſſentiam, ergo Deus non eſſet ſecundum ſe totum ens per eſſentiam.

5 Se-

Digitized by Google

5 Secundò probatur. Indiuiduatio, ſeu ſingularitas eſt de intrinſeca ratione entis per eſſentiam, ergo repugnat ens per eſſentiam plurificari; ſingularitas enim ponit repugnantiam ad multiplicari. Antecedens probatur. Quia cum ens per eſſentiam ſit ſummè neceſſarium, habet intrinſecè omnem rationem entis ſibi neceſſariam; vndè etiam habet exiſtentiam, ergo cum ſingularitas ſit ratio neceſſaria, erit ipſi intrinſeca.

6 Dices. Hinc ſequi tantum, non poſſe dari duo entia per eſſentiam ſolo numero diſtincta, non autem, quod non poſſint dari veluti ſpecie diſtincta. Contra ens per eſſentiam, ſicuti eſt ſibi ſufficiens, ita includit quidditatiuo modo omnem rationem ſibi neceſſariam ad eſſendum, ergo non ſolum ſingularitatem, ſed etiam omnem rationem ſpecificam, ergo non poteſt ſpecificè plurificari, quia plurificatio deberet fieri per aliquid, quod quidditatiuo modo non includeret. Secundò. Si eſſent plura ſpecie, deberent ſingula eſſe ens, &c. eſſentiam, ergo ens per eſſentiam plurificaretur in illis; hoc tamen fieri non poteſt, quia quidditatiuo modo includit ſingularitatem.

7 Tertiò probatur. Deus eſt actus purus, & perfectiſſimus, ergo non poteſt eſſe multiplex. Conſequentia probatur. De ratione actus puri eſt, quod excludat omnē rationem potentialitatis; &, quia hæc non excluditur, niſi per actum, vt illam excludat, debet habere omnem rationem actualitatis, cuius eſt capax ens per eſſentiam, ergo cum ſit ens à ſe, eſt capax omnis actualitatis, quæ eſt à ſe, ſed, ſi eſſet multiplex, non haberet omnem rationem actualitatis, quia multiplicitas importaret diuerſam rationem actualitatis, ratione cuius vnus Deus diſtingueretur ab alio; & hæc actualitas eſſet à ſe, ergo non eſſet in quolibet omnis ratio actualitatis.

8 Obijcies. Rationes allatæ poſſunt explicari ad demonſtrandam in Deo vnitatem perſonæ, ergo non ſunt demonſtratiuæ. Reſpondetur negando aſſumptum, quia probat ſolum vnitatem vnius entis ſummi, & vnius naturæ: pluralitas autem perſonarum ſtat cum vna, & ſumma natura, ita vt nullo modo ratione ipſarum habeatur plurificatio in ratione ſummi entis per eſſentiam.

Quid dicat ſimplicitas.

SECTIO II.

9 SVpponendum eſt ſimplicitatem nihil aliud importare, quam vnitatem perfectam, qua non ſolum res ſit vna in ſe, ſed etiam abſque vlla compoſitione principiorum intrinſecorum, vt docet Bernardus *ſerm.* 80. *in Cantic.* & 5. *de Conſideratione cap.* 7. Cyrillus Alex. *lib.* 1. *Theſauri cap.* 8. Damaſcen. 1. *De fide cap.* 12. Baſilius 1. *contra Eunom.* Duplex enim ſimplicitas conſiderari poteſt, Alia abſoluta, alia mixta; abſoluta, quæ excludit omnem multiplicitatem, mixta, quæ ſe habet compoſſibiliter cum aliqua multiplicitate, hinc etiam duplex gradus vnitatis, alter, qui excludit abſolutam multiplicitatem, vt vnitas compoſitionis, alius verò, qui excludit omnem multiplicitatem, & eſt vnitas ſimplicitatis.

10 Supponendum ſecundò. Compoſitionem eſſe duplicem. Paſſiuam, & Actiuam. Paſſiua eſt, quæ conuenit rei compoſitæ, quatenus reſultat ex pluribus componentibus; Actiua verò, quæ conuenit parti componenti, quatenus ſe exhibet compoſito, De ratione autem ſimplicitatis eſt, quod excludat, non ſolùm compoſitionem paſſiuam, ſed etiam actiuam, vt ſit perfecta, vt docent communiter cum Diuus Thoma *in* 1. *diſtinctione* 8. *quæſtione* 5. *artic.* 1. & ratio eſt. Quia quod componit cum alio, aliquo pacto communicat in eſſe cum ipſo; vndè ſaltem ſpectet ad integritatem ipſius. Ex hoc autem fit, quod non habeat totam ſuam perfectionem ſimpliciſſimo modo, quia licet in ratione partis ſimplici modo, ſe habeat, non tamen ſe habet quò ad totam ſuam integritatem eſſendi. Difficultas autem eſt. An ſimplicitas de ſuo formali dicat aliquid negatiuum; An autem aliqui poſitiuum.

11 Prima ſententia aſſerit, eſſe aliquid negatiuum formaliter, & connotare ſolum poſitiuum tanquam fundamentum. Ita Caietanus *De ente, & eſſentia cap.* 2. *poſt quæſtionem tertiam*. Aureolus *in* 1. *diſtinctione* 8. *quæſtione* 3. *artic.* 2. Mayronus *quæſtione* 7. *articulo* 1. Bannes *prima parte quæſtione* 3. *art.* 7. Molina *diſput.* 2. Faſolus *dubitat.* 3. Suarez *lib.* 1. *de Deo vno cap.* 3. Probant. Quia ſimplicitas non addit aliquid ſupra eſſe rei ſimplicis, alioquin, ſi adderet, obſtaret ſimplicitati, quia faceret compoſitionem. Secundò. Quia nec compoſitio addit aliquid ſupra compoſitum. ergo

12 Secunda ſententia aſſerit importare formaliter aliquid poſitiuum. Ita Scotus *in* 1. *diſtinctione, quæſtione* 1. *Ad Primum*. Ita Bonauentura *art.* 39. 2. *Ad primum*. Henricus *in ſumma artic.* 28. *quæſtione* 1. Smiſing. *tract.* 2. *de Deo vno diſtinct.* 2. *quæſt.* 2. *num.* 42.

13 Dicendum eſt ſimplicitatem de ſuo formali importare poſitiuam rationem intrinſecam rei ſimplicis. Probatur. Res ſimplex dicit ſpecialem rationem fundantem negationem compoſitionis ſibi inſeparabiliter connexam, ergo dicit aliquid poſitiuum, quo formaliter ſit ſimplex. Antecedens patet, quia negatio compoſitionis eſt ſpecialis negatio, quæ non poteſt vnicuique conuenire, vndè nec poteſt fundari in quacunque ratione. Conſequentia probatur. Hæc ſpecialis ratio debet eſſe aliquid formali modo excludens compoſitionem, nam in tantum alicui tribuitur, in quantum ab ipſo excluditur compoſitio; hoc autem formale excluſiuum formali modo reddit ſimplex. Dices. Hoc fundamentum eſſe ipſam eſſentiam rei ſimplicis. Contra.

14 Quidquid ſit, formali modo excludit compoſitionem, & eſt aliquid poſitiuum, ergo ſimplicitas importabit aliquid poſitiuum, quia importat illud, quo formaliter excluditur compoſitio. Secundò. Eſſe ſimplex eſt natura poſterior ſua eſſentia, ergo eſt attributum illius. Antecedens patet, quia valet regula prioritatis, nam poſita ſimplicitate ponitur eſſentia, poſita verò eſſentia, non ponitur ſimplicitas; quia datur aliqua eſſentia, quæ non ſit ſimplex.

15 Ad primum, ſimplicitatem non addere aliquid diſtinctum ſupra eſſe rei ſimplicis, ſed importare eſſe eiuſdem ſecundum peculiarem rationem, qua excluditur compoſitio. Ad ſecundum negatur conſequentia, nam compoſitio quoque importat rationem poſitiuam, intrinſecè tamen imbibitam in ipſo compoſito, per quam formaliter excluditur pluralitas.

An ſimplicitas ſit perfectio ſimpliciter ſimplex.

SECTIO III.

16 PRima ſententia eſt negatiua. Ita qui negant, dicere aliquid poſitiuum, & præterea. Antonius, Andreas *in* 1. *diſtinctione* 8. *quæſtione* 1. *Ad primum*. Cumel *prima parte, quæſtione* 3. *artic.* 7. Faſolus *dubit.* 3. atque alij plures Recentiores. Probant. Quia non ſemper eſt melior ipſa in vnoquoque, quam non ipſa; melius eſt enim eſſe hominem compoſitum, quam accidens ſimplex.

17 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita. Qui aſſerunt eſſe quid poſitiuum, & præterea Maior *in* 1. *diſtinctione* 8. *quæſtione* 3. Durandus *parte ſecunda diſtinctionis quæſtione* 1. *ad primum*, & deſumitur ex D. Thoma 1. *contra Gentes*, *cap.* 18.

18 Notandum 1. Cum quæritur, An ſimplicitas ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, debet conſiderari ſecundum propriam rationem formalem, non autem ſecundum eſſe ma-

Digitized by Google

ſationes formali modo; ſed tantum cum proportionali æquiualentia.

19 Quæres. An Deus, & mundus ſimul ſint quid perfectius, quam ſolus Deus. Reſpondetur negatiuè cum D. Auguſtino 6. *De Trinitate cap.* 8. Ratio eſt. Quia Deus eſt ipſa plenitudo eſſendi. Vndè nulla perfectio reperitur, quæ in ipſo non contineatur ſaltem ſecundum altiorem modum eſſendi. Deinde ſi eſſet quid perfectius, Deus ſolus eſſet quid minus, minoritas autem repugnat Deo, quia non poteſt ſtare cum infinitate.

DE INFINITATE DEI.

DISPVTATIO II.

An Deus ſit infinitus.

SECTIO I.

1 INfinitas alia eſt ſecundum eſſentiam, quæ etiam eſt infinitas in eſsendo; alia ſecundum aliquid accidentale, vt eſſet infinitas intentionis in qualitate; cum ergo inquirimus, An Deus ſit infinitus, loquimur de infinitate ſecundum eſſentiam.

2 Supponendum eſt. Infinitum in eſſendo eſſe illud, quod in ſua eſsentia non habet aliquem terminum eſſendi, atque adeo quod in ſe includit omnem rationem entis excogitabilem, ita vt non dicat aliquid, quod ab ipſo excludat aliquam rationem entis. Et ratio eſt, quia ſi extra ipſum eſſet aliquid, quod illi repugnaret, limitaretur, vt non eſſet illa ratio entis. Vnde aſſentiæ creatæ ſunt finitæ; quia vna ex intrinſecis ſuis principijs excludit perfectiones alterius.

3 Supponendum 2. tanquam certum de fide. Deum eſſe infinitum in eſsendo. Pſalmo 144. *Magnitudinis eius non eſt finis.* Baruc 3. *Magnus eſt, & non habet finem, excelſus, & immenſus*, nomine autem magnitudinis intelligitur perfectio; & hæc veritas eſt etiam definita in Concilio Lateranenſi, vt habetur in Capite Firmiter. Difficultas, ergo ſolum eſt, An hæc infinitas poſſit naturali lumine demonſtrari.

4 Prima ſententia eſt negatiua; aſſerit enim, tantum probabiliter id poſſe oſtendi. Ita Ocham *quolib. 3. quæſt.* 1. Marſilius *in 1. q. 42. art.* 2. Rubio *diſt. 2. q. 2. art.* 2. Alliacenſis *q. 13. art.* 1. Iandunus 12. *Metaphyſicorum q.* 15. Sueſſan. *q. De infinitate primi motoris.*

5 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita D. Thomas. *Prima parte quæſt. 7. art.* 1. Bannes, Cumel, Peſantius, Molina *ibidem.* Vaſquez *diſput. 25. cap.* 5. Faloliis *dubit. vnica.* Scotus *in 1. diſt. 2. quæſt.* 1. Ariminenſis *q.* 3. Ferrarienſis 1. *contra gentes cap.* 43. Suarez *in metaphyſica diſp. 30. ſec.* 2. Smiſing. *tractat. 2. De Deo vno diſp. 2. q.* 1. & alij.

6 Dicendum eſt. *Poſſe naturali ratione demonſtrari Deum eſſe infinitum.* Probatur. Deus non habet eſse receptum ab alio, ergo eſt infinitus in eſsendo. Antecedens eſt euidens. Quia Deus eſt prima cauſa habens eſse à ſe. Conſequentia probatur. Quod non habet partem entis, ſed totam plenitudinem eſt infinitum in eſsentia. Sed quod habet eſse à ſe, non habet partem entis; alioquin haberet eſse participatum, nam pars entis dicit intrinſecum ordinem ad primum ens per eſsentiam, ergo. Confirmatur. Eſse ab alio dicit formaliter habere partem entis, & eſſe finitum, vndè, ſicut cauſa producens effectiuè limitat, ita formalis limitatio conſiſtit in portione entis participati cum intrinſeco ordine ad cauſam, ergo non eſse ab alio erit cauſa non habendi partem entis, ſed totam plenitudinem; quia cum affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio quoque eſt cauſa negationis. Confirmatur 2. Ens omnium eminentiſſimum eſt infinitum, Deus eſt huiuſmodi, ergo. Minor patet. Quia eſt ens primum, à ſe, & per eſsentiam; à quo omnia participant eſse. Maior probatur. Quia cum ens eminentiſſimum ſit illud, à quo omnia participant eſse, ſe eleuat ſupra omnes perfectiones ipſorum, ita vt illas in ſe contineat vt participabiles. Vndè dicit vnam perfectionem, quæ in ſe omnes alias contineat abſque proprio ipſarum termino, quo determinantur, vt vna non ſit alia; ſiquidem communicant ſimul in eadem ſuperiori perfectione, ergo cum contineat omnia entia participata, tollit etiam omnes terminos formali modo ex vi propriæ perfectionis ſed quod formali modo tollit omnes terminos eſsendi eſt infinitum, ergo. Confirmatur 3. Deus eſt ens per eſsentiam non habens ſupra ſe aliud ens perfectius, ergo eſt infinitum. Conſequentia probatur. Quia in ſuo eſse tollit omnes terminos eſsendi inferiorum; & ex eo, quod non habet ſuperius, non habet terminum, quia non remanet per quid aliquid ab ipſo excludatur, quod ſit maioris perfectionis. Confirmatur 4. In creatis ex eo, quod aliqua natura habeat ſuperiorem, arguitur finitas in tali ordine, & ex eo, quod ſimpliciter habeat ſuperius, arguitur finitas abſoluta, ergo ex eo, quod aliquid nullo pacto habeat ſuperius, arguitur abſoluta infinitas.

7 Obijcies. Si Deus eſset infinitus, nullum malum eſſet in rebus, quia eſset infinitè bonus vnum autem contrarium infinitum deſtruit pænitus aliud. Reſpondetur. Vnum contrarium deſtruere aliud, vbi ipſum definitur reperitur; Hinc cum bonitas infinita reperiatur ſolum in Deo, in ipſo ſolum deſtruit omne malum. Inſtabis. Ad tollendum omne malum in rebus creatis nō requiritur infinita bonitas, ſed ſufficit finita. Si autem Deus eſset infinitè bonus, poſset totam hanc bonitatem comunicare, ergo Reſpondetur. Malum aliud eſse priuatiuum, aliud negatiuum. Primum poteſt tolli per finitam bonitatem, quam tamen Deus neceſsariò non communicat, ſed liberè, & ideo poteſt permittere defectus. Secundum non tollitur niſi per infinitam bonitatem.

8 Obijcies 2. Quod eſt in vno loco, ex non in alio, non eſt infinitum ſecundum locum, ergo cum Deus ſit vna ſubſtantia, & non ſit alia, non erit infinitus ſecundum ſubſtantiam. Reſpondetur. Eſse diſparem rationem, Quia, quod eſt in vno loco tantum, non habet id, per quod poſſit eſse in alio loco, Deus autem habet omnes perfectiones aliarum ſubſtantiarum altiori modo.

9 Obijcies 3. Extra corpus infinitum non poteſt eſse aliud corpus, ergo ſi Deus eſset infinitum ens, non poſſet extra ipſum eſse aliud ens. Reſpondetur eſse diſparem rationem. Quia, ſi poſito infinito corpore, eſset extrà ipſum aliud corpus, hoc non contineretur in illo; at omne ens, quod eſt extra Deum, continetur etiam in illo, quià ab ipſo participat eſse.

Quomodo ſe habeat infinitas ad Deum.

SECTIO II.

10 DIfficultas eſt an pertineat ad conſtitutiuū eſsentiæ, prout concipitur diſtincta ab attributis; An vero ſit aliquod attributum.

Prima ſententia aſsetit, eſse modum pullulantem ab ipſa eſsentia, & habere rationem attributi. Ita Scotus *in 1. diſt. 3. q.* 2 Lichetus, & Tartaretus *ibidem.* Aureolus *diſt. 43. q. 1. art. 1. concluſ.* 3. Gillius *lib. 2. tract. 1. cap.* 3. Smiſing. *trac. 2. de Deo vno diſp. 2. q.* 1. Prob. Quia infinitas eſt demonſtrabilis de Deitate à priori, ita vt eſsentia ſit radix ipſius. Secundo Finitas non pertinet ad quidditatem creaturæ, ergo neque infinitas ad quidditatem Dei 3. Quia intenſio non pertinet ad quidditatem qualitatis, ſed eſt modus illius, ſic etiam ratio neceſsarij, contingentis actus, & potentiæ ſunt modi 4. Secundum Patres non cognoſcimus quidditatem Dei, & tamen cognoſcimus, quod ſit infinitus, ergo.

10 Secunda ſententia aſserit, eſse de eſsentia. Ita Argentinas

gentias *quæſt.1. prologi*. Toletanus *quæſtione 6.* Faſolus *Prima parte q.4.artic.2.dub.6. ad 5.obiectionem*, & *q. 7. artic. 2.*

11 Dicendum eſt. *Infinitatem eſſe de quidditate Diuinæ eſſentiæ*. Probatur. Illud eſt quidditas Deitatis, quod eſt radix determinatarum perfectionum, quæ ſe habent vt attributa, ſed huiuſmodi eſt infinitas, ergo. minor probatur. Infinitas in eſſendo non dicit determinatam perfectionem, ſed, ſicuti fundat negationem omnis termini, ita formaliter importat plenitudinem eſſendi; plenitudo autem eſſendi dicit implicitè, & veluti in radice omnes perfectiones determinatas. Confirmatur. Non poteſt concipi Infinitas prouenire ab eſſentia, ita vt illam ſupponat tanquam radicem ſui ipſius, ergo non poteſt eſſe attributum, ſiue modus; de ratione enim attributi eſt, vt ſupponat eſſentiam tanquam radicem. Antecedens probatur Eſſentia, vt radix præciſa ab infinitate deberet illam virtualiter continere: Non poteſt autem continere, quia radix debet eſſe proportionata, ita vt tanta ſit, quantum eſt illud, quod pullulat, ergo cum eſſentia præciſa ab infinitate, ſit finita, non poteſt eſſe radix proportionata pro infinitate.

12 Ad Primum negando antecedens, nam eſſentia Diuina non eſt radix infinitatis; demonſtratur autem de Deitate, ſeu de ipſa eſſentia, quia nos concipimus Diuinam eſſentiam per plures conceptus inadæquatos, qui ſunt neceſſariò inter ſe connexi ob vnitatem perfectionis, quam explicant; vnde ratione huius connexionis ſe inuicem inferunt. Ad ſecundum negatur aſſumptum. Finitas enim ita eſt intrinſeca creaturæ, vt neque poſſit intelligi ſine ipſa. Ad tertium. Non omnem modum eſſe eſſentialem, ſed tantum illum, quod importat quidditatem rei; ratio autem actus, & potentiæ contingentis, & neceſſarij, eſt eſſentialis, quando fundatur in eſſentia. Ad 4. Negatur conſequentia. Nam cum Patres dicunt, nos non cognoſcere quidditatem Dei, intelligunt de cognitione per proprium conceptum; eodem autem modo neque infinitas eſt à nobis cognoſcibilis, nā eā cognoſcimus tantū in confuſo.

DE CONSTITVTIVO DIVINAE eſſentiæ.

DISPVTATIO XII.

Per quid vltimò à parte rei conſtituatur diuina eſſentia.

SECTIO I.

1 Eſſentia Diuina poteſt dupliciter conſiderari. Vel pro vt eſt à parte rei; vel ſecundum noſtros conceptus. Primo modo importat eſſe reale, quod eſt à parte rei ſecundum ſuam propriam quidditatem. Secundo modo importat illum conceptum, quem de ipſa formamus, pro vt contra diſtinguitur ab attributis.

2 Prima ſententia aſſerit, formale conſtitutiuum Diuinæ eſſentiæ eſſe actuale intelligere. Ita Capreolus *in 1. diſt.3.q.2.art.1. ad 3.* Ferrarienſis 4. *contra Gentes cap. 26.* Durandus *in 2. diſt.16.q.1.* Caietanus 1. *parte q.93. artic.2. & 6.* Bannes *ibidem*. Cumel *q.27. art.2.* Suarez *in Metaphyſica diſp.30.ſec.15.nu.* 15. & *ſec.16. nu.* 14. Faſolus *1.parte quæſt.4.art.2. dubitatione* 8. & alij plures ex recentioribus. Probatur. Quia per intelligere, non autem per eſſe à ſe, aut quid ſimile diſtinguitur eſſentia ab ijs, quæ ſunt in Deo, & non ſunt formaliter de eſſentia, vt ſunt relationes 2. Quia intelligere eſt perfectiſſimus actus vitæ; & in Deo eſt prædicatum perfectius omnibus alijs. Confirmatur. Quia Deus per gradum intelligendi eſt eſſentialiter beatus.

3 Secunda ſententia aſſerit rationem entis per eſſentiam eſſe formale conſtitutiuum. Ita Eſtius *lib.2. tract.1.c.* 14. Smiſing. *trac.1. de Deo vno diſp.2.q.2.* Ruiz *diſp.8. de Trinitate ſec.5.*

4 Tertio ſententia aſſerit infinitatem eſſe formale conſtitutiuum Deitatis. Ita Toletanus *q. 6. prologi art. 2. concluſione 3.*

5 Notandum primo. Ad rationem conſtitutiui requiri, vt ſit ita proprium rei conſtitutæ, vt non conueniat alteri; debet enim diſtinguere à quocunque alio. Rurſus debet importare quidquid requiritur ad ipſum conſtituendum; alioquin non eſſet adæquatum; denique debet eſſe perfectiſſima ratio ipſius conſtituti, cum ſit actus, quo res perficitur in ſuo eſſe.

6 Notandum ſecundo. Diuerſo modo ſe habere conſtitutiuum Diuinæ eſſentiæ, ac creaturarum; eſſentiæ enim creatæ communicant ad inuicem ſecundum aliquas rationes, vndè conſtitutiuum importat gradum ſuperadditum illis rationibus, in quibus conueniunt; eſſentia autem Diuina, cum ſecundum omnes, & ſingulas rationes infinitè diſtet à creatis, debet conſtitui per aliquid, quod afficiat omnes perfectiones ipſius, & faciat eas infinitè diſtare à creatis.

7 Dico primo. *Intelligere ſiue per modum actus primi, ſiue per modum actus ſecundi non eſt formale conſtitutiuum diuinæ naturæ*. Probatur. Vel Intelligere illam conſtituit vt Intelligere eſt præcisè, vel vt Diuinum. Si Primum. Contra. Quia vt præſcindit à Diuino non eſt perfectio propria Dei. Si ſecundum, ergo Id eſt formale conſtitutiuum, per quod conſtituitur in eſſe Diuino, videlicet per rationem actus puri, infinitatis. Confirmatur. Intelligere importat determinatam perfectionem; & certum gradum entis, ergo non poteſt eſſe formale conſtitutiuum; Conſequentia probatur. Quia eſſentia Diuina eſt infinita in ratione eſſentiæ, ergo non poteſt dicere determinatam perfectionem, alioquin vt talis eſſentia non eſſet infinita in ratione eſſentiæ. Confirmatur 2. Eſſentia Diuina in ſua quidditate importat exigentiam diuinarum proceſſionum, quibus eadem natura producentis communicatur producto, ergo de ſuo formali non dicit intelligere, aut aliquam aliam determinatam perfectionem. Conſequentia probatur. Quia debet dicere id, in quo fundatur talis exigentia, natura autem Diuina non exigit tales proceſſiones ex vi alicuius determinatæ perfectionis, ſed ex eo, quod eſt infinitè perfecta.

8 Dices. Deus ex vi ſuæ eſſentiæ eſt viuens, ergo debet dicere vitam intellectualem. Reſpondetur. Deum eſſentialiter neque eſſe viuentem, neque in aliquo determinato gradu, ſed ſuper omnem gradum. Vndè in ſua formali eſſentia non debet importare gradum determinatum, aut vitam determinatam; ſed vitam eminentiſſimam, quæ non ſolum habeat perfectionem vitæ, ſed etiam alias perfectiones abſque vllo modo, & menſura, vndè quando explicamus Deum per ipſum viuere, non explicamus adæquatè ipſius eſſentiam.

9 Dico 2. *Conſtitutiuum eſſentiæ Dei eſſe ipſam Deitatem, quatenus importat ens per eſſentiam, ſeu plenitudinem eſſendi*. Deſumitur ex Nyſſeno *cap. 16. de hominis opificio*. Dionyſio *cap.5. de Diuinis nominibus*. Hilario 12. *de Trinitate*. Nazianzeno *orat. 36.38. & 49.* Ambroſio *cap.5. de Filij diuinitate*. Damaſceno 1. *de fide c.12.* Athanaſio *orat. contra Idola*, & alijs. Probatur Ens per eſſentiā cōplectitur omnes perfectiones, ergo eſt ipſa formalis, eſſentia Dei. Conſequētia prob. Quia Deus ratione ſuæ eſſentiæ, debet eleuari ad quandam ſupereminentiam eſſendi, qua infinitè diſtet à creaturis; hoc autem præſtat ſola plenitudo eſſendi, nam Deus infinitè diſtat à creaturis. Quia creaturæ dicunt determinatum gradum perfectionis. Confirmatur. Quando in aliquo conſiderantur plures perfectiones, illa eſt formale conſtitutiuum, quæ eſt maior: ſed in Deo ens per eſſentiam eſt perfectio omnium nobiliſſima, quia ratione ipſius complectitur omnem rationem eſſendi, atque adeo omnes perfectiones, ergo.

11 Dices

Digitized by Google

11 Dices, Ens per eſſentiam tranſcendentali modo ſe habere, quia conuenit omnibus perfectionibus, & ideo non eſſe aptum, vt ſit formale conſtitutiuum. Contra. De ſuo formali dicit plenitudinem eſſendi, plenitudo autem eſſendi non imbibitur in qualibet perfectione, & ideo non eſt tranſcendens, ſi adæquatè ſumatur. Confirmatur. Ens per eſſentiam continet in ſe omnes perfectiones ſimpliciſſimo modo, ergo non continetur in qualibet perfectione ſeorſim.

Confirmatur 2. Diuina eſſentia in ratione eſſentiæ eſt illud, quo in ratione eſſentiæ nihil melius excogitari poteſt; ſed non erit huiuſmodi, niſi conſtituatur per plenitudinem eſſendi, ergo minor patet. Quia ſemper plenitudo eſſendi erit aliquid melius.

12 Dico 3. *Hanc plenitudinem eſſendi, qua conſtituitur Diuina eſſentia, debere explicari per infinitatem eſſendi, ita vt ſolum dicat completè formale conſtitutiuum, pro vt ſtat ſub infinitate.* Probatur. Non poteſt intelligi plenitudo eſſendi, niſi concipiatur eſſe excludens omnem terminum eſſendi, alioquin, ſi haberet terminum, non eſſet plenitudo eſſendi, per ſolam autem infinitatem excluditur terminus. Hinc Nazianzenus *orat.* 38. *vniuerſum id, quod eſt, in ſe implectitur, nec principium habens, nec finem habiturus velut pelagus quoddam eſſentiæ immenſum, & interminatum.* Confirmatur. Præciſa infinitate eſſentia Diuina non eſt illa melior eſſentia, quæ poteſt excogitari, ergo Antecedens patet, quia melior eſt eſſentia, quæ poſitiuè ſe habet infinito modo, quam illa, quæ poſitiuè non ſe habet infinito modo.

13 Ad primum negatur aſſumptum, nam ſuppoſito, quod relationes non ſint de conceptu eſſentiæ, adhuc eſſentia diſtinguitur ab ipſis per eſſe à ſe, ſumendo ipſum Eſſe à ſe adæquatè, quia tunc importat plenitudinem eſſendi. Ad 2. Negatur conſequentiam illam intelligere importat quidem perfectiſſimum gradum vitæ, & hæc perfectio eſt in Deo cum ſupereminentia, quia tamen importat gradum, ſeu determinatam perfectionem, ideo non poteſt eſſe conſtitutiuum, Quia non adæquat totam eſſentiam. Ad Confirmationem negatur conſequentia. Nam ſicut Beatitudo non eſt adæquata perfectio eſſentialis Dei, ita neque intelligere.

Quodnam ſit formale conſtitutiuum Eſſentiæ Dei ſecundum noſtrum modum concipiendi.

SECTIO II.

14 PRima ſententia aſſerit, ipſum intelligere, prout contradiſtinguitur ab ipſo velle, eſſe formale conſtitutiuum Diuinæ eſſentiæ pro vt contradiſtinguitur ab attributis. Ita Bannes, Cumel, Suarez *ſec. præcedenti citati*, & quam plures recentiores. Probant. Intelligere conuenit Deo, quatenus ipſum, & ſe habet antecedenter ad alia, ergo eſt conſtitutiuum 2. Omnia attributa radicantur in ipſo intelligere, vt Sapientia, Prouidentia, &c. ergo 3. Intelligere importat rationem vitæ, qua Deus viuit, ergo non poteſt eſſe attributum.

15 Secunda ſententia aſſerit, etiam ſecundum noſtrum modum concipiendi eſſe ipſum ens per eſſentiam formale conſtitutiuum. Ita indicant nonnulli ex auctoribus *ſectione precedenti* allati pro ſecunda ſententia, præſertim Eſtius.

16 Dico 1. *Intelligere non eſt formale conſtitutiuum Diuinæ eſſentiæ pro vt contradiſtinguitur ab attributis.* Probatur. Ideo intelligere eſt conſtitutiuum, quia eſt viuere; ſed etiam, velle eſt viuere; nam ſicut in creatis dicit vitam accidentalem, ita in Diuinis tranſit in ſubſtantialem, ergo Confirmatur. Vita ſubſtantialis in creatis dicit non ſolum radicale intelligere, ſed etiam velle, ergo cum in Diuinis tranſeat ad actuale, non ſolum dicet actuale intelligere, ſed etiam velle.

17 Dices. Velle non dicere formaliter viuere, quia conſequitur ad intelligere. Contra. Licet conſequutiuè ſe habeat, adhuc tamen importat ipſum formale viuere, ſine quo viuens non eſt completum in ratione viuendi. Secundo etiam in creatis principium radicale volendi conſequutiuè ſe habet ad principium radicale intelligendi, & tamen pertinet ad vitam eſſentialem. ergo

18 Confirmatur. Intelligere non poteſt eſſe radix omniũ attributorum, ergo Antecedens probatur. Quia omnipotentia cum reſpiciat omne producibile, debet fundari in eo, quod dicit. Eſſe ſine termino; hoc enim ſolum debet eſſe radix illius perfectionis, quæ debet continere omnem rationem entis communicabilem. Confirmatur. 2. Tunc Infinitas eſſet attributum, Infinitas autem non poteſt radicari in ipſo intelligere. Confirmatur 3. Illud pro eſſentia debet conſtitui, quod eſt proprium Dei, & antecedit alia, huiuſmodi autem non eſt intelligere, nam prius eſt, quod ſit ens per eſſentiam, Actus purus, ſumma ſubſtantia, &c.

19 Dico 2. *Eſſentiam diuinam prout contra diſtinguitur ab attributis formaliter conſtitui per plenitudinem eſſendi cum infinitate.* Probatur debet ſemper ſaluari ratio formalis ipſius, ergo ſi à parte rei formaliter conſtituitur per plenitudinem eſſendi, debet etiam conſtitui ſecundum noſtrum modum concipiendi. Confirmatur Quia plenitudo eſſendi eſt radix omnium attributorum, nam in ipſa continentur implicitè omnes perfectiones. Confirmatur 2. Plenitudo eſt propria Dei, & eſt primum prædicatum, in quo omnia alia fundantur, nam ex eo, quod importat eſſe ſine termino, importat etiam omnes perfectiones.

20 Ad Primum. Ex eo, quod debet conſtitui pro eſſentia id, quod conuenit Deo, quatenus ipſum, & antecedit alia, non debere conſtitui ipſum intelligere, ſed plenitudinem eſſendi, quia hæc antecedit ipſum intelligere. Ad 2. Negatur aſſumptum. Nam non omnia attributa fundentur in ipſo intelligere, vt patet ex dictis. Ad 3. Ex eo, quod Deus eſt eſſentialiter viuens, ſequi tantum, quod intelligere ſit de eſſentia ipſius, pro vt adæquatè conſideratur, non autem quod ſit formale conſtitutiuum, pro vt contradiſtinguitur ab attributis.

21 Inſtabis. Sequeretur, quod Deus ratione ſuæ eſſentiæ non viueret. Reſpondetur negando ſequelam. Quia cum eſſentia dicat plenitudinem eſſendi, dicit etiam implicitè ipſum viuere, & ſolum viuere ſe habet vt attributum, quando explicitè conſideratur, quia tunc concipitur radicari in alia perfectione anteriori.

DE ATTRIBVTIS DIVINAE Naturæ.

DISPVTATIO XIII.

Quid, & quot ſint attributa.

SECTIO I.

1 SVpponendum primo. Attributum nil aliud eſſe, quam quoddam prædicatum, quod Deo tribuitur, & obiectiuè importat aliquam perfectionem, quæ Deo conuenit; formaliter vero importat conceptum, ſeu nomen, quo illam explicamus. In præſenti autem ſumitur obiectiuè ad explicandũ eſſe diuinũ. De ratione autem attributi eſt, quod conueniat Deo ſecundum eſſe abſolutum, quia ſe debet habere per modum adiacentis reſpectu eſſentiæ diuinæ; prædicata autem perſonalia vel explicant eſſe perſonale, & tunc non ſe habent per modum adiacentis vel explicant qualitates perſonarum diuinarum, & tunc non ſunt attributa Dei, ſed Perſonæ.

2 Supponendum 2. Attributum non importare prædicatum methaphoricum ex ijs, quæ conueniunt Deo, vt dolor,

Digitized by Google

dolor, pænitentia, &c. hæc enim prædicata non explicant intrinſecam perfectionem Dei, ſicuti debet explicare attributum. Hinc etiam excluduntur à ratione attributi prædicata illa, quæ fundantur in aliquo effectu contingenti, vt Creare, Gubernare, &c.

3 Supponendum tertiò. Ex prædicatis, quæ Deo conueniunt neceſſariò, quædam eſſe poſitiua, quædam negatiua; vtraque autem ſufficiunt ad fundandum attributum; quia licet negatiua remoueant aliquid à Deo, adhùc tamen explicant Diuinam perfectionem, quia remouent ratione poſitiuè fundamenti, per quod excluditur, quod remouetur.

4 Supponendum quartò. Ex prædicatis poſitiuis alia eſſe abſoluta, alia relatiua cum ordine ad creaturas, vt potentia, prouidentia, &c. quorum vnum reſpicit ſtatum poſſibilitatis creaturarum; ſecundum vero ſtatum exiſtentiæ. Hæc autem omnia fundant attributum, quia, licet quæ reſpiciunt ſtatum exiſtentiæ, non conueniant Deo neceſſariò, explicant tamen Diuinam perfectionem, quia fundantur in attributis immanentibus Dei, & explicant aliquam perfectionem ipſorum.

5 Supponendum quintò. Quod, cum attributum ſupponat eſſentiam, & non aliud; ſequitur vt ſolum ſupponantur, ea prædicata, quæ pertinent ad formale conſtitutiuum eſſentiæ, vt ratio entis per eſſentiam, actus puri, & infinitatis. Vndè cæteræ omnes rationes erunt attributa, quia ſupponunt conceptum eſſentiæ, & ab ipſo veluti per explicitos conceptus extrahuntur. Difficultas autem eſt que ſint huiuſmodi attributa.

6 Prima ſententia aſſerit eſſe finita. Ita Scotus *in 4. diſt.13.quæſt.1.* Vaſquez *1.p. diſp. 10.num.28.* Suarez *lib. 2.de Deo vno cap. 22.* Smiling. *trac.2. de Deo vno diſput. 1.q.1.num. 9.* & alij præſertim ex recentioribus. Probatur. Quia de facto tantum finita recenſentur, ergo. Secundo. Quia ſcriptura non tribuit Deo infinitas perfectiones. Tertiò quia ad ſaluandam Dei infinitatem non requiritur infinitas extenſiua, ſed ſufficit intenſiua. Quartò. Quia non poſſunt excogitari aliæ perfectiones ſimpliciter ſimplices, præter illas, quæ de facto tribuuntur Deo.

8 Secunda ſententia aſſerit, eſſe infinita. Ita Ocham *in 4. diſtinct. 13. artic.1.* Palatius *in 1. diſtinct.1. diſp.3.* Ferrarienſis *3. contra Gentes cap. 56.* Bannes *1. parte queſt. 12. artic.7. dubitat.1.* Torres *de Trinitate cap. 28. art. 2. diſput. 1.*

9 Dico 1. *Attributa, quibus de facto Diuina perfectio explicatur, eſſe finita.* Probatur. Tum quia de facto finita aſſignantur tàm quæ ex creaturis colliguntur, quàm quæ ex ſcriptura. Tum quia non poſſunt eſſe plura, quam ſint perfectiones, quas poſſumus Deo tribuere, hæ autem, cum ſint deſumendæ ex creaturis, ſunt finitæ.

10 Dico ſecundò. *Diuinam perfectionem poſſe explicari per alias, & alias perfectiones in infinitum; atque adeo attributa ex natura ſua eſſe infinita ſyncathegorematicè.* Probatur. Tot poſſunt eſſe attributa, quot perfectiones ſimpliciter ſimplices, hæ autem poſſunt creſcere in infinitum; nam ſtante infinitate Dei, & infinita eius communicabilitate, poteſt intra quodlibet genus fieri multiplicatio in infinitum, ergo etiam intra genus perfectionum ſimpliciter. Confirmatur. Perfectio ſimpliciter eſt communicabilis, ergo in infinitum. Conſequentia probatur. Quia in Deo debet eſſe vis communicatiua talis perfectionis, ergo cum omnia, quæ ſunt in Deo, infinito modo ſe habeant, hæc etiam vis communicatiua erit infinita, ergo ſemper alia, & alia perfectio poterit ab ipſa participari.

11 Ad primum. Reſpondetur de facto finita tantum recenſeri, quia eorum conceptus debent deſumi ex creaturis, ex quibus finitas tantum perfectiones, poſſumus deſumere. Ad ſecundum ſcripturam implicitè tribuere Deo infinita attributa, dum tribuit infinitatem ſimpliciter. Ad tertium infinitatem intenſiuam Dei exigere, quod ex ſua natura poſſit explicari per infinita attributa. quia quælibet perfectio, quæ ipſi tribuatur deſumpta ex creaturis, inadæquatè ſe habet. Ad quartum. Non poſſe alia attributa excogitari, quia ex creaturis non habemus alios conceptus, per quos illa explicemus, non autem ex natura rei.

An attributa diſtinguantur ab eſſentia formaliter ex natura rei.

SECTIO II.

12 Supponendum eſt tanquam certum de fide. Attributa neque ab eſſentia, neque inter ſe realiter diſtingui, vt definitum eſt in Concilio Remenſi, cuius definitio fuit approbata ab Eugenio III. & in capitulo *Firmiter.* definitur, Deum eſſe omnino ſimplicem, quod ſaluari non poſſet, ſi attributa realiter diſtinguerentur. Rationem affert D. Bernardus contra Gualterum *ſerm. 80. in Cantica.* Si attributa diſtinguuntur realiter ab eſſentia. Vel important aliquid ſuperius, vel aliquid æquale, vel aliquid inferius. Si primum. Contra. quià cum Diuina eſſentia ſit ſummum ens, non poteſt habere aliquid ſuperius. Si ſecundum. Ergo plures Dei, quia ad ſaluandam æqualitatem, opus erit, vt eadem prædicata omnibus attributis conueniant, & eſſentiæ. Si tertium, ergo erit quid creatum, quia omne inferius eo ipſo, quod eſt inferius, non poteſt eſſe ens à ſe.

13 Supponendum ſecundò diſtinctionem formalem ex natura rei ſtare cum identitate reali vt docet Scotus *in 1. diſtinct.2.q.7.* Vndè non eſt diſtinctio ſecundum entitatem, ſed tantum ſecundum formalitatem eiuſdem entitatis, quæ dicitur ex natura rei; quia conſequitur ex natura ipſorum extremorum, quatenus ex vi ſuæ formalitatis vnum non communicat cum alio. Hinc præcedit actum intellectus diſtinguentis, & dicitur etiam diſtinctio rationis ſumendo rationem obiectiuo modo, videlicet pro quidditate; & dicitur etiam virtualis, quatenus actu non importat rem, & rem, ſed ita ſe habet, vt æquiualeat rei, & rei. Differt autem à diſtinctione rationis, quia hæc fit ob imperfectionem conceptus, quatenus aut aliquid inadæquatè concipitur, vt cum concipitur quidditas non concepto modo intrinſeco. Vel quando aliquod totum concipitur, & non ad modum totius, vt cum concipitur definitio diſtincta à definito.

14 Prima ſententia aſſerit, attributa diſtingui inter, ſe & ab eſſentia ex natura rei. Ita Scotus *in prima diſtinctione 8. quæſtion. 4.* Mayron. *quæſt. 5.* Rubio *queſt. 4* Antonius Andreas *quæſt. 4.* Lichetus *queſt. 3.* Tartaretus *diſtinct. 2. parte 2. quæſt. 7.* Baſſolis *diſtinct. 22. quæſt. 4.* Smiling. *tractat. 2. de Deo vno diſput. 1. queſt. 2. ſententia 4.* & communiter Scotiſtæ. Probant. Quià patres ponunt in Deo alteritatem, varietatem, multiplicitatem ſecundum attributa; & aſſerunt attributa circumſtare eſſentiam veluti qualitates, quæ non poſſunt ſaluari, niſi poſita diſtinctione formali. Secundò quæ poſſunt realiter ſeparari diſtinguuntur realiter, ergo quæ poſſunt ſeparari formaliter ex natura rei, diſtinguuntur formaliter, &c. Attributa autem ſeparantur formaliter ex natura rei, nam ſeparantur per affirmationem, & negationem, quod enim dicitur de vno, negatur de alio, & contradictoria verificantur de ipſis ſit, vt quod intellectus ſit principium generationis, & non ſpirationis. Confirmatur. Præciſo actu noſtri intellectus, ſi attributa non diſtinguerentur formaliter,

Digitized by Google

Filius non magis procederet, per intellectum, quam per voluntatem, & Concilia hoc definientes ſolum definirent diſcrimen à nobis concipiendum, non autem quod eſſet à parte rei, nec Deus tale diſcrimen cognoſceret, ergo. Tertiò. Si non diſtinguerentur ex natura rei eſſent veræ iſtæ propoſitiones Deus intellectu vult, & voluntate intelligit. Quartò ſapientia, & iuſtitia, prout præſcindunt à Deo, & creaturis diſtinguuntur ſecundum ſuas formalitates, ergo etiam in Deo; quod enim conuenit communi rationi præcisè, ſemper illi conuenit. Quintò. ſapientia eſt magis identificata ſibi, quam Iuſtitia, ergo reſpectu Iuſtitię debet carere aliqua identitate, quæ non poteſt eſse alia, quam formalis.

15 Secunda ſententia negat diſtingui ex natura rei. Ita ij omnes, qui ponunt ſolum diſtinctionem rationis, quos infra afferemus.

16 Notandum 1. Attributa poſſe conſiderari prout ſunt in obiecto, & pro vt ſunt in repræſentatione noſtrorum conceptuum. Differunt autem, quia in obiecto infinito modo ſe habent, Quia quidquid eſt in Deo, infinito modo in ipſo reperitur. Secundo modo modificantur ab ipſa repræſentatione, quia habent illud eſse, quod dat repræſentatio.

17 Notandum ſecundò. Omnes conceptus, quos de Deo formamus formari per ſimilitudines rerum creatarũ; vndè id, quod concipimus de Deo, eſt illud, quod eſt in creaturis, præciſis tamen imperfectionibus. Hinc quidquid de Deo concipimus, acquirit in repræſentatione noſtrorum conceptuum modum eſſendi, quem habent res creatæ; Ideo finito modo ſe habet; medium enim repræſentationis non eſt proprium, nec repræſentat ſecundum exigentiam obiecti, ſed eo modo, quo repreſentat rem, cuius eſt proprium medium; implicat enim, quod aliter repræſentet, ac ex natura ſua habet repræſentare.

18 Notandum tertiò modum, quo attributa repræſentantur poſſe conſiderari ex parte repræſentationis, & ex parte obiecti. Primò modo dicit illam menſuram, qua determinatur repreſentatio. Secundo modò dicit modum, quo ſe habet obiectum, quatenus terminat repræſentationem. Quando autem attributa concipiuntur, modus finitus non ſolum ſe tenet ex parte repræſentationis, vt patet; ſed etiam ex parte obiecti, quia obiectum non attingitur per proprium medium, ſed quod eſt in creaturis tribuitur Deo vndè ſemper noſtra cognitio terminatur ad aliquid, quod ſit in creaturis applicatum Deo.

19 Dico 1. *Attributa, pro vt ſunt in ſe, & ſe tenent ex parte obiecti non diſtingui ex natura rei formaliter.* Prob. Quia Patres docent, attributa non ſolum dici eſſentialiter, ſed etiam eſſe ipſam eſſentiam, ita vt eſſentia Dei ſit eſſe ſapientẽ, bonum &c. Hoc dici non poſſet, ſi ex natura rei formaliter diſtinguerentur, quia tunc eſſent extra eſſentiam. Hinc Leo Papa *ad Thurib. cap. 5.* Quidquid *dignè vtcunque ſentitur, non qualitas eſt, ſed eſſentia.* Baſil. *De Spiritu Sancto cap.9.* Cui *bonitas eſt ipſa eſſentia.* Auguſtinus 7.*de Trinitate cap.6.* Eadem *ibi ſapientia eſt, quæ eſſentia,* & *lib.15.cap.5.* Quæ *iuſtitia ipſa bonitas, & quæ bonitas ipſa Beatitudo,* & ſimilia docent alij Patres.

20 Reſpondet Lychetus. Attributa dici eſſentialia, quatenus eſſentiale contradiſtinguitur ab accidentali; non autem quatenus ſignificat eſſe intra quidditatem. Contra. Quia dicunt vnum eſſe aliud in abſtracto, & eſſe ipſam eſſentiam. Secundo quia volunt, non aliud eſſe Deo, Deum eſſe, ac ſapientem eſſe, quod non eſt aliud, quàm ratione ſapientię conſtitui in eſſe Dei, quod falſum eſſet, ſi attributa ex natura rei eſſent extra quidditatem.

21 Reſpondent 2. Scotiſtę. Patres intelligere de identitate reali. Contra. Quia identitas realis non facit, quod attributa in abſtracto ſint eſſentia.

22 Secundo probatur. Patres docent, attributa importare ipſum eſſe Dei, quo Deus eſt. Auguſtinus 6. de Trin.cap.4. *Deo hoc eſt eſſe, quod eſt eſſe fortem, aut iuſtum eſſe, aut ſapientem eſſe.* Et lib.7.cap.6. *Quid enim aliud dicimus, cum dicimus hoc illi eſt eſſe, & quod ſapere, niſi & eſt, quod ſapiens eſt, quapropter quæ cauſa eſt illi, vt ſapiens ſit, ipſa illi cauſa eſt, vt ſit.* Hoc autem non poſſet ſaluari, ſi attributa ex natura rei diſtinguerentur ab eſſentia, quia tunc non eſſent formalia conſtitutiua eſſentiæ. Confirmatur Deus eadem ratione formali, eſt Deus, viuens, intelligens, potens, &c. vndè Auguſtinus *in quæſtione. de Trinitate* habet. *Deus eo ipſo, quo eſt, viuit, & eo ipſo, quo viuit, intelligit, & eo ipſo, quo intelligit, poteſt, & eo ipſo, quo poteſt eſt.* Confirmatur 2. In Deo non eſt aliud, quod habet, & id, quod habetur, ergo attributa non diſtinguuntur ex natura rei. Conſequentia probatur. Quia poſita tali diſtinctione non eſſet idem ex natura rei, quod habet, & quod habetur, quia eſſentia eſſet habens, & attributum, quod haberetur hinc Bernard. ſerm. 80. in Cantic. *Si quid itaque de Deo propriè dici poteſt, rectius, congruentiuſque dicitur, Deus eſt magnitudo, bonitas, Iuſtitia, Sapientia, quam Deus eſt Magnus, bonus, iuſtus, aut ſapiens.*

23 Tertiò probatur. Eſſentia Dei eſt infinita, ita vt infinitas ſit ſaltem modus ipſius, ergo attributa non diſtinguuntur ex natura rei ab eſſentia, ita vt ſint extra quidditatem ipſius. Conſequentia probatur. Eſſentia eſt infinita in ratione eſſendi. Infinitas autem eſſendi importat omnem perfectionem, quia importat omnem rationem eſſendi. Confirmatur. Infinitas Diuinæ eſſentiæ eſt infinitas in ratione entis, cui repugnat coarctari ad certam rationem eſſendi, ergo non poteſt ex natura rei excludere attributa.

24 Reſpondent Scotiſtæ. Sufficere, ſi includat attributa virtualiter. Contra. Vbi eſt aliqua ratio formali modo, ibi debet eſſe formali modo id, per quod conſtituitur in eſſe tali; infinitas autem eſt formali modo in eſſentia, & conſtituitur in ſuo eſſe formali per omnes perfectiones, & rationes eſſendi.

25 Reſpondent ſecundò ſufficere, ſi quocunque modo habeat omnes perfectiones. Contra. Infinitas includit omnem perfectionem in ſuo formali, & quidditatiuo conceptu, ita vt neque ſaluari, niſi includat omnem perfectionem, ergo debet etiam includi quidditatiuè in eo, quod eſt formaliter infinitum.

26 Reſpondent tertiò. Eſſentiam, & attributa habere eandem numero infinitatem, & ideo ratione ipſius eſse tam perfecta attributa, quam eſt eſsentia. Contra. Eadem infinitas eſt in eſsentia, & in attributis, ergo non diſtinguuntur ex natura rei, quia iam ſunt vnum in vna, & eadem ratione formali infinitatis. Secundo. Sequeretur, quod idem eſset ex natura rei extra, & intra eſsentiam, videlicet infinitas; nam eſset intra, quia eſsentia, per ipſam eſset infinita; & eſset extra, quia eſset in attributis, quæ ſunt extra eſsentiam.

27 Reſpondent quartò. Infinitatem non eſse de quidditate eſsentiæ, ſed ſolum conuenire illi denominatiuè. Contra. Eſsentia quidditatiuè eſt ens per eſsentiam, ergo habet infinitatem eſsendi, ſaltem vt modum intrinſecum. Secundò. Infinitas eſt in Deo, ergo eſt vna ratio formalis, quæ ex natura rei dicit totalitatem perfectionis, quia eſt de ratione infinitatis vnire formali modo in vnam rationem omnes perfectiones, hæc autem ratio non poteſt eſse alia, quàm eſsentia.

28 Dico ſecundo. *Attributa ſecundum eſſe obiectiuum applicatum per repræſentationem noſtrorum conceptuum important formalitates, quæ diſtinguuntur ex intrinſeca ſua ratione.* Deſumitur ex Patribus, quatenus docẽt attributa inconſtare eſsẽtię; Vnum non eſse aliud; non ſignifi-

ſignificare ſubſtantiam, & alia huiuſmodi. Probatur. Attributa, & eſsentia terminant noſtram cognitionem, per eſse obiectiuum rerum creatarum ſibi applicatum, ergo diſtinguuntur ex natura noſtra. Antecedens probatur. Quia perfectiones Diuinæ innoteſcunt nobis ſolum per conceptus rerum creatarum, ergo terminant cognitionem per eſse obiectiuum rerum creatarum. Conſequentia probatur. Quia tale eſse obiectiuum importat formalitates rerum creatarum, quæ diſtinguuntur ex intrinſeca ſua ratione, quia habet eſse menſuratum, & determinatum ad certam rationem eſsendi; vndè vna formalitas non poteſt comunicare cum alia in eſse formali.

29 Ad Primùm. Reſpondetur. Patres ponunt in eſse Diuino Multiplicitatem, varietatem, &c. pro vt ſtat ſub eſse obiectiuo applicato per noſtros conceptus, non ſecundum ſe. Hinc Cyrillus Alexandrinus *lib. 11. Theſauri ait*. *Non poteſt humana natura maius aliquid, quam ipſa concipere poſſit, de Deo dicere, noſtro enim proprio modo intelligimus, & loquimur ex illis, quæ in nobis ſunt, quaſi per exempla, maiora, hoc eſt Diuina, intelligentes*. Ad ſecundum negatur conſequentia. Nam non poſsunt inter ſe attributa, aut ab eſsentia formaliter ex natura rei ſuperari, quia ratione infinitatis eſsendi ſunt vna ſimpliciſſima ratio formalis. Ad probationem. Illam ſeparationem, quæ fit per affirmationem, & negationem, & ſecundum contradictoria, procedere de attributis, pro vt ſtant in repræſentatione noſtrorum conceptuum, & prout important illos conceptus obiectiuos, quos ex creaturis deſumptos applicamus eſse Diuino. Si autem contradictoria comparentur ad eſsentiam, & attributa, pro vt ſe habent ex parte obiecti, tunc poſſunt enunciari de vna, & eadem formalitate, quia non retinent rationem contradictionis; cum enim habeant finitum modum ſignificandi, non adæquant eſse infinitum, ſupra quod cadunt. Vt autem aliqua ſint contradictoria, debent adæquare id, ſupra quod cadunt; Ad Confirmationem. Cum dicitur Verbum procedere per intellectum, & non per voluntatem, non ſignificatur diſtinctio aliqua attributalis, ſed diſtinctio principij, & termini, quæ eſt à parte rei, nam Principium Filij eſt natura Diuina vt terminata vnica hypoſtaſi, principium verò Spiritus Sancti eadem natura Diuina vt terminata duplici hyppoſtaſi, videlicet Patris, & Filij. Hæc autem diſtinctio eſt realis, quia eſt ſecundum hyppoſtaſes, & ſimiliter etiam diſtinctio termini eſt realis, quia Filius diſtinguitur realiter à Spiritu Sancto. Et hoc eſt quod Fides docet, & Concilia definiunt, & Deus videt. Ad tertium negatur ſequela. Quia illæ propoſitiones procedunt de attributis, pro vt dicunt eſse obiectiuum applicatum per noſtros conceptus. Ad quartum. Sapientia, & Iuſtitia, ſecundum ſuas præciſas rationes importare quid participatum, quia dicunt aliquam portionem entis, & determinatam rationem eſsendi, vndè non poſſunt ſe habere, vt quid commune Deo, & creaturis, alioquin eſset aliquid finitum in Deo, & Deus contineretur ſub eadem ratione communi cum creaturis, vndè argumentum ſupponit falſum. Ad quintum. Sapientiam eſſe ſibi magis identificatam, quam iuſtitia, ſi conſideretur ſecundum propriam rationem, & prout dicit limitatum modum eſsendi, non autem ſi conſideretur, pro vt eſt in Deo, quia tunc ſicuti caret limitatione eſsendi, ita etiam caret diſtinctione, quæ prouenit ex tali limitatione.

An attributa ſint de quidditate eſſentiæ.

SECTIO III.

30 PRrima ſententia eſt negatiua. Ita non ſolum Scotiſtæ, ſed etiam Caietanus 1. *parte q.* 12. *artic.* 1. Vaſquez *diſp.* 119. *cap.* 2. Henricus 1. *parte art.* 32. *q.* 1. *Ad* 3. Albertus *in* 1. *diſt.* 8. *art.* 3. & 4. Gillius *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 2. & 3. Faſolus 1. *p. q.* 4. *art.* 2. *dubit.* 1. & *ſequentibus*. Probant afferendo auctoritates Patrum, qui dicunt attributa circumſtare eſsentiæ, & eſse aliud ab ipſa. Secundò. Quia ſaluatur ratio eſsentiæ per id, quod ſit ſubſtantia infinita viuens.

31 Secunda Sententia aſserit, attributa eſse de quidditate eſsentiæ. Ita Ferrarienſis 1. *contra Gentes cap.* 24. Sotus *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 3. *art.* 3. Hiſpalenſis *in diſt.* 8. *q.* 4. *art.* 3. Toletanus *q. vnica art.* 1. Bannes 1 *p. q.* 28. *artic.* 2. *dubitat.* 3. Molina *dup.* 4. Suarez *lib.* 1. *de Deo vno cap.* 11. & alij.

32 Dico primò. *Attributa non aliquo pacto conſequi eſſentiam, niſi quia de eſſe implicito tranſeunt ad eſſe explicitum*. Probatur ſi conciperentur fluere ab eſsentia, vt virtualiter contenta in ipſa, deſtrueretur in eſse obiectiuo ratio deitatis, ergo non poſsunt concipi fluere tali pacto, quia noſter modus concipiendi debet accomodari exigentiæ obiecti. Antecedens probatur. Illa eſsentia in illo conceptu ſe haberet potentiali modo. Implicat autem deitatem concipi cum potentialitate. Rurſus non ſe haberet vt ens per eſsentiam, quia obijceretur, vt habens determinatam rationem eſsendi; nam determinaretur, vt non eſset illa perfectio, quam dicunt attributa.

33 Dices. Non eſse veram rationem potentialitatis, quia non habet fundamentum in obiecto. Contra. Ergo nec in obiecto adeſt fundamentum concipiendi, quod tali pacto fluant attributa. Secundò etiamſi non adſit fundamentum, adhuc in eſse obiectiuo aliquid tribuitur deitati, quod ipſam deſtruit.

34 Obijcit Gillius. Sequeretur quod non poſſet ſaluari prioritas eſsentiæ reſpectu attributorum, nec vnius attributi reſpectu alterius. Reſpondetur non debere ſaluari aliam prioritatem, niſi illam, per quam vnum deducimus ex alio; pro hac autem ſufficit, ſi eſsentia ratione ſuæ plenitudinis exigat explicari per omnes perfectiones, quia conſequenter exigit explicari eo ordine, qui eſt inter tales perfectiones.

35 Obijcit ſecundò. Quia ſic attributa eſsent priora eſsentia, quia conſtituerent ipſam. Reſpondetur. Id ſequitur tantum, ſi eſsent in eſsentia ſecundum ſuas determinatas rationes, quia tunc eſsent veluti partes; non ſunt autem, quia illæ determinatæ rationes tribuuntur eſsentiæ ad explicandam eius infinitam perfectionem.

36 Dico ſecundò. *Attributa eſse de conceptu eſſentiæ ſecundum ſe conſideratæ, quia tum eſt ex parte obiecti*. Probatur. Eſsentiam ſecundum proprium conceptum eſt ens per eſsentiam: Ergo quidditatiuo modo ſaltem implicitè importat attributa. Antecedens patet. Quia ens per eſsentiam eſt prima ratio, quam concipimus in Deo. Conſequentia probatur. Quia ens per eſsentiam in ſua formali ratione dicit eſse abſque vlla limitatione, & abſque vllo determinato modo eſsendi, ergo dicit plenitudinem perfectionis, atque adeo totalem perfectionem Dei.

37 Reſpondet Faſolus. Ens per eſsentiam nil aliud dicere, niſi exiſtentiam ſibi quidditatiuam. Contra. Eſsentia diuina quidditatiuè includit exiſtentiam, ergo etiam omnem rationem eſsendi. Conſequentia probatur. Quia eo ipſo, quod dicit exiſtentiam quidditatiuè, dicit etiam eſse à ſe, & conſequenter dicit habere eſse illimitatum. Secundò. Ens per eſsentiam dicit totalitatem entis, ita vt non ſit aliud ens extra ipſum, quod non ſit ab ipſo participatum, ergo dicit plenitudinem eſsendi.

38 Conf. Eſsentia Diuina eſt infinita quidditatiuè, ergo in

28 Confirmatur. Eſſentia diuina eſt infinita quidditatiuè, ergo in ſuo conceptu quidditatiuo includit omnes perfectiones. Conſequentia probatur. Quia talis infinitas eſt infinitas in eſſendo, quæ coadunat in vnum omnes perfectiones.

29 Dices infinitatem coadunare omnes perfectiones tantùm identicè. Contra. Infinitas eſt formalis ratio identificatiua, ergo ſecundum illam rationem identificat, ſupra quam cadit, ergo cum cadat ſupra quidditatem, debet quidditatiuo modo identificare. Secundò eſſentia diuina dicit infinitatem ſecundum ſuam rationem quidditatiuam: ergo quidditatiuè dicit omnem rationem quidditatis, atque adeo omnem perfectionem.

30 Dico tertiò. *Attributa ſecundum eſſe obiectiuum, quod habent ex applicatione noſtrorum conceptuum, licèt concipiantur, vt contradiſtincta ab eſſentia, adhuc tamen ſunt de conceptu adæquato eſſentiæ, ita vt debeant ad ipſam comparari tanquam complementum eſſentiale eo pacto, quo plures rationes comparantur, vt partes conſtitutiuæ ad eandem eſſentiam.* Probatur. Eſſentia Diuina eſt ſimpliciter infinita in omni genere: ergo vt concipiatur ſecundum hanc infinitatem, debet ita concipi, vt nulla ratio entis ſit extra ipſum, ergo quando concipiuntur attributa, vt perfectiones inuicem contradiſtinctè, & ab eſſentia, debent adhuc concipi, vt pertinentes ad intrinſecam rationem eſſentiæ, alioquin eſſentia non retineret ſuam infinitatem.

31 Dices. Sequeretur, attributa non conſequi ab eſſentia, nec poſſe de ipſa demonſtrari. Reſpondetur ſequi, quod non conſequantur ab ipſa, vt à radice continente virtualiter; non autem, quod non conſequantur eo modo, quo explicauimus. Poſſunt autem demonſtrari, quia in conceptu eſſentiæ implicito modo continentur, quia non aliud demonſtratur, niſi quod illa perfectio reperiatur in eſſe diuino, & illatio fundatur in illa connexione, per quam ratione infinitatis omnes perfectiones adunantur in Deo.

32 Ad primum. Patres, vt diximus in ſuperioribus, nihil aliud intendere, niſi quod attributa inuicem, & ab eſſentia diſtinguantur ſecundum eſſe obiectiuum applicatum per noſtros conceptus. Ad ſecundum. Ex eo, quod diuina eſſentia concipitur, vt ſubſtantia infinita, concipitur etiam cum omnibus attributis, quia concipitur cum omni ratione ſubſtantiali, quæ Deo conuenit.

An eſſentia ſit de conceptu attributorum.

SECTIO IV.

33 PRima ſententia eſt negatiua. Ita Alenſis *prima parte quæſt.* 51. *memb.* 1. Albertus *in* 1. *diſtinct.* 8. *artic* 3. *&* 4. Capreolus *quæſt.* 4. *artic.* 2. *ad ſecundum Aureoli contra primam concluſionem*. Hiſpalenſis *artic.* 4. Vaſquez *prima parte diſtinct.* 119. *cap.* 2. Gillius *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 7. Faſolus *prima parte quæſt.* 4. *art.* 2. *dub.* 10. *& alij*. Probant. Quando concipiuntur attributa, non concipitur eſſentia, quia conceptus formalis illam non repræſentat, ergo. Secundò. Quia attributa præciſè conſiderata non important perfectiones ſubſtantiales eſſendi. Tertiò. Concipiuntur emanare ab eſſentia; ſubiectum autem, à quo aliquid emanat non eſt de intrinſeca ratione ipſius, quia non prædicatur in primo modo dicendi per ſe.

34 Secunda ſententia eſt affirmatiua, ita Torres *de Trinitate quæſt.* 28. *artic.* 2. *diſp.* 2. *dub. vnico*. Valentia *tom* 1. *diſput.* 1. *quæſt.* 12. *punct.* 7. Suarez *in methaph. diſp.* 30. *ſect.* 6. *& lib.* 1. *De Deo Vno cap.* 12. Molina 1. *parte quæſt.* 28. *art.* 2. *diſp.* 4.

35 Dico primò. *Eſſentiam eſſe de intrinſeca ratione attributorum prout ſe tenent ex parte obiecti*. Deſumitur ex Diuo Anſelmo *in Monol. cap.* 16. vbi habet. *Idem igitur eſt quodlibet illorum, quod omnia ſunt ſimul, ſiue ſingula, & cum dicitur iuſtitia, vel eſſentia. Vnum ſignificat, quod aliud, vel omnia ſimul, vel ſingula.* Auguſtino 15. de Trinitate cap. 5. *Non eſt aliud ſapientia, aliud eſſentia*. Probatur. Attributa in proprio conceptu quidditatiuo important rationem entis, qua ſunt aliquid, & hæc ratio entis non eſt aliud, quàm ens per eſſentiam, ergo in ſuo conceptu inuoluunt eſſentiam. Conſequentia probatur. Quia ratio entis per eſſentiam eſt ratio eſſentiæ.

36 Dices. Attributa importare tantum inadæquatè rationem entis per eſſentiam. Contra. Ratio entis per eſſentiam conſiſtit in indiuiſibili ergo, aut tota, aut nihil de ipſa poteſt importari. Secundò. Eſſentia ſecundum proprium conceptum eſſentiæ non poteſt diuidi in plures conceptus: ergo nec ens per eſſentiam; diuideretur autem, ſi ex parte obiecti inadæquatè importaretur.

37 Dices ſecundò. Præſcindere ab ente per eſſentiam. Contra. Non præſcindunt ab eſſe reali, ergo, nec ab illa ratione, per quam formaliter ſunt quid reale. Secundò. Si præſcinderet, poſſet de ipſis negari, ſicut rationalitas de animalitate.

37 Dico ſecundò. *Attributa conſiderata ſecundum eſſe obiectiuum applicatum per noſtros conceptus, trahunt ad ſe eſſentiam tanquam quid coeſſentiale, ratione cuius ſubſiſtunt in propria quidditate*. Probatur. Attributa licet concipiantur, vt diſtincta ab eſſentia, concipiuntur tamen, vt communicantia in eadem eſſentialitate, ergo illam exigunt, vt quid eſſentiale. Antecedens probatur. Quia communicant in eadem infinitate, & & plenitudine eſſendi.

38 Ad primum negatur antecedens. Nam, quando concipiuntur attributa, concipitur etiam eſſentia impliciè, & ſi perfectè concipiuntur, debet concipi etiam explicitè, quia concipiuntur vt ens per eſſentiam. Ad ſecundum negatur aſſumptum, quia important perfectionem ſubſtantialem, cum important ipſum eſſe per eſſentiam. Ad tertium non emanare ab eſſentia, niſi ſecundum modum concipiendi explicitum, vnde debent concipi contineri in eadem eſſentia, vt aliquid de ipſa.

39 Obiicitur. Attributa includuntur in eſſentia, & eſſentia in attributis, ergo idem eſt includens, & incluſum, prius, & poſterius in eodem genere cauſę formalis. Reſp. Nego antecedens. Nam inter eſſentiam, & attributa non interuenit incluſio, quia eadem perfectio, quæ eſt eſſentia, eſt etiam attributum, & ſolum adeſt diſcrimen, quod quando concipitur, vt eſſentia, diuerſo modo explicatur, ac quando concipitur, vt attributum.

An vnum attributum ſit de eſſentia alterius.

SECTIO V.

40 PRima ſententia eſt negatiua. Ita ii, qui negant eſſentiam eſſe de quidditate attributorum, & præcipuè Gillius *lib.* 2. *tract.* 6. *cap.* 8. Et Faſolus *prima parte quæſt.* 4. *art.* 2. *dubit.* 11. Probant. Quia in ſcriptura aliqui effectus tribuuntur vni, & alii alteri. Secundò. Quia nomina, quibus explicantur, non ſunt Synonima. Tertiò. Attributa ad inuicem habent ordinem prioritatis, & poſterioritatis; vnde vnum demonſtratur per aliud. Quartò. Attributa fundant diuerſa prędicata intrinſeca Deo, vnde dicitur Deus intellectu cognoſcere, voluntate velle, & non è contra.

41 Se-

Digitized by Google

41 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita ii, qui volunt eſſentiam eſſe de quidditate attributorum.

42 Dico primò. *Attributa ſecundum proprium eſſe conſiderata, ex parte obiecti, ita ſe habere, vt vnum ſit de quidditate alterius.* Deſumitur ex Patribus Bernardo ſerm. 80. in Cantic. *Nec enim aliunde bonus, quam vnde magnus, nec aliundè iuſtus, aut ſapiens, quam vnde magnus, & bonus.* Anſelmo *cap. 16. Monologij*, vbi cum dixiſſet, rationale corpus, & hominem eſſe tria, deinde ſubdit. *Non ſic ſe habere diuinas perfectiones, ſed omnia in Deo dici ſecundum conſiderationem, quia vnum eſt quodlibet illorum, quod omnia ſunt ſimul.* Auguſtin. ſerm. 40. de tempore. *Hoc eſt in Domino virtus, quod iuſtitia, quidquid de illo dixeris, hoc idem dices.* Probatur. Quodlibet attributum eſt infinitum in ratione eſſendi, ita vt infinitas non ſolum ſit quaſi accidentalis, ſicuti eſſet infinitas intenſiua perfectionum creatarum, ſed ſit infinitas ſecundum eſſentialitatem eſſendi: ita vt in ratione quidditatis infinito modo ſe habeant: ergo vnum eſt de quidditate alterius. Conſequentia probatur. Quia poſita infinitate ſecundum quidditatem, debet poni omnis ratio quidditatis, atque adeò omnis perfectio.

43 Dices. Attributa ſecundùm ſe præciſè eſſe tantum infinita in ſuo genere: Contra. Quia non eſſent infinita ſecundum quidditatem, nam haberent quidditatem determinatam ad certum genus; & menſuratam certa menſura. Secundò ſublata infinitate in omni genere remaneret aliquid finitum ſimpliciter ſecundum eſſe, atque adeò participatum. Tertiò, infinitas in eſſendo excludit terminum ſecundum rationem eſſendi; quod fieri non poteſt, niſi importet omnem rationem eſſendi.

44 Dico ſecundò. *Attributa ſecundum eſſe obiectiuũ applicatum per noſtros conceptus eſſe ſibi inuicem coeſſentialia.* Probatur. Licet concipiantur diſtincta, concipiuntur tamen communicare in eadem ratione actus puri, & infinitatis eſſendi. Ergo ſe habent coeſſentialĩ modo, quia ea ſe habent coeſſentiali modo, quæ communicant in eadem ratione quidditatiua.

45 Ad primùm, Reſpondetur effectus, qui tribuuntur vni attributo, non tribuuntur alteri, prout ſtãt ſub repræſentatione noſtrorum conceptuum, non verò ſecundum ſe. Ad ſecundum nomina diuinorum attributorum non eſſe Synonima, quia explicant diuina attributa mediantibus noſtris conceptibus, atque adeò prout ſtant in repręſentatione ipſorum. Ad tertium. Attributa habere prioritatem, & poſterioritatem quando conſiderantur, vt explicata per conceptus rerum creatarum. Quia ſicuti tribuuntur Deo perfectiones creatæ, ita etiam tribuitur ordo ipſarum; hic autem ordo non fundatur in ipſo eſſe diuino; inſeruit tamen ad colligendam vnam perfectionem ex alia, quia cum eſſe diuinum exigat explicari per omnes perfectiones compoſſibiles, exigit etiam explicari ſecundum illum ordinem, quem ipſæ habent ad inuicem. Ad quartum fundare affirmationes, & negationes, quia prædicata, quæ tribuuntur Deo, procedunt ſecundum noſtros conceptus, atque adeò cadunt ſupra attributa, prout ſtant in repræſentatione noſtrorum conceptuum.

An attributa diſtinguantur ratione?

SECTIO VI.

46 QVæſtio procedit de attributis conſideratis ſecundum verum eſſe obiectiuum, non autem ſecundum illud, quod habent ex applicatione noſtrorum conceptuum. Supponendum autem eſt. Diſtinctionem rationis diuerſimodè aſſignari licet, quoad rem nulla ſit diuerſitas. Vnde alia eſt diſtinctio, in qua idem prorſus concipitur in vtroque extremo, vt cum idem diſtinguitur à ſe ipſo; alia vero, in qua extrema differunt ſolum ſecundum eſſe explicitum, & implicitum, vt cum definitio diſtinguitur à definito. Tertia, in qua extrema differunt ſecundum diuerſas formalitates, vt cum diſtinguitur animalitas à rationalitate, & hæc diſtinctio magis communiter vocari ſolet rationis ratiocinatæ ſecundum conceptus adæquatos.

47 Prima ſententia aſſerit, attributa diſtingui ratione ratiocinata cum fundamento in re. Ita Alenſis *prima parte quæſt. 23. memb. 4. artic. 1.* Aegidius *in 1. diſtinct. 8. parte 2. quæſt. 1. art. 4.* Rubio *quæſt. 4. art. 1.* Toletanus *quæſt. vnica artic. 2.* Durandus *q. 3.* Carthuſianus *quæſt. 2.* Molina *prima parte quæſt. 28 artic. 2. diſp. 3.* Faſolus *quæſt. 4. artic. 2. dubit. 14.* Suarez *lib. 1. de Deo Vno, cap. 13.* Et alii plures, quorum aliqui volunt, diſtingui ſecundum conceptus adæquatos; alii verò ſecundum conceptus inadæquatos. Probant. Quia rationes formales attributorum ſunt ex genere ſuo diſtinctæ. Secundò. Quia hæc diſtinctio ſufficit, vt aliquæ propoſitiones ſint veræ, & aliquæ falſæ. Tertiò. Quia aliquod prædicatum independenter ab intellectu conuenit vni attributo, & non alteri.

48 Secunda ſententia negat, diſtingui ratione. Ita Marſilius *in 1. quæſt. 13. art. 2.* Ochamus *diſt. 2. quæſt. 2.* Gabriel *art. 2. concluſ. 1.* Ariminenſis *diſtinct. 8. quæſt. 2. artic. 1.* Alliacenſis *quæſt. 6. art. 2.* Maior. *quæſt. 1.* Aureol. *part. 3. diſtinctionis, art. 6.* Nouocaſtro *diſtinct. 32. q. 2.*

49 Dicendum eſt. *Attributa non diſtingui ratione, ita vt diſtinctio cadat ſupra eſſe proprium attributorum, quod eſt in Deo, & ſubſternitur eſſe obiectiuo applicato per noſtros conceptus, ſed totam diſtinctionem ſe tenere tantum ex parte noſtrorum conceptuum.* Deſumitur ex Diuo Anſelmo *cap. 16. Monologij*, Ibi ait, *Homo ſecundum varias conſiderationes dicitur corpus, rationalis, & Homo, illa verò ſumma eſſentia nullo modo ita eſt aliquid, vt illud idem ſecundum alium modum, aliamue conſiderationem, non ſit omnia.* Probatur. Si diſtinctio caderet ſupra eſſe intrinſecum Dei, deberet vno conceptu, aliquid de ipſo concipi, & aliquid non concipi, & deberet conceptus terminari ad aliquam formalitatem determinatam, quam intellectus cognoſceret ratione ſuæ quidditatis non eſſe aliam: ſed hoc fieri non poteſt, ergo minor probatur. Tunc in Deo eſſet aliqua determinatio ſecundum rationem entis; omnis autem determinatio in ratione entis importat terminum, quia importat portionem entis. Rurſus illæ formalitates in eſſe obiectiuo incommunicabiliter ſe haberent in proprio eſſe formali, quod fieri non poteſt abſque limitatione. Confirmatur. Non poteſt concipi aliquod attributum diuinum, niſi concipiatur cum intrinſeca independentia: ergo non poteſt concipi, vt ratione diſtinctum ab alio. Antecedens probatur. Attributa, ſi diſtinguuntur, non debent quocunque modo diſtingui, ſed vt diuina ſunt; vt autem ſunt diuina dicunt independentiam. Conſequentia probatur, quia independentia fundatur in infinitate ſimpliciter, atque adeo ſupponit omnem perfectionem.

50 Dices concipi independentiam inadæquatè, prout dicit negationem cauſæ. Contra. Negatio cauſæ debet ſupponere fundamentum in eo, cui conuenit; fundamentum autem eſt tantum eſſe infinitum ſimpliciter.

51 Confirmatur ſecundò. Exiſtentia eſt intrinſeca cuicunque attributo, ita vt non poſſit concipi diſtingui ab alio, niſi concipiatur diſtingui ſecundum propriã ſuam exiſtentiam: ergo non poteſt diſtingui ratione. Conſequentia probatur. Eo ipſo, quod concipitur attributum vt exiſtens per eſſentiam, concipitur cum omni eo, quod importat quidditatiuè ipſum exiſtere per eſſentiam;

tiam; exiſtere autem per eſſentiam ſupponit infinitatem eſſendi, & ſicuti non poteſt concipi, niſi concipiatur id, quod exiſtit; ita etiam niſi concipiatur infinitas eſſendi.

52 Ad 1. Reſpondetur. Rationes attributales non eſſe ex genere ſuo diſtinctas, niſi prout habent talem menſuram quidditatis; quia autem in Deo deponunt talem menſuram ex eo, quod communicant in eadem infinitate, ideo etiam deponunt diſtinctionem, quæ conſequitur ex eſſe quidditatiuo ipſarum. Ad 2. Aliquas propoſitiones eſſe veras, & aliquas falſas, quia loquimur de Deo, pro vt ſtat in repræſentatione noſtrorum conceptuum, ratione quorum habetur diſtinctio. Ad 3. vnum prædicatum conuenire vni attributo, & non alteri, prout attributa ſtant in repręſentatione noſtrorum conceptuum, non ſecundum ſe.

Quodnam ſit fundamentum diſtinguendi attributa.

SECTIO VII.

53 Difficultas eſt, An hoc fundamentum, ratione cuius concipiuntur attributa per plures conceptus, ſit intrinſecum Deo, An vero extrinſecum. Fundamentum intrinſecum dicitur diſtinctio virtualis, quæ nihil aliud eſt, niſi multiplicitas virtualis ſimplicis entitatis continens in ſe perfectiones ſaltem proportionaliter ſimiles ijs, quæ in aliquibus diſtinguuntur; Fundamentum autem extrinſecum non eſt aliud, quam extrinſeca connotata, vt ſunt effectus, qui proueniant à Deo.

54 Prima ſententia aſſerit fundamentum diſtinguendi attributa eſſe virtualem diſtinctionem. Ita Durandus *in 1. diſtinctione 2. quæſt. 3.* Toletanus *diſt. 8. q. vnica art. 2.* Caiet. *q. 12. de ente, & eſſentia.* Molina *1. p. q. 28. artic. 2. diſp. 2. concluſ. 7.* Eſillius *lib. 2. trac. 6. c. 8.* & communiter Recentiores. Probant. Quia perfectiones Diuinæ correſpondent pluribus entibus ex natura ſua diſtinctis. 2. Reperiuntur in Deo ſecundum propriam rationem formalem completam, & abſolutam in ſuo genere, ergo non diſtinguuntur ſolo connotato, ſed per propriam rationem.

55 Secunda ſententia aſſerit fundamentum eſſe tantum extrinſeca connotata. Ita Ocham. *in 1. diſt. 2. q. 2.* & alij ſectione precedenti allati pro 2. ſententia.

56 Dicendum eſt. *Fundamentum diſtinctionis non eſſe virtualem diſtinctionem, ſed tantum extrinſeca connotata.* Probatur. Non poteſt ſaluari virtualis diſtinctio, niſi ſaluentur in Deo rationes formales perfectionũ creatarum cum eadem determinatione, quam habẽt in creatis; ſed non poſſunt ſaluari, ergo. Maior patet. Quia diſtinctio virtualis eſt cum ordine ad actualem, quæ ſit in alio ſubiecto; vndè importat eaſdem rationes formales cum eadem determinatione, ita vt in eſſe obiectiuo vna non ſit alia, quod fieri non poteſt, niſi retineant determinationem in eſſe formali. Minor probatur. Talis determinatio menſurat ſingulas rationes determinando, ita vt in eſſe formali vna nõ ſit alia; hæc autẽ ratio mẽſuræ repugnat Deo, quia ipſi repugnat quæcũq; limitatio etiã ſecũdũ eſſe formale? Confirmatur. Poſita in aliquo ratione aliqua formali, implicat, quod cõcipiatur cũ oppoſito illius. Sic implicat quod homo concipiatur cum oppoſito rationalitatis, ergo cum in Deo ſit ratio immenſurati ſimpliciter, implicat, quod in ipſo concipiatur quæcumque ratio mẽſuræ; conciperetur autem, ſi in ipſo adeſſet diſtinctio virtualis; quia conciperentur perfectiones Diuinæ cum illa menſura, quam habent in creatis, ratione cuius diſtinguuntur. Confirmatur 2. Attributa, vt Diuina ſunt, habent modum eſſendi infinitum, vndè non habent illam determinationem, ſecundum quam quidditas vnius ſiat extra quidditatem alterius, quia ſecundum quidditatem infinito modo ſe habet, ergo non important diſtinctionem virtualem. Conſequentia probatur. Quia diſtinctio virtualis facit, quod extrema in eſſe obiectiuo ita exigente obiecto finito modo ſe habeant, & vnum ſit extra quidditatem alterius.

57 Dicendo 2. *Attributa diſtingui ratione extrinſecorum connotatorum.* Probatur. Quando concipiuntur attributa, concipiuntur cum ordine ad extrinſeca connotata, ita vt concipiantur, quatenus ſtant ſub ipſis, ergo diſtinguuntur ratione connotati.

58 Ad 1. Perfectiones Diuinas non correſpondere pluribus rebus diſtinctis cum eadem determinatione eſſendi, ſed cum infinitate, & ideo excluditur diſtinctio virtualis. Ad 2. Non reperiri in Deo ſecundum propriam rationem habentem eundem modum, & menſuram, ſed cum infinitate eſſendi, & ideo non poſſunt fundare diſtinctionem virtualem, nec tribuere eundem effectum formalem, vt ſi eſſent diſtinctæ.

DE VNITATE DEI, ET ſimplicitate.

DISPVTATIO XIV.

An Deus ſit vnus.

SECTIO I.

1 Loquimur de vnitate, qua ita ſit vnus, vt non ſint plures Dij. Supponendum autem eſt tam contra Gentiles quam contra quoſdam hæreticos, vt Manicheis, qui ponebãt duplicem Deum, vnum auctorem bonorum, & alium auctorem malorum; & Marcionem, qui ponebat vnum Deum ſeuerum, & iuſtum auctorem veteris teſtamenti; & alium miſericordem auctorem noui teſtamẽti. De fide eſſe. Vnicum tantum eſſe Deum. Deuteronomij 4. *Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter ipſum,* & cap. 6. *Audi Iſareb Dominus Deus noſter Deus vnus eſt,* & cap. 32. *Vide quod ego ſim ſolus, & non ſit alius pręter me.* Pſ. 82. *Tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terrã.* Io: 17. *Vt cognoſcant ſe ſolum verum Deum.* Ad Galatas 3. *Deus autem vnus eſt.* Difficultas autem eſt, An poſſit naturaliter demonſtrari, Deum eſſe vnum.

2 Prima ſententia eſt negatiua. Ita Ocham. *in 1. diſt. 2. q. 10.* Gabriel *art. 2.* Adamus *q. 1. art. 2.* Baſſolis *q. 3. art. 3.* Maior *q. 3. art. 3.* Fundamentum, eſt quia putant rationes omnes, quæ afferuntur, poſſe ſolui.

3 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita D. Thomas *1. contra Gentes cap. 42.* & *1. p. q. 11. art. 3.* Ferrarienſis *citato loco contra Gentes.* D. Bonauentura *in 1. diſt. 2. q. 1.* Riccardus *art. 1. q. 1.* Scotus *q. 3.* Argentinas *q. 1.* Caiet. *1. p. q. 11. art. 3.* Cumel, Molina, Faſolus, Vaſquez, *ibidem.* Gillius *lib. 2. tract. 3. cap. 7.* Smiſing. *tract. 3. de Deo vno diſp. 1. q. 1.* Suarez *diſp. 29. metaphyſicali ſec. 2. & 3.*

4 Dicendum eſt. *Poſſe demonſtrari, Deum eſſe vnum.* Sequitur ex dictis de exiſtentia Dei, quia eadem demonſtratio, quæ à poſteriori probat; Deum exiſtere probat etiam Deum eſſe vnum; præterea. Probatur Deus eſt ens neceſſarium, & per eſſentiam, ergo eſt vnus. Conſequentia probatur. 1. Quia, ſi ens per eſſentiam eſſet plurificabile, non eſſet maior ratio, cur in duobus, vel pluribus poſſet plurificari, ſed poſſet plurificari in infinitum, vt ſunt naturæ ſpecificæ, ergo cum ſit neceſſariò, actu daretur infinitas Deorum. 2. probatur eadem conſequentia. Si plurificaretur, deberet habere aliquid reale, per quod plurificaretur, & hoc deberet eſſe extra quidditatem entis per eſſentiam, alioquin conueniret vnicuique, cui conueniret eſſe ens per eſſentiam vndè non eſſet ens per eſſentiã, quia extra ens per eſsẽtiã nõ datur ens per eſſentiam, ergo Deus non eſſet ſecundum ſe totum ens per eſſentiam.

5 Se-

Digitized by Google

5 Secundò probatur. Indiuiduatio, ſeu ſingularitas eſt de intrinſeca ratione entis per eſſentiam, ergo repugnat ens per eſſentiam plurificari; ſingularitas enim ponit repugnantiam ad multiplicari. Antecedens probatur. Quia cum ens per eſſentiam ſit ſummè neceſſarium, habet intrinſecè omnem rationem entis ſibi neceſſariam; vndè etiam habet exiſtentiam, ergo cum ſingularitas ſit ratio neceſſaria, erit ipſi intrinſeca.

6 Dices. Hinc ſequi tantum, non poſſe dari duo entia per eſſentiam ſolo numero diſtincta, non autem, quod non poſſint dari veluti ſpecie diſtincta. Contra ens per eſſentiam, ſicuti eſt ſibi ſufficiens, ita includit quidditati vt modo omnem rationem ſibi neceſſariam ad eſſendum, ergo non ſolum ſingularitatem, ſed etiam omnem rationem ſpecificam, ergo non poteſt ſpecificè plurificari, quia plurificatio deberet fieri per aliquid, quod quidditatiuo modo non includeret. Secundò. Si eſſent plura ſpecie, deberent ſingula eſſe ens, &c. eſſentiam, ergo ens per eſſentiam plurificaretur in illis; hoc tamen fieri non poteſt, quia quidditatiuo modo includit ſingularitatem.

7 Tertiò probatur. Deus eſt actus purus, & perfectiſſimus, ergo non poteſt eſſe multiplex. Conſequentia probatur. De ratione actus puri eſt; quod excludat omnẽ rationem potentialitatis; &, quia hæc non excluditur, niſi per actum, vt illam excludat, debet habere omnem rationem actualitatis, cuius eſt capax ens per eſſentiam, ergo cum ſit ens à ſe, eſt capax omnis actualitatis, quæ eſt à ſe, ſed, ſi eſſet multiplex, non haberet omnem rationem actualitatis, quia multiplicitas importaret diuerſam rationem actualitatis, ratione cuius vnus Deus diſtingueretur ab alio; & hæc actualitas eſſet à ſe, ergo non eſſet in quolibet omnis ratio actualitatis.

8 Obijcies. Rationes allatæ poſſunt explicari ad demonſtrandam in Deo vnitatem perſonæ, ergo non ſunt demonſtratiuæ. Reſpondetur negando aſſumptum, quia probat ſolum vnitatem vnius entis ſummi, & vnius naturæ: pluralitas autem perſonarum ſtat cum vna, & ſumma natura, ita vt nullo modo ratione ipſarum habeatur plurificatio in ratione ſummi entis per eſſentiam.

Quid dicat ſimplicitas.

SECTIO II.

9 SVpponendum eſt ſimplicitatem nihil aliud importare, quam vnitatem perfectam, qua non ſolum res ſit vna in ſe, ſed etiam abſque vlla compoſitione principiorum intrinſecorum, vt docet Bernardus *ſerm.* 80. *in Cantic.* & 5. *de Conſideratione cap.* 7. Cyrillus Alex. *lib.* 1. *Theſauri cap.*8. Damaſcen.1. *De fide cap.*12. Baſilius 1.*contra Eunom.* Duplex enim ſimplicitas conſiderari poteſt, Alia abſoluta, alia mixta; abſoluta, quæ excludit omnem multiplicitatem, mixta, quæ ſe habet compoſſibiliter cum aliqua multiplicitate, hinc etiam duplex gradus vnitatis, alter, qui excludit abſolutam multiplicitatem, vt vnitas compoſitionis, alius verò, qui excludit omnem multiplicitatem, & eſt vnitas ſimplicitatis.

10 Supponendum ſecundò. Compoſitionem eſſe duplicem. Paſſiuam, & Actiuam. Paſſiua eſt, quæ conuenit rei compoſitæ, quatenus reſultat ex pluribus componentibus; Actiua verò, quæ conuenit parti componenti, quatenus ſe exhibet compoſito, De ratione autem ſimplicitatis eſt, quod excludat, non ſolùm compoſitionem paſſiuam, ſed etiam actiuam, vt ſit perfecta, vt docent communiter cum Diuus Thoma *in* 1. *diſtinctione* 8. *quæſtione* 5. *artic.* 1. & ratio eſt. Quia quod componit cum alio, aliquo pacto communicat in eſſe cum ipſo; vndè ſaltem ſpectet ad integritatem ipſius. Ex hoc autem fit, quod non habeat totam ſuam perfectionem ſimpliciſſimo modo, quia licet in ratione partis ſimplici modo, ſe habeat, non tamen ſe habet quò ad totam ſuam integritatem eſſendi. Difficultas autem eſt. An ſimplicitas de ſuo formali dicat aliquid negatiuum; An autem aliqui poſitiuum.

11 Prima ſententia aſſerit, eſſe aliquid negatiuum formaliter, & connotare ſolum poſitiuum tanquam fundamentum. Ita Caietanus *De ente, & eſſentia cap.*2. *poſt quæſtionem tertiam.* Aureolus *in* 1. *diſtinctione* 8. *quæſtione* 3.*artic.*2. Mayronus *quæſtione* 7. *articulo* 1. Bannes *prima parte quæſtione* 3. *art.*7. Molina *diſput.* 2. Faſolus *dubitat.* 3. Suarez *lib.* 1. *de Deo vno cap.* 3. Probant. Quia ſimplicitas non addit aliquid ſupra eſſe rei ſimplicis, alioquin, ſi adderet, obſtaret ſimplicitati, quia faceret compoſitionem. Secundò. Quia nec compoſitio addit aliquid ſupra compoſitum. ergo

12 Secunda ſententia aſſerit importare formaliter aliquid poſitiuum. Ita Scotus *in* 1. *diſtinctione, quæſtione* 1. *Ad Primum.* Ita Bonauentura *art.*39.2. *Ad primum.* Henricus *in ſumma artic.*28. *quæſtione* 1. Smiling. *tract.* 2. *de Deo vno diſtinct.* 2. *quæſt.*2.*num.* 42.

13 Dicendum eſt ſimplicitatem de ſuo formali importare poſitiuam rationem intrinſecam rei ſimplicis. Probatur. Res ſimplex dicit ſpecialem rationem fundantem negationem compoſitionis ſibi inſeparabiliter connexam, ergo dicit aliquid poſitiuum, quo formaliter ſit ſimplex. Antecedens patet, quia negatio compoſitionis eſt ſpecialis negatio, quæ non poteſt vnicuique conuenire, vndè nec poteſt fundari in quacunque ratione. Conſequentia probatur. Hæc ſpecialis ratio debet eſſe aliquid formali modo excludens compoſitionem, nam in tantum alicui tribuitur, in quantum ab ipſo excluditur compoſitio; hoc autem formale excluſiuum formali modo reddit ſimplex. Dices. Hoc fundamentum eſſe ipſam eſſentiam rei ſimplicis. Contra.

14 Quidquid ſit, formali modo excludit compoſitionem, & eſt aliquid poſitiuum, ergo ſimplicitas importabit aliquid poſitiuum, quia importat illud, quo formaliter excluditur compoſitio. Secundò. Eſſe ſimplex eſt natura poſterior ſua eſſentia, ergo eſt attributum illius. Antecedens patet, quia valet regula prioritatis, nam poſita ſimplicitate ponitur eſſentia, poſita verò eſſentia, non ponitur ſimplicitas; quia datur aliqua eſſentia, quæ non ſit ſimplex.

15 Ad primum, ſimplicitatem non addere aliquid diſtinctum ſupra eſſe rei ſimplicis, ſed importare eſſe eiuſdem ſecundum peculiarem rationem, qua excluditur compoſitio. Ad ſecundum negatur conſequentia, nam compoſitio quoque importat rationem poſitiuam, intrinſecè tamen imbibitam in ipſo compoſito, per quam formaliter excluditur pluralitas.

An ſimplicitas ſit perfectio ſimpliciter ſimplex.

SECTIO III.

16 PRima ſententia eſt negatiua. Ita qui negant, dicere aliquid poſitiuum, & pręterea. Antonius, Andreas *in* 1. *diſtinctione* 8. *quæſtione* 1. *Ad primum.* Cumel *prima parte, quæſtione* 3. *artic.* 7. Faſolus *dubit.* 3. atque alij plures Recentiores. Probant. Quia non ſemper eſt melior ipſa in vnoquoque, quam non ipſa; melius eſt enim eſſe hominem compoſitum, quam accidens ſimplex.

17 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita. Qui aſſerunt eſſe quid poſitiuum, & præterea Maior *in* 1. *diſtinctione* 8. *quæſtione* 3. Durandus *parte ſecunda diſtinctionis quæſtione* 1. *ad primum*, & deſumitur ex D. Thoma 1. *contra Gentes*, *cap.* 18.

18 Notandum 1. Cum quæritur, An ſimplicitas ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, debet conſiderari ſecundum propriam rationem formalem, non autem ſecundum eſſe ma-

Digitized by Google

materiale, ſecundum autem eſſe formale directè excludit ſolam compoſitionem, non autem aliquam perfectionem ſimpliciter ſimplicem, quod ex eo patet, quia in Deo ſunt omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices, & adeſt etiam ſumma ſimplicitas.

19 Notandum ſecundò. Simplicitatem aliam eſſe abſolutam vndequaque, quæ importat omnem rationem ſimplicitatis, & aliam ſecundum quid, ſeu ſecundum capacitatem ſubiecti, quæ reddit rem ſimplicem, quantum fieri poteſt. Differunt inter ſe, non ſecundum rationem formalem, ſed ſecundum extenſionem ad plures, vel pauciores gradus, nam vna importat omnes gradus excogitabiles, & infinito modo ſe habet; alia verò importat tantùm aliquos gradus.

20 Dicendum eſt. Simplicitatem ex genere ſuo eſse perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Probatur. In vnoquoque eſt melior ipſa, quam non ipſa, ergo. Antecedens patet, quia facit rem in ſuo eſse perfectiori modo ſe habere; nam facit, quod indiuiſibiliter ſit id, quod eſt. Confirmatur. Si diceret negationem, fundamentum talis negationis faceret, quod res in eſsendo perfectiori modo ſe haberet. Hinc D. Anſelm. *de Incarnatione Verbi, cap.6.* Omne *ſimplex, qua ſimplex eſt, eſt perfectius compoſito.* & D. Auguſt. *cap.11. de quantitate animæ*. Omninò *præponendum eſt, quod omninò diuidi non poteſt, & quod omni compoſitione caret.* Secundò probatur. Simplicitas de ſuo formali excludit compoſitionem, & importat modum eſſendi oppoſitum, ergo eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Conſequentia probatur. Nam excludendo compoſitionem, excludit perfectionem, quæ annexam habet imperfectionem, & non excludit aliquam aliam perfectionem ſimpliciter ſimplicem, nec de ſe habet annexam aliquam imperfectionem, alioquin non poſſet tribui Deo.

21 Ad fundamentum in oppoſitum. Simplicitatem debere comparari ad ſubiectum, cuius eſt ſimplicitas, reſpectu cuius ſemper erit melior ipſa; quia ſemper melius eſt, quod ſit ſimplex ſecundum eſſe, quod habet, quam quod ſit compoſitum ſecundum illud idem eſſe. Sic accidens perfectius eſt, quia eſt ſimplex in ſuo eſſe, quam ſi eſſet compoſitum.

An Deo ſit omninò ſimplex.

SECTIO IV.

22 Dicendum eſt: *Deum eſſe omninò ſimplicem ſumendo ſimplicitatem, prout excludit compoſitionem, tam actiuam, quàm paſſiuam*. Ita communiter Patres, & Doctores cum D. Thom. 1. *part. quæſt. 3. art.* 7. Et eſt de fide ex Concilio Lateranenſi in *cap. Firmiter.* Vbi habetur. *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, vna eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omninò*. Probatur. Deus eſt id, quod eſt, iuxta illud: *Ego ſum, qui ſum*. Ita vt à ſe habeat omnia, quæcumque habet, ergo eſt ſimplex omninò. Antecedens patet; Quia eſt ens per eſsentiam, & à ſe; & non eſt aliquid, quod ſit extra eſſentiam ipſius. Conſequentia probatur. Quia ſi non eſſet omninò ſimplex, non eſset id, quod eſset, ſed aliundè aliquid haberet.

23 Dices. Ex hoc excludi ſolam compoſitionem paſſiuam, non autem actiuam. Contra. Ex eo, quod alicui conuenit compoſitio actiua, ſequitur, quod poſſit habere aliquid aliundè, quod aliquo pacto pertineat ad eſſe ipſius, quia quando aliqua componuntur, ſe habent veluti partes, de quorum ratione eſt, quod aliquo modo incompletè ſe habeant, ergo. Non eſſet Deus id, quod eſt. Secundò Deus eſt primum ens, ergo. Excludit compoſitionem actiuam; ſi enim componit cum alio, vel hæc compoſitio pertinet ad eſſe Dei; vel non. Si primum; non eſset primum ens, nam quod eſt ex alijs, non eſt primum. Si ſecundum, ergo. Deus ſecundum proprium eſse non dicit aliquam compoſitionem, quia non poteſt componere, niſi cum eo, quod eſt contra ordinem deitatis.

24 Confirmatur. Deus eſt infinitus ſimpliciter, ergo omninò ſimplex. Conſequentia probatur. Quia infinitas in vna indiuiſibili ratione importat omnem rationem entis, quæ quocunque modo conuenire poteſt; Deindè quia quod venit in compoſitione, limitato modo ſe habet; nam limitatur, vt non ſit alia pars, cum qua componitur.

25 Obijcies, Deo cõuenit ratio totius; totum autem dicit ordinem ad partes. Reſp. Deo conuenire tantum rationem totius, quæ dicit plenitudinem eſsendi, non autem quæ dicit compoſitionem.

26 Obijcies ſecundò. Verbũ cõponit cum natura humana perſonam Chriſti, quæ eſt perſona compoſita, ergo. Deo non repugnat compoſitio actiua. Reſp. negando antecedens. Ad probationem Chriſtum eſſe perſonam compoſitam non ſecundum eſse, quia natura Diuina, & humana non coniunguntur in vnicum eſse, ſed ſolum ſecundùm rationem perſonæ quatenus duplex natura ſubſiſtit in eadem perſona.

An ſimplicitas diuina excludat compoſitionem metaphyſicam.

SECTIO V.

27 Compoſitio methaphyſica eſt illa, quæ fit ex genere, & indifferentia; vnde idem eſt, ac ſi quæratur, an Deus ponatur ſub aliquo genere. Prima ſententia aſſerit, Deum contineri ſub genere. Ita Rubio *in 1. diſt.8. quæſt.1. art.1.* Bacconius, *quæſt. vnica art.2.* Ariminenſis, *quæſt.3 art.2.* Gabriel, *quæſt.1.* Marſilius, *quæſt.12. art.2.* Smiling. *tract. 2. de Deo vno, diſp.2. n.* 52. Probant. Quia D. Aug. 5. *de Trinitate, cap.* 8. 10. & 11. Docet, quædam prædicamenta dici de Deo impropriè, quædam verò propriè, vt ſubſtantia. Confirmatur. Quia Damaſcen. 1. *de fide, cap.9.* & *in inſtitutionibus, cap.7.* Enumerat Deum inter ea, quæ continentur in genere ſummo ſubſtantiæ. Secundò, quia quædam prædicata, quæ dicuntur de Deo quidditatiuè, vt ſubſtantia, Spiritus S. dicuntur etiam de creaturis.

28 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita D. Tho. 1. *cont. gent. cap.24. & 25.* & 1. *part. quæſt. 3. art.3.* Caietan. Molina, Peſantius, Bannes, Cumel *ibidem*. Faſol. *dubit.* 2. Alenſis 1. *part. quæſt.48. memb.4. art.3.* D. Bonauent. *in 1. diſt.8. art.3. quæſt.4.* Richardus, *quæſt.1.* Aureolus, *quæſt.4. art.2.* Capreol. *quæſt.2. art.1.* Vaſquez, *1. part. diſp.22. cap.3.* Gillius, *lib.2. tract.4 cap.8. & 9.* & alij plures.

29 Dicendum eſt: *Deum non componi ex genere, & differentia, atque adeò non eſse ſub prædicamento*. Deſumitur ex Patribus Cyrillo Alexandrino 1. *de Trinitate poſt initium*. Omninò *ſub genere, & ſpecifica differentia diuinitas non eſt*. Bernardo epiſt. ad Fratres de Monte: *Ipſa eſt ſumma ſubſtantia non ſubiecta prædicamentis vocum*. Clemente Alexandrino 5. Stromatum cap. 5. *Neq; eſt genus, neque differentia, neque ſpecies, neque indiuiduum*. Auguſt. cap.3. de cognitione veræ vitæ. *His decem prædicamentis cuncta humana conditio includitur, & ab his omnibus proprietas ſummæ eſsentiæ euidenti ratione penitus excluditur*. Probatur. Si Deus eſset ſub genere, proprium eſse ipſius participato modo ſe haberet, ergo. Sequela probatur. Quia genus dicit naturam communem determinabilem per differentias, quæ ſint actus metaphyſicus ipſius; & communis natura, ſicuti eſt indifferens ad hanc, vel illam differentiam, ita ſe habet potentialiter; vnde differentia recipitur in potentialitate naturę, & ſe habet in ipſa participato modo, quia quidquid in alio recipitur, participato modo ſe habet.

30 Dices. Quod ſicuti diſtinctio generis, & differentiæ eſt tantum rationis, ita etiam non infert realem potentialitatem, nec reale eſſe participatum. Contra. Quia licet non ſequatur potentialitas phyſica, & eſse participatum phyſicum, ſequitur tamen realis potentialitas metaphyſica,

phyſica, & eſſe reale receptum metaphyſicè, vt contingit in creatis. Secundò natura generica ſecundum ſuum eſſe obiectiuum non importat differentias, cum poſſit eſſe ſine qualibet ipſarum. Ergo, ſecundum ſuum eſſe obiectiuum non dicit rationem actus puri. Rurſus. Differentia eſt determinatiua naturæ genericæ, atque adeò ſecundum ſuam intrinſecam rationem habet rationem receptibilis. Tertiò. Natura generica ex intrinſecis ſuis principijs exigit eſſe in pluribus, ergo, ex intrinſeco ſuo eſt determinabilis, atque adeò non eſt actus purus.

31 Secundò probatur. Si Deus conſtaret ex genere, & differentia, ratio generis eſſet indifferens, vt eſſet à ſe, vel ab alio, quia eſſet indifferẽs ad eſſendum in Deo, & creaturis, atque adeò adeſſe participatum, & imparticipatum, hoc autem implicat, ergo. Minor probatur. Quia quidquid eſt in Deo imparticipato modo ſe habet, & quidquid eſt in creatura participato modo ſe habet, quia creatura ſecundum ipſam rationem entis eſt quid participatum, atque adeò ſecundum omnia, quæ fundatur in ratione entis.

32 Tertiò probatur. Deus eſt infinitus in eſſendo. Ergo, non continetur ſub genere. Conſequentia probatur. Quia nullum genus continet infinitatem eſſendi, ſed coarctatur ad determinatam perfectionem, cum non extendatur ad perfectiones aliorum generum; Rurſus debet diuidi per differentiam, quæ dum diuidit genus limitat ipſum ad certam perfectionem eiuſdem generis, & implicat, quod diuidatur per differentiam infinitam in eſſendo, nam diuidi eſt trahi ad certam portionem perfectionis, quæ ſub illo genere continetur.

33 Dices infinitatem non tollere in Deo id, per quod res ponitur in prædicamento. Contra. Infinitas coadunat omnes perfectiones in vnam perfectionem, & tollit limitationem in modo eſſendi; res autem ponuntur in prædicamento ex eo, quod habent determinatam menſuram perfectionis, & determinatum modum eſſendi.

34 Dices ſecundò. Finitatem, & infinitatem eſſe rationes, quæ adueniunt generi. Contra. Quia licet hoc verum eſſet de infinitate ſecundum quid, non tamen valet de infinitate in eſſendo, quia hæc importat omnes perfectiones.

35 Dices tertiò. Conceptum communem poſſe abſtrahi à finito, & infinito. Contra. Quia genus importat determinatam rationem eſſendi. Ergo non poteſt abſtrahere ab eſſe infinito. Et huc pertineat, quæ dixi in metaph. diſp. 28. ſect. 2. & ſeq.

36 Ad primum. Reſpondetur D. Auguſtinum, & alios Patres docere, quædam prædicamenta dici de Deo propriè, quædam vero tranſlatiuè, vt ſignificent, quod ex ijs, quæ ex creaturis deſumuntur, & Deo tribuuntur, aliqua tantum methaphoricè illi conueniunt: aliqua verò retinent proprietatem ſecundum modum, quo explicamus diuinam perfectionem; non autem quia rationes prædicamentales ſint in Deo ſecundum proprietatem modi prædicamentalis. Ad confirmationem D. Damaſcen. nomine prædicamenti intelligere prædicatum; vnde tantum vult, quod prædicatum ſubſtantiæ conueniat Deo, & creaturis, non tamen ſecundum eundem modum eſſendi, vt colligitur ex contextu. Ad ſecundum nullum prædicatum dici de Deo quidditatiuè, & creaturis ſecundum eandem rationem, & modum eſſendi, quia Deo conuenit ſupereminentialiter.

An ſimplicitas excludat à Deo communicationem in genere analogo.

SECTIO VI.

37 Eſſe Deum ſub genere analogo: Affirmat Gillius, *lib. 2. tract. 4. cap. 7.* Faſolus, 1. *part. quæſt. 3. artic. 5. dubit. 1.* Probat. Quia ex hoc non ſequitur in Deo compoſitio metaphyſica, cum genus analogum non præſcindat à differentiis.

38 Dicendum eſt. Deum non eſſe ſub genere analogo. Probatur. Quidquid eſt in Deo, infinito modo ſe habet ſecundum ſuam quidditatem, cum Deus ſit ipſa infinitas eſſendi, ergo, non poteſt ſimul cum creaturis eſſe ſub eodem genere analogo. Conſequentia probatur. Quia quæ ſunt ſub eodem genere analogo, participant cum proportione idem eſſe; vnde diſtant ad inuicem determinata diſtantia, quia eſt diſtantia intra idem genus; infinitum autem, & finitum diſtant diſtantia infinita. Confirmatur. Quod eſt ſub genere, ſiue vniuoco, ſiue analogo, clauditur certis terminis eſſentiæ, quia non excedit in ſua eſſentia illud genus; omne autem genus finito modo ſe habet, quia dicit determinatam quantitatem perfectionis. Confirmatur ſecundò. Deus eſt totus, & totaliter actus purus, ergo. Non poteſt conuenire cum creaturis in genere analogo. Conſequentia probatur. Quia quidquid eſt in creaturis potentiale eſt; vnde, ſi eſſet in Deo idem genus analogum, eſſet in ipſo aliquid potentiale: Hinc D. Anſelm. *cap. 25. Monologij*. De Diuina natura habet: *Cum ſola omnium naturarum habeat à ſe, ſine alterius naturæ auxilio, eſſe quidquid eſt, quomodo non eſt ſingulariter, abſque ſuæ creaturæ conſortio quidquid ipſa eſt?*

39 Ad fundamentum in oppoſitum. Quidquid ſit, an ſequatur perfecta compoſitio metaphyſica, aliqua tamen ſequitur, quia adhuc differentiæ determinans genus analogum, & ſequitur limitatio, potentialitas, &c. Vide, quæ dixi in Metaphyſ. part. 1. diſput. 29. ſect. 3. & ſequentibus.

DE DIVINA IMMVTABILITATE.

DISPVTATIO XV.

An Deus ſit immutabilis.

SECTIO I.

1 Mutabilitas ſumitur dupliciter. Prima pro ea, quæ cadit ſupra totum eſſe rei, & contingit, quando res de nouo incipit eſſe, aut deſinit. Secunda pro ea, quæ cadit tantùm ſupra aliquid de re ipſa, & fundatur in capacitate ſubiecti, qua eſt capax alicuius formæ; & eſt propriè mutabilitas. Vtraque autem diſtinguitur à neceſſitate eſſendi, quia neceſſitas eſſendi habet veluti pro ſubiecto, & etiam pro termino ipſum eſſe; mutabilitas verò habet pro ſubiecto ipſum eſſe, pro termino verò illud aliter ſe habere, quod excludit ab ipſomet eſſe.

2 Dicendum eſt. Deum eſſe immutabilem, eſt de fide & traditur communiter à Patribus, & D. Thom. 1. *part. quæſt. 9. art. 1.* & aliis communiter, Prob, num. 23. *Non eſt Deus, quaſi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur*, Pſalm. 101. *Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Malach. 3. *Ego Deus, & non mutor.* Iacobi 1. *Apud quẽ non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Et ita definitum eſt in Concilio Lateranenſi, vt habetur in cap. *Firmiter,* Ratio eſt. Quia Deus eſt ens primum à ſe. Ergo immutabilis. Conſequentia probatur. Quia cum ſit à ſe, nullam habet cauſam, cui ſubiiciatur; omne autem mutabile ſubiicitur alicui cauſæ. Rurſus ſi eſt à ſe, non dependet ab alio, atque adeò non poteſt ratione dependentiæ mittere eſſe, aut in aliqua alia ratione mutari, quod enim mutatur eſt dependens, & dependet ab ipſa mutatione, tanquam à cauſa formali. Cõfirmatur. Cum ſit à ſe, eſt ſemper in ipſo eadem ratio eſſendi ſibi ipſi, & habendi à ſe, quidquid poteſt habere. Ergo non poteſt aliquid admittere, vel de nouo recipere. Confirmatur ſecundò. Deus eſt actus purus, ergo immutabilis. Conſequentia probatur. Quia actus purus excludit omnem potentialitatem ad vberiorem actualitatem, & ad non eſſe.

3 Dices

Digitized by Google

3 Dices mutabilitatē non pugnare præciſè cum actualitate; puritatem verò pertinere formaliter ad immutabilitatem, & ideo non poſſe per ipſam demonſtrari. Contra. Actus purus dicit omnem rationem actualitatis, & omnis ratio actualitatis excludit potentialitatem, ergo ex vi actualitatis excluditur mutabilitas, quæ debet fundari in aliqua potentialitate.

4 Obijcies, ſapientiæ 7. Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia, ergo. Reſpondetur dici mobiliorem metaphoricè ad ſignificandum, quod præſto ſit omnibus operibus huius vniuerſi ſumpta metaphora ab eo, qui hùc illùcq; diſcurrit, vt cunctis adſit, quibus præeſt.

An Deus ſit immutabilis ſecundum actus immanentes.

SECTIO II.

5 DIſtinguuntur in Deo actus liberi, & neceſſarij, & quia neceſſarij ſunt ſolum ipſa ſubſtantia Dei, ideo difficultas eſt de actibus liberis; eadem autem eſt ratio de ſcientia libera Dei, quæ verſatur circa contingentia, ac de actibus liberis voluntatis.

Supponendum eſt. Quod licet actus liberi poſſint Deo conuenire, & non conuenire, non tamen Deus eſt in potentia ad ipſos, tāquam ad aliquam formam, vt docent Chryſoſtomus *homil. 5. in cap. 2. Ad Coloſſenſes*, & communiter Patres. Cum enim Deus ſit actus puriſſimus, non poteſt habere potentialitatem ad aliquam formam; vndè ratione horum actuum non poteſt mutari intrinſecè ex eo, quod poſſint conuenire, & non conuenire, quia talis conuenientia non eſt quòad aliquam formam intrinſecam, ſed ſolum quò ad terminationem extrinſecam, vt ſuo loco explicabimus.

6 Supponendum ſecundò voluntatem Diuinam non mutari ex mutatione facta in obiecto, ita vt deſinat velle, quod eſt præteritum, vt docent cōmuniter cum D. Auguſtino 11. *de Ciuitate cap. 21.* Et ratio eſt, quia, licet obiectum ſubeat mutationem, actus tamen Diuinus verſatur circa ipſum, quatenus habet, quod terminet actum, & cum ijs circumſtantijs, ſecundum quas terminat; Vnde adhuc Deus vult præterita, ſed in illa circūſtantia temporis præteriti, & ſicut Deo nihil eſt præteritum, quia omnia ſunt ei præſentia; ita etiam nec actus volitionis præterit. Difficultas ergo eſt, An poſſit Deus mutari terminatiuè quò ad actus liberos, ita vt poſſit deſinere velle, quod volebat, aut econtra.

7 Dicendum eſt. Actus *liberos Dei neque terminatiuè poſſe mutari, ita vt poſſint de nouo ad aliquod obiectum terminari*. Ita cōmuniter omnes cum D. Thoma 1. *p. q. 14. art. 15. & q. 19. art. 7* & eſt de fide. Probatur num. 23. *Non eſt Deus, quaſi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur*, eſt autem ſermo de mutatione quò ad actus liberos 1. Regum cap. 15. *Pœnitudine non flectetur, neque enim homo, eſt vt agat pœnitentiam*. Prouerb. 19. *Multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini in æternum manet*. Iacobi 1. *Apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*; velle autem, & nolle importat obumbrationem viciſſitudinis. Ratio eſt, quia ſi Deus mutaret terminatiuè ſuos actus liberos, ſequeretur in ipſo moralis imperfectio inconſtantiæ, quæ ſupponit etiam phyſicam imperfectionem, quod enim non eſt phyſicè deficiens, nec etiam eſt deficiens moraliter. Sequella probatur. Tunc interuenit inconſtantia, quando mutatur propoſitum abſque nouo motiuo; eſt enim mutatio illa irrationabilis, quia non adeſt ratio mutandi; Deus autem non habet motiuum mutandi, quia ab æterno habuit plenitudinem ſcientiæ, nec aliquid de nouo cognoſcit, quod prius non cognouerit.

8 Confirmatur vel quando mutaret propoſitum, cognoſceret aliquid de nouo, & tunc haberet ſcientiam finitam, quia reciperet augmentum. Vel non, & tunc inconſtanter ſe haberet, quia ſtante eadem prorſus cognitione modo vellet, & modo nollet; nec ex parte ipſius Dei poſſet aſſignari ratio talis mutationis; non enim ſufficit libertas, quia, cum voluntas ſequatur rationem, debet rationabiliter procedere nec mutari, niſi ex noua propoſitione obiecti.

9 Dices. Poſſe etiam ſcientiam mutari, quia mutantur obiecta. Contra. Licet ſcientia viſionis ſupponat obiecta vt contingentia, ſupponit tamen vt dependentia à Diuina voluntate, & voluntas non confert illis contingentiam, niſi ratione ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, ergo cum hæc ſcientiam immutabiliter ſe habeat, etiam voluntas imutabiliter ſe habebit circa contingentiam obiectorum, cum non poſſit mutari, niſi ex mutatione cognitionis, ergo etiam ſcientia viſionis, immutabiliter ſe habebit, quia ſequitur voluntatem.

10 Dices ſecundò. Mutationem voluntatis non eſſe ſemper imperfectionem, vt quando mutatur in melius? Contra. Ideo in creatis non eſt ſemper imperfectio, quia mutatur ex nouo motiuo; quando autem mutatur abſque nouo motiuo, ſemper eſt imperfectio, ergo in Deo ſemper erit imperfectio, cum numquam poſſit haberi noua propoſitio obiecti, atque adeo nec nouum motiuum.

11 Secundò probatur. Deus eſt æternus, ergo immutabilis ſecundum ſuos actus liberos terminatiuè. Conſequentia probatur. Quia vt mutetur, non ſufficit mutatio in obiecto, ſed debet aſſignari etiam ex parte Diuinæ voluntatis, ita vt ipſa tranſeat de vna terminatione ad aliam, & de volente fiat nolens, aut econtra; hoc autem non poteſt conuenire Diuinæ voluntati, ergo. Minor probatur. Quia non poteſt conuenire, vt ſit ſimul volens, & non volens reſpectu eiuſdem obiecti, nec etiam ſucceſſiuè, quia in æternitate non datur prius, & poſterius; vndè omnia quæ Deo conueniunt, ſimul conueniunt.

12 Obijcies Scriptura tribuit Deo mutationem, videlicet pœnitentiam, &c. ergo. Reſpondetur. Illas mutationes tribuit Deo metaphoricè ad ſignificandam variationem in effectibus, qui tali pacto proueniunt à Diuina voluntate immutabili, ac ſi mutaretur.

An immutabilitas ſit propria Dei.

SECTIO III.

13 DIcendum eſt. *Immutabilitatem ſimpliciter, & abſolutam ita eſſe propriam Dei, vt nulli creaturæ conuenire poſſit*. Ita cummuniter præſertim. D. Thomas 1. *p. q. 9. artic. 2.* & eſt de fide. Probatur. Numer. 23. *Non eſt Deus quaſi homo vt mutetur, nec vt filius hominis, vt mentiatur*. Malach. 3. *Ego Deus, & non mutor*, ergo cum immutabilitas inferatur ex eo, quod non ſit filius hominis, ſed ſit Deus, erit propria illius. Ratio eſt. Quia ideo Deus eſt immutabilis omnino, quia ſimplex, actus purus, infinitus, & ens à ſe, ergo cum hęc non poſſint vllo pacto conuenire creaturæ, neque etiam poterit conuenire omnimoda immutabilitas, quia ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis. Confirmatur. Omnis creatura eo ipſo, quod eſt creatura, eſt quid potentiale, & dependens à prima cauſa, ergo mutabilis ſaltem ſecundum eſſe, & non eſſe.

14 Obijcies. D. Dionyſius *cap. 4. De Diuinis nominibus*. Docet, Angelus habere vitam indeficientem, & imminorabilem à corruptione vniuerſi. Reſpondetur. Solum velle, quod Angeli ſint incorruptibiles ab intrinſeco, non autem, quod non poſſint annihilari.

DE

Digitized by Google

DE VERITATE, ET BONITATE Diuina.

DISPVTATIO XVI.

An, & quomodo Deo conueniat veritas.

SECTIO I.

1 SVpponendum tanquam certum de fide. Deum eſſe verum Deum. Hæreм. 10. *Dominus autem Deus verus eſt.* Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant ſe ſolum verum Deum*, Ex quo fit, vt Deus habeat ſuum ſpeciale attributum veritatis eo pacto proportionaliter, quo ens creatum habet veritatem pro paſſione; veritas tamen Diuina eſt veritas imparticipata, quia fundatur in ente imparticipato.

2 Dico 1. *In Deo non eſt veritas in eſſendo eo modo, quo eſt in rebus creatis.* Probatur. Veritas in creatis dicit quandam coadęquationem, ſed in Deo non eſt talis coadæquatio, ergo. Maior patet quia ſicut veritas cognitionis dicit coadæquationem cum obiecto, ita veritas in eſſendo debet dicere coadæquationem in eſſe. Minor probatur. Quia cum Deus ſit primum ens, non poteſt alteri coadæquari. Confirmatur. Res omnes creatæ commenſurantur Diuinis ideis, & ratione huius commenſurationis habent quod ſint veræ, & in tantum deficiunt à veritate, in quantum deficiunt ab hac conformitate vt latè in Metaph. oſtendi *par. 2. diſp. 66. ſect. 3.* ſed implicat Deum conformari cum aliqua idea. ergo

3 Dices. Deum conformari cum cognitione. Contra. Quia non conformatur cum cognitione propria, cum ab ipſa non diſtinguatur; nec cum cognitione creata; tum quia non menſuratur ab ipſa; tum quia excedit cognitionem creatam, cum ſit maius cognoſcibile, quam poſſit ab ipſa adæquatè attingi. Secundò. Conformari, & coadęquari, dicit menſurari, hoc autem repugnat Deo.

4 Dico 2. *Deum eſſe veritatem primam, & per eſſentiam quatenus, eſt id, à quo omnis res participat ſuam veritatem.* Probatur. Omnis veritas creata eſt participata, ergo debet dari veritas per eſſentiam, à qua ſit iſta participatio.

5 Dico 3. Veritatem pro vt formali modo reperitur in Deo, nihil aliud importare, quam modum taliter ſe habendi, & conſiſtit in eo, quod Diuinæ perfectiones ſe ſibi inuicem exhibeant ne dum ſecundum quidditatem, ſed etiam ſecundum modum eſſendi. Probatur. Ex eo quod vna perfectio exigit omnes alias vt infinito modo ſe habentes, & inſuper ex eo quod exigit communicare cum ipſis in eodem eſſe ſimpliciſſimo, innoteſcit eſſe Diuinum vt tale, ergo per hoc rectè explicatur veritas, quia veritas eſt illa, ſecundum quam res formaliter innoteſcit ſecundum proprium eſſe. Ex dictis

6 Colligitur. Quomodo verum ſit, omnia eſſe vera veritate Diuina, vt docet. D. Thomas *1. p. q. 16. art. 6.* Videlicet, non tanquam per formam intrinſecam, quia quælibet res habet veritatem propriam intrinſecam, ſed tanquam per primum principium, à quo res omnes non ſolum effectiuè, ſed etiam idealiter participant propriam veritatem.

Quomodo Deus ſit bonus.

SECTIO II.

7 SVpponendum eſt tanquam certum de fide, Deum non ſolum eſſe bonum. Sed etiam ſummum bonum, ita vt ſit omne bonum. Exodi 33. *Oſtendam tibi omne bonum.* Baruch 3. *Non æſtimabitur alius aduerſus eum.* Ratio eſt, quia Deus eſt bonus intra totam latitudinem entis, quia ſicuti eſt ens infinitum includens omnem rationem eſſendi; ita etiam eſt bonum infinitum includens omnem rationem bonitatis, atque adeo eſt ſimpliciter bonus, vt docet. D. Auguſtinus 8. *De Trinitate cap. 3.* Difficultas autem eſt, Quomodo Deo conueniat eſſe bonum, videlicet, An ſoli conueniat eſſe bonum per eſſentiam. Ratio dubitandi eſt. Quia etiam creaturæ ſunt bonæ formaliter ſecundum ſuam eſſentiam.

8 Dicendum eſt. *Deum eſſe bonum per eſſentiam nihil aliud ſignificare, quam quod ſit ipſa bonitas imparticipata, & hoc illi ſoli conuenire.* Probatur. Quia ſolus Deus dicitur bonus. Marci 10. *Nemo bonus, niſi vnus Deus,* Lucæ 18. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*, hoc autem ſaluari non poteſt, niſi ſpeciali modo conueniat bonitas. Confirmatur. Vnicuique conuenit bonitas, ſicut conuenit ratio entis, ergo cum Deus ſit ens per eſſentiam, erit etiam ipſa bonitas per eſſentiam.

9 Dicendum 2. *Bonitatem in Deo ſe habere vt attributum, & eſſe tantum de quidditate Diuinæ naturæ eo pacto, quo cætera attributa ſunt de quidditate eſſentiæ.* Probatur. Bonitas in Deo proportionaliter ſe habet, ac in creatis, ergo cum in creatis ſit paſſio, in Deo erit attributum.

10 Ad rationem dubitandi. Eſſentias rerum etiam præciſè conſideratas eſſe bonas participatiuè; quia adhùc ſunt quid exemplificatum per Diuinas ideas, & dicunt intrinſecam dependentiam à Deo. Vndè res creatæ ſunt bonæ ſecundum eſſentiam, non autem per eſſentiam, quia habent bonitatem participatam.

11 Quæres. An Deus ſit bonus alijs rebus. Reſpondetur affirmatiuè cum D. Dionyſio *cap. 2. & 3. de Diuinis nominibus.* Quia cum ſit vltimus finis rerum omnium, eſt etiam ſummum bonum ipſarum. Vndè etiam eſt bonus ipſis damnatis, dum illos punit, quia illos ordinat per punitionem cum debito modo ad vltimum finem, à quo per culpam ſe deordinauerant. Vndè. Quod damnati odio habeant Deum, prouenit ex ipſorum inordinata voluntate; non autem quia Deus non ſit illis bonus.

DE DEI IMMENSITATE

DISPVTATIO XVII.

An Deus ſit præſens omnibus rebus.

SECTIO I.

1 IMmenſitas aliquando accipitur pro ipſa infinitate perfectionis, vt accipit Auguſtinus *lib. de eſſentia Diuinitatis initio.* Tertullianus *cap. 7. Apologetici*, & tunc immenſitas dicit aliquid immenſurabile ſecundum perfectionem, aliquando vero accipitur in ordine ad locum, & importat quamdam præſentiam illimitatam, quæ nullo termino claudatur: non quidem in actu ſecundo, quia actus ſecundus dependet ab exiſtentia termini præſentiæ ſed in actu primo, & hoc pacto accipitur à nobis, & importat ſpeciale attributum Dei.

2 Dicendum eſt. *Deum eſſe præſentem omnibus rebus.* Eſt de fide, & ita docent communiter Patres. Probatur. Iſaiæ 66. *Cælum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum.* Ierem. 23. *Cælum, & terram ego impleo* 2. Paralipomen. 6. *Cęlum, & cęli cælorum te capere non poſſunt.* Pſalm. 138. *Si aſcendero in Cęlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum ades; ſi ſumpſero pennas meas diluculo, &c.*

3 Dices ex his colligi tantum præſentiam Dei reſpectu totius

Digitized by Google

totius vniuerſi; non autem, quod ſit immenſus, ita vt eſſet præſens alteri mundo, ſi adeſſet. Contra. Vel poteſt eſſe in alijs mundis vel non. Si primum, ergo poſſet moueri ad ipſos, & fieri præſens; vndè eſſet mutabilis. Si ſecundum, ergo limitaretur ad præſentiam finitam. Secundo. Quia ſcriptura ita docet, eſse præſentem huic mundo, vt tamen ipſum ſuperexcedat. Tertiò. Quia, ne ſit mutabilis, eſt ex neceſſitate præſens huic mundo eadem autem ratio eſse de alijs mundis, quia ex eadem radicè proueniret neceſſitas præſentiæ ad alios.

4 Obijcies ſcriptura tribuit Deo determinatum locum Matthei 6. *Pater noſter qui es in cælis*. Pſal. 113. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum*. ergo Reſpondetur. Huiuſmodi locutionis adhiberi à ſcriptura ad explicandam præſentiam Dei ſecundum aliquos determinatos effectus, qui adhibentur in aliquibus determinatis locis, vt explicant Patres, præſertim Damaſcenus 1. *de Fide cap.16.*

An immenſitas demonſtretur ex operatione Dei.

SECTIO II.

5 Solet afferri hæc ratio ad probandam Dei vbiquitatem. Omne ens creatum, tanquam proprius effectus Dei, dependet ab ipſo in fieri, & conſeruari, quia eſt ens participatum, & Deus eſt ens per eſſentiam, ergo cum Deus ſit proprius producens hunc affectum, quia ita eſt ab ipſo, vt non poſſit eſſe ab alio, eſt etiam immediatum agens; agens autem immediatum debet eſſe præſens ſecundum ſubſtantiam. Difficultas autem eſt. An hæc ratio ſit demonſtratiua.

6 Prima ſententia eſt negatiua. Ita Scotus *in* 1. *diſt.* 37. Lichetus, & Bargius *ibidem*. Baſſolis *art.* 3. Mayron. *q.* 1. *art.* 2. Rubio *q.* 2. Ocham *q. vnica*. Gabriel *art.* 3. Nouacaſt. *q. vnica*. Rada controu. 28. art. 2. Smiling. trac. 2. de Deo vna diſp. 5. num. 31. Vaſquez 1. *parte diſput.* 34. *cap.* 3.

Probant. Quia, cum Deus ſit infinitæ virtutis, poteſt operari in diſtans. Secundo. Deus operatur ad extra per intellectum, & voluntatem, & eo ipſo, quod vult aliquid in tali tempore, & loco, exiſtit in tali tempore, & loco; poteſt autem velle aliquid in loco diſtanti. Tertiò antequam produceret mundum, non aderat ſpatium infinitum, in quo Deus eſſet ſecundum ſuam ſubſtantiam, ergo prius produxit mundum, quam fieret præſens.

7 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita D. Thomas 1. *parte q.* 8. *art.* 1. Caietanus, Bannes, Cumel, Peſantius *ibidem*. Molina *diſput.* 2. Faſolus *dubitat.* 2. Ferrarienſis 3. *contra Gentes cap.* 68. Albert. *in* 1. *diſt.* 37. *art.* 1. Richardus *art.* 1. *q.* 1. Aureolus *art.* 2. Durandus *q.* 1. Argentinas *art.* 1. Capreolus *q. vnica concluſione* 1. Gillius *lib.* 2. *trac.* 9. *cap.* 3. Suarez *in metaphyſica diſp.* 30. *ſec.* 7. & alij plures.

8 Dicendum eſt. *Ex Dei operatione neceſſariò colligi à poſteriori præſentiam ipſius*. Hæc concluſio traditur à Patribus, quatenus ipſi quoque colligunt præſentiam ex operatione. Sic Hieronymus *in* 66. *Iſaiæ*. Ambroſius *de Dignitate humanæ conditionis*. Theodoretus *ſerm.* 10. *de prouidentia*. Anſelmus *in Elucidario initio*. Fulgentius *de fide ad Petrum cap.* 12. Athanaſius *diſput. contra Arrium in Concilio Niceno*. Hylarius 8. *de Trinitate*, Auguſtinus *lib.* 2. *de ſermone Domini in monte cap.* 5.

Probatur. Quia ſcriptura ex Dei operatione colligit præſentiam. Pſal. 138. *Si aſcendens in Cælũ, tu illic es, &c.* Deinde reddens rationem huius præſentiæ ait. *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Actorum 17. *Non longè eſt ab vnoquoque noſtrum, in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.*

9 Reſpondent. aſſignari tantum connexionem materialem præſentiæ, non autem formalem, quæ habeatur ex vi operationis. Contra. Quia Dauid intendit aſſignare rationem, cur non poſſit non eſſe præſens Deo, & aſſignat ex continuata operatione. Secundò Apoſtolus volebat ducere Athenienſes ad cognitionem veri Dei, & præſentiæ ipſius, & aſſumit tanquam medium aptum ad vtrumque conuincendum, conſeruationem, ergo medium ex eadem connexione, qua infert exiſtentiam Dei, infert etiam præſentiam.

10 Reſpondent. Secundò intelligi de preſentia non quò ad ſubſtãtiam ſed quò ad cognoſcibilitatem, vt ſenſus ſit, quod ſit preſens nobis, quatenus per res creatas preſentes poſſumus ipſum cognoſcere. Contra. Quia ſcriptura loquitur de preſentia ſubſtantiali, vt ſignificant verba illa. *Quo ibo à Spiritu tuo*, &. *Non longe eſt ab vnoquoque noſtrum*, & de hac præſentia intelligunt cõmuniter Patres.

11 Reſpondent tertiò. Illa loca eſſe intelligenda de præſentia quòad aſſiſtentiam, & prouidentiam. Contra. Quià locus Pſalmi loquitur de preſentia faciali. Secundò. Quia Apoſtolus ex ipſa prouidentia colligit præſentiam. Tertiò. Quia intelligunt de illa præſentia, qua Deus eſt præſens de tacto, & hanc inferunt ex conſeruatione, & operatione.

12 Secundò probatur. Implicat eſſe productionem, niſi agrediatur ab ipſo producente, ergo poſita productione alicuius dependentis per ſe primo à tali agente, habetur ibi ſubſtantialis præſentia ipſius, vbi habetur productio, ergo cum quælibet creatura dependeat à Deo, vt Deus eſt, ita vt non poſſit Deus ratione alicuius creati conſtitui proximè in actu primo ad concurrendum, vbicumque eſt creatura, adeſt etiam Deut. Antecedens patet quia producere eſt alicui communicare eſſe; vndè oportet, quod eggrediatur ab ipſo communicante. Conſequentia prima probatur. Quia eo ipſo, quod influxus eggreditur ab agente, ponitur effectus in eſſe actuali, cum fiat extrà continentiam virtualem agentis. Rurſus non poteſt influxus egredi ab agente, niſi in eo loco, vbi eſt agens, quia dum egreditur, adhùc connectitur cum ipſo producente.

13 Dices. Sicut agens creatum agit immediatè intra totam ſuam ſpheram, ita Deum etiam poſſe agere in diſtans. Contra. Ideò agens creatum poteſt immediate agere intra totam ſuam ſpheram, quia per actiones in partes propinquas conſtituitur in ſtatu proximo, vt poſſit agere in remotas, ergo cum Deus non poſſit conſtitui in ſtatu proximo operandi per aliquid extra ſe ipſum, non poterit operari in diſtans.

14 Dices ſecundò. Operationem eſſe priorem preſentia, & ideò non præſupponi præſentiam ad operationem. Contra. Licet operatio ſit prior natura præſentia, quià preſentia. Supponit terminum præſentię, eſt tamen ſimul tempore, & argumentum colligit tantum præſentiam neceſſariam ad operationem concomitanter, non autem vt priorem.

15 Ad Primum negatur conſequentia. Siue enim virtus ſit finita, ſiue infinita ſemper requiritur præſentia, quæ eſt de neceſſitate actionis, vt ſic nec in creatis eſt neceſſaria ex eo, quod ſint finitę virtutis. Ad ſecundum negatur minor. Nam implicat, Deum velle aliquid diſtans à ſe ipſo, tum quià eſt immenſus, & nihil poteſt ab ipſo diſtare; Tum quia conſtituitur preſens ex vi dependentiæ ab ipſo. Ad tertium negatur conſequentia. Nam in eo inſtanti, in quo Deus produxit mundum, fuit etiam præſens, quia præſentia actualis conſurgit ex poſitione termini, & ex vi operationis non infertur præſentia antecedens, ſed concomitans ratione dependentiæ, quam habet res producta reſpectu Dei.

An

Digitized by Google

An poſſit aliundè demonſtrari immenſitas Dei.

SECTIO III.

16 Dicendum 1. *Ex infinitate poſſe demonſtrari immenſitatem Dei*. Probatur. Infinitas Dei eſt infinitas ſimpliciter ſecundum omnem rationem, ergo fundat immenſitatem. Conſequentia probatur. Quod eſt infinitum ſecundum omnem rationem, ita eſt infinitum, vt maius excogitari non poſſit; ſi autem Deus non eſſet immenſus, poſſet maius infinitum excogitari, videlicet Infinitum etiam ſecundum præſentiam. Confirmatur. Si Deo deeſſet immenſitas, illi deeſſet aliqua ratio infinitatis, poſſet à ſpatio limitari, nec excluderet omnem terminum, quod eſt contra rationem infiniti ſimpliciter; nec modus præſentialitatis ſequeretur modum eſſendi. Confirmatur. Secundò quidquid concernit ad eſſe rei, & modum eſſendi ipſius, non poteſt habere modum eſſendi, & effectum formalem oppoſitum, quia deſtrueretur effectus formalis eſſentiæ, ergo cum Deus ſecundum eſſentiam infinito modo ſe habeat, non poteſt aliquid pertinens ad ipſum finito modo ſe habere.

17 Dices. Proprietates relatiuas pertinere ad eſſe Dei, & tamen non ſe habere infinito modo. Contra. Quia infinito modo ſe habent ratione eſſentiæ, licet non propria infinitate. Secundo. Quia neque ſunt quid finitum, ſi autem tollatur immenſitas à Deo, ponitur in ipſo aliquid finitum.

18 Dicendum ſecundò. *Etiam ex immutabilitate poſſe demonſtrari Diuinam immenſitatem*. Probatur. Deus eſt omnino immutabilis, ergo immenſus. Conſequentia probatur. Si non eſſet immenſus, poſſet dari locus, cui non eſſet præſens; vndè poſſet moueri ad ipſum, quia cum poſſit eſſe præſens loco, poteſt eſſe præſens cuique loco.

19 Dices. Poſſe fieri præſentem abſque ſui mutatione per relationem præſentiæ poſita in ſola creatura, ſicut fit de nouo creator. Contra. Non ſufficeret talis relatio, ſed eſſet neceſſaria latio, qua de loco, in quo eſt, transferretur ad locum, in quo non eſſet, alioquin non deſineret eſſe in loco, in quo prius erat, & conſequenter haberet locum maiorem ſuo adęquato.

In quo formaliter conſiſtat præſentia Dei.

SECTIO IV.

20 Præſentia Dei, cum ſit ad alterum, dicit reſpectum ad ipſum; vndè etiam debet dari fundamentum huius reſpectus, & de hoc in præſenti inquirimus.

Prima Sententia aſſerit, eſſe quid negatiuum, videlicet non diſtantiam, ſine poſitiua ratione propinquitatis. Ita Aureolus *in 1. diſt.37. q. vnica art. 1.*

Probant ſimultas fundatur in re, pro vt dicit ſitum, Deus autem non habet ſitum.

21 Secunda ſententia aſſerit, dicere aliquid poſitiuum, videlicet relationem rationis fundatam in poſitiuo fundamento. Ita D. Thomas *in 1. diſt. 37. q. 2. art. 3.* Capreolus *q. vnica art. 2.* Hiſpalenſis *art. 2.* Ferrarienſis *3. contra Gentes cap. 68.* Gillius *lib. 2. trac. 9. cap. 8.*

22 Notandum 1. Deum longè diuerſo modo eſſe pręſentem rebus creatis, ac ſint ipſæ inter ſe; eſt enim præſentia neceſſaria, quæ prouenit ab infinitate eſſendi; vndè facit, vt Deus infinito modo præſens ſit; & proinde excluduntur omnes illę rationes, quæ radicantur in finitate.

23 Notandum 2. Præſentiam eſſe duplicis rationis, videlicet æqualitatis, & inęqualitatis. Prima habet ex vtraque parte idem fundamentum, vt cum corpus eſt pręſens alteri; vtrumque enim concurrit ad præſentiam ratione quantitatis; ſecunda eſt illa, in qua extrema ſunt ſibi inuicem præſentia ratione diuerſi fundamenti, vt cum angelus eſt

præſens indiuiſibiliter loco diuiſibili.

24 Notandum tertiò. Deo non conuenire propinquitatem propriè dictam. Ratio eſt. Quia propinquitas dicitur in comparatione ad diſtantiam, vndè ſupponit propinquum diſtare etiam ab alio, & fundatur in finitate rei propinquæ.

25 Dico 1. *Immenſitatem dicere aliquod poſitiuum.* Probatur. Deo conuenit indiſtantia reſpectu rerum omnium, ita vt non poſſit non conuenire negatio diſtantiæ, ergo habet poſitiuam rationem, per quam conſtituatur indiſtans. Conſequentia probatur. Quia quoties conuenit per ſe aliqua negatio determinata, debet ſupponi ratio poſitiua, in qua proximè fundetur.

Dices. Sufficere ipſum eſſe Dei. Contra. Hæc negatio debet eſſe determinata, ergo non ſufficit eſſe Dei, ſed erit eſſe Dei ſecundum peculiarem rationem conſideratum.

26 Dico 2. *Hanc poſitiuam rationem præſentiæ eſſe præſentiam inæqualitatis importantem præſentiam eminentialitatis, & ſupere xcedentiæ.* Quod ſit inęqualitatis patet, quia ex parte Dei concurrit actualis communicatio, quę tribuit eſſe creaturis; & ex parte creaturę eſſentialis dependentia. Probatur. Pręſentia Dei radicatur in infinitate, ergo eſt præſentia ſuperexcedentiæ. Conſequentia probatur. Quia præſentia correſpondet modo eſſendi rei præſentis, ergo cum Deus ſit infinitus, habebit præſentiam cum ſuperexcedentia.

27 Dico tertiò. *Hanc præſentiam non importare propriè ſimultatem extremorum in ordine ad ſpatium.* Prob. In hac præſentia ex parte Dei non concurrit niſi eſſe ipſius infinito modo ſe habens etiam ſecundum eſſe pręſentiæ, ergo Deus, & creatura non poſſunt habere aliquam ſimultatem loci. Conſequentia probatur. Quia ſimultas amplectitur duo extrema, & afficit ipſa ſecundum eandem capacitatem, ſimultas autem, quæ afficit creaturam, non poteſt conuenire Deo, quia cum ſit ſecundum exigentiam creaturæ, finito modo ſe habet; vndè eſt diuerſa ratio ſimultatis ex parte Dei, & ex parte creaturæ, nec eſt indiuiſibilis ſimultas, ſed vna, qua Deus ſibi ſubijcit creaturam etiam ſecundum præſentiam, & alia, qua creatura ſubijcitur Deo.

28 Ex dictis colligitur. In quo differat præſentia Dei à præſentia creaturarum, præſentia enim Dei ex intrinſeca ſua ratione eſt poſſidens, & ſubijciens, præſentia vero creaturæ reſpectu Dei eſt pręſentia poſſeſſa, & ſubiecta ex intrinſeca ſua ratione.

29 Ad fundamentum primæ ſententiæ diſtinguitur Ano. Simultates coadæquationis fundantur in eſſe rei, prout dicit aut ſitum, aut definitionem localem, non autem ſimultates ſuperexcedentiæ.

An immenſitas ſit ſpeciale attributum.

SECTIO V.

30 Prima ſententia eſt negatiua, aliqui enim volunt, eſſe ſolam eſſentiam Dei, vt Aureolus *in 1. diſt. 37. art. 1. & 3.* Alij vero eſſe ipſam immutabilitatem, & infinitatem, vt Smiſing. *trac. 2. de Deo vno diſp. 1. n. 4.* Alij verò, eſſe ipſam potentiam Dei, vt Albertinus *corollario 7. ex prędicam. Quantitatis.*

Probant. Immenſitas eſt ſola magnitudo virtutis, ſeu perfectionis, nam ratione ipſius Deus eſt aptus, vt ſit præſens cuique rei, ergo. Secundò. Indiſtantia eſt pura negatio, nec opus habet ſpeciali fundamento, quia, vt multiplicetur, ſufficit terminum ipſius multiplicari, ſic etiam eadē rationalitas in homine fundat negationē equinitatis, leonitatis, & cætera huiuſmodi. Tertiò. Vnumquodque eſt pręſēs loco per id, quo ipſū attingit, Deus autē attingit per operationē, ergo ratione potētiæ habet, quod ſit præſens.

31 Secunda ſententia, aſſerit eſſe ſpeciale attributum. Ita Vaſquez *1. p. diſp. 25. cap. 5.* Gillius *lib. 2. trac. 9. cap. 9.*

Digitized by Google

32 Dico 1. *Immenſitatem eſſe attributum diſtinctum ab eſſentia*. Probatur. Eſſentia dicit totam plenitudinem eſſendi, non autem aliquam rationem determinatam, immenſitas autem dicit rationem determinatam, ergo. Confirmatur. In creatis ratio, ſecundum quam ordinantur ad præſentiam, non eſt ipſa eſſentia, ſed aliqua alia ratio, vt quantitas, aut extenſio virtualis, ergo etiam in Deo.

33 Dico 2. *Immenſitatem eſſe attributum diſtinctum à potentia*. Probatur. Potentia, & immenſitas habent diuerſum connotatum, nam potentia reſpicit creaturas vt poſſibiles, immenſitas vero vt intimè præſentes. Eſſe autem poſſibile, & eſſe præſens, non ſunt idem. Confirmatur. Preſentia ſupponit exiſtentiam termini, potentia autem non ſupponit, ſed facit.

34 Dico 3. *Immenſitatem diſtingui ab immutabilitate*. Probatur. Vel immutabilitas ſumitur adæquatè, & tunc non eſt immenſitas, quia dicit id, ratione cuius repugnat Deo omnis mutabilitas, ratione autem immenſitatis præciſè non repugnat. Vel prout dicit talem rationem immutabilitatis, videlicet ſecundum locum, & tunc ſupponit immenſitatem, ratione cuius conuenit Deo talis præſentia ſecundum quam eſt immutabilis.

35 Dico quartò. *Immenſitatem diſtingui ab infinitate*. Probatur. Infinitas importat coadunationem omnis perfectionis, immenſitas autem dicit tantum ſpecialem perfectionem. Confirmatur. Illud eſt attributum ſpeciale, quod licet dicat infinitatem, dicit tamen ſpecialem rationem coniunctam cum ipſa infinitate, huiuſmodi autem eſt immenſitas. ergo

36 Dico quintò. *Immenſitatem eſſe ſpecialem attributum diſtinctum à cæteris*. Probatur. Quia actus illius eſt diſtinctus à cęteris, videlicet præſentia. Secundò. Quia explicat Diuinam perfectionem ſecundum ſpecialem rationem, videlicet ſecundum id, quod habet vt ſit præſens ex neceſſitate rebus omnibus. Tertiò quia fundat ſpecialem negationem determinati termini.

37 Ad 1. Diſtinguitur Ant. Immenſitas eſt ſola quantitas perfectionis Diuinæ, non adæquatè; ſed inadæquatè ſecundum ſpecialem rationē ipſius. Vndè eſſentia Diuina ratione illimitationis habet, quod ſit præſens cuique rei, quia poſita illimitatione, ponitur implicitè etiam immenſitas. Ad ſecundum. Indiſtantiam eſſe quid negatiuum, ſed fundatum in ſpeciali ratione poſitiua præſentiæ, & requirens ſpeciale fundamentum, quod tunc requiritur, quando terminus excluditur ex ſpeciali repugnātia ſecundum propriam rationem cum ſubiecto, qualis eſt diſtantia reſpectu immenſitatis; equinitas vero, & aliæ huiuſmodi differentiæ non habent ſpecialem repugnantiam ſecundum proprias rationes cum rationalitate, ſed vnam communem ſecundum rationem irrationalitatis, & ideo ſunt tantum plures termini materialiter, non verò formaliter. Ad tertium. Negatur minor. Nam Deus non habet propriè contactum ad res creatas; impropriè autem habet ſecundum ſuam eſſentiam, quia ſecundum ipſam eſt illis intimè præſens.

Quibus modis Deus ſit in rebus.

SECTIO VI.

38 SVpponendum eſt. Deum pluribus modis eſſe in creaturis, præſertim rationalibus, in quibus eſt multipliciter per dona gratiæ; præcipuè autem ſunt tres modi, quibus eſt in rebus omnibus, & in quibus omnes alij fundantur, videlicet. Per eſſentiam, Per potentiam, & per præſentiam, vt docent communiter cum Magiſtro *in prima diſtinction*. 37. Difficultas autem eſt, quid importent iſti modi, & An ſint inter ſe diſtincti.

39 Prima ſententia aſſerit, non eſſe plures, ſed exprimere tantum illum modum, quo Deus eſt vbique. Ita Aureolus *in* 1. *diſt*. 37. *q. vnica art*. 3.

Probat. Quia importat tantum id, quod requiritur ad integrandum vnicum modum; nam cum dicitur per eſſentiam, importat ſubiectum præſentiæ; Cum dicitur per præſentiam, exprimitur ratio formalis eſſendi vbique; Cum dicitur per potentiam, ſignificatur id, quo ratio formalis coniungitur cum materiali.

Communis ſententia eſt in oppoſitum.

40 Dico primò. *Præſentiam per eſſentiam ſignificare proprium actum immenſitatis, videlicet Deum ſecundum ſuam ſubſtantiam ita eſſe intimè preſentem rebus, vt non poſſit non eſſe præſens*. Probatur. Præſentia ſecundum ſubſtantiam conuenit etiam creaturis, ergo vt ſit propria Dei, debet importare aliquid ſpeciale, quod non poteſt eſſe aliud, niſi neceſſitas huius præſentiæ.

41 Dico ſecundò. *Præſentiam per potentiam ſignificare illum modum, quo Deus eſt in rebus, ita vt Nominatiuo modo, & poſſeſsiuo ſe habeat continendo eas continuò in ſuo eſſe per conſeruationem*. Probatur. Hoc pacto habetur ſpecialis modus præſentiæ, & exprimitur illa dependentia, & ſubiectio, quam habent creaturæ reſpectu Dei. ergo

42 Dico tertiò. *Tertium modum, videlicet per præſentiam importare præſentiam obiectiuam, qua Deus habet præſentes res omnes in ratione obiecti*. Probatur. Quia cognitio intuitiua ponit obiectum in conſpectu præſentiali modo. ergo

43 Obijcit Aureolus. Deus ratione cognitionis eſt etiam in obiecto non exiſtente, ergo non conſtituitur ſpecialis modus, quo Deus ſit præſens rebus exiſtentibus. Reſpondetur negando antecedens; nam præſentia obiectiua habetur tantum ratione cognitionis intuitiuæ, quia ſola facit attingi obiectum præſentialiter; cognitio autem intuitiua terminatur ſolum ad res exiſtentes.

44 Obijcitur ſecundò, Quia potius obiectum eſt in cognoſcente. Reſpondetur. Eſſe in cognoſcente intentionali modo, cognitio autem intuitiua facit, quod cognoſcens ſit realiter præſens obiecto, quia, cum ſit intrinſeca cognoſcenti, ponit in ipſo ſuum effectum formalem.

45 Dico quartò. *Hos modos importare diuerſas rationes præſentiæ*. Probatur. Quia in creatis ſeparabiliter ſe habent; poteſt enim aliquid eſſe præſens ſecundum ſuam ſubſtantiam, & nihil operari. Rurſus. Poteſt aliquod operari, & non cognoſcere.

46 Dico quintò. *Hos modos præſentiæ eſſe plures ſecundum noſtros modos concipiendi, ex parte autem Dei eſſe vnicum tantum modum adęquatum proprium ipſius*. Probatur. Præſentia, quæ habetur ratione immenſitatis eſt infinita ſecundum formalem rationem præſentiæ, cum fundetur in attributo, quod infinito modo ſe habet, ergo vna, & eadem præſentia importat omnes rationes præſentiæ, quę poſſunt Deo conuenire, alioquin non ſe haberet infinito modo.

47 Ad fundamentum primę ſententię. Licet omnes iſti modi compleant vnum adæquatum, adhuc tamen debent concipi vt diſtincti, quia non complent eo pacto, quo explicat Aureolus, ita vt non ſit in quolibet vna integra ratio præſentiæ, ſed integrant tanquam diuerſæ rationes formales pręſentię vnam infinitam pręſentiam.

An Deus ſit in ſpatijs imaginarijs.

SECTIO VII.

48 NOmine ſpatij imaginarij intelligitur quędam infinita capedo extra mundum, vbi Deus poſſet creare alios mundos, quam nos ad modum cuiuſdam infinite extenſionis imaginamur; quæ quidem non eſt aliquod poſitiuum, alioquin eſſet aliqua creatura, ſed dicitur eſſe aliquid reale negatiuum, ſeu non repugnantia.

49 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Maior *in* 1. *diſt*. 37. *concl*. 3. Palatius *diſp*. 2. Ferrarien. 4. *phyſicorum q*. 4. Caiet.

Caiet. *in cap.* 12. *Ioannis* Fonſeca 5. *Metaph. cap.* 15. *q.* 9. *ſec.* 4. Molina 1. *p. q.* 8. *art.* 1. *diſp.* 3. Cumel *concl.* 1. Peſantius *diſp. vnica.* Albertus *corollario* 7. *ex Prædicamento vbi* Suarez *in metaph. diſput.* 30. *ſec.* 7. Hurtadus *in phy. diſp.* 14. *ſec.* 3. & alij quam plures ex Recentioribus.

Probant Deus eſt immenſus, ergo debet habere infinitam præſentiam, quam non poteſt habere, niſi ſit præſens ſpatijs immaginarijs. Secundò. Implicat aliquid eſſe, & non eſſe alicubi ex eo præciſè, quod eſt; ſed Deus erat antequam mundum conderet, ergo erat in aliquo ſpatio, quod non potuit eſſe aliud, quam imaginarium. Tertium. Si Deus prius non fuit in hoc ſpatio, & poſtea factus eſt præſens, quando produxit mundum, ſequitur, quod fuerit mutatus per nouam præſentiam. Quartò. Poſſet Deus extra hunc mundum alium creare non contiguum; tunc autem eſſet in illo, & non diuiſus à ſe ipſo, ergo etiam in ſpatio intermedio. Quintò. Si Deus deſtrueret ſphęram aeris vel in illa vaſtitate remaneret vel non; Si primum, ergo etiam in ſpatijs imaginarijs, cum ſit eadem ratio, ſi ſecundum, ergo diuiditur à ſe ipſo, cum ſit in toto pleno vndequaq; circumfuſum.

50 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Capreolus *in* 1. *diſt.* 37. *art.* 2. Ricchardus *art.* 1. *q.* 4. Scotus *q. vnica.* Albert. *art.* 4. Argentinas *q.* 1. *art.* 1. *ad* 4. Durand. *q.* 1. *&* 2. Gabriel *art.* 3. Carthuſ. *q.* 1. Marſil. *queſt.* 39. *art.* 2. Rada *controu.* 28. *art.* 2. Bannes 1. *p. q.* 8. *artic.* 1. Faſolus *dubit.* 3. Vaſquez *diſput.* 29. *cap.* 2. Gillius *lib.* 2. *trac.* 9. *cap.* 18. Smiſing. *trac.* 2. *de Deo vno diſp.* 5. *q.* 2. & alij.

51 Dico 1. *Deum non eſſe in ſpatijs imaginarijs, ita vt habeat realem præſentiam ad ipſa.* Deſumitur ex Patribus, quatenus docent, quod antequam Deus crearet mundum, non erat alicubi, ſed in ſe ipſo. Ita Tertullianus *cap.* 5. *contra Praxeam.* Auguſtinus *in Pſal.* 122. Bernard. 5. *de Conſideratione cap.* 6. & alij. Probatur. Eſſe pręſens alteri eſt eſſentialiter aliquid complexum conſurgens ex pluralitate extremorum, ergo non poteſt Deus eſſe in ſpatijs imaginarijs. Conſequentia probatur. Si eſſet in illis, deberent eſſe terminus præſentiæ ipſius, quod fieri non poteſt, nam vel ſunt aliquid; vel nihil. Si primum, ergo habent aliquid eſſe, atque adeo ſunt aliquid creatum, & aliquod ens. Si ſecundum, ergo non poſſunt terminare præſentiam, quia ipſum nihil non poteſt eſſe terminus habitudinis realis. Confirmatur. Sequeretur, quod Deus eſſet in nihilo. Confirmatur 2. Præſentia eſt quid poſitiuum; vndè debet habere, terminum poſitiuum. Confirmatur 3. Spatia iſta ſunt imaginaria, ergo terminabunt præſentiam imaginario modo, ergo etiam præſentia erit imaginaria.

52 Dices. Hæc ſpatia eſſe quid reale negatiuum. Contra. Quia adeſt implicantia in terminis; negatio enim tollit id, ſupra quod cadit, vndè ſi cadit ſupra eſſe reale, ipſum tollet. Secundò non datur quid reale, niſi per formam realitatis, quæ eſt tantum vna communis omnibus realibus, ergo aut hæc ſpatia non ſunt quid negatiuum, aut non habent formam realitatis, alioquin entia poſitiua realia haberent in ſe quid negatiuum.

53 Dices ſecundò. Importare non repugnantiam ad recipienda corpora. Contra. Repugnantia non poteſt eſſe realis, niſi habeat poſitiuum fundamentum reale.

54 Dices tertiò. Non eſſe purum nihil, ſed priuationem cum aptitudine ad repleri. Contra. Quia priuatio non importat aptitudinem niſi ratione poſitiuæ potentiæ, quæ eſt in ſubiectio.

55 Dico ſecundò. *Deum eſſe extra mundum non ratione præſentiæ actualis extra aliquem terminum, ſed ratione immenſitatis, quatenus ſecundum ipſam ita terminatur ad mundum, vt tamen ab ipſo non claudatur, ſed habeat ſuperexcedentiam, ratione cuius ſuperexcedit capacitatem mundi.* Deſumitur ex illo Iob. 11. *Excelſior Cęlo eſt* 2. Paralipomenon 6. *Quem cæli cęlorum capere non poſſunt.* Traditur etiam communiter à Patribus Auguſtino de cognitione veræ vitæ, capit. 39. *Vbique ſcilicet in omnibus, & extra omnes eſt totus.* Gregorio 10. Moral. cap. 5. *Eſt excelſior, quia in circumſcriptione ſui ſpiritus cuncta tranſcendit.* Ambroſio in cap. 3. ad Epheſ. *Deus autem non ſolum implet omnia, ſed etiam excedit.* Cyrillo Hieroſolimitano catecheſi 6. *In omnibus locis exiſtens, à nullo tamen compræhenſus.* Hilario 1. de Trinitate initio. *Nullus ſine Deo, neque vllus non in Deo locus eſt, ineſt interior, & excedit exterior.* Concilio Epheſino tom. 1. cap. 4. *Deitas omni loco, & menſura, omni circumſcriptione, & menſurabili magnitudine ſuperior à nullo capi compræhendiuè poteſt.* Probatur. Deus eſt immenſus, ergo extra mundum non præſentia actuali, ſed exceſſu ſuæ magnitudinis. Conſequentia probatur. Si non eſſet tali pacto extra mundum, definiretur mundo quoàd ſuam magnitudinem. Confirmatur. Deus ratione ſuæ immenſitatis habet quidquid requiritur ex parte ſui ad infinitam præſentiam, ergo de facto eſt extra mundum, alioquin non haberet quantum eſt de ſe infinitam præſentiam. Confirmatur ſecundò. Poteſt Deus creare alium mundum, & illi eſſe ex neceſſitate intimè præſens, ergo de facto eſt extra mundum. Conſequentia probatur. Quia tunc eſſet præſens abſque vlla mutatione, & motu, ergo de facto habet totum id, quod requiritur ex parte ſui vt ſit pręſens, quod ſaluari non poteſt niſi ſit extra mundum per exceſſum.

56 Dices. Si Deus eſſet extra mundum, eſſet in ſpatio imaginario. Reſpondetur. Negando ſequelam, quia licet non poſſimus cōcipere illud *Extra mundum*, niſi concipiendo aliquod ſpatium, nec poſſimus concipere Deum eſſe extra mundum, niſi concipiendo eſſe in tali ſpatio, ne vera tamen non eſt, quia eſſe in tali ſpatio dicit actualem præſentiam, quæ eſt quid fictum, eſſe autem Deum extra mundum non eſt aliud, quam non concludi terminis huius mundi.

57 Dices ſecundò. Sequeretur Deum diſtare ab hoc mundo. Reſpondetur. Interuenire diſtantiam ſecundum noſtram imaginationem, quia imaginamur, Deum eſſe extra mundum ſecundum quamdam extenſionem, quam tamen non habet, quia ſolum dicit non concludi terminis huius mundi, non autem realiter.

58 Ad primum. Diſtinguitur conſequens. Ratione immenſitatis debet habere infinitam pręſentiam in actu primo, non in actu ſecundo extenſiuè, nam ad hunc mundum habet præſentiam infinito modo, & cum exceſſu. Ad ſecundum negatur Antecedens, nam non implicat, Quod eſt, nullibi eſſe, quia eſſe alicubi connotat alterum, per quod conſtituatur hoc alicubi; hinc ſi adeſſet vnicum tantum ens creatum, non eſſet alicubi. Ad tertium ſupponere quod ſecluſo mundo adeſt ſpatium potens terminare præſentiam, quod tamen eſt falſum, vndè negatur ſequela, nam non facta eſt in Deo mutatio, quia habebat totum, quod requirebatur ad præſentiam ex parte ſui, & ſolum deerat terminus præſentiæ. Ad Quartum Sicut ſpatium extra Cœlum eſt merè imaginarium, ita etiam merè imaginaria eſſet illa diſtantia, qua alius mundus diſtaret à præſenti, vndè Deus eſſet in ipſa abſque eo, quod diſtaret à ſe ipſo. Ad quintum. Suppoſito, quod vacuum ſit poſſibile, in tali caſu non ſequi quod Deus diuidatur à ſe ipſo, tunc enim aliquid à ſe ipſo diuiditur, quando ſecundum locum diſtat à ſe ipſo, tunc autem Deus non diſtaret à ſe ipſo ſecundum locum, quia non eſſet ſpatium reale intermedium, ſed purum nihil; Deindè fieret tantum diuiſio termini præſentiæ non autem ſubſtantiæ Dei, quia ſicuti ſubſtantia Dei non habet aliquam extenſionem, ita ſine extenſione eſt præſens vnicuique, & ideo ex diuiſione facta in termino non diuiditur in ſe ipſa; imo ſine ſui à diuiſione poſſet eſſe præſens terminis diſtantibus abſque eo, quod ſit præſens medio, ſi medium non ſit capax præſentiæ.

59 Obijcies ex D. Auguſt. 11. de Ciuitate Dei c. 5. *An*

Digitized by Google

forte ſubſtantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec diſtendunt loco, ſed de ea ſicut de Deo ſentire dignum eſt, fatentur incorporea præſentia vbique tota à tantis extra mundum ſpatijs abſentem eſſe dicturi ſunt, & vno tantum, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus eſt occupatum? Non opinor eos in hæc vaniloquia progreſſuros. Reſpondetur D. Auguſtinum arguere ad hominem contra ponentes mundum ab æterno ex eo, quia abſurdum putabant, ſi fuiſſet in tempore, quod Deus illo infinito tempore, quod præceſſiſſet mūdū, fuiſſet otioſus; & ait, quod ſi ponitur iſtud tēpus præcedēs mūdū ponenda etiā ſunt extra mundū infinita ſpatia in quibus ſit Deus cum ſit eadem ratio; ſicuti, ergo non eſt abſurdum quod in his ſpatijs Deus nihil operetur, ita nec abſurdum, quod ante mundi conſtitutionem nihil operetur; Exiſtimat enim Diuus Auguſtinus eos, contra quos arguit, non eſſe definituros præſentiam Dei ad hunc ſolum mundum, cum hoc ſit contra rationem immenſitatis.

An, & quomodo Deo conueniat eſſe vbique.

SECTIO VIII.

60 Dicendum eſt. *Deo conuenire eſſe vbique vt ſit proprium ipſius*. Ita communiter cum D. Thoma 1. *p. q.* 8. *art.* 4. Pro cuius explicatione.

Notandum primò de ratione vbiquitatis eſſe, vt conſtituat rem in omni loco, quod ſaluari non poteſt niſi conſtituat totam in toto, & totam in qualibet parte, quia ſi conſtitueret partem in parte, non conſtitueret vbique, nam quod eſſet in vna parte, non eſſet in alia; vndè ſi adeſſet corpus infinitum, non eſſet vbique.

61 Notandum ſecundò vbiquitatem reſpicere id, quod poteſt terminare præſentiam. Vndè vbiquitas ex natura ſua ordinatur ad omnem locum poſſibilem; alioquin ſi exiſteret aliquid, quod poſſet terminare præſentiam, quod ab ipſa non attingeretur, iam non eſſet vbiquitas.

62 Notandū tertiò de ratione vbiquitatis eſſe, vt de neceſſitate attingat omnem locum alioquin non eſſet vbiquitas, cum enim nihil poſſit deficere à ſua ratione formali, nec etiam poteſt deficere ab effectu formali, quando alicui exhibetur vbiquitas autem deficeret à ſuo effectu formali, niſi ex neceſſitate conſtitueret præſens cuicumque rei, quia tunc exhiberet effectum formalem præſentiæ, & non vbiquitatis. His annotatis.

63 Probatur concluſio. Solus Deus habet infinitatem eſſendi, ergo ſolus habet vbiquitatem. Conſequentia probatur. Quia vbiquitas fundatur in infinitate eſſendi, cum dicat præſentiam infinitam, & neceſſariam.

64 Obijcies. Vbiquitas non ſemper conuenit Deo, vt ante mundi creationem, ergo non eſt proprietas ipſius. Reſpondetur vbiquitatem in actu primo eſſe proprietatem, & hoc pacto ſemper conuenire Deo. Quò ad actum ſecundum vero contingenter ſe habere, quia requirit exiſtentiam creaturarum.

DE AETERNITATE DEI.

DISPVTATIO XVIII.

Quid ſit æternitas.

SECTIO I.

1 Aeternitas varias ſignificationes habet, propriè autem importat poſſeſſionem proprij eſſe carentem principio, & fine, & excludentem omnem dependentiam, & mutabilitatem.

Supponendum autem eſt de fide eſſe, Deum eſſe æternum, vt definitum eſt in Concilio Lateranenſi *cap. Firmiter*, & habetur ex pluribus locis Sacræ Scripturæ Eccleſiaſtici 8. *Qui viuit in æternum*. Exodi 15. *Dominus regnabit in æternum, & vltra*. Iſaiæ 57. *Excelſus, & ſublimis habitans æternitate*. Pſal. 101. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*, & ita docent communiter Patres.

2 Dicendum eſt. *Aeternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*. Ita Boetius 5. *De Conſolatione proſa* 6. & Anſelmus *cap.* 24. *Monologij*, & hæc definitio recipitur communiter ab omnibus. Dicitur autem æternitas *Poſſeſſio*, vt ſignificetur, quod ſit duratio quædam, ſecundum quam Deus poſſidet in ſe ipſo proprium eſſe. Dicitur, *Interminabilis*, ad excludendum terminum huius poſſeſſionis; excluditur autem non ſolum ſecundum actum, ſed etiam ſecundum potentiam dicitur, *Tota ſimul*, ad excludendum non ſolum intrinſecam ſucceſſionem, ſed etiam quæ habetur ratione termini extrinſeci, videlicet præteriti, & futuri, vndè per hoc non ſolum diſtinguitur à tempore, ſed etiam ab æuo, quia æuum quoque habet præteritum, & futurum. Dicitur, *Perfecta*, vt referatur ad ipſam poſſeſſionem, & per hoc determinatur ad perfectum modum poſſidendi, & debet intelligi quod ſit perfecta ſecundum omnem rationem perfectionis ad ſignificandum, quod ſit poſſeſſio imparticipata, vt notat D. Thomas *in* 1. *diſt.* 8. *q.* 2. *art.* 1. Dicitur, *vitæ*, vt aſſignetur obiectum poſſeſſionis, nomine enim vitæ intelligitur ipſum eſſe Diuinum, ſecundum quod Deus æterno modo ſe habet.

An æternitas ſit formaliter duratio.

SECTIO II.

3 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Albertus *in* 1. *diſt.* 8. *art.* 8. *ad* 2. Capreolus *diſt.* 9. *q. vnica art.* 2. Ad argumenta Aureoli Vaſquez 1. *p. diſp.* 31. *cap.* 2. Faſolus *q.* 10. *art.* 1. *dub.* 1. Molina *diſp.* 2. Gillius *lib.* 2. *tract.* 10. *cap.* 2. & alij plures.

Probant. Quia ſcriptura ratione æternitatis tribuit Deo dies, & annos indeficientes. Secundò. Quia ratione æternitatis intelligimus permanentiam exiſtentię Diuinæ, ſine qua non poteſt concipi æternitas, & ea concepta, concipitur; permanentia autem eſt duratio. Tertiò. Deus ratione æternitatis coexiſtit tempori, illud autem, quo vnumquodque coexiſtit tempori, eſt duratio. Quartò. Creaturæ comparantur cum Deo in ratione durationis, & dicuntur defectibiliter durare; Deus vero indefectibiliter; hoc autem habet ratione æternitatis. ergo

4 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Aureolus *in* 1. *diſt.* 9. *q.* 2. *art.* 2. aſſerens durationem non conuenire Deo.

5 Dico 1. *In Deo eſſe aliquid proportionale, quod infinito modo ſe habens correſpondet durationi creatæ*. Probatur. Ideo creaturæ habent durationem, quia participatiuo modo permanent in ſuo eſſe actuali, ſed, etiam Deus imparticipatiuo modo permanet in ſuo eſſe. ergo

6 Dico ſecundò. *Quod in Deo correſpondet durationi creatæ non eſt propriè, & formaliter duratio*. Probatur. De ratio durationis eſt, quod ita faciat rem permanere in ſuo eſſe, vt ſimul etiam transferat de præterito ad futurum, ergo cum repugnet eſſe Diuino transferri de præterito ad futurum, implicat etiam, quod ratio permanentiæ ſit duratio cum illi repugnet prædicatum eſſentiale durationis. Antecedens patet. Nam res omnes, quæ durant, habent in ſua duratione Preteritum, & Futurum. Confirmatur. Licet duratio ſit indiuiſibilis, eſt tamen apta, vt per coexiſtentiam ad extrinſecam menſuram, fundet magis, & minus; ratio autem, ſecundum quam Deus permanet in ſuo eſſe, non poteſt fundare magis, & minus, quia hoc repugnat Deo, etiam in ordine ad extrinſeca.

7 Dico tertiò. *Id, quod in Deo æquiualet durationi noſtræ eſt ipſius exiſtentia*. Probatur. Quod æquiualet durationi noſtræ eſt id, quo eſſentia Diuina indefectibiliter permanet in ſuo eſſe, ergo non eſt aliud, quā exiſtentia.

Conſe-

Digitized by Google

Conſequentia probatur. Quia ratione illius permanet indefectibiliter, nam ita ratione exiſtentiæ eſt in actu, vt ratione ipſius illi repugnet deficere.

8 Dico quartò. *Aeternitas non eſt formaliter duratio nec id, quod æquiualet durationi.* Probatur. Alius eſt conceptus æternitatis, & alius durationis, ergo. Antecedens probatur. Duratio facit formaliter rem permanere in ſuo eſſe æternitas verò facit, vt Diuinum eſſe ſe extendat ſimul ad omnes differentias temporis, cum excluſione præteriti, & futuri; vndè æquiualet proportionaliter coexiſtentiæ ad tempus. ergo

9 Dices. Hoc conuenire durationi ratione ſuæ differentiæ. Contra. Differentia perficit durationem intra rationem durationis, ergo in Deo facit ſolum quod duratio infinito modo ſe habeat; attingere autem ſimul omnes differentias temporis excludendo præteritum, & futurum importat nouam perfectionem. Confirmatur. In Deo perfectio; quę eſt participabilis eſt diuerſa ab ea, quę non eſt participabilis, ergo duratio, & æternitas non ſunt idem. Antecedens patet. Quia participabile, & non participabile ſunt prædicata contradictoria, vndè debent ſupponere illam diſtinctionem, quam habent aliæ perfectiones, quæ fundant huiuſmodi prædicata. Conſequentia prob. Quia in Deo, quod æquiualet durationi, eſt participabile à creatura, quæ de facto habet durationem; ęternitas vero non eſt participabilis, quia eo ipſo, quod participaretur, totaliter deſtrueretur, nam eſſet defectibilis, mutabilis, haberet præteritum, & futurum, &c.

10 Dices. Poſſe aliquid eſſe ab æterno, & hoc pacto participare æternitatem. Contra. Quia, dato quod poſſet eſſe, neque haberet æternitatem participatam ſecundum rationem æternitatis, quia nullo modo participaret indefectibilitatem, nec ſimultatem coexiſtentiæ ad tempus, quia nullo modo excluderet præteritum, & futurum.

11 Ad Primum negatur conſequentia. Nam in Deo, quod æquiualet diebus, & annis, eſt, quod æquiualet durationi, & coexiſtentiæ ad tempus, exiſtentia enim equiualet durationi, & æternitas coexiſtentiæ. Ad ſecundum negatur minor, Nam concepta præcisè permanentia non concipitur æternitas, quia non concipitur ratio aliqua excludens præteritum, & futurum. Ad tertium diſtinguitur minor. Quod eſt ratio coexiſtendi tempori cum prę-terito, & futuro, eſt duratio; ſecus autem, ſi faciat coexiſtere ſimul, & abſoluat à præterito, & futuro, vt eſt æternitas. Ad quartum Deum, & creaturas comparari ad inuicem in ratione durationis, Quia Deus habet aliquid ęquiualens, quod dicitur duratio, & etiam comparantur in ratione coexiſtentię ad tempus, ſed oppoſito modo, quia creaturę coexiſtunt tẽpori tranſeundo de præterito ad futurum; Deus autem abſque huiuſmodi tranſitu.

An æternitas diſtinguatur à diuina vita.

SECTIO III.

12 Difficultas in hoc conſiſtit; An æternitas importet de ſuo formali aliquod poſitiuum ſupra eſſe Diuinum eo pacto diſtinctum, quo cætera attributa diſtinguuntur.

Prima ſententia aſſerit, addere tantum ſupra eſſe Diuinum negationem termini. Ita Faſolus 1. *p. q.* 10. *art.* 1. *dubit.* 2. Gillius *lib.* 2. *trac.* 10. *cap.* 6. Molina 1. *p. q.* 3. *art.* 4. *diſp.* 2., qui citant plures alios, qui tamen hoc expreſsè non docent. Probant Aeternitas diſtinguitur ab alijs durationibus per interminabilitatem, quæ eſt tantum negatio termini, ergo. Secundò. Si concipiatur Deus eſſe ſemper, & immutabiliter, concipitur æternus. Semper autem, & immutabiliter dicunt negationem.

13 Secunda ſententia aſſerit, eſſe quid poſitiuum ſecundum ſuam formalem rationem. Ita Mayronus *in* 1. *diſt.* 8. *q.* 1. Scotus *quolib.* 6. §. *Contra iſtud*. Albertus *in* 1. *diſt.* 8. *art.* 8. Henricus *in ſumma art.* 31. *q.* 1.

14 Notandum primò. In creatis aliud eſſe durationem intrinſecam, & aliud coexiſtentiam ad tempus, quod ex eo patet. Quia duratio intrinſeca dicit tantum illam formam, per quam res permanet in ſuo eſſe; coexiſtentia verò eſt aliquid complexum ſimul cum ipſo termino, & poteſt eſſe maior, & minor, & ratione ipſius res tranſit de præterito in futurum.

15 Notandum 2. Cum Deus nequeat tranſire de præterito in futurum, debet habere oppoſitum illius; quod dicit coexiſtentia. Rurſus cum ſit præſens tempori, oportet id, quod opponitur coexiſtẽtię, abſoluere Deum à prę-terito, & futuro, vt ſimul etiam conſtituat pręſentem abſque vlla ſucceſſione pręteriti, & futuri.

16 Dicendum eſt. *Aeternitatem importare ſpecialem rationem poſitiuam, ſecundum quam Deus ſit totus ſimul præſens tempori abſque ſucceſſione præteriti, & futuri.* Prob. Aeternitas ponit in Deo ſpecialem repugnantiam reſpectu alicuius ſpecialis poſitiuum, ergo debet dicere aliquid poſitiuum. Antecedens patet. Quia excludit à Deo pręteritum, & futurum, ita vt habeat ſpecialem repugnantiam cum eſſe Diuino. Conſequentia probatur. Quia ſpecialis repugnantia prouenıens ab intrinſeco Dei, debet importare ſpecialem rationem ipſius alioquin non eſſet magis repugnantia cum pręterito, & futuro, quam cum aliquo alio. Confirmatur. Aeternitas explicat eſse Diuinum ſecũdum ſpecialem perfectionem, ergo dicit rationem poſitiuam. Antecedens prob. Quia per ęternitatem aliquid amplius cognoſcimus de perfectione Diuina, videlicet vt ex neceſſitate ſit pręſens indiuiſibiliter omni tẽpori abſq; viciſſitudine pręteriti, & futuri. Conſequentia probatur. Quia tunc habetur ſpecialis perfectio, quando eſse Diuinum innoteſcit ſecundum aliquam ſpecialem rationem.

17 Ad Primum reſpondetur. Interminabilitatem dicere aliquid negatiuum formaliter, aliquid vero poſitiuum ratione fundamenti; hoc autem fundamentum eſt id, in quo formaliter conſiſtit ęternitas, & explicatur per negatiuum. Ad ſecundum diſtinguitur Minor Ly *Semper, & immutabiliter* explicatur quidem per negationem, non eſt tamen formaliter aliquid negatiuum. Quia dicit illam prę-ſentiã ad omne tẽpus abſoluẽtẽ Deũ à pręterito, & futuro.

An æternitas ſit menſura Diuini eſſe.

SECTIO IV.

18 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Alenſis 1. *p. q.* 12. *mem.* 9. *art.* 3. Albertus *in* 1. *diſt.* 8. *art.* 8. Carthuſianus *q.* 3. Hiſpalenſis *diſt.* 9. *q. vnica art.* 1. Ferrarienſis 1. *contra Gentes c.* 15. Caietanus 1. *p. q.* 10. *art.* 5. Bannes *dub.* 2. Cumel *q.* 2. Faſolus *dubit.* 6. Gillius *lib.* 2. *trac.* 10. *cap.* 8. Ledeſma *de Diuina perfectione q.* 7. *art.* 2. & communiter Thomiſtę.

Probant. Scriptura, & Patres contraponunt ęternitatem tempori, ergo ſicut tempus eſt menſura rerũ creatarum, ita ęternitas Diuini eſſe. Secundò. Menſura pręciſis imperfectionibus dicit tantũ rationẽ cognoſcẽdi; ęternitas autẽ eſt ratio cognoſcendi, quanta ſit exiſtentia diuina. Tertiò nõ obſtat quod non diſtinguatur ab eſſe Dei, quia diſtinctio requiritur ſolum, quando menſura eſt extrinſeca, non autem quando eſt intrinſeca. ergo

19 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Durandus *in* 1. *diſt.* 19. *q.* 2. Ocham *in* 2. *q.* 13. Gabriel *diſt.* 2. *q.* 1. *artic.* 3. Molina 1. *p. q.* 10. *art.* 1. *diſput.* 3. Vaſquez *diſp.* 31. *cap.* 5. Suarez *in metaph. diſp.* 50. *ſec.* 4. Smiling. *trac.* 2. *de Deo vno diſp.* 4. *num.* 10.

20 Notandum 1. Aeternitatem poſse conſiderari dupliciter. Pręcisè ſine termino ſecundum ſolum eſse intrinſecum, quod habet in Deitate, vt dicẽs ſolam rationem, per quam Deus ęterno modo ſe habet; & poteſt accipi ſimul cũ termino, & tunc dicit coexiſtentiam ad ipſum terminum, qui à nobis concipitur per modum cuiuſdam temporis infiniti antecedentem productionem mundi.

21 Notandum 2. Menſuram eſse duplicem, aliam in

Digitized by Google

eſſendo, & aliam in cognoſcendo. Prima ſe habet, *vt Quo*, ita vt in genere cauſæ formalis ſe habeat vt ratio menſuratiua; menſurat enim, quia conſtituit rem intra certos terminos; Menſura verò in cognoſcendo ſupponit menſuratum conſtitutum in ſuo eſſe; vndè menſurat, vt *Quod*, atque ad vt prius cognita. Hinc prima non eſt pura ratio cognoſcendi, ſed etiam conſtituendi, & menſurat non vt prius cognita, ſed ſimul dum cognoſcitur; ſecunda verò eſt pura ratio cognoſcendi.

22 Dico 1. *Aeternitatem non eſſe menſuram Dei vt Quod*. Probatur de ratione menſuræ *vt Quod* eſt, quod ſit diſtincta, & extrinſeca menſurato; quia ſi eſſet intrinſeca, eo ipſo, quod cognoſceretur menſura, cognoſceretur etiam menſuratum, vndè non duceret in cognitionem illius vt prius cognita, huiuſmodi autem non eſt æternitas. ergo

23 Dices. Sufficere diſtinctionem rationis. Contra. Vt ratio menſuræ ſit realis, debet conuenire independenter ab intellectu: ergo debent à parte rei ſaluari conditiones neceſſariæ, atque adeo diſtinctio. Confirmatur. Ratio menſuræ dicit eſſentialem ordinem ad menſuratum, ergo vt ſit realis, & non ficta ab intellectu, debet ordo eſſe realis, atque adeo inter extrema realiter diſtincta.

24 Dico ſecundò. *Aeternitatem eſſe impropriè menſuram in eſſendo Diuini eſſe dixi impropriè*, Quia de ratione menſuræ eſt, importare terminos, intra quos aliquid includat, quod tamen non dicit æternitas; vndè erit tantùm menſura, quatenus eſt ratio ducens in cognitionem alicuius Diuinæ perfectionis. Probatur. Cognita æternitate cognoſcitur. Diuinum eſſe ſecundum ſpecialem perfectionem, ergo eſt quædam menſura Diuini eſſe in eſſendo.

25 Dico tertiò. *Aeternitatem ſimul cum termino acceptam eſſe menſuram ſecundum noſtrum modum concipiendi præſentiæ Diuinæ ad tempus, impropriè tamen.*

Probatur. Terminus eſt notus ſecundum ſe, & diſtinctus à præſentia, & illam nobis notificat ſecundum quamdam infinitatem. ergo

26 Ad Primum negatur conſequentia. Nam ex eo, quod terminus contraponitur tempori, non poteſt eſſe menſura, quia ſicut tempus ex eo menſurat, quod conſtituit rem durantem in eſſe præterito, & futuro, ita ex eo, quod æternitas abſoluit à præterito, & futuro, non erit menſura; vndè, quando Patres, & ſcriptura tribuunt æternitati rationem menſuræ, loquuntur de ipſa conſiderata ſimul cum termino, quatenus ratione illius concipimus quamdam extenſionem infinitam notificantem præſentiam Diuinam. Ad ſecundum diſtinguitur antecedens. Menſura *vt Quod*, dicit rationem notificantem diſtinctam à menſurato, quæ prius cognita, ducat in cognitionem, quod non conuenit æternitati; non autem rationem cognoſcendi indiſtinctam. Ad tertium negatur antecedens. Nam menſura *vt Quod* non poteſt eſſe intrinſeca, atque adeo ſemper diſtinguitur à menſurato.

An æternitas ſit menſura durationis creatæ.

SECTIO V.

27 PRima ſententia eſt affirmatiua. Ita Alenſis 1. *parte q. 12. mem. 9. act. 3.* Albertus *in 1. diſt. 8. art. 8.* Richardus *diſt. 19. art. 1. q. 1.* Capreolus *q. vnica. Ad primum*. Hiſpalenſis *diſt. 38. q. vnica art. 3.* Ferrarienſis 1. *contra Gentes cap. 66.* Gillius *lib. 2. tract. 10. c. 7.* Faſolus 1. *p. q. 2. art. 1. dub. 5.* Ledeſma *q. 7. de Diuina perfectione art. 3.*

Probant ex D. Anſelmo *cap. 21. Proſologij*, vbi docet, quod æternitas continet omnia ſecula. Secundò. Quia eſt duratio omnium prima, vniformis, & habet ſuam extenſionem virtualem, per quam poteſt menſurare alias durationes. Tertiò. Eſſentia Diuina eſt mēſura rerum omnium in eſſendo, licet infinita, ergo etiam æternitas erit menſura omnium durationum. Quartò. Aeternitas, & duratio creata comparantur in ratione durationis, & non habent communem menſuram, ergo vna eſt menſura alterius.

28 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Ocham *in 2. q. 13.* Gabriel *diſt. 2. q. 1. art. 3.* Durandus *in 1. diſt. 19. q. 2.* Vaſquez 1. *parte diſput. 31. cap. 6.* Smiling. *trac. 2. de Deo vno diſp. 4. q. 1.*

29 Dicendum primò. *Aeternitatem non eſſe menſuram durationis creatæ, ſi accipiatur ſecundum præciſam rationem æternitatis*. Probatur. Inter menſuram, & menſuratum debet eſſe proportio, ergo æternitas non poteſt eſſe menſura durationis creatæ. Antecedens patet. Quia menſura debet in ſe manifeſtare menſuratum; & ideò debet ipſi proportionari in ratione manifeſtatiui. Conſequentia probatur. Quia. Infinitum, & finitum, vt talia ſunt, nullam habent proportionem, cum infinitè diſtent. Aeternitas autem infinito modo ſe habet, & omnis duratio creata finito modo. Confirmatur æternitas oppoſito modo ſe habet ad coexiſtentiam ad tempus, ergo non poteſt eſſe menſura ipſius. Antecedens probatur. Quia coexiſtentia dicit præteritum, & futurum; æternitas verò abſoluit ab eſſe præterito, & futuro. Conſequentia probatur. Quia menſuratum debet aliquo modo manifeſtari in menſura; præteritum, autem, & futurum nullo modo manifeſtantur in eo, quod habet rationem formaliter excludentem præteritum, & futurum, ſicut ſucceſsiuum non manifeſtatur in permanenti.

30 Dices. Manifeſtari ratione virtualis extenſionis. Contra. Quidquid ſit de virtuali extenſione, adhùc æternitas excludit præteritum, & futurum, ergo non poteſt eſſe manifeſtatiua præteriti, & futuri. Secundò non poteſt aliqua quantitas aliam menſurare, niſi ſaltem proportionaliter illam contineat ſecundum formalem rationem; Hinc quantitas temporis non poteſt menſurare quantitatem loci; ſed æternitas nullo modo continet rationem præteriti, & futuri. ergo

Confirmatur. Aeternitas non poteſt accipi vt menſura, niſi concurrat ad menſurandum ſecundum formalem rationem æternitatis, ergo cum eſſentialiter ſit tota ſimul, & infinita non poteſt accipi vt menſura, niſi accipiatur vt tota ſimul, & infinita. ergo non poteſt eſſe menſura, quia de ratione menſuræ eſt, quod claudat menſuratum intra aliquos terminos notos.

31 Dicendum ſecundò. *Aeternitatem quatenus accipitur ſimul cum termino, ſeu cum tempore quodam infinito, poſſe aliquo pacto menſurare durationem creatam, quatenus videlicet inadæquatè accipitur.* Probatur. Quia ratione termini poteſt accipi inadæquatè, atque adeo ſecundum aliquos terminos, intra quos res menſurata includatur.

32 Ad Primum. Aeternitatem non continere ſæcula tanquam menſuram, ſed modo ſibi proportionato; videlicet præſentialiter, quatenus eſt præſens omnibus ipſis. Ad ſecundum. Negatur ſecunda pars antecedentis, nam ex eo, quod æternitas ſit vniformis, &c. non poteſt eſſe menſura, quia eſt infinita, & tota ſimul excludens præteritum, & futurum. Ad tertium eſſentiam diuinam eſſe menſuram rerum omnium idealem, quæ non menſuratur per applicationem ſui ipſius, & ideo huic menſuræ non obſtat infinitas, obſtat tamen menſuræ quantitatiuæ, quia hęc menſurat per applicationem ſui ipſius. Ad quartum negatur conſequentia. Nam æternitas, & duratio creata comparantur ſecundum exceſsum infinitum, & ſecundum oppoſitum modum præſentiæ; vt autem vnum ſit menſura alterius, aut in eadem communi menſura conueniant, debent eſſe eiuſdem rationis ſaltem proportionalis, & ſecundum aliquam identitatem fieri comparatio.

Digitized by Google

Per quid formaliter compleatur æternitas.

SECTIO VI.

33 PRima ſententia aſſerit, compleri formaliter per negationem termini tam actualis, quam poſſibilis. Ita Alenſis 1. *parte q.* 12. *mem.* 2. *&* 4. Baſſolis *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 2. Molina 1. *parte q.* 10. *art.* 1. *diſp.* 1. *&* 4. Faſolus *dubit.* 2. Suarez *in metaph. diſp.* 50. *ſec.* 3. Gillius *lib.* 2. *trac.* 10. *cap.* 10.

Probant. Quia æternitas ſufficienter concipitur, ſi concipiatur eſſe Diuinum cum omnimoda negatione termini in durando.

34 Secunda ſententia aſſerit, ęternitatem conſiſtere formaliter in negatione menſurabilitatis. Ita Vaſquez 1. *parte diſp.* 21. *cap.* 6. & alij Recentiores. Probant Aeternitas eſt interminabilis, ergo dicit negationem menſurabilitatis.

35 Tertia Sententia aſſerit, formaliter conſiſtere in negatione difformitatis. Ita Caietanus 1. *p. q.* 10. *art.* 1. Cumel *ibidem q.* 2.

Probant. Quia per hoc contradiſtinguitur ab omnibus alijs durationibus.

36 Quarta Sententia aſſerit conſiſtere in triplici negatione Termini, Succeſſionis, & dependentiæ. Ita Scotus *quolib.* 6. & Smiling. *trac.* 2. *de Deo vno diſp* 4. *q.* 1.

37 Dico 1. *Aeternitas de ſuo vltimo formali importat aliquid poſitiuum*. Probatur. Deus ſecundum ſuum eſſe à parte rei verè æterno modo ſe habet, ergo æternitas in eſſe æternitatis dicit formaliter aliquid poſitiuum. Antecedens patet, quia aliqua prædicata conueniunt Deo à parte rei, quæ non poſſunt conuenire, niſi ratione æternitatis, vt quod ſit præſens tempori abſque præterito, & futuro, &c. Conſequentia probatur. Quia ſi æternitas non eſſet completa poſitiuo modo in ratione æternitatis, non poſſet tribuere ſuum effectum formalem poſitiuo modo. Confirmatur. Deus ratione æternitatis habet aliquid poſitiuum, ergo hoc poſitiuum eſt vltimum complementum. Antecedens patet. Quia alioquin Deus non ſe haberet perfectiori modo ratione æternitatis. Conſequentia probatur. Quia tale poſitiuum eſt quid ſpeciale contradiſtinctum à cæteris perfectionibus, & pertinet ad æternitatem, vt æternitas eſt; vndè eſt quid peculiare ipſius, atque adeo proprium conſtitutiuum. Confirmatur ſecundò. Deus ratione æternitatis fundat ſpeciales negationes, ergo ratione ipſius dicit aliquid poſitiuum, quod ſit ſpeciale fundamentum, ergo hoc poſitiuum eſt formalis ratio æternitatis. Antecedens patet quia ratione æternitatis conuenit Deo negatio termini, ſucceſſionis, difformitatis, ſeu præteriti, & futuri. Conſequentia prima prob. Quia quando conuenit ſubiecto per ſe ſpecialis negatio, ſicut ſignificat illi repugnare formam negatam, ita etiam connotat in ſubiecto ſpecialem rationem, vndè oriatur talis repugnantia. Conſequentia ſecunda probatur. Quia hoc ſpeciale fundamentum eſt id, quod formaliter excludit omnia, quæ per tales negationes tolluntur, non poſſunt autem excludi niſi ab æternitate vt talis eſt.

38 Dico ſecundò. *Hoc poſitiuum importare modum præſentialitatis reſpectu temporis*. Probatur. Quia æternitas pertinet ad modum eſſendi in ordine ad tempus, ergo dicit rationem præſentialitatis.

39 Ex his Colligitur hanc præſentiam ex ſui intrinſeca ratione inuoluere vniformitatem, Quia eſt pręſentia per eſſentiam; quod autem eſt tale per eſſentiam, non poteſt recipere variationem aliquam.

Rurſus. Hanc præſentiam in ſua intrinſeca ratione importare infinitatem, Quia in ſua ratione eſt independens, imparticipata, & indefectibilis, & denique. Hanc pręſentiam fundare ſpecialem rationem immutabilitatis, in ordine ad tempus; Nam cum præſentia ſit vniformis, indefectibilis, fundat ſpecialem rationem immutabilitatis oppoſitā mutabilitati creaturæ, qua tēporaliter mutatur.

40 Ad fundamentum primæ ſententiæ. Dum concipitur eſſe Diuinum cum negatione termini, concipi aliquid poſitiuum, quod per negationem explicatur, ſi autem directè concipiatur negatio, non concipitur formaliter æternitas. Vndè licet æternitas dicat negationem termini menſurabilitatis, difformitatis, dependentiæ, ſucceſſionis, non tamen dicit formaliter, ſed conſequutiuè, & per hæc patet ad fundamenta aliarum ſententiarum.

An æternitas poſſit demonſtrari de Deo.

SECTIO VII.

41 DIco 1. *Aeternitatem poſſe demonſtrari de Deo.* Ita D. Thomas 1. *p. q.* 10. *art.* 2. Probatur. Deus eſt ens à ſe, indeficiens, immutabile, ergo æternus. Antecedens continet remotam, & proximam radicem æternitatis, Deus enim quia eſt ens à ſe, immutabiliter ſe habet. Quia non poteſt in aliquo deficere, cum ſit, ſecundum omnia ſummè neceſſarium, nec poteſt de nouo recipere, cum omnia per eſſentiam conueniant. Conſequentia probatur. Quod eſt omnino immutabile, non poteſt ſubire aliquam viciſſitudinem, ergo cum Deus habeat pręſentiam reſpectu temporis, ſe habet indefectibiliter ſecundum ipſam, hoc autem eſt eſſe æternum, quia excludit rationem præteriti, & futuri.

42 Obijcies. Prius eſt, Deum eſſe æternum, quam immutabilem, ergo non poteſt æternitas per immutabilitatem demonſtrari. Reſpondetur. Id eſſe verum de immutabilitate ſecundum præſentiam ad tempus, non autem de immutabilitate ſecundum eſſe. Quia ſicuti eſſe fundat pręſentiam, ita immutabilitas ipſius fundat talem modum præſentiæ.

43 Obijcies ſecundò. Eo ipſo, quod concipitur immutabilitas, concipitur etiam æternitas, ergo. Reſpondetur. Concipi tantùm implicitè, nam explicitè concipitur tantùm ratio quædam, per quam ponitur in Deo repugnantia ad mutari, quando verò concipitur æternitas, concipitur ratio præſentiæ.

44 Dico ſecundò. *Aeternitatem ita eſſe propriam Dei, vt nulli alteri conueniat*. Concluſio eſt de fide ex communi ſenſu Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ fundato in ſcriptura, quatenus tribuit Deo æternitatem, vt quid proprium ipſius. Probatur. In ſolo Deo adeſt propria radix æternitatis, ergo ſoli conuenit æternitas. Antecedens probatur, Quia ſoli Deo conuenit eſſe à ſe, & eſſe omnino immutabilem.

An Deus ratione æternitatis coexiſtat tempori.

SECTIO VIII.

45 SVpponendum eſt. Inter Deum, & tempus adeſſe aliquam habitudinem; tempus enim dependet à Deo, quia ab ipſo dependent entia, & mutationes, in quibus fundatur. Vndè neceſſaria eſt illa ſimultas, ſeu præſentia fundata in dependentia, ſecundum quam inuicem connectuntur effectus, & cauſa.

46 Supponendum ſecundò. Coexiſtentiam ad tempus poſſe conſiderari dupliciter, Materialiter, & Formaliter. Primò modo dicit tantùm, quod dum fluit tempus, aliquid permaneat in ſuo eſſe. Secundò modo, Quod coexiſtens reſpiciat tempus ſecundum formalem rationem temporis fluentis per prius, & poſterius. Vndè debet habere in ſe aliquam rationem, per quam fundet habitudinem ad ipſum prius, & poſterius, atque adeo, quæ determinetur ad prius, & poſterius.

47 Dico primò. *Deum materiali modo coexiſtere tempori coexiſtentia ſuperexcedentiæ*. Quod coexiſtentia ſit ſuperexcedentiæ eſt de fide. Pſal. 73. *Ante ſæcula*

Digitized by Google

Ad Titum 1. *Ante tempora ſæcularia*. Eccleſiaſt. 24. *Ante omnem creaturam*. Probatur. Exiſtente creatura exiſtit etiam Deus, & permanet; imo adeſt realis connexio dependentiæ, ergo interuenit coexiſtentia materialis.

48 Dico ſecundò. *Deum non coexiſtere tempori tanquam contineatur tempore, ſiuè tanquam menſura, ſiuè quocumque alio modo*. Ita D. Anſelmus *cap.19. Monologij, & 22.* Prob. Eſſe in tempore quocumque modo, dicit contineri ab ipſo ſaltem impropriè; continere autem dicit eſſe aliquid minus, aut ſaltem non ſuperexcedere.

49 Dico tertiò. *Deum non coexiſtere tempori præſentia formali*. Probatur. Deus non poteſt fundare habitudinem ad tempus prout dicit prius, & poſterius, ergo non habet præſentiam formalem. Antecedens probatur. Quia fundamentum talis habitudinis non eſt aliud, niſi præteritum, & futurum, quod repugnat Deo; Prius enim, & poſterius ex parte temporis dicit præteritum, & futurum; & ideo ratione præſentiæ formalis attingitur ſub ratione præteriti, & futuri. Non poteſt autem haberi huiuſmodi attingentia, niſi attingens ſubeat rationem præteriti, & futuri, non enim poteſt reſpicere futurum vt futurum, niſi reſpectu ipſius ſit futurum.

50 Dico quartò. *Coexiſtentia, quam habet Deus ad tempus determinari per rationem dirigentis tempus ſecundum ſuum fluxum*. Probatur. Iſta coexiſtentia non eſt per accidens, ſed per ſe ex indigentia temporis, quod exigit; Deum non eſſe ſibi diſtantem, ergo debet per aliquam ſpecialem rationem determinari, nulla autem alia poteſt eſſe, quam directio. Tum quia tempus ipſa indiget; tum quia Deus ratione ipſius exercet ſuum Dominium.

51 Obijcies. Non poteſt vnum alteri coexiſtere, niſi exiſtat in aliqua menſura duratiua; eſſe autem Diuinum non habet menſuram duratiuam, ergo. Reſpondetur. Id eſſe verum de coexiſtentia formali, non autem de materiali, & ſuperexcedentiæ.

Quomodo ſe habeat æternitas ad res ſecundum ſuam præſentiam.

SECTIO IX.

52 DIfficultas eſt, An præſentia Aeternitatis ad res creatas ſit tota ſimul, ita vt ſimul attingat prę-terita præſentia, & futura; vndè ſub alio titulo quæſtio proponi ſolet, An res ſint prę́ſentes æternitati ab æterno.

Prima ſententia eſt negatiua. Ita Alenſis 1. *part.q.23. mem.4.art.3.* Albertus *q. 60. mem.4.art.1.* D. Bonauentura *in 1.diſt.39.art.2.q.3.* Scotus *diſt. 35.q. vnica* Durandus *diſt.38.q.3.* Ocham *q. vnica* Gabriel *art.2.* Ariminenſis *q.2.art 2.* Carthuſianus *q.2.* Palatius *diſp.2.* Aureolus *diſt.39.art.1. propoſitione 3.& diſt.38.art.1.& 2.* Rada *controu.30.art.2.& 3.* Molina 1.*part.q.14.art.13. diſp.14.* Faſolus *dub.3.* Peſantius *diſp.4.* Suarez *opuſc.de ſcientia Dei lib.1.cap.7.* Gillius *lib.2.trac.10.cap.15.& 17.* Smiſing. *trac.2.de Deo vno diſp.4.q.3.* & alij plures.

Probant. Quia Patres ſolũ ratione præſciẽtiæ, non verò realis, exiſtẽtiæ docent, res ab æterno eſſe præſentes Deo. Secundò. Coexiſtere ſupponit exiſtere, ergo cum res creatæ non exiſtant ab æterno, nec etiam poſſunt ab æterno coexiſtere æternitati. Tertiò ſi coexiſterent æternitati ab æterno, coexiſterent etiam inter ſe; quæ enim coexiſtunt vni tertiò, coexiſtunt etiam inter ſe, hoc autem eſt falſum, alioquin contradictoria verificarentur de eodem ab æterno, & idem eſſet mortuus, & viuus ab æterno. Quartò Deus ab æterno non eſt producens, quia res accipiunt eſſe de nouo, ergo neque ab æterno adeſt præſentia, quia fundatur in exiſtentia. Quintò eſſe præſens, & eſſe futurum ſe inuicem deſtruunt, ergo repugnat aliquid ab æterno eſſe præſens, & eſſe futurum in tempore.

53 Secunda ſententia eſt affirmatiua ita D. Thomas 1. *contra Gentes cap.66.67.& 68. & q.2.de veritate, art. 12.& 1.p.q.14.art.9.& 13.* & alibi ſæpè. Caietanus 1. *p.q.14. art.2.* Cumel *diſp.1. concluſione 3.* Capreolus *in 1.diſt.36.q.vnica art.2.* Soncinas *diſt.38.q.2.* Hiſpalenſis *q.vnica art.3.* Marſilius *in 1.q. 40.art.2.* Ferrarienſis *citato loco contra Gentes*. Caterinus *opuſc. de Præſcientia cap.3.& 4.* Aluarez *lib.2. de auxilijs diſp.8.* Ledeſma *q.9.de Diuina perfectione art.2.ſub artic.2.* Ruiz *diſp.38. de Præſcientia Dei ſec.3.* & alij plures.

54 Dicendum eſt. *Inter æternitatem, & res omnes dari præſcientiam ſecundum eſſe reale exiſtentiæ ab æterno fundatam in ſola æternitate, ita vt ęternitas ſimul ab ęterno ſe conſtituat præſentem ratione ſuæ virtualis latitudinis toti ſucceſſioni rerum, quæ ſimul complectatur omnes differentias temporum, & ſit præſens ſimul tempori præterito, præſenti, & futuro*. Ita communiter. Patres Hilarius 12. de Trinitate. *Nihil non ſemper cum Deo fuit, quidquid in rebus eſt*. Hieronymus in c. 1. Ad Epheſios. *Quod electos nos ante fabricam mundi teſtatus eſt, ad præſcientiam Dei pertinet, cui omnia futura iam facta ſunt*. Anſelmus de caſu Diaboli cap.21. *Præſcientia Dei non propriè dicitur præſcientia, cui enim omnia ſemper ſunt præſentia, non habet futurorum præſcientiam, ſed præſentium ſcientiam*, & c. 1. De concordia præſcientiæ. *Habet Aeternitas ſuum ſimul, in quo ſunt omnia, etiam quæ ſunt in diuerſis locis, & temporibus*. Et infra ſubdit. *Aliquando verum eſt. Quoniam aliquid non eſt in tempore, quod eſt in æternitate*. Iſidorus lib. 1. de ſummo bono cap.6. *Omnia præſentia in eo dicuntur, quia æternitate ſua omnia complectitur*; & rurſus. *Præſens, Præteritum, & Futurum noſtrum eſt habere, non Dei verbi gratia, dicimus pro præſenti, Teneo codicem, pro præterito, tenui, & pro futuro, tenebo. Vniuerſitatem verò Deus tenet, & pro Tenui, & Tenebo, Tenet dicitur.* Auguſtinus l.2. ad ſimplicianum *q. 2. Si apud Deum nondum ſunt, quæ futura ſunt, ſed ea præuenit ſciendo; bis, ergo ea ſentit; vno quidem modo ſecundum futurorum præſcientiam, altero verò ſecundum præſentium ſcientiam aliquid, ergo temporaliter accedit ſcientiæ Dei*; & poſtea concludit. *Placet, ergo vt non dicamus præſcientiam Dei, ſed tantummodò ſcientiam*. Et quinta de Trinitate cap. vltimo. *Apud Deum nec præterita tranſeunt, & futura iam facta ſunt*. D. Gregorius 2. Moralium cap. 14. *Sic in ſe tranſeuntia condidit, vt apud ſe tranſire nequaquam poſſint, nec tempus intus in conſpectu eius defluit, quod apud nos foris decurrit, vndè fit, vt in æternitate eius fixa maneant, quæ non fixa exterius ſeculorum volumina emanant*. Et lib.20.cap.23. cum docuiſſet præſcientiam non conuenire propriè Deo, ſubdit. *Omne, quod nobis fuit, & erit, in proſpectu illius præſtò eſt*; & infra. *In Deo nec præterita, nec futura reperiri queunt, ſed cuncta mutabilia immutabiliter durant, & quæ in ſe ipſis ſimul exiſtere non poſſunt, illi ſimul omnia aſſiſtunt*.

55 Dices. Patres eſſe intelligendos de prę́ſentia obiectiua. Contra. Si eſſet ſola prę́ſentia obiectiua, haberent realiter res differentias prę́teriti, & futuri reſpectu Dei, quod Patres negant. Secundò. Quia excluditur prę́teritum, & futurum ex eo, quod æternitas omnia ſimul complectitur, & nihil ipſi de nouo aduenit, aut recedit. Tertiò. Quia reſpectu æternitatis excluditur illa ſucceſſio, quam res habent inter ſe comparatę.

56 Probatur. Indiuiſibile, quod habet latitudinem virtualem, poteſt ſimul habere prę́ſentiam reſpectu diuiſibilis ea ſimultate, quæ opponitur non ſimultati diuiſibilis, ergo Deus ratione ęternitatis eſt ſimul prę́ſens omnibus rebus in qualibet differentia temporis. Antecedens probatur. Quia indiuiſibile, quod habet talem latitudinem, poteſt complecti diuiſibile vt tale eſt. Sic anima rationalis eſt ſimul prę́ſens omnibus partibus corporis ſimultate locali, quia ſecundum ſe eſt tota ſimul in loco, ita vt ſecundum locum non habeat prius, & poſterius, &

tamen

Digitized by Google

tamen attingit præſentialiter partes corporis, quæ non ſunt ſimul ſecundum locum. Conſequentia probatur. Quia æternitas Dei eſt indiuiſibilis, & tota ſimul, & correſpondet tempori.

57 Dices, Partes corporis ſimul exiſtere, & ideo animam poſſe ſimul coexiſtere; res verò, quæ durant in tempore, non ſimul exiſtere, & ideo æternitatem non poſſe ſimul omnia attingere præſentialiter. Contra. Partes corporis licet omnes ſimul exiſtant, non tamen omnes ſunt ſimul ſecundum locum; & tamen, quia anima eſt indiuiſibilis, & tota ſimul in ordine ad locum, poteſt ſimul præſentialiter omnes attingere, ergo quia æternitas eſt tota ſimul, & habet ſimul totam ſuam latitudinem virtualem in ordine ad tempus, poterit ſimul attingere omnes differentias temporis, licet ſimul non exiſtant.

58 Confirmatur. Deus non habet prius, & poſterius ratione æternitatis, ſeu præteritum, & futurum, ergo attingit ſimul præſentialiter præteritum, & futurum. Antecedens eſt certum, alioquin finito modo ſe haberet, quia excederetur à duratione extrinſeca, ſeu tēpore, habere enim præteritum, & futurum eſt eſſe in tempore, & veluti ſucceſſiuè ipſi applicari. Conſequentia probatur. Si non attingeret ſimul præteritum, & futurum, dum eſſet in tempore præſenti reſpiceret præteritum vt præteritum, & futurum vt futurum; vnde coexiſtētia ad futurum nondū eſſet, & ad præteritum eſſet iam tranſacta, hoc autem eſt habere præteritum, & futurum, vt contingit in Æuo Angelorum.

59 Confirmatur ſecundò. Aeternitas in ſua formali ratione præſentialitatis infinito modo ſe habet, ergo eſt ſimul præſens rebus omnibus præteritis, & futuris. Conſequentia probatur. Quia tunc augetur præſentia, quando plus, & plus temporis attingitur, ergo cum infinitas ęternitatis ſuperexcedat omnem quātitatē temporis, debet ſimul attingere omnes differentias ipſius. Rurſus. Si non attingeret ſimul omnes differentias temporis, finito modo ſe haberet, quia determinaretur ad certam partem ipſius, & quia quantitas virtualis æternitatis non adæquaret ſimul quantitatem formalem temporis, & excederetur à toto tempore ſimul ſumpto.

60 Dico ſecundò. *Hanc præſentiam inter æternitatem, & res non eſſe adæquatam reſpectu æternitatis, ita vt quælibet res attingatur quidem à tota æternitate, non tamen totaliter ſumpta.* Probatur. Aeternitas reſpicit omne tempus, pro vt dicit prius, & poſterius, ergo non poteſt correſpondere totaliter vni tantum parti, alioquin non correſponderet alijs.

61 Ad primum negatur antecedens. Nam Patres tradunt quidem præſentiam rerum obiectiuam in æternitate, ſed inſuper etiam realem tanquam fundamentum obiectiuæ, vt patet ex dictis. Ad ſecundum Coexiſtere ſupponere exiſtere, vt autem res ab æterno coexiſtant æternitati, non eſt neceſſe, quod ab æterno exiſtant, ſed ſufficit, ſi æternitas ab æterno ſe extendat per ſuam virtualem latitudinem ad illam differentiam temporis, in qua res exiſtunt. Quia fundamentum huius perennis coexiſtentiæ eſt tantum ex parte æternitatis, tunc autem deberent exiſtere ab æterno, ſi fundamentum ſe teneret ex parte ipſarum. Ad Tertium negatur ſequela. Tunc enim ſolum coexiſtunt inter ſe, quæ coexiſtunt vni tertio, quando illi coexiſtunt adæquatè, & totaliter, ſic pes non coexiſtit localiter capiti, licet ſimul coexiſtant localiter reſpectu animæ. Neque ſequitur quod verificentur contradictoria de eodem, quia, licet ſint ſimul reſpectu æternitatis, non tamen ſunt ſimul reſpectu temporis, & ideo non ſe habent contradictorio modo, neque etiam reſpectu æternitatis, quia non adæquant totam virtualem latitudinem ipſius. Ad Quartum. Deum ab ęterno producere, ſed in tali, & tali circumſtantia temporis, nam Ly *Ab æterno*, determinat ſolum connexionem æternitatis ſecundum præſentiam cum productione, non autem exiſtentiam rei productæ, quia hæc determinatur per ſuam circumſtantiam temporis. Sic anima in pede videt in oculo, quatenus ſe extendit ad ipſum per ſuam latitudinem virtualem: ſic Deus ab æterno per ſuam æternitatem extenditur, vt producat in tali circumſtantia temporis. Ad Quintum. Præſens, & futurum ſe inuicem deſtruere, quando cadunt ſupra idem reſpectu eiuſdem, non autem reſpectu diuerſorum; res autem reſpectu æternitatis ſunt tantum præſentes, ſolū autem ſunt futuræ reſpectu temporis, & comparatę ad alias res, quæ ipſas præcedunt, atque adeo prout ingrediuntur rerum ſucceſſionem.

62 Ex his colligitur. Quando res comparantur ad pręſentiam æternitatis, non debere ſumi cum omni differentia temporis, quia ſic ſequeretur, quod in quocumque tempore exiſterent, ſed debent ſumi cum illa tantum differentia temporis, in qua exiſtunt. Hinc cum dicitur ante quam res ſit, eſt præſens æternitati, poteſt propoſitio eſſe vera, & falſa. Vera quidem, ſi Ly *Antequam* referatur ad tempus, quod ipſam præcedit, & neget exiſtentiam rei in tempore antecedenti; Falſa autem, ſi abſolutè neget exiſtentiam, quia ſine exiſtentia non poteſt haberi præſentia.

63 Colligitur ſecundò. Has particulas Nunc, Semper, & huiuſmodi, quando adhibentur ad determinandam rerum præſentiam in æternitate, cum veritate adhiberi, ſi cadant ſupra coniunctionem pręſentialem æternitatis cum re, quę in tempore exiſtit, ita vt ſenſus ſit nunc exerceri hanc coniunctionem. Si autem cadant ſupra rem exiſtentem, & ſupra omnem circumſtantiam temporis, ita vt illa coniungat cum omni circumſtantia temporis, non poſſunt adhiberi. Hinc etiam hęc propoſitio. Futura ſunt ſimul in ęternitate, vera eſt, Si Ly. *Simul*, ſe teneat ex parte ęternitatis; falſa vero, ſi ſe teneat ex parte futurorum, quia futura non ſunt ſimul inter ſe, ſed ſucceſſiuè.

DE INTELLECTV, ET & Sapientia Diuina.

DE INTELLECTV DEI.

DISPVTATIO XIX.

Quomodo demonſtretur Deo conuenire intellectionem.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt ex dictis in ſuperioribus, Deum eſſe intellectualem, & habere ſcientiam, & hoc demonſtrari poſſe: Tum quia, cum Deus infinitus ſit, debet habere omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, atque adeo cognitionem. Tum quia, cum ſit cauſa prima, debet habere nobiliſſimum modum operandi, atque adeo intellectum, & voluntatem. Vndè ſolum difficultas eſt, An ex immaterialitate demōſtrari poſſit, Deum eſſe intellectualē.

2 Dicendum eſt. *Ex immaterialitate probari Dei intellectione*. Ita D. Thomas *in 1. diſt. 35. q. 1. art. 1.* & *1. p. q. 14. art. 1.* Vbi etiam Caietanus, Bannes, Cumel, Molina, & Faſolus, Suarez in Metaph. *diſput. 30. ſec. 14.* Ruiz *diſput. 1. de ſcientia Dei ſec. 3.* Contra Ochanum *in 1. diſt. 35. q. 1.* & Gabrielē *q. 1. art. 1.* Prob. In cognitione fit quædā cōmunicatio inter obiectum, & cognoſcens, per quam cognoſcens ſuſcipit in ſe ipſo obiectum, vt quid concernens ad propriam perfectionem, ergo intelligens debet eſſe immaterialis. Cōſeq. prob. Hæc cōmunicatio nō poteſt fieri ſecūdū eſſe reale obiecti, quia habet propriā mēſurā, per quā ſeparatur a cōmunicatione cū quacūq; alia re, ſed debet fieri per aliquam formam, quæ ſit talis communicatio, & dicat eſſe obiecti ſeparatum ab ijs omnibus, quæ impe-

Digitized by Google

impediunt talem communicationem, quod fieri non poteſt, niſi abſtrahat à conditionibus materialibus. ergo intelligens debet abſtrahere à materia, alioquin non eſſet aptum ad has formas ſuſcipiendas, & ad communicandum cum ipſis.

3 Dices. Ex hoc tantum ſequi, non poſſe dari naturam intelligentem, quę non ſit immaterialis, non autem quod omne immateriale ſit intelligens. Contra. Ex eo, quod aliquid eſt immateriale fit aptũ, vt communicet cum obiectis intelligibilibus in eſſe intelligibili. ergo omne immateriale erit intelligens, quia habet quidquid conuenit ratione immaterialitatis. Secundò. Quia quod eſt infimum in gradu immateriali eſt intellectiuum, vt patet in anima rationali. ergo multò magis quod eſt ſuperius. Tertiò. Omne materiale non eſt intellectiuum, imo implicat eſſe. ergo, omne immateriale erit intellectiuum, Quia ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio quoque, eſt cauſa negationis.

4 Obijcies ſenſitiua non abſtrahunt à materia, & tamen ſunt cognoſcitiua. ergo, Reſpondetur. Quod ſicuti cognitio ſenſitiua fit per formam intentionalem, quę abſtrahit aliquo pacto à materia, ita etiam anima ſenſitiua abſtrahit aliquo pacto proportionaliter.

5 Obijcies Secundò. Immateriale ſecundum eſſe poſitiuum non diſtinguitur ab intellectiuo. ergo non poteſt eſſe cauſa illius. Reſpondetur diſtingui ſecundum conceptum inadęquatum; & ideo poſſe eſſe cauſam virtualem; immateriale enim dicit id, quod pertinet ad eſſe: intellectiuum verò, quod pertinet ad operationem.

6 Obijcies Tertiò. Dantur accidentia ſpiritualia, quæ non ſunt cognoſcitiua. ergo. Reſpondetur nego conſequentiam. Quia, quando dicitur, omne immateriale eſſe cognoſcitiuum, debet intelligi de immateriali ſubſiſtenti; & quod eſt prima radix operandi, accidentia enim quia ſunt entis ens, non ſunt ſpiritualia ex ſe primò, ſed cum ordine ad ſubſtantiam ſpiritualem, quia videlicet illam perficiunt intra proprium genus.

7 Obijcies Quartò. Species recipiuntur in medio diaphano, quod tamẽ non abſtrahit à materia ergo. Reſpondetur. Recipi in ipſo mortuo modo, ita vt ratione talis receptionis non ponatur communicatio cum eſſe obiecti; in potentia autem cognoſcitiua recipiuntur in ordine ad effectum vitalem, & ad ponendam communicationem inter cognoſcens, & obiectum.

8 Ex dictis colligitur quomodo hæc ratio locum habeat in Deo, videlicet proportionaliter, quia ſicuti eſt intelligens per eſſentiam, ita etiam habet per eſſentiam formas obiectorum, quę ſubſiſtunt in eſſe diuino vt rationes repræſentantes, vndè etiam debet eſſe immaterialis per eſſentiam.

Quomodo Deo conueniat intellectus.

SECTIO II.

9 SVpponendum tanquam certum. Deo non conuenire intellectum per modum actus primi, qui ſit propriè realis potentia intellectiua. Et, ſi loquamur de potentia intellectiua realiter productiua, & diſtincta ab actu, hoc eſt certum de fide, vt patet ex dictis de diuina actualitate, & ſimplicitate; ſi verò loquamur de potentia ex natura rei formaliter diſtincta, conſtat ex dictis de diuinis attributis, non poſſe tali pacto Deo conuenire; vndè ſolum difficultas ſupereſt; An ſecundum noſtrum modum concipiendi diſtinguendus ſit intellectus per modum actus primi, & actus ſecundi.

10 Prima ſententia aſſerit, intellectum in Deo ſe hebere per modum actus primi, Intelligere verò per modum actus ſecundi. Ita Henricus 1.*p.* *art.*36. *q.*2. Scotus *in* 1. *diſt.*2. *q.*7. §. *Obijcitur.* Durandus *diſt.*35. *num.*8. Molina 1.*p.q.*27.*art.*5. *diſp.*2. Vaſquez *diſp.*102.*c.*4. Ruiz *diſp.*3. *de ſcientia Dei ſect.*4. Smiſing. *tract.*3. *de Deo vno diſp.* 2. *quæſt.* 1. *numer.*13. & ferè communiter recentiores.

Probant. Quia vbi eſt actus ſecundus, eſt etiam actus primus. Secundò. Quia intellectus eſt potentia generatiua Verbi, quæ ſe habet per modum actus primi. Tertiò. In Deo non eſt impotentia ad intelligendum. ergo potentia. Quartò. Potuit Deus cognoſcere, & nõ cognoſcere cõtingẽtia, hoc autẽ eſt habere intellectũ per modũ actus primi.

11 Secunda ſententia aſſerit, Deo conuenire intellectum per modũ cuiuſdam radicalis intelligere, quod nihil aliud eſt, quam aliquod prædicatum, quod ſit principium virtuale intellectionis. Ita Faſolus 1.*par.q.*14. *art.*1. *dub.*6. & alij Recentiores.

Probant. Quia hoc principium radicale nil alium dicit, quam eſſentiam diuinam eſſe ſubſtantiam intellectualem fundantem intellectionem. Secundò. Quia ſubſtantia intellectualis vt contradiſtinguitur ab intellectione, dicit perfectionem in genere intellectuali. Tertiò. Quia eſſentia, cum ſit radix attributorum, eſt ipſum radicale intelligere. Quartò. Quia Iuſtinus *q.*3. *Ad gentes* probat, quod voluntas diſtinguitur ab ipſo velle; eadem autem eſt ratio de intellectu.

12 Dico primo. *In Deo non eſſe intellectum per modum actus primi*. Probatur. Intellectus per modum actus primi importat aliquid repugnans Deo ergo. Antecedens probatur. Tum quia, vt ſaluetur ratio actus primi, debet dicere ordinem ad intelligere tanquam ad actum ſecundum, quo perficiatur in ratione intellectiui, atque adeo debet dicere potentialitatem; Tum quia debet dicere rationem principij, & vim productiuam, nam ſine ipſa non ſaluatur ratio actus primi. Vndè debet reſpicere actum ſecundum vt producibilem. Tum quia omnis actus primus eſt potentialiter actus ſecundus ſecundum ſtatum ſuę potentialitatis, quia eſt virtus, quæ potentiali modo eſt actus ſecundus, vndè ſupponit quod actus ſecundus habeat ſtatum potentialitatis.

13 Dico. Secundò. *Neque Deo conuenire intellectum per modum radicalis intelligere.* Probatur. Totum, quod eſt in creaturis potentiali modo, in Deo tranſit in rationem actus puriſſimi. ergo cum intellectualitas, quam dicit natura ſubſtantialis, ſit quid potentiale, debet tranſire in actum puriſſimum. ergo non poteſt dari in Deo hoc intelligere radicale, quia non eſt aliud, quàm intellectualitas potentialis, per quam natura redditur capax ipſius intelligere tanquam actus perfectiui. Confirmatur. Radicale intelligere eſt in ordine ad vlteriorem perfectionem in eodem genere. ergo ſe habet potentialiter.

Secundò confirmatur. Vel ſubſtantia potens intelligere dicit ſolam rationem ſubſtantię. Vel aliquid etiam in ratione intellectualitatis. Si primum; ergo non concipitur ipſum intelligere radicale, quia radicale intelligere dicit aliquid in ratione intellectualitatis. Si ſecundum; ergo; cum non concipiatur ipſum intelligere, & tamen concipiatur aliquid intra rationem intellectualitatis, concipietur aliquid potentiale ordinatum ad ipſum intelligere.

14 Dico Tertiò. *Deo non conuenire intellectum ſecundum propriam rationem intellectus præciſis quibuſcumque imperfectionibus.* Probatur. Præciſis omnibus imperfectionibus, non remanet propria ratio intellectus. ergo. Antecedens probatur. Intellectus ſecundũ propriam rationem contradiſtinguitur ab intelligere, & comparatur ad ipſum eſſentialiter vt principium illius; in hac autem ratione principij inuoluitur imperfectio, quia eſt ratio principij reſpectu actus immanentis, atque adeo potentialiter ſe habet reſpectu illius.

15 Reſpondet Ruiz. Intellectum, pro vt ponitur in Deo, non dicere rationem potentiæ, neque rationem principij, ſed tantum poſſibilitatem intelligendi, quæ non dicit aliquam imperfectionem. Contra. Vel dicit poſſibilitatem ſecundum formalem rationem poſſibilitatis; vel non. Si primum, ergo dicit potentialitatem, quia eſt in ordine ad vlteriorem actum. Si ſecundum, ergo dicit tantum actualiſſimum intelligere, non autem intellectum contradiſtinctum ab intelligere.

16 Dices

Digitized by Google

16 Dices ſecundò. Hanc poſſibilitatem eſſe tantum non implicantiam. Contra. Omnis implicantia habet ſuum poſitiuum, in quo fundetur. Vel ergo hoc poſitiuum eſt aliquid contradiſtinctum ab intelligere. Vel non. Si primum; ergo ſe habet ad ipſum vt quid potentiale, Si ſecundum; ergo ratione huius implicantiæ habetur tantum intelligere, non autem intellectus.

17 Dico quarto. *Intellectum conuenire Deo per modum actualiſſimæ attingentiæ circa obiectum, ſecluſis imperfectionibus, & cum infinito modo eſſendi*. Probatur. Omnes perfectiones Diuinæ debent ſe habere proportionato modo ad eſſe ipſius. ergo cum eſſe Dei ſit eſſe per eſſentiam, & actualiſſimum intelligere quoque debet eſſe huiuſmodi.

18 Ad primũ primæ ſententiæ. Ibi eſſe actum primum; vbi eſt actus ſecundus, quando actus ſecundus eſt productus. Ad ſecundum non dari in Deo potentiam generatiuam Verbi per modum potentiæ, ſed tantum principium actualiſſimum productiuum. Ad tertium negatur conſequentia. nam Impotentia non ſolum excluditur per potentiam, ſed etiam per actum illi oppoſitum. Ad quartum negatur conſequentia. Quia ex eo, quod Deus poſſit cognoſcere, & non cognoſcere contingentia, non ſequitur, quod intellectus illius ſe habeat per modum actus primi, ſed ſolum quod actuale intelligere potuerit terminari, & non terminari ad contingentia.

19 Ad Primum ſecundæ ſententiæ Radicale intelligere importare eſſentiam Diuinam, pro vt dicit aliquid potentiale in ratione actualitatis, & ideo repugnare in Deo. Ad Secundum. Subſtantiam ſpiritualem vt contradiſtinguitur ab intellectione dicere perfectionem admixta imperfectione, videlicet potentialitate; & ideo non poſſe poni in Deo. Ad Tertium. Eſſentiam non eſſe radicem attributorum, quaſi virtualiter ea contineat, ſed ſolum pro vt continet implicitè. Ad Quartum. Iuſtinum loco citato diſtinguere velle à voluntate, pro vt dicit ſolam perfectionem voluntatis Diuinæ, vt patet ex contextu, & ideo non procedit contra doctrinam traditam.

An Diuino intellectui conueniant aliqua per modum actus primi.

SECTIO III.

20 DIfficultas eſt de habitu, memoria, & ſpecie impreſſa. Supponendum autem primo contra Henricum 1.*par.art.*37.*q.*1. Habitum ſecundum ſuam formalem rationem non poſſe conuenire Deo. Tum quia ex ſua formali ratione, eſt ratio facilitans potentiam, aut tribuens illi poſſe operari, vndè eſt in ſe aliquid potentiale, & etiam ſupponit aliquid potentiale; Tum quia eſt medius inter potentiam, & actum; vndè ſupponit actum aut difficilè elici, aut abſolutè non poſſe elici à potentia.

21 Supponendum Secundò. Neque Deo propriè poſſe conuenire memoriam ſecundum propriam rationem memoriæ, ſumendo memoriam, pro vt dicit recordationem cognitionis præhabitæ, vt deſumitur ex D. Gregorio. 17.*Moralium cap.*2. Atque adeo neque etiam recordationem, aut reminiſcentiam; hæc enim omnia verſantur circa præterita, quatenus talia ſunt; nihil autem reſpectu Dei eſt præteritum, vndè quando memoria, & alia eiuſmodi tribuuntur Deo à ſcriptura, ſumi debent metaphoricè, vt docet idem Gregorius *lib.* 32. *Moralium cap.*6.

22 Supponendum Tertiò. Memoriam, quatenus dicit fæcundationem, ſeu vim productiuam Verbi conuenire Deo per modum actualis productionis, vt docent Patres; hoc enim pacto eſt omnino neceſſaria, propter productionem Verbi, vt latius in materia de Trinitate. difficultas tantum ſupereſt de ſpecie impreſſa.

23 Prima ſententia tribuit Deo ſpeciem impreſſam ſublatis imperfectionibus, quatenus videlicet dicit rationem determinatiuã intellectus. Ita Ferrarienſis. 1.*contra Gentes cap.* 45. & 46. Capreolus *in* 1. *diſt.* 35. *q.*2. *Ad argumenta Aureoli.* Carthuſianus *q.*1. Henricus 1.*par.art.* 40. *q.*1. *ad ſecundum*. Caiet. 1.*par. q.*14.*art.*2. Molina, & Banes *ibidem*. Faſolus *dubitatione* 1. Ruiz *diſp.*4. *de ſcientia Dei ſect.* 2. & deſumitur ex Diuo Thoma 1.*par. q.*14.*art.*2. & 4.

Probant quia ſpecies, vt dicit determinationem intellectus, nullam importat imperfectionem, & eſt neceſſaria ad intellectionem. Secundò. Scientia conuenit Deo, vt eſt formalis repręſentatio obiecti. ergo etiam ſpecies, vt eſt determinatio in ordine ad repræſentationem.

Secũda ſentẽtia negat. Ita Aureol. *in* 1. *diſt.* 35. *p.*2. *art.*2.

24 Dico primo *Rationem ſpeciei impreſſę non poſſe ſaluari in Deo*. Probatur. Species impreſſa ſecundum ſuam formalem rationem eſt determinatio potentiæ, & complementum ipſius. ergo ex intrinſeca ſua ratione ſupponit aliquid potentiale, & determinabile.

25 Dices In Deo importare ſolam determinationem abſque eo, quod ſupponat determinabile. Contra. vel hæc determinatio importat rationem complementi; vel non. Si primum; ergo ſupponit aliquid, quod compleatur. Si ſecundum. ergo non eſt formalis ratio ſpeciei impreſſę, quia hæc formaliter eſt quoddam complementum. Secundò. Vel intellectus eſt de ſe determinatus, vel requirit determinationem ab obiecto. Si primum; ergo determinatio eſt in ratione intellectus, non autem in ratione ſpeciei. Si ſecundum. ergo de ſe eſt fæcundabilis ab obiecto, atque adeo potentialis.

26 Confirmatur. Species impreſſa continet expreſſam virtuali modo. ergo ſupponit ſpeciem expreſſam, quæ poſſit virtuali modo ſe habere. ergo quando non poteſt potentiali modo ſe habere, nec etiam poteſt dari impreſſa; In Deo autem ſpecies expreſſa, ſeu Verbum non poteſt potentiali modo ſe habere.

27 Dico ſecundò. *Loco ſpeciei impreſſę dari in Deo fæcunditatem per modum actualis exercitų.* Probatur Verbum in diuinis correſpondet ſpeciei expreſſæ. ergo debet dari etiam aliquid, quod correſpondeat ſpeciei impreſſæ, quod actualiſſimo modo ſe habeat; hoc autem non eſt aliud, quàm fæcunditas.

28 Ad primum negatur antecedens. Nam ſpecies impreſſa, vt dicit determinationem, importat potentialitatem; & ideo repugnat Deo. Ad ſecundum negatur conſequentia. Nam in actuali repræſentatione non inuoluitur aliqua imperfectio, ſicuti inuoluitur in ſpecie impreſſa; & ideo hæc non poteſt poni in Deo, ſicut ponitur illa.

DE SCIENTIA DEI

DISP. XX.

Quanta, & qualis ſit ſcientia Dei.

SECTIO I.

1 DIco primo. *Scientiam Dei eſſe infinitam*. Eſt de fide Ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius*. Ad Coloſſenſes 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ abſconditi.* Probatur. Tum quia cognitio ſequitur immaterialitatẽ. ergo vbi ſumma immaterialitas, ibi ſumma cognitio. Tũ quia eſt ſcientia per eſſentiam atque adeo ſecundum quidditatiuam rationem ſcientiæ infinito modo ſe habet.

2 Dico ſecundò. *Scientia Dei non ſe habet per modum actus primi, etiamſi ſumatur cum omni complemento.* Probatur. Quia ſemper actus primus dicit ordinem ad actum ſecundum; hoc autem obſtat infinitati. Tum quia non eſſet actus puriſſimus.

Digitized by Google

3 Dico Tertiò. *Scientiam Dei ita eſſe veriſſimam, vt ſit ipſa veritas, non quidem menſurata, ſed menſurans, ita vt per conformitatem ad ipſam res omnes ſint veræ.* Eſt de fide, & fundatur in ſcriptura, & communi conſenſu Patrum, præſertim Auguſtini 15. *de Trinitate cap.* 14. Fulgentio 1. *de veritate predeſtin.* Probatur. Quia, cum ſit infinita, perfectiſſimo modo ſe habet; vnde habet perfectiſſimam veritatem. Tum quia, cum ſit actus puriſſimus, dicit omnem rationem actus; ſi autem poſſet eſſe falſa, poſſet carere aliqua actualitate, illa videlicet, quę opponitur falſitati.

4 Dico Quartò. *Scientiam Dei eſſe omnino inuariabilem.* Sequitur ex dictis de immutabilitate. Probatur. Si eſſet variabilis, aut eſſet quia de actu poſſet tranſire ad non actum; & tunc eſſet defectibilis. Aut quia de non actu poſset tranſire ad actum; & tunc non eſset infinita. Aut quia de vno actu poſset ad alium tranſire, & tunc eſſet defectibilis, quia poſset aliquis actus in ipſa deficere, nec eſset actus purus, quia poſset habere alium actum.

5 Obijcies. Obiecta variantur, ergo etiam ſcientia, vt ſit conformis obiectis. Reſpondetur nego conſequentiam. Quia cum ſcientia Dei ſit infinita ſimul attingens omnem variationem obiectorum, quæ in quocumque tempore fit, ideo abſque ſui variatione manifeſtat ſtatum, quem habet obiectum in quocumque tempore, ita vt ſemper repreſentet quamlibet conditionem illius.

6 Dico Quintò. *Scientiam Dei ſimul attingere omnia attingibilia ſecundum omnes rationes, quæ in qualibet differentia temporis ſunt attingibiles.* Ita Clemens Alexandrinus *lib.6. ſtromatum. cap.* 5. Auguſtinus 11. *de Ciuitate c.*10. Cyrillus Hieroſolimitanus, *catecheſi 6.* Ireneus. *lib.2.cap.*47. & communiter Patres. Probatur. Scientia Dei eſt infinita, ergo cognoſcit omnia ſimul, quia ſi non cognoſceret, deeſset ipſi aliqua ratio repræſentationis. Confirmatur. Deus eſt cauſa prima, ergo cognoſcit omnia cognoſcibilia ſecundum omnes ſuas rationes. Tum quia debet cognoſcere ſe ipſum, & ſuam virtutem, vt cognoſcat, quid poſſit operari; eſt enim agens per intellectum. Tum quia omne attingibile ſecundum omnem rationem eſt dependens ab ipſo.

7 Dico 6. *Scientia Dei eſt certiſſima, & euidentiſſima.* Probatur Quia cum ſit infinita, debet in ſua quidditate inuoluere omnem perfectionem ſcientię.

Quomodo Diuina ſcientia ſe habeat in ſe ipſa.

SECTIO II.

8 Dico Primò. *Scientiam Dei eſſe ſimpliciſſimam, ita vt excludat à ſe omnē pluralitatē actuum.* Ita D. Thomas 1. *par. q.14. art.7.* & communiter, & deſumitur ex Damaſcena 1. *de Fidei cap.*19. Probatur. Debet in Deo dari vna cognitio infinita in quidditate cognitionis, ergo cognitio Diuina non poteſt habere plures actus. Antecedens probatur. Quia Deus perfectè cognoſcit ſe ipſum, alioquin non daretur cognitio adæquans ſummum cognoſcibile, ergo cum Deus ſit ſummum ens, & infinitum, cognitio quoque ipſum adæquans debet eſſe ſumma, & infinita. Conſequentia probatur. Quia cognitio infinita dicit omnem rationem cognitionis, ergo non poteſt dari alius actus, quia repręſentatio huius actus iam contineretur in cognitione infinita.

9 Dico Secundò. *Neque in ſcientia diuina poſſe diſtingui plures actus, ſecundum noſtros conceptus, qui dicant diuerſam rationem, aut modum formalem cognitionis, ſed ſolum plures actus veluti materiales ratione diuerſorum obiectorum.* Secunda pars patet, quia cum Deus omnia cognoſcat, poſſumus diſtinguere actū, quo vnum, & actum, quo alium cognoſcit. Probatur. Cognitio Dei eſt comprehenſiua, ergo non poſſunt diſtinctione formali diſtingui in ipſa plures actus in ordine ad idem obiectum. Antecedens patet. quia debet reperiri cognitio, quæ ſit tanta, quanta eſt cognoſcibilitas obiecti, & hæc coadæquatio debet conuenire diuinæ, cum ſit ſumma omnium cognitio. Conſequentia probatur. Quia, ſi diſtinguerentur diuerſę rationes cognitionis, aut modi attingendi, tunc nullus actus diceret omnem rationem attingentiæ, vndè nullus comprehenſiuo modo ſe haberet, quia de ratione comprehenſionis eſt, vt attingat obiectum ſecundum omnem attingentiam, quam poteſt terminare.

10 Dico Tertiò. *Cognitionem, qua Deus cognoſcit creaturas, non poſſe ita præſcindi ab ea, qua cognoſcit ſe ipſum, quin ſemper aliquo modo concipiatur.* Probatur. Cognitio, qua Deus cognoſcit ſe ipſum, eſt infinita, ergo non poteſt concipi aliqua cognitio ita terminari ad creaturas, quin ſimul terminetur ad Deum. Conſequentia probatur. Cognitio, quæ terminatur ad creaturas, eſt aliqua ratio de infinita cognitione diuina, ergo eo ipſo, quod terminatur ad creaturas, terminatur etiam ad Deū, quia omnis ratio cognitionis, quæ eſt in illa infinita cognitione, terminatur ad eſſe diuinum.

11 Dices. Licet eadem ratio cognitionis terminetur ad eſſe diuinum, & creatum, poſſe tamen concipi vt ſolum terminatur ad creatum. Contra. Vt concipiatur cognitio, non ſufficit, vt concipiatur ſolus terminus, ſed etiam debet concipi ratio manifeſtatiua. Hæc autem in cognitione diuina non poteſt concipi, niſi concipiatur terminari ad eſſe diuinum, quia ex ſua formali ratione facit attingi id, quod manifeſtat, omnis autem ratio manifeſtationis in cognitione diuina manifeſtat eſſe diuinum.

Confirmatur. Creaturæ ſunt obiecta ſecundaria, ergo cognitio ipſarum non poteſt præſcindi à cognitione, qua Deus cognoſcit ſe ipſum. Conſequentia probatur. nam de ratione obiecti ſecundarij eſt, vt non attingatur per ſe primo, ſed ex eo quod alius attingitur.

12 Obijcies. Cognitio diuina, quę terminatur ad Deum, eſt prior prioritate in quo cognitione, quæ terminatur ad creaturas, ergo poteſt vna concipi ſine alia. Reſpondetur nego conſequentiam, nam hæc prioritas non habet fundamentum in ipſa cognitione, alioquin cognitio, quæ terminatur ad Deum ſecundum ſuam formalem rationem non poſſet terminari ad creaturas, ſed ſolum fundatur in obiecto, quatenus creaturæ ſunt cognoſcibiles dependenter à Deo. Vnde cum dicitur, Ideo Deus cognoſcit creaturas, quia cognoſcit ſe ipſum, cauſalis eſt vera, ſi ſe teneat ex parte obiecti, falſa ſi ex parte cognitionis.

13 Dico Quartò. *Scientiam Dei non ſe habere per modum enunciationis, atque adeo non eſſe compoſitiuam.* Ita D. Thomas 1.*p.q.*14.*art.*14. & communiter. Probatur. de ratione compoſitionis eſt, quod conſurgat ex actibus diſtinctis, & quod per ipſam intellectus tendat ab imperfecto ad perfectum, ergo non poteſt eſſe in Deo. Antecedens probatur. Quando intellectus componit, prius debet apprehendere terminos ſimplices, deinde penetrare eorumdem connexionem, & circa ipſam promere actum cognitionis, quia ſi primo apprehendit connexionem ſimul cum extremis, illę conceptus eſt apprehenſio, non compoſitio, ergo.

14 Dico Quintò. *Neque formalem rationem enunciationis reperiri in ſcientia diuina.* Probatur. Quia enunciatio in ſua formali ratione non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; ſed importat etiam imperfectionem, quia attingit obiectum ſecundum ſpecialem rationem, videlicet ſecundum connexionem predicati cum ſubiecto, aut ſecundum ſeparationem eiuſdem à ſubiecto, ſi ſit diuiſiua, atque adeo non poteſt eſſe comprehenſiua, ergo non poteſt conuenire Deo.

15 Dico Sextò *Rationem formalem ſimplicis apprehenſionis propriè dicta repugnare ſcientiæ diuinæ.* Probatur. Prima attingentia cognitionis diuinæ circa quodlibet obiectum, perfectiſſimo modo ſe habet, & ipſum attingit, quantum eſt attingibile, ergo illi repugnat ratio forma-

Digitized by Google

formalis primæ apprehenſionis. Conſequentia probatur. quia prima apprehenſio in ſua formali ratione imperfecto modo ſe habet, & dicit ordinem ad vlteriorem cognitionem, per quam magis intellectus perficiatur. Confirmatur. Quia apprehenſio excludit iudicium, nec ſinit intellectum quieſcere circa obiecta.

16 Dico Septimò. *Scientiam Dei non eſſe diſcurſiuam.* Ita D. Thomas 1. *p. q.* 14. *art.* 7. & communiter. Probatur. diſcurſus ratione ſui modi tendendi eſt eſſentialiter quidam motus intellectus, quo à cognitione vnius progreditur ad cognitionem alterius, ergo non poteſt conuenire Deo. Conſequentia probatur. Quia hic progreſſus, ſiue fiat in tempore ſucceſſiuè; ſiuè in inſtanti, ſemper dicit cauſalitatem, qua cognitio vnius cauſatur à cognitione alterius.

17 Dico Octauò. *Neque in cognitione diuina reperiri diſcurſum virtualem, qui conſiſtat in vnico actu, dicat tamen formalem rationem diſcurſus eminenter ſe habentem.* Probatur. Quia diſcurſus ſecundum ſuam formalem rationem dicit eſſentialiter progreſſum de vna in aliam cognitionem. Confirmatur. Quia licet hoc totum habeatur per vnicum actum; hic tamen actus eſt talis, vt ex modo attingendi obiectum poſſit reſolui in plures actus ſalua formali ratione diſcurſus, quod dicit imperfectionem, Confirmatur Secundò. Quia modus attingendi obiectum diſcurſiuè, non eſt comprehenſiuus ex eo, quod habet pro obiecto, & motiuo formali ſolam connexionem concluſionis cum præmiſſis, vndè non attingit obiectum quantum attingibile eſt.

18 Obijcies. Deus cognoſcit res omnes in ſua cauſa, ergo diſcurſiuè. Reſpondetur Negando conſequentiam. Quia cognitio cauſæ non eſt ratio, per quam cauſetur cognitio effectus, ſed ſimplici intuitu cognoſcit ſimul cauſam, & effectum, quatenus continetur in ipſa.

19 Dico Nonò. *Cognitionem Dei non eſſe propriè ſcientiam ſecundum ſuam formalem rationem conſideratam.* Eſt contra Durandum. *in* 1. *diſt.* 35. *q.* 4. *num.* 6. Probatur. Quia cognitio Dei non eſt formaliter, nec virtualiter diſcurſiua, vt patet ex dictis, ſcientia autem ſecundum ſuam formalem rationem eſt diſcurſiua, cum ſit eſſentialiter cognitio per cauſam. Secundò. Quando Deus cognoſcit res in cauſa, illa cognitio non eſt aliud, quam comprehenſio cauſæ, ergo non eſt cognitio diſcurſiua, atque adeo nec ſcientifica.

20 Dico Decimò. *Cognitionem Dei non eſſe propriè vniuerſalem, nec particularem*, Ita communiter contra Durandum *in* 1. *diſt.* 35. *q.* 4. & Molinam 1. *p. q.* 14. *art.* 1. Probatur. Scientia non dicitur vniuerſalis, nec particularis, niſi ex obiecto formali, ſeu motiuo, quia ſicuti ex ipſo ſumit vnitatem, & diſtinctionem, ita etiam ſumit denominationem vniuerſalis, vel particularis, ergo ſcientia Dei nec eſt vniuerſalis, nec particularis. Conſequentia probatur. Quia Deus nihil cognoſcit niſi ratione ſuæ eſſentię, eſſentia autem diuina non poteſt eſſe ratio cognoſcendi vniuerſaliter, quia cognoſcere vniuerſaliter eſt cognoſcere plura obiecta, pro vt conueniunt in aliqua ratione communi, ex quo ſequitur potentialitas in cognitione; quia talis cognitio adhuc eſt perfectibilis per attingentiam obiecti in particulari. Nec etiam eſt ratio cognoſcendi particulariter, quia talis ratio ex intrinſeco ſuo eſt determinata ad obiectum particulare.

21 Dico Vndecimò. *Scientiam Dei æquiualere ſupereminenti modo cognitioni vniuerſali, & particulari, non quia vtrumque formaliter contineat, ſed quia habet perfectiones, quæ in vtraque fundantur.* Prima pars probatur. Quia iſti modi cognitionis ſe inuicem excludunt, nam modus attingendi vniuerſaliter conſtituitur per id, quod præciſè attingit obiecta ſecundum quandam communitatem; modus verò attingendi particulariter dicit obiectum attingi ſecundum ſuam præciſam rationem. Secunda pars probatur. Quia Scientia Dei eſt perfectiſſima, vndè includit perfectiones cuiuſcunque cognitionis.

22 Dico Duodecimò. *Scientiam Dei non eſſe reflexiuam ſupra ſe ipſam, nec etiam virtuali modo.* Probatur. Vt ſcientia diuina eſſet reflexiua ſui ipſius, deberet eſſe obiectum ſui ipſius, ſed non poteſt eſſe, ergo. Minor probatur. Quia ſcientia diuina non eſt aliud, quam eſſe diuinum, vndè ſi conſideretur in ratione obiecti non ſe habet amplius vt ſcientia, ſed vt eſſe diuinum. Confirmatur. Eſſe diuinum vt eſt obiectum ſcientiæ diuinæ directè attingentis, dicit omnem rationem entis, atque adeo omnem rationem obiecti, ergo cum per cognitionem directam attingatur omnis ratio obiecti, quæ eſt in eſſe diuino, non remanet alia ratio obiecti pro cognitione, pro vt reflexiuo modo ſe habet.

23 Obijcies. Sequeretur, quod Deus non cognoſceret ſuam cognitionem, quatenus ſe habet per modum cognitionis, quia tali pacto poteſt tantum reflexo modo cognoſci. Reſpondetur negando ſequellam. Quia licet id verum ſit, quando cognitio eſt diſtincta ab obiecto; non autem quando eſt idem, ac obiectum cognitionis directę, quia tunc attingibilitas ipſius ingreditur attingibilitatem obiecti, & eo ipſo, quod obiectum attingitur ſecundum omnem ſuam attingibilitatem, attingitur etiam cognitio per modum cognitionis eadem cognitione, pro vt directo modo ſe habet, vndè Deus cognoſcit ſe cognoſcere, dum directè cognoſcit ſuum eſſe, quia ipſum cognoſcit ſecundum omnem rationem cognoſcibilitatis.

DE PRIMARIO OBIECTO DIVINAE Cognitionis.

DISPVTATIO XXI.

An Deus ſit primarium obiectum.

SECTIO I.

1 SVpponendum tanquam certum de fide. Deum cognoſcere ſe ipſum. Ioannis X. *Sicut nouit me Pater, & ego agnoſco Patrē.* Matthei 11. *Nemo nouit filium niſi Pater, & Patrem quis nouit, niſi filius.* Ratio eſt, quia Deus & eſt ſummum intelligibile, cum ſit ſummum ens, & etiam ſummum cognoſcens; vndè debet ſe ipſum cognoſcere. Difficultas autem ſolum eſt, An ſit primarium obiectum ſuæ cognitionis, & An adæquatum.

2 Dicendum primò. *Deum eſſe primarium obiectum ſuæ cognitionis.* Ita D. Thomas 1. *contra Gentes cap.* 48. & communiter præſertim Recentiores, & deſumitur concluſio ex D. Dionyſio *cap.* 7. *de diuinis nominibus.* Probatur. Scientia diuina eſt infinita ſecundum omnē rationem, ergo etiam ſecundum terminationem primariam, ergo obiectum primarium debet eſſe infinitum, atque adeo eſſe diuinum. Conſequentia probatur. Quia licet terminatio ſcientiæ diuinæ non ſit realis, quia non diſtinguitur realiter ab obiecto, adeſt tamen realis correſpondentia in ratione repræſentabilis, & repræſentatiui, ita vt tanta ſit repræſentatio, quantum eſt eſſe repræſentabile, ergo cum repræſentatio ſecundum primarium modum repræſentationis infinito modo ſe habeat, etiam obiectum primarium debet eſſe infinitum.

3 Dices. Ex hoc ſequi, quod ſcientia diuina per ſe primò terminetur ad eſſe diuinum; non autem quod eſſe diuinum ſit illud ratione cuius alia cognoſcantur. Contra. Si non eſſet illud, ratione cuius alia omnia cognoſcuntur, per ſe primò terminaretur ad aliquid aliud, ſed nō poteſt terminari, alioquin haberet maiorem terminationem, & repræſentationē, quàm ſit repræſentabilitas eſſe diuini, quod implicat; quia repræſentabilitas eſſe diuini eſt infinita, & dicit omnem rationem repræſentabilitatis.

Digitized by Google

4 Confirmatur. Eſſentia diuina habet omnem rationem repræſentabilitatis, eſſe etiam illius, quæ eſt in creaturis, ergo ſola poteſt eſſe obiectum primarium diuinæ cognitionis. Antecedens probatur. Quia repræſentabilitas ſequitur eſſe; vndè, cum diuina eſſentia dicat omnem rationem entis, & omnes perfectiones creaturarum, dicet etiam omnem rationem repræſentabilitatis. Conſequentia probatur. Vt aliquid, præter diuinum eſſe, eſſet obiectum primarium, deberet habere aliquam repræſentabilitatem ſibi propriam, per quam terminaret per ſe primò diuinam cognitionem, & quæ non eſſet in eſſentia diuina, alioquin cognitio terminaretur ad ipſa ex vi eſſentiæ.

5 Dicendum Secundò. *Eſſe diuinum eſſe obiectum adæquatum diuinę cognitionis*. Ita Capreolus *in 1. diſt.* 35. *q.* 2. *art.* 1. Baſſolis *q. vnica art.* 2. Mayoronus *diſt.* 36. *q.* 3. *concl.* 1. Marſilius *in* 1. *q.* 38. *art.* 2. Faſolus 1. *par. q.* 14. *art.* 2. *dub.* 2. Contra Ochanum *in* 1. *diſt.* 35. *q.* 5. Gabrielem *art.* 2. qui volunt obiectum adęquatum eſſe ens rationis commune vniuocum Deo, & creaturis, & Ruiz *diſp.* 12. *de ſcientia Dei ſect.* 3. qui vult etiam creaturas pertinere ad obiectum adęquatum. Probatur. Illud eſt obiectum adęquatum, quod ita correſpondet cognitioni, vt nihil ſit in ipſa per modum repræſentationis, quod non ſit in obiecto per modum repræſentabilis, & econtra; quia tunc obiectum, & cognitio ſibi inuicem coadęquantur, ergo eſſe diuinum eſt obiectum adæquatum diuinæ cognitionis. Conſequentia probatur. Quia cognitio diuina ratione ſuæ infinitatis dicit omnem rationē repræſentationis, & eſſe diuinum omnem rationem reprę ſentabilitatis, ita vt nihil ſit in cognitione diuina per modum repræſentationis, quod non ſit in eſſe diuino per modum repræſentabilitatis.

6 Dices. Deus intelligit creaturas ſecundum proprium eſſe ipſarum, ergo eſſe diuinum non eſt obiectum adæquatum. Reſpondetur. Creaturas cognoſci quidem à Deo ſecundum proprium eſſe; ſed non ratione propriæ intelligibilitatis; quia cum intelligibilitas diuina ſit infinita, continet etiam imparticipato modo intelligibilitatem creaturæ. Vndè Deus cognoſcit creaturas cognoſcendo ſe ipſum, & ideo eſt obiectum adæquatum; creaturæ verò attinguntur ratione cuiuſdam obiectiuæ extenſionis, qua intelligibilitas, quæ eſt in eſſe Dei extenditur per participationem ad creaturas.

7 Dicendum Tertiò. *Solum eſſe diuinum eſſe obiectum formale diuinæ cognitionis*. Ita Aureolus *in* 1. *diſt.* 35. *q.* 2. Bacconius *q.* 1. *art.* 2. Toletanus *art.* 2. & 3. Capreolus *q.* 2. *art.* 1. Durandus *q.* 1. Ferrarienſis 1. *contra Gentes. c.* 48. Faſolus *ſupracitatus* Ruiz *diſp.* 3. *de ſcientia Dei, ſec.* 3. & alij contra Ochanum, & Gabrielem *ſupracitatos*. Probatur Illud eſt obiectum formale, quod per ſe primò attingitur, & eſt ratio, vt cætera attingantur; huiuſmodi autem eſt eſſe diuinum, ergo. Minor probatur. Nam eſſe diuinum ponit debitam proportionem inter obiectum, & cognitionem, quia ſicuti cognitio eſt infinita in modo attingendi, ita eſſe diuinum eſt infinitum in modo attingibilitatis; quod autem ponit debitam proportionem per ſe primò attingitur, & eſt ratio cur alia attingantur. Confirmatur. Scientia Dei ex ſua formali ratione importat omnem rationem cognitionis, ergo eius formale obiectum debet importare omnem rationem cognoſcibilitatis. Antecedens patet. Quia ex ſua formali ratione eſt cognitio per eſſentiam. Conſequentia probatur. Quia obiectum formale debet tribuere cognitioni id, quod habet in ſua formali ratione. Confirmatur Secundò; obiectum formale determinat cognitionem; cognitio autem diuina non poteſt ab alio obiecto determinari, niſi ab eſſe diuino; Tum quia cum ſit per eſſentiam determinata, debet habere determinationem ab illo obiecto, quod per eſſentiam eſt ipſa ſcientia; Tum quia cum determinatio iſta ſit ſummè neceſſaria, & infinito modo ſe habens, debet etiam obiectum eſſe ſummè neceſſarium, & infinito modo ſe habens.

8 Obijcies. Obiectum formale Intellectus eſt verum, ergo obiectum formale intellectus diuini ſe extendit ſicut ſe extendit ipſum verum. Reſpondetur nego conſequentiam, nam obiectum formale diuini intellectus non eſt quodcunque verum, ſed illud, quod eſt proportionatum diuinæ cognitioni, & quod eſt ratio cognoſcendi; huiuſmodi autem eſt ſolum verum per eſſentiam; non autem participatum, quia ſicuti non eſt à ſe, ita nec etiam reſpectu Dei eſt ratio cognoſcendi.

An omnia, quæ ſunt in Deo pertineant ad obiectum primarium.

SECTIO II.

9 DIfficultas eſt tam de attributis, quam de relationibus diuinarum perſonarum. Quod autem ſpectat ad attributa, cum ſtatutum ſit eſſe de quidditate diuinæ eſſentiæ, & dicant propriam rationem intelligibilitatis, conſequenter fit, vt pertineant ad obiectum primarium; & ideo ſecundum noſtra principia difficultas ſolum reſtat de relationibus.

10 Prima ſententia aſserit, perſonas diuinas, vt tales, pertinere ad obiectum ſecundarium. Ita Henricus 2. *part. artic.* 47. *q.* 4. Scotus. *in* 1. *diſtinc.* 10. *circa finem*, & *in* 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 2. & communiter Scotiſtæ, quos ſequitur Suarez *lib.* 9. *de Deo Trino. cap.* 5. & ij omnes, qui putant Verbum non procedere ex cognitione Perſonarum.

Probant Eſsentia diuina continet virtualiter omnes perfectiones etiam relationes, ergo ſola ſufficienter determinat diuinam cognitionem. Secundò. Quia ſola concurrit loco ſpeciei impreſsę.

11 Secunda ſententia aſserit, pertinere ad obiectum primarium. Ita Ochamus *in* 1. *diſt.* 35. *quæſt.* 3. Caietanus 2. 2. *quæſt.* 2. *artic.* 8. Molina 1. *par. quæſt.* 12. *artic.* 8. *diſput.* 4. Ruiz *diſput.* 5. *de ſcientia Dei ſec.* 5. & alij.

Probant. Quia perſonalitates diuinæ pertinent ad integritatem eſse diuini, & dicunt propriam rationem entis, & veritatis.

12 Notandum primo. Perſonalitates diuinas, vt tales ſunt non dicere propriam rationem entis, nec propriam perfectionem relatiuam, atque adeo nec propriam veritatem, ſed eſse ens, perfectas, & veras entitate, perfectione, & veritate eſsentiæ. Ratio eſt, Quia in diuinis in eodem eſse reali adeſt vnitas, & pluralitas, quia perſonæ, quæ inuicem diſtinguuntur, ſunt vnum vnitate eſsentiæ; quia autem plurificatio fit ratione relationis, ita vt ipſa præciſa non poſſit haberi, ideo in hoc eſse diuino illæ tantum rationes plurificantur, quæ in ſua quidditate dicunt formaliter ordinem, non autem illæ, quæ non ſunt formaliter ordo. Hinc cum ratio entis, perfectionis, & veritatis non ſint formaliter ordo notionalis, non poſsunt relatiuè plurificari.

13 Notandum Secundò. Ex hoc fieri, quod perſonalitates diuinæ non ſint intelligibiles niſi ratione eſsentiæ; quia intelligibilitas ſequitur eſse; quia tamen identificantur cum eſsentia, & illā ſemper dicunt implicitè, ideo non ſunt intelligibiles ratione eſsentiæ tanquam obiecti ipſa contradiſtincti, ſed vt conſtituentes cum ipſa vnum, & idem obiectum.

14 Notandum Tertiò. Obiectum primarium aliud eſse vt *Quod*, & aliud vt *Quo*. Primum eſt illud, quod per ſe primò attingitur. Secundum verò eſt illa ratio, per quam conſtituitur per ſe primò attingibile; hinc totum illud eſt obiectum primarium vt *Quod*, quod afficitur ab obiecto primario vt *Quo*.

15 Dico

15 Dico Primò. *Solam eſſentiam diuinam eſſe primarium obiectum vt Quo; non autem perſonalitates*. Probatur. Illud ſolum eſt obiectum primarium vt *Quo*, quod eſt ratio, vt aliquid per ſe primò attingatur, huiuſmodi autem eſt ſola eſſentia, ergo. Minor probatur. Quia ſola eſſentia eſt eas per eſſentiam, & ſola ratio entis per eſſentiam facit, vt obiectum attingatur ab intellectu diuino per ſe primo; vnde Quia creaturæ non ſunt ens per eſſentiam, non poſſunt per ſe primò attingit. Confirmatur. Obiectum primarium, & formale diuinæ cognitionis debet eſſe actus purus, quia debet eſſe ſummum intelligibile; ergo illud eſt tantum obiectum primarium vt *Quo*, quod eſt actus purus vt *Quo*, ſola autem eſſentia eſt actus purus vt *Quo*.

16 Dico. Secundò. *Obiectum primarium vt Quod importare etiam diuinas perſonalitates, ita vt ſint aliquid veluti ipſum integrans*. Probatur Illud eſt obiectum primarium vt *Quod*, quod afficitur à primario vt *Quo*. Perſonalitates autem diuinæ afficiuntur ab ente per eſſentiam, nam communicant in eſſe cum ipſo, ita vt ens per eſſentiam ſint ratio, per quam ſint quid reale. Confirmatur. Cognitio diuina attingit perſonas diuinas vt tales, ergo afficiuntur ab obiecto primario vt *Quo*. Conſequentia probatur. Quia debent habere cognoſcibilitatem independentem, & imparticipatam, ergo ſtant: ſub illa infinita cognoſcibilitate, quæ fundatur in eſſe diuino, & dicit primarium obiectum vt *Quo*.

17 Ad primum primæ ſententię diſtinguitur cōſequens. diuina eſſentia non determinat diuinam cognitionem, pro vt ſtat in repræſentatione noſtrorum cōceptuum, ſed pro vt eſt à parte rei; vndè non determinat pro vt virtualiter continet perfectiones, & relationes, ſed pro vt dicit formali modo. Ad Secundum. Negatur antecedens. Nam totum eſſe diuinum ſtat loco ſpeciei impreſſæ eo pacto, quo eſſentia diuina dicitur ſtare loco ſpeciei impreſſæ; id autem, ratione cuius ſtat loco ſpeciei impreſſæ, eſt obiectum primarium vt *Quo*. Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ patet ex dictis.

DE MODO, QVO SE HABET SCIENTIA DEI Ad ſuum obiectum.

DISPVTATIO XXII.

An dicat ordinem ad ipſum.

SECTIO I.

1 PRima ſententia aſſerit, ſcientiam Dei dicere reſpectū realem tranſcendentalem ad ſuum obiectū tam primarium, quam ſecundarium. Ita Ruiz *Diſp.* 5. *de ſcientia Dei ſec.* 2. qui etiam citat plures auctores; qui tamen non loquuntur de reſpectu reali, ſed tantum de reſpectu rationis.

Probat. Quia Ariſtoteles *in prædicamentis c.* 3. docet, ſcientiam eſſe aliquid, quia eſt alicuius obiecti ſcientia, & hæc ratio valet etiam in diuina. Secundò. Quia relatio tranſcendentalis in eo tantum conſiſtit, quod vna res non poſſit intelligi, niſi alia intellecta ratione quidditatiuæ connexionis; hoc autem habet locum in diuina ſcientia, quæ non poteſt intelligi ſine obiecto.

2 Secunda ſententia negat, dicere relationem realem. Ita Aureolus *in* 1. *diſt.* 27. *art.* 3. *dub.* 4. Argentinas *diſt.* 35. *q. vnica art.* 1. Ricardus *art.* 1. *q.* 2. Gabriel *diſt.* 27. *q.* 3. Molina. 1. *p. q.* 27. *art.* 1. *diſp.* 7. Suarez *quæſt. de Trinitate cap.* 3. & ferè communiter.

3 Dico. Primo. *Scientiam diuinam non dicere ordinem realem ſiue tranſcendentalem, ſiue prædicamentalem ad primarium obiectum*. Probatur. Cognitio diuina non diſtinguitur realiter à primario obiecto, ergo non poteſt dicere ordinem realem ad ipſum, quia non poteſt eſſe ordo realis, & connexio realis, vbi extrema non ſunt realiter diſtincta.

4 Reſpondet Ruiz. Quod ſicut relatio tranſcendentalis non requirit terminum actu exiſtentem, ita nec requirit realem diſtinctionem ipſius. Contra. Quod non requirat terminum realiter exiſtentem non tollit, quin ſit eſſentialiter ordo, & connexio extremorum, ergo nec quod terminus debeat realiter diſtingui, quia hoc eſt de ratione ordinis. Secundò. Vel terminus eſt id, quod refertur; vel aliquid aliud. Non primum. Tum quia idem referetur ad ſe ipſum; tum quia terminus non ſe haberet in obliquo. Si ſecundum; ergo vt ordo ſit realis, debet eſſe quid realiter diſtinctum.

5 Reſpondet. Secundò. Hoc eſſe proprium intellectionum, & volitionum, vt poſſint realiter referri ad ſe ipſas, quia poſſunt reflectere ſupra ſe ipſas. Contra. Quia reflexio non poteſt eſſe realis formalis, niſi ſint diſtincti actus. Secundò. Quod poſſint reflectere ſupra ſe ipſas, non tollit quidditatem ordinis realis, nec facit, quod alio modo ſe habeat, ergo nec quod ſit connexio realis extremorum. Vbi autem non ſunt extrema realiter diſtincta, non adeſt connexio realis.

6 Dico. Secundò. *Neque ſcientiam Dei dicere ordinem tranſcendentalem realem ad obiectum ſecundarium, videlicet creaturas*. Probatur. Ideo ſcientia creata dicit relationem tranſcendentalem ad obiectum, quia non poteſt ſubſiſtere ſine ipſo in ratione repræſentationis; ſed ſcientia diuina non ſubſiſtit in ſua repræſentatione ratione creaturarum, ergo, maior patet. Quia ordo ſcientiæ eſt repræſentantis ad repræſentatum, vndè non poteſt ſubſiſtere in eſſe repræſentationis, niſi obiectum ſubſiſtat in eſſe repræſentabilis. Minor probatur. Scientia diuina eſt repręſentatio à ſe, & per eſſentiam correſpondens ſecundum omnem ſui rationem eſſe diuino, ita vt ſolum repræſentet creaturas ratione cuiuſdam extenſionis; vndè ſublatis creaturis adhuc remaneret cum tota ſua repræſentatione, ergo.

7 Ad Primum reſpondetur. Ideo Ariſtotelem docere ſcientiam dici relatiuè, quia realiter eſt alicuius obiecti ſcientia; eſſe autem realiter alicuius obiecti ſcientia, eſt commenſurari cum ipſo, & ab eodem ſpecificari, hoc autem non conuenit realiter cognitioni diuinæ reſpectu diuini eſſe, & vllo modo reſpectu creaturarum. Ad Secundum. Scientiam diuinam non poſſe intelligi ſine diuino eſſe non ob relationem, ſed ob identitatem. Se habet autem in obliquo, quia diſtinguimus obiectum, & ſcientiam per conceptus rerum creatarum; Poteſt autem concipi ſcientia diuina abſque creaturis; vt iam diximus.

An Deus cognoſcat ſe ipſum comprehenſiue.

SECTIO II.

8 COmprehenſio aliquando accipitur pro perfecta cognitione in ſuo genere; aliquando pro cognitione poſſeſſiua, qua aliquid cognoſcitur in ordine ad fruitionem, iuxta illud primæ ad Corith. 9. *Sic currite, vt comprehendatis*; propriè autem, & rigoroſè ſumitur pro illa cognitione, quæ adæquat cognoſcibilitatem obiecti. Hinc.

9 Supponendum eſt. Hanc cognitionem debere attingere omnia, quæ ſunt in obiecto ſaltem in identitate, alioquin non clauderet in ſua repræſentatione obiectum ſecundum totum ſuum eſſe; hinc Auguſtinus Epiſt. 112. cap. 8. *Aliud eſt videre, aliud totum videndo comprehēdere, quandoquidē id videtur, quod vt pręſens vtcunq; ſentitur, totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines* circum-

Digitized by Google

circumſpici poſſunt. Et quo fit, quod ſi in aliquo obiecto poſſit cognitione intuitiua videri vna formalitas altera non viſa, illa cognitio non erit comprehenſiua, quia tunc illud quod videbitur, non adæquatè videbitur, quia non videbitur ſecundum illam communicationem, qua cum alio formalitate communicat in eodem eſſe.

10 Dicendum eſt. *Deum comprehendere ſe ipſum.* Eſt de fide. Probatur prima Corinthiorum 2. *Spiritus enim ſcrutatur etiam profunda Dei*. Quod intelligitur de perfecta cognitione comprehenſiua, vt communiter explicant Patres. Secundò. Cognitio diuina eſt infinita, ergo comprehenſiua, quia importat omnem rationem cognitionis, atque adeo tanta eſt, quanta eſt cognoſcibilitas obiecti. Tertiò. Quia modus eſſendi cognitionis diuinæ eſt infinitus; vnde continet obiectam ſecundum propriam menſuram ipſius, videlicet infinito modo.

11 Dicendum. Secundò. *Comprehenſionem Dei ita eſſe propriam ipſius, vt nec de potentia abſoluta poſſit communicari alicui creaturæ*. eſt de fide. Probatur. Ieremia 32. *Incomprehenſibilis cogitatu*. Ad Romanos 11. *Quam incōprehenſibilia ſunt iudicia eius*, ita definitum eſt in Concilio Lateranenſi in Cap. *Firmiter*. De *ſumma Trinitate*. Secundò. quia ſcriptura tribuit cognitionem Dei ſolis diuinis perſonis, quia videlicet intelligunt comprehenſiuè. Matthei 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi Filius*, & ita communiter explicant Patres. Tertiò Quia nulla cognitio creata poteſt eſſe quidditatiuè infinita, atque adeo nec continere eſſe diuinum ſecundum eſſe intentionale infinito modo, quod eſſet neceſſarium ad comprehenſionem.

DE OBIECTO SECVNDARIO Diuinæ Cognitionis.

DISP. XXIII.

Quomodo Deus cognoſcat obiectum ſecundarium.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt contra Auerroem *in Metaphyſica comment.* 51. Deum cognoſcere omnes creaturas extra ſe ipſum etiam infimas, & viles, vt de fide è Geneſis 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat*. Pſal. 137. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit*. Iob. 38. *Ipſe fines Mundi intuetur, & omnia, quæ ſub cælo ſunt reſpicit*. Ad Hebreos 4. *Non eſt vlla creatura inuiſibilis coram eo, omnia enim nuda, & aperta ſunt oculis eius*. Ioannis vlt. *Domine omnia noſti*. Ratio autem eſt, quia cum ſit cauſa vniuerſalis rerum omnium operans per intellectum, debet cognoſcere ſuos effectus ſecundum omnem rationem entis. Et etiam Quia cum habeat cognitionem infinitam, debet attingere omnia cognoſcibilia, alioquin eius cognitio aliquid non repræſentaret. Vndè, cum D. Hieronymus *in cap.* 1. *Abacuc*. Docet, indignum eſſe Dei maieſtate, vt ſciat, quot in omni momento naſcantur culices, non loquitur de omni cognitione, ſed de illa ſpeciali, quæ habet annexam ſpecialem prouidentiam ſupernaturalem, quod colligitur ex contextu, dum ſubdit, quod non debemus eſſe iniurioſi in nos ipſos, tribuētes Deo eamdē prouidentiam circa irrationalia, quam habet de nobis. Difficultas autem eſt. Quomodo Deus cognoſcat creaturas.

2 Prima ſententia aſſerit, quod licet Deus ratione ſuæ eſſentiæ intelligat creaturas, per ſe tamen primò terminatur ad ipſas. Ita Ochamus *in* 1. *diſt.* 35. Gabriel *q.* 3. *art.* 3. Aureolus *q.* 2. Bacconius *q.* 1. *art.* 4. Toletanus *art.* 2. & 3. Ariminenſis *diſt.* 36. *q. vnica.*

Probant Creaturæ ſunt intelligibiles ſecundum proprium eſſe formale; & ſecundum ipſum non ſunt in Deo formali modo, ergo ſecundum proprium eſſe terminant perſe primò cognitionem diuinam. Secundò. Non poſſunt attingi ſecundum proprium eſſe diſtinctum, niſi attingantur in ſe ipſis. ergo

3 Secunda ſententia aſſerit, Deum cognoſcere creaturas in ſe ipſo tanquam in medio cognito, ita vt cognitio non terminetur immediatè ad creaturas, ſed tantum ratione eſſentiæ. Ita D. Thomas 1. *p. q.* 14. *art.* 5. Molina *ibid.* Cumel *diſp.* 1. Faſolus *dubit.* 1. Banes *artic.* 6. Peſantius *ibidem*. Vaſquez *diſp.* 60. *cap.* 3. Alenſis 1. *p. q.* 23. *mem.* 1. & 2. Albertus *in* 1. *diſt.* 35. *art.* 1. Durandus *q.* 1. Argentinas *ibidem*. Capreolus *quæſt.* 2. Ferrarienſis 1. *contra Gentes cap.* 48. Suarez *lib.* 3. *de Deo vno. cap.* 2. Ruiz *de ſcienti a Dei. diſp.* 10. *ſect.* 1. & 2. & alij.

4 Dico 1. *Deum cognoſcere creaturas in ſe ipſo ita vt in proprio eſſe attingat eſſe omnium creaturarum.* Probatur. Creaturæ ſecundum totum ſuum eſſe determinatum continentur in Deo, ergo Deus cognoſcendo proprium eſſe, cognoſcit etiam creaturas. Antecedens patet. Quia eſſe creaturarum ſecundum omnem ſui rationem eſt participatum à Deo. Conſequentia probatur. Quia, quando cognoſcitur aliquid adæquatè, & comprehenſiuè, cognoſcitur etiam quidquid in ipſo ſecundum quamlibet rationem continetur.

5 Dices ratione huius continentiæ non poſſe cognoſci creaturas diſtinctè ſecundum ipſarum determinatas rationes. Contra, tota determinatio, quam habent creaturæ in ſe ipſis, eſt in Deo cauſaliter, cum proueniat ab ipſo effectiuè, ergo ſi cognoſcit creaturas vt contentas in ſe ipſo, cognoſcet etiam omnem ipſarum determinationem. Secundò. Ante, quam Deus aliquid producat, vel cognoſcit diſtinctè ſecundum propriam ipſius rationem; vel non. Si primum; ergo in ſe ipſo cognoſcit, quia in tantum cognoſcit, in quantum poteſt communicare tale eſſe determinatum. Si ſecundum, ergo neque poteſt communicare, quia, cum ſit agens per intellectum, debet præcognoſcere id, quod communicat.

6 Dico. Secundò. *Cognitionem diuinam terminari per ſe primò, & immediatè ad creaturas pro vt exiſtunt in Deo.* Probatur. Creaturæ prout exiſtunt in Deo non ſunt aliquid diſtinctum ab ipſo Deo, ergo eo ipſo formaliter quod cognitio terminatur ad eſſe diuinum, terminatur etiam ad eſſe creaturarum contentum in Deo. Confirmatur. Cognitio, qua Deus cognoſcit ſe ipſum, eſt comprehenſiua, ergo attingit eſſe diuinum ſecundum rationes cauſales creaturarum, atque adeo creaturas vt contentas in Deo.

7 Dico. Tertiò. *Cognitionem Dei, qua cognoſcit creaturas ſecundum proprium eſſe contradiſtinctum ab ipſo Deo, non terminari immediatè ad ipſas creaturas, ſed ad eſſe diuinum tantum.* Probatur. Si cognitio diuina terminaretur immediatè ad creaturas, eſſent creaturæ intra obiectum adequatum immediatum, ſed hoc eſt falſum, ergo. Sequela patet. Quia totum id pertinet ad obiectum imediatum adæquatum, quod ratione ſui immediatè poteſt terminare cognitionem. Minor probatur. Quia ſequeretur, quod Verbum diuinum eſſet Verbum creaturarum, quia Verbum exprimitur de toto obiecto adæquato imediato, cuius tamen oppoſitum docent Patres, præſertim Anſelmus *cap.* 32. *Monologij*; ratio eſt, quia Verbum diuinum fundaretur aliquo pacto in creaturis, ſi eſſet Verbum ipſarum; vndè, cum creaturæ ſint defectibiles, etiam Verbū eſſet defectibile. Confirmatur. Quod cognoſcitur vt ſtat ſub intelligibilitate alterius, non determinat cognitionem per ſe primò immediatè, ergo nec creatura cognitionem diuinam. Antecedens patet. Quia terminat ratione intelligibilitatis, ſub qua ſtat. Conſequentia probatur Creaturæ habent totam ſuam intelligibilitatem ab intelligibilitate diuina, vndè ipſi ſubalternantur vt quid participatum, & dependens, ergo reſpectu intellectus, qui per ſe primò attingit diuinam intelligibilitatem, creata attinguntur vt ſubiecta diuinæ.

Digitized by Google

8 Dico Quartò. *Creaturas attingi à Deo per quamdam extenſionem diuinæ cognitionis, qua ſe extendit ad id, quod participat diuinam cognoſcibilitatem.* Probatur. Ita ſe habet cognitio in attingendo, quando eſt perfecta, ſicut ſe habet obiectum in eſſe attingibili; creaturæ autem, & Deus ita ſe habent, vt illa ſit quædam extenſio diuinæ cognoſcibilitatis.

9 Ad Primum reſpondetur. Creaturas eſſe cognoſcibiles ſecundum proprium eſſe formale ad modum obiecti ſecundarij, & ideo non cognoſci à Deo, niſi quatenus cognoſcit ſe ipſum; quia autem hoc eſſe formale continetur in Deo cauſaliter, ideo cognoſcuntur ſecundum proprium eſſe formale. Ad Secundum negatur ſequela. Nam vt creaturæ attingantur ſecundum proprium eſſe diſtinctum, quod habent in ſe ipſis, ſufficit, quod cognitio diuina ratione obiecti primarij, ſe extendat etiam ad ſecundarium.

10 Obijcies. Eſſe diuinum infinitè diſtat à creato, ergo non poteſt eſſe ratio cognoſcendi ipſum, quia ratio cognoſcendi fundatur in ſimilitudine. Reſpondetur negando conſequentiā. Quia ſimilitudo requiritur vt vnum ſit ratio cognoſcendi aliud per modum imaginis, non autem vt ſit ratio cognoſcendi ratione continentiæ cauſalis; Deus autem eſt ratio cognoſcendi creaturas per modum continentiæ cauſalis.

Quomodo Deus cognoſcat creaturas in ſe ipſo.

SECTIO II.

11 DIfficultas procedit de illa ratione, per quam Deus formaliter cognoſcit creaturas. Prima ſententia aſſerit, Deum non cognoſcere in ſe ipſo creaturas ratione omnipotentiæ, in qua virtualiter continentur, ſed eſſe in Deo formalem rationem repræſentatiuam creaturarum, quæ reſpectu intellectus diuini habet rationem ſpeciei. Ita Ledeſma *q.9. de diuina perfectione. art.2. concl.3.* Vaſquez *1. par. diſp.60. cap.2. & 3.* Arubal *diſp.30. cap.3. & 4.* & alij Recentiores. Probant ſcientia antecedit omnipotentiam, ideo enim Deus poteſt producere, qui ſcit, & non econtra, vndè ſi per impoſſibile auferretur omnipotentia, non auferretur ſcientia, ergo omnipotentia non poteſt eſſe ratio cognoſcendi creaturas. Secundò. Omnipotentia non dicit realem reſpectum ad creaturas, ergo non poteſt eſſe ratio illas cognoſcendi. Confirmatur. Ratio omnipotentiæ in eo conſiſtit, quod Deus poſſit facere, quod non implicat, vndè, ſi omnia implicarent, adhuc haberet omnipotentiam, & tamen non cognoſceret creaturas, ergo. Tertiò. Creaturæ futuræ, aut exiſtentes non habent neceſſariam connexionem, quia contingenter ſunt, ergo non poteſt omnipotentia eſſe ratio cognoſcendi.

12 Secunda ſententia aſſerit, Deum cognoſcere creaturas in ſe ipſo ratione ſolius omnipotentiæ, non autem ratione ideæ, ſed ſolum poſſe cognoſcere ratione ideæ cognitione reflexa, Ita Alenſis *1. part. q.23. mem.2. art.4.* Durandus *in 1. diſt.35. q.2.* Bacconius *q.1. art.4.* Argentinas *q.1.* Ferrarienſis *1. contra Gētes c.49.* Suarez *lib.3. de Deo vno cap.2.* Faſolus *1. par. q.14. art.5. dubit.3.* Ruiz *diſp.10. de ſcientia Dei. q.4.* & alij. Probant. Cognitio ideæ ſupponit cognitionem eſſentiæ pro vt imitabilis à creaturis, ergo ſupponit cognitionem creaturarum, quia dum cognoſcitur eſſentia vt imitabilis à creaturis, cognoſcuntur etiam creaturæ.

13 Tertia ſententia aſſerit, Ideas eſſe formalem rationem cognoſcendi creaturas. Ita Altiſiodorēſis *lib.1. tract.1. cap.8. q.1.* Albertus *1. par. q.6. com.3.* Herueus *in 1. diſt.35. q.1. art.3.* D. Bonauentura *art.1. q.1.* Ochamus *q.2.* Palat. *diſp.1.* Aureolus *q.2. art.1. propoſit.3.*

14 Dico. Primò. *In Deo adeſſe tantum vnicā rationem formalem completam, per quam cognoſcit creaturas in ſe ipſo.* Probatur. Non poteſt in Deo conſiderari aliqua cognitio circa creaturas, quę non ſit comprehenſiua, ergo in Deo eſt vnica tantum ratio formalis cognoſcendi creaturas. Antecedens patet. Quia niſi eſſet cōprehenſiua, non eſſet perfecta, & limitato modo ſe haberet. Conſequentia probatur. Quodlibet medium cognoſcendi ſubſternit ſibi obiectum ſecundum ſpecialem rationē cognoſcibilitatis, ergo non poteſt obiectum attingi comprehenſiuè, niſi ſimul attingatur ſecundum omnes rationes cognoſcibilitatis, quibus correſpondet ſingulis medijs, ergo debet dari in Deo vnicum medium, per quod adæquatè attingantur, ſi enim darentur plura, per nullum adæquatè attingeretur.

15 Dico. Secundò. *Rationem, per quam Deus cognoſcit creaturas in ſe ipſo, non eſſe aliquam ſpeciem per ſe primò ordinatam ad repræſentandas creaturas.* Deſumitur ex D. Dionyſio *cap.7. de diuinis nominibus*, vbi docet, Deum non cognoſcere ſingula per ſpecies. Probatur ſequeretur, creaturas eſſe obiectum formale, & immediatum diuinæ cognitionis, ergo. Sequela probatur. Nam ſpecies eſt eſſentialiter repræſentatiua per ſe primò, & illud repræſentat, cuius eſt ſpecies, & per ſe primo reſpicit obiectum proportionatum intellectui, cui repręſentat. Iſta autem ratio ſpeciei, quæ eſſet in Deo, eſſet per ſe determinata ad repræſentandas creaturas. Confirmatur. Species eſt medium vt, Quo, cognoſcendi, & ideo non tollit, quin cognitio per ſe primo attingat obiectum.

16 Dices. Hanc rationem ſpeciei eſſe diuinam eſſentiam, quatenus eſt repręſentatiua ſui ipſius, & etiam creaturarum. Contra. Vel repræſentat creaturas immediatè in ſe ipſo. Vel repræſentat aliquid in Deo, quod ſit ratio illas cognoſcendi. Si primum, ergo cognoſcit immediatè creaturas in ſe ipſis, & non in propria eſſentia. Si ſecundum; ergo datur in Deo aliqua ratio cognoſcendi creaturas, quæ non ſit ſpecies, ſed obiectiuo modo ſe habeat.

17 Dico Tertiò. *Deum ex eo formaliter cognoſcere creaturas, quia eſt cauſa earumdem.* deſumitur ex D. Dionyſio *c.7. de diuinis nominibus*. Etenim *ſi ſecundum vnam cauſam Deus omnibus exiſtentibus eſſe tradidit, ſecundum eamdem cauſam ſciet omnia, ſicut ex ſe ipſo exiſtentia.* Idem docet D. Auguſtinus *5. de Geneſi ad litteram cap.16.* Probatur Deus vt cauſa continet eſſe creaturarum, ergo ratio cauſæ eſt ratio cognoſcendi. Conſequentia probatur. Quia non poteſt cognoſci cauſa comprehenſiuè, niſi cognoſcatur quidquid in ipſa continetur.

18 Dices. Creaturæ ſunt obiectum ſecundarium, ergo ex eo, quod comprehendatur diuina potentia, non cognoſcuntur. Quia quidquid ex vi comprehenſionis attingitur, per ſe primò attingitur. Reſpondetur. Creaturas eſſe obiectum ſecundarium, pro vt ſunt in ſe ipſis, & ſunt quid contradiſtinctum à Deo, & hoc pacto non attinguntur per ſe primo. Prout autem continentur in Deo, ſunt obiectum primarium, & per ſe primo attinguntur, ex eo autem, quod attinguntur in Deo, extenditur cognitio ad eas attingendas in ſe ipſis, vt ſupra diximus.

19 Dico Quartò. *Etiam rationem Ideæ eſſe rationem cognoſcendi creaturas, ita vt pertineat ad integrandum medium cognitionis.* Ita D. Auguſtinus *q.46. & 83. Singula igitur proprijs ſunt creata rationibus; has autem rationes vbi arbitrandum eſt eſſe, niſi in ipſa mente creatoris; non enim extra ſe quidquam poſitum intuebatur, vt ſecundum id conſtitueret, quod conſtituebat; nam hoc opinari ſacrilegum eſt.* Probatur. Non poſſunt creaturæ cognoſci in cauſa, niſi cauſa completo modo ſe habeat in ratione cauſæ, ergo non poſſunt videri in Deo, niſi etiam concurrat idea. Antecedens patet. Quia ſola cauſa completa completo modo continet effectus. Conſequentia brobatur. Nam Idea eſt complementum cauſæ efficientis, ita vt ſine ipſa non poſſit operari, quando operatur per intellectum, & voluntatem; determinat enim agens ad operandum tali, vel tali modo, ſine qua determinatione non poteſt producere aliquid determinatum.

Digitized by Google

20 Ad Primum primæ ſententiæ negatur ſcientiam antecedere omnipotentiam, pro vt omnipotentia dicit continentiam virtualem creaturarum. Vndè Deus ideo cognoſcit, quia poteſt, & non econtra. Solum poteſt dici, quod ſcientia antecedat potentiam, pro vt conſideratur ſecundum vltimam determinationem, in qua inuoluitur etiam decretum voluntatis; & dicitur potentia exequutiua; Hinc ſi auferretur omnipotentia, ſicut Deus eſset a lter Deus, ita etiam haberet aliam ſcientiam, quæ non eſſet ſcientia creaturarum. Dicitur autem potentia conſequi ad voluntatem, pro vt eſt potentia executiua, non pro vt continet virtualiter. Ad ſecundum negatur conſequentiam. Nam omnipotentia non eſt ratio cognoſcendi creaturas ex vi alicuius reſpectus, ſed quia illas in ſe continet. Ad confirmationem negatur ſecunda pars antecedentis. Nam, ſi omnia implicarent, neque in Deo eſset omnipotentia, quia non contineretur in ipſo virtualiter, ratio enim omnipotentiæ importat hanc virtualem continentiam. Ad Tertium negatur conſequentia. Nam futura, & exiſtentia cognoſcuntur à Deo in ſe ipſis; non quia ſint connexa cum Deo, ſed quia manifeſtantur ratione infinitæ manifeſtationis diuinæ cognitionis; habent tamen, ſuppoſito quod exiſtant, neceſsariam connexionem cum Deo, quia ab ipſo eſsentialiter dependent.

21 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ negatur cognitionem Ideę ſupponere cognitionem eſsentiæ vt imitabilis à creaturis. Ad probationem. Ideas eſse quidem rationes imitabilitatis, & ideo ingredi conceptum, quo cognoſcitur eſsentia imitabilis, quia repræſentatiuè determinant imitabilitatem.

An Deus cognoſcendo creaturas, eas producat in eſſe cognito.

SECTIO III.

22 Difficultas procedit de poſſibilibus, an videlicet ex diuina cognitione accipiant aliquod eſse cognitum, quo determinent diuinam cognitionem. Prima ſententia eſt affirmatiua; nomine autem eſse cogniti non intelligit aliquod eſse reale intrinſecum creaturæ, ſed quoddam eſse diminutum, quod dicit tum relationem rationis, tum fundamentum abſolutum huius relationis, quod ſimiliter eſt aliquod ens rationis. Ita Scotus *in* 1. *diſt.* 36. *q. vnica, & in* 4. *diſt.* 1. *q.* 2. *art.* 1. & communiter Scotiſtæ, præſertim Rada 1. *p. controu.* 28. *cap.* 3. Smiſing *tract.* 3. *de Deo vno diſp.* 2. *quaeſt.* 3. & ſequitur Ruiz *diſp.* 11. *de ſcientia Dei. ſect.* 5.

23 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita præſertim Caitanus 1. *p. q.* 14. *ar.* 5. Bannes *art.* 6. Cumel ibid. Suarez *in metaph. diſp.* 31. *ſect.* 2.

24 Dico primò. *Dum cognoſcendo creaturas non producere aliquod eſſe cognitum ex parte ipſarum, quod ſe habeat vt obiectum terminans diuinam cognitionem.* Probatur. Hoc eſse cognitum non poteſt eſse aliquid reale, alioquin eſset aliquid participatum, atque adeo per veram productionem productum; vndè creaturæ habuiſſent ab æterno aliquod eſse reale. Nec poteſt eſse aliquod ens rationis; tum quia Deus non format ens rationis; Tũ quia ens rationis terminaret cognitionem diuinam, atque adeo Deus cognoſceret ens rationis, non autem creaturas, ergo.

25 Dico Secundò. *Deum cognoſcendo creaturas eas producere intra ſe ipſum in eſſe cognito formaliter, pro vt ſe tenet ex parte cognitionis, quatenus producit Verbum, quod repræſentatiuo modo continet creaturas.* deſumitur ex illo Ioannis 1. *Quod factum eſt in ipſo vita erat;* videlicet, quia omnes creaturæ intelligibili modo exiſtunt in Verbo Diuino. Hinc etiam Anſelmus *cap.* 32. *Monologij*, docet Patrem dicere creaturas producēdo Verbum, hoc eſt eas exprimere intelligibili modo in ſe ipſo. Probatur. Verbum productum importat creaturas, quæ continentur in diuina eſſentia poſitas in eſſe conſpicuo, & apparenti, ita vt poſſint per ipſum repræſentari, ergo importat creaturas ſecundum eſſe cognitum formale. Conſequentia probatur. Quia eſſe cognitum formale non eſt aliud, quàm obiectum conſtitutum in eſſe intentionali, ſeu in eſſe manifeſtatiuo, quo ſe manifeſtet cognoſcenti.

An Deus cognoſcat poſſibilia in ſe ipſis.

SECTIO IV.

26 Ex dictis in ſuperioribus conſtant, Deum cognoſcere in ſe ipſo tanquam in cauſa omnia poſſibilia; nunc videndum eſt. An hæc cognitio extendatur ad attingenda poſſibilia in ſe ipſis.

Prima ſententia eſt affirmatiua, & deſumitur ex Diuus Thoma 1. *p. q.* 14. *art.* 6. *ad primum*, & 1. *contra Gentes. cap.* 66. vbi etiam Ferrarienſis. D. Bonauentura *in* 1. *diſt.* 39. *art.* 1. *q.* 1. Richardus *diſt.* 35. *art.* 1. *q.* 4. Durando *q.* 2. Ariminenſis *q. vnica* Argētina *quaeſt. vnica conc.* 4. Maior *q.* 1. *&* 2. Caietano 1. *p. q.* 14. *ar.* 6. Bannes *ibidem*. Molina *art.* 9. Vaſquez *diſp.* 60. *cap.* 2. *&* 3. Suarez *lib.* 3. *de Deo vno cap.* 2. Smiſing *lib.* 3. *de Deo vno diſp.* 2. *q.* 3. Ruiz *diſp.* 11. *de ſcientia Dei. ſect.* 3. *&* 4. & ſequuntur communiter Recentiores.

Probant. Creaturæ cognoſcuntur à Deo perfectiſſimo modo, & ſecundum proprias rationes, & menſuram, atque adeo ſecundum diſtinctionem. Hoc autem non poteſt ſaluari, ſi cognoſcantur tantum in cauſa, quia continentur in illa confuſo modo. Secundò. Si Deus cognoſceret creaturas tantum in ſe ipſo, & non ſecundum modum, quem habent in ſe ipſis, re vera non cognoſceret creaturas, ſed tantum ſe ipſum.

27 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Aureolus *in* 1. *diſt.* 35. 1. *p. art.* 4. & *p.* 2. *art.* 4. §. *nec valet.* & *propoſitione* 3. *in reſponſione ad* 6. *&* 7. Valentia *tom.* 1. *diſp.* 1. *q.* 14. *puncto* 7.

28 Dico primò. *Creaturas ſiue exiſtentes, ſiue poſſibiles non eſſe propriè terminum diuinę cognitionis, ſed tantum impropriè, quatenus videlicet ſunt connexæ cũ termino proprio.* Probatur. Terminus cognitionis eſt de intrinſeco conceptu illius ita vt non poſſint concipi ſine ipſo, ergo creaturæ ſecundum proprium eſſe non ſunt terminus proprius diuinæ cognitionis. Antecedens patet. Quia cognitio eſt intrinſecè connexa cum ſuo termino tanquam repræſentatio cum repræſentante. Conſequentia probatur. Quod eſt de intrinſeco conceptu alicuius, pertinet ad eſſe ipſius, ita vt non poſſit ſine ipſo ſubſiſtere; vnde ipſo indiget. Cognitio autem diuina non indiget aliquo extra Deum, & ſufficienter concipitur, ſi concipiatur vt repræſentatiua eſſe diuini.

29 Dices. Id eſſe verum de termino primario, non autem de ſecundario. Contra. Quod terminus ſit de conceptu prouenit ex ratione termini, ergo ſi ſecundarius non eſt de conceptu, non erit propriè terminus. Secundò. Eſſe terminum cognitionis dicit connexionem in ratione repræſentabilis cum ipſa, vel ergo ratio ſecundarij tollit hanc connexionem, & tunc tollit etiam rationem termini. Vel non tollit, & tunc adhuc erit de conceptu cognitionis.

30 Dico Secundò. *Deum non cognoſcere poſſibilia in ſe ipſis tanquam obiectum contradiſtinctum, ſed ſolum in ſe ipſo tanquam in cauſa continente.* Probatur. Non poteſt aliquid cognoſci in ſe ipſo, niſi ſit in ſe ipſo cognoſcibile, ſed poſſibilia non ſunt in ſe ipſis cognoſcibilia, ergo. Minor probatur, non eſt aliquid cognoſcibile in ſe ipſo, niſi habeat eſse in ſe ipſo, quia cognoſcibilitas ſequitur eſse, poſsibilia autem, vt talia, habent ſolum ſtatum poſsibilitatis, qui nihil aliud eſt, quā contineri in cauſa. Cōfirmatur ſtatus purus poſsibilitatis dicit purũ eſse potētiale, ergo ſolum dicit rem contentam in cauſa. Confirmatur. Secundò. Vel quando poſsibilia attinguntur in ſe ipſis

Digitized by Google

ipſis attinguntur, vt communicantia in eſſe cum ipſa cauſa. Vel vt ab ipſa ſecundum eſſe ſeparata, ita vt interueniat diſtinctio. Si primum, ergo non attingitur in ſe ipſis, quia quod attingitur in ſe ipſo attingitur pro vt ſtat in menſura propria. Si ſecundum. Contra. Quia tunc non attingerentur ſecundum ſtatum poſſibilitatis, nam res non ſeparatur à cauſa, niſi ratione productionis, & exiſtentiæ. Confirmatur. Tertiò. Eſſe poſſibile, & eſſe in ſe, inuicem ſe deſtruunt, ergo ſi poſſibilia cognoſcuntur, vt in ſe, non cognoſcuntur vt poſſibilia. Antecedens probatur. Eſſe in ſe, dicit poſſidere in ſe ipſo proprium eſſe, eſſe autem poſſibile dicit poſse poſſidere; actus autem, & potentia reſpectu eiuſdem repugnat, ita vt non poſſit idem eſse ſimul in actu, & in potentia.

31 Dices. Poſſibilia cognoſci in ſe ipſis non dicere, quod habeant in ſe ipſis aliquod eſse reale; ſed tantum, quod poſſint habere, Contra. Ergo attinguntur; pro vt poſsunt habere eſse, & non, pro vt in ſe ipſis habentia, ergo non cognoſcuntur in ſe ipſis, ſed tantum in eo, à quo poſsunt habere eſse. Secundò. Poſſibilia, vt talia, dicunt tantum poſse habere eſse, non autem habere, ergo in ſe nihil ſunt, ſed tantum ſunt aliquid in cauſa, ergo non poſſunt cognoſci in ſe ipſis, quia cognitio manifeſtat obiectum, quod autem in ſe ipſo non eſt aliquid, nec etiam eſt in ſe ipſo manifeſtabile.

32 Dices ſecundò. Eo ipſo, quod Deus cognoſcit illud eſse, quod poſsunt habere, cognoſcere poſſibilia in ſe ipſis. Contra. Non cognoſcit illud eſse, quod poſsunt habere niſi vt adhuc contentum in cauſa, ergo non cognoſcit in ſe ipſis, quod enim terminat cognitionem cum modo potentiali eſsendi in cauſa, non attingitur in ſeipſo.

33 Dico tertiò. *Licet poſsibilia contineantur in Deo ſecundum omnes modos, & rationes, non terminare tamen Diuinam cognitionem vt inuicem diſtincta, ſed tantum vt poſsibilia diſtingui ratione emanationis, ita vt diſtinctio conſequatur ex menſura determinata eßendi*, vndè Deus cognoſcit quamdam infinitatem poſſibilitatis, & communicabilitatis, ex qua poteſt extrahere quidquid vult ſecundum diuerſos, & infinitos modos communicationis. Probatur. Poſſibilia in Deo tranſeunt ad alium modum eſsendi, ergo nō continētur in Deo vt inuicē diſtincta. Conſequentia probatur. Diſtinctio inter res conſequitur ex determinata menſura eſſentię, ideo enim homo diſtinguitur à leone, quia habet talem menſuram eſſentiæ, ergo cum in Deo non habeant eſſentiam menſurato modo, nec etiam habebunt diſtinctionem.

34 Dices. Diuinas Ideas repræſentare hanc diſtinctionem. Contra. Eſſe Diuinum ideale in repręſentando ſe habet infinito modo, ergo non repręſentat cum diſtinctione actuali. Conſequentia probatur. Si repræſentaret cum diſtinctione, haberet rationes ideales determinatas, ita vt quod repręſentaret vna, non repræſentaret alia; hoc autem repugnat infinitati, quod enim repræſentat infinito modo, non poteſt determinari ad repręſentandum cum menſura.

35 Ad Primum. Negatur minor. Nam ex eo, quod poſſibilia cognoſcuntur à Deo perfectiſſimo modo, ſequitur quod cognoſcantur, prout ſunt cognoſcibilia; non ſunt autem cognoſcibilia in ſeipſis. Nec ſequitur cognoſci confuſo modo, quia diſtinctiſſimè attingitur modus eſſendi cauſalis. Nec ſequitur confuſio in cauſa ex eo, quod ſinę diſtinctione in ipſa contineantur, quia confuſio requirit diſtinctionem, ſed tantùm quod communicent inuicem in quadam infinitate communicabilitatis eſse Diuini. Ad ſecundum. Negatur ſequela, ſolum enim ſequitur, quod non cognoſcantur creaturæ ſecundum ſtatum exiſtentiæ; non verò quod non cognoſcantur ſecundum ſtatum poſſibilitatis; nam re vera Deus attingit illud eſse, quod poteſt creaturis communicare.

An non entia pertineant ad obiectum ſecundarium.

SECTIO V.

36 Nomine. Non entis intelligitur purum non ens, quod ita non eſt, vt neque etiam eſse poſſit, vt ſunt negationes, priuationes, & ipſum nihil.

Cōmunis ſententia Recentiorum aſserit, Deum cognoſcere non ens indirectè, videlicet ratione illius poſitiui, cui opponitur. Ita Molina 1.*p.q.*14.*art*.9. Faſolus *dub*. 1. Vaſquez *diſp*. 61. Suarez *lib*.3.*de Deo vno cap*.3. Ruiz *diſputat*.17.*de ſcientia Dei ſec*.2.& 3. Smiling. *trac*.3.*de Deo vno diſp*.2.*q*.6. & citant etiam D. Thomam 1.*p.q*.14.*art*.9.quærit. An Deus cognoſcat non entia, & reſpondet affirmatiuè, ſed nomine non entis intelligit non ens actu, videlicet poſſibile.

37 Dico 1. *Deum cognoſcere negationes, & priuationes fundamentaliter acceptas, videlicet pro vt dicunt illud eſſe, in quo fundatur negatio*. Quod de ſuo formali aliquando dicit poſitiuam repugnantiam, qua excluditur id, quod negatur; aliquando verò modum eſsendi limitatum, ratione cuius excluduntur aliqua vel ſine capacitate eorumdem, vel cum capacitate. Concluſio eſt de fide, & hoc tantum intendit ſcriptura, quando tribuit Deo cognitionem negationum, & priuationum. Probatur. Quia tali pacto ſunt aliquid poſitiuum.

38 Dico ſecundò. *Deum non cognoſcere aliquod non ens formaliter, ſiue ſit priuatio, ſiue negatio, ſiue quodcunque aliud*. Probatur. Deus non poteſt cognoſcere, quod non eſt cognoſcibile, huiuſmodi autem eſt non ens, quia cum intelligibilitas ſequatur eſse, quod non eſt ens, non eſt intelligibile.

39 Dices. Non ens habere aliquam cognoſcibilitatem analogicam, Contra. Non ens opponitur enti, ita vt tollat ipſam rationem entis, quam ipſum dicit vt ſuum formale conſtitutiuum, ergo etiam tollit cognoſcibilitatem, quæ fundatur in ente. Secundò. Eſse ens eſt ratio, cur aliquid ſit cognoſcibile, ergo eſse omnino non ens erit ratio, cur non ſit omnino cognoſcibile.

40 Dices ſecundò. Non ens non eſse cognoſcibile ratione ſui, ſed ratione alterius. Contra. De ratione cognoſcibilitatis eſt, vt ſit intrinſeca, nam ſi ſit extrinſeca vni, erit intrinſeca alteri, &, cum fundetur in proprio eſſe ipſius, erit propria illius, vndè per ipſam non poterit aliud innoteſcere. Secundò. Quod in ſe nullo pacto eſt cognoſcibile, nec etiam poteſt eſse cognoſcibile ratione alterius, nam cognoſci dicit manifeſtari, quod autem non habet aliquid, ſecundum quod poſſit manifeſtari, nullo pacto poteſt manifeſtari.

41 Confirmatur. Non ens non poteſt eſse obiectum ſecundarium, ergo. Antecedens probatur. Nam obiectum ſecundarium debet eſse connexum cum primario, & ab ipſo dependere, quod non poteſt conuenire non enti, cum enim ſit merum nihil, non poteſt in ſe habere realem connexionem, & dependentiam. Confirmatur. Secundò. Quicquid Deus cognoſcit, cognoſcit ratione ſuæ eſsentiæ, quatenus illud continet in ſe cauſaliter, negationes autem, & priuationes non continentur in Deo cauſaliter.

42 Dices. Contineri ſecundariò, quatenus ſunt quid connexum cum ente poſitiuo. Contra. Negationes nullo pacto ſunt cauſabiles, alioquin eſsent quid participatum, & potentiale, vndè poſsent habere eſse poſitiuum, ergo nullo pacto continentur.

43 Obijcies. Deus reuelat aliqua negatiua, vt mundum non fuiſse ab æterno, ergo cognoſcit. Reſpondetur. Reuelare accomodando reuelationem noſtræ capacitati, & tantum fundamentaliter, vnde quando reuelat mundum non fuiſse ab æterno nil aliud reuelat, quam poſitiuam incæptionem mundi in tempori, quæ explicatur à nobis, &c.

44 Obijcies Secundò. Per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ

gentiæ ne dum cognoſcit res poſſe eſſe, ſed etiam non eſſe, ergo. Reſpondetur negando conſequentiam. Nam cognoſcit tantum poſſibilia ſecundum modum eſſendi potentiale, qui à nobis explicatur per negationem eſſendi.

An, & quomodo malum pertineat ad obiectum ſecundarium.

SECTIO VI.

45 DVplex eſt malum. Aliud pænę, aliud culpæ. Supponendum autem tanquam certum de fide, Deum cognoſcere mala pænę etiam cognitione approbatiua. Eccleſiaſtici 11. *Bona, & mala; Vita, & mors, paupertas, & honeſtas à Deo ſunt*. Ierem. 32. *Abduxi ſuper Populum hunc omne malum*. Vndè tanquam cauſa debet mala cognoſcere, &, quia vult ipſe hoc malum, debet præcedere ſcientia approbationis. Vndè quando hæc mala conſiſtunt in aliquo poſitiuo, cognoſcit ſicut omnia alia poſitiua, Quando vero conſiſtunt in aliquo priuatiuo, cognoſcit rationę fundamenti.

46 Supponendum ſecundò. Certum eſſe de fide, Deum cognoſcere malum culpæ. Iſaiæ 66. *Fecerunt mala in oculis meis*. Iob 11. *Videns iniquitatem eorum, nonne conſiderat*. Pſal. 68. *Delicta mea à te non ſunt abſcondita*. Ratio autem eſt. Tum quia peccatum eſt offenſa Dei. Tum quia pertinet ad ipſum punitio. Non tamen cognoſcit ſcientia approbationis, quia illud non approbat, nec eſt cauſa ipſius; hinc Abacuc 1. *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum, & ad iniquitatem reſpicere non poteris*. Difficultas autem eſt de modo, quo Deus cognoſcit malum.

47 Prima ſententia aſſerit, cognoſcere in ordine ad bonum creatum, cuius eſt priuatio. Ita D. Thomas 1. *p.q.* 14. *art.* 10. Bannes, Molina, Peſantius *ibidem*. Faſolus *dubit.* 2. Vaſquez *diſp.* 62. *cap.* 2. Alenſis 1. *p.q.* 23. *mem.* 3. *art.* 3. Capreolus *in* 1. *diſt.* 36. *q.* 1. *art.* 1. Richardus *art.* 1. *q.* 2. Argentinas *art.* 4. Suarez *lib.* 3. *de Deo vno capit.* 3. Ruiz *diſp.* 19. *de ſcientia Dei ſect.* 3. & alij.

Fundamentum eſt quia malum culpæ eſt priuatio boni, & multoties alicuius virtutis, quæ non poteſt eſſe in Deo, vt temperantia, pænitentia, &c. priuatio autem cognoſcitur in ordine ad id, quo priuat.

48 Secunda ſententia aſſerit; Deum cognoſcere malum in ordine ad ſe ipſum, quatenus dicit carentiam illius rectitudinis, quam præſcribit ars, ſeu idea ipſius. Ita Altiſiodorenſis *lib.* 1. *cap.* 8. *q.* 1. Aegidius *in* 1. *diſt.* 36. 1. *p.q.* 2. Palatius *diſt.* 38. *diſp.* 1. Cumel 1. *p.q.* 14. *art.* 10. *diſput. vnica*. Nauaretus *ibidem* §. 1. *concl.* 3. 4. & 5.

49 Notandum 1. Malum culpæ nunquam reperiri, niſi fundatum in actu poſitiuo, ſunt enim ſolum contingit, quando voluntas operatur, & non ſecundum debitam regulam, vndè conſiſtit in eo, quod actus careat rectitudine debita.

50 Notandum ſecundò. In hac carentia rectitudinis duo poſſe conſiderari, & formalem priuationem rectitudinis, & fundamentum proximum poſitiuum, quod non eſt aliud, niſi alia menſura non debita, per quam debita excluditur. Hæc autem menſura indebita facit, quod actus inordinato modo ſe habeat, quia cum excludat debitam rectitudinem, excludit etiam debitum ordinem, & ponit in ipſo poſitiuā difformitatem ad regulam, qua eſſet menſurandus, quia ponit aliam poſitiuam menſuram, quæ difformis eſt Regulæ, cui deberet conformari.

51 Notandum tertiò. Ex hac difformitate ſequi, quod actus ſit difformis alteri actu; illi videlicet, qui habet debitam menſuram, qui eſt actus virtutis; hæc tamen difformitas conſequitur ad priorem, quia ſicuti prima conformitas eſt reſpectu menſuræ, ita etiam prima difformitas.

52 Dico 1. *Deum non cognoſcere peccatum ſub ratione priuationis formaliter*. Probatur. Priuatio, vt talis, non eſt aliquid in ſe, cum ſit tantum ablatio alicuius poſitiui, ergo non eſt aliquid in ſe cognoſcibile.

53 Dico 2. *Deum cognoſcere peccatum ſecundum difformitatem, & deordinationem, quam habet*. Probatur. Hæc deordinatio eſt realis, & habetur ratione alicuius poſitiui, quod eſt in actu, videlicet ratione illius menſuræ, qua excluditur debita menſura. ergo

54 Dices ſequeretur, quod in Deo eſſet Idea peccati, quia eſſet in ipſo Idea illius menſuræ, quam haberet actus malus, ratione cuius haberet deordinationem. Reſpondetur. Hanc menſuram ideæ eſſe quidem in Deo, non tamen eſſe rationem formalem peccati, ſed ſolum difformitatem, quæ conſurgit ex eo, quod hæc menſura ponitur in actu ex libertate voluntatis creatæ, quæ non deberet poni; hæc autem difformitas non eſt aliquid per ſe producibile, ſed conſurgit ex ijs, quæ per ſe producuntur; vndè non habet propriam Ideam, ſed, ſicuti ſe habet conſequutiuè ad eſſe ideatum, ita etiam Diuina Idea illam tantum conſequutiuè repræſentat tanquam id, quod poteſt fieri ex deordinatione, quam cauſat creatura.

55 Dico tertiò. *Deum cognoſcere peccata per ordinem ad ſe ipſum quatenus dicit Ideas menſuratiuas moralium operationum*. Probatur. Peccatum, vt tale, eſt aliquid deficiens, & inordinatum, ergo cognoſcitur per ordinem ad Diuinas ideas. Conſequentia probatur. Quia defectus cognoſcitur per reſpectum ad illud, à quo deficit, peccatum autem deficit à ſua idea commenſuratiua. Confirmatur. Ordo debitus in actione bona cognoſcitur comparatiuè ad menſuram, ergo defectus in operatione mala cognoſcitur ex ordine ad eandem menſuram, quatenus illi non conformatur. Confirmatur ſecundò; menſura eſt ratio cognoſcendi menſuratum, & etiam oppoſitum illius, ergo idea Diuina eſt ratio cognoſcendi peccatum. Antecedens patet, quia menſura ducit in cognitionem menſurati, quatenus illi coadæquatur, vnde ducit etiam in cognitionem illius, quod ipſi non coadęquatur.

Conſequentia probatur. Quia idea Diuina eſt prima menſura cuiuſcunque actus boni.

56 Dico quartò. *Deum cognoſcere malum etiam per ordinem ad bonum, quod excludit, ſed hanc cognitionem veluti conſequenter ſe habere ad aliam priorem rationem obiecti*. Probatur. Deus cognoſcit omne cognoſcibile ſecundum omnem rationem cognoſcibilitatis, ergo cum malum ſit cognoſcibile per ordinem ad bonum, quod tollit, quatenus eſt illi difforme, Deus cognoſcet illud ſecundum hanc quoque rationem. Ruſus hæc difformitas conſequenter ſe habet ad aliam priorem difformitatem, ergo etiam cognitio.

Ad fundamentum in oppoſitum reſpondetur. Deum non cognoſcere malum ſub ratione priuationis, ſed ſub ratione difformitatis poſitiuæ, vt patet ex dictis.

DE COGNITIONE POSSIBILIVM.

DISPVTATIO XXIV.

Quomodo ſit admittenda ſcientia ſimplicis intelligentię.

SECTIO I.

1 SVpponēdum eſt. Cognitionem poſſibilium nō eſſe actum cognitionis diſtinctum formaliter à cognitione, qua Deus cognoſcit ſe ipſum; non enim poſſunt actus diſtingui niſi ex obiecto, quod ita habeat propriam repræſentabilitatem, quæ non ſit in repræſentabilitate obiecti alterius actus, quod non conuenit poſſibilibus. vndè cognitio poſſibilium non eſt aliud, quam cognitio, qua Deus attingit proprium eſſe cum perfectionibus omnibus, quas cauſaliter continet; vnde, ſi non adeſſent poſſibilia, Diuina cognitio, qua Deus proprium eſſe attingit, eſſet alterius rationis, quia nō repręſētaret poſſibilia.

2 Sup-

Digitized by Google

2 Supponendum ſecundo, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ non alio pacto diſtingui à cognitione Diuini eſſe, niſi quatenus intellectus noſter conſiderat terminari ad poſſibilia explicitè non conſiderato explicitè eſſe Diuino; poteſt enim intellectus noſter præſcindere poſſibilia, & veluti extrahere ab eſſe Diuino, & ſic concepta illa conſiderare tanquam terminum Diuinæ cognitionis.

3 Supponendum tertiò. Scientiam ſimplicis intelligentiæ verſari tantum circa poſſibilia; nō autem circa Deum; quia in tantum eſt talis, in quantum attingit aliquid ſecundum ſtatum poſſibilitatis. Hinc etiam fit, quod ſit cognitio neceſſaria, quia, cum Deus cognoſcat neceſſariò ſe ipſum comprehenſiuè, cognoſcit etiam neceſſariò quidquid poteſt facere. Difficultas autem eſt, An ſit abſtractiua, an vero intuitiua.

4 Prima Sententia aſſerit, eſſe abſtractiuam. Deſumitur ex D.Thoma 1.*contra Gentes cap.66.& in* 3.*diſt.* 14. *q.*1.*art.*2. & ita tradunt. Alenſis 1.*p.q.*23. *mem* 4.*art.* 5. Caiet. 1.*p.q.*14.*art.*9. Faſolus *art.*8.*dub.*1. Ruiz *diſp.*17. *de ſcientia Dei ſec.*5. & alijs pluribus.

Probant. Quia obiectum huius cognitionis abſtrahit ab exiſtentia. Secundò. Poſſibilia non cognoſcuntur in ſe ſed in alio, quod autem in alio cognoſcitur, non cognoſcitur intuitiuè.

5 Secunda ſententia aſſerit, eſſe intuitiuam. Ita Ariminenſis *in* 1.*diſt.*36.*queſt.*1. Scotus *diſt.*10.*circa finem*. Maior *diſt.*35.*q.*2.*ad* 4. Gabriel *diſt.*38.*art.*3.*dubitat.*2. Smiling. *trac.*3.*de Deo vno diſp.*15.*q.*1.

6 Dicendum eſt. *Scientiam ſimplicis intelligentiæ ſecundum modum attingendi obiectum eſſe intuitiuam*. Probatur. Scientia abſtractiua caret aliqua perfectione in ratione cognitionis, ergo non eſt tribuenda Deo. Antecedens patet, quia intuitiuo meliori modo manifeſtat obiectum; quod fieri non poteſt, niſi in ratione cognitionis meliori modo ſe habeat.

7 Dices. Perfectionem cognitionis Diuinæ in hoc conſiſtere, quod ſit ſecundum exigentiam obiecti, poſſibilia autem, cum non exiſtant; non poſſe intuitiuè cognoſci.

Contra. Cognitio Diuina non cauſatur ab obiecto, ergo non debet conformari exigentiæ ipſius. Secundo. Quia obiectum non poteſt exigere aliquid repugnans infinitati ipſius.

8 Confirmatur. Cognitio in modo manifeſtandi obiectum ſequitur obiectum formale, ergo cognitio poſſibilium in Deo eſt intuitiua. Antecedens patet. Quia obiectum formale ſpecificat cognitionem. Conſequentia probatur. Quia obiectum formale Diuinæ cognitionis eſt eſſentia Diuina, quæ determinat cognitionem, vt intuitiuo modo ſe habeat.

9 Dicendum ſecundò. *Neq; à nobis poſſe concipi ſcientiam ſimplicis intelligentiæ abſtractiuo modo ſe habere.* Probatur. Noſter conceptus debet conformari exigentiæ obiecti, ita vt non concipiamus aliquid ipſi repugnans, modus autem abſtractiuus repugnat Diuinæ cognitioni, quia tollit ab ipſa perfectionem debitam.

10 Ad primum reſpondetur. Scientiam ſimplicis intelligentiæ attingere poſſibilia non in ſe ipſis, ſed ſecundum eſſe cauſale, quod habent in Deo, ſecundum autem hunc ſtatum non abſtrahunt ab exiſtentia, ſed exiſtunt exiſtentia Dei.

Ad ſecundum. Cognoſci in alio tunc obſtare intuitioni, quando non reperitur in ipſo ſecundum illud eſſe, cum quo cognoſcitur, vt quando aliquid cognoſcitur in imaginè, poſſibilia autem ſunt in Deo ſecundum illud eſſe, cum quo cognoſcuntur.

An cognitio poſſibilium ſit practica, an ſpeculatiua.

SECTIO II.

11 PRima ſententia negat eſſe practicam. Ita Henricus 1.*p.art.*36.*quaſt.*4. Scotus *quæ.*3. *prologi.* Ocham *in* 1.*diſtint.*36.*quaſt.*6.

Probant. Obiectum ſcientiæ practicæ debet poſſe ſe aliter habere, poſſibilia autem non poſſunt ſe aliter habere, cum ſint ſummè neceſſaria. Secundò. Finis cognitionis practicæ eſt opus, finis autem cognitionis poſſibilium in Deo nō eſt opus; ſed perfecta cognitio ſui ipſius. Tertiò. Intellectus practicus determinat operanda ante exequutionem voluntatis, quod non cōtingit in Deo, alioquin debuiſſent omnia produci, cum intellectus neceſſariò omnia intelligat. Quartò. Sequeretur, quod verbum Diuinum eſſet practicum, quia in quantum procederet ex ſcientia practica, eius finis eſſet operatio, videlicet productio creaturarum.

12 Secunda ſententia aſſerit, eſſe practicam, vt tamen ſit etiam aliquo pacto ſpeculatiua. Ita D. Thomas 1.*p.* *q.*14. *art.* 16. Caietanus, & Bannes *ibidem*. Vaſquez *in notatione articuli*. Suarez *lib.*3.*de Deo vno cap.*4. Faſolus *citato loco* 1.*p.art.*8.*dub.*1. Ruiz *diſp.* 16. *de ſcientia Dei ſec.*4. & alij.

13 Dico 1. *Cognitionem de rebus eſſe practicam*. Deſumitur ex ſcriptura Sapientiæ 7. *Omnium artifex ſapientia*. & cap. 8. *Quis horum quæ ſunt magis, quam illa eſt artifex.* Prouerb.3. *Dominus ſapientia fundauit terram; ſtabiliuit Cœlos prudentia.* Ad Ephæſ. 1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Probatur: Deus operatur ſecundum ideam liberè cum cognitione faciendorum, ergo habet cognitionem practicam. Antecedens patet ex ordine, & diſpoſitione vniuerſi. Conſequentia probatur. Nam vbi eſt operatio ex idea, ibi eſt cognitio practica, quia operans dirigit ſuam operationē per cognitionē quę oſtendit tali, & tali pacto eſſe operandum, ergo procedit practico modo. Conſequentia probatur. Quia procedit cum cognitione, quæ è regula cuiuſcunq; effectus.

14 Dico ſecundò. *Scientiam Dei eſſe practicam reſpectu omnium poſſibilium, ſiuè ſint aliquando futura, ſiue non.* Neque oppoſitum ſentit. D. Thomas *citatus*, quia docens, Deum non habere ſcientiam practicam de ijs, quæ nunquam erunt, intelligit de ſcientia practica, quæ eſt talis in actu ſecundo ratione exterioris praxis, non autem quatenus dicitur talis ab obiecto. Probatur. Scientia practica non ſpecificatur ab actuali operatione; ſed ex eo, quod intrinſecè reſpiciat operationem poſſibilem, ergo ſcientia Dei erit practica ex eo, quod reſpiciat operationē poſſibilem. Antecedens patet quia ordo ſcientiæ ad operationem eſt tranſcendentalis, qui non requirit exiſtentiam in termino. Confirmatur. Cognitio Dei reſpectu omnium poſſibilium, cum ſit perfectiſſima oſtendit menſuram, ſecundum quam eſſent producenda, ſi producerentur, ergo reſpectu omnium poſſibilium eſt practica. Conſequentia probatur. Quia cognitio practica nihil aliud dicit de ſuo formali, niſi quod ſit regula oſtendens modum alicuius operationis.

15 Dico tertiò. *Scientiam Dei eſſe practicam per modum artis*. Deſumitur ex ſcripturis ſupra allatis. Probatur. Ars non eſt aliud, quam recta ratio factibilium, cui conformari debet, quod fit; omnia autem, quæ fiunt à Deo, conformantur ipſius cognitioni tanquam regulæ.

16 Dico quartò. *Eſſe practicam etiam per modum prudentiæ*. Probatur. Quia reſpicit operationes morales, vt regula ipſarum. Confirmatur. Deus eſt legiſlator, vndè omnes regulæ exiſtunt in mente ipſius, lex autem in mente exiſtens eſt prudentia.

17 Dico quintò. *Eſſe practicam ratione ſui obiecti formalis*. Probatur. Eſſentia Diuina, quæ eſt obiectum formale, eſt id, in quo Deus cognoſcit poſſibilia, proponit creaturas vt obiectum operabile, ergo eſt practica ratione obiecti formalis. Antecedens probatur. Eſſentia Diuina vt obiectum formale proponit creaturas eo pacto, quo illas continet, continet autem ſub ratione operabilis, quia continet vt producibiles. Conſequentia probatur. Tunc cognitio eſt practica ratione obiecti formalis,

Digitized by Google

malis, quando ex vi ipſius habet, quod ſit regula faciendorum; hoc autem præſtat eſſentia Diuina reſpectu Diuinæ cognitionis, dum repræſentat creaturas producibiles.

18 Dico ſextò. *Scientiam Dei reſpectu creaturarum eſſe purè practicam*. Probatur. In tantum eſſet aliquo modo ſpeculatiua, in quantum attingit eſſentias rerum, ſed hoc ipſo eſt practica, ergo. Minor probatur. Cognitio practica, vt patet in creatis, non reſpicit ſolum exiſtentiam, ſed etiam eſſentiam, vt patet in ſcientia prudentiali, quæ reſpicit ſpecificationem actus, & in arte, quæ reſpicit formam artefactorum. Tum quia ſcientia Dei practica præſcribit menſuram rerum ſecundum eſſentiam. Tum quia ipſæ eſſentiæ ſunt quid ideatum, & habent intrinſecam conformitatem cum Diuino exemplari. Confirmatur. Tota cognitio, quam habet Deus, habet ex vi ſuæ eſſentiæ, vt eſt cauſa, ergo tota eſt practica. Conſequentia probatur. Quia tota determinatur à ratione cauſæ, vt cauſa eſt, cauſa autem vt talis proponit obiectiuo modo effectum ſecundum ſe totum ſub ratione producibilis, ita vt nihil proponat, quod non proponat ſub ratione producibilis.

19 Dices. Licet repræſentet totum eſſe practico modo, poſſe tamen ob ſuam infinitatem repræſentare etiam ſpeculatiuo modo. Contra. Repræſentari ſpeculatiuo, vel practico modo non prouenit ex infinitate cognitionis, ſed ex natura obiecti. Creaturæ autem non exigunt repræſentari à ſcientia Diuina niſi practico modo, quia ſolum poſſunt repræſentari vt quid producibile. Secundò. Cognitio ſpeculatiua dicit repræſentationem obiecti, vel ergo hæc repræſentatio eſt regula operandi, vel non. Si primum, ergo non eſt ſpeculatiua. Si ſecundum. Contra, Quia effectus eſt producibilis à Deo, ergo dum cognitio ipſum manifeſtat, proponit quomodo faciendus ſit, ſeu vt producibilem.

20 Dico ſeptimò. *Scientiam practicam eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ*. Probatur. Illa ſcientia eſt practica, quæ eſt regula operandorum, huiuſmodi autem eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ideo enim res tali, vel tali pacto diſponuntur, quia ſcientia, qua attinguntur, vt poſſibiles, oſtendit eſſe poſſibiles ſecundum talem, & talem diſpoſitionem.

21 Dico octauò. *Scientiam viſionis eſſe practicam in actu ſecundo*. Probatur. Scientia viſionis non dicit nouam repræſentationem ſupra ſcientiam ſimplicis intelligẽtiæ, alioquin, cum poſſit non eſſe in Deo, poſſet aliqua ratio repræſentationis non reperiri in ipſo, ergo eſt practica. Conſequentia probatur. Quia eſt quædam repræſentatio, cui continuò commenſurantur creaturæ ratione conſeruationis, quæ eſt quædam continuata productio.

22 Ad primum negatur maior. Nam actus morales ſunt obiectum ſcientiæ practicæ, & tamen non poſſunt aliter ſe habere, quam exigant ex vi ſuæ eſſentiæ, & ſolum poſſunt aliter ſe habere, quia agens creatum poteſt deficere; quia poſſibilia non ſunt ſummè neceſſaria, niſi quatenus ſupponuntur menſurata per ſcientiam practicam Dei; ideo enim non poſſunt ſe aliter habere, quia debent conformari ſuæ menſuræ. Ad ſecundum. Perfectam contemplationem ſui ipſius eſſe finem primarium Diuinæ cognitionis, qui habetur ratione obiecti primarij; productio autem creaturarum eſt finis ſecundarius, qui rurſus dirigitur ad primarium, & proinde cognitio Diuina reſpectu poſſibilium eſt practica. Ad tertium. Scientiam practicam determinare operanda, ante quam voluntas exequatur, non tanquam vim exequutiuam, ſed tanquam menſuram præſcriptiuam. Hinc non fit, vt debuerint omnia produci, ſed vt debuerint omnia præſcribi per modum regulæ, & menſuræ. Ad quartum. Verbum Diuinum eſſe aliquo modo practicum, quatenus repræſentat poſſibilia, quia tali pacto importat exemplariter ipſas creaturas; non dicitur autem practicum, quia non eſt verbum creaturarum, & quia non repræſentat primariò creaturas, ſed ſecũdariò.

An ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſit cauſa rerum.

SECTIO III.

23 Supponendum eſt tanquam certum de fide. Deum habere ſcientiam, quæ ſit rerum cauſa. Pſal. 103. *Omnia in Sapientia feciſti*. Prouerb. 3. *Dominus ſapientia fundauit terram*. Ratio autem eſt, quia Deus operatur per voluntatem, vnde eſt neceſſaria ſcientia, quæ dirigat voluntatem proponendo, & oſtendendo modum operandi.

24 Supponendum ſecundò. Solam ſcientiam non eſſe cauſam adæquatam, ſed inſuper requiri virtutem, in qua contineatur effectus, & voluntatem, quæ determinet exequutionem. Ratio eſt, quia ſi ſola ſcientia eſſet neceſſaria, ſicut omnia neceſſariò intelliguntur à Deo; ita etiam neceſſariò cauſarentur. Difficultas autem eſt. Quænam ſcientia ſit cauſa rerum, videlicet An ſcientia ſimplicis intelligentiæ, an vero ſcientia viſionis.

25 Prima ſententia aſſerit, ſcientiam viſionis eſſe cauſam rerum. Ita Cumel *1.p.q.14.art.1.concluſ.6.* & tom. 1. *variarum diſputationum dub.8.§.* Hæc tamen ſolutio. Ripa *1.p.q.14.art.3.dubit.4.* Gonzalez *diſp.38.* Nauaretus *controu.53.§.2.* Aluarez 2. *de Auxilijs diſp.16.* Ledeſma *de auxilijs diſp.2. de ſcientia difficultate 1.dub.4.* Cabrera *3.p.q.62.art.1.diſp.17.§.15.* & plures alij ex recentioribus Thomiſtis.

. Probant. ſcientia, quæ eſt cauſa rerum, eſt coniuncta cum decreto voluntatis, ſcientia autem coniuncta cum decreto eſt ſcientia viſionis. Confirmatur. Quia Patres docent, Deum non ideo præſcire res, quia ſunt futuræ, ſed ideo eſſe futuras, quia præſcit. Secundò. Si non eſſet cauſa, futura prærequirerentur ad ſcientiam viſionis, ergo eſſent obiectum motiuum, quia illud eſt obiectum motiuum, quod præſupponitur ad cognitionem.

26 Secunda ſententia aſſerit, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe cauſam rerum. Deſumitur ex D. Thoma *1. p.q.14. art.8.* Vbi docet, ſcientiam Dei, quatenus ſe habet per modum artis, eſſe cauſam rerum, & in *1. diſt. 38. q.1.art.1.* docet ſcientiam, quæ eſt cauſa rerum, antecedere decretum voluntatis, & tradunt. Herueus *in 1. diſt.39. q.1.* Capreolus *diſt.35.q.2.art.2.* Aegidius *diſt.38.p.1.q.1.* Durandus *q.1.* Ariminenſis *q.2.art.3.* Molina *1.p.q.14. art.13.diſp.17.* Faſolus *art.8.dub.3.* Suarez *lib.3.de Deo vno c.4. & lib. 1.de ſcientia contingenti cap.5.* Vaſquez *1.p.diſp.58.cap.4. & 6.* Arubal *diſp.32.* Ruiz *diſp.15. de ſcientia Dei ſect.4. & ſequentibus.*

27 Dico primò. *Scientiam ſimplicis intelligentiæ importare cum cauſatiuam in actu primo*. Probatur ſcientia Dei in ratione ſcientiæ non poteſt habere aliam vim cauſatiuam, niſi illam, quæ conſiſtit in ratione regulæ, & menſuræ, ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt ſufficiens cauſa in actu primo in ſuo genere. Antecedens patet. Quia, dum concurrit vt cognitio, non poteſt alio pacto concurrere, quam exhibendo id, quod in ſe continet, ergo cum contineat effectum per modum repræſentationis, poteſt concurrere ſolum repræſentando, & dirigendo. Conſequentia probatur. Scientia ſimplicis intelligentiæ attingit omnia poſſibilia ſecundum omnes rationes, modos, & circumſtantias, & attingit practico modo, quia dicit menſuram, ſecundum quam omnia fieri debent, ergo eſt ſufficiens cauſa in genere ſciẽtiæ, quia poteſt vt regula proponere quidquid fieri poteſt. Confirmatur. Non poteſt voluntas aliquid eligere, quod ipſi non proponatur ab intellectu, ergo vt exequutioni mandetur aliquid, oportet, vt ſecundum omnem rationem per cognitionem proponatur, ergo ſcientia antecedens determinationem voluntatis habet cum ſufficientem cauſatiuam, quia debet tanquam regula continere quidquid determinat voluntas, vt poſſit totum ipſi proponere; ſola autem ſimplex intelligentia

an-

Digitized by Google

antecedit decretum voluntatis.

28 Dico ſecundò. *Scientiam ſimplicis intelligentię eſſe cauſam in actu primo reſpectu omnium poſſibilium, etiamſi non ſint aliquando futura*. Probatur. Quia habet plenam vim directiuam reſpectu omnium poſſibilium, vis enim directiua conſiſtit in repræſentatione. Confirmatur. Quia cauſa non conſtituitur per ordinem ad effectum futurum, ſed poſſibilem. Confirmatur ſecundò. Quia in cauſa ſufficit illa determinatio, qua determinetur ad effectum vt poſſibilem, nec eſt neceſſaria determinatio ad effectum vt futurum, vt patet in voluntate, quæ eſt indifferens ad vtramque partem.

29 Dico tertiò. *Scientiam ſimplicis intelligentiæ, dum actu cauſat fieri ſcientiam viſionis, atque adeo ſcientiam actu cauſantem eſſe ſcientiam viſionis*. Probatur. Scientia actu cauſans coniungitur cum decreto voluntatis, & cum ipſo effectu ad extra actu exiſtente, ergo fit ſcientia viſionis. Antecedens patet. Eſt enim de ratione cauſæ, vt cauſans eſt; quod habeat effectum in actu, ita vt pertineat ad intrinſecum conceptum ipſius. Conſequentia probatur. Quia ſcientia viſionis non eſt alia, quam ſcientia ſimplicis intelligentię vt terminata ad res exiſtentes; ſcientia autem ſimplicis intelligentiæ eo ipſo, quod cauſat, terminatur ad exiſtentiam. Confirmatur. Scientia viſionis repræſentat obiectum in ſe ipſo, ergo eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt actu cauſat. Antecedens eſt certum; Conſequentia probatur. Quia manifeſtatio hæc non poteſt eſſe aliud, quàm manifeſtatio ſimplicis intelligentiæ, alioquin aliqua ratio manifeſtationis poſſet non eſſe in Deo, quia poteſt non eſſe in ipſo ſcientia viſionis. Confirmatur ſecundò. Cognitio, quæ attingit obiectum vt exiſtens, eſt ſcientia viſionis; ſed huiuſmodi eſt ſimplex intelligentia, vt actu cauſat, ergo. Minor probatur. Nam attingit obiectum cauſando, ergo cum cauſet vt cognitio, attingit obiectum vt exiſtens, quia terminus cauſationis eſt exiſtens.

30 Dices. Attingere obiectum ſecundum exiſtentiam, vt eſt cauſa, non autem vt eſt repræſentatio. Contra. Attingit ſecundum vim illam, qua cauſat, ergo ſecundum repræſentationem, quia cauſat ex vi ipſius.

31 Dico quartò. *Scięntiam viſionis attingere ſuum obiectum practico modo; atque adeo non ſupponere, ſed facere, ita vt ipſum non præcedat; influat tamen ex vi virtutis cauſatiuæ, quæ eſt prior ipſo*. Eſt contra Suarez *lib. 1. de ſcientia Dei cap. 5.* Vaſquez, & Faſolum *citatos*, Leſſium *opuſculo de gratia cap. 15.* Probatur Scientia viſionis comparatur ad ſuum obiectum vt repræſentatio ipſius, ergo vt practico modo ſe habens. Conſequentia probatur. Nam vt repræſentatio dicit regulam, cui conformatur obiectum; regula autem eſt cognitio practica.

32 Dices. Id eſſe verum de prima repræſentatione, quæ verſatur circa obiectum poſſibile; non autem, pro vt verſatur circa obiectum iam exiſtens. Contra. Vt attingit obiectum exiſtens, attingit vt habens ſuam menſuram paſſiuam ab ipſa, ergo attingit practico modo. Secundò obiectum exiſtens dependet à continuo influxu conſeruatiuo, ergo dependet practico modo à ſcientia; quia, cum ſit idem conſeruatio, & prima productio, concurrit etiam eadem vis cauſatiua ad conſeruationem, atque adeo etiam ipſa ſcientia.

33 Obijcitur; ſciẽtia practica reſpicit aliquid cauſabile, & illud ſupponit, ſcientia autẽ viſionis nõ ſupponit ſuum obiectum. Reſpondetur primam ſcientiam practicam non ſupponere, ſed facere cauſabile, quia dicit intrinſecum ordinem ad vim cauſatiuam, à qua dependet etiam in eſſe poſſibili, ſcientia autem viſionis, quia eſt practica vt cauſans, facit ſuum obiectum vt cauſatum.

34 Inſtabis obiectum debet fæcundare potentiam, ergo etiam reſpectu ſcientiæ practicæ debet præcedere. Reſpondetur negando conſequentiam, Nam ſcientia practica conſequitur ſpeculatiuam, hinc obiectum ſpeculabile fæcundat in ordine ad practicam, quia ſemper practicum dicit aliquid, quod virtualiter continetur in ſpeculabili.

35 Ad primum. Scientiam, quæ eſt coniuncta cum decreto, non eſſe cauſatiuam, ſed actu cauſantem, & ideo poſſe ſcientiam cauſatiuam præcedere decretum. Ad confirmationem. Patres per illum modum loquendi ſignificare, quod Deus non deſumat cognitionem à rebus, quod inter futuritionem, & Dei voluntatem, atque cognitionem ſit ordo dependentiæ. Ad ſecundum negatur ſequela. Quia ſcientia viſionis eſt cauſans actu, nec præſupponit obiectum, ſed facit.

DE COGNITIONE FVTVRORVM contingentium abſolutorum.

DISPVTATIO XXV.

An à Deo cognoſcantur.

SECTIO I.

1 NOmine futurorum contingentium abſolutorum intelliguntur illa, quæ perfectè contingentia ſunt, quia videlicet ex libertate cauſæ, à qua procedunt, poſſunt eſſe, & non eſſe, quia habet dominium ſupra ſuas operationes.

2 Dicendum primò. *Deum cognoſcere futura contingentia abſoluta*. Eſt de fide. Probatur Exodi 3. *Ego ſcio, quod non dimmittet vos*. Sapientiæ 9. *Præſciebat enim futura illorum*. Pſal. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longè*. Danielis 13. *Qui noſti omnia, antequam fiant*. Confirmatur. Si non cognoſceret futura contingentia, vel cognoſceret, quando actu exiſtunt; vel non. Si primum, ergo mutaretur in cognitione, & de non cognoſcente fieret cognoſcens. Si ſecundum, ergo eius cognitio non eſſet infinita, quia non attingeret omne cognoſcibile.

3 Dicendum ſecundò. *Cognitionem certã horum futurorum ita conuenire Deo, vt ſit propria ipſius*. Eſt de fide. Probatur, Iſaiæ 41. *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos*, & cap. 44. *Ego primus, & nouiſſimus, & abſque me non eſt Deus quis ſimilis mei*; Deindè, vt hoc probet, ſubdit. *Vocet, & annunciet, & ordinem exponat mihi, ex quo conſtitui Populum antiquum, ventura, & quæ futura ſunt annuncient eis*. Ioannis 13. *Dico vobis prinſquam fiat, vt cum factum fuerit credatis, quia ego ipſe ſum*. Confirmatur. Cognitio creata cauſatur ab obiecto, aut ab aliquo ſupplente vicem obiecti, quod eſt in ſtatu cognoſcibilitatis, ergo non poteſt cognoſcere futura, quia futura nondum habent eſſe, per quod poſſint cauſare cognitionem. Vndè neque etiam eſt debitum aliquod ſupplementum ſecundum ordinem cauſarum ſecundarum.

An futura contingentia abſoluta, habeant determinatam veritatem.

SECTIO II.

4 DIfficultas contra hanc cognitionem oritur ex eo, quod hæc futura, quamdiù ſunt futura, poſſunt eſſe, & non eſſe, vndè non habent determinatam veritatem; quod autem non eſt determinatè verum, non eſt cognoſcibile cognitione certa.

Prima ſententia aſſerit, non eſſe determinatè veram, nec determinatè falſam, ſiue conſiderentur in eſſe obiectiuo, ſiue in enunciatione. Ita Aureolus *in prima diſtinction. 39. parte prima artic. 1.* Bargius *quæſtion. 1.* Baſsolis *diſtinction. 38. quæſtion. 1. artic. 3. ad primum*,

Aegidius *quaſt.* 3. Argentinas *diſtinct.* 40. *quaſt. vnica art.*3.*ad primum*, *& ſecundum*.

Probant. Quod poteſt eſſe, & non eſſe, non eſt determinatè futurum, quod autem non habet eſſe determinatum, nec etiam habet veritatem determinatam. Secundò. Si eſſent determinatè vera, non poſſent non eſſe talia; vndè non eſſent contingentia, ſed neceſſaria. Tertiò. Si eſſent determinatè vera, ab æterno eſſent talia; quod autem ab æterno eſt verum, eſt immutabile, vndè tolleretur libertas.

5 Secunda ſententia aſſerit eſſe determinatè vera. Ita D. Thomas 1. *Periher. lec.* 13. 14. *&* 15. Alenſis 1.*p.q.* 15.*mem.*7. D. Bonauentura *in* 1.*diſt.* 38. *art.*2.*q.*1. Ariminenſis *q.*1.*art.*2. Richardus *art.*1.*q.*1. Gabriel *q.*1.*art.* 1. Palatius *diſp.*2. Scotus *diſt.* 39.*q.*1. Vaſquez 1.*p. diſp.* 66. Suarez *opuſc. de Praſcientia cap.*2. Ruiz *diſp.* 23. *de ſcientia Dei ſec.*2. Smiſing. *trac.*3.*de Deo vno diſputat.* 2. *quaſt.*4.

6 Notandum 1. Hæc futura habere duplicem ſtatum; videlicet in ſe ipſis, & in ſuis cauſis. Primo modo non habent rationem futuri, quia ſtatim ac conſiderantur in ſe ipſis, conſiderantur vt extra cauſam, atque adeo non vt futura, ſed vt iam facta. Secundo modo ita ſunt in cauſis, vt tamen inuoluant aliquam determinationem, quæ determinentur ad eſſe futurum, eſſe enim præcisè in cauſa dicit ſolam poſſibilitatem.

7 Notandum. Secundò. Hanc determinationem ſe tenere ex parte actus primi, ita enim determinat effectum, vt non faciat in actu, alioquin non eſſet futurum. Quia autem cauſa libera poteſt operari, & non operari, ideo hæc determinatio debet ipſam relinquere in ſua indifferentia, alioquin tolleret libertatem.

8 Notandum Tertiò. Veritatem futurorum poſſe conſiderari vel pro vt reali modo reperitur in ipſis futuris; vel pro vt eſt repræſentatiuè in mente Diuina. Primo modo non eſt actu, ſed eſt futura, quia ſequitur eſſe. Secundo modo de facto eſt in actu, ſicuti etiam eſt in actu cognitio Diuina.

9 Notandum quartò. Proportionem mentalem poſſe comparari ad eſſe horum futurorum pro vt in ſe ipſis conſiderantur, vel pro vt conſiderantur in repræſentatione Diuinæ cognitionis.

10 Dico primò. *Contingentia habere aliquam determinatam veritatem*. Ita D. Auguſtinus *lib.* 26. *contra Fauſtum cap.*4.*&* 5. Anſelmus *cap.* 17. *Monologij* Athanaſius *ſerm. de Paſſione*, *& Cruce*. Probatur. Futura contingentia præſciuntur à Deo certa cognitione, ergo ſunt determinatè vera. Antecedens eſt de fide. Conſequentia probatur. Quia ſicut, quod non eſt, non poteſt ſciri, ita quod non eſt determinatè verum, non poteſt ſciri ſcientia determinata. Confirmatur. Poſito decreto Diuino de futuritione alicuius, verum eſt dicere, quod illud erit, ergo eſt determinatè verum. Conſequentia patet. Antecedens probatur. Quia ex duobus contradictorijs ſemper vnum eſt determinatè verum, ergo cum iſtæ propoſitiones Petrus peccabit, Petrus non peccabit, ſint contradictoriæ, altera erit ſemper vera iuxta decretum permiſſum Dei.

11 Dico ſecundò. *Non habere veritatem determinatam in ſuis cauſis*. Probatur. Veritas ſequitur eſſe, ergo cum iſta futura non habeant in ſuis cauſis eſſe determinatum, nec etiam habebunt veritatem determinatam.

12 Dico Tertiò. *Non habere veritatem determinatam in ſe ipſis*. Probatur. Non habent aliquam determinationem ſecundum eſſe, quamdiù non ſunt extra cauſas in ſe ipſis, ergo neque determinatam veritatem. Antecedens probatur. Quibuſcunque poſitis, quæ antecedunt operationē cauſæ liberæ ſemper cauſa libera eſt indifferēs ad operandum, & non operandum, ergo non habetur aliqua determinatio ex parte cauſæ, ſed tantum ex parte actus.

13 Dico quartò. *Futura contingentia non eſſe determinatè vera vt futura, & contingentia formaliter, ſed vt præſentia, & neceſſaria*. Ita D. Thomas 1.*p.q.*14.*art.* 13.*in corpore*, *& in reſponſione*. *Ad ſecundum* Probatur. Futura contingentia non habent veritatem determinatam, niſi ratione eſſe determinati, quo determinato modo ſunt in ſe ipſis, ergo non habent veritatem vt futura, & contingentia, ſed vt neceſſaria, & exiſtentia. Conſequentia probatur. Quia contingentia, & futuritio excludunt actualitatem, quia dicunt nondum eſſe. Rurſus contingentia formaliter conſiſtit in eo, quod res poſſit eſſe, & non eſſe; quod autem conſideratur vt iam in ſuo actu eſſendi, neceſſariò eſt, ita, vt non poſſit non eſſe.

14 Dico quintò. *Futura contingentia habere determinatam veritatem in cognitione Diuina*. Probatur. Deus ab æterno cognoſcit futura in ſe ipſis, pro vt erunt in tali circumſtantia temporis, ergo repræſentantur in cognitione Diuina ſecundum ſuum eſſe determinatum.

15 Dico ſextò. *Propoſitiones de futuris contingentibus eſſe determinatè veras per conformitatem cum obiecto mediante cognitione Diuina*. Probatur. Quia enunciant quod eſt in repræſentatione mentis Diuinæ, & quod eſt in repræſentatione conformatur cum obiecto futuro. ergo

16 Dico ſeptimò. *Has enunciationes non eſſe vt veras per actualem conformitatem immediatam cum obiecto*. Probatur. Vel hæ propoſitiones reſpiciunt obiectum vt futurum; vel vt actuale, & præſens. Si primum, ergo non ſunt determinatè veræ, quia futurum vt tale eſt ſub contingentia, & non habet determinationem in ratione obiecti. Si ſecundum. Contra. Quia obiectum futurum reſpectu noſtri nondum eſt in ſe, nec attingitur vt præſens.

17 Ad primum Reſpondetur. Futura contingentia non cognoſci à Deo vt futura, & contingentia, ſed vt præſentia, & neceſſaria. Ad ſecundum. Conceditur eſſe neceſſariò talia, ſi conſiderentur cum reduplicatione determinatæ veritatis, quia hæc fundatur in eſſe actuali ipſorum, quod habebunt in tali circumſtantia temporis. Vndè ſunt tantum contingentia ſpecificatiuè. Ad tertium habere ab æterno ſuam determinatam veritatem in mente Diuina; non autem eſſe vera ab æterno ab intrinſeco ſuo, quaſi non accipiant ſuam veritatem à cauſa libera, & ideo non ſunt immutabiliter vera, & veritas ipſorum non eſt abſolutè ab æterno, ſed tantum ex ſuppoſitione quod ſint futura in tali circumſtantia temporis.

An Deus cognoſcat futura contingentia in ſuis idęis.

SECTIO III.

18 Altera difficultas circa cognitionem futurorum contingentium eſt ex parte medij, in quo cognoſcantur, quia cum nondum exiſtant, videntur indigere aliquo medio.

Supponendum eſt. Medium cognitionis aliud ſe tenere ex parte obiecti formalis, & aliud ex parte materialis. Primum eſt illa ratio, quæ mouet ad cognoſcendum, & de hoc non eſt difficultas reſpectu cognitionis Diuinæ, quia, vt vidimus, eſſentia Diuina eſt medium formale, quo omnia cognoſcuntur. Vndè difficultas eſt de medio ex parte tantum obiecti materialis.

19 Prima ſententia aſſerit, Deum cognoſcere hæc futura in ſuis ideis. Ita Albertus 1.*p.q.*60.*mem.*3. Alenſis *q.* 23.*mem.*3. Citantur etiam D. Thomas 1.*p.q.*14.*art.*13. Caietanus *ibidem*. Molina *diſp.*14.*&* 15. Bannes *concl.* 4. Cumel *diſp.*1.& nonnulli alij Thomiſtæ, qui tamen non docent Idęas eſſe primam rationem cognoſcendi, ſed ſolum ſuppoſita præſentiam in æternitate horum futurorum, cognoſci ratione Idęarum.

20 Secunda ſententia negat, cognoſci in Diuinis Idęis.

Ita

Digitized by Google

Ita Scotus *in* 1. *diſtinct.* 39. *quæſt.* 1. Mayoronus *diſtinct.* 38. *quæſt.* 1. Aureolus *quæſt. vnica artic.* 1. Ariminenſis *quæſt.* 2. *artic.* 2. Ocham *quæſt. vnica* Baſſolis *art.* 1. Vaſquez 1. *p. diſp.* 65. *cap.* 1. Faſolus *quæſt.* 14. *art.* 13. *dub.* 10. Ruiz *diſp.* 24. *de ſcientia Dei ſec.* 3. & alij.

21 Dico primò. Ideas Diuinas eſſe ſufficientes ad repræſentanda futura contingentia. Probatur. Futura contingentia, quando exiſtunt repræſentantur ab idæis Diuinis, ergo etiam quando futura ſunt. Antecedens probatur. Quia ſunt quid ideatum, & procedunt cauſaliter ab ipſa idea. Conſequentia probatur. Niſi repræſentaret etiam, quando futura ſunt, mutarentur, quia de non repræſentantibus fierent repræſentantes. Confirmatur. Non eſt minor repræſentatio idearum, quam ſit manifeſtatio Diuinæ cognitionis in ordine ad creaturas, quia Deus nihil cognoſcit, quod non poſſit facere, atque adeo cuius non habeat ideam menſuratiuam, ergo cum cognoſcat futura contingentia, & poſſit ea facere, debet habere ideam ipſorum.

22 Dico ſecundò. *Non ſufficere repræſentationem idearum vt cognoſcantur futura contingentia, ſed eſſe neceſſariam aliquam determinationem in ratione obiecti.*

Probatur. Ideæ Diuinæ ſunt tantum medium formale, ſeu repræſentatiuum ſecundum exigentiam obiecti, ergo non ſufficiunt pro cognoſcendis futuris contingentibus. Antecedens probatur. Quia non repræſentant, quod non eſt repræſentabile, nec alio modo, quàm ſit repræſentabile. Conſequentia probatur. Quia requiritur determinatio in ratione obiecti, vt poſſint obiecta determinato modo repræſentari, ergo oportet dare aliquid aliud ex parte futurorum, per quod fiant determinato modo repræſentabilia. Confirmatur. Contingentia ſunt indifferentia, vt hæc potius, quàm illa ſint futura, ergo non ſufficiunt Ideæ. Conſequentia probatur. Quia Ideę repræſentant omnia ſiue futura, ſiuè non futura; vndè non ſunt determinatæ vt repræſentent tanquam futura hęc potius, quam illa, ergo neceſſaria eſt aliqua determinatio ex parte obiecti.

23 Dices habere totum, quod requiritur in ratione repræſentatiua, alioquin neque poſſent repræſentare, quando futura actu exiſtunt. Contra. Ad repræſentationem neceſſariò requiruntur duo extrema; Repræſentatiuum, & repræſentabile, ergo licet Ideę completo modo ſe habeant in ratione repræſentatiui, non poſſunt repræſentare, niſi etiam repræſentabile ſe habeat completo modo.

24 Obijcies. Obiectum formale ſe ſolo poteſt determinare cognitionem, ergo cum omnipotentia, eſt Ideæ, ſint obiectum formale, ſufficiunt pro cognitione futurorum contingentium. Reſpondetur obiectum formale habere totam vim determinandi in ratione obiecti formalis, non in ratione obiecti materialis, & ideo requiri determinationem in obiecto ſecundario, alioquin faceret illud innoteſcere aliter, ac eſt.

An Deus cognoſcat futura contingentia in ſuo decreto.

SECTIO IV.

25 QVæſtio procedit de decreto Diuino, quo determinat ipſa futura contingentia, ſeu quo vult concurrere cum cauſa libera in ordine ad ſuos actus; decretum autem Diuinum poteſt conſiderari, & ſecundum id, quod dicit in recto, & ſecundum id, quod dicit in obliquo. Primo modo dicit actum intrinſecum Deo, ſecundo modo dicit terminum ad extra. Quæſtio autem procedit de decreto ſecundum id, quod dicit in recto, quia eo ipſo, quod cognoſcitur terminus, ſeu decretum ſecundum id, quod dicit in obliquo, cognoſcitur etiam futurum contingens; vndè non cognoſceretur in decreto, ſed in ſe ipſo.

26 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Richardus *in* 1. *diſtinct.* 38. *quæſt.* 5. Durandus *quæſt.* 3. Maior *quæſt.* 1. *art.* 4. Scotus *diſt.* 39. *quæſt. vnica* §. *viſo de contingentia*: Caietanus 1. *p. q.* 14. *art.* 13. Aluarez 2. *de Auxilijs diſp.* 10. & 11. Ledeſma *q.* 9. *de Diuina perfectione art.* 4. *ſub artic.* 4.

Probant. Cauſa determinata eſt ratio cognoſcendi effectum determinatum, &, ſi ſit neceſſaria, neceſſariò futurum, ergo quando eſt determinata, & infallibilis ſicuti eſt decretum Diuinum, erit ratio cognoſcendi effectum vt infallibiliter futurum. Secundò. Eſt bona illatio, Deus permiſit ab æterno Petrum peccaturum, ergo peccabit, ergo cognita permiſſione, cognoſcitur futurum peccatum.

27 Secunda ſententia aſſerit, decretum liberum eſſe radicem remotam cognoſcendi futura contingentia. Ita Vaſquez 1. *p. diſp.* 65. *cap.* 2. Turrianus *opuſculo de Præſcientia diſp.* 1. *dub.* 4.

Fundamentum eſt, quia decretum facit, vt futura contingentia habeant determinatam veritatem, ratione cuius cognoſcuntur.

28 Tertia ſententia aſſerit, decretum liberum eſſe rationem cognoſcendi hæc futura ſuppoſita cognitione eorundem futurorum in ſtatu conditionato, ita vt primò Deus cognoſcat hæc futura in eſſe poſſibili, deindè eſſe futura conditionatè, ſi ponatur talis, vel talis conditio; deindè ſub ratione decreti abſoluti, cognoſcat vt abſolutè futura. Ita Suarez *lib.* 1. *de ſcientia futurorum cap.* 4. Ruiz *diſp.* 25. *de ſcientia Dei ſect.* 5. Faſolus 1. *p. q.* 14. *art.* 13. *dubit.* 11. & alij.

Probant ſuppoſito, quod Deus cognoſcat, quid ſit Petrus facturus, ſi in tali ſtatu cum talibus circumſtantijs ponatur, & determinet de aliquo actu ipſius, prædefinitio erit certa, & infallibilis, ergo hac ſcientia ſuppoſita, decretum eſt, ſufficiens ratio cognoſcendi.

29 Quarta ſententia negat abſolutè, Deum in ſuo decreto cognoſcere hæc futura. Ita Peſantius 1. *p. q.* 14. *art.* 13. *diſp.* 3. *concluſione* 3. Smiſing *trac.* 3. *de Deo vno diſp.* 2. *q.* 4. *num.* 69. Rainardus *in naturali theologia diſt.* 8. *q.* 1. *art.* 2. *num.* 37. & ij, qui putant ſolum cognoſci ex veritate, quam habent in ſe ipſis, quos infra referemus.

30 Notandum primò. Voluntatem Diuinam ſe habere ad modum actus puriſſimi, atque adeo infinito modo. Hinc totum id, quod dicit voluntas creata ratione ſuorum actuum, dicit ipſa Diuina in ſimpliciſſima ratione; & importat omnes volitiones, quas poteſt quocunque modo quodlibet obiectum attingere, & ideo non indiget aliquo ſuperaddito, vt attingat.

31 Notandum ſecundò. Hinc fieri, vt ſecundum actualiſſimam volitionem indifferenter ſe habeat circa contingentia, quia quando vult aliquid, ita in ſua ratione habet rationem volendi, vt ſimul etiam habeat rationem nolendi, alioquin in ſuo eſſe intrinſeco non ſe haberet actualiſſimo modo.

32 Notandum tertiò. Diuerſo modo comparari actum voluntatis Diuinæ ad obiectum contingens, ac actum creatum; quia actus creatus ſpecificatur ab obiecto, atq; ab ipſo habet ſuam determinationem, quod non contingit in actu Diuino, quia contingentia reſpectu ipſius ſunt obiectum ſecũdarium. Vnde Diuina volitio habet omnem determinationem ſolum ex obiecto primario, & ideo non dicit in ſe illam ſpecialem determinationem, qua determinato modo ſe habeat in ordine ad tale obiectum.

33 Notandum 4. Determinationem contingentiæ aliam eſſe formalem, & aliam cauſatiuam. Formalis, qua formali modo, fit determinatio. Cauſatiua verò eſt illa, quæ cauſat formalem. Hinc voluntas non ſe determinat niſi cauſatiuè cauſando actum, qui eſt determinatio formali. Vndè voluntatem determinare ſe ipſam ad aliquid producendum, non eſt aliud, quã determinare productionem ſui ipſius, & ideo ex parte ſui ipſius nullã dicit determinationẽ formalẽ.

34 Notandum quintò. Aliam eſſe connexionem neceſſariam, & aliam infallibilem. In prima vnum extremum habetur ex alio ex determinatione, quæ eſt in ipſo,

ita vt ſit determinatum ad vnum, vt quando poſito igne ponitur calefactio. Secunda dicit id, quod conſequitur eſſe in eo, à quo conſequitur indeterminato modo, ita vt poſſet non conſequi, & ideo determinatio ipſius non habetur niſi illo poſito, quod conſequitur, & ſolum ex parte cauſæ dicit aliquam efficaciam ordinatam ad ipſum, quæ tamen præualeat ad illud inferendum.

36 Notandum ſextò. Aliud eſſe aliquid eſſe medium, ex quo inferatur, Deum cognoſcere contingentia futura; & aliud eſſe medium, in quo illa cognoſcat; Primum dicit eſſe radicem, vndè arguitiuè poſſit inferre talis cognitio, & in hoc ſenſu loquuntur Patres, quando dicunt, Deum cognoſcere futura, quia eſt auctor illorum; ſecundum dicit, quod ſit aliquid in genere obiecti faciens determinato modo illa innoteſcere.

36 Dico primò. *Deum non cognoſcere futura contingentia in ſuo decreto, quo abſolutè, & efficaciter de ipſis determinet.* Probatur. Decretum Diuinum, pro vt ſe tenet ex parte Dei, præciſo termino non habet aliquam intrinſecam determinationem, ergo non poteſt in ipſo cognoſcere contingentia. Antecedens patet ex prænotatis.

Conſequentia probatur. Quia non poſſunt hæc futura in aliquo cognoſci, niſi determinatè ſe habeat.

Confirmatur. Vel poſito decreto voluntas creata ita ſequitur determinationem voluntatis Diuinæ, vt poſſit non ſequi; vel non. Si primum, ergo non eſt cauſa libera, quia iam in aliquo antecedenti eſt determinatus actus ipſius, nec ipſa ſe determinat, ſed merè determinatur. Si ſecundum, ergo ſicut poteſt non ſequi, ita nondum habetur determinato modo, & ideo ex vi huius decreti non eſt cognoſcibile tanquam aliquid determinatum. Confirmatur ſecundò. Vel in hoc decreto habet contingens determinationem ad vnum; vel non. Si primum, ergo ſequitur neceſſariò, quia illud ſequitur neceſſariò, quod ſequitur ex aliquo antecedenti determinato ad vnum. Si ſecundum, ergo hoc decretum non poteſt eſſe ratio cognitionis certæ, & determinatæ.

37 Dico ſecundò. *Neque decretum permiſſiuum eſſe rationem cognoſcendi peccata.*

Probatur. Poſito decreto permiſſiuo voluntas creata, pro vt ſtat ſub hoc decreto in ſenſu compoſito, ita eſt libera, vt poſſit operari malum, & bonum, nec illi aliquid deſit neceſſarium ad bonum operandum, ergo ratione ipſius non poteſt malum determinatè cognoſci, quia ratione permiſſionis nondum peccatum habet aliquam determinationem.

38 Ad Primum negatur conſequentia. Nam poſito decreto Diuino, adhuc eſt neceſſaria determinatio voluntatis creatæ, ſine qua futurum contingens non ſe habet determinato modo, conſequitur tamen infallibiliter, non quia in cauſa, ſeu decreto determinato modo ſe habeat, ſed ſolum quia voluntas creata conſtituitur in talibus circumſtantijs, vt ſe determinet potius in hanc, quam in illam partem. Vndè negatur paritas de cauſa neceſſaria, & libera.

Rurſus decretum Diuinum non poteſt cognoſci vt determinato modo ſe habens, niſi cognoſcatur etiam terminus extrinſecus, vt patet ex dictis.

Ad ſecundum. Illam illationem eſſe bonam ratione infallibilis connexionis; connexio autem infallibilis non radicatur ſecundum ſuam determinationem in vno tantum extremo, quod ſit determinatum ad vnum, ſed in vtroque, ita, vt ſit neceſſe vtrumque poni, vt habeatur talis determinatio; Hinc vt videatur infallibilitas, non ſufficit cognoſci decretum, ſed inſuper debet cognoſci conſequutio, quæ non cognoſcitur, niſi etiam cognoſcatur contingens in ſe ipſo.

39 Ad Fundamentum ſecundæ ſententiæ negatur aſſumptum. Nam contingentia non ſe habent determinato modo, niſi pro vt ſunt in ſe ipſis, & ideo fiunt determinata ab ipſa cauſa libera, à qua ponuntur in eſſe.

40 Ad Fundamentum tertiæ ſententiæ. Supponere, dari ſcientiam mediam, quæ eſt controuerſa inter Theologos. Deindè ea poſita, neque ſufficit, vt in decreto Dei cognoſcantur futura contingentia, nam adhuc non habetur determinatio ipſius futuri, Petro enim poſito in talibus, & talibus circumſtantijs, & decreto Diuino, quo Deus decernat Petrum tali pacto ſe determinare, adhuc Petrus eſt liber ad ſe determinandum in hanc, vel illam partem; & ideo futurum contingens nondum ſe habet determinato modo.

41 Quæres. An Deus prius cognoſcat ſuum decretum liberum vt futurum, quam actu exiſtens.

Reſpondetur negatiuè cum Molina *prima parte quæſt.* 14.*artic.*13. *diſputat.* 17. Vaſquez *diſputat.* 65. *capit.*4. Smiſing *tractat.*3. *de Deo vno diſputat.* 2.*quæſt.*4. contra Suarez *lib.*2. *de ſcientia Dei capit,*6, *&* 8. Ruiz *diſputat.* 26. *de ſcientia Dei ſect.* 4.

Ratio eſt. Quia futurum dicit negationem actualis exiſtentiæ, cum qua non poteſt concipi decretum Diuinum, cum ſit ab æterno. Vndè, licet concipiamus diuerſa ſigna, ita vt prius concipiamus decretum poſſibile, deindè actu exiſtens, non tamen poteſt decretum in aliquo ſigno eſſe futurum, quia futuritio pugnat cum æternitate.

An futura contingentia cognoſcantur in ſuis cauſis.

SECTIO V.

42 Nomine ſuarum cauſarum intelliguntur cauſæ liberæ creatæ, quæ conſiderari poſſunt vel ſecundum nudam virtutem cauſatiuam, vel cum omnibus requiſitis neceſſarijs ad cauſandum. Quæſtio procedit de cauſis ſecundo modo.

Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Bannes *prima parte quæſt.*14.*art.*13.*dubit.prima.* Aluarez 2. *de Auxilijs diſput.* 12. Gonzalez *prima parte diſputat.*44. Cabrera 3. *parte tom.*1.*quæſt.*1.*artic.*3.*diſputat.* 1.§.12. & nonnulli alij recentiores Thomiſtæ.

Probant. Futura contingentia, vt ſunt in ſuis cauſis, quatenus ipſæ ſubijciūtur denominationi Diuinæ ſcientiæ, & voluntatis, habent eſſe determinatum, & cauſæ non impediuntur, ergo. Secundò. Gratia efficax habet infallibilem connexionem cum effectu, ergo in voluntate, ipſa informata cognoſcet Deus futurum contingens.

43 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Aureolus *in prima diſtinct.* 38.*artic.* 1.*propoſit.*4. Herueus *art. primo.* Capreolus *quæſt. prima artic.*2. Ferrarienſis *primo contra Gentes capit.* 67. Caietanus *prima parte quæſtion.* 14. *artic.*13. Molina *diſput.*14. Vaſquez *diſput.*65.*capit.* 4. Arubal *diſput.*42. Suarez *lib. primo de ſcientia contingentium capit.*3. Ruiz *diſput.* 27. *de ſcientia Dei, &* 73. *ſection.*4. Smiſing *tractat.*3.*de Deo vno, diſput.* 2.*ſec.*4. & alij.

44 Dicendum eſt. *Futura contingentia non poſſe cognoſci à Deo in ſuis cauſis proximè diſpoſitis in actu primo certò, & infallibiliter.* Ita D. Thomas 1.*part,q.*14. *art,*13.*&* *in* 1.*diſt.*38,*q,*1.*art.*5.*&* *q.*2.*de Veritate artic.* 12. *Ad primum.* Probatur. Cauſa libera cūm quauis proxima diſpoſitione eſt indifferens ad operandum, & non operandum, ergo non poſſunt in ipſa cognoſci determinatè futura contingentia.

Antecedens patet. Quia ſi ex vi actus primi eſſet determinata ad vnam partem, non poſſet operari liberè, & contingenter, quia non poſſet operari, niſi ſecundum illam partem, ad quam eſſet determinata. Conſequentia probatur. Quia ſtante hac indeterminatione futurum contingens nullam habet determinationem in cauſa. Confirmatur. Scientia Dei ita debet eſſe certa, vt implicet eſſe

falſa

Digitized by Google

falſa, ergo etiam obiectum debet implicare, quod aliter ſe habeat; futura autem contingentia poſſunt aliter ſe habere, quamdiù ſunt in cauſa, alioquin cauſa neceſſariò operaretur.

45 Dices. Id valere de cauſa libera non prædeterminata, non autem de prædeterminata, quia tunc determinatur ad vnam partem. Contra. Prædeterminatio quocumque modo ponatur, non immutat modum operandi cauſæ liberæ. Ergo ordine facit, quod effectus ſe habeat determinato modo in ſuo cauſa. Ergo nec quod poſſit in ipſa cognoſci, quia vt cognoſcatur, debet determinato modo ſe habere.

46 Dices ſecundò. Licet prædeterminatio non immutet modum operandi, facere tamen, quod cauſa ſit determinata ad talem actum, atque adeo quod actus ſit cognoſcibilis in cauſa. Contra. Iſta determinatio non excludit à cauſa potentiam ad oppoſitum, ſiquidem liberum arbitrium à Deo motum poteſt nedum non conſentire, ſed etiam diſſentire, vt habet Concil. Trident. *ſeſſ. 6. can.* 4. Ergo non facit, vt determinato modo effectus in cauſa contineatur. Rurſus prædeterminatio dicit eſſentialem ordinem ad effectum. Ergo eo ipſo quod cognoſcitur, cognoſcitur etiam effectus vt terminus, atque adeo non in prædeterminatione.

47 Ad Primum negatur antecedens. Nam futura contingentia non habent eſſe determinatum, niſi prout ſunt in ſe ipſis. Ad ſecundum negatur conſequentia. Nam gratia efficax non pertinet ad actum primum, cum ſe habeat per modum actualis motionis; nec poteſt cognoſci vt infallibiliter connexa cum actu, niſi ſimul cognoſcatur actus, quia infallibilitas conſiſtit in connexione, & connexio non poteſt cognoſci, niſi ſimul cognoſcantur termini connexi.

An Deus cognoſcat futura contingentia ratione ſuæ efficacis cognitionis.

SECTIO VI.

48 PRima ſententia aſſerit, Deum cognoſcere futura contingentia ex eo, quod ſcientia ipſius eſt cauſa rerum, & indefectibilis. Ita Palatius *in* 1. *diſt.* 18. *diſp.* 2. *dub. penult.* & nonnulli alij Recentiores. Fundamentum eſt. Quia non aliter poteſt res euenire, quam ſit præuiſa à Deo.

49 Secunda ſententia aſſerit, Deum cognoſcere hęc futura, quia cum cognitio ipſius infinita ſit, debet ad ipſa ſe extendere. Ita Ochamus *in* 1. *diſt.* 38. *quæſt.* 1. Gabriel *ar.* 2. Fundamẽtum eſt. Quia cum Diuinus intellectus ſit in actu reſpectu omnium cognoſcibilium, non indiget aliquo medio ad cognoſcenda iſta futura.

50 Dico primò. *Præſcientiam Diuinam non eſſe rationem cognoſcendi iſta futura ratione ſuæ efficacitatis.* Probatur. Quia non habet in ſe aliquid, per quod poſſit determinare cognitionem Diuinam, imo ipſa debet determinari, ſeu ſupponere obiectũ determinato modo ſe habens. Confirmatur. Efficacia ipſius cauſatiua non eſt adæquata efficacia, nec magis reſpicit vnam, quàm aliam partem. Ergo non poteſt eſſe ratio, per quam contingentia determinato modo innoteſcant.

51 Dico ſecundò. *Neque infinitatem cognitionis eſſe rationem cognoſcendi.* Probatur. Infinitas cognitionis facit in actu intellectum reſpectu obiecti, quod eſt cognoſcibile, ergo vt faciat in actu determinato, debet ſupponere obiectum determinato modo ſe habens.

52 Ad fundamentum primæ ſententiæ negatur conſequentia. Nam infallibilitas Diuinæ præſcientiæ non eſt cauſatiua; ſed ſupponit effectum determinato modo ſe habere, & ideo non poteſt eſſe ratio cognoſcendi, & impoſſibilitas, quod res aliter ſe habeat, eſt conſequens, non antecedens.

An futura contingentia cognoſcantur in ſe ipſis.

SECTIO VII.

53 PRima ſententia eſt negatiua. Ita Nauaretus 1. *p. q.* 14. *controuerſ.* 54. Gonzalez *diſp.* 32. Nazarius *art.* 13. *contr.* 2. Aluarez 2. *de Auxilijs. diſp.* 12. Smiſing. *trac.* 3. *de Deo vno. diſp.* 2. *q.* 4. *num.* 85. & nonnulli alij ex recentioribus Thomiſtis.

Probant. Contingens de ſe eſt indifferens, vt ſit, vel non ſit, ergo non poteſt eſſe in ſe ipſo determinato modo cognoſcibile. Secundò. Ante decretum de futuritione res omnes erant æquales ſiue futuræ, ſiue non futuræ, ergo cum ratione decreti incipiant futura à non futuris diſtingui, ratione ipſius fient cognoſcibilia, non autem ratione ſui.

54 Secunda ſententia eſt affirmatiua, nec aliquid aliud requirit, præter veritatem, qua vera ſunt in ſe ipſis. Ita Cumel 1. *p. q.* 13. *ar.* 13. *q.* 1. *concluſione* 4. Faſolus *dubit.* 12. Peſantius *diſp.* 5. Arubal *diſp.* 41. & 43. Suarez *l.* 1. *de ſcientia contingentium. cap.* 8.

Fundamentum eſt, quia ratione determinatæ veritatis, quam habent in ſe ipſis, ſunt in ſtatu proximo cognoſcibilitatis.

55 Tertia ſententia aſſerit cognoſci in ſe ipſis, ſed inſuper requirit præſentiam ad æternitatem ſecundum eſſe reale exiſtentiæ. Ita D. Tho. 1. *p. q.* 14. *art.* 1. Caiet. *ibidem* & alij, qui ponunt hanc præſentiam, quos ſuo loco citauimus.

56 Dicendum primò. ***Futura contingentia cognoſci à Deo in ſe ipſis.*** Ita D. Thomas 1. *p. qu.* 14. *art.* 13. & alij. Probatur. Futura contingentia habent in ſe ipſis determinatam veritatem, vt probatum eſt, ergo cognoſcuntur in ſe ipſis. Conſequentia probatur. Quia ratione determinatæ veritatis ſe habent determinato modo in ratione obiecti, atque adeo ſunt in ſe ipſis cognoſcibilia.

57 Dicendum ſecundò. *Vt cognoſcantur in ſe ipſis, neceſſariam eſſe præſentiam æternitatis ad ipſa ſecundum eſſe reale exiſtentiæ.* Probatur. In quacunque differẽtia temporis, antequam ſint in actu, valet, quod non habeant eſſe determinatum, ergo non poſſunt attingi vt habentia eſſe determinatum, niſi attingãtur, vt iam ſunt in illa differentia temporis, in qua exiſtunt, ergo non poſſunt attingi, niſi æternitas ſit præſens ipſis, quia ſupponuntur exiſtere, quando in ſe ipſis attinguntur, & non exiſtunt, niſi in tali differentia temporis.

58 Dices. Sufficere, ſi ſint præſentia ſecundum eſſe obiectiuum, vt attingantur determinato modo. Contra. Si eſſent præſentia ſolum ſecundum eſſe obiectiuum, cognoſcerentur vt futura ſecundum eſſe reale, ergo non poſſent cognoſci vt determinata, & certa; quia quamdiù ſunt futura, poſſunt ſemper aliter ſe habere, & non ſunt determinata, niſi quando exiſtunt.

Secundò. Eſſe determinatum obiectiuum ſupponit eſſe obiecti determinato modo ſe habentis in ſe ipſo; & quando eſſe obiectiuum eſt infallibile, ita vt implicet aliter ſe habere, etiam obiectum debet eſſe tale, ergo cum ab æterno fuerint certa, & infallibilia, ita vt cognoſcerentur determinato modo, & impoſſibile fuerit, quod aliter ſe haberent, ac cognoſcerentur, debuit ab æterno ſupponi, futura actu exiſtere, quod fieri non potuit niſi Deus ratione ſuæ æternitatis fuerit præſens cuicumque differentiæ temporis.

59 Ad Primum reſpondetur. Contingens eſſe indifferens, antequam determinetur per ſuam actualitatem; ſecus autem, quando eſt iam determinatum; cognoſcitur autem à Deo in ſe ipſo vt iam determinatum per ſuam actualitatem. Ad ſecundum negatur conſequentia. Nam ratione decreti non poſſunt fieri ſufficienter determinato modo cognoſcibilia, quia ſolum

Digitized by Google

ſum ratione ſui eſſe actualis ſe habent determinato modo .

60 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ . Ratione veritatis eſſe in ſtatu proximo cognoſcibilitatis , ſed quia non habent veritatem determinatam,niſi dum exiſtunt , ideo debent obijci vt exiſtentia,atque adeo cum ſua differentia temporis .

Quomodo præſcientia Dei ſit neceſſaria .

SECTIO VII.

61 SVpponendum eſt ; ſimpliciter non eſſe neceſſarium,quod Deus præſciuerit futura, quia ſicuti potuerunt non eſſe futura, ita etiam potuerunt non præſciri,ſuppoſito tamen, quod fuerint futura, neceſſarium fuit,præſciri à Deo:quia cum Diuina cognitio ſit infinita, debet attingere omne cognoſcibile, & ſimiliter etiam omne cognoſcibile exigit manifeſtari in cognitione Diuina. Vndè eſt neceſſitas ex natura rei, fundata tamen in aliqua ſuppoſitione contingenti .

62 Supponendum ſecundò . Neceſſitatem ex ſuppoſitione eſſe duplicem. Abſolutam,& ſecundum quid. Prima eſt illa , quæ nullo modo variari poteſt ex eo , quod ſuppoſitio , in qua fundatur , ſit inuariabilis . Sic quod præteritum fuerit ita eſt neceſſarium, vt ſit omnino inuariabile.Secunda eſt,quando poteſt variari ex eo,quod poſſit variari ſuppoſitio. Difficultas autem eſt , Quænam neceſſitas ex his duabus conueniat Diuinæ præſcientiæ .

63 Prima ſententia aſſerit, præſcientiam Dei eſſe tantum neceſſariam ſecundo modo ; ita vt , ſicuti ab æterno potuit non præſcire futura, ita etiam de facto poſſit non præſciuiſſe. Ita Albertus 1.*p.q.61.art.6.* D. Bonauentura *in 1.diſt.40.art.1.q.1.* Scotus *q.vnica.* Durandus *q.1.* Richardus *diſt.39.artic.1.q.2.* Ochamus *diſt.38.q.vnica* Gabriel *art.2.& 3.* Ariminenſis *q.2. art.3.* Ferrarienſis 1.*contra Gentes cap.67.*& alij.

Probant. Ex antecedenti neceſſariò ſequitur conſequens eiuſdem neceſſitatis, ergo ſi præſcientia ita eſt neceſſaria, vt poſſit non eſſe, etiam futurum contingens ita erit neceſſariò futurum , vt poſſit non eſſe : quod enim Deus præſcit,debet eſſe,ne ſit fallibilis .

64 Secunda ſententia tribuit præſcientiæ neceſſitatem ſuppoſitionis prioris generis . Ita D. Thomas 1. *contra Gentes cap.*87. Capreolus *in 1.diſt.48. art.2. concluſ.6.* Molina 1.*p.q.14.diſput.16.* Suarez *lib.1.de ſcientia contingentium cap.9.* Albertinus *tom.1.quæſt.theologica ex quarto principio philoſophico difficultate 2.* Ruiz *diſput. 31.de ſcientia Dei ſect.4.*

65 Dicendum eſt. *Præſcientiam Dei ſuppoſita futuritione habere neceſſitatem indiſſolubilē,ita vt impoſſibile ſit ex inuariabilitate ſuppoſitionis,Deum non præſciuiſſe.* Probatur. Præteritum ita eſt factum,vt ex indiſſolubilitate ſuppoſitionis implicet non eſſe factum , ergo etiam futura ita præſciuntur, vt implicet non præſciri ex inuariabilitate ſuppoſitionis . Conſeq. probantur. Nam Patres eamdem neceſſitatem, quam tribuunt præteritis , quod fuerint , tribuunt etiam futuris, quod ſint futura , ita vt eodem pacto neceſſaria ſit in Deo præſcientia futurorum,ac cognitio præteritorum. Ita Leo Magnus *ſer. 16. de Paſſione c.2.* Anſelmus *de concordia præſcientiæ cap.1.* Hieronymus *in 2.ad Epheſios .*

Confirmatur . Quia Scriptura ſignificat futura contingentia tanquam facta per verbum præteritum. Secundò. Ad Timotheum 2. *Firmum fundamentum Dei ſtat habēs ſignaculum hoc,Cognouit Dominus, qui ſunt eius.* Confirmatur ſecundò.Præſcientia Dei inuoluit eſſe præteritum reſpectu noſtri, ita vt verum ſit dicere, quod Deus præſciuerit , ergo eodem modo implicat , Deum non præſciuiſſe, quo implicat , aliquid præteritum non fuiſſe .

66 Dices, In æternitate nihil eſſe præteritum , & ideo præſcientiam Dei non poſſe conſiderari vt præteritam . Contra. Licet non poſſit conſiderari vt præterita, eſt tamen fundamentum veræ enunciationis præteritę , nam fuit verum dicere , quod Deus pręſciuerit , hęc autem veritas pręterita fieret non pręterita, ſi poſſet Deus non pręſciuiſſe .

67 Ad fundamentum oppoſitæ ſententię . Quod pręſcitur,eſſe futurum ea neceſſitate, qua eſt neceſſaria pręſcientia:quia tamen pręſcientia non eſt abſolutè neceſſaria, ſed ex ſuppoſitione, quod videlicet futura ſint liberè futura,ideo etiam futurum contingens eſt neceſſariò futurum ex ſuppoſitione,quod ſit futurum: hoc autem non derogat contingentiæ ipſius.

An, & quomodo præſcientia ſtet cum libertate .

SECTIO IX.

68 SVpponendum tanquam certum de fide , Præſcientiam Dei ſtare ſimul cum libertate , quia Scriptura ita tribuit Deo hanc pręſcientiam , vt ſimul etiam tribuat homini libertatem in operando , & ſicuti ex eo , quod aliquis intueatur Petrum ambulare , non tollitur , quod ipſe liberè non ambulet , licet impoſſibile ſit , quod non videatur vt ambulans , ita licet impoſſibile ſit , quod Deus non præſciat , Petrum peccaturum , non hinc fit,quod Petrus non ſit liberè peccaturus. Difficultas autem eſt , quomodo infallibilitas pręſcientię non deſtruat libertatem, & Ratio dubitandi eſt. Quia ſi impoſſibile eſt , Deum non falli in ſua pręſcientia , impoſſibile etiam erit, quod non ſequatur futurum contingens , quod pręſcitur , quod videtur tollere contingentiam,quia contingens poteſt eſſe, & non eſſe.

69 Notandum primò . Propoſitionem poſſe ſumi in ſenſu compoſito , & diuiſo : Senſus compoſitus eſt , in quo forma componitur cum ſubiecto: Senſus vero diuiſus eſt , quando ſubiectum ſtat ſub aliqua forma , ſed conſideratur ſeiunctum ab illa forma , vt Petrus currens poteſt ſedere : eſt enim vera propoſitio in ſenſu diuiſo , quia videlicet conſideratur Petrus , vt ſeiunctus à forma curſus: falſa autem in ſenſu compoſito .

70 Notandum ſecundò. Licet neceſſitas ſuppoſitionis ſit ſemper conſequens reſpectu illius ſuppoſitionis , in qua fundatur,poteſt tamen reſpectu alterius eſſe antecedens , vt ſi Sol eſt ſuper terram , dies eſt , licet enim neceſſitas eſſendi ſuper terram ſit ex ſuppoſitione , quod Sol ſit ſuper terram, atque adeo conſequens, reſpectu tamen exiſtentię diei eſt antecedens . Hinc datur duplex neceſſitas ſuppoſitionis . Antecedens, & Conſequens , vnde reſpectu libertatis erit antecedens , ſi antecedat exercitium libertatis , erit autem conſequens , ſi ſupponat .

Notandum tertiò . Vtramque neceſſitatem eſſe in ſenſu compoſito,ſed Antecedens fundatur in ſenſu compoſito antecedenti, Conſequens vero in ſenſu compoſito conſequenti.Rurſus vtraque importat neceſſariam illationem,ita vt illa poſita debeat poni actus,quem reſpicit,alioquin non eſſet neceſſitas .

71 Dicendum primò . *Neceſſitatem antecedentem ex ſuppoſitione , & in ſenſu compoſito lædere libertatem.* Ita pręcipuè Diuus Anſelmus *capitulo primo de concordia præſcientiæ , & capitulo ſecundo de prædeſtinatione,& lib.2. Cur Deus homo capitulo* 18. Vbi tradit hanc duplicem neceſſitatem,&,vt ſaluet, Quomodo Chriſtus voluntarie ſit mortuus , cum ex neceſſitate fuerit mortuus , excluſa neceſſitate antecedenti , recurrit ad conſequentem .

Probatur . Neceſſitas antecedens ponit determinationem ad vnum , ergo tollit libertatem, Antecedens patet,

Digitized by Google

patet, quia neceſſitas, vt opponitur contingentię conſiſtit in determinatione ad vnum, alioquin adhuc remaneret contingentia, quia poſſet actus eſſe, & non eſſe. Conſequentia probatur. Quia ille actus non eſt liber, qui prouenit ex aliqua determinatione ad vnum antecedenti, tunc enim non ita prouenit, vt poſſit non prouenire. ergo

72 Dicendum ſecundò. *Præſcientiam Dei eſſe neceſſariam neceſſitate conſequenti in ſenſu compoſito, & ideo non lædere libertatem.* Ita D. Anſelmus *cap. 1. de concordia præſcientiæ*, vbi habet. *Cum dico. Si præſcit aliquid, neceſſe eſt, illud eſſe futurum, idem eſt ac, ſi dicam, ſi erit, ex neceſſitate erit, ſed hæc neceſſitas non cogit, vel prohibet, aliquid eſſe, aut non eſſe; ideo enim, quia ponuntur res eſſe, dicuntur ex neceſſitate eſſe; aut quia ponuntur non eſſe, affirmantur non eſſe ex neceſſitate, non quia neceſſitas cogat, aut prohibeat rem eſſe, aut non eſſe; nam cum dico. Si erit, ex neceſſitate erit, hic ſequitur neceſſitas, quæ rei poſitionem non præcedit. Idem valet, ſi ſic pronunciatur, Quod erit, ex neceſſitate erit, non enim aliud ſignificat hic neceſſitas, niſi quia quod erit, non poterit ſimul non eſſe.* Probatur. Neceſſitas præſcientiæ ſupponit exercitium libertatis, quia Deus in tantum præſcit, in quantum voluntas eſt liberè ſe ipſam determinatura, ergo non tollit libertatem. Conſequentia probatur. Quia non tollitur libertas, quando ſupponitur exerceri. Confirmatur. Deus in tantum præſcit futura contingentia, in quantum ſecundum ſuum eſſe reale exiſtentiæ ſunt illi præſentia, ergo præſcit vt liberè poſita in actu.

73 Ad rationem dubitandi reſpondetur. Illam impoſſibilitatem eſſe conſequentem in ſenſu compoſito, & ideo non tollere libertatem, quia ſupponit exercitium ipſius.

74 Obijcies. Si Deus alicui reuelaret, eum peccaturum, non haberet libertatem ad non peccandum, quia ſciret reuelationem eſſe infallibilem, ergo etiam præſcientia tollit libertatem, quia eſt eadem ratio. Reſpondetur negando antecedens. Quia reuelatio non mutaret modum operandi, & ſolum eſſet infallibilis ex ſuppoſitione peccati futuri, atque adeo infallibilitate conſequenti.

DE COGNITIONE FVTVRORVM conditionatorum contingentium.

DISPVTATIO XXVI.

An Deus cognoſcat hæc futura.

SECTIO I.

1 Conditionata ſunt illa, quæ per propoſitiones conditionatas explicantur, Vt. Si ſerenum erit, ibo in forum; particula autem (*Si*) ſumi poteſt dupliciter. Primò, Si importet aliquam connexionem illatiuam, ſeu cauſatiuam; Secundò; pro vt dicit coniunctionem ſimultatis, & coexiſtentiæ; Hinc futura conditionata ſunt in duplici genere. Alia ex natura ſua illatiua, in qua conſequens infertur ex antecedenti, vt ſi Petrus curret, mouebitur, Alia vero diſparata, quæ habet tantum coniunctionem exiſtentiæ, vt ſi cras pluet, diſputabo. Conditionata autem illatiua adhuc ſubdiuiduntur, alia enim ſunt neceſſaria, quando videlicet illatio eſt neceſſaria, vt ſi Petrus curret, mouebitur; alia verò contingentia, quorum illatiua connexio contingens eſt, quæ habet locum in cauſis liberis, in quibus connexio conſequentis cum antecedenti libero modo fit, vt ſi Petrus conſiderabit ſuum peccatum, pænitentiam aget. Difficultas autem eſt in præſenti de conditionatis non neceſſarijs, certum eſt enim Deum cognoſcere conditionata neceſſaria, quia habent neceſſariam, & determinatam veritatem.

2 Dico primò. *Deum cognoſcere futura contingentia conditionata, quæ inter ſe habent illatiuam connexionem.* Ita communiter tam veteres, quam Recentiores ſcholaſtici. Probatur. Quia ſcriptura tribuit Deo cognitionem huiuſmodi futurorum Matthæi 11. *Si in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factę ſunt vobis, olim in cilicio, & cinerę pænitentiam egiſſent.* Sic etiam 1. Regum 23. Dauid conſuluit Deum ſi deſcendet Saul in Ceilam, & tradent me viri Ceilæ in manus eius, reſpondit Dominus *deſcendet, & tradent*; & alia etiam huiuſmodi habentur in ſcriptura, & ita etiam docent communiter Patres. Confirmatur. Contingentia iſta ſunt cognoſcibilia, ergo à Deo cognoſcuntur. Antecedens probatur. Quando ſunt in actu, ſunt cognoſcibilia tamquam actu exiſtentia, ergo habent, quod ex natura ſua ſint cognoſcibilia, & vt in actu poſita, & vt poſſibilia; atque adeo habent eandem cognoſcibilitatem, quam habent cætera omnia.

3 Dico ſecundò. *Deum cognoſcere futura conditionata etiam diſparata*, Ita Fonſeca *6. Metaph. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 2.* Gonzalez *prima parte diſput. 44. ſect. 1.* Suarez *2. de ſcientia contingentium cap. 6.* contra Vaſquez *prima parte diſput. 67. num. 17.* Arrubal *diſput. 45. cap. 4.* Aluarez *2. de auxilijs diſp. 7. & 13.* Faſolus *1. parte quæſt. 14. art. 13. diſput. 13. puncto 5.* Probatur. Iſta conditionata ſunt cognoſcibilia, quando actu exiſtunt, ergo etiam, quando ſe habent conditionato modo. Conſequentia probatur. Dum actu exiſtunt, ſupponunt ſuam poſſibilitatem, & omne, quod eſt verum in eſſe actuali, eſt etiam verum in eſſe poſſibili, ergo etiam in ſtatu conditionato, quia ſtatus conditionatus dicit poſſibilitatem rei, & inſuper addit futurum ex conditione.

Confirmatur. Conditionatum tranſiens ad abſolutum non immutatur ſecundum ſuam naturam; ſed ſolum ſecundum conditionem, ergo ſupponitur veritas conditionata, alioquin hæc futura neque in eſſe abſoluto eſſent vera, quia ſicuti in eſſe abſoluto habent aliam veritatem à veritate conditionis, ita etiam debent habere in ſtatu conditionato, quia, cum non ſit veritas conditionis, non debet tolli ex ablatione conditionis.

4 Obijcies iſta conditionata non habent connexionem dependentiæ, ergo ſemper ex ſua natura ſunt falſa. Reſpondetur. Eſſe falſa, ſi accipiatur conditionalis particula vt ſignificatiua dependentiæ; ſecus autem ſi ſignificet ſolum concomitantiam.

Inſtabis. Non poſſunt habere hanc concomitantiam, niſi ratione decreti Diuini connectantur, ergo ante decretum non ſunt vera, poſt decretum autem ſunt abſoluta, non autem conditionata.

Reſpondetur. Non poſſe habere illam concomitantiam actualiter, niſi ratione decreti Diuini actualis, poſſe tamen habere poſſibiliter ratione decreti poſſibilis, quia autem poteſt decretum conſiderari per modum conditionis, ideo ſunt cognoſcibilia ſecundum veritatem, quam habent dependenter à decreto, vt à conditione, nam verum eſt, quod, ſi ponatur tale decretum, ita ſe habebunt, quia autem Deus cognoſcit omnia cognoſcibilia, quocunque modo cognoſcibilia ſunt, ideo cognoſcet etiam hæc conditionata ſecundum veritatem, quam habent dependenter à decreto vt conditione in ordine ad futuritionem.

5 Dico tertiò. *Hanc ſcientiam non eſſe in Deo eminenter, ſed formali modo.* Ita communiter contra Nauaretum *prima parte quæſtione 14. art. 13. controuer. 56. §. 2.* qui vult, eſſe in Deo eminenter, quia iſta futura ſunt tantum opinatiuè cognoſcibilia, cognitio autem opinatiua, cum ſit imperfecta, non poteſt

Digitized by Google

eſſe formali modo in Deo. Probatur nullum obiectum eſt alio modo cognoſcibile à Deo, quam ſecundum veritatem, quam habet, ergo nullum obiectum eſt cognoſcibile vt opinabile, Conſequentia probatur. Opinabile formaliter excludit certitudinem obiectiuam; ſicut opinio excludit certitudinem formalem, & dicit poſſe eſſe verum, & non eſſe verum, ergo in ratione eſſendi dicit ita eſſe, vt poſſit non eſſe ex ſuppoſitione quod ſit; quod implicat, ergo nullum obiectum ex ſua natura eſt opinabile.

Confirmatur. Cognitio reſpectu cuiuſcunque cognoſcibilis eſt in Deo eo modo, quo determinatur ab obiecto formali, ergo cum obiectum formale determinet, vt ſit formali modo, erit in Deo formali modo reſpectu cuiuſcunque cognoſcibilis.

6 Obijcit Nauaretus. Futura conditionata, quæ nunquam erunt, nullum habent eſſe, niſi in cauſis; in his autem non poſſunt determinatè cognoſci. Reſpondetur. Hinc ſequi non cognoſci vt abſolutè futura, non autem, quod non poſſint cognoſci ſecundum veritatem futuritionis conditionatæ.

7 Obijcies ſecundò. Deus non habetur formaliter voluntatem de futuris conditionatis, ergo neque ſcientiam. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia ſufficit, quod poſſit habere; &, cum Deus cognoſcat, ſe poſſe habere decretum, cognoſcit etiam, quid conſequeretur ex tali decreto, ſi haberet, atque adeo futuritionem conditionatam.

An Deus cognoſcat futura conditionata ante decretum.

SECTIO II.

8 SVpponendum eſt. In futuris conditionatis tria poſſe conſiderari, videlicet Conditionem antecedentem, Conſequens, & Connexionem conſequentis cum antecedenti, quæ, vt diximus, aliquando eſt neceſſaria, aliquando contingens. Quia autem quidquid eſt futurum, habet futuritionem dependenter à Dei decreto, ideo reſpectu futuri conditionati tria veluti partialia decreta poſſumus diſtinguere. Primum, quod terminetur ad antecedens, ſeu ad conditionem, ſecundum ad conſequens, & tertium ad connexionem.

9 Supponendum ſecundò tanquam certum apud omnes. Ex ſolo decreto de antecedenti in conditionatis neceſſarijs haberi totum futurum conditionatum abſoluto modo, quia eo ipſo, quod Deus decernit de conditione, decernit etiam de omnibus, quæ in ipſa imbibuntur, huiuſmodi autem eſt connexio, quia, cum ſit neceſsaria, eſt intrinſeca, vndè etiam ſimul decernit de conſequenti, quia non poteſt decerni de connexione, niſi etiam decernatur de extremis.

10 Supponendum tertiò. Futura conditionata diſparata requirere decretum non ſolum de antecedenti, & conſequenti, ſed etiam de connexione, quia cum de ſe non ſint connexa, debent ab extrinſeco decreto connecti; hinc tota difficultas reducitur ad contingentia illatiua, in quibus connexio contingens eſt, & difficultas in eo conſiſtit; An iſta futura cognoſcantur à Deo ante decretum de connexione conſequentis cum antecedenti, & proinde detur aliqua ſcientia media, ſeu conditionata, An vero cognoſcantur ſolum poſt decretum de connexione; certum eſt enim in omnium ſententia, non poſse cognoſci, niſi dependenter à decreto de antecedenti, ſeu conditione.

11 Prima ſententia aſserit, Deum cognoſcere iſta futura conditionata ante decretum, ſiue decretum accipiatur abſolutè, ſiue ſub conditione, & hanc cognitionem eſse certam, & infallibilem, & mediam inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, fundamentum autem infallibilitatis vult eſse determinationem voluntatis creatæ. quia Deus præuidet, quid ſit factura poſito tali antecedenti. Vndè ſecundum hanc ſententiam antequam Deus decernat circa determinationem volũtatis in tali ſtatu poſitæ, videt, quid ſit ipſa factura, vel non factura. Ita Molina 1.*p.q.*14.*art.*13.*diſput.*15.*& in Concordia q.*14.*art.* 13.*diſput.*50.*& ſequentibus.* Suarez *lib.* 2. *de Scientia contingentium cap.*7.*&* 8. *& tom.* 1. *de gratia prolegomeno* 3.*cap.*5. Leſſius *opuſc. de auxilijs cap.*9. Albertinus *tom.*1.*q.*4. *theologica ex* 4. *principio philoſophico dubit.* 2. Faſolus 1.*p.q.*14.*art.*13. *dubit.*17. Arrubal *diſput.* 46. Ruiz *diſp.*61. *de ſcientia Dei*, *& ſequentibus*.

Probant, ſcriptura tribuit Deo cognitionem conditionatorum, quæ nunquam erunt. Lucæ 1. & Matthæi 11. *Si in Tyro, & Sidone facta fuiſſent hæc ſigna, olim in cinere, & cilicio pænitentiam egiſſent*; & hæc cognitio ſignificatur independens à decreto, alioquin. Si Tyrij dependenter à decreto fuiſset acturi pænitentiam, Chriſtus non repræhenderet iurè Iudęos, quod viſis iiſdem ſignis non conuerterentur, quia Deus non decreuiſset ipſorum conuerſionem. Secundò. Deus debet præuidere conſequens contingens ſalua libertate arbitrij, quæ non poteſt ſaluari, niſi ſinat voluntatem ſe determinare, & deinde videns obiectiuè determinationem ipſius, determinet de ipſa, alioquin, ſi prius determinaret, non eam ſineret in poteſtate ſua.

12 Secunda ſententia Negat, Deum cognoſcere huiuſmodi contingentia independenter à decreto de connexione conſequentis cum antecedenti; hoc autem decretum habet pro obiecto quamdam prædeterminationem phyſicam, qua cauſa libera prædeterminatur ad talem actum poſita conditione. Ita omnes recentiores Thomiſtæ. Cumel *tom.*1. *variarum diſputationum diſput.* 4. Tit. *vera ſententia*, *&* 1.*p.q.*14.*art.*13.*diſp.*8. Ripa *dubit.* 4. *cap.* 1. *&* 5. Nauaretus *controu.* 56. Nazarius *controu.*1. Gonzalez *diſp.*44. *&* 45. Aluarez 2. *de auxilijs diſp.*7. Mendoza *in controu. Theol. diſp.*6. *ſcholaſtica* Cabrera 3. *p. tom.* 1.*q.*1.*art.*3.*diſp.*1.§.22. Ledeſma *diſp.*2. *de ſcientia futurorum contingentium*, & ſequitur etiam. Smiſing. *trac.*3. *de Deo vno diſp.*2.*q.*5.*num.*139.

Probant. Patres docent prædeſtinationem non eſse factã ex præuiſione boni vſus liberi arbitrij; ſi autem Deus cognoſceret, quid ſit factura voluntas, & deindè decerneret connexionem actus cum voluntate poſita in tali ſtatu, prædeſtinaret ex bono vſu liberi arbitrij, ergo. Secundò. Patres, præſertim Auguſtinus *cap.*9. *de prædeſtinatione ſanctorum*, vt reſpondeant illi quæſtioni, Cur aliquis ita vocetur, vt conſentiat, alter vocatus non conſentiat, recurrunt ad ſecreta conſilia Dei; non autem ad ſcientiam conditionatam. Tertiò. Voluntas poſitis quibuſcumque circumſtantijs eſt indeterminata, ergo cum à cauſa indeterminata non proueniat effectus determinatus, non poterit Deus independenter à ſuo decreto prædeterminatiuo, cognoſcere aliquid certum.

13 Notandum 1. Veritatem propoſitionis conditionalis conſiſtere in illatione, Vndè etiamſi antecedens, & cõſequens ſint falſa, poteſt propoſitio eſse vera, ſi vera ſit illatio, vt. Si lapis eſset rationalis, eſset riſibilis. Hinc veritas obiectiua nõ aliud importat, illi cõnexionẽ obiectiuã.

14 Notandum ſecundò. Effectus liberos habere connexionem cum cauſa libera quatenus dicit vim, qua poteſt ſe determinare ad ipſos, hæc autem connexio ita eſt libera, vt tamen ſit determinata ex parte vtriuſque extremi, quia licet voluntas ſit indifferens ad vtramque partem etiam cum omni complemento prærequiſito ad operandum, vt tamen dicit virtutem completam, per quam ſe determinat ad vnam partem, non poteſt ſe determinare ad aliam, & dicet ordinem in actu primo ad illam tantum partem, nam cognitio, quæ reſpicit vnam partem, non reſpicit aliam, vnd voluntas prout ſtat ſub ipſa, ſe habet determinato modo. Sic in virtute cognitionis, quæ dictat eſse pænitendum, non poteſt ſe determinare ad non pænitendum.

15 Notandum 3. dictamen, ſeu cognitionẽ proponentẽ obiectum

Digitized by Google

obiectum mouere voluntatem ad operãdum ſuaſiuo modo; ex quo fit, vt conſurgit in voluntate quædam determinatio in genere ſuaſiuo, quam dicit, vt ſtat ſub illa ſuaſione. Quia autem poteſt hæc ſuaſio habere maiorem, & minorem vim, & ideo ſtante quacunque ſuaſione, eſt poſſibilis aliqua alia, à qua ſuperetur in efficacia; vnde cum voluntas dependeat eſſentialiter in operari à ſuaſione, licet poſſet ſequi debiliorem ſuaſionem, non tamen ſequitur eo, quod præualeat efficacior ſuaſio.

16 Dico Primò. *Nullum futurum contingens conditionatum eſt cognoſcibile ſecundum aliquam rationem futuritionis independenter à Dei decreto adæquante totũ eſſe ipſius, ſecundum quod eſt futurum.* Probatur. Non poteſt cognoſci ſecundum aliquam rationem futuritionis, niſi cognoſcatur aliquo pacto extractũ à mero ſtatu poſſibilitatis, ergo nõ poteſt cognoſci niſi dependenter à Dei decreto adæquante totam futuritionem. Anteced. probatur. Quia futurum differt à poſſibili ſecundum rationem futuritionis; vnde dicit aliquid, per quod extrahatur à mero ſtatu poſſibilitatis. Conſequentia probatur. Quia futuritio conuenit contingenter, atque adeo dependenter à decreto diuino, & à cauſa vniuerſali.

17 Dices. Sufficere, ſi tale decretum obiectiuo modo ſe habeat, ita vt ſe teneat tantum ex parte obiecti, nec eſſe neceſſe, vt ſe teneat ex parte voluntatis. Contra. Decretum Dei liberum non poteſt eſſe, niſi ſit à diuina voluntate, ergo eo pacto, quo ſe tenet ex parte obiecti, ſe debet etiam tenere ex parte voluntatis. Secundò. Vel hoc decretum obiectiuo modo ſe habens dicit tantum poſſibilitatem, vel aliquem alium ſtatum. Si primum, ergo non ſufficit ad fundandam aliquam futuritionem, quia vt poſſibile fundat tantum poſſibilitatem. Si ſecundum, ergo debet habere aliquam actualitatem.

18 Dico ſecundò. *Hæc futura eſſe cognoſcibilia independenter à decreto prædeterminatiuo, & ſolum prærequirere decretum de conditione, ſeu de antecedenti, & de conſequenti.* Probatur. In tantum eſſet neceſſarium tale decretum, in quantum terminaretur ad connexionem conſequentis cum antecedenti, ſed non eſt neceſſarium propter hanc connexionem, ergo. Minor probatur. Connexio iſta non eſt extrinſeca extremis, ſed prouenit ab intrinſeco, ergo eo ipſo, quod decernuntur extrema, decernitur etiam connexio.

19 Dices. Connexionem eſſe contingentem, atque adeò poſſe eſſe, & non eſſe, vnde, vt ſit certa, requiritur aliud ſpeciale decretum. Contra. Vel decretum de hac connexione relinquit contingentiam. Vel non. Si primum; ergo non ponit aliam certitudinem ſupra illam, quam importat connexio ex natura extremorum. Non ſecundum, quia tolleretur, quod conſequens procedat libero modo ex antecedenti. Secundò. Poſito antecedenti, ex vi illius præciſè non poteſt non ſequi conſequens, quia in ipſo tanquam in cauſa per ſuaſionem determinata determinato modo continetur. ergo præciſè ex vi antecedentis adeſt ſufficiens connexio certa, & determinata.

20 Confirmatur. Ex vi decreti de antecedenti poteſt haberi moralis certitudo de conſequenti, atque adeo moralis impoſſibilitas de oppoſito, ergo ſufficit tale decretum. Antecedens probatur. Omnis actus liber debet conſequi ex aliqua præuia ſuaſione, ita vt non poſſit aliter ſequi. Rurſus. Omnis actus poteſt efficaciter ſequi ex voluntate ſtante quacunque ſuaſione ad oppoſitum, ergo eſt poſſibilis aliqua ſuaſio, per quam in comparatione ad alias poſſit inferri: ergo Deus cognoſcens hanc ſuaſionem, dum illam decernit, ſimiliter decernit conſequutionem certam.

21 Confirmatur ſecundò. Decretum prædeterminatiuum ſpectat ad efficacem motionem, qua Deus mouet ad operandum, non autem ad connexionem antecedentis cum conſequenti. Ergo non pertinet ad veritatem horum futurorum cum veritas conſiſtat in connexione. Ergo neque ad cognoſcibilitatem. Anteced. patet. Quia in his futuris conſequens conſequitur ex intrinſeca natura antecedentis, non eſt aptum ipſum inferre, nec requiritur ab extrinſeco connectens.

22 Dico tertiò. *Futura contingentia conditionata non eſſe cognoſcibilia extra ſtatum poſſibilitatis ſecundum aliquam rationem futuritionis, niſi dependenter à decreto abſoluto de eorum futuritione.* Eſt contra eos, qui ponunt ſcientiam mediam. Deſumitur autem ex D. Auguſt. quatenus reijciens errorem Semipelagianorum, quod Deus non conſuleret paruulis de baptiſmo ex malis operibus præuiſis, ſi ſuperuenirent, non ſolum reijcit, quia non poteſt Deus habere rationem meritorum, vel demeritorum ſub conditione, ſed etiam, quia non præſcit iſta conditionata, ſed ſolum quæ abſolutè futura ſunt, atque adeò, quando ſolum ex poſitione Decreti diuini abſoluta fiunt. Ita epiſt. 105. *Neque etiam moriturorum etiam paruulorum poteſt quiſquam dicere, vt huic ad percipiendum Baptiſmum non conſulat, illi autem conſulat, Deum futura eorum opera præuidere. Quomodo enim futura dicuntur, quæ nulla erunt.*

23 Quod luculenter explicat, & confirmat D. Fulgent. *lib. 1. de veritate prædeſt. cap. 7. & 8.* vbi inter alia ait. *Abſurdè itaque dicitur, quod præſcieret paruulum, ſi iuueret impium futurum, quem profectò non plus, quam vixit, præſciuit eſſe futurum, quem vtique præſciuit ad ætatem, qua impiè viueret, non eſſe venturum.* Ex quibus patet, quod iſta conditionata non cognoſcuntur à Deo ſub aliqua ratione futuritionis, quia non ſunt abſolutè futura, & ſunt independentia à decreto Dei.

24 Rurſus cum D. Aug. *lib. de ſex quæſ. Pagan. & epiſ. 49.* dixiſſet, quod Chriſtus tunc voluit apparere, quando ſciebat, & vbi ſciebat, qui in eum fuerant credituri, & ſemipelagiani vterentur hoc loco ad probandũ, quod Deus præſciat merita, & demerita conditionata, reſpondet *De prædeſ. ſanc. c. 9.* ſe id illo loco dixiſſe, quod ſufficiebat ad conuincendos Paganos ſine præiudicio ſecreti Concilij Dei, ſeu decreti. Vnde vult hoc Deum cognouiſſe dependenter à ſuo Decreto; ſeu Conſilio. *Cernitis ne* (inquit) *me ſine præiudicio latentis conſilij Dei, aliarumque cauſarum hoc de præſcientia Chriſti voluiſſe dicere, quod conuincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæſtionem, ſufficere videretur.*

25 Denique D. Auguſt. non agnoſcit præſcientiam, vbi non eſt prædeſtinatio, atq; adeo decretum, vnde cum reſpectu conditionatorum nullum ſit decretum, nec etiam aliqua erit præſcientia. Ita *de Bono perſeuer. cap. 17.* in fine. *Hæc Dei dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur à Deo,* & c. 18. *Prædeſtinaſſe eſt hoc præſciſſe, quod fuerat ipſe facturus. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum eamdem prædeſtinationem intelligere?* Nec poteſt recurri ad decretum conditionatum, vt conſtabit ex dicendis. Prob. Futura iſta præciſo decreto abſoluto de futuritione non habent in ratione obiecti aliquã futuritionẽ, ergo non ſunt cognoſcibilia ſecundum aliquam futuritionem. Anteced. prob. Futuritio eſt aliquid contingens dependens à libero decreto Dei, ergo niſi decretum exiſtat, non poterit conferre aliquam futuritionem.

27 Dices. Id eſſe verum de futuritione abſoluta, non autem de conditionata, pro qua ſufficit decretum conditionatum. Contra. Vel decretum conditionatum eſt intra ſtatum poſſibilitatis, vel extra. Si primum; ergo nihil ponit in his futuris ſupra eſſe poſſibile. Si ſecundum, ergo actu exiſtit; nec poteſt dici quod fiat extra ſtatum poſſibilitatis conditionatè. Tum quia hoc non dicit, *fieri*, ſed *Si fieret*, vnde abſolutè relinquit intra eſſe poſſibile; Tum quia inter *Fieri*, & *Non fieri* non datur medium, vnde intra rationem obiecti abſolutè, aut eſt extra ſtatum poſſibilitatis, aut non eſt.

28 Confirmatur. Illud nõ participatur ab aliquo, quod poteſt abſolutè negari de ipſo, ergo futura hæc conditionata

Digitized by Google

nata præciſo decreto abſoluto non habent a.i quam rationem futuritionis, quia futuritio poteſt abſolutè negari de ipſis: valet enim de quocunque dicere, quod non erit.

29 Dices. Negari abſolutè futuritionem abſolutam, non autem conditionatam. Contra. Futuritio abſoluta, & cōditionata non differunt in ratione futuritionis, ſed tantū in ratione abſoluti, & conditionati, ergo ſi negatur abſolutè futuritio, negatur omnis ratio futuritionis.

30 Confirmatur ſecundò. Conditio futuritionis non eſt à parte rei in obiecto, ſed ponitur ab intellectu, ergo non conſtituit aliquod obiectum, quod re vera ſit tale, præciſa operatione intellectus. Antecedens prob. Quia conditio non ponit aliquid in eſſe, nec per id, quod aliquid dicitur conditionatè futurum, habet in ſe re vera futuritionem. Conſeq. probatur. Quia præciſa operatione intellectus non adeſt illa conditionalis coniunctio, atque adeo nec ipſum coniunctum.

31 Dices. Deum quoque poſſe facere huiuſmodi coniunctionem conditionalem. Contra. Talis coniunctio fit à noſtro intellectu ad melius percipiendas naturas rerum: Deus autem perfectiſſimè cognoſcit abſque huiuſmodi coniunctione. Secundò. Per hanc coniunctionem ſicut nihil ponitur in obiecto, ita nec in ipſo aliquid cognoſcitur, niſi connexio antecedentis cum conſequenti, ergo non cognoſcitur in ipſo aliqua futuritio.

32 Confirmatur tertiò. Quando in conditionatis antecedens, & conſequens ſunt impoſſibilia, non ſunt cognoſcibilia ſecundum aliquam futuritionem, ſed ſolum ſecundum connexionem, ergo neque quando ſunt contingentia. Antecedens patet, quia cum antecedens, & conſequens ſint impoſſibilia, non poſſunt habere aliquam rationem futuritionis. Conſeq. probatur. Quia in vtriſque conditionatis futuritio eodem modo ſe habet, & facit, quod conditionatè ſint futura.

33 Dices. In conditionatis impoſſibilibus futuritionē eſſe fictam, in alijs verò eſſe realem. Contra. Conditio impoſſibilis non ſolum non habet aliquam rationem futuritionis: ſed nec etiam poteſt habere, ergo quando eſt poſſibilis, ſolum poterit habere, non autem habebit.

34 Dico quartò. *Hoc decretum eſſe prius de antecedenti, quam de conſequenti, ita vt decretum abſolutum de antecedenti nullum ſupponat decretum neque etiam conditionatum de conſequenti, atque adeo non ideo Deus decernat abſolutè conditionem, quia videat conſequens eſſe futurū ex determinatione cauſæ liberæ, ſed ideo ſit futura determinatio cauſæ liberæ, quia decernit conditionem.* Eſt contra eos, qui ponunt ſcientiam mediam. Probatur. Conſequens eſt poſſibile ratione antecedentis poſſibilis, ergo etiam conſequens eſt futurum, quia antecedens eſt futurum. Antecedens probatur. Quia actus liber exigit prouenire ratione alicuius ſuaſionis, vnde dependet ab ipſa, & ideo ablata poſſibilitate talis ſuaſionis, aufertur etiam poſſibilitas illius actus liberi, qui dependet ab ipſa. Conſequentia probatur. Quia ſicut ſe habet poſſibile ad poſſibile; ita ſe habet futurum ad futurum.

35 Dices. Conſequens eſſe contingens, & poſſe non ſequi, vnde vt infallibiliter ſequatur ex decreto de antecedente, debet Deus reſpicere ad futuritionem conditionatam. Contra. In futuritione conditionata ſequitur certò, & infallibiliter ex vi antecedentis, ergo etiam in abſoluta, quia eſſe abſolutum, & conditionatum non variant conſecutionem, ergo cognito antecedenti, cognoſcetur etiam conſequutio, an ſit certa. Secundò. Licet conſequens poſſit non ſequi, non tamen in virtute illius antecedētis, quia ſi non ſequetur, ex vi alterius ſuaſionis non ſequetur, & ideo non ſequetur, quia oppoſita ſuaſio præualebit. ergo poſito determinato antecedenti, in quo determinata ſuaſio præualeat, conſequutio erit certa, & infallibilis.

36 Confirmatur. Tota veritas futuri contingentis conditionati eſt in connexione; non autem in antecedenti, aut conſequenti, ergo ex vi cognitionis de futuritione cōditionata nō poteſt haberi alia certitudo, quā habeatur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ergo non debet expectare Deus determinationem cōditionatam voluntatis creatæ, vt habeat certitudinem conſequutionis. Conſequentia prima prob. Quia conditionata nō poſſunt cognoſci ſecundum aliam certitudinem, quam connexionis, cum nullam aliam habeant; hęc autem tota attingitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quia conuenit extremis ex natura ſua.

37 Dices. Eſſe certitudinem futuritionis conditionatæ, & ideo non dicere ſolum connexionem, quæ prouenit ex natura extremorum. Contra. Effectus contingens non habet determinatam veritatem, niſi quando eſt in ſe ipſo per ſuam actualitatem, ergo non poteſt futurum conditionatum habere aliquam certitudinem futuritionis ratione conſequentis, ergo tota certitudo erit in connexione. Secundò. Non poteſt haberi alia certitudo, niſi illa, quæ fundatur in veritate horum conditionatorum, ergo cum tota veritas ſit in connexione, erit etiam in ipſa tota certitudo; Rurſus conditio futuritionis non immutat naturam connexionis, ergo nec veritatem.

38 Confirmatur ſecundò. Sequeretur, quod gratia efficax nunquam eſſet ex ſe efficax, ſi opus eſt expectare determinationem conditionatam voluntatis creatæ, hoc autem eſt abſurdum, ergo. Sequela prob. Vel gratia afficax habet de ſe vim, vt moueat voluntatem infallibiliter, vel non; ſi primum, ergo vt decernatur tanquam efficax, non eſt opus expectare, quid ſit factura voluntas, ſi ponatur cum talibus circumſtantijs. Si ſecundum, ergo non habet ex ſe vim ſufficientem, vt inferat actum infallibilem.

39 Reſpondent. Poſita futuritione conditionata melius ſaluari gratiæ efficaciam, quia implicat effectum non eſſe. Contra. Non implicat effectum non eſſe ex vi gratiæ, ſed quia ſupponitur eſſe, ergo. Secundò. Gratia debet eſſe efficax, vt mouens voluntatem, ergo antecedenter ad quemcunque actum voluntatis. Tertiò. Gratia efficax debet eſſe talis in ratione gratiæ, non eſſet autem, ſi eſſet efficax intuitu futuritionis conditionatæ.

40 Dico quintò. *Deum non cognoſcere ante decretum abſolutum futura conditionata, niſi ſecundum ipſorum poſſibilitatem.* Hac concluſio eſt D. Thomæ. 1. *contra Gentes cap.*65. Vbi habet. *Ea, quæ non ſunt, nec erunt, nec fuerunt, à Deo ſciuntur, quaſi eius virtuti poſſibilia.* Vnde non cognoſcit ea, vt aliqualiter exiſtentia in ſe ipſis, ſed exiſtentia ſolum in diuina potentia. Probatur. Futura conditionata ante decretum abſolutum non haben aliquod eſse determinatum in ſe ipſis, ergo non ſunt cognoſcibilia à Deo, niſi ſecundum poſſibilitatem. Antecedens probatur. Quia nullum contingens poteſt habere in ſe ipſo aliquod eſse determinatum, niſi per id, quod ſit in actu extra cauſam; nam quamdiu eſt in cauſa, ſe habet indifferenti modo; futura autem conditionata non habent tale eſse determinatum, quia præciſo decreto abſoluto nō poſsunt conſiderari ſecundum aliquam actualitatem in ſe ipſis. Confirmatur. Conditio nihil ponit in eſse, nec facit eſse, quod non eſt, ergo nec facit determinatum, quod non eſt determinatum.

41 Dices. Habere eſse determinatum conditionatè, & ſic etiam fieri extra cauſas conditionatè. Contra. Hoc eſſe conditionatum determinatum in ſe ipſo implicat, nam conditio tollit determinationem; quia ſicuti non ponitur, ita neque ponitur determinatio, quæ ſequitur ratione ipſius. Confirmatur. Eſse determinatum conditionatè nihil aliud dicit, quam fore determinatum, ſi erit conditio. Secundò. Vel eſse conditionatè determinatum dicit determinationem, quæ re vera ſit in obiecto; vel non. Si primum; ergo obiectum à parte rei determinato modo ſe habet, atque adeo habet à parte rei ſuam actualitatem, aut præſentem, aut futuram per realem influxum cauſæ, quod fieri non poteſt, niſi abſoluto modo ſe habeat. Si ſecundum; ergo non habet ex ſe in ratione obiecti determinatam veritatem. Tertiò. Quod habet eſſe determinatum conditionatè, non habet ex ſe abſolutè,

Digitized by Google

ſed tantum ratione conditionis, & in tantum aliquid eſt futurum conditionate, in quantum eſt futura conditio, ergo cum conditio non habeat eſſe determinatum in ſe ipſa, nec etiam habebit futurum conditionatè. Quartò, De futuro conditionato poteſt negari omnis determinatio futuritionis; nam valet, quod numquam erit præciſo decreto abſoluto, ergo non habet aliquam determinationem.

42 Confirmatur. In tantum conditionata iſta non eſſent merè poſſibilia, in quantum ratione conditionis dicerent aliquam futuritionem, ſed non dicunt, ergo. Minor probatur. Quia conditio nihil ponit in eo, cui apponitur; vndè conditio poſſibilitatis appoſita impoſſibili, non ponit in ipſo aliquam poſſibilitatem.

43 Dices. Eſſe diſparem rationem, Quia impoſsibile non poteſt fieri poſsibile; ſed poſsibile poteſt fieri futurum. Contra. Si conditio poneret aliquid ex natura ſua in eo, cui apponitur, poneret in quocunque, ergo cum non ponat in impoſsibile, non ponet ex natura ſua. Secundò. Quod non eſt capax illius, quod per aliquid ponitur formali modo, nec etiam eſt capax cauſæ ipſius; vndè quod non eſt capax effectus formalis, nec etiam eſt capax cauſæ formalis, ergo ſi conditio poneret aliquid in eo, cui apponitur, impoſsibile non eſſet capax conditionis poſsibilitatis. Tertiò. Per id, quod poſsibile ſit capax futuritionis, non variat naturam conditionis, ergo per hoc non fit, quod debeat conditio ponere aliquid in ipſo.

44 Dico Sextò. *In Deo reſpectu creaturarum non dari ſcientiam mediam, quæ participet de ſcientia viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, ſed tantum ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis adæquatè diuidere ratione obiecti diuinam cognitionem.* Sequitur ex dictis. Probatur. Scientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis fundantur in membris diuidentibus obiectum contradictorio modo, atque adeo immediatè oppoſitis, ergo diuiſio eſt immediata. Antecedens probatur. Obiectum ſcientiæ viſionis eſt futurum; obiectum verò ſimplicis intelligentiæ non futurum. ergo

45 Dices. Inter futurum, & non futurum dari medium, nempè futurum conditionatum. Contra. Eſſe poſsibile, & eſſe futurum fundant contradictionem obiecti terminantis, & non terminantis decretum diuinum, ergo futurum conditionatum debet altero modo ex his ſe habere, quia inter contradictoria non datur medium.

46 Ad 1. Primæ ſententiæ reſpondetur. Sufficere ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vt cognoſcantur iſta futura; reprehenduntur autem Iudæi à Chriſto in comparatione ad Tyrios ob reſiſtentiam voluntariam, quam ponebant diuinæ gratiæ, quam Tyrij non habebant, & ideo gratia quæ in Iudæis reperiebat obicem, non reperiſſet in Tyrijs. Ad Secundùm, Deum ſinere voluntatem ſe determinare, quia ipſam mouet tantum ſuaſiuo modo, pro quo ſufficit, quod per ſimplicem intelligentiam cognoſcat ſe habere medium efficax ad inferendum cum ſola ſuaſione quemcunque conſenſum, nec eſt neceſſe, quod obiectiuè expectet determinationem voluntatis.

47 Ad Primum ſecundæ ſententiæ. Solum probare, quod Deus non expectet determinationem conditionatam voluntatis creatæ, vt decernat abſolutè de antecedenti. Deinde nec contra hoc aliquid probat, quia quando Patres docent prædeſtinationem non eſſe factam ex præuiſione boni vſus liberi arbitrij, loquuntur de bono vſu, qui ſit ex viribus naturæ abſolutè præuiſo, non autem de bono vſu conditionato ex auxilijs gratiæ. Ad ſecundum. Nihil probare, quia adhuc poſita ſcientia media eſt recurrendum ad ſecreta conſilia Dei, cum non poſsit aſsignari ratio, cur Deus alicui det gratiam, quam conditionatè præuidet futuram efficacem, alteri vero non det. Ad Tertium. Voluntatem eſſe quidem indeterminatam, ſed habere vim ſe determinandi; tunc autem effectus determinatus non poteſt prouenire à cauſa indeterminata, quando non habet vim ſe determinandi.

48 Obijcies. Iſta conditionata importat connexionem ſolum infallibilem conſequentis cum antecedenti; infallibilitas autem excludit determinationem in cauſa; ergo ratione antecedentis non poteſt cognoſci talis connexio determinato modo, atque adeo nec decerni. Reſpondetur. Connexionem infallibilem excludere à cauſa determinationem phyſicam, non autem moralem, quæ conſiſtit in ſuaſione, & admittit ſecum ſuaſionem ad oppoſitam partem; quia tamen præualet ſupra ipſam, reddit cauſam moraliter determinatam, & connexionem infallibilem; hæc autem infallibilitas in antecedenti attingitur radicaliter; formaliter verò in ipſa conſequutione; quia tam in ſtatu poſsibile, quàm in ſtatu exiſtentiæ conſequens cognoſcitur infallibiliter connexum cum antecedenti ex vi efficaciæ eiuſdem antecedentis.

49 Obijcies. Secundò. Ante decretum abſolutum ex contradictorijs alterum eſt determinatè verum, & alterum determinatè falſum, quia non datur medium, ergo futura conditionata habent determinatam veritatem ante decretum. Reſpondetur. Habere determinatam veritatem, vel falſitatem quo ad conſequutionem conſideratam in ſtatu poſsibili, quia veritas conditionalis conſiſtit in conſequutione. Si verò conſiderentur ſecundum futuritionem, omnia ſunt falſa, quia ante decretum nulla datur futuritio.

DE DIVINIS IDEIS,

DISPVTATIO XXVII.

An idea diuina dicat eſſe obiectiuum creaturarum.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt, Dari in Deo Ideas rerum omnium, vt docet D. Thomas 1. *p. q.* 15. *art.* 1. & cum eo communiter, & deſumitur ex ſcriptura Io: 1. *Quod factum eſt in ipſo vita erat*, quod de Ideis interpretatur Auguſtinus *tract.* 1. *in Ioannem*. Et ad Hebræos 11. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula Verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent;* & ita etiam docent communiter Patres. Ratio autem eſt, quia Deus operatur per intellectum, & voluntatem; vndè debet habere aliquid, quo operatio ipſius dirigatur, & quo determinetur voluntas, vt producat res ſecundum hanc potius formam, quàm illam; difficultas autem eſt, an huiuſmodi ideæ conſiſtant in eſſe obiectiuo creaturarum.

2 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Scotus *in* 1. *diſt.* 35. *q.* 1. Lichetus, & Tartaretus *ibidem*, Ocham *quæſt.* 5. Gabriel *art.* 2. Baſſolis *diſt.* 36. *q.* 2. *art.* 2. Durandus *q.* 3. Smiſing *tract.* 3. *de Deo vno diſp.* 2. *quæſt.* 7. *num.* 208. & communiter Scotiſtæ.

Probant. Quia creaturæ in eſſe obiectiuo ſunt illud eſſe cognitum, ad cuius ſimilitudinem Deus illas producit. Secundò. Quia etiam in mente artificis creati Idea non eſt aliud, niſi res facienda præconcepta. Tum quia res ſic concepta eſt ſufficiens idea. Tū quia non eſt aliud quod poſsit habere rationem Ideæ. Tertiò. Quia non eſſent plures ideæ, niſi conſiſterent in eſſe obiectiuo creaturarum.

3 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita D. Thomas *in* 1. *diſt.* 36. *q.* 2. *art.* 1. 2. & 3. Ricardus *in* 1. *diſt.* 36. *art.* 2. *q.* 2. & 3. & alij *ſectione ſequenti* citandi.

4 Dicendum eſt. *Eſſe obiectiuum creaturarum non poſſe habere in mente diuina rationem Ideæ.* Probatur. Eſſe obiectiuum dicit illam menſuram eſſendi paſsiuam, quam

quam res in eſſe reali eſt habitura, nam eſſe obiectiuum eſt illud eſſe, quod eſt communicandum, ergo non poteſt habere rationem Ideæ. Conſequentia probatur. Idea eſt menſura actiua, & idea diuina eſt prima menſura, ergo non poteſt eſſe menſurata paſſiuo modo. Confirmatur. Omnis creatura ſecundum eſſe obiectiuum eſt quid ideatum, nam dicit certam rationem eſſendi, & limitato modò ſe habet, ergo debet ſupponere limitatiuum in ratione menſuræ, quo determinetur ad illum modum eſſendi. Confirmatur Secundò. Idea eſt aliquod complementum cauſæ, ergo cum eſſe obiectiuum non ſit ipſe Deus, ſi eſſet formalis ratio ideæ, non haberet Deus ex ſe completam rationem cauſæ; & cum eſſe obiectiuum ſe teneat ex parte creaturarum, cum Deus indigeat idea ad operandum, indigeret alicuius, quod ſe tenet ex parte creaturarum.

5 Ad primum negatur Creaturas in eſſe obiectiuo eſſe menſuram operandi, quia adhuc ipſæ ſunt quid menſuratum. Cum autem dicitur, quod Deus producit creaturas, quales præconcipit, ſenſus eſt, quod intendat tales producere, quales cognoſcit eſſe producendas ex vi repræſentationis, quam habet de ipſis. Ad ſecundum negatur aſſumptum. Ad primam probationem negatur, eſſe obiectiuum rei eſſe ſufficiens, vt ſit idea, vt patet ex dictis; Ad ſecundam pręter obiectiuum eſſe, adeſſe cognitionem, & Verbum, quod repræſentat rem faciendam. Ad tertium Ideas diuinas non eſſe plures realiter, ſed tantum ratione ſecundum noſtrum modum concipiendi; intellectus enim noſter cognoſcens ideata, format ex ipſis quoſdam conceptus, qui ſe habent veluti menſura actiua, & hos conceptus applicat ad explicandas, & cognoſcendas diuinas ideas, quæ in ſe ipſis ſunt vna ſimpliciſſima ratio repræſentatiua rerum omnium. Hinc autem fit, ideas diuinas eſſe tantum plures in ordine ad illum intellectum, qui eas concipit per alienos conceptus; nam autem ex natura ſua atque adeo nec in ordine ad diuinum intellectum, quia illas cognoſcit, vt in ſe ſunt. Si autem in ſe ipſis haberent quocunque modo aliquam pluralitatem, ſe haberent limitato modo in repræſentando, nam quod vna repræſentaret, non repræſentaret alia.

An ideæ diuinæ conſiſtant formaliter in eſſentia diuina, an verò in aliquo alio.

SECTIO II.

6 CVm quæritur. An idea dicat formaliter eſſentiam diuinam, ſumitur eſſentia, pro vt eſt imitabilis à creaturis, & vt talis nihil aliud importat, niſi eſſe ens participabile, ita vt per participationem poſſit à creaturis imitari.

Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita D. Bonauentura *in 1. diſt.* 35. *art.* 1. *q.* 1. Ricardus *diſt.* 36. *art.* 2. *q.* 1. Argentinas *q. vnica. art.* 1. Aureolus *p.* 2. *art.* 1. Capreolus *q.* 1. *art.* 1. Herueus *art.* 2. *&* 3. Ferrarienſis 1. *contra Gentes. cap.* 54. Caietanus 1. *p. q.* 15. *art.* 2. Molina *diſp.* 2. Banes *concluſione* 3. Faſolus *concl.* 4. Ruiz *diſput.* 82. *de ſcientia Dei ſect.* 6. *&* 7. & alij.

Probant. Quia eſſentia dicit quidquid requiritur ad rationem ideæ cum ſit adæquata ratio cognoſcendi creaturas. Secundò. Quia cum quælibet creatura ſecundum omnem ſui rationem ſit quid participatum, debet ſecundum omnem ſui rationem imitari ſupremum ens vt participabile. Tertiò. Sola eſſentia diuina ſe habet vt *quod* tanquam obiectum cognitum, ergò etiam ſola vt *quod* poteſt dirigere. Quarto. Idea eſt principium cognitionis, ſola autem eſſentia eſt principium cognitionis.

7 Secunda ſententia aſſerit conſiſtere formaliter in cognitione, ſeu ſpecie expreſſa, & Verbo exprimente creaturas. Ita Rubio *in* 1. *diſt.* 35. *q.* 2. *art.* 1. Cumel 1. *p. q.* 15. *art.* 1. *concl.* 1. Vaſquez *diſp.* 72. Suarez *in Methaph. diſp.* 35. *ſect.* 1. *num.* 10. & *lib.* 3. *de Deo vno. cap.* 1.

8 Notandum primo. Cum Verbum ſit repræſentatio obiecti cogniti, hinc fit, vt quando eſt adęquatum obiecto, debeat repręſentare quidquid in ipſo continetur. Vndè cum in eſſentia diuina contineantur creaturæ cauſaliter ſecundum totum eſse, quod poſsunt ab ipſa participare, dum Verbum diuinum producitur, exprimit repræſentatiuo modo omnes creaturas poſsibiles ſecundum totum illud eſse, quod poſsunt participare.

9 Notandum. Secundò. Imitabilitatem diuinę eſsentiæ, qua poteſt à creaturis imitari eſse in ratione cauſæ, quatenus omnis effectus ſuam cauſam imitatur. Hinc imitabilitas completa debet fundari in adęquata ratione cauſæ. Vndè cum idea pertineat ad rationem cauſatiuam, pertinet etiam ad rationem imitabilitatis, quam dicit diuina eſsentia.

10 Notandum Tertio. Creaturas contineri in eſsentia virtuali modo, cum contineantur tantum cauſatiuè, in Verbo autem continentur formali modo, non quidem ſecundum eſse reale proprium, ſed ſecundum repræſentationem.

11 Dico primò. *Ideas diuinas non conſiſtere formaliter in eſſentia, quatenus ratione virtutis cauſatiuæ continet creaturas.* Probatur. Virtus cauſatiua non continet formali modo effectum; idea autem debet continere, quia tanquam forma rei faciendę ipſam determinat, ergo. Confirmatur. Agens conformat ſuam operationem Ideæ, ergo debet idea formali modo repræſentare creaturas. Confirmatur Secundò. Exemplar externum formali modo repræſentat, ergo etiam Idea, nam Idea eſt exemplar internum, ſecundum quod procedit productio.

12 Dico Secundò Ideam diuinam formaliter conſiſtere in eſsentia determinata per rationem Verbi, ita vt ratio Verbi ſit ratio formalis Ideæ. Deſumitur ex D. Anſelmo. *cap.* 8. *Monologij.* Patet *itaque quoniam prius quam fierent vniuerſa, erant in ratione ſummæ naturæ Quid, aut Qualia, aut Quomodo futura eſſent.* & D. Auguſtinus 6. de Trinitate cap. 10. *Verbum perfectum, cui non deſit aliquid, & ars quædam omnipotentis Dei plena omnium rationum viuentium commutabilium, & omnes vnum in ea* Ex D. Proſpero ſententia 141. *Nec auctor excellentior eſt Deo, nec ars efficacior Dei Verbo.* D. Baſilio lib. 5. contra Eunomium ſect. 6. *Diuinus verò character viuẽs eſt, & verè eſt imago imaginis efficiens.* & ex alijs Patribus. Probatur. Verbum eſt repræſentatiuum exemplariter rerum omnium, ergo eſt Idea. Antecedens patet. Quia Verbum dum repræſentat eſsentiam, repræſentat etiam omnia, quæ in ipſa continentur, & eſt quædã expreſſio, in qua exprimitur quidquid vt poſſibile continetur in eſsentia diuina. Conſequentia probatur. Quia Idea non eſt aliud, quàm forma quædam, in qua repræſentatiuò modo exprimuntur ideata. Confirmatur. Deus producendo Verbum dicit in ipſo creaturas; vndè. D. Auguſtinus 2. de Geneſi ad litteram. *Vnum Verbum ille genuit, in quo dixit omnia prius, quam facta ſunt.* ergo Verbum eſt Idea. Conſequentia probatur. Idea non eſt aliud, quam illud, in quo exemplariter reperitur opus faciendum; creaturæ autem eo ipſo, quod exprimuntur in Verbo, reperiuntur in ipſo exemplariter. Confirmatur Secundò. de ratione Ideæ eſt, vt formali modo contineat ideatum, cum ſit forma, cui aſſimilatur; & Ideatum accipiat in ſe formali modo, quod eſt in Idea repræſentatiuè, ergò cum Idea non poſſit continere ideatum formali modo ſecundum eſse reale, continebit ſecundum eſse repręſentatiuum; ſed ſolum Verbum in diuinis continet tali pacto creaturas, ergo.

13 Dices. Licet eſsentia præciſo Verbo non contineat formali modo creaturas, continere tamen tam perfecto modo, vt poſſit determinare Deum ad perfectam cognitionem ipſarum. Contra Quia ex hoc ſequitur, quod determinet tantum vt obiectum, non autem vt Idea. Secundò. Omne Ideatum habet ſuam formam, & ſpeciem ab Idea, ergo debet effectus formali modo ſecundum

cundum

Digitized by Google

eumdum repræſentationem contineri in Ideæ.

14 Ad primum negatur aſſumptum. Ad probationem. Eſſentiam eſſe adequatam rationem cognoſcendi creaturas in ratione obiecti formalis, non autem in ratione Ideæ. Ad ſecundum. Ex eo, quod creatura ſit quid participatum, debere imitari ſupremum ens, quatenus dicit adæquatam rationem immutabilitatis; in hac autem adæquata ratione cōtinetur Verbum tanquam forma expreſſiua exemplariter creaturarum. Ad tertium. Negatur conſequentia. Nam Idea eſt forma complens agens in ratione cauſatiui, & ideo ſe habet vt *Quo*. Dicitur autem agens reſpicere ad Ideam impropria loquutione, ex ſimilitudine artificis intuentis externum exemplar; & ſolum ſignificatur quod operetur in virtute repræſentationis Ideæ. Hinc Idea non debet eſſe obiectum cognitum, ſed ratio cognoſcendi. Ad quartum. Ideam eſſe principium cognitionis non in ratione obiecti; ſed in ratione repræſentationis; eſſentia autem eſt principium cognitionis in ratione obiecti.

Quarum rerum Deus habeat ideas.

SECTIO. III.

15 Dico primò. *Deum non habere Ideas negationum, & priuationum.* Ita communiter. Probatur. Quia non habent aliquid, ſecundum quod poſſint cauſari.

16 Dico ſecundò. *Deum non habere Ideam mali, vt malum eſt.* Ita communiter. Probatur. Quia ſi haberet Ideam, non eſſet malum, quia ſicuti omne ideatum fit ad imitationem Dei, vt primæ cauſę; ita dicit aliquam participationem bonitatis, & eſt aliquid ordinatum.

17 Dico tertiò. *Deum non habere Ideam ſui ipſius.* Probatur. Quia non eſt aliquid operabile.

18 Dico quartò. *Neque habere Ideas diuinarum perſonarum* Probatur. Quia diuinæ perſonæ, licet producantur, habent tamen eſſe à ſe; ideatum autem habet ſuam formam, & eſſentiam ab alio. Confirmatur. Quia Idea importat vim cauſatiuam.

19 Dico quintò. *Deum habere ideam omnium poſſibilium ſiue aliquando futura ſint, ſiue non.* Ita D. Thomas 1. *p. q.* 15. *art.* 3. & communiter. Probatur. Niſi haberet Ideam omnium poſſibilium, non ſe haberet completo modo in ratione cauſæ.

20 Dico Sextò. *Ideas diuinas repreſentare res in indiuiduo.* Ita communiter, & deſumitur, ex D. Auguſtino *Epiſt.* 115. Probatur. Quia indiuidua ſecundum eſſe indiuiduale ſunt quid reale poſitiuum, & cauſantur à Deo in eſſe indiuiduali.

21 Dico ſeptimo. *Accidentia, quæ habent propriam entitatem, habent etiam propriam Ideam.* Ita D. Thomas *q.* 3. *de Veritate art.* 7. & alij. Probatur. Quia poſſunt produci ſeparata à ſubiecto; imo de facto in Eucharistia conſeruantur ſeparata; quæ autem ſeorſim poſſunt produci, habent propriam ideam.

22 Dico octauò. *Accidentia inſeparabilia, quæ non habent propriam entitatem, non habere propriam ideam.* Probatur. Quia cum ſint ens entitate ſubiecti, idea, quæ repræſentat ſubiectum, repræſentat etiam ipſa, quia repræſentat ſubiectum ſecundum omnem modificationem.

23 Dico nonò. *Genera, & ſpecies non habere proprias ideas diſtinctas ab ideis indiuiduorum.* Ita D. Thomas 1. *p. q.* 15. *art.* 3. *ad quartum.* & alij. Probatur. Idea reſpicit operationem, & obiectum ſub ratione producibilis, ergo non datur ſpecialis idea generum, & ſpecierum, quia non poſſunt ſecundum ſe præciſè produci.

24 Dico decimò. *Materiam primam non habere ſpecialem ideam.* Ita D. Thomas. *citatus in reſponſione ad tertium* Caietanus, & alij Thomiſtæ *ibidem*. Ruiz *diſp.* 84. *de ſcientia Dei. ſect.* 3. contra Molina. 1. *p. q.* 15. *art.* 3. *concl.* 5. Faſolum *concl.* 9. Vaſquez *diſp.* 74. *cap.* 3. Suarez *lib.* 3. *de Deo vno cap.* 5. *num.* 13. & alios. Probatur Licet materia habeat propriam exiſtentiam, ſe habet tamen incompleto modo in ſuo genere, ergo non habet propriam ideam. Conſequentia probatur. Quia idea repreſentat res ſecundum ſuam formam, & ſpeciem, atque adeo repræſentat tantum eſſe completum cuiuſcunque generis. Confirmatur. Materia, & forma faciunt vnum per ſe conſtituendo vnam naturam, ergo materia non habet propriam Ideam; Conſequentia probatur. Nam vbi eſt vna natura, eſt etiam vna menſura paſſiua eſſendi, ergo etiam vna menſura actiua, atque adeo vna idea.

25 Obijcitur. Materia habet propriam entitatem, & producitur actione diſtincta, ergo. Reſpondetur. Habere propriam entitatem, ſed incompletam in ſuo genere; vndè ſicut non dicit completam ſpeciem, ita nec habet propriam ideam; tunc autem, quæ producuntur diſtincta actione habent propriam ideam, quando completo modo ſe habent in ſuo genere.

DE VOLVNTATE DEI

De natura diuinæ voluntatis.

DISPVTATIO XXVIII.

An, & quomodo Deo conueniat voluntas.

SECTIO I.

1 Supponendum eſt tanquam certum de fide, Deo conuenire voluntatem. Ad Romanos 12. *Vt probetis, quæ ſit voluntas Dei.* Ad Epheſ. 1. *Vt notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ.* Ratio autem eſt non ſolum, quia Deus eſt id, quo melius nihil excogitari poſſit, & quia eſt prima cauſa; ſed etiam quia, vt ait D. Thomas 1. *p. q.* 19. *art.* 1. eſt intelligens; cum enim ad omnem formam ſequatur appetitus proportionatus, vt patet inductione, ad formam vitæ debet conſequi appetitus vitalis; & ideo cum Deus ſit viuens intellectualis, debet habere correſpondentem appetitum.

2 Supponendum ſecundò. Ita ex cognitione ſequi appetitum, vt implicet eſſe naturam cognoſcitiuam, & non appetitiuam. Ratio eſt. Quia cognitio ex intrinſeca ſua ratione, ſicut eſt apprehenſiua, & iudicatiua obiecti, ita etiam eſt directiua appetitus, & ideo dicit ordinem eſſentialem ad appetitum, quem dirigat. Vndè cum tota perfectio vitalis operationis ſit propter perfectionem viuentis, etiā vis iſta directiua eſt propter perfectionem ipſius non poteſt autē deſeruire, niſi ſit capax appetitus, ſecundū quem dirigatur. Difficultas autem eſt, Quomodo conueniat Deo voluntas.

3 Dico primò. *Voluntatem non conuenire Deo per modum potentiæ volitiuæ non ſolum realiter, ſed nec etiam formaliter reſpectu obiecti ad intra.* Probatur. Tum quia potentia ſecundum ſuam formalem rationem dicit vim productiuam, & reſpicit actum producibilem. Tum quia conſtituitur in eſſe formali potentiæ per id, quod contineat in ſe potentialiter actum.

4 Dico ſecundò. *Neque reſpectu obiectorum ad extra voluntas conuenit Deo per modum potentiæ in ratione voluntatis.* Probatur. Si ſe haberet per modum potentiæ, eſſet determinabilis intrinſecè, quia omnis potentia vitalis eſt in ordine ad actum immanentem; omnis autem potentialitas repugnat Deo. Confirmatur. Quia reſpiceret actum, quo perficeretur in ratione voluntatis.

5 Dico tertiò. *Neque Voluntatem Dei poſſe concipi per modum potentiæ, ſeu poſſibilitatis.* Eſt contra Ruiz

diſp. 2

Digitized by Google

diſp. 2. de Voluntate Dei ſect. 1. Probatur non poteſt concipi in Deo cum veritate quod ex ſua formali ratione ipſi repugnat, potentia autem reſpectu eorum, quæ ſunt ipſi intrinſeca, repugnat, ita vt non poſſit de ipſo affirmari, ergo. Confirmatur. Quia etiam ſub ratione poſſibilitatis præciſè dicit aliquid potentiale; ſi verò ſumatur ſimul cum actu, adhuc non ſaluatur vera ratio poſſibilitatis, ſed tantum aliquid actualiſſimum. Confirmatur ſecundò. Quod in creatis eſt poſſe eſſe, ſeu non implicare, in Deo eſt actualiſſimum eſſe, in quo prima ratio realitatis ſit ipſa actualitas, ergo non habet locum aliqua ratio poſſibilitatis.

6 Dico quartò. *Quando tribuitur Deo potētia volendi, nihil aliud ſignificatur, quàm actualis efficacia, qua aliquid vult.* Probatur. Potentia non poteſt tribui ſecundum ſuam formalem rationem, & ipſum actuale operari ſolet appellari potentia, quatenus in ipſo oſtenditur potentia, quando ab ipſo prouenit, ergo tribuitur, pro vt ſignificat actualem efficaciam.

7 Dico quintò. *Voluntatem diuinam in ratione cauſæ reſpectu effectuum ad extra ſe habere per modum potentiæ.* Probatur. Effectus ad extra eſt potentialis, & cauſatur à diuina voluntate, ergo potentialiter continetur in ipſa; quod autem potentialiter continet aliquid, eſt potentia reſpectu ipſius.

8 Dico Sextò. *Volitionem diuinam comparari ad intellectionem tanquam ad id, à quo conſequitur, ſeu tanquam actum ſecundum ad actum primum, ſumenda tamen actum primum non in genere intellectionis, ſed ſolum in comparatione ad volitionem.* Extra contra Ruiz *diſp. 2. de voluntate Dei ſect. 1.* & Faſolum. *1. p. quæſt. 19. art. 1. concl. 3.* Probatur. Intellectus mouet voluntatem ad operādum, ita vt ratione intellectionis exeat in actum, ergo. Volitio conſequitur ad intellectionem. Antecedens patet. Quia cognitio proponit obiectum, in cuius virtute voluntas fit in actu. Confirmatur ſecundò. Verbum vt Verbum eſt principium Spiritus Sancti reali modo, ergo intellectio erit veluti principium virtuali modo volitionis. Conſequentia probatur. Nam ex eo, quod Spiritus Sanctus procedit formaliter vt amor notionalis, requirit pro principio Verbum, ergo etiam velle eſſentiale requirit pro principio virtuali intelligere eſſentiale, cum debeat ſeruari eadem proportio.

9 Obijcies. Sequeretur, diuinum intelligere eſſe admixtum potentia, ſi aliquo pacto eſſet principium volitionis. Reſpondetur negando ſequelam. Quia ſicuti Verbum non eſt admixtum potentia ex eo, quod ſit principium Spiritus Sancti, quia ſe habet per modum actualis principiationis; ſic etiam intelligere; quia non aliud dicit, quàm actualiſsimam perceptionem obiecti, ex qua virtuali modo conſequitur volitio.

An Deo conueniat ratio appetitus.

SECTIO II.

10 APpetitus alius innatus, qui eſt naturalis inclinatio; & alius elicitus, qui eſt actus potentiæ appetitiuæ. Quod ſpectat ad elicitum, certum eſt non conuenire Deo non ſolum vt elicitus eſt, quia in Deo nihil eſt elicitum, ſed neque etiam ſecundum formalem rationem appetitus, vt docet D. Thomas *in 1. diſt. 35. q. 1. art. 1. ad primum.* Et ratio eſt, quia connotat bonum abſens, circa quod feratur; Deo autem nullum bonum eſt abſens, difficultas igitur eſt de appetitu innato.

11 Prima ſententia tribuit Deo appetitum innatum non ſolum circa proprium bonum intrinſecum, ſed etiam extrinſecum. Ita Suarez *in metaph. diſp. 30. ſect. 13. n. 3.* Ruiz *diſp. 1. de voluntate Dei ſect. 2.* Faſolus *1. p. q. 19. artic. 1. concl. 4. & 5.* Arrubal *1. part. diſp. 50. n. 4.* Amicus *diſp. 14. ſect. 1. num. 3.*

Probant. Bonum eſt quod omnia appetunt, ergo vnicuique naturæ conuenit appetitus innatus ad propriū bonum. Secundò. Actus notionales ſunt neceſſarij, & pertinent ad complementum diuinitatis, ergo debet dare appetitus innatus ad ipſos. Tertiò. Bonum eſt diffuſiuum ſui ipſius, ergo Deus habet naturalem inclinationem ad ſe communicandum. Quartò. Deus habet appetitum rationale, ergo etiam innatum, quia rationalis fundatur in innatum.

12 Secunda ſententia eſt negatiua Ita D. Thomas *in 3. diſt. 37. q. 1. art. 1. Ad primum*, Vbi habet. *In Deo eſt voluntarius appetitus tantum, quia ipſe determinat omnia, & non determinatur ab aliquo.*

13 Dicendum primò. *Non conuenire Deo appetitum innatum ſecundum ſuam propriam formalem rationem.* Probatur. Appetitus innatus eſt quoddam pondus naturæ, quo mouetur in proprium bonum, ita vt per ipſum determinetur ad tale bonum, non autē quo ſe ipſam moueat, ergo non poteſt conuenire Deo, quia Deus non habet ſuperius, à quo per impreſsionem huius appetitus determinetur, & moueatur. Confirmatur. Appetitus innatus eſt tendentia in aliquem finem, ergo non poteſt eſſe prima ratio mouendi in finem, ſed debet mouere ſecundum impreſsionem factam ab alio mouente. Conſequentia probatur. Omnis tendentia in finem debet dirigi per cognitionem eiuſdem finis, ergo cum appetitus innatus non fundetur in cognitione, debet ſupponere aliquod dirigens; quod finem præfigat, ergo non poteſt eſſe prima ratio mouendi.

14 Dicendum. Secundò. *Multo minus Deum habere appetitum innatum reſpectu creaturarum, vt ſunt quid contradiſtinctum à Deo.* Probatur. Appetitus innatus dicit inclinationem ad bonum, quod eſt iuxta exigentiam naturæ, ita vt ſi ipſam non habeat, non ſit in ſtatu completo ſuæ exigentiæ, ergo cum Deus ſit in ſtatu completo abſque creaturis, non habet appetitum.

15 Dicendum Tertiò. *Deum non habere aliam attingentiam, ſeu inclinationem circa bonum, quam actualiſſimam complacentiam rationalem.* Probatur. Omnis tendentia in bonum attingit ipſum ſub ratione boni, ergo non poteſt Deus ferri in ipſum, niſi per inclinationem rationalem. Conſequentia probatur. Vt attingatur ſub ratione boni, debet proponi ſub ratione boni. Vndè etiam omnis appetitus innatus dirigitur ab auctore naturæ; in Deo autem non poteſt dirigi niſi per cognitionem ipſius.

16 Ad Primum negatur conſequentia. Nam ex eo, quod omnia appetunt bonum, ſequitur, quod vnumquodque habeat appetitum ſibi proportionatum; ſolus autem appetitus rationalis eſt proportionatus naturæ diuinæ. Ad Secundum negatur conſequentiam. Nam ex eo, quod actus notionales ſint neceſſarij, & pertineant ad complementum diuinitatis, ſequitur quod Deus habeat complacentiam de ipſis, non verò, quod habeat appetitum innatum. Ad Tertium, Deum habere inclinationem voluntariam ad ſe communicandum; dicitur autem naturalis, quia eſt ſecundum exigentiam naturæ ſummi boni. Ad quartum. Appetitum rationalem fundari in innato quando eſt appetitus naturæ naturatæ, quia hæc non ſolum ſe mouet appetitiuè, ſed etiam, pro vt eſt quoddam ens mouetur, quia determinatur ad certam menſuram eſſendi, intra quam per ſuum appetitum ſe mouet. Deus autem, quia à nullo accipit eſſe, non habet impreſsionem alicuius appetitus innati.

***

DE

Digitized by Google

DE OBIECTO PRIMARIO,
Et adæquato diuinæ voluntatis.

DISPVTATIO XXIX.

An bonitas diuina ſit primarium, & adæquatum obiectum.

SECTIO I.

1 OBiectum, & finis reſpectu voluntatis coincidunt, quia licet voluntas poſſit fieri in media vt media ſunt, quia tamen propter ſe non diligit, ſed prout ſtant ſub bonitate finis, ideo ratio motiua eſt ipſe finis. Ratio autem eſt quia obiectum voluntatis eſt bonum, in quo quieſcat; ſicut autem quieſcere eſt finis formalis voluntatis, ita id, in quo quieſcit eſt finis obiectiuus.

2 Dicendum primò. *Finem vltimum, atque adeo formale, & primarium obiectum diuinæ voluntatis eſſe ipſum Deum, quatenus eſt ſumma bonitas*. Ita D. Thomas *prima part. quæſt. 19. artic. 1. ad tertium*, & communiter, & deſumitur ex ſcriptura, quatenus docet, Deum dirigere omnia ad ſe ipſum, in quo ſtat ratio vltimi finis Prouerb. 16. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; impium quoque in diem malum*. Probatur. Bonitas diuina eſt primum amabile, quia eſt prima bonitas, a qua omnia alia participant amabilitatem; quod autem eſt primum in quocunque genere, eſt ratio cur alia ſint talia, ergo omnia ſunt amabilia ratione diuinę bonitatis. Confirmatur. Tanta debet eſſe amabilitas in obiecto formali, quantus eſt amor, ergo cum amor ſit infinitus, obiectum formale debet habere amabilitatem infinitam; ſola autem diuina bonitas eſt huiuſmodi.

3 Dicendum ſecundò. *Solam diuinam eſſentiam, & non perſonalitates eſſe formale obiectum vt Quo*. Ita Henricus *2. parte artic. 47. quæſt. 4.* Scotus *in 2. diſt. 1. quæſt. 1. artic. 2. §. Ordo naturæ*. Smiſing *tract. 3. de Deo vno. diſp. 3. quæſt. 2. num. 20.* Contra Ruiz *diſp. 3. de voluntate Dei ſect. 3.* & alios.

Probatur. Sola eſſentia habet bonitatem infinitam, & perſonalitates ſunt tantum bonæ bonitate eſſentię, ita vt non habeant propriam bonitatem relatiuam, ergo non poſſunt eſſe formale obiectum *vt Quo*. Antecedens probatur, quia cum in diuinis omnis diſtinctio ſit præciſè ratione relationis, ea tantum plurificantur, quæ ſunt formaliter relatio; bonitas autem non eſt formaliter relatio. Confirmatur. In Deo eſt vna tantum ratio entis ſummi, quia omnes tres perſonæ diuinæ ſunt vna ſumma res, vt definitur in Cap. *Firmiter*, ergo in diuinis eſt vna tantum bonitas, quia bonitas ſequitur ens. Confirmatur ſecundò. Bonitas diuina vt abſoluto modo ſe habet eſt infinita in omni genere, ergo ſola dicit adæquatum obiectum formale. Conſequentia probatur. Poſita infinita bonitate in omni genere, habetur omnis ratio bonitatis excogitabilis, atque adeo vna ſimpliciſſima bonitas omnium ſumma, bonitas autem omnium ſumma adæquatur in ratione obiecti formalis cum amore ſummo.

4 Dicendum tertiò. *Diuinas perſonalitates pertinere ad obiectum formale vt quod*. Hoc tantum intendunt Patres, quando docent, quod vna perſona gaudet de alia, quod Pater gaudet ſe eſſe genitorem, & alia eiuſmodi. probatur. Illud eſt formale obiectum *vt Quod*, in quo reperitur formale obiectum *vt quo*, vt ratione ipſius attingatur. Huiuſmodi autem ſunt perſonalitates diuinæ, cum ſint bonæ bonitate eſſentiæ, ergo.

5 Dicendum quartò. *Solam eſſentiam diuinam eſſe adæquatum obiectum diuinæ voluntatis*. Ita ij, qui idem docent de obiecto intellectus diuini contra Ruiz *diſp. 3. de voluntate Dei. ſect. 2.* qui vult creaturas eſſe partem obiecti adæquati. Probatur. Creaturæ, vt contradiſtinctè à Deo, non dicunt aliquam amabilitatem, ſecundum quam contineantur in eſſentia Dei, ergo non poſſunt eſſe pars obiecti adæquati. Antecedens patet, quia tota amabilitas creaturarum eſt participata. Conſequentia probatur. Nam de ratione partialis obiecti adæquati eſt, quod dicat aliquam rationem obiecti, quæ ſit extra aliud obiectum, reſpectu cuius eſt pars, de ratione enim partis eſt, quod ſit extra aliam partem.

6 Obijcit Ruiz contra ſecundam concluſionem. Obiectum formale eſt diuina bonitas; perſonalitates autem ſunt complementum huius bonitatis. Reſpondetur. Eſſe complementum in ratione termini, atque adeo complementum relatiuum; huiuſmodi autem complementum eſt tantum bonum bonitate ſubiecti. Vndè etiam ſunt tantum neceſſariæ, vt bonitas diuina ſit propter ſe amabilis in ratione termini, non autem in ratione eſſendi.

7 Obijcit ſecundò. Trinitas vt Trinitas eſt pulcherrimum obiectum ratione congruentiæ terminorum, ergo eſt propter ſe amabilis. Reſpondetur. Eſſe pulcherrimum obiectum *vt Quod*, & propter ſe amabile *vt quod*; non autem *vt Quo*.

8 Obijcit quintò. Deus ſibi diſpliceret, ſi non haberet perſonalitates, quia eſſet ſterilis. Reſpondetur. Si adhuc eſſet Deus, implicat quod ſibi diſpliceret, quia adhuc eſſet beatus. Deinde ſibi diſpliceret, non quia ratione perſonalitatum deeſſet ſibi aliqua bonitas, ſed quia conſequutiuè deeſſet fęcunditas, & perfectio abſoluta.

9 Obijcit quartò. Sequeretur perſonalitates eſſe obiectum materiale, quod derogat dignitati ipſarum. Reſpondetur negando conſequentiam. Nam ſunt obiectum, quod eſt Deus, quia ſunt amabiles eadem amabilitate; neque propriè præciſè ſumptæ ſunt obiectum materiale, quia materiale ſubſiſtit in ſuo eſſe ſine formali, quod non conuenit perſonalitatibus diuinis.

10 Obijcit quintò contra quartam concluſionem. Deus amat creaturas ſecundum eſſe proprium ipſarum, ergo pertinent ad obiectum adęquatum. Reſpondetur amare vt obiectum ſecundarium quod non eſt aliud, quam amorem diuinum adæquatè terminatum per diuinam bonitatem, extendi etiam ad creaturas, quatenus ſunt quid connexum cum bonitate diuina; quod autem eſt pars obiecti adęquati, eſt etiam pars termini.

Quomodo amor diuinus ſit obiectum amoris.

SECTIO II.

11 SVpponendum eſt tanquam certum. Ipſum amorem amari à Deo, vt docet D. Auguſtinus 11. *de Ciuitate cap. 8.* Et ratio eſt, quia amor eſt quoddam bonum; & perfectio amantis. Difficultas autem eſt, Quomodo ametur, directè? an reflexè.

12 Prima ſententia aſſerit amari reflexè Ita Ruiz *diſp. 3. de Voluntate Dei. ſect. 5.* & Amicus *1. par. diſp. 14. ſect. 1. corollar. 2.*

Probant. Perfectior eſt ſcientia, quando aliquis ſcit ſe ſcire, ergo etiam amor, quo amat ſe amare. Secu do. Amor diſtinguitur à cæteris perfectionibus, ergo etiam amatur

Digitized by Google

diuerſo amore, tertiò, quia Diuus Dionyſius *cap. 4. de diuinis nominibus*, tribuit diuino amori circularem reflexionem.

13 Dicendum eſt. *Diuinum amorem non ſe habere reflexiuo modo, ſed tantum directè amare quidquid eſt amabile in Deo*. Probatur. Amor reflexus non poſſet tendere in directum, niſi ſub ratione boni, ergo non habet obiectum, ratione cuius conſtituatur in eſſe reflexo. Conſequentia probatur. Amor diuinus eſt idem cum eſſe diuino, vndè pro vt eſt bonus, eſt aliqua ratio bonitatis de ſumma bonitate, quam dicit eſſe diuinum, ergo debet attingi directo modo, eo ipſo, quod attingitur ſumma bonitas diuina.

14 Ad Primum. Aliud eſſe amare ſuum amorem; & aliud amare reflexo modo; primum conuenit Deo, non autem ſecundum, vt patet ex dictis. Ad ſecundum negatur conſequentia. Nam omnes perfectiones diuinæ, licet ſecundum noſtrum modum concipiendi diſtinguantur, attinguntur tamen ab amore diuino ſub vna formali ratione, videlicet bonitate. Ad tertium, D. Dionyſium tribuere diuino amori illam ſolum circularem reflexionem, qua progreditur à Deo, & tendit in creaturas, & rurſus reflectitur in Deum, quia videlicet Deus amat creaturas propter ſe ipſum.

Quomodo Deus amet ſe ipſum.

SECTIO III.

15 SVpponendum tanquam certum. Deum amare ſe ipſum comprehenſiuè ita vt amor adæquet amabilitatem; cum enim ſit amor infinitus, attingit bonitatem diuinam ſecundum omnem rationem amabilitatis, & eo modo inclinatur in ipſam, quo allicit ipſam voluntatem. Vndè talis modus amandi non eſt poſſibilis alicui creaturæ, quæ non poteſt amare, niſi amore finito.

16 Supponendum ſecundò; amorem diuinum non eſſe neceſſarium neceſſitate violentiæ, quia non habet extrinſecum principium, cui ſubijciatur, ſed eſſe ſpontaneum, & voluntarium, atque adeo delectabiliter ſe habentem, difficultas autem eſt. An ſit liber.

17 Prima ſententia eſt negatiua. Ita Diuus Thomas 1. *part. quæſt.* 19. *artic.* 3. Caietanus *ibidem* Ferrarienſis 1. *contra Gentes capit.* 80. & 81. Herueus *quolib.* 1. *quæſt.* 1. Ariminenſis *in prima diſt.* 10. *quæſt.* 1. *arti.* 2. Capreolus *artic.* 1. *concluſ.* 2. & 3. Richardus *artic.* 1. *quæſt.* 1. Argentinas *quæſt.* 1. *artic.* 2. Gabriel *quæſt.* 2. *artic.* 1. Faſolus *prima parte quæſt.* 19. *artic.* 3. *dub.* 1. Ruiz *diſp.* 4. *de voluntate Dei. ſect.* 2. Amicus 1. *par. diſp.* 14. *ſect.* 1. *corollar.* 1. & alij.

Probant. Quia libertas conſiſtit in eo, quod poſſit actus eſſe, & non eſſe. ſecundò. Quia non ſufficit, vt amor ſit liber, quod procedat ſpontaneè ex apprehenſione boni, alioquin motus primo primi eſſent liberi.

18 Secunda ſententia aſſerit eſſe liberum. Ita Henricus *ſecunda parte ſummæ artic.* 45. *quæſt.* 3. Scotus *in prima diſt* 10. *quæſt.* 1. Baſſolis *quæſt. vnica artic.* 3. Maioronus *quæſt.* 1. Rubio *quæſt.* 2. & communiter ſcotiſtæ.

19 Notandum primò. Certum eſſe, nullam contingentiam poſſe conuenire amori diuino, quia contingentia fundatur in defectibilitate. Vndè amor diuinus habet neceſſitatem exiſtentiæ, ita vt omnino implicet non eſſe, eſt enim ens per eſſentiam.

Notandum ſecundò. Amorem diuinum eſſe etiam neceſſarium quo ad ſpecificationem. Et ratio eſt, quia cum eſſe diuinum ſit ſummum bonum, non poteſt proponi voluntati ſecundum aliquam rationem, quæ poſſit terminare actum oppoſitum amori.

20 Notandum tertiò. Contingentiam in libertate creata prouenire ab obiecto; ideo enim voluntas poteſt oppoſitis actibus attingere obiectum, quia ex natura ſua eſt tale, vt poſsit proponi ſub oppoſitis rationibus obiectiuis mali, & boni. Sic etiam poteſt voluntas ſuum actum ſuſpendere, quia ex parte obiecti adeſt motiuum ſuſpenſionis.

21 Notandum quartò. Libertatem poſſe conſiderari ſecundum ea, quæ habet ex conditione talis obiecti, & ſecundum ea, quæ habet ex intrinſeca virtute potentiæ. Primo modo habet contingentiam, quæ cum non ſit vniuerſalis reſpectu cuiuſcunque actus voluntatis, non poteſt præciſè fundari in virtute voluntatis, quia cum omnis actus fundetur in tali virtute, habet etiam omnia, quæ in ipſa fundantur. Secundo modo dicit procedere ex determinatione voluntatis præuio iudicio rationis.

22 Notandum quintò. Libertatem propriè non conſiſtere in contingentia, ſed contingentiam conſequi ad libertatem verſantem circa tale obiectum. Ratio eſt, quia, quando actus contingens elicitur, prouenit libero modo ex vi principij, à quo formaliter prouenit; & tamen ex vi illius non poteſt aliter ſe habere; ſi enim conſideretur voluntas vt ſe determinat ad talem actum, non poteſt ad oppoſitum ſe determinare, quantum eſt ex vi illorum, in quorum virtute ſe determinat; in his enim inuoluitur iudicium mouens voluntatem, quod cum vnam tantum partem proponat, non poteſt ex vi illius voluntas ad oppoſitam ſe determinare.

23 Notandum ſextò. Quando Patres, & Concilia docent, libertatem conſiſtere in indifferentia, loqui ſecundum ſubiectam materiam; agunt enim contra hæreticos, qui tollebant indifferentiam etiam circa obiecta, quæ indifferenti modo proponuntur; & ideo docent voluntatem ita eſſe liberam, vt habeat indifferentiam, & rectè inferunt, ſi non haberet indifferentiam, non fore liberam, quia non poteſt tolli indifferentia, niſi tollatur etiã modus operandi cum determinatione radicata in iudicio rationis: ſuppoſito enim quod obiectum habeat rationem indifferentis, ſi ſub vtraque proponitur, voluntas habet indifferentiam.

24 Notandum ſeptimò. In actu poſſe conſiderari modum tendendi, & ſubſtantiam ipſius: ſubſtantia veluti materiali modo ſe habet; modus vero ſe habet veluti forma. Libertas autem non pertinet ad ſubſtantiam, ſed ad modum, quia idem actus ſecundum ſubſtantiam poteſt eſſe liber, & neceſſarius ex ſola variatione modi tendendi. Sic motus primus eſt neceſſarius, & tranſit in liberum, ſi continuetur adueniente plena aduertentia.

25 Notandum octauò. Modum tendendi, in quo conſiſtit libertas nihil aliud dicere, niſi quod actus procedat ex approbatione rationis, quæ conſiſtit in quodam iudicio practico, quo intellectus approbat tendentiam in tale obiectum, vel reprobat, quod ex eo patet, quia actus ex natura ſua contingentes, vt ſunt motus primi, poſsunt eſse liberi, & neceſsarij; & in eo quod voluntas ex ſe ipſa cum tali determinatione, quam habeat primò ex ſe ipſa tendat in obiectum.

26 Dicendum eſt. *Deum liberè amare ſe ipſum libertate actualis exercitij*. Quia non poteſt alio modo Deo conuenire libertas, quàm in actu ſecundo. Probatur. Deus ita attingit ſe ipſum per amorem, vt talis actus fundetur in iudicio approbatiuo, & ex ſe ipſo habeat talem determinationem, ergo eſt liber. Antecedens probatur. Quia amor diuinus eſt bonus, & ſummè approbabilis, & cognitio diuina cum ſit infinita attingens omnem perfectionem diuinam ſecundum omnem rationem attingibilitatis, attingit etiam approbatiuo modo, quia hoc pacto exigit attingi. Conſequentia probatur. Quia libertas in exercitio conſiſtit in eo, quod actus fundetur in huiuſmodi approbatione, ex

vi cuius

Digitized by Google

vi cuius voluntas habeat ex ſe ipſa ſuam determinationem.

27 Ad primum. Contingentiam non eſſe formaliter libertatem, ſed intrinſecam conditionem illius, quando verſatur circa obiectum indifferens. Ad ſecundum. Ad libertatem non ſufficere eſſe ſpontaneum, ſed inſuper requiri, vt actus ſit ex approbatione intellectus, & ideo motus primi non ſunt liberi, quia deficit approbatio; & quod determinetur ab ipſa voluntate procedente dominatiuo modo per menſuram exhibitum à ratione.

DE OBIECTO DIVINAE Voluntatis.

DISPVTATIO XXX.

An creaturæ ſint obiectum ſecundarium diuinæ voluntatis.

SECTIO I.

1 Ratio dubitandi eſt. Quia creaturæ habent intrinſecam bonitatem honeſtam propter ſe amabilem; vndè ſi amantur à Deo, deberent amari propter ſe ipſas, & eſſe obiectum motiuum diuinę voluntatis. Secundò. Voluntas diuina habet ſufficiens bonum in eſſe diuino, quo adæquatè ſatiatur. Voluntas autem adæquatè ſatiata non appetit aliud bonum. Tertiò. Quia Deus non fruitur creaturis, alioquin eſſent finis ipſius; neque etiam vtitur, quia non ſunt ſibi neceſſariæ vt medium ad aliquem finem acquirendum. Quartò. Reſpectu creaturarum irrationalium non poteſt habere amorem amicitiæ cum non ſint capaces illius; nec etiam concupiſcentiæ, quia hic fundatur in indigentia concupiſcentis.

2 Dicendum primò. *Deum velle creaturas*. Ita Diuus Thomas *prima parte quæſt.* 19. *artic.*2. & communiter, & eſt de fide. Probatur. Pſal. 134. *Omnia, quæcunque voluit fecit.* Sap. 11. *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Confirmatur. Volitio diuina eſt infinita, ita vt dicat omnem rationem volitionis, ergo attingit omne volibile; creaturæ autem ſunt quid volibile, alioquin non poſſent attingi nec etiam à voluntate creata. Confirmatur Secundò. Totum eſſe, quod habent creaturæ, eſt à Deo communicatum, ergo etiam volitum, quia Deus operatur per intellectum, & voluntatem.

3 Dicendum Secundò. *Creaturas nullo pacto habere rationem motiui reſpectu volitionis diuinæ.* Ita D. Thom. *prima part. quæſt.* 19. *art.* 1. *ad tertium*, & communiter contra Ruiz *diſputa.* 5. *de Voluntate Dei. ſect.* 3. *numer.* 5. qui vult eſſe motiuum materiale ratione proportionis, quam in ratione medij habent ad finem.

Probatur. Creaturæ non poſſunt eſſe obiectum primarium motiuum, ergo neque etiam ſecundarium. Conſequentia probatur. Ratio, cur non poſſunt eſſe motiuum primarium, prouenit ex ratione formali motiui, quia actus diuinus non poteſt habere aliquam creaturam pro motiuo; haberet autem ſi creaturæ eſſent motiuum materiale. Confirmatur. Ratio motiua importat id, quod determinat obiectum, vt habeat debitam proportionem, ergo implicat eſſe motiuum materiale, quia eo ipſo quod eſt motiuum, ſe habet formali modo.

4 Obijcit Ruiz. Amor Dei erga creaturas rationales eſt Charitas, ergo debet reſpicere tanquam motiuum perſonam diſtinctam, cum hoc ſit de ratione Charitatis. Reſpondetur Negando antecedes. Nam Deus non habet propriè Charitatem ad creaturas, vt diximus ſuo loco. Deinde ſola Charitas creata habet motiuum diſtinctum realiter, quia ſola eſt actus productus.

5 Obijcit ſecundò. Quæ amantur propter aliud, poſſunt habere aliquam rationem materialem motiuam, vt quando medicina amatur ratione ſuæ efficaciæ, ergo. Reſpondetur negando Antecedens, nam efficacia medicinæ non eſt bona, niſi ratione ſanitatis; & etiam nullo modo amatur, niſi ratione ſanitatis, & ideo falſum eſt, quod amatur propter aliud, poſſe habere aliquam rationem motiuam, niſi ex alio capite ſit etiam propter ſe ipſum amabile.

6 Dicendum Tertiò. *Deum amare creaturas propter ſe ipſum*. Probatur. Quæ attinguntur ex aliquo formali motiuo, attinguntur propter ipſum, quia amantur ratione bonitatis ipſius; Deus autem omnia attingit ratione bonitatis propriæ.

7 Dicendum Quartò. *Creaturas non amari à Deo propter ſe ipſum tanquam vtiles ſibi, etiamſi vtile accipiatur pro medio, quod inſeruiat fini*. Eſt contra Ruiz *diſput.* 5. *de Voluntate Dei. ſect.* 5. *concluſ.* 1. Smiling *tract.* 3. *de Deo vno. diſput.* 3. *quæſt.* 2. *num.* 24. & plures alios, qui docent, Deum amare creaturas, quatenus inſeruiunt honori ipſius. Probatur. In tantum amarentur ſub ratione vtilis, quia inſeruiunt diuino honori, ſed ex hoc non poſſunt amari propter Deum ſub ratione vtilis, ergo. Minor probatur. Quia ſunt tantum vtiles honori diuino; hic autem honor non eſt ipſe Deus, ſed quid extrinſecum; vndè, & ipſe debet amari propter Deum, ergo] non ſunt vtiles Deo, vt Deus eſt, & prout eſt ratio amandi illas. Confirmatur. Vel tota collectio creaturarum, prout includit etiam honorem, poteſt amari vt vtilis Deo; vel non. Si primum. Contra. Quia id eſt vtile, quod ad aliquid inſeruit, creaturæ, autem ſecundum totam ſuam collectionem ad nihilum Deo inſeruiunt cum habeat totum, quod habet à ſe ipſo. Si ſecundum; ergo non poteſt amari ſub ratione vtilis.

8 Dices. Deum ratione creaturarum poſſidere teſtimonium ſui honoris. Contra. Vel hoc poſſidere teſtimonium dicit aliquid intrinſecum Deo, vel aliquid extrinſecum. Si primum; ergo cum nihil poſſit eſſe vtile in ordine ad eſſe intrinſecum Dei, neque ratione huius poſſeſſionis poſſunt creaturæ eſſe vtiles Deo. Si ſecundum; ergo cum hoc extrinſecum ſit quid creatum, debet amari propter Deum eo modo, quo amantur aliæ creaturæ, & tamen non poteſt amari ſub ratione vtilis.

9 Dicendum quintò. *Deum amare creaturas propter ſe ipſum nihil aliud ſignificare, niſi quod ratione propriæ bonitatis moueatur ad conferendum eſſe, & bonitatem*. Probatur. Deus ita amat creaturas, vt non ſupponat in ipſis aliquam bonitatem, ſed totam communicet, ergò amare creaturas propter ſe ipſum, non eſt aliquid, quàm ex motiuo propriæ bonitatis communicare eſſe. Conſequentia probatur. Quia particula (*Propter*) ſignificat ordinem progreſſionis amoris; amor autem progreditur à bonitate diuina ad creaturas communicando eſſe.

10 Dicendum ſexto. *Volitionem Dei non dicere ordinem aliquem realem, ſiue tranſcendentalem, ſiue prædicamentalem ad creaturas*. Eſt contra Ruiz *diſput.* 5. *de voluntate Dei. ſect.* 4. qui pro ſe citat Diuum Thomam, & alios, qui tamen non admittunt ordinem realem, ſed tantum rationis. Probatur. Licet relatio non pendeat a termino, terminus tamen pertinet

ad integrum eſſe ipſius; ita vt ſine ipſo non poſsit in ſuo eſſe ſubſiſtere, ergo volitio diuina non dicit relationem ad creaturas. Antecedens patet. Quia terminus eſt de conceptu eſſentiali relationis. Conſequentia probatur. Quia ſequeretur, quod Deus indigeret creaturis, nec poſſet ſubſiſtere ſine ipſis in ſuo eſſe. Confirmatur. Vel hæc relatio reſpiceret creaturas immediatè; vel mediante eſſentia, ſeu bonitate diuina. Non primum; quia nullus actus poteſt immediatè reſpicere obiectum ſecundarium, aut materiale ſine formali, nam ſolum ratione formalis habetur debita proportio in ratione termini. Non ſecundum; quia, vt reſpiceret mediatè, deberet reſpicere reali ordine obiectum formale, quod fieri non poteſt, cum non ſit realiter diſtinctum.

11 Obijcies non poteſt volitio creaturarum concipi ſine creaturis, ergo dicit realem ordinem ad ipſas. Reſpondetur. Non poſſe concipi ſine creaturis conſideratis in ſtatu potentialitatis, quia ſunt obiectum identificatum cum volitione; poteſt tamen concipi ſine creaturis in ſe ipſis conſideratis, ſi conſideretur præcisè ipſa volitio; ſi verò conſideretur, vt eſt volitio creaturarum, tunc debent concipi etiam creaturæ non ratione ordinis, ſed ratione reduplicationis.

12 Ad primam rationem dubitandi. Honeſtatem creaturarum non eſſe honeſtatem propter ſe abſolutè, ſed ſecundum quid, videlicet in eſſe participato. Hinc non poſſunt amari à Deo niſi vt quid communicatum, atque adeo niſi ratione diuinæ bonitatis mouentis Deum ad communicandam bonitatem. Ad ſecundam. Ex eo, quod voluntas diuina ſit adæquatè ſatiata per intrinſecam bonitatem, ſequi quod non quærat bonum extrinſecum, vt ſatietur; non autem, quod non amet practico modo communicando propriam bonitatem. Ad tertiam. Deum neque frui, neque vti creaturis propriè loquendo; quia frui, & vti ſupponunt aliquod in obiecto, ſecundum quod terminet fruitionem, aut vſum, ſed tantum amat practico modo communicando bonitatem. Impropriè autem vtitur, quatenus dando eſſe refert vſum ipſarum in vtilitatem noſtram, vt docet D. Auguſtinus *cap.* 31. *de Doctrina Chriſtiana*. Ad quartam. Amorem Dei erga creaturas, etiamſi ſint rationales, neque eſſe propriè amicitiam, neque concupiſcentiam, quia bonum creaturæ non proficit Deo. Eſt tamen amor concupiſcentiæ eminentiori modo, quatenus Deus ex propria bonitate mouetur ad communicandum bonum creaturis, quod eſt aliquod bonum extrinſecum ipſius, & Deus ſupremo dominio poſſidet omnes creaturas.

An Deus amet creaturas poſſibiles.

SECTIO II.

13 SVpponendum tanquam certum. Creaturas poſſibiles, pro vt continentur in omnipotentia Dei, amari ab ipſo, cum non ſint aliquid ab illo contradiſtinctum, ſed ſolum rationes cauſales, atque ideales; eo ipſo enim, quod Deus amat ſuum eſſe, amat etiam creaturas in ſe contentas. Vndè hic amor eſt neceſſarius tum quoad ſpecificationem; tum etiam quò ad exercitium, liber verò quo ad modum tendendi, ſicut eſt amor, quo Deus amat ſe ipſum. Difficultas verò eſt, an amet creaturas poſſibiles, vt ſunt quid contradiſtinctum ab ipſo Deo, & in puro ſtatu poſſibilitatis conſiderantur.

14 Prima ſententia eſt affirmatiua; aſſerit enim, Deum amare creaturas poſſibiles ſimplici complacentia inefficaci, qua ſibi complacet de ipſarum bonitate. Ita Ricardus *in prima diſtinct.* 45. *artic.* 1. *quæſt.* 4. & 5. Carthuſianus *quæſt.* 1. Baſſolis *quæſt.* 2. Caietanus *prima part. quæſt.* 34. *artic.* 3. Vaſquez *diſput.* 79. *cap.* 2. Arrubal *diſput.* 53. *capit.* 2. Amicus *diſput.* 14. *ſect.* 2. Faſolus *quæſt.* 19. *artic.* 3. *dub.* 2. Smiſing *tracta.* 3. *de Deo vno. diſput.* 3. *quæſt.* 3. Ruiz *de voluntate Dei, diſput.* 6. *ſect.* 2. & alij.

Probant. Creaturæ ſecundum eſſe poſſibile ſunt bonæ, & ſunt quid connexum cum diuina potentia; Deus autem neceſſariò amat quidquid eſt connexum cum ſuis perfectionibus. Secundò. Ex parte poſſibilium datur ratio, cur Deus aliqua velit, & aliqua non. Sic non poteſt velle hæreſim, ergo ante futuritionem ſupponitur aliquid in poſſibilibus, per quod poſsint eſſe obiectum amoris, & diſplicentiæ. Tertiò. Eſt perfectio noſtræ voluntatis vt feratur in ea, quæ poſſumus facere, ergo etiam diuinæ.

15 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Albertus *prima parte quæſt.* 79. *mem.* 2. *artic.* 1. Alenſis *quæſt.* 31. *mem.* 1. Diuus Bonauentura *in prima diſt.* 45. *artic.* 1. *quæſt.* 2. Gabriel *articol.* 1. *notabili* 1. & *articol.* 2. Banes *prima parte quæſt.* 34. *articol.* 5. Cumel *diſput.* 1. *Ad tertium*. Nauarettus *quæſt.* 19. *controu.* 3. §. 3. Gonzalez *diſput.* 52. *ſect.* 2. Suarez *in methaph. diſp.* 30. *ſect.* 16. *n.* 16. & traditur etiam à D. Thoma 1. *par. q.* 19. *art.* 3. dum docet, creaturas amari à Deo tantum liberè.

16 Dico primò. *Creaturas poſſibiles non habere in ſe aliquam bonitatem, ſecundum quam ſint amabiles.* Deſumitur ex Diuo Auguſtino *lib.* 1. *de Doctrina Chriſtiana cap.* 2. *Cætera, quæ ſunt, niſi à Deo eſſe non poſſunt; & in tantum bona ſunt, in quantum acceperunt, vt ſint.*

Probatur. Non poſſunt habere in ſe bonitatem per eſſentiam, nec communicatam, ergo nullam cum omnis bonitas aut ſit per eſſentiam, aut participata. Antecedens probatur. Bonitas per eſſentiam non eſt niſi ſolius Dei; Bonitas verò participata dicit eſſentialem ordinem ad communicationem, ante decretum autem Dei non habetur aliqua communicatio.

17 Dices. Non haberent in ſe bonitatem communicatam actu, ſed quæ poteſt communicari. Contra. Implicat habere in ſe bonitatem, quę poſsit communicari, quia poſſe communicari dicit nondum eſſe communicatum, atque adeo nondum eſſe in ipſis creaturis, ſed in cauſa, quæ poteſt communicare. Secundò, Commmunicatio actualis ponit bonitatem actu in creaturis, ergo communicatio poſsibilis dicit tantum poſſe poni, non autem eſſe in creaturis.

18 Dico Secundò. *Deum non amare creaturas poſſibiles ſimplici complacentia neceſſaria*. Probatur. Amare Dei eſt velle bonum. Vndè in tantum amat exiſtentia, in quantum vult illis bonum; ſed nullum vult bonum poſsibilibus, ergo. Minor probatur. Quia Velle bonum eſt communicare bonum; vnde quando volitio eſt actualis, etiam communicatio debet eſſe actualis.

19 Dices. Amare Dei, prout dicit amorem efficacem eſſe velle bonum; non autem prout dicit ſimplicem complacentiam. Contra. Non poteſt eſſe ſimplex complacentia niſi ad ſit bonum, de quo ſit, ergo cum ex parte creaturarum nullum præſupponatur bonum, quod non ſit finitum, & intrinſecè participatum, non poteſt ſupponi bonum, quod ſit obiectum ſimplicis complacentiæ, nam omne bonum, vt participatum dependet intrinſecè à volitione diuina efficaci.

20 Confirmatur. Quod amatur per complacentiam, debet eſſe tale, vt poſsit in ipſo quieſcere voluntas; vndè quando aliquod bonum nondum exiſtens a nobis ama-

Digitized by Google

amatur, voluntas non ſiſtit in illo, ſed tendit ad eius aſſequutionem, vt in ipſo exiſtente quieſcat; & impoſſibile eſt quieſcere, niſi poſita exiſtentia obiecti, ergo ſimplex complacentia non poteſt conuenire Deo circa poſſibilia, quia, cum ſit actualis, debet habere terminum actualem. Confirmatur ſecundò. Sequeretur, Deū habere amorem potentialem, quia eſſet perfectibilis per aliam rationem amoris; ſicuti enim obiectum poſſet fieri in actu, ita etiam amor poſſet habere aliam rationem amoris, qua ferretur in obiectum in actu.

21 Dico Tertiò. *Diuinam voluntatem non ſe habere ſuſpenſo modo circa poſſibilia, ſed ſolum non habere aliquem actum eo modo, quo non habet circa ipſum nihil.* Eſt contra Nauaretum ſupra *citatum*. Probatur. Non poteſt aliquis circa aliquid obiectum ſuſpenſo modo ſe habere, niſi ſit poſſibilis actus circa ipſum; tunc enim tantum eſt poſſibilis negatio, quando eſt poſſibilis forma; nullus autem actus voluntatis diuinæ eſt poſsibilis circa poſsibilia, quia vt ſunt contradiſtincta à diuina eſſentia, non ſunt aliquid in ſe ipſis, niſi actu exiſtant

22 Ad Primum negatur creaturas poſsibiles habere aliquam bonitatem in ſe ipſis, & conſequenter eſſe connexas cum aliqua perfectione diuina, quia ſunt tantum bonæ bonitate potentiali; vnde ſolum poſſunt amari in cauſa, non autem in ſeipſis. Ad ſecundum diſtinguitur. Antecedens. Ex parte poſsibilium, pro vt conſiderantur in cauſa, datur ratio, cur poſsint attingi à diuina voluntate, non autem prout conſiderantur in ſe ipſis. Ad tertium negatur conſequentia. Nam voluntatem noſtram poſſe ferri in ea, quæ poſſumus facere, prout in ſe ipſis conſiderantur, eſt perfectio fundata in imperfectione, videlicet quod intellectus proponat poſsibilia tamquam habentia eſſe in ſe ipſis, per hoc enim fit ens rationis, quatenus tribuitur poſsibilibus modus eſſendi, quem non habent.

DE MODO, QVO VOLVNTAS Diuina verſatur circa creaturas.

DISPVTATIO XXXI.

An ſe habeat libero modo.

SECTIO I.

1 Dicendum eſt. *Deum eſſe liberum circa creaturas, atque adeo ex libertate ſua operari ad extra.* Eſt de fide contra Abailardum, Vuiclefum, Caluinum, & alios hæreticos, & traditur communiter à Patribus, & Scholaſticis, præſertim D.Thoma 1. *parte q.* 19. *artic.* 10. Probatur Danielis 3. *Deus poteſt eripere nos de camino ignis; quod ſi noluerit, &c.* Sapientiæ 12. *Subeſt tibi, cum volueris, poſſe.* Ad Rom. 9. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Ad Epheſios 1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuę.* Confirmatur. Sublata voluntate liberi non poteſt reddi ratio cur mundum non creauerit ab æterno. Confirmatur ſecundò. Habemus ex ſcriptura, Poſſe Deum alia facere, quæ non facit Marci 14. *Omnia tibi poſſibilia ſunt.* Matthei 3. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* ergo cum hæc non faciat, debet ex voluntate ſua non facere. Confirmatur Tertiò. Creaturæ non poſſunt amari à Deo tanquam finis, cum ſint eſſentialiter ordinatæ ad ipſum, ergo ſolum poſſunt amari ratione ordinis, quem habent, ad finem, ergo talis debet eſſe amor, qualis eſt ordo, ergo cum ordo non ſit neceſſarius quoad exiſtentiam, nec etiam erit neceſſarius amor.

2 Obijcies. Sequeretur, Deum poſſe nolle ſuum honorem, quia poſſet nolle creaturas, ex quibus conſurgit, quod implicat, quia, cum amor Dei circa ſe ipſum ſit perfectiſsimus, debet ferri in omnia ſua bona. Reſpondetur. Poſſe nolle quo ad exiſtentiam. Ad probationem. Ex eo, quod amor Dei ſit perfectiſsimus, ſequitur, vt terminetur ad omne bonum ipſius; Deus autem habet omne bonum ſibi intrinſecum, & quia omne bonum extrinſecum ab ipſo cauſaliter procedit, debet præhaberi in ipſo.

3 Obijcies Secundò. Si diuina voluntas eſſet libera, deberet ab alio determinari, quod eſt abſurdum. Reſpondetur determinare ſe ipſam in virtute cognitionis proponentis obiectum.

Inſtabis. Deus habet cognitionem omnium poſsibilium, ergo non adeſt ratio cur potius in hanc, vel illam partem determinetur in virtute cognitionis. Reſpondetur negando conſequentiam, quia ſicut voluntas creata ſe determinat ex libertate ſua ſecundum hanc potius, quàm illam propoſitionem obiecti, ita etiam diuina.

An libertas Dei ſtet cum indifferentia.

SECTIO II.

4 CVm voluntas diuina verſetur circa obiecta contingentia, ex quibus refunditur indifferentia in voluntatem creatam, difficultas eſt, An etiam eadem indifferentia conueniat libertati diuinæ.

Prima ſententia eſt negatiua, aſſerens libertatem Dei in eo conſiſtere, quod iudicet creaturas non habere neceſſariam connexionem cum ſe ipſo. Ita Banes 1. *parte quæſt.* 19. *art.* 10. *dubit.* 2. Aluarez 3. *de Auxilijs diſp.* 22. *num.* 19. Ledeſma *q. Vnica de auxilijs art.* 10. & 11. & nonnulli alij recentiores Thomiſtæ.

Fundamentum eſt. Quia diuina voluntas, cum ſit actus puriſsimus, non poteſt habere aliquam potentialitatem; indifferentia autem importat potentialitatem.

5 Secunda ſententia docet habere indifferentiā. Ita Magiſter *in* 1. *diſt.* 45. Alenſis 1. *parte q.* 21. *mem.* 2. & 3. Albertus *quæſt.* 77. *mem.* 2. & 3. Henricus 1. *parte art.* 45. *quæſt.* 3. & 4. Scotus *in* 1. *diſt.* 8. *q.* 4. Richardus *diſt.* 45. *art.* 2. *q.* 3. Durandus *diſt.* 45. *q.* 4. Argentinas *diſt.* 44. *q.* 1. Ariminenſis *diſt.* 42. *q.* 1. *art.* 1. Capreolus *diſt.* 43. *quæſt.* 1. & 2. Ferrarienſis 1. *contra Gentes. cap.* 82. Caietanus 1. *parte q.* 19. *art.* 3. & 10. Molina *artic.* 4. *diſp.* 1. & 2. Suarez *in methaph. diſp.* 30. *ſect.* 16. Ruiz *diſp.* 7. *de voluntate Dei. ſect.* 2. & *ſequentibus.*

6 Notandum primò. Cum voluntas diuina verſetur circa creaturas cauſatiuo modo; libertas ipſius debet eſſe libertas cauſatiua, vndè vt habeat indifferentiam, oportet vt vis cauſatiua poſsit cauſare, & non cauſare.

7 Notandum ſecundò. Cum voluntas diuina actualiſſimo modo ſe habeat, & quòad ſuam perfectionem excludat omnem potentialitatem; non poteſt ſe habere cauſatiuo modo, niſi quò ad effectus extrinſecos. Ex hoc autem fit, vt eo pacto proportionaliter comparetur ſecundum ſuum eſſe actualiſsimum ad ſuos effectus ad extra, quo voluntas creata ſecundum ſuum actum primum comparatur ad actus ſecundos.

8 Dico primò. *Diuinam voluntatem habere indifferentiam non ſolum ex parte iudicij rationis, ſed etiam, ex parte modi tendendi in obiectum.* Deſumitur ex ſcriptura, quatenus docet, aliqua alia potuiſſe fieri à Deo, quæ non fiunt; & quæ fiunt, potuiſſe non

fieri: & quatenus tribuit Deo conſilium, electionem, propoſitum, & alia huiuſmodi, quæ non poſſunt ſaluari ſine indifferentia. Et ita etiam docent communiter Patres. Probatur. Obiectum habet indifferentiam obiectiuam, ſicut etiam iudicium rationis, cum debeat proponere obiectum ſicuti eſt, ergo etiam voluntas. Conſequentia probatur. Quia modus attingendi voluntatis, & attingibilitas obiecti ſibi correſpondent. Tum quia modus tendendi voluntatis ſequitur modum proportionis obiecti, cum actus voluntatis habeat ſuam menſuram ab actu intellectus. Confirmatur. Creaturæ ita fiunt à Deo, vt potuiſſent non fieri, vt eſt de fide, ergo etiam voluntas diuina ita vult creaturas, vt poſſit non velle. Conſequentia probatur. Si ſolum iudicium rationis eſſet indifferens, & voluntas ita voluit mundum, vt non potuerit non habere talem actum, iam habuit neceſſario; id enim eſt neceſſarium quò ad exiſtentiam, quod non poteſt non eſſe. Si verò potuit non habere, ergo habuit indifferentiam, quia tunc voluntas eſt indifferens, quando poteſt velle, & non velle.

9 Dico ſecundò. *Hanc indifferentiam eſſe ſecundum potentialitatem effectus ad extra, quatenus tamquam in cauſa continetur in voluntate diuina*. Probatur. Indifferentia diuinæ volũtatis eſt indifferentia cauſatiua, ergo debet fundari in virtute cauſatiua voluntatis, & reſpicere id, quod eſt cauſabile. Antecedens patet. Quia indifferentia voluntatis diuinæ circa creaturas correſpondet modo attingendi; modus autem attingendi eſt cauſatiuus, Conſequentia probatur. Quia indifferentia cauſatiua fundatur in virtute, à qua poteſt prouenire modus attingendi cauſatiuus. Confirmatur. Indifferentia voluntatis creatæ fundatur in virtute cauſatiua actum ipſius, ergo etiam indifferentia diuinæ voluntatis in ordine ad creaturas fundatur in virtute cauſatiua ipſarum.

10 Dicò tertiò. *Indifferentiam voluntatis diuinæ non eſſe in ordine ad actus ſuos; ſed tantum ad extrinſeca obiecta, ita vt quando dicitur, poſſe Deum velle, & non velle, ſenſus ſit de volitione conſiderata ſecundum ſuam actualem efficaciã, non autem ſecundum rationem volitionis*. Eſt contra Ruiz *diſp. 7. de voluntate Dei. ſect.* 8. & Nauaretum 1. *p. q. 19. controuerſ.* 5. *concl.* 4. Probatur. Indifferentia de ſuo formali dicit poteſtatem, quæ poſſit coniungi cum actu, & non coniungi; atque adeo reſpicit actum, qui poſſit eſſe, & non eſſe, ergo de ratione ipſius eſt, vt dicat aliquid potentialiter ſe habens. Sed voluntas diuina ſolum potentialiter ſe habet in ordine ad extrinſecos effectus, non autem in ordine ad aliquam rationem actus volitionis ſibi intrinſecam, cum ſit per eſſentiam actualiſſima. ergo

11 Obijcies. Voluntas diuina ideo eſt indifferens reſpectu effectuum ad extra, quia poteſt velle, & non velle, ergo habet etiam indifferentiam ad actus volitionis. Reſpondetur. Ideo eſſe indifferentem reſpectu effectuum ad extra, quia poteſt velle efficaciter, & non velle. Velle autem efficaciter nihil aliud dicit, niſi cauſare, quia velle Dei circa creaturas nihil eſt aliud, quam communicare bonum.

12 Obijcies Secundò. Deus eſt liber ad ſe determinandum, ergo. Reſpondetur. Eſſe liberum ad ſe determinandum determinatione extrinſeca, non autem intrinſeca. Inſtabis. Indifferentia eſt prius in ordine ad actũ voluntatis, quàm ad obiectum, ergo. Reſpondetur. Id eſſe verum, quando actus voluntatis eſt productus; quia autem actus voluntatis diuinæ eſt improductus, ideo indifferentia ipſius reſpicit tantum actum extrinſecum, non verò intrinſecum; imo fundatur in intrinſeco.

13 Ad Fundamentum in oppoſitum ex eo, quod voluntas diuina eſt actualiſſima non habet indifferentiam ad actum intrinſecum; poteſt tamen habere ad extrinſecum.

14 Quæres. An voluntas diuina habeat potentiam contradictionis. Reſpondetur Affirmatiuè in ordine ad effectus ad extra, vt docet Scotus *in* 1. *diſt.* 8. §. *Ad argumenta pro opinione*. & alij contra Caietanum 1. *par. quæſt.* 19. *articol.* 7. Ratio eſt, quia potentia contradictionis nihil aliud eſt, quam potentia ad effectum, & eius negationem; hęc autem potentia competit voluntati diuinæ, nam ita vult mundum, vt potuerit non velle. Nec obſtat, quod non poſſit mutari, quando aliquid ſemel voluit; quia mutabilitas non conſequitur potentiam contradictionis, vt talis eſt preciſè; ſed vt eſt defectibilis ſecundum ſuam determinationem.

An voluntas diuina poſſit ſe habere negatiuè,

SECTIO III.

15 Certum eſt, diuinam voluntatem habere actum poſitiuum circa omnia, quæ in qualibet differentia temporis exiſtunt. Solum difficultas eſt, An circa ea, quę nunquam exiſtent, habeat actum poſitiuum nolitionis.

Communis ſententia aſſerit, habere nolitionem poſitiuam. Ita Bannes 1. *par. artic.* 10. *ad ſecundum*. Gonzalez *diſput.* 53. *numer.* 11. Faſolus *articol.* 3. *dubitat.* 3. *Ad quintam obiectionem*. Vaſquez *diſputat.* 79. *nu.* 17. Arrubal *diſputat.* 56. *capit.* 2. Amicus *diſput.* 14. *ſect.* 3. *Corollar.* 5. Suarez *in Metaph. diſp.* 30. *ſect.* 9. *numer.* 59. & *libr.* 3. *de Auxilijs. capit.* 13. Aluarez *lib.* 2. *de Auxilijs diſput.* 13. Salas *p.* 1. *tract.* 3. *diſput.* 1. *ſect.* 7. Nauaretus 1. *part. quæſt.* 19. *controu.* 3. §. 3. & communiter Recentiores.

Probant. Quia ſequeretur prouidentiam Dei non eſſe perfectam, quia non diſpoſuiſſet de rebus omnibus ab æterno cognitis. Secundò. Quia ſuſpenſo modo ſe haberet. Tertio. Quia bonum eſt non creare ea, quæ non creauit, quatenus hoc deſeruit ad oſtendendum liberrimum Dominium. Quartò quia ſic melius ſaluatur quomodo non deſit Deo aliqua perfectio ex eo quod non habeat poſitiuum decretum de productione, quia loco illius habet poſitiuum decretum de non producendo.

16 Dicendum eſt, *Diuinæ voluntati non conuenire actum poſitiuum nolitionis circa ea, quæ non vult, ſed nolle diuinum conſiſtere in eo, quod nullũ habeat actum*. Probatur. Nullus actus poteſt conuenire voluntati diuinæ, qui non habeat ſuam determinationem ab obiecto, ergo non poteſt conuenire nolitio poſitiua. Antecedens probatur. Quia actus ex natura ſua debet determinari ab obiecto formali, ita vt nullum obiectum poſſit attingi, niſi mediante formali. Vndè volitio diuina non excedit bonitatem diuinam, & ideo non fertur per ſe primo in aliquod aliud obiectum. Conſequentia probatur. Diuina eſſentia in ratione obiecti formalis dicit ſolam bonitatem, ergo non poteſt determinare voluntatem diuinam ad nolitionem; nam bonum, vt bonum, non poteſt eſſe obiectum nolitionis. Confirmatur. Tota determinatio, quam habet voluntas diuina à bonitate diuina, eſt in ratione amoris, ita vt non alio modo, quàm per amorem ipſam attingat, ergo nec in creaturas poteſt ferri actu nolitionis. Confirmatur Secundò. Vel attingit immediatè obiectum per nolitionem; vel mediante eſſentia: Si primum; ergo creaturæ non ſunt obiectum ſecundarium; Si ſecundum; ergo eodem actu nolitionis attingit propriam eſſentiam, quod implicat.

17 Dices. Licet diuina eſſentia non ſit in ſe nolibilis; poſſe eſſe tamen rationem nolendi aliud. Contra. Non poteſt eſſe ratio nolendi aliud, niſi vt obie-

Digitized by Google

obiectum formale determinet nolitionem ſecundum rationem nolitionis, ergo cum omnis determinatio, quæ eſt ab obiecto formali, ſit in ordine ad eſſe Diuinum, hæc quoque nolitio erit in ordine ad ipſum. Secundò. Adhuc iſta nolitio reſpiceret creaturas, vt obiectum ſecundarium, ergo reſpiceret Diuinam eſſentiam vt primarium.

18 Dices 2. Diuinam eſsẽtiam eſſe rationem nolendi, quia cum ſit bonum aliquod; rem aliquam non eſſe, eſt ratio volendi tale bonum. Contra. Aliquid non eſſe non eſt formaliter bonum, cum ſit aliquid negatiuum, ergo Diuina eſſentia non erit ratio volendi ipſum non eſſe, ſed tantum bonum, quod conſequitur. Secundò. Ex hoc ſequitur, quod Diuina eſſentia ſit ratio volendi bonum, non autem quod ſit ratio nolendi.

19 Dices tertiò. Actum, qui eſt volitio reſpectu obiecti primarij, eſſe nolitionem reſpectu ſecundarij. Contra. Haberet aliquam determinationem à ſolo obiecto ſecundario; implicat autem voluntatem Diuinam determinari ab obiecto ſecundario. Secundò. Quia voluntas Diuina haberet aliquam attingentiam in ordine ad ſecundarium obiectum, quam non haberet in ordine ad primarium; vndè in ordine ad primarium non diceret omnem rationem attingentiæ. Tertiò. Illa attingentia nolitiua ferretur immediatè in non eſſe rei, ergo voluntas Diuina haberet aliquid ad extra pro obiecto primario, & immediato. Quartò. Determinatio, quæ eſt in ordine ad obiectum ſecundarium, habetur à primario; eſſentia autem Diuina non poteſt determinare ad nolitionem.

20 Ad Primum negatur ſequela. Nam ſufficienter diſpoſuit de rebus omnibus per id, quod poſitiuè decreuit aliquas tantum futuras; ex hoc enim ſequitur, quod aliæ non ſint futuræ. Ad ſecundum negatur ſequi, quod ſuſpenſo modo ſe habeat, quia ad ſuſpenſionem requiritur, vt adſit obiectum potens terminare actum; obiectum autem decreti liberi. Non ſunt poſſibilia, vt talia ſunt; ſed aliquid concernens exiſtentiam rei. Ad tertium. Ex eo, quod ſit bonum, non creare ea, quæ non creauit, quatenus ex ipſo reſultat aliquod bonum, ſequitur tantum, quod Deus velit hoc bonum, non autem quod habeat nolitionem poſitiuam de non creando. Ad quartum negatur aſſumptum. Nam poſitiuum decretum liberũ nihil ſuperaddit intrinſecum actui neceſſariò; & ideo ex eo, quod Deus non habeat aliqua decreta libera, non ſit, vt ei deſit aliqua perfectio, quæ debeat ſuppleri per poſitiuum decretum nolitionis.

21 Quæres. An libertas Diuina non ſolum ſit reſpectu creaturarum in particulari, ſed etiam in communi, vt non ſolum poſſit Deus non producere hanc, vel illam creaturam, ſed etiam omnem creaturam collectiuè; An vero neceſſariò producat aliquam, ſed hanc, vel illam. Reſpondetur. Deum eſſe omnino liberum etiam circa creaturas collectiuè ſumptas, vt docent communiter Patres, & ratio eſt. Quia ſicut creaturæ in particulari poſſint non eſſe, ita etiam tota collectio; cum enim quælibet creatura in particulari ſit intrinſecè defectibilis, tota etiam collectio eſt huiuſmodi, tunc enim valet à diſtributiuo ad collectiuum, quando prædicatum eſt eſſentiale, vndè tota collectio poteſt eſſe, & non eſſe.

22 Quæres ſecundò. An Deo conueniat complacentia ſimplex circa exiſtentiam creaturarum, qua inefficaciter velit, vt exiſtant. Reſpondetur negatiuè. Ratio eſt, quia actus Dei liber eſt operatiuus, & amare creaturas, non eſt aliud, quàm communicare eſse. Rurſus actus liber tollit indifferentiam Diuinæ voluntatis; vndè requirit terminationem extrinſecam, ratione cuius tollatur hæc indifferentia. Inſuper complacentia eſt circa bonum, vndè cum hęc complacentia non ſit circa poſſibile, non poteſt dari, niſi habeat pro obiecto aliquod bonum reale exiſtens.

DE ACTV LIBERO DIVINAE voluntatis.

DISPVTATIO XXXII.

An conſtituatur aliquo modo per relatinem rationis.

SECTIO I.

1 DIſſicultas explicandi velle liberum Dei prouenit ex eo, quod poteſt Deo conuenire, & non conuenire. Vndè videtur dicendum, aut non eſse aliquam perfectionem intrinſecam ipſius; aut aliquam intrinſecam perfectionem Dei eſse contingentem.

Prima ſententia ait, velle liberum eſse velle neceſsariũ, prout completur per reſpectum rationis ad obiectum volitum, qui conſurgit ex eo, quod Deus dirigit actum neceſsarium ad obiectum contingens, & ſicuti Deus non poteſt non intelligere ſuum velle, ita non poteſt non conſurgere talis reſpectus. Ita Capreolus *in* 1. *diſt*.45.*q*.1.*art*. 2. Ferrarienſis 1.*contra Gentes*, *cap*.75. Cumel 1.*p*.*q*.19. *art*.2.*dub*.1. Bannes *art*.3. Medina 3.*p*.*q*.2.*probẽm*. Palatius *in* 1.*diſt*.36.*diſp*.2. Molina 1.*p*.*q*.19.*artic*.2.*diſput*.2. Vaſquez *diſp*.80.*n*.6. & alij.

Fundamentum eſt. Quia ſolus reſpectus rationis poteſt Deo conuenire, & non conuenire, vndè ſolus poteſt conſtituere actum liberum.

2 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita præſertim Aureolus *in* 1. *diſtinction*. 45.*quæſt*. 1. *artic*.1.*concluſion*.1.*&* 3. Caietanus 1.*p*.*q*.19.*art*.3. Faſolus *dubit*.7. Nauaretus *controu*.4.§.1. Suarez *in metaph*.*diſp*.30.*ſect*.9.*n*.31. Arrubal 1.*p*.*diſp*.54.*cap*.2. Amicus *diſp*.14.*ſect*.3.*n*.69. Ruiz *diſp*.11.*de voluntate Dei ſect*.3. *& ſequentibus*.

3 Dicendum eſt. *Decretum liberum Dei non conſtitui aliquo pacto per reſpectum rationis*. Probatur. Decretum liberum eſt cauſatiuum; nullus autem reſpectus rationis habet efficaciam cauſandi. Confirmatur. Quia liberum decretum, vt tale eſt, applicat Diuinam ſcientiam ad cauſandum determinans productionem, vt ſit potius in hoc, quam in illo tempore, cum hac potius, quam cum illa menſura. Confirmatur ſecundò. Vel præciſo reſpectu rationis habetur decretum Diuinum ſecundum ſuam determinationem, vel non. Si primum, ergo ſine ipſo habetur completè actus liber. Si ſecundum, ergo determinatio, qua attingit Deus aliquod obiectum non erit realis, ſed rationis. Confirmatur tertiò. Quia Deus non eſset realiter liber, non eſset realiter volens, quia denominatio non deſumeretur à forma reali, ſed rationis.

An liberum decretum compleatur per aliquid extrinſecum.

SECTIO II.

4 PRima ſententia aſserit, quod licet Diuina voluntas ſe habeat actualiſſimo modo, non tamen ex ſe eſt libera in actu ſecundo, ſed tantum in actu primo, ſit autem libera in actu ſecundo, quatenus realiter immutat creaturam, atque adeo completur in eſse libero per productionem ſed extra eo pacto, quo voluntas creata ſit in actu ſecundo ſuæ libertatis producendo ſuos actus. Deſumitur ex Ocham *in* 1.*q*.38. & eam tradit Faſolus 1.*p*.*q*. 19.*art*.3.*dubit*.8. *&* Raynaldus in naturali theologia *diſt*. 8.*q*.2.*art*.4.*n*.85.

Probant. Eo modo ſe habet voluntas Diuina quò ad ſuum actum ſecundum, quo ſe habet creata quò ad ſuum

actum

Digitized by Google

actum primum, ergo voluntas Diuina erit libera in ordine ad effectus, qui poſsunt eſse, & non eſse.

5 Dicendum eſt. *Actum liberum non poſſe ſaluari per complementum ab extrinſeco effectu modo explicato.* Probatur; ſequeretur, quod intrinſecè in Deo eſſet tantum libertas in actu primo, atque adeo potentialis, quod implicat. Confirmatur, libertas in actu primo eſt intrinſecè perfectibilis per libertatem in actu ſecundo, vt patet in creatis. Confirmatur ſecundò. Quia libertas ex natura ſua completur per exercitium libertatis, ita vt ratione illius completo modo ſe habeat. Confirmatur tertiò. Libertas eſt perfectio voluntatis, ergo eo modo debet conuenire, quo conuenit voluntas, ergo cum voluntas conueniat Deo per modum actus ſecundi, eodem pacto debet etiam conuenire libertas. Confirmatur quartò. Volitio libera eſt actualis attingentia vitali modo attingens obiectum, ita vt coniungantur ſimul modus liber, & modus vitalis, ergo ſicut motus vitalis dicit aliquid intrinſecum Deo, ita etiam modus attingendi liberè.

6 Ad fundamentum in oppoſitum negatur aſſumptum. Nam Diuina voluntas eſt quidem libera quò ad effectus, qui poſſunt eſſe, & non eſſe, libertas tamen eſt ipſi intrinſeca, & ſicut voluntas creata per actum immanentem vult obiecta ad extra, quæ poſsunt eſſe, & non eſſe, ita etiam Diuina vult liberè per quid immanens.

An actus liber compleatur per obiectum diſiunctiuè acceptum.

SECTIO III.

7 Obiectum diſiunctiuè acceptum nihil aliud eſt, quàm obiectum, prout poteſt terminare volitionem, & nolitionem; ſeu prout ſe habet contradictorio modo, vt producere, & non producere.

Prima ſententia aſſerit decretum liberum Dei terminari ad obiectum diſiunctiuè acceptum, ita vt terminetur ad eſſe obiecti, vel ad non eſſe, & hoc pacto neceſſariò conuenit Deo, quia neceſſariò vult creare, aut non creare. Ita nonnulli recentiores.

8 Dicendum eſt. *Decretum Dei liberum efficax non poſſe ſaluari per actum, qui neceſſariò Deo conueniat, & reſpiciat obiectum ſub diſiunctione contradictoria, ita vt poſtea ad vnicam tantum partem terminetur.*

Probatur. Efficacia decreti liberi debet eſse antecedens ad obiectum, ergo non poteſt eſse in ordine ad ipſum ſub diſiunctione contradictoria. Antecedens patet. Quia ratione efficaciæ ipſius ponitur in eſse obiectum. Conſequentia probatur. Vel reſpicit efficaciter vtramque partem contradictionis, & tunc eſset efficax reſpectu contradictoriorum, quod dici non poteſt; Vel vnicam tantum partem determinatam, & tunc non reſpiceret obiectum. Vel hanc partem, aut illam, & tunc ſicuti non reſpiceret magis vnam, quam aliam, ita non poſset magis vna, quam alia terminare decretum. Confirmatur. Volitio ex intrinſeca ſua ratione eſt attingentia obiecti, ergo non poteſt volitio efficax reſpicere obiectum ſub diſiunctione contradictoria. Conſequentia probatur. Attingentia obiecti eſt talis, qualis eſt attingibilitas ipſius, ergo cum diſiunctio contradictoria habeat attingibilitatem contradictoriè oppoſitam, non poteſt attingentia vnius partis eſſe attingentia alterius, alioquin ſequeretur eamdem volitionem poſse eſse volitionem contradictoriorum, & quod volitio productionis eſset volitio non productionis, quod implicat. Confirmatur ſecundò. Imperium Dei exequutiuum non reſpicit diſiunctum, ſed vnam tantum partem iuxta illud. Geneſis 1. *Fiat lux*, ergo etiam decretum. Conſequentia probatur. Quia decretum, & imperium ſibi inuicem proportionantur, imperium enim exequitur, quod per decretum decernitur.

An actus liber dica perfectionem.

SECTIO IV.

9 Dicendum eſt. *Actum liberum importare perfectionem intrinſecam Deo.* Eſt contra Ferrarienſem 1. *contra Gentes c.* 25. §. *Aduerte.* Probatur. Actus liber Diuinus eſt vitalis attingentia obiecti, ergo dicit perfectionem, quia vitalis attingentia dicit exercitium vitæ, quo viuens intrinſecè perficitur.

10 Dices. Dicere perfectionem, pro vt volitio eſt, non autem ſecundum rationem libertatis. Contra. Libertas eſt intrinſeca ipſi attingentiæ, & dicit quod volitio fundetur in tali cognitione, in qua radicatur libertas. Secundò. Vel libertas exercetur vitali modo; vel non. Si primum, ergo eſt aliquid pertinens ad eſſe intrinſecum exercitij vitæ. Si ſecundum, ergo libertas non erit propria viuentium, cum non ſe habeat vitali modo.

11 Dicendum ſecundò. Actum liberum Dei eſse formali modo ſecundum rationem libertatis in ipſo Deo. Eſt contra nonnullos Recentiores aſserentes, volitionem Dei liberam, eſse tantum virtualiter liberam in eſsendo, in denominando verò eſse formaliter liberam, quia in denominando dicit non ſolum actum intrinſecum, ſed etiam connotatum extrinſecum.

Probatur. Licet forma relatiua poſſit eſse in ſubiecto, & non denominare, niſi poſito termino, non tamen abſoluta; quia, cum implicet non exhibere ſuum effectum formalem, implicat etiam non denominare. Volitio autem libera eſt forma abſoluta vitalis, cum dicat vitalem attingentiam. Confirmatur. Si eſset tantum virtualiter libera in eſsendo, volitio Diuina eſset tantum virtualiter in Deo; vndè Deus non eſset formaliter liberè volens, quia velle liberè, ſicuti eſt denominatio vitalis, ita debet ſumi à forma vitali intrinſeca.

An volitio libera dicat perfectionem, quæ potuerit non eſſe in Deo.

SECTIO V.

12 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Caietanus 1.*p.q.*19.*art.* 2. & 3. aſserens, actum liberum eſse perfectionem ſuperadditam actui neceſsario. Hanc autem ſententiam temperant aliqui Recentiores aſserentes, volitionem liberam diſtingui virtualiter à neceſsaria, ſicut relatio diſtinguitur ab eſsentia, ex hoc autem ſequi, quod non ſit in Deo aliquid, quod adæquatè ſumptum potuerit non eſse, ſed tantum aliquid, quod inadæquatè potuerit non eſse ratione virtualis diſtinctionis.

Probant. Vel nunc exiſtit tota ratio volitionis liberè producendi alium mundum, vel non. Si primum, ergo tribuit ſuum effectum formalem, & denominat. Si ſecundum, ergo dicit aliquid, quod poſſit non eſse. Secundò. volitio libera ratione ſuæ efficaciæ ita eſt cauſatiua rerum, vt non poſſit impediri, ergo ſi dicit aliquid, quod non poſſit non eſse in Deo, cauſatio ipſius erit neceſsaria. Tertiò. Non poteſt fieri tranſitus de contradictorio ad contradictorium ſine mutatione alicuius realis, ergo non poteſt Deus de non volente fieri volens, niſi acquirat aliquam realem formam. Communis ſententia eſt in oppoſitum, cum qua

13 Dicendum primò. *Actum liberum Dei non importare aliquam perfectionem, quæ realiter potuerit non eſse in Deo.* Probatur. Nihil poteſt eſse in Deo, quod non ſit Deus, vt docent communiter Patres, quia quidquid eſt Deus, eſt ens eadem ratione entis, qua eſt Deus ipſe, ergo non poteſt actus liber dicere perfectionem, quæ potuerit non eſse in Deo, quia aliquid, quod eſset Deus, poſset non eſse. Confirmatur. Vel iſta perfectio eſt realiter ens per eſsentiam, vel non. Si primum; ergo habet ſum-

Digitized by Google

ſummam neceſſitatem eſſendi. Si ſecundum; erit ens participatum, atque adeo aliquid participatum erit in Deo. Confirmatur ſecundò. Quia adhuc ſequeretur potentialitas, compoſitio, & mutabilitas in Deo.

14 Dicendum ſecundò. *Actum liberum neque dicere aliquid virtualiter diſtinctum ab actu neceſſario, quod inadæquatè poſsit non eſſe.* Probatur. Implicat in terminis, diſtingui tantum virtualiter ab aliquo, & poſſe non eſſe illo permanente, quia ſeparatio ſecundum eſſe, & non eſſe, eſt ſignum diſtinctionis realis, ergo. Confirmatur. Quia aliqua perfectio vitalis poſſet non eſſe in Deo; vndè non eſſet eſſentialiter ſummum viuens. Confirmatur ſecundo. Vel hoc, quod virtualiter diſtinguitur, eſt ens per eſſentiam; vel non. Si primum, ergo habet ſummam neceſſitatem eſſendi. Si ſecundum; ergo erit quid participatum, quod implicat.

15 Dices. Eſſe ens per eſſentiam realiter, poſse autem aliquam formalitatem, quæ eſt ens à ſe realiter, non eſſe neceſſariò. Contra. Non poteſt ſeparari ab entitate, cum qua identificatur, ſi ſit abſoluta, vt eſt actus liber, ergo ratione identificationis cum ente per eſſentiam erit neceſſaria. Secundò. Si non eſſet neceſſaria, eſſet intrinſecè potentialis, atque adeo aliquid potentiale eſſet in Deo. Tertio. Hæc formalitas eſt intrinſecè quid reale, atque adeo ens, ergo vel ens à ſe; vel ab alio.

16 Ad primum Reſpondetur volitionem producendi alium mundum nunc exiſtere ſecundum totum eſſe intrinſecum volitionis, non extrinſecum; nam Deum velle creare mundum ne dum dicit actum liberum, ſed etiam ipſam creationem, quia velle mundum eſt amare mundum; amare autem Dei eſt communicare bonum, & ideo denominatio nō ſumitur à ſolo actu intrinſeco Dei, ſed etiā ab actuali communicatione. Ad ſecundum. Actum liberum eſſe cauſatiuum libero modo, & ideo non progreditur ab ipſo communicatio, niſi ſinat progredi, & ſicut voluntas creata poteſt ſuſpendere ſuos actus, ita etiam actus Diuinus poteſt ſuſpendere extrinſecam efficaciam, quia habet dominium ſupra ipſam. Ad tertium negatur conſequentia. Nam Deum eſſe volentem non ſolum dicit habere actum liberum, ſed etiam communicare bonum volitum, vndè poteſt fieri de non volente volens per ſolam mutationem extrinſecam.

An actus liber ſit in Deo ſub diſiunctione.

SECTIO VI.

17 PRima ſententia ponit in Deo quamdam formam volitionis ad actus oppoſitos, quæ eſt volitio, & nolitio ſub diſiunctione ratione ſuæ eminentiæ. Vndè hic actus, quando Deus vult aliquid, eſt volitio, quando verò non vult idem obiectum, eſt nolitio. Hinc actus liber eſt neceſſario in Deo, ſed per modum volitionis, aut nolitionis. Ita Scotus *in 1. diſt. 39. q. vnica. §. Quantum ad primum.* Lichetus 2. §. *Iuxta prædicta.* Ariminenſis q. 1. Cumel 1. *p. q. 19. art. 3. diſp. 2.* Suarez *in methaphyſica diſp. 30. ſect. 9. n. 36.* & alij Recentiores.

Probant. In Deo non poteſt eſſe libertas, & indifferentia ad actus oppoſitos, cum hoc dicat potentialitatem, ergo debet idem actus eſſe indifferens ad oppoſita obiecta per modum volitionis, & nolitionis.

18 Dicendum eſt: *Non dari in Deo iſtum actum, qui ſit volitio, & nolitio ſub diſiunctione.* Probatur. Iſte actus deberet eſſe in ſe formaliter volitio, & nolitio, hoc autem implicat, ergo. Maior patet, nam vt forma tribuat ſuum effectum formalem, debet eſſe formaliter talis, ergo ſi idem actus inuariatus poteſt reddere Deum volentē, & nolentem, debet eſſe formaliter volitio, & nolitio. Minor probatur. Quia volitio, & nolitio reſpectu eiuſdem obiecti ſe inuicem deſtruunt, cum vna habeat intrinſecè annexam negationem alterius. Confirmatur. Volitio Diuina infert eſſe obiecti, nolitio verò non eſſe, ergo cum contradictoria ſint incompoſſibilia in ſe ipſis, ſunt etiam incompoſſibilia in alio ſecundum eſſe virtuale, quia ſi ſemel in eſſe virtuali eſſent compoſſibilia, eſſent etiam in ſe ipſis.

Confirmatur ſecundò. Implicat, aliquem reſpectu eiuſdem obiecti eſſe volentem, & nolentem non alia ratione, niſi quia ſequuntur contradictoria, ergo etiam implicat, eundem actum eſſe ſimul volitionem, & nolitionem quia militat eadem ratio implicantiæ.

19 Ad fundamentum in oppoſitum negatur conſequentia. Nam licet non ſit in Deo indifferentia ad actus oppoſitos, ex hoc tamen non ſequitur, quod idem actus ſit volitio, & nolitio.

An actus liber dicat actum neceſſarium cum ſola extrinſeca terminatione.

SECTIO VII.

20 ALio modo explicatur actus liber Dei, vt videlicet ſit actus neceſſarius, quatenus ratione ſuæ infinitatis habet quaſi plures partes ratione diſtinctas in ordine ad diuerſa obiecta, vndè habet vt poſſit attingere quodcunq; obiectum, & ideo nihil aliud requiritur, niſi extrinſecum obiectum terminans actum neceſſarium. Ita Antiſiodorenſis *lib. 1. cap. 12. q. 1.* Alenſis 1. *p. q. 34. mem. 1.* Ruiz *diſp. 13. de voluntate Dei ſec. 2.* Arrubal 1. *p. diſp. 44. cap. 3.* Amicus *diſp. 14. ſect. 3. n. 78.*

Probant. Voluntas Diuina ratione ſuæ infinitatis præhabet in ſe omnem vitalem complacentiam boni, & omnē vitalem diſplicentiam mali, ergo ſine ſui mutatione poteſt attingere quodlibet obiectum.

21 Dicendum eſt. *Non ſaluari actum liberum Dei ex eo, quod voluntas Diuina ratione ſuæ infinitatis præhabeat omnem rationem attingentiæ vitalis, ita vt poſſit terminari ad diuerſa obiecta.* Probatur. Sequeretur, quod in voluntate Diuina eſſent ſimul actus oppoſiti volitionis, & nolitionis reſpectu eiuſdem obiecti, cum poſſit velle, & nolle idem obiectum, ergo ſequitur illa contradictio, quæ ſequeretur, ſi quis ſimul vellet, & nollet idem obiectum.

22 Dices. Non ſequi, Quia cum volitio ſit communicatiua boni, & nolitio ſubtractiua, non ponuntur, niſi poſita communicatione, & ſubtractione. Contra volitio & nolitio non reddunt volentem, & nolentem per extrinſecam communicationem, ſed per vitalem attingentiam obiecti, ergo hac poſita reddet volentem, & nolentem. Confirmatur quia ſubtractio nihil dicit, per quod poſſit denominare. Secundò. Deus habet effectum formalem completiſſimo modo vitæ infinito modo ſe habentis, ergo etiam habet effectum formalem omnis attingentiæ vitalis, quia omnis attingentia vitalis eſt aliqua ratio vitæ.

23 Probatur ſecundò. Actus liber Dei eſt efficax, & ſe habet cauſatiuo modo, ergo ſecundum ſuam efficaciam præcedit creaturas, ergo non poteſt dicere attingentiam in vtramque partem, quia efficax attingentia in vtramq; partem ſe inuicem deſtruit.

Confirmatur. Poſito decreto efficaci non poteſt fruſtrari efficacia ipſius, ergo non poteſt eſſe ſecundum attingentiam in vtramq, partem, quia deberet ſequi effectus in vtramque partem, quod implicat.

24 Ad Fundamentum in oppoſitum diſtinguitur antecedens. Habet in ſe omnem vitalem complacentiam, &c.

Quando ratione attingentiæ non ſe inuicem deſtruunt, ſecus autem, ſi ſe mutuò deſtruant, nam ratione infinitatis non poſſunt vniri, quæ ſe inuicem deſtruunt, vt ſunt volitio, & nolitio reſpectu eiuſdem.

An

Digitized by Google

An actus liber ſit ſola complacentia de poſſibilibus.

SECTIO VIII.

25 AFfirmat Aureolus in 1. *diſt.*47.*q.*1.*art.*1.§. *Ex premiſsis*. Vult enim Deum non velle creaturas, niſi per complacentiam, qua ſibi complacet de omni re creabili; nec habere aliquem actum volitionis, quo determinetur ad producendum; ſed tantum liberè producere, quia potentia ipſius denominatiuo modo ſe habet ſupra effectum ad extra.

Probant. Repugnat voluntati Diuinæ, vt feratur in non habitum, ferretur autem, ſi per actum determinaretur ad rem producendam, quia res producenda non habetur. Secundò. Si haberet talem actum, ſicuti talis actus neceſſariò Deo conueniret, ita etiam neceſſaria eſſet terminatio ipſius ad obiecta ad extra, ergo neceſſariò producerentur.

26 Dicendum eſt. *Actum liberum conuenire Deo ſecundum propriam rationem actus liberi, & ideo non eſſe puram complacentiam de rerum poſsibilitate.*

Probatur. Conuenit Deo actus, qui ſit efficax, & productiuus, ergo debet conuenire actus liber ſecundum propriam rationem. Antecedens eſt de fide Pſal. 134. *Omnia, quæcumq; voluit, Dominus fecit.*

Conſequentia probatur. Complacentia pura vel eſt efficax ex ſe, vel non. Si primum, ergo cum æqualiter attingat omnia poſſibilia, eſſet efficax reſpectu omnium, vndè omnia ponerentur in actu. Si ſecundum; ergo actus liber non eſt ſola complacentia.

27 Dices. Eſſe efficacem, ſed cum Dominio, & ideo poſſe determinare externam efficaciam, vel non determinare. Contra. Pura complacentia neceſſariò attingit ſuum obiectum, actus autem liber ita attingit, vt poſſit non attingere. Secundò determinatio ad extra non poteſt ſe habere libero modo, niſi etiam adſit determinatio ad intra libero modo ſe habens, ergo debet dari actus voluntatis, in quo exerceatur libertas.

28 Confirmatur. Quia Deus non haberet actus voluntatis determinatiuos vnius potius, quam alterius obiecti, vt ſunt obiectio, Propoſitum, Prædefinitio, & alia huiuſmodi, quod eſt contra ſcripturam, quæ tribuit Deo huiuſmodi actus. Sequela probatur. Quia hi actus non dicunt vniuerſalem complacentiam, quam Deus habet de rebus omnibus, ſed ſpeciales actus, qui ſint potius vnius obiecti, quam alterius, & qui reſpiciũt determinatè exiſtentiã.

29 Ad primum reſpondetur. Voluntatem Diuinam non poſſe ferri in non habitum, ſi eſſet acquirendus, non autem, ſi feratur vi communicans eſſe; hæc enim attingentia eſt maximè digna Deo.

Ad ſecundum negatur ſequela. Quia actus liber Dei eſt indifferens ad ponendum, vel non ponendum obiectum in actu.

Quid dicat actus liber.

SECTIO IX.

30 NOtandum primò. Quod ſi ſemel aliquod obiectum eſt volibile à Deo, non poteſt alio modo ſe habere, quia non eſt alio modo attingibile, quam proponatur à cognitione. Vndè cum cognitio Diuina ſit perfecta, & immutabilis, ſi ſemel proponat vno modo, non poteſt alio modo proponere. Hinc non eſt poſſibilis in voluntate Diuina aliquis actus, niſi ille, quem poteſt terminare obiectum, prout proponitur à cognitione.

31 Notandum ſecundò. Cum omnia conueniant Deo per eſſentiam, libertatem ipſius eſſe libertatem per eſſentiam, atque adeo per modum actualis exercitij. Vndè in ratione libertatis debet excludere omnem indifferentiam, quia exercitium excludit potentialitatem, atque adeo indifferentiam, & ideo actus liber non eſt talis, vt poſſit eſſe, & non eſſe.

Rurſus cum ſit libertas per eſſentiam, habet intrinſecam neceſſitatem eſſendi, quæ excludit contingentiam, & facit, vt obiectum non poſſit in ipſam refundere ſuam indifferentiam, ſicut refundit in libertatem creatam. Ex hoc autem fit, quod libertas Diuina conſiſtat in eo formaliter, quod actus voluntatis procedat formaliter ex approbatione rationis, vt ſupra declarauimus, & ſit talis ab intrinſeca tantum determinatione.

32 Notandum tertiò. Totam indifferentiam Diuinæ libertatis eſſe in ratione productiui, ita vt poſſit producere & non producere. Vndè ſicuti in voluntate creata indifferentia coniungitur cum actu primo volũtatis, quia actus ſecundus poteſt eſſe, & non eſſe, ita in Diuina debet coniungi cum actuali volitione in ordine ad effectum ad extra, quia ſolus poteſt eſſe, & non eſſe.

33 Notandum quartò. Omnia contingentia contineri in Diuina potentia ſecundum omnes ſuas rationes, & modos, vndè cum in ſe ipſis exiſtant participato modo, ſecundum hunc quoque modum continentur in Dei potentia. Hinc cum voluntas Diuina feratur in creaturas vt cõtentas in ſua potentia, debet etiam ferri in hunc modum eſſendi participatum, vndè vt attingat creaturas communicãdo eſſe, non eſt opus noua ratione attingentiæ, quæ feratur in participationem paſſiuam talis eſſe, quia cum attingatur comprahenſiuè, vt eſt in Diuina eſſentia, debet etiam attingi, vt poteſt in ſe ipſa formali modo ſe habere.

34 Notandum quintò. Voluntatem Diuinam attingere contingentia mediante bonitate Diuina tamquam obiecto formali, vndè actus liber primò terminatur ad Diuinam eſſentiam, & ad creaturas contentas in ipſa, quàm terminetur ad creaturas, vt exiſtunt in ſe ipſis. Ex quo fit, quod cum actus terminetur ab obiecto formali, & obiectum formale habeat neceſsariam determinationem, ita vt non poſſit eſſe, & non eſſe, actus quoque liber ſit neceſſariò determinatus etiamſi obiectum ſecundarium non exiſtat.

35 Notandum ſextò. Cum obiecta ſecundaria poſſint eſſe, & non eſſe, conſurgit inter ipſa, & voluntatem Diuinam mediante obiecto primario quædam cõplexio contingens fundata in cauſatione. Vndè velle Diuinum, vt dicit hanc complexionem contingenti modo ſe habet, & indifferenter, non autem, prout eſt vitalis attingentia obiecti. Hæc autem indifferentia tollitur per ſolum effectum ad extra, nec aliquid aliud requiritur.

36 Notandum ſeptimò. Velle Diuinum dominatiuo modo ſe habere ſupra externam cauſationem, quia cum non ſit ex natura ſua neceſsaria, poteſt fieri, & non fieri extra Diuinam eſſentiam, vt autem eſſe Diuinum determinetur potius ad hoc, quã illud volendum, non eſt neceſſaria aliqua determinatio in ratione volitionis, quia ſufficit actus quo fertur in creaturas contentas in ſua potentia, ſicut vt voluntas creata eliciat potius hunc, quam illum actum, nõ eſt neceſſaria aliqua præuia determinatio, quia effectiuè determinat ſuos actus, ſupra quos habet Dominium. Sic, ergo volitio Diuina effectiuè determinat cauſationẽ, pro vt magis, vel minus proponitur congrua à Diuina cognitione, ita vt ſemper determinet, quando proponitur vt magis congrua, quia eſt determinata à voluntate Diuina ad volendum quod eſt magis congruum.

37 Dico primò. *Actus liber importat perfectionem intrinſecam, quæ ſit attingentia vitalis.* Patet ex dictis.

38 Dico ſecundò. *Hæc perfectio eſt actus neceſſarius, quatenus attingit creaturas ſecundum modum eſſendi participatum virtualiter contentum in Diuina potentia.* Patet ex dictis.

39 Dico tertiò. *Actus liber non habet indifferentiam in ratione volitionis, ſed in ratione attingentiæ liberæ in ordine ad omnia obiecta determinato modo ſe habet ratione obiecti formalis ipſum determinantis.* Patet ex dictis.

40 Dico

Digitized by Google

40 Dico quartò. *Indifferentia actus liberi eſt tantum in ratione cauſatiui in ordine ad complexionem cum obiecto extrinſeco, quæ tollitur per actualem complexionem non per aliquid intrinſecum.* Patet ex dictis.

41 Dico quintò. *Velle Diuinum determinari, vt cauſet ad extra, et ſic efficax in actu ſecundo radicaliter à volitione, qua eſt determinatus, vt poſsit velle tantum bonum; proximè verò à propoſitione obiecti, quatenus cognitio Diuina proponens omnia poſsibilia, proponit etiam congruentius eſſe, aliqua cauſari, quàm non cauſari, aliqua verò melius eſſe non cauſari, quam cauſari,* & ideo ſtante tali propoſitione, & velle Diuinum determinatum ad volendum bonum, actus liber eſt determinatus ad continendam, vel non continendam emanationem creaturarum. Patet ex dictis.

An actus liber Dei requirat mutationem phyſicam.

SECTIO X.

42 DIcendum eſt. De ratione decreti liberi efficacis eſſe, vt inferat mutationem phyſicam proportionatam in rebus, quæ ſit aut ſecundum aliquam entitatem, aut modum, aut relationem. Ita Vaſquez 1.*par. diſp.67.cap.4.* Nauarretus 1.*p.tom.*1.*controu.*56.§.3. Crabrera 3.*p tom.*2.*diſputat.*13.§.5. Ledeſma *diſp.*2.*de ſcientia cõtingẽti poteſt concl. ſecũdũ.* Amicus 1.*p.diſp.*14.*ſec.*3.*ad ſextam obiectionem*. Contra. Suarez *lib.*1.*de prædeſtinatione cap.*15. Faſolus 1.*p.q.*19.*art.*3.*dub.*8.*nu.* 7. Ruiz *diſp.*12.*de voluntate Dei ſect.*2. Aluarez 1.*de Auxilijs cap.*7.*ad* 10.

Probatur. De ratione decreti liberi eſt vt habeat effectum ad extra, ergo debet inferre mutationem phyſicam. Antecedens patet. Quia omnis volitio debet eſſe alicuius volitio. Conſequentia probatur, de ratione actus liberi eſt, vt non ſupponat obiectum, quia tendit cauſatiuo modo, ergo debet facere ſibi obiectum, non poteſt autem facere ſine mutatione phyſica.

43 Dices ſufficere mutationem moralem. Contra. Eſſe morale non poteſt de ſe ſubſiſtere, ſed debet fundari in aliquo phyſico, ergo non poteſt cauſari mutatio ſecundum aliquid morale, niſi etiam ponatur phyſicum, in quo fundetur morale.

44 Obijcies. Poteſt Deus alicui remittere peccatum quoad pœnam, & culpam abſque infuſione gratiæ, ergo. Reſpondetur. Quidquid ſit de antecedenti, tunc interuenire mutationem phyſicam ſecundum actum contritionis, quo peccator conuerteretur ad Dominum. Et hæc mutatio etiam interueniret, ſi homo eſſet in ſtatu puræ naturæ, & illi remitteretur peccatum contra legem naturalem.

45 Obijcies ſecundò. Poteſt Deus alicui relaxare votũ, tunc autem non interueniret mutatio phyſica. Reſpondetur. Non poſſe efficaciter relaxare, niſi innoteſcat relaxatio, non poteſt autem innoteſcere, niſi per aliquam mutationem phyſicam, quæ ſit reuelatio, aut aliquid aliud.

46 Obijcies tertiò. Poteſt Deus velle eaſdem res cum diuerſo ordine; ſic poteſt velle Incarnationem in remediũ peccati, & non in remedium, tunc autem aderit diuerſus actus liber, & non diuerſa obiecta. ergo

Reſpondetur negando minorem, nam tunc obiecta erũt diuerſa proportionaliter ad actum liberum, videlicet ſecũdum habitudinem, & dependentiam, ſicuti etiam actus liber non eſt noua volitio, ſed tantum volitio nouæ circumſtantiæ, & hoc pacto etiam res ſe habet; quando Deus vult aliquid ex diuerſo titulo, tunc enim in rebus mutantur habitudines, & dependentia.

DE VOLVNTATE DEI VT cauſa rerum.

DISPVTATIO XXXIII.

An, & quomodo ſit cauſa rerum.

SECTIO I.

1 SVpponendum tamquam certum de fide. Deum cauſare per cognitionem, & voluntatem. Ad Eph. 1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ* Pſal. 113. *Omnia quęcumque voluit, Dominus fecit.* Ratio autem eſt quia Deus, cum ſit cauſa omnium prima, non habet ſuperiorem, à qua dirigatur, ſi autem non ageret per voluntatem, deberet dirigi, quia cum omnis actio ex natura ſua debeat ordinari in finem, ſi operãs non operetur per voluntatem intendendo finem, debet ab alio ſuperiori intendi.

Rurſus niſi Deus operaretur per voluntatem, produceret ſimul quidquid poteſt producere, quia operaretur neceſſario modo. Difficultas autem eſt, An Deus cauſet immediatius per intellectum, quam per voluntatem.

2 Prima ſententia aſſerit immediatius concurrere ſcientiam. Ita Aureolus *in* 1.*diſt.*47.*p.*1.*art.*3.*concl.* 1. Bannes 1.*p.q.*14.*art.*8. Nazarius *contr.*2. Gonzalez *diſp.*38.*ſec.*4. Ruiz *diſp.*14.*de voluntate Dei ſec.*2.

Probant. Scientia concurrit vt applicata a voluntate, imprimendo formam, ſicuti ſigillus imprimit formam ceræ, dum applicatur a manu, ergo ſcientia concurrit immediatius. Secundo in effectu artificioſo proximum principium non eſt voluntas artificis, ſed ars. ergo

3 Secunda ſententia aſſerit, immediatius concurrere voluntatem. Ita Herueus *in* 1.*diſt.*39.*q.*1. Argentinas *diſt.* 45.*art.*2. Carthuſianus *q.*2. Capreolus *diſt.* 35.*q.*2. Durandus *ibid.* Palatius *diſt.* 8. *diſp.*2. Vaſquez 1.*p. diſp.*81. Arrubal *diſp.*55.*cap.*3. Faſolus *q.*19.*art.*4.*dub.*1.

Probant. Quia in artifice intellectus proponit, & voluntas exequitur. Secundò. Quia appetitus applicat vim exequutiuam, & multoties nullum interuenit exemplar, tertiò. Quia cognitio tantum proponit, exequutio autem pertinet ad voluntatem.

4 Dicendum eſt. *Scientiam, & voluntatem æquè immediatè concurrere.* Probatur. Cauſa immediatè concurrens debet adæquare effectum ſecundum vltimam formam, ergo ad producendas creaturas debet immediatè cõcurrere ſcientia, & voluntas. Antecedens patet, quia effectus dependet immediatè à cauſa adæquata, & influxus, quo producitur, debet immediatè prouenire ab ipſa. Conſequentia probatur. Quia effectus ſecundum ſuam vltimam formam ne dum dicit aliquam bonitatem participatam, ſed etiam talem menſuram eſſendi, vndè non ſolum reſpicit voluntatem vt communicatiuam bonitatis, ſed etiam ſcientiam, vt menſuratiuam.

5 Dices. Determinationem influi in effectum à ſcientia mediante voluntate, quatenus voluntas dirigitur per cognitionem. Contra. Voluntas non fertur in effectum, niſi ſub ratione boni, ergo poteſt tantum attingere dum cauſat ſub ratione bonitatis participatæ, ergo cum in ſua vltima ratione dicat etiam veritatem participatam, debet ſub hac ratione attingi à ſcientia. Confirmatur. Voluntas influit benificatiuo modo, ergo non poteſt influere directiuo modo.

6 Confirmatur concluſio. Cauſa, quæ eſt vltimò completa in ſua ratione cauſatiua immediatè influit, quia habet debitam proportionem productiui ad producibile, qua poſita habetur immediata habitudo, voluntas autem, &

ſcientia

Digitized by Google

ſcientia ſunt vltimò completæ in ſuis rationibus cauſatiuis . ergo

7 Ad Fundamentum primæ ſententiæ . Scientiam ita applicari à voluntate, vt tamen voluntas non ſe habeat merè applicatiuo modo , ſed etiam communicatiuo modo,& ideo immediatè influit . Ad ſecundum . Effectum artificioſum ne dum habere artem pro principio proximo , ſed etiam voluntatem , quia adhuc voluntas concurrit exequutiuo modo .

8 Ad Primum ſecundæ ſententiæ. In artifice intellectum ne dum proponere opus, ſed etiam tamquam menſuram dirigere operationem . Ad ſecundum . Appetitum applicare quidem vim exequutiuam ; ſed inſuper eſt neceſſaria cognitio dirigens operationem . Vndè impoſſibile eſt appetitum operari , niſi interueniat cognitio dirigens . Ad tertium . Negatur , cognitionem concurrere tantum proponendo obiectum voluntati , nam inſuper dirigit etiam operationem .

Ad Diuinam voluntas habeat cauſam .

SECTIO II.

9 QVia voluntas non poteſt operari, niſi habeat cauſam , à qua moueatur, difficultas eſt , An etiam voluntas Diuina ita ſit cauſa, vt debeat ab aliquo moueri.

Supponendum autem eſt tanquam certum . Voluntatem Diuinam non habere cauſam finalem realem, vt docet D. Thoma 1.*p.q.*19.*art.*5. & D. Auguſtinus *q.*27.*ex* 83. Ratio autem eſt , quia cauſatio finalis ſupponit cauſationem efficientem , vndè cum actus Diuinæ voluntatis non efficiatur realiter , neque etiam habet cauſam realem finalem.

10 Supponendum ſecundò. Neque bonitatem Diuinam, aut quamuis aliam bonitatem ſimul cum volitione, qua attingitur, poſſe eſſe cauſam finalem realem reſpectu actuũ , qui verſantur circa media , vt docet . D. Thomas *citatus.* Ratio eſt, quia in Diuina voluntate actus non diſtinguuntur realiter , & ideo non poteſt vnus cauſari ratione alterius . Habet tamen voluntas Diuina rationem volendi, videlicet bonitatem Dei , quæ tamquam obiectum formale virtuali modo mouet Diuinã volũtatẽ. Vndè quatenus cõcipimus diſtinctionẽ inter Diuinã bonitatẽ, & voluntatẽ, concipimus bonitatem tamquam formale motiuum volũtatis . Difficultas autem eſt . An voluntas Diuina habeat aliquam rationem volendi, quæ ſe teneat ex parte creaturarum , ita vnum obiectum ſit ratio volendi alterum.

11 Prima ſententia eſt affirmatiua . Ita Durandus *in* 1. *diſt.*41.*q.*1.*n.*8. *&* 9. Maior *q.*1. Richardus *diſt.* 45.*art.* 2.*q* 4. Suarez *liber* 3. *de Deo vno cap.*7.*n.*12. *& diſp.*1. *de libertate Diuina ſect.*1.*&* 2. Ruiz *diſp.*15. *de voluntate Dei ſectio.*3. Smiſing *trac.*3. *de Deo vno diſputat.* 6. *ſec.*3.*n.*88.

Probant . Quia ſcriptura tribuit creaturis , quod ſint ratio Diuinæ volitionis . Io: 16. *Ipſe Pater amat vos , quia vos me amaſtis.* Secũdò. Quia voluntas Dei de damnatione noſtra eſt ratione peccati , vt docent Patres . Tertiò . Quia Deus ea tantum facit , quæ ratio poſtulat ſic fieri. Vndè Patres docent, nos debere venerari opera Dei, quorum rationem ignoramus tenentes , quod ſint maximè rationabilia. Quartò . Diuina ratio proponens congruentiam obiecti eſt ratio , cur voluntas Diuina inclinetur potius in vnum , quam in aliud, ergo etiam obiectum.

12 Secunda ſententia docet, Diuinam volitionem non habere rationem ex parte obiectorum, ſi conſideretur vt eſt vitalis attingentia , ſecus autem , ſi ſumatur ſecundum terminationem ad extrinſeca obiecta. Ita Turrianus *opuſc. de libero decreto Dei diſp.*3.*dub.*2. Arrubal 1. *p. diſp.* 57. *cap.*3. Faſolus *q.*19.*art.*5.

Probant . Deus amat creaturas rationales propter ipſas amore beneuolentiæ , ergo ideo terminatur ad bonum ipſarum , quia terminatur ad ipſas. Secundò . Creaturæ ita ſe habent , vt vna ſit finis alterius , ergo cum intentio finis ſit prior volitione mediorum, terminatio intentionis ad finem erit ratio terminationis volitionis ad media. Tertio . Finis, *Cui* eſt id, cuius gratia amantur, quæ ad ipſum referuntur ; creaturæ autem ita ſe habent vt vna ſit finis cuius gratia reſpectu alterius.

13 Tertia ſententia abſolutè negat . Ita Albertus 1.*p.q.* 79.*mem.*1.*art.*1.*particula* 1. Alenſis *q.*35.*mem.*3. Henricus *quodlibet* 4.*q.*19. Gabriel *in* 1.*diſt.*14.*q.*1.*art.*2. Scotus *diſt.*44.*q.vnica* . Caietanus 1.*p.q.*19.*art.*5. Bannes , Cumel, Peſantius, Molina *ibidem* . Nauaretus *controu.*7. *concluſ.*2. Vaſquez *diſp.*82.*cap.*2.

14 Dico primò . *Solam Diuinam bonitatem eſſe rationem volendi ipſi Deo , non aliquid ad extra* . Probatur . Tota collectio creaturarum non poteſt eſſe ratio volendi reſpectu Diuinæ voluntatis , ergo nec vlla creatura ſeorſim . Antecedens patet . Quia tota collectio creaturarum cum excludat omnem creaturam, non ſupponit aliam creaturam reſpectu cuius ſit ratio volendi .

Conſequentia probatur . Toti collectioni repugnat eſſe rationem volendi, quia eſt ens eſſentialiter participatum, & propter aliud , hæc autem ratio valet etiam in qualibet creatura ſeorſim . Confirmatur . Quod eſt volibile propter aliud , non eſt volibile propter ſe ſub eadem ratione , ergo nulla creatura poteſt eſſe ratio volendi . Antecedens patet . Quia *Propter ſe* , & *propter aliud* , ſe inuicem deſtruunt . Conſequentia probatur . Quod non eſt volitum propter ſe , non poteſt eſſe ratio volendi aliud , quia eſſe rationem volendi dicit mouere voluntatem , quod autem mouet, eſt propter ſe volitum ; creaturæ autem ſecundum nullam rationẽ poſſunt eſſe volitæ propter ſe à Deo , quia ſecundum omnem rationem ſe habent vt ordinatę ad Deũ. Confirmatur ſecundò . Creaturæ non ſunt obiectum formale Diuinæ volitionis , ergo neque ratio volendi , quia ratio volendi facit *vt quo* obiectum attingi ; hoc autem eſt eſſe formale obiectum.

15 Dices . Eſſe rationem volendi materialem . Contra. Implicat ratio volendi materialis , quia eo ipſo , quod materialiter , ac ſecundariò ſe habet , ſubſternitur alteri rationi , ſub qua attingitur , vndè non poteſt eſſe ratio volendi .

16 Dices ſecundò . Non eſſe rationem volendi abſolutè , ſed tantum ſecundum quid ; videlicet reſpectu alterius obiecti . Contra . Vt ſit ratio volendi , habere debet immediatum ordinem ad volitionem , ita vt habeat in ſe vim inclinatiuam voluntatis , nulla autem creatura habet immediatum ordinem ad Diuinam voluntatem , cum ſit eſſentialiter obiectum ſecundarium.

17 Dico ſecundò . *Neque creaturas eſſe rationes volendi reſpectu terminationis Diuinæ voluntatis* . Probatur . Ratio volendi , cum ſit ratio obiecti , reſpicit per ſe primò ipſam volitionem , vt volitio eſt , ergo ſi non datur reſpectu volitionis, neque etiam poteſt dari reſpectu terminationis .

18 Dico tertiò *Deum velle res creatas ſecundum ordinem , quem de facto habent ad inuicem , atque adeo velle vnam eſſe propter aliam* . Probatur . Iſte ordo eſt realis , & eſt aliquod bonum , ergo terminare debet Diuinam volitionem .

19 Dico quartò . *Obiecta , quæ ſunt propter aliud ſeruare illum ordinem reſpectu ipſius, quem haberent ſi mediante volitione Diuina interueniret cauſatio finalis.* Probatur . Bonitas Diuina ne dum eſt ratio volendi obiectum, quod eſt propter aliud, ſed etiam volendi dependentiam, ſeu ordinem in genere cauſæ finalis, ita vt præſtet id, quod præſtaret obiectum creatum , ſi eſſet ratio volendi; nam ſe habet infinito modo in ratione motiua, ergo cauſat in obiectis quidquid cauſaretur, ſi ipſa eſſent ratio volẽdi.

20 Dico quintò . *Voluntatem Diuinam determinari ad velle hoc propter illud ab ipſis obiectis , pro vt ſtant in Diuinis ideis determinatione veluti formali , determinatione verò finali à Diuina bonitate* . Probatur.

Quia

Digitized by Google

Quia ſicuti ideæ determinant artificem ad operandum hoc, vel illo modo, ita etiam determinant voluntatem Diuinam ad volendum hunc, vel illum ordinem.

21 Ad Primum. Vti ſcripturam illo modo loquendi, vt ſignificet ordinem, & dependentiam obiectorum ad inuicem, & quomodo ex eo quod Diuina bonitas eſt ratio volendi vnum, ſit etiam ratio volendi alterum. Ad ſecundum. Voluntatem Dei de damnatione noſtra non eſſe ratione peccati tamquam motiui, ſed ſolum tamquam conditionis, qua poſita mouetur à propria bonitate ad nos damnandum. Ad tertium. Deum facere ea, quæ ratio exigit fieri, quatenus mouetur non ab obiecto, ſed à propria bonitate ad operandum ſecundum rationem mentis Diuinæ. Ad quartum. Diuinam rationem dum proponit congruentiam obiectorum, eſſe determinatiuam, non autem motiuam; illam autem proponit vt ſtat ſub motiuo Diuinæ bonitatis.

22 Ad Primum ſecundæ ſententiæ. Negatur antecedens. Nam Deus non amat creaturas rationales propter ipſas, ſed tantum vult illis bonum ex propria bonitate. Ad ſecundum. Negatur conſequentia, nam nulla creatura reſpectu Dei habet rationem finis, & ideo neque eſt ratio volendi, ratio enim volendi debet habere rationem finis reſpectu volentis. Ad tertium. Nullam creaturam reſpectu Dei de ſe eſſe finem, cuius gratia, ſed tantum prout ſtat ſub Diuina bonitate, & ideo eſt tantum ratio volendi, vt ſtat ſub ipſa.

Qualis ordo ſit inter actus Diuinæ voluntatis.

SECTIO III.

23 QVæſtio procedit de ordine reſpectu obiecti formalis, ſeu reſpectu volitorum, pro vt volita ſũt formaliter. Certum eſt autem hunc ordinem nõ poſſe eſſe realem, quia ordo realis requirit diſtinctionẽ realẽ, atque adeo excludit etiã omnẽ prioritatẽ, & poſterioritatẽ, quæ fundatur in ordine reali. Vndè difficultas eſt tantũ de ordine rationis, An videlicet hic ordo habeat fundamentum in ipſa Diuina volitione; An verò tantum in extrinſecis obiectis.

24 Prima ſententia aſſerit, hunc ordinẽ eſſe ſecũdum diſtinctionem diuerſorũ actuum, qui diſtinguuntur ratione ratiocinata cum fundamento intrinſeco in volitione Diuina. Ita Durandus *in 1. diſt. 41. art. 2. q. 2.* Suarez *diſp. 1. de libertate Diuina.* Arrubal *diſp. 29. cap. 1.* Ruiz *diſp. 22. de volitione Dei ſec. 3. & 4.* & alij, qui docent, vnum actum eſſe rationem alterius. Probant. Inter obiecta adeſt realis ordo cauſalitatis, ergo inter decreta adeſt ordo rationis fundatus in ipſis. Secundò. Quia vnus actus prærequiritur ad alium. Tertiò. Quia ordo Diuinorum ſecretorum ſæpè diſtat ab ordine obiectorum, nã poſſunt obiecta habere diuerſum ordinem. Sic Incarnatio potuit eſſe volita in remedium peccati, & nõ in remediũ. Quartò. Peccatum non eſt propter bona, quæ ab ipſo colliguntur, & tamen permiſſio peccati eſt propter bona, quæ indè colliguntur, ergo hic ordo non habetur ex ordine obiectorum.

25 Secunda ſententia aſſerit, Diuina decreta habere ordinem tantum deſumptum ex ordine obiectorum. Ita Aureolus *in 1. diſt. 40. art. 1.* Ocham *diſt. 19. q. 3.* Gabriel *in 3. diſtinct. 2. quæſt. vnica dub. 3.* Capreolus *diſtinct. 1. quæ. 1. artic. 3.* Molina *1. parte quæſtion. 19. articul. 5.* Vaſquez *diſp. 19. cap. 1.*

26 Dicendum eſt. *Diuina decreta, ſi conſiderentur, prout ſe tenent ex parte obiecti, non habere ordinem aliquem per intrinſecum fundamentum, ſed totum fundamentum eſſe ordinem obiectorum* Probatur. Si haberent talem ordinem, ita vt ex parte vnius decreti eſſet aliqua ratio volitionis, quæ non eſſet ex parte alterius, deberent poni in voluntate Diuina diuerſæ rationes formales volitionum; hoc autem implicat, ergo. Sequela patet. Quia poſita diſtinctione rationis cum fundamento intrinſeco, extrema important diuerſas rationes formales, quarum vna ex vi ſuæ formalitatis excludit aliam. Minor probatur. Poſitis diuerſis rationibus formalibus, quælibet in ratione volitionis haberet ſuam propriam menſuram in ordine ad determinatum obiectum; omne autem, quod menſurato modo ſe habet, finitum eſt. Confirmatur. Vel præciſis obiectis adeſt in volitione Diuina fundamentum diſtinguendi; vel non, ſed reſpiciendum eſt ad obiecta. Si primum, ergo poteſt diſtinguere intellectus, & non ſecundum exigentiam obiectorum. Si ſecundum, ergo obiecta ſunt fundamentum talis ordinis.

27 Dicendum ſecundò. *Actus Diuinæ voluntatis, vt ſtant ſub cõceptibus volitionũ creatarũ, habẽt inter ſe ordinem ex natura rei.* Prob. Quia habent illum ordinem detracta diſtinctione reali, quem habent conceptus obiectiui volitionum creatarum.

28 Ad primum negatur conſequentia. Nam decreta Diuina non proportionantur obiectis quòad ordinem; ſed ſolum quòad efficaciam cauſatiuam. Ad ſecundum. Vnum decretum prærequiri ad aliud, quatenus induũt conceptus obiectiuos volitionum creatarum, non autem ex natura volitionis Diuinæ, quæ ſimul abſque ordine intrinſeco attingit omnia obiecta. Ad tertium ordinem Diuinorum decretorum nunquam diſcrepare ab ordine obiectorum, ſi conſiderentur ſecundum ordinem, quem habent in ſtatu exiſtentiæ, quod autem ordo poſſit aliter ſe habere, non verificatur, niſi de poſſibilitate ipſius, non autem ſuppoſita exiſtentia. Ad quartum. Licet peccatum non ſit propter bonum indè colligendum, attamen idem eſt ordo in Diuinis decretis, qui eſt in obiectis, quia non intendit bonum, quod elicitur ex peccato niſi ſuppoſita præuiſione peccati.

DE VOLVNTATE SIGNI, beneplaciti, & antecedenti.

DISPVTATIO XXXIV.

Quid, & quotuplex ſit voluntas ſigni.

SECTIO I.

1 VOluntas ſolet accipi non ſolum pro actu intrinſeco, ſed etiam pro extrinſeco affectu, vt notat Anſelmus *lib. de voluntate Dei initio*; Hinc diuiditur voluntas in voluntatem beneplaciti, qua dicit actum intrinſecum & in voluntatem ſigni, quæ dicit ſigna extrinſeca manifeſtatiua Diuinæ voluntatis.

2 Supponendum autem eſt. Voluntatem ſigni diuidi in quinque ſigna, videlicet Præceptum, Prohibitionem, Permiſſionem, Conſilium, & Adimpletionem, quæ omnia in ſcripturis nomine voluntatis ſignificantur. Hæc autem ſigna non ſupponunt ſemper voluntatem veram in Deo, de obiecto, circa quod verſantur, & ideo dicuntur voluntas metaphorica, quod ex eo patet, quia Deus aliquando præcipit, quod non vult fieri, vt quando præcepit Abraham, vt immolaret filium. Sic etiam Matthæi 8. & 9. præcepit cæcis, ac leproſis, ne publicarent miracula, & hoc etiam proportionaliter habet locum in conſilio.

3 Prima difficultas eſt. An voluntas ſigni diſcordet à re ſignificata. Reſpondetur. Non diſcordare, alioquin ſignũ eſſet

eſſet falſum, & Deus eſſet auctor falſitatis. Ratio eſt. Quia non ſignificat voluntatem obiecti, quod non ponitur, ſed ſemper ſignificat aliquam efficacem voluntatem. Sic præceptum ſignificat veram voluntatem obligandi, cuius obiectum eſt ipſa obligatio, ſicuti etiam prohibitio. Conſilium verò ſignificat voluntatem ſuadendi, quod bonum eſt, cuius obiectum eſt ipſa ſuaſio.

4 Secunda difficultas. An voluntas ſigni habeat ſemper adiunctam aliquam voluntatem beneplaciti. Reſpondetur Affirmatiuè. Quia licet non habeat ſemper adiunctam voluntatem beneplaciti de exiſtentia obiecti, circa quod verſatur voluntas ſigni; attamen interuenit ſemper aliqua voluntas beneplaciti, ratione cuius, vt modo explicauimus, conſtituitur conformitas ſigni ad voluntatem.

An voluntas beneplaciti ſemper impleatur.

SECTIO II.

5 VOluntas beneplaciti diuiditur in Antecedentem, & Conſequentem, ſeu in conditionatam, & Abſolutam, ſeu in ſimplicem complacentiam, & efficacem.

Dicendum eſt. *Voluntatem Dei abſolutam ſemper impleri, atque adeo eſſe ſemper efficacem*. Eſt de fide, & traditur communiter à Patribus. Probatur. Eſther 13. *Non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati*. Iſaiæ 56. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*. Confirmatur. Quia non obſtat libertas voluntatis, ita vt ratione reſiſtentiæ poſſit reddere inefficacem voluntatem Dei, nam Deus mouere poteſt voluntatem vt voluerit. Prouerb. 21. *Cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, vertet illud*. Confirmatur ſecundò. Si voluntas Dei abſoluta non impleretur, non eſſet omnipotens. Sequela probatur. Vel quod vult eſt, poſſibile vel non. Si primum; ergo cum velit, & non faciat, ſignum eſt, quod non poſſit. Si ſecundum, ergo neque etiam eſt volibile, & ita arguit D. Auguſtinus *cap.95. Enchiridij*.

6 Obijcies. Voluntas creata poteſt reſiſtere voluntati Diuinæ. Actorum 7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. Reſpondetur. Voluntatem creatam tunc reſiſtere voluntati Diuinæ, quando non eſt abſoluta; quando verò eſt abſoluta, licet poſſit reſiſtere, non tamen reſiſtet, quia Deus ita mouet voluntatem, vt infallibiliter conſentiat.

Quomodo Deus velit omnium ſalutem.

SECTIO III.

7 VT videamus, An Deus habeat aliquam voluntatem inefficacem, videndum eſt qualis ſit voluntas, quam habet circa omnium ſalutem.

Dicendum 1. *Deum velle omnium ſalutem*. Concluſio ſic generaliter accepta eſt de fide. Probatur. Ezechielis 33. *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat* 1. Ad Tim. 2. *vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Confirmatur. Deus condidit omnes in ordine ad beatitudinem, ergo vult omnium ſalutem. Conſequentia probatur. Quia niſi vellet omnium ſalutem, fruſtra eſſent media, quibus ordinantur ad beatitudinem. Confirmatur ſecundò. Quia Chriſtus ordinauit paſſionem ſuam pro omnium redemptione 1. Corinth. 15. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*.

8 Dicendum ſecundò. *Deum velle omnium ſalutem voluntate antecedenti, ſeu quæ antecedat præuiſionem peccati, & non ſupponat aliquid ex parte creaturæ, quod ſit ratio ſalutis, ſed ſolum ortum habeat ex Diuina bonitate*. Ita communiter Patres, præſertim Damaſcenus. *Dialogo contra Manichæos in fine*. Proſper. *Ad c.8. Gallorum*. Probatur. Deus non eſt auctor mali, ſed tantum boni, ergo Deum velle omnium ſalutem habetur ex voluntate antecedenti. Conſequentia probatur. Salus eſt bonum communicatum, prima autem radix communicationis eſt ratione voluntatis Diuinæ. Confirmatur. Deus non ſupponit aliquid, ratione cuius conferat ſalutem, quod ſit ex propria voluntate creaturæ, ſicut ſupponit voluntas damnandi, ergo voluntas, qua vult omnium ſalutem, eſt antecedens. Confirmatur ſecundò. Tota prædeſtinatio ſecundum omnes ſuos effectus non habet cauſam ex parte noſtri, alioquin initium ſalutis eſſet ex nobis, & non eſſet donum Dei contra definitionem Concilij Arauſicani, & Tridentini, ergo voluntas, qua Deus vult omnium ſalutem, habet initium à bonitate Diuina, & non ex parte noſtra.

9 Dicendum tertiò. *Ratione voluntatis antecedentis fit, vt Deus non habeat antecedenter voluntatem Dei aliquorum damnatione, atque adeo vt non cogat aliquem vt damnetur*. Ita frequenter ſcriptura, dum docet, Deum nolle mortem peccatoris, & Patres quatenus docent Deū, quantum eſt de ſe, velle omnium ſalutem. Probatur. Deus prouidit media neceſſaria ad ſalutem, & omnes deterret per minas à peccatis, ergo non habet antecedenter voluntatem damnationis, alioquin ſimulatè ſe haberet.

10 Dicendum quartò. *Obiectum huius voluntatis antecedentis non eſſe ſalutem vt aſſequendam, ſed vt aſſequibilem*. Salus enim dupliciter comparatur cum homine: vel vt proximè aſſequibilis, & tunc dicit, quod data ſint homini media neceſſaria ad aſſequutionem. Secundo modo, vt aſſequendam, & tunc ſuperaddit infallibilitatem aſſequutionis. Probatur. Voluntas antecedens de omnium ſalute eſt conditionata, ergo non habet pro obiecto ſalutem vt aſſequendam, ſed vt aſſequibilem. Antecedens traditur à Patribus Ambroſio *in c. 2. 1. Ad Tim.* Fulgentio 1. *de Rem. pec. c.11.* Anſelmo *in c.6. Matthæi*.

Conſequentia probatur. Quia conditio cadit ſupra ſalutem vt aſſequendam, ergo ſine conditione non poteſt ſalus ſe habere vt aſſequenda, ergo cum conditio dependeat etiam ab exercitio libertatis creatæ, & voluntas antecedens non habeat pro obiecto hoc exercitium, nec etiam poterit habere pro obiecto ſalutem, vt aſſequēdam, quia poteſt ſolum attingere ſalutem ſecundum illum ſtatum, quem habet ante exercitium libertatis. Confirmatur ſalus vt aſſequenda eſt obiectum particularis prouidentiæ, quam Deus habet circa electos. ergo

11 Obijcies. Deus voluntate antecedenti vult media, vt media, ad ſalutem, qui autem vult media, vult etiam finem vt aſſequendum. Reſpondetur. Velle media in communi, non autem vt applicata ſingulis in particulari; media autem in communi reſpiciunt ſalutem vt aſſequibilem. Inſtabis. Sequeretur, Deum velle tantum, vt homines poſſint ſaluari, non autem, vt ſalui fiant; quod tamen eſt falſum, quia tunc vellet ſalutem ſolum vt poſſibilem, vndè non deſtinarentur media ad ipſam vt prius volitam. Reſpondetur Deum velle, homines ſaluari, facere duplicem ſenſum. Primus eſt, quod velit ipſis ſalutem vt aſſequendam, & hic eſt falſus, vt patet ex dictis. Secundus eſt, quod Deus velit promouere homines ad ſalutem, & hic eſt verus, quia proponit ſalutem, excitat ad illam amplectendam, &c. Vndè finis mediorum, quæ applicantur a Deo, eſt huiuſmodi promotio, & hoc etiam ſignificatur, quando dicitur, Deum inquirere noſtram ſalutem, illam ſitire, &c.

12 Obijcies 2. Oratio fit ab eccleſia vniuerſaliter pro omnium ſalute, vt docet Apoſtolus 2. *Ad Timoth.* 2. ergo Deus habet volūtatem de omnium ſalute aſſequenda, quia oratio non poteſt fieri, niſi de iis, quæ ſunt ſecundum voluntatē Dei. Reſp. Dum Eccleſia orat pro omnium ſalute, non petit omnium ſalutem, vt aſſequendam, quia, cum certum ſit de fide, eſſe aliquos reprobos, contrairet voluntati Dei; ſed ſolū, vt Deus promoueat hominum ſalutem conferendo media neceſſaria, &c. Orat autem indefinitè pro omnibus, quia neſcit, quinam ſint reprobi.

13 Ex

Digitized by Google

13 Ex dictis colligitur cum hac expoſitione ſtare etiam alias expoſitiones illius loci, *Deus vult oës homines ſaluos fieri*, Quarum prima eſt; Quod nullus ſaluus fiat, niſi quem Deus vult ſaluum fieri, vt explicat Auguſtinus *cap. 8. de Prædeſtinatione ſanctorum*. Secunda. Quod valeat in ſenſu accomodo, videlicet pro generibus ſingulorum, non autem pro ſingulis generum, vt idem Auguſtinus *cap. 103. Enchiridij*. Tertia. Quod Deus velit, omnes homines ſaluos fieri, quatenus facit, vt velimus ſaluari, vt idem Auguſt. *c. 15. de Corrept. & gratia*. Ratio eſt quia idem locus ſcripturæ poteſt habere plures ſenſus literales.

An voluntas antecedens poſſit eſſe inefficax.

SECTIO IV.

14 PRima ſententia aſſerit, voluntatem antecedentem eſſe veram voluntatem beneplaciti, quæ poſſit eſſe inefficax. Ita Albertus 1. *p q. 79. mem. 2. art. 2.* Alenſis *q. 26. m em. 2.* D. Bonauentura *in 1. diſt. 26. art. 1. q. 1.* Richardus *ibidem*. Carthuſianus *q. 1.* Durandus *diſt. 27. q. 3.* Molina 1. *p. q. 19. art. 6. diſp. 1.* Faſolus *dubit. 1.* Vaſquez *diſp. 83. cap. 2. & 3.* Arrubal *diſput. 60. cap. 2. & 3.* Amicus *diſp. 14. ſect. 4.* Suarez *lib. 3. de Deo vno capit. 8.* Smiſing *trac. 3. de Deo vno diſp. 5. q. 2. n. 30.* Ruiz *diſp. 19. de voluntate Dei, & ſequentibus*.

Probant. Deus habet voluntatem, vt omnes ſaluentur, & dat media neceſſaria, ergo etiam vult ſalutem, alioquin ſimulatè ſe geſſiſſet, & tamen iſta voluntas non eſt efficax reſpectu omnium. Secundò. Salus reproborum eſt obiectum aptum Diuinæ complacentiæ, & non eſt imperfectio, quod voluntas non impleatur, quando eſt ſub conditione, ergo. Tertiò. In Deo eſt voluntas, qua vult, vt impleamus præcepta, & tamen iſta voluntas non eſt ſemper efficax. ergo

15 Secunda ſententia negat, conuenire Deo voluntatem inefficacem, ſed voluntatem de omnium ſalute eſſe voluntatem ſigni, quatenus conferendo media neceſſaria ſignificat velle omnium ſalutem. Ita Scotus *in 1. diſt. 46. q. vnica*. Ocham, & Gabriel *q. 1.* Herueus *q. 2.* Ariminenſis *q. 1. art. 1. Ad tertium* Maior *diſt. 45. q. vnica*. Marſilius *q. 45. art. 1.* Bannes 1. *p. quæſt. 19. art. 6. concluſ. 2.* Cumel *diſp. 2.* Nauarus *controu. 8.*

16 Dicendum eſt. *Deum non habere aliquam voluntatem liberam inefficacem, quæ non impleatur in illo obiecto, quod attingit*. Probatur non poteſt dari obiectum reale huius voluntatis, ergo neque voluntas. Conſequentia patet. Quia obiectum, & voluntas ſe mutuò inferunt. Antecedens probatur. Vel hoc obiectum fit per talem voluntatem; vel non fit, ſed ſupponitur. Si primum, ergo non eſt inefficax, quia iam operatur; Si ſecundum. Contra. Quia ante operationem voluntatis Diuinæ, non ſupponitur niſi mera poſſibilitas.

17 Dices. Obiectum eſſe aliquod bonum ſecundum ſtatum exiſtentiæ, ſed inefficaciter volitum. Contra. Quia terminans volitionem Diuinam debet eſſe reale, ergo cum exiſtentia inefficaciter volita non ſit exiſtentia in actu, ſed tantum poſſibilis, obiectum huius voluntatis erit tantum bonum poſſibile.

18 Confirmatur. Vel hæc voluntas inefficax eſt operatiua, vel non. Si primum, ergo implebitur, quia non poterit, niſi operatiuo modo attingere obiectum. Si ſecundum, ergo non eſt volũtas futuritionis, quia futuritio reſpicit tãtum voluntatem operatiuam, cũ dicat aliquid producẽdũ. Confirmatur ſecundò. Hæc voluntas non poteſt eſſe inefficax ex impotentia, ſed tantum ex libertate, ergo non applicat ſuam efficaciam, & eo ipſo, quod non applicat, non vult, quia tota volitio ad extra eſt in ordine ad communicationem, atque adeo dicit applicationem efficaciæ. ergo

19 Ad primum. Salutem reproborum poſſe eſſe tantum obiectum complacentiæ neceſſariæ, non autem liberę, & ideo, quando Deus dat media ad ſalutem, non intendere ſalutem vt aſſequẽdam, ſed vt aſſequibilem, neque ſe ſimulatè gerit, quia nõ applicat media, niſi vt ſalus ſit aſſequibilis. Ad ſecundum negatur conſequentia. Nam nõ ſolum eſt abſurdum voluntatem Dei liberã non impleri, ſed etiã impoſſibile. Quia, ſi adeſt voluntas implicat non terminari ad ſuum obiectum, voluntas autem libera requirit obiectum contingens atq; adeo exiſtens. Ad tertium. Voluntatem implendi præcepta non eſſe voluntatem ipſius adimpletionis formaliter, ſed tantum voluntatem obligandi, quia, vt habeatur adimpletio, debet præceptum ab alia voluntate applicari ad exequutionem.

DE EFFECTIBVS DIVINAE Voluntatis.

DISPVTATIO XXXV.

An malum ſit effectus Diuinæ voluntatis.

SECTIO I.

1 ALio titulo agitatur quæſtio, videlicet, An volũtas Dei ſit malorum. Eſt autem certum de fide. Deum eſſe cauſam mali naturalis, & mali pænæ. Deuteronomij 22. *Congregabo ſuper eos mala.* Ratio eſt quia Deus ita diſpoſuit ordinem cauſarũ ſecundarũ, vt dũ ſuos curſus agunt, vna impediat alterã, atq; adeo cauſetur malũ naturale, vt ſunt mõſtra. Similiter cauſat mala pænæ, quia vt cauſa prima debet ordinare per punitionem, quod per peccatum eſt deordinatum.

2 Secundo etiam certum eſt. Deũ non eſſe cauſam per ſe horũ malorũ, ſed tantũ per accidens, quatenus conſequutiuè ſe habent ad aliquod bonum per ſe primò intentum. Ratio eſt. Quia malum non habet, in quo alliciat voluntatem, & ideo non eſt per ſe proſequibile. Difficultas ergo eſt de malo culpæ. &c.

3 Ratio dubitandi eſt primò. Vel Deus vult mala fieri, & tunc fiunt Deo volẽte, vel vult, nõ fieri, & tunc non fiet, quia eſt omnipotens. Secundò. Quia bonum eſt, mala eſſe, vt docet Auguſtinus *cap. 56. Enchiridij*, vndè Deus intendit bona, quæ ſupponunt mala, tanquam media, vt pænitẽtiam. Tertiò. Deus aliquando præcipit, quæ mala ſunt, vt Abrahæ occiſionem filij; Iſraelitis furtum, vndè etiam dicitur decipere, immittere ſpiritũ erroris, tradere in reprobũ ſenſum. Actorũ 4. dicitur, Iudam tradidiſſe Chriſtum ex præfinito conſilio Dei. Confirmatur. Quia D. Auguſt. 5. *contra Iulianum c. 3.* reprehendit Iulianum, quod dicat, Peccatores relicti per Diuinam potentiam dicantur tradi deſiderijs ſuis, & non per potẽtiã in peccata cõpelli. Conf. ſecundò. Idem Auguſt. *cap. 7. de Correptione, & gratia*. Docet, quod ſicuti Apoſtoli ſunt electi ad regnum Cælorũ, ita Iudas fuit electus ad effundendum Sanguinem Chriſti. Confirmatur tertiò. Idem Auguſtinus *cap. 21. de natura, & gratia* habet, Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas voluntates ſiue ad bonum, ſiue ad malum.

4 Dico 1. *De fide eſſe, Deum non peccare, nec poſſe peccare*. Prob. Deuteronomij 32. *Deus fidelis, & abſq; iniquitate*. Ad Rom. 9. *Numquid iniquitas eſt apud Deum? Abſit*. Conf. Peccatum importat defectum, Deus autem non poteſt deficere ex impotentia, quia eſt omnipotens; neq; ex voluntate, quia eſt ipſa rectitudo per eſſẽtiã. ergo

5 Dico ſecundò. *Eſſe de fide, Deum neque per ſe, neque per accidens velle peccatum poſitiuè*. Abacuc 1. *Ad iniquitatem reſpicere non poteſt*. Pſal. 5. *Non Deus volens iniquitatẽ tu es*. Prob. Deus neceſſariò amat rectitudinem, quia amat neceſſariò ſe ipſum, qui eſt ipſa rectitudo per eſſentiã, ergo non poteſt velle peccatum. Conſequen-

Digitized by Google

tia probatur. Quia poſita neceſſitate vnius contradictorij; alterum eſt impoſſibile, ergo cum ſit neceſſarium, quod rectitudo actualiter attingatur à Diuina voluntate, erit impoſſibile, quod non rectitudo, ſeu peccatum ſit obiectum.

6 Dico tertiò. *De fide eſſe, quod Deus non velit mala fieri, aut eſſe*. Eſt definitum in concilio Arauſicano *can.* 23.*&* 25. & in Tridentino *ſeſſ.6.can.6.* Probatur. Deus prohibet peccatum, ergo non poteſt velle, alioquin prohibendo mentiretur, quia vellet fieri, quod prohiberet. Confirmatur. Quia adhuc Deus peccaret, quia eſſet auctor peccati.

7 Dico quartò. *Deum permittere, vt peccata fiant, quatenus non dat auxilia efficacia, quibus impediantur*. Probatur. Cum Deus ſit omnipotens, poſſet ita regere voluntatem, vt non peccaret, ergo cum peccet, debet peccatum permitti à Deo.

8 Obiicies. Deus ſcit hominem peccaturum, ſi non det maiora auxilia, ergo ſi non dat, eſt cauſa peccati, ſicut nauta eſt cauſa naufragii ſi deſerat regimen. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia non tenetur dare auxilia, quæ ſufficiant, vt vitentur peccata. Sic ſi nauta exhiberet regimen neceſſarium, ad quod tenetur, non eſſet cauſa naufragii, aut ſi non teneretur exhibere.

9 Ad primam rationem dubitandi reſpondetur. Deum neq. velle, neq. non velle peccata fieri; ſed relinquere voluntatem in ſua poteſtate, vt ſe determinet ad quam partem voluerit. Ad ſecundam non eſſe bonum, mala eſſe, niſi occaſionaliter, quatenus ſunt occaſio, vt inde Deus eliciat aliquod bonum. Hinc Deus non intendit illa bona, quæ ſupponunt peccatum, niſi præciſo peccato, quia non ſunt bona abſolutè, ſed tantum ex ſuppoſitione peccati. Ad tertiam. Aliqua, quæ ſunt mala, quando præcipiuntur à Deo, deſinere eſſe mala, vt occiſio, furtum, & alia huiuſmodi. Imò etiam aliqua, quæ ſunt intrinſecè mala poſſunt deſinere eſſe mala ex mutatione facta in materia. Sic mendacium Iacob non fuit mendacium, quia Deus immutauerat materiam trãsferendo ad ipſum primogenituram, dicitur autem Deus decipere, Indurare, &c. quia poſitiuè cauſat permiſſionem fundamentalem, videlicet illud poſitiuum, quo proximè conſtituitur voluntas in tali ſtatu, vt poſſit deficere ſi velit. Rurſus dicuntur peccata fieri conſilio Dei non determinatiuo, ſed permiſſiuo. Accedit etiam, quod Deus eſt cauſa eorum poſitiuo modo, ex quibus homo ſumit occaſionem peccandi; vndè ſecundum externam apparentiam videtur Deus præbere occaſionem peccandi, re vera tamen non præbet, quia ex alio fine dat huiuſmodi occaſiones. Ad primam Confirmationem D. Auguſtinum diſputare contra Iulianum, qui volebat, Deum ſolum exercere potentiam circa reprobos, Auguſtinus autem intendit exercere etiam potentiam, & Iuſtitiam, deferendo in pœnam præcedentis peccati, ex quo fit, quod Deus dicatur compellere ad peccata, quia ſubtrahendo gratiam ſuam, permittit quod inordinata deſideria compellant. Ad ſecundam confirmationem. Dicitur Iudas electus ad effundendum ſanguinem Chriſti, quia Deus præcidens proditionem ipſius, ea eſt Deus vſus pro ſalute noſtra, vndè elegit electione conſequenti, non autem antecedenti. Ad tertiam confirmationem. Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas voluntates ad malum, non quia operatio illa ſit ordinata ad malum ex Dei intentione; ſed ſolum quia homo ea vtitur ad malum ex libertate ſua.

Quomodo Deus concurrens ad actum peccati, non ſit cauſa peccati.

SECTIO II.

10 Ratio dubitandi eſt. Quia Deus vt cauſa prima concurrit poſitiuè ad omnes actiones voluntatis, & quod eſt cauſa poſitiui, eſt etiam cauſa priuationis annexæ. Confirmatur. Quia ſunt aliqui actus, quibus ita eſt intrinſeca malitia, vt non poſſit ſeparari, vt contingit in odio Dei.

11 Notandum primò. Quod cum Deus creauerit voluntatem, vt poſſet in quamlibet partem ſe determinare, quantum eſt de ſe habet paratum concurſum ad quamlibet partem; eſt enim de ratione cauſæ vniuerſalis, vt ſit prompta concurrere ad omnem actum cauſæ particularis.

12 Notandum ſecundò. Voluntatem habere potentiam, vt determinet ſuos actus, atque adeo habere Dominium ſupra ipſos. Ex hoc autem fit, quod cum cauſa vniuerſalis concurrat ſecundum exigentiam particularis, concurrat cum cauſa libera ſecundum determinationem, quam ipſa facit, & licet non poſſit facere hanc determinationem, niſi dependenter à cauſa prima, quia tamen non in cauſa prima, ſed in cauſa creata eſt principium determinatiuum particulare, ideo non habetur determinatio ex vi cauſæ primæ formaliter, ſed ex vi voluntatis creatæ. Ratio eſt, quia cauſa prima reſpicit obiectum mediante ſecunda, quam ſibi ſubordinat, vndè ſicuti cauſa ſecunda ratione ſubordinationis facit ſimul cum cauſa prima vnam cauſam totalem; ita etiam determinat ipſam, & extrahit à ſua vniuerſalitate, vt determinatè concurrat ſecundum illam determinationem, quam ipſa ſecum affert, atque adeo eſt libera ſecundum illam determinationem, quam ipſa facit. Vndè cum ſit principium formale determinans cauſam in actu primo, ita etiam ex vi ipſius habetur formaliter determinatio in actu ſecundo. Rurſus cum ſola voluntas creata habeat immediatè Dominium ſupra ſuos actus, debet determinatio prouenire ab ipſa, quia determinare eſt exercere dominium.

13 Notandum tertiò. Cum Deus dederit voluntati, vt poſſit determinare ſuos actus, dedit etiam media neceſſaria, atque adeo dedit iudicium rationis informatum tam lege naturali, quam poſitiua, quod ſe habet tamquam menſura operationum, cui debet conformari, vt habeant debitam rectitudinem.

14 Notandum quartò. Diuerſo modo eſſe comparandum actum liberum ad voluntatem creatam, & ad cauſam primam. Primo modo ſicuti comparatur ad cauſam particularem, atque adeo ad cauſam formaliter determinatiuam ipſius, & immediatè dominatiuam, ita etiam comparatur ad cauſam, quæ operatur ſecundum regulas particulares, & continentes in ſpeciali illam determinationem, quam debet habere à cauſa particulari. Secundo modo comparatur ad cauſam vniuerſalem, quæ non operatur ſecundum regulas particulares, ſed vniuerſales, atque adeo quæ non continent illam menſuram particularem, quam debet habere actus à cauſa particulari. Hinc actus liber aliam menſuram debet habere in ordine ad cauſam primam, & aliam in ordine ad cauſam ſecundam.

15 Notandum quintò. Ex hoc fieri, quod poſſit actus deficere ſecundum vnam menſuram, & non ſecundum aliam. Ratio eſt. Quia cum voluntas creata habeat dominium ſupra ſuas operationes, habet etiam ſupra menſuram, quam recipiunt ex regulis particularibus; atque adeo cum ſit cauſa defectibilis, poteſt in hoc deficere, quod non determinet ſecundum debitam menſuram. Non poteſt autem deficere ſecundum menſuram, quam habet in ordine ad cauſam primam, quia hæc ſemper operatur ſecundum exigentiam cauſæ ſecundæ, vndè quando cauſa libera ratione dominii deflectit actum à debita rectitudine, Deus cooperando adhuc operatur ſecundum regulas debitas vniuerſales, quia hæ exigunt, vt concurrat cum cauſa ſecunda ſecundum illam determinationem, quã ipſa facit.

16 Ex dictis colligitur ſolutio difficultatis. *Deum non eſſe cauſam peccati, licet concurrat ad actum peccati, quia determinatio illa, qua actus eſt peccaminoſus, eſt à cauſa ſecunda, vt à principio formaliter determinatiuo, & quia actus ſolum eſt malus, vt regulatus ſecundum regulas particulares cauſæ ſecundæ, non autem in ordine ad regulas vniuerſales cauſæ primæ*

Digitized by Google

primæ. Et hoc habet locum etiamſi actus ſit intrinſecè malus.

17 Obijcies. Etiam hæretici docent, Deum non eſſe cauſam malitiæ, ſed ſolum actus peccati. Reſpondetur. Hæreticos in hoc non errare, ſed tantum in eo, quod volunt, Deum neceſſitare voluntatem, & eſſe cauſam peccati, prout dicit illam determinationem, ex qua conſurgit malitia, vndè per ipſos eſt cauſa per ſe actus mali, vt malus eſt.

18 Obijcies ſecundò. Sequeretur, quod neque Deus eſſet cauſa actus boni, quia bonitas eſt in ordine ad regulas particulares cauſæ ſecundę. Reſpondetur negando ſequelam. Nam diuerſo modo Deus concurrit ad actum bonum. Nam non ſolum concurrit concurſu vniuerſali, ſed etiam mouet voluntatem excitando, & concurrit per gratiam adiuuantem, quæ ex natura ſua reſpicit opus bonum, vt ordinatum ad finem ſupernaturalem, & Deus intendit tale opus, & Deus eſt cauſa operis boni.

DE ACTV DIVINAE VOLVNTATIS reſpectu boni.

DISPVTATIO XXXVI.

An, & quomodo in Deo ſit amor.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt tanquam certum de fide. In Deo eſſe amorem 1. Ioannis 4. *Deus Charitas eſt*. Ratio autem eſt. Quia in Deo eſt voluntas actualiſſimo modo ſe habens; actus autem voluntatis omnium primus, in quo alij radicantur, eſt amor hic autem amor conuenit Deo ſecundum rationem eminentiſſimam, & tranſit ad infinitatem eſſendi.

2 Supponendum ſecundò. Amorem, quo Deus amat ſe ipſum, non poſſe eſſe concupiſcentiæ, quia concupiſcentia ex propria ratione tendit in bonum ab extrinſeco prouenìens, & fundatur in limitatione obiecti.

3 Supponendum tertiò. Actum gaudij, & delectationis, eodem pacto proportionaliter eſſe in Deo, ac eſt amor, vt docet D. Thomas 1. *parte quæſt*. 20. *art*. 1. *ad Primum*, *& ſecundum*. Ratio eſt. Quia ſunt quædam rationes attingentiæ, quibus bonum attingitur ſub ratione boni, quatenus præſens eſt, & poſſidetur; vndè imperfecto modo ſe haberet actus voluntatis, ſi ſine ipſis attingeret obiectum. Difficultas autem eſt. Quomodo hi actus inter ſe diſtinguantur.

4 Prima ſententia aſſerit, diſtingui ratione. Ita Faſolus 1. *p.q.*20. *art*. 1. *Dubit. vnica*. Ruiz *diſput*. 52. *de voluntate Dei, ſec*. 1.

Secunda ſententia negat, diſtingui ratione. Ita Aureolus *in* 1. *diſt*. 1. *q*. 2. *art*. 1.

5 Notandum primò. Licet concipiamus amorem vt actum diſtinctum à gaudio, & deſiderio ex eo, quod cum vtroque coniungitur; re vera tamen non poteſt eſſe actus realiter diſtinctus, quia obiectum ſemper importat rationem determinatiuam aut gaudij, aut deſiderij; nam ſemper aut eſt præſens, & ſic attingitur per gaudium; aut eſt abſens, & attingitur per modum deſiderij.

6 Notandum ſecundò. Amorem alium eſſe veluti practicum, & alium veluti ſpeculatiuum, iuxta practicam, & ſpeculatiuam cognitionem, ex qua conſequitur. Amor practicus eſt communicatiuus alicuius boni, ſpeculatiuus verò non communicat, ſed ſupponit. Hic autem duplex amor eſt ſuo modo in Deo, adeſt enim Amor communicatiuus, per quem procedit ſpiritus Sanctus, & amor ſpeculatiuus, qui conſequitur ad cognitionem, qua Deus attingit ſuam bonitatem.

7 Notandum tertiò. Obiectum gaudij non eſſe formaliter ipſam poſſeſſionem, ſed eſſe tantum conditionem requiſitam. Ratio eſt. Quia eſt actus determinatus voluntatis, vndè debet habere ſpecialem rationem obiecti, quæ ſit intra latitudinem obiecti voluntatis, atquæ determinet bonum in ratione boni, poſſeſſio autem non determinat, ſed tantum applicat bonum in ordine ad fruitionem, vndè obiectum formale erit bonum poſſeſſum, quatenus obiectiuo modo benè afficit voluntatem.

8 Dico primò. *Amorem communicatiuum diſtingui à gaudio*. Probatur. Amor communicatiuus in Deo eſt notionalis, gaudium verò eſt eſſentiale. Amor communicatiuus producit obiectum; gaudium verò ſupponit, cum feratur in ipſum per modum complexus affectiui. Amor communicatiuus conſequitur cognitionem practicam, aut quaſi practicam, quæ proponat bonum, vt communicandum; gaudium verò cognitionem ſpeculatiuam, aut quaſi ſpeculatiuam, quæ proponat bonum, in quo poſſit quieſcere voluntas.

9 Dico ſecundò. *Amorem ſpeculatiuum, ſeu amorem Dei eſſentialem non diſtingui ratione à gaudio*. Probatur. Amor Diuinus in ratione amoris eſt quidditatiuè infinitus, ergo non diſtinguitur à gaudio. Conſequentia probatur. Quia gaudium eſt quædam perfectio vitalis in genere inclinationis, quia facit per modum quietis amplecti obiectum, ergo cum amor ſit inclinatio in obiectum, vt infinito modo ſe habeat, debet includere gaudium. Confirmatur. Amor Diuinus eſt compræhenſiuus, ergo non diſtinguitur à gaudio. Conſequentia probatur. Quia debet ſe extendere ad omnem attingibilitatem obiecti, vt allicientis voluntatem; gaudium autem reſpicit obiectum vt alliciens.

10 Obijcies. Amor habet pro obiecto bonum; gaudium verò iucundum, ergo. Reſpondetur rationem iucundi eſſe intrinſecam bono, vt bonum eſt, & ideo ſimul cum ipſo ſpecificare eundem actum.

11 Obijcies ſecundò. Amor eſt complacentia boni; gaudium verò quies in bono, ergo. Reſpondetur negando conſequentiam. Nam complacentia boni ſuppoſita poſſeſſione eſt formaliter ipſa quies, & quies eſt formaliter complacentia.

12 Obijcies tertiò. Aliud eſt odium, quod Deo repugnat de ſuis perfectionibus, & aliud triſtitia de'ijſdem vt abſentibus, ergo etiam aliud amor, & aliud gaudium. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia idem actus poteſt habere oppoſitionem cum pluribus ex eo, quod contineat perfectionem oppoſiti, gaudium autem continet perfectionem amoris.

13 Obijcies quartò. Amor eſt principium gaudij, & ex gaudio colligitur amor, vt docet D. Thomas 1. *contra Gentes cap*. 91. ergo. Reſpondetur. Amorem eſſe principium materiale gaudij, quia poteſt determinari per gaudium, & deſiderium, vndè ex gaudio colligitur amor tamquam fundamento, non autem vt actus diſtinctus. In Deo autem neque eſt talis diſtinctio, quia obiectum non poteſt ſpecificare deſiderium, ſed tantum gaudium.

14 Ex dictis colligitur. Neque delectationem diſtingui à gaudio in Deo, quia licet delectatio ſit de bono vnito amanti, gaudium verò non requirat vnionem, reſpectu tamen Dei talis vnio ita eſt neceſſaria, vt ſit eſſentialis obiecto.

Digitized by Google

An amor Diuinus habeat rationem Charitatis.

SECTIO II.

15 IN Charitate plura poſſunt conſiderari, videlicet. Apprętiatio obiecti, Quod amor ſit propter obiectum amatum; Ratio amicitiæ, & vnio effectiua. Duo priora reperiuntur in amore Diuino, ſed modo eminentiſſimo, & infinito, vndè difficultas eſt de cæteris.

16 Prima ſententia aſſerit, habere rationem Charitatis, erga ipſum Deum, & rationem amicitiæ inter Diuinas perſonas. Ita Ruiz *diſp.* 52. *de voluntate Dei ſec.*4. Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Suarez *diſp.* 30. *in methaph.ſec.*16.*n.*60.

17 Dico primò. *Deum non habere Charitatem, pro vt dicit vnionem affectiuam ad ſe ipſum.* Probatur. Vnio realis ſupponit extrema realiter diſtincta, ergo etiam vnio realis affectiua.

18 Dico ſecundò. Neque Deum habere amicitiam ad ſe ipſum. Probatur. Amicitia ſpecificatur à perſona diſtincta, quia dicit amare alium, ita vt amor ſiſtat in ipſo. Confirmatur. In amicitia requiritur beneuolentia mutua ex 8. *Ethic. capit.* 2. & 3. atque adeo pluralitas beneuolentiæ.

19 Dico tertiò. *Amor qui eſt inter Diuinas perſonas, non eſt amicitia.* Deſumitur ex D. Auguſtino 6. *de Trinitate cap.* 5. Probatur de ratione amicitiæ eſt, vt ſit amor ſiſtens in perſona amata, ita vt non reciprocetur in amantem; nam habet pro motiuo amicum, vt docet Ariſtoteles 2. *Magiorum moralium cap.* 11. Vna autem perſona Diuina ita amat aliam, vt implicet amorem non reciprocari in amantem, nam motiuum ipſius eſt ſummum bonum, & perſona amans eſt idem ſummum bonum.

20 Obijcies. Amicitia conſiſtit in communicatione, & ſocietate; hæc autem conuenit perſonis Diuinis. Reſpondetur. Conſiſtere in communicatione, & ſocietate fundata in mutuo amore, atque adeo diſtincto, Diuinæ autem perſonæ habent communicationem, & ſocietatem ratione identitatis naturæ.

21 Obijcies ſecundò. Amicorum idem eſt velle, & ſentire 1. *Ethic.* 15. Diuinæ autem perſonæ habent idem velle. Reſpondetur Amicorum eſſe idem velle, non per identitatem voluntatis, vt in Diuinis perſonis, ſed per concordiam voluntatum.

22 Quæres. An amor Diuinus habeat rationem amicitiæ, erga creaturas rationales. Reſpondetur. Negatiuè, ſi loquamur de amicitia propriè dicta. Ratio eſt. Quia amicitia habet pro motiuo formali perſonam redamantem; amicitia enim debet tendere in aliam perſonam, quæ ſimiliter amet; amor autem Diuinus non poteſt habere pro motiuo formali aliquod extrinſecum, ſed tantum propriam bonitatem, vndè quandò iuſti dicuntur amici Dei, ratio amici non ſumitur propriæ.

An amor Diuinus habeat rationem deſiderij.

SECTIO III.

23 DIfficultas eſt de amore, prout tendit in bonum quod nondum à perſona amata poſſidetur.

Prima ſententia affirmat. Ita Suarez *de Deo vno lib.*3. *cap.*7. Vaſquez 1.*p.diſp.*84.*cap.*1. Smiſing *trac.*3.*de Deo vno diſputation.* 5. *numer.* 54.

Probatur. Quia bonum amici eſt etiam bonum amantis ergo bonum non poſſeſſum à nobis poteſt eſſe obiectum Diuini deſiderij.

24 Secunda ſententia negat. Ita D. Thomas *prima parte q.*19.*art.*1. Caietanus, Cumel, Molina, Bannes, Arrubal *ibid.* Faſolus *dubitat. vnica*. Ruiz *diſput.* 52. *de voluntate Dei ſec.* 8.

25 Dicendum eſt. *Deum non habere deſiderium circa bonum perſonæ amatæ.* Probatur. Deſiderium tendit in bonum abſens pro illo tempore, pro quo deſideratur pro illo autem tempore, pro quo Deus deſiderat bonum, non eſt abſens, quia pro illo tempore cauſat. ergo

26 Ad Fundamentum in oppoſitum. Reſpondetur. Bonum amici reſpectu Dei non eſſe abſens; & ideo non poſſe eſſe obiectum deſiderij.

Quomodo Deus amet omnia.

SECTIO IV.

27 SVpponendum eſt tanquam certum de fide. Deum diligere omnes creaturas ſapientiæ 11. *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Ratio eſt. Quia omnis creatura habet aliquod bonum communicatum ex voluntate Dei. Vndè Deus amat etiam peccatores, & damnatos, quatenus ſunt quædam naturæ bonæ. Difficultas ſolum eſt. An æqualiter omnia diligat.

28 Dico primò. *Ex parte actus amoris æqualiter omnia diligi.* Ita communiter.

Probatur. Quia cum actus in ſe ſit infinitus, attingit etiam omnia, quantum eſt ex parte ſui infinito modo.

29 Dico ſecundò. *Ex parte rei amatæ magis diligere vnum, quàm aliud, atque adeo ſemper magis diligere, quod melius eſt.*

Probatur. Quia amare Dei eſt communicare bonum, ergo plus amat, cui communicat plus bonitatis.

30 Dico tertiò. *Deum magis diligere vnam creaturam, quàm aliam, non eſſe ſolam denominationem extrinſecam deſumptam à maiori bono communicato, ſed etiam quid intrinſecum Deo ſecundum correſpondentiam ad maius bonum extrinſecum.*

Ita Carthuſianus *in tertia diſtinction.* 32. *quæſtion. vnica.* Ruiz *diſputation.* 53. *de voluntate Dei ſection.* 1.

Probatur. Magis diligere eſt communicare maius bonum, ergo in hoc, quod Deus magis diligat, includit quidquid includitur in communicatione, maioris bonis, ſed in hac non ſolum includitur maius bonum communicatum, ſed etiam voluntas Dei, vt dicit vim communicatiuam ipſi correſpondens ſecundum maiorem vim. ergo

31 Dico quartò. *Non eſt poſſibile, Deum magis amare vnam creaturam, quàm aliam ſine productione maioris boni.* Eſt contra Ruiz *diſputat.* 53. *de voluntate Dei ſect.* 2.

Probatur. Amare Dei conſiſtit in communicatione boni, ergo implicat magis amare ſine communicatione maioris boni.

32 Obijcit Ruiz. Poteſt Deus tribuere auxilia gratiæ in eodem gradu duobus, vni quidem propter efficacem intentionem dandi bonum; alteri verò ſine hac intentione, tunc autem eſſet maior, & minor dilectio ſine communicatione maioris, & minoris boni.

Reſpondetur negando minorem. Nam eſſet communicatio maioris, & minoris boni, quia cum media habeant

Digitized by Google

habeant bonitatem à fine, meliora ſunt quando finis eſt melior. Vndè eadem gratia collata ex intentione gloriæ eſt magis bona, quam ſi conferatur ſine tali intentione.

33 Obijcit ſecundò. Poſſet Deus prędeſtinare Petrum propter Paulum, ita tamen, vt prædeſtinaret Paulum, etiamſi non prædeſtinaret Petrum; tunc autem licet in patria, & in via conferat æqualia bona, adeſset tamen maior amor in prędeſtinatione Pauli, ergo. Reſpondetur. In tali caſu amorem futurum tantum maiorem ſecundum quid, quia videlicet reſpectu Pauli non eſſet intuitu alterius; & ſimiliter. Etiam bonum communicatum Pauli eſset maius ſecundum quid, quia eſset independens à communicatione facta alteri.

34 Dico quintò. *Cum hoc quod Deus amet æqualiter omnia, ſtat etiam quod Deus habeat æqualem curam de omnibus* iuxta illud Sapientiæ 6. *Aequaliter eſt illi cura de omnibus*. Probatur iſta æqualitas non eſt aliud, quàm quod Deus gubernet omnia ſecundum eas leges, ſecundum quas exigunt gubernari. Vndè eſt etiam æqualitas proportionis, qua Deus tribuit vnicuique, quod eſt tribuendum, ergo.

DE ACTIBVS DIVINAE VOLVNTATIS Circa mala.

DISPVTATIO XXXVII.

An Deo conueniat odium.

SECTIO I.

1 QVæſtio procedit de odio circa malum culpæ, & peccatoris, atque adeo de odio abhominationis, & inimicitiæ, eſt autem.

Supponendum tanquam certum de fide. Præciſo peccato non poſſe Deum habere aliquod odium; quia omnia alia ſunt obiecta amabilia. Sap. 11. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti*. Ratio eſt, Quia odio habere eſt velle malum; voluntas autem diuina non poteſt velle malum. Rurſus. Odiſſe eſt nolle ea, quæ odio habentur, vt docet Ariſtoteles 2. *Rethoricorum. cap.*4. Deus autem non poteſt nolle aliquid eſſe, quod ſit, atque adeo neque odio habere. Vnde ſapientiæ 11. *Quomodo poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes?*

2 Supponendum ſecundò. Certum eſſe, Deum ſaltem methaphoricè odio habere peccatum, quatenus circa ipſum ita ſe gerit, ac ſi odio haberet; neque ex ſcriptura aliquid amplius colligitur, quando docet, Deum odiſſe peccatum; ſicuti etiam ex eo, quod tribuat Deo iram, triſtitiam, lamentationem, colligitur quod conueniant Deo methaphoricè.

3 Prima ſententia tribuit Deo odium propriè dictum tàm abhominationis, quàm inimicitiæ. Ita Vaſquez 1. *par. diſp.*84.*cap.*3. Arrubal *q.*20.*num.* 6. & alij Recentiores.

Probant. Quia Deus vult peccatori malum pęnæ ſub ratione mali ex diſplicentia perſonæ, quod eſt odium inimicitiæ.

4 Secunda ſententia tribuit Deo tantum odium abominationis. Ita Molina 1.*p.q.*20. *art.*1. Suarez. *lib.*3.*de Deo vno. cap.* 7. Ruiz *diſp.*54.*de voluntate Dei.ſect.*1. *&* 2. Smiling *tract.*3.*de Deo vno. diſp.*2.*n.*52.

Probant. Deus deteſtatur peccatum ex eo, quod nos amat, ergo. Secundò. Odium non eſt aliud, quam diſſonantia appetitus ab eo, quod eſt repugnans; peccatum autem repugnat diuino honori. Tertiò. Quia odium de ſuo formali non importat imperfectionem, nam tantum dicit volitionem recedentem à malo.

5 Tertia ſententia abſolutè negat. Ita Aureolus *in* 1. *diſt.*40.*q.*1.*art.*1. *propoſitione* 1. *&* 2. Henricus *in ſumma.artic.*46.*q.*3. Durandus *in* 4. *diſt.*17.*q.*7. Ferrarienſis 1.*contra Gentes.cap.*96. Capreolus *in* 1. *diſt.*45.*q.*1. *concluſ.* 8. & eſt D. Thomæ *citato loco contra Gentes*. Vbi docet, Deum odiſſe ſimilitudinariè.

6 Dico primò. *Deo repugnat odium inimicitiæ propriè dictæ contra peccatores etiam damnatos*. Deſumitur ex D. Damaſceno 1.*Fid.*1. *cap.*14. Vbi enumerat odium, & inimicitiam inter ea, quæ conueniunt Deo methaphoricè; & D. Hieronymo *in cap.* 1. *Malachiæ*, Vbi habet, quod Deus dicitur odiſſe, ſicut dicitur flere, dolere, &c. Probatur. Odium inimicitiæ eſt velle alicui malum ſub ratione mali; Deus autem non vult alicui malum ſub ratione mali, ergo. Minor probatur. Quia Deus non poteſt velle malum culpæ; malum autem pęnæ eſt volitum ab ipſo ſub ratione boni, quia eſt volitum ſub motiuo propriæ bonitatis. Confirmatur. Vel peccator eſt viator, vel damnatus. Si primum, vult ſub ratione boni; Tum quia caſtigat vt emendetur; Tum quia Deus amat peccatores. Vndè punitio eſt effectus amoris. Si ſecundum; Adhuc vult illi pęnam ſub ratione boni, quia illam vult tamquam rationem formalem, qua damnatus reducitur in ordinem, à quo defecerat per peccatum, licet enim abſolutè non ſit bonum damnato pęnas pati, eſt tamen bonum ex ſuppoſitione peccati, quia eſt illi bonum ſubijci Deo ſecundum ſuam capacitatem.

7 Dico ſecundò. *Neque Deo conuenire propriè odium abhominationis*. Probatur. Deus non poteſt ferri in aliquod obiectum ſecundarium, niſi medio primario, ergo non poteſt habere actum odij. Conſequentia probatur. Omnis actus diuinus debet habere ſuam determinationem ab obiecto formali, atque adeo poteſt illam ſolam habere, quam poteſt conferre. Cum autem obiectum formale ſit diuina bonitas, non poteſt determinare ad actum odij, quia bonitas determinat tantum ad actum amoris.

8 Dices. Ex eo, quod diuina voluntas determinatur ad amorem omnis boni, conſurgere actum odij reſpectu mali. Contra. Actus iſte odij debet dicere aliquam vitalem attingentiam, ergo debet habere obiectum, quod immediatè vitali modo attingat, ergo vel attingit immediatè diuinam eſſentiam, & tunc Deus odio haberet ſe ipſum. Vel immediatè malum, & tunc ferretur immediatè in obiectum ſecundarium abſque primario, atque adeo determinaretur ab obiecto ad extra.

Confirmatur. Obiectum odij eſt aliquid contrarium voluntati, ergo Deus non poteſt habere actum odij. Antecedens patet. Quia odium dicit auerſionem, ita vt voluntas nolit eſſe, quod odit, & quantum eſt de ſe, velit dextruere. Vndè, ſi permanet obiectum, permanet contra voluntatem odientem. Conſequentia probatur. Quia Deus poteſt ad libitum dextruere peccatum, quando eſt; & non ponitur, niſi permittat poni.

9 Dices ſecundò. Licet peccatum non perſiſtat contra Dei voluntatem, non eſſe tamen ſecundum inclinationem ipſius. Contra. Non ſufficit ad obiectum odij non eſſe ſecundum inclinationem, quia debet eſſe obiectum auerſionis, quod, cum faciat voluntatem auerti, perſiſtit contra ipſam voluntatem. Tum quia in tantum auertit, in quantum non poteſt dextruere. Tum quia dum auertit, non approbat exiſtentiam ipſius.

10 Dices tertiò. Peccatum eſſe contra regulas diuinæ rationis, atque adeo contra voluntatem, quia hæc conformatur his regulis. Contra. Quia aliud eſt, quod ſit diſcordans à regulis rationis, & aliud quod exiſtat contra Dei voluntatem. Primum eſt verum, & ſolum ſequitur ex ipſo, quod non ſit volitum à Deo. Secundum eſt falſum, quia voluntas diuina permittit, eſſe, & ratio diuina dictat eſse permittendum.

11 Dico tertiò. *Neque Deo propriè conuenit poſitiua diſplicentia*. Probatur. Diſplicentia opponitur complacen-

placen-

Digitized by Google

placentiæ, ergò ſicut voluntas per complacentiam quieto modo ſe habet, ita per diſplicentiam non ſe habet quieto modo, quod repugnat diuinæ. Confirmatur. Diſplicentia excludit plenam complacentiam, ergo, ſi conueniret Deo, complacentia non eſſet plena, & infinita.

12 Dico quartò. *Odium, & diſplicentia nihil aliud dicunt, niſi quod Deus non habeat poſitiuam volitionem illius, quod diſplicet, atque adeo quod non ſinat ſic permanere, ſed ordinet ad finem*. Probatur. Quia tali pacto excluditur à Deo approbatio talis obiecti, & ponitur in ipſo talis voluntas, qualis eſt proportionaliter in eo, qui odio habet: ſicut enim ipſe vellet dextruere obiectum, ita Deus aliquo modò dextruit, quatenus non ſinit ſic permanere, ſed redigit in ordinem.

13 Ad fundamentum primæ ſententiæ Deum non velle alicui pœnam ex diſplicentia perſonæ, ſed ſub ratione boni.

Ad Primum ſecundæ ſententiæ Deum deteſtari peccatum in quantum non ſinit permanere, neque approbat, ſed redigit in ordinem; non quia abominetur. Ad ſecundum. Odium eſſe diſſonantiam appetitus circa obiectum noxium; Deus autem non habet poſitiuam diſſonantiam circa peccatum. Ad tertium negatur aſſumptum; Quia odium dicit habere malum pro obiecto formali.

An in Deo ſit fuga, timor, triſtitia, deſperatio.

SECTIO II.

14 Dico primò. *In Deo non eſſe fugam reſpectu mali ſiue proprij, ſiue aliorum*. Ita ij omnes, qui negant in Deo deſiderium contra Suarez 3. *de Deo vno. cap. 7.* Vaſquez 1. *p. diſp.* 84. *cap.* 1. Probatur. Fuga ex intrinſeca ſua ratione eſt circa malum, quod non poteſt impediri; ideo enim voluntas fugit, quia non poteſt ipſum arcere; hoc autem non habet locum reſpectu Dei, cum poſſit omne malum impedire. Confirmatur. Omne malum fit aut Deo volente, aut ipſo permittente.

15 Dico ſecundò. *Neque timorem ſecundum ſuam propriam rationem eſt in Deo*. Ita communiter. Probatur. Tum quia obiectum timoris non habet locum reſpectu Dei, cum dicat malum, cui non poſſit reſiſtere. Tum quia malè afficit voluntatem. Tum quia, quod timetur, non plenè ſubijcitur poteſtati timentis.

16 Dico tertiò. *Neque Deo conuenire triſtitiam*. Ita communiter. Probatur. Quia triſtitia eſt quoddam malum voluntatis, cum per ipſam patiatur. Secundò in Deo eſt ſummum gaudium, ergo excludit omnem triſtitiam. tertiò. In tantum Deus triſtaretur, in quantum peccata committerentur, ſed ex hoc non triſtatur, quia obiectum triſtitiæ eſt malum inuoluntarium, nihil autem in Deo eſt inuoluntarium, cum peccatum fiat ex ipſius permiſſione.

17 Dico quartò. *Neque Deo conuenire deſperationem*. Probatur. Tum quia obiectum deſperationis eſt malum ineuitabile. Tum quia deſperatio ſupponit ſubiectionem reſpectu illius, à quo poſſet bonum ſperare.

An in Deo ſit ira.

SECTIO III.

18 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Lactantius *lib. de ira Dei c.* 17. Suarez *opuſc. de diuina Iuſtitia ſect.* 5. & *lib.* 3. *de Deo vno. cap.* 7. Smiſing *tract.* 3. *de Deo vno. diſp.* 5. *numer.* 58. Rainardus *in naturali theologia diſt.* 8. *q.* 2. *num.* 60.

Probant. Quia ira de ſuo formali nihil aliud dicit, quàm voluntatem, ſeu amorem vindictæ, nec eſſentialiter ſupponit dolorem illatum.

19 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita D. Bonauentura *in* 1. *diſt.* 45. *dub.* 10. *litterali*. D. Thomas 1. *contra Gentes cap.* 89. Ferrarienſis *ibidem* Caietanus 1. *p. q.* 20. *art.* 1. Vaſquez *diſp.* 84. *cap.* 8. Ruiz *diſp.* 54. *de voluntate Dei. ſect.* 5.

20 Dicendum eſt. *Iram non eſſe propriè in Deo ſecundum ſuam formalem rationem*. Deſumitur ex Nyſſeno tract. 2. in Pſal. cap. 15. *Non eſt ira, ſed ſicut ira appellatur retributio, quam Deus rependit.* Ambroſio in Pſal. 37. *Quia vindicat, videtur iraſci*; & idem etiam docent plures alij Patres. Probatur. Ira, licet non ſit formaliter dolor, dicit tamen eſſentialiter, & intrinſecum ordinem ad dolorem, & læſionem acceptam, ergo non poteſt eſſe in Deo. Conſequentia patet. Quia non poteſt Deus lædi, aut contriſtari ab aliquo. Antecedens probatur. Tum quia eſt appetitus inferendi viciſſim dolorem, vt docet Ariſtoteles 1. *de Anima textu* 16. Tum quia eſt appetitus cauſatus ex dolore, vt docet idem Ariſtoteles 2. *Rhetoric. cap.* 4. Tum quia in hoc diſtinguitur ab odio, quod odium non fundatur in dolore, vt ſimiliter docet Ariſtoteles *citatus*. Tum quia ira componitur ex triſtitia, & deſiderio vindictæ, vt docet Damaſcenus 2. *Fidei cap.* 16. Confirmatur motiuum totale voluntatis diuinæ eſt bonitas diuina, ergo ira non poteſt conuenire Deo, quia non poteſt habere pro motiuo bonitatem ſub ratione bonitatis. Confirmatur ſecundò. Ira reſpicit vindictam ſub ratione mali, quia eſt appetitus recruciandi; alioquin, ſi reſpiceret ſub ratione boni, non eſſet, ira, ſed amor; Deus autem vult vindictam tantum ſub ratione boni. Tum quia ratio volendi eſt bonitas ipſius. Tum quia illam vult in ordine ad vltimum finem. Tum quia per ipſam redigit in ordinem creaturam deficientem.

21 Ad Fundamentum in oppoſitum negatur ſecunda pars antecedentis; Nam, cum ſit voluntas vindictæ, connotat eſſentialiter dolorem, & læſionem.

DE DIVINA IVSTITIA.

DISPVTATIO XXXVIII.

An Deo conueniat debitum reſpectu creaturarum.

SECTIO I.

1 Supponendum eſt. Debitum triplici modo contingere. Vel inferioris ad ſuperiorem, vel æqualis ad æqualem; vel ſuperioris ad inferiorem. Certum eſt, non poſſe Deo conuenire debitum inferioris ad ſuperiorem, quia non habet ſuperiorem; vndè non poteſt in Deo eſſe debitum obſeruantiæ, gratitudinis, religionis, & huiuſmodi. Similiter etiam neque poteſt conuenire debitum æqualis ad æqualem, cum Deus non habeat æqualem.

2 Supponendum ſecundò. Abſolutè loquendo non dari debitum in Deo, ſed tantum ex ſuppoſitione. Ratio eſt. Quia debitum debet reſpicere aliquid ad extra; Deus autem circa omnia, quæ ſunt ad extra liberè ſe habet, ita vt poſſit ea facere, & non facere.

3 Supponendum tertiò. Deum promittere 1. Ad Tim. 2. *Promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ*, Actorum 1. *ſed expectarent promiſſionem Patris.* Similiter etiam Deus fecit pactum cum hominibus. Iſaiæ 25. *Feriam vobiſcum pactum ſempiternum*. Ratione autem promiſſionis, & pacti conſurgit aliquid in Deo, ratione cuius tenetur adimplere promiſſa.

4 Prima ſententia tribuit Deo debitum propriè dictum; non

non ſolum fidelitatis, ſed etiam Iuſtitiæ. Ita Suarez. *opuſc. de libert. Dei. diſp.* 2. *ſect.* 2. Faſolus 1. *par. q.* 21. *artic.* 1. *dub.* 1. Ruiz *diſp.* 56. *de voluntate Dei. ſect.* 3. *& ſequentibus*, & ij omnes, qui ponunt iuſtitiam in Deo ſecundum propriam rationem. Probant. Quia Patres docent, Deum feciſſe ſe noſtrum debitorem. Secundò. Quia debitum fidelitatis naſcitur ex promiſſione, alioquin poſſet Deus eſſe infidelis. Tertiò. Quia Deus dat vitam ęternam vt mercedem ſub onerosa conditione, merces autem ſupponit debitum. Quartò. Debitum Dei ſub conditione operis excludit gratiam. Ad Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*, ergo.

5 Secunda ſententia negat, debitum Deo poſſe conuenire. Ita Durandus *in* 2. *diſt.* 27. *q.* 2. *num.* 15. Richardus *art.* 2. *q.* 3. D. Bonauentura *art.* 2. *q.* 3. Scotus *in* 4. *diſt.* 46. in fine. Nauarretus 1. *p. q.* 21. *art.* 1. *controu.* 28. §. 6. & alij, qui negant in Deo Iuſtitiam propriè dictam.

6 Dico primò. *In Deo non eſſe fidelitatem formali modo ſecūdum propriam ſuam rationem.* Probatur. Non poteſt in Deo ſpecificari à motiuo formali fidelitatis, ergo non poteſt eſſe in Deo. Antecedens probatur quia formale motiuum fidelitatis eſt promiſſio exequenda, quæ eſt aliquid ad extra; nullus autem actus diuinę voluntatis poteſt habere formale motiuum ad extra.

7 Dices. Id eſſe verum de ſpecificatiuo formali, non autem de materiali, & de illo, reſpectu cuius diſtinguuntur plures actus. Contra. Eo ipſo, quod ſe habet materiali modo, non ſe habet vt ſpecificatiuum, quia ſubſternitur alteri rationi, quæ dat actui determinationem, ergo non poteſt determinare actum.

8 Confirmatur. Si in Deo eſſet fidelitas formali modo, eſſet actus quidam ſpecialis diuinę voluntatis importãs illam conſtantiam circa exequutionem promiſſorum. Sed abſque hoc ſpeciali actu habetur totus effectus fidelitatis, ergo non eſt neceſſaria fidelitas. Minor probatur. Antequam intelligatur fidelitas, intelligitur voluntas diuina actualiſſimo modo ſe habens, & vt ipſa rectitudo per eſſentiam, atque adeo voluntas diuina operans ex neceſſitate cum ſumma rectitudine, ergo abſque ſpeciali actu fidelitatis habetur effectus fidelitatis; alioquin ſine ipſo non ſaluaretur rectitudo operationis. Confirmatur ſecundò. Ideo in voluntate creata eſt neceſſaria fidelitas, quia ex natura ſua poteſt deficere circa exequutionem promiſſorum, atque adeo indiget virtute aliqua, qua ſtabiliatur, ergo cum voluntas diuina ſit ipſa rectitudo per eſſentiam, ex generali ratione volitionis non indiget aliquo ſpeciali determinatiuo circa ſpeciale obiectum ad rectè operandum.

9 Dico ſecundò. *In Deo eſſe eminenter fidelitatem, quatenus voluntas ipſius eſt ipſa rectitudo per eſſentiam.* Probatur. Ex hoc fit, vt neceſſariò operetur cum ſumma rectitudine, ergo ex hoc habetur fidelitas eminenter, quia habetur ratio quædam, quæ facit, vt Deus ſeruet promiſſa.

10 Dico tertiò. *In Deo non eſſe propriè debitum reſpectu creaturæ.* Deſumitur ex Patribus. Anſelmo *in Proſologio cap.* 10. Iuſtus *es non quia nobis reddas debitum; ſed quia facis, quod decet te, ſummè bonum.* Proſpero ſecundo de vocatione gentium cap. 29. *Prætenta ſuper omnes veritate, & miſericordia Dei, à quo quidem, & nemini negatur, & nulli debetur ex ijs, quæ promiſit, efficitur.* Auguſtino 1. Confeſſionum cap. 4. *Reddis debita nulli debens.* Baſilio homilia in pſal. 114. *Manet vita ſempiterna illos, qui in hac vita legitimè certauerunt, non tanquam debitum operibus redditum, ſed ob munificentiſſimam gratiam, in quo ſperauerunt, exhibitam.* Bernardo ſermone in Annunciatione. *Neque enim talia ſunt hominum merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure.* Probatur. Debitum in debitore eſt eſſentialiter connexum cum iure creditoris, ergo non poteſt conuenire Deo reſpectu creaturæ. Conſequentia probatur. Quia debitum ſubijcit debitorem ipſi creditori; ſicut enim res quæ debetur, eſt ſub iure creditoris: ita etiã debitor eſt ſub iure illius; implicat autem Deum aliquo pacto ſubijci creaturæ.

11 Dices. Hanc non eſſe ſubiectionem, ſed tantum obligationem, qua Deus voluntariè ſe obligat. Contra. Poſita obligatione in Deo, quocunque modo ſe habeat, conſurgit ius in creatura ad ipſum Deum, quia obligatio eſſentialiter connectitur cum ipſo iure, ergo conſurgit in Deo ſubiectio, qua in ordine ad hoc ius ſubijciatur creaturæ. Confirmatur. Non poteſt conſurgere verum debitum, niſi conſurgat verum ius: Et non poteſt conſurgere verum ius, ſi ſit ſub poteſtate debentis, quia in tali caſu illud ius non eſt ius, quia non ſtat ſub diſpoſitione illius, cuius eſt, ſed ſub diſpoſitione debitoris, quod eſt contra rationem debiti; quia debitum non relinquit ſub diſpoſitione debitoris, ſed determinat ſecundum exigentiam iuris alieni: ſed omne ius creaturæ eſt ſub abſoluto dominio Dei, ergo. Minor probatur. Quia cum ſit aliquid participatum, dependet in eſſe, & conſeruari à Deo, & Deus eſt vniuerſalis Dominus rerum omnium.

12 Dico quartò. *In Deo neque eſſe propriè debitum fidelitatis.* Probatur. Debitum fidelitatis eſt ſpecialis obligatio habens promiſſionem pro motiuo formali. Vndè promiſſio eſt ratio obligatiua; talis autem obligatio non poteſt eſſe in Deo. Tum quia quidquid operatur ex bonitate ſua, tanquam ex adæquato motiuo operatur; Tum quia poſita immutabilitate voluntatis, eſt ſuperflua, nec poteſt ſe exercere alia ratio conſtringens diuinam voluntatem. Tum quia ſumma rectitudo facit, vt exequatur promiſſa; vndè omnis obligatio eſt ſuperflua, quia nihil influeret in adimpletione.

13 Dico quinctò. *Inter Deum, & creaturam dari debitum obiectiuum;* hoc eſt, res, quæ à Deo promittuntur, poſſunt habere rationem debiti obiectiui, ita vt eo pacto ſe habeant, ac ſe haberent, ſi fundarentur in debito formali. Deſumitur ex ſcriptura quatenus Gloria vocatur, Merces, Corona, retributio, depoſitum, & alijs huiuſmodi nominibus, quæ ſignificant debitum in obiecto; Sic etiam docent Patres Fulgentius in præfatione libri Ad Monimum. *Ille auctor eſt debiti, qui auctor eſt boni.* Auguſtinus tract. 3. in Ioannem. *Audi illum iam flagitantem debitum, qui primò indebitam ſuſceperat gratiam.*

Probatur. Deus habet ſummã rectitudinem, & immutabilitatem voluntatis, ergo res, quas promittit, conſtituit in ratione debiti obiectiui abſque eo, quod ipſe fiat debitor formalis. Conſequentia probatur. Poſita promiſſione res ſe habet, ac ſi eſſet iam collata, quia eſt infallibiliter conferenda, ergo cedit in ius noſtrum, atque adeo fit debita. Confirmatur. In Deo eſt fidelitas eminenter, atque adeo determinatio quędam ad ea operandum, quæ regulæ diuinæ rationis exigunt fieri, ergo promittendo conſtituit rem promiſſam in ratione debiti obiectiui. Antecedens patet. Quia ſumma rectitudo facit, vt diuina voluntas ſit conſtans ſibi ipſi, & quod in operando ſequatur regulas diuinæ rationis. Conſequentia probatur. Fidelitas eminenter, & determinatio ad operandum ſecundum regulas diuinæ rationis, habent ſuum effectum in obiecto; hic autem effectus eſt ratio debiti obiectiui. Tum quia fidelitas eminenter habet eundem effectum, quem habet fidelitas formalis. Tum quia regulæ diuinæ rationis exigunt, vt id, quod promittunt, ſit debitum.

14 Dico ſextò. *Hoc debitum obiectiuum non eſſe debitum rigoroſè ſumptum, ſed tantum ſecundum quid.* Ita docent Patres Fulgentius 1. *Ad Monimum cap.* 11. Bernardus *ſermone* 6. *in Cantica.* Auguſtinus *Epiſt.* 106. Hieronymus *Dialogo contra Pelagianos*, & alij Patres, & etiam Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *c. vltimo* Probatur Gratia & debitum ſe inuicem excludunt, quia gratia importat gratuitam liberalitatem, debitum verò aliquid

Digitized by Google

quid, quod non poteſt non dari, ergo vbi eſt plenum debitum, & abſolutum, ibi nulla poteſt eſſe gratia, & econtra, vbi eſt gratia, non poteſt eſſe debitū abſolutum; quæ autem Deus dat vt debita, habent gratiam admixtam. Tum quia dantur in compenſationem meritorum, quæ non ſunt ex noſtris proprijs viribus, ſed ex gratia. Tum quia premium ſemper ſuperat meritum.

15 Ad primum. Quando Patres docent, Deum ſe feciſſe noſtrum debitorem, intelligunt, quod ſe fecerit debitorem denominatiuè à forma extrinſeca, videlicet à debito obiectiuo; non autem quod ſe fecerit debitorem formaliter: ita autem loquuntur, vt declarent certitudinem promiſſionis. Ad ſecundum, debitum fidelitatis naſci ex promiſſione, quando perſona poteſt ſe ſubijcere ei, cui promittit: quando verò non poteſt ſe ſubijcere, conſurgit tantum debitum obiectiuum. Quia autem Deus eſt fidelis eminenter, ideo neceſſariò ſeruat promiſſa ratione ſummæ rectitudinis. Ad tertium negatur minor. Nam ex eo, quod Deus dat vitam ęternam vt mercedem ſub onerosa conditione, ſequitur tantum, quod vita æterna habeat rationem debiti obiectiui. Ad quartum. Probare tantum aliquid procedere à Deo vt debitum, non autem Deum eſſe debitorem.

16 Quæres. Quid importet diuina promiſſio. Reſpondetur importare tantum ſimplicem aſſertionem de aliquo, quod ſit bonum illi, cui fit promiſſio. Ita Suarez *opuſc. diuina libertate. diſp. 2. ſect. 2. nu. 15.* contra Ruiz *diſp. 56. de voluntate Dei. ſect. 7.* Ratio eſt. Quia ſola voluntas diuina ſimplex abſoluta, & efficax dandi aliquod bonum, obligat illud bonum, & conſtituit in eſſe debito; eſt enim talis voluntas communicatiua illius, quod vult ad differentiam voluntatis creatæ; per id autem quod eſt communicatiua, formaliter eſt translatiua illius boni ad creaturam, atque adeo illud conſtituit ſub iure, & poteſtate creaturæ.

An in Deo ſit iuſtitia vniuerſalis, & legalis.

SECTIO II.

17 IVſtitia ſumitur dupliciter Particulariter, & vniuerſaliter. Particulariter importat ſpecialem virtutem, quæ reſpicit ius, & æqualitatem per ſe primò tanquam proprium obiectum, & definitur à Vulpiano ff. de Iuſtitia & Iure. *Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuendi.* Iuſtitia verò vniuerſalis eſt duplex, alia enim complectitur omnes virtutes, & dicitur ſimpliciter vniuerſalis; alia verò complectitur illas virtutes, quæ ſunt ad alterum, & ſecundum leges, quibus dirigitur aliqua communitas, & reſpicit bonum commune, & dicitur legalis, quia eſt ſecundum leges. In preſenti autem agimus de Iuſtitia vniuerſali vtroque modo ſumpta.

18 Prima ſententia negat in Deo Iuſtitiam legalem. Ita Argentinas *in 1. diſt. 46. art. 1.* Baſſolis *ibidem*. Peſantius *prima parte q. 20. art. 1. concl. 2.* Faſolus *dub. 1.* Suarez *opuſc. de Iuſtitia Dei. ſect. 4. num. 8.* & alij.

Fundamentum eſt. Quia iuſtitia legalis reſpicit legem, & legiſlatorem vt ſuperiorem. Confirmatur. Quia importat debitum partis ad totum, quod non poteſt Deo conuenire.

19 Secunda ſententia tribuit Deo Iuſtitiam legalem. Ita Scotus *in 4. diſt. 46. q. 1.* Sotus *3. de Iuſtitia, & iure q. 5. art. 4. ad* 1. Nauaretus *1. parte q. 21. contr. 26. §. 6.*

20 Notandum primò Iuſtitiam vniuerſaliſsimam poſſe conſiderari dupliciter. Primò vt dicit omnes ſpeciales virtutes in particulari. Secundò, vt dicit formā quamdam rectificantem fundatam in omnibus virtutibus. Primò modo materialiter ſe habet, quia dicit illud, in quo fundatur illa forma, quæ eſt Iuſtitia vniuerſalis. Secundò modo formaliter ſe habet.

21 Notandum ſecundò. Iuſtitiam vniuerſalem importare quoddam debitum, non tamen propriè dictum; ſed quod eſt determinatio quædam, qua determinatur operans ad operandum ſecundum pręſcriptionem omnium virtutum. Hinc quælibet ſpecialis iuſtitia dicit ſuam propriam rationem debiti, & quia aliqua virtus eſt pars iuſtitiæ, & non eſt ad alterum, ideo non fundat debitum, cui correſpondeat ius in altero, ſed tantum debitum honeſtatis. Iuſtitia verò legalis fundat debitum ſecundum præſcriptionem legis.

22 Notandum tertiò. Iuſtitiam legalem poſſe conſiderari ſecundum eſſe participatum, & imparticipatum. Differunt. Quia primo modo reſpicit legem ſuperiorem, ſecundum quam debet operari. Secundo modo eſt ipſa ſibi lex, quatenus eſt ipſa rectitudo per eſſentiam.

23 Dico primò. *Eſſe in Deo Iuſtitiam vniuerſalem ſecundum ſuum eſſe formale.* Deſumitur ex ſcriptura Deuter. 2. *Deus Iuſtus, & rectus*; Pſal. 114. *Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis* &c. Probatur. Voluntas diuina eſt ipſa rectitudo per eſſentiam, ita vt impoſsibile ſit non operari cum ſumma rectitudine: Iuſtitia autem vniuerſalis non eſt aliud, quam forma quędam rectificans voluntatem, vt cum rectitudine operetur. Confirmatur. Ideo non eſſet in Deo, quia non ſunt in ipſo omnes virtutes, hoc autem non eſt neceſſarium; quia in Deo ſaluatur plena rectitudo ſine omnibus virtutibus, quæ non ſaluatur in creata voluntate.

24 Dico ſecundò. *Iuſtitiam legalem conuenire Deo imparticipato modo.* Probatur. Deus adminiſtrat vniuerſa ſecundum exigentiam boni communis, & ſecundum legem æternam, ſecundum quam tenetur Deus operari, ergo in Deo eſt iuſtitia legalis. Conſequentia probatur. Quia iuſtitia legalis non eſt aliud, quàm diſpoſitio quædam, qua voluntas diſponitur ad ordinandum bonum commune ſecundum leges; voluntas autem diuina hoc pacto eſt neceſſariò diſpoſita.

25 Dices. Iuſtitia reſpicit ius, ergo vbi non eſt verum ius, non poteſt eſſe vera iuſtitia; Deus autem non ſubijcitur alicui iuri. Reſpondetur. Iuſtitiam legalem participatam reſpicere ius, quia eſt in aliquo, qui ſubijcitur ſupremo legiſlatori; imparticipata verò reſpicit tantum leges æternas.

26 Dices ſecundò. Quod Deus det creaturæ bonum ſecundum capacitatem ipſius, eſt liberalitas, & non iuſtitia, ergo. Reſpondetur negando antecedens. Nam hæc donatio, quatenus fit ſecundum præſcriptionem legum æternarum, eſt effectus iuſtitiæ, & eſt ſecundum ius imparticipatum: cum hoc tamen ſtat quod etiam ſit effectus amoris.

27 Ad fundamentum primæ ſententiæ reſp. procedere de iuſtitia legali participata, ſicuti etiam procedit confirmatio; imparticipata autem importat tantum debitum, quod eſt ſecundum leges æternas.

An in Deo ſit iuſtitia punitiua.

SECTIO III.

28 SVmitur Iuſtitia punitiua, prout eſt ſpecialis virtus contradiſtincta à iuſtitia legali. Certum eſt autem de fide. Deum punire malos pręſertim in alia vita, atque huiuſmodi punitionem eſſe aliquod rectum & iuſtum; & hoc tantum colligitur ex ſcriptura, quando Deo tribuit iuſtitiam ex eo, quod punit. Quæritur autem, An ſit in Deo aliqua virtus Iuſtitiæ punitiuæ.

29 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita D. Bonauentura *in 4. diſt. 46. artic. 1. q. 4.* Durandus *q. 3.* Aureolus *art. 1.* Sotus *3. de Iuſt. & Iure q. 3. art. 4.* qui volunt eſſe iuſtitiam commutatiuam; alij verò volunt eſſe iuſtitiam diſtributiuam, vt D. Thomas *in 4. diſt. 46. quæſt. 2. art. 2.* Richardus *art. 1. q. 1.* Capreolus *in 1. diſt. 45. q. 1. art. 1.* Ferrarienſis *1. contra Gentes cap. 93.*

30 Se-

Digitized by Google

30 Secunda ſententia negat, eſſe in Deo ſecundum propriam rationem. Ita Vaſquez *prima part. diſp.* 85. *cap.* 4. & 86. *cap.* 2. *&* 3.

31 Tertia ſententia aſſerit, iuſtitiam punitiuam in Deo eſſe partem poteſtatiuam iuſtitiæ. Ita Molina 1. *parte q.* 2. *art.* 1.

32 Quarta ſententia non diſtinguit, à generali iuſtitia, quæ complectitur omnes virtutes. Ita Albertus 1. *parte quæſt.* 80. *mem.* 2. *art.* 2. Alenſis *q.* 39. *mem.* 1. Durandus *in* 2. *q.* 2. Baſſolis *in* 4. *diſt.* 46. *art.* 1. Paludanus *quæſt.* 3. Smiſing *tract.* 3. *de Deo vno, diſp.* 4. *num.* 2.

33 Quincta ſententia vult, non eſſe diſtinctam à iuſtitia gubernatiua. Ita Suarez *de diuina Iuſtitia ſect.* 5. Faſolus *prima parte q.* 20. *art.* 1. *dub.* 5.

34 Notandum primò Deum non poſſe intendere punitionem ſub ratione mali. Tum quia non eſt obiectum proſequibile, quia diligit omnes creaturas. Tum quia malum vt tale non poteſt eſſe ab aliqua virtute. Poteſt autem intendere ex diuerſis motiuis bonis, principaliter tamen intendit, vt ordinet, quod deordinatum eſt; pertinet enim ad ipſum vt ad primam cauſam, & vniuerſalem prouiſorem redigere in ordinem cauſas deficientes, & ordinare ipſarum defectus. Vndè cum cauſa libera peccans deficiat ab vltimo fine, debet ad ipſum reordinari eo modo, quo eſt ordinabilis, videlicet per punitionem.

35 Notandum ſecundò, Deum, cum ſit cauſa prima teneri ratione legis æternæ punire malos. Ratio eſt. Quia debet ordinatè diſponere vniuerſum; quod fieri non poteſt, niſi peccatum per punitionem ordinetur; Quia autem, ſuppoſito quod velit operari, & neceſſitate operatur ſecundum leges æternas; ideo ſuppoſita conſtitutione mundi, & prouidentia ex neceſſitate punit malos, quia ita exigunt leges æternæ.

36 Notandum tertiò. Pęnam debere eſſe commenſuratam culpæ; quia tamen hæc commenſuratio non per ſe primò intenditur in punitione, non ſe habet formaliter, ſed materialiter, vt contingit etiam in alijs virtutibus, quæ vtuntur tali commenſuratione, vt gratitudo.

37 Dico primò. *Punitionem, quæ eſt à Deo, principaliter prouenire à iuſtitia legali, ita vt hæc ſola ſufficiat ad exercendam punitionem.* Probatur. Iuſtitia legalis in Deo reſpicit debitum ordinem vniuerſi, & exigentiam boni communis, ergo ſe ſola eſt ſufficiens, vt cauſet punitionem. Conſequentia probatur. Quia punitio eſt pars ordinis vniuerſi, & pars boni communis, & ſub hac ratione intenditur à Deo. Confirmatur. Deus punit vt ſupremus iudex, ergo ex vi iuſtitiæ legalis. Conſequentia probatur. Quia vt talis debet operari ſecundum leges æternas, ſecundum quas ordinat vniuerſum, & diſponit bonum illius.

38 Dico ſecundò. *Nullam aliam virtutem ſpecialem eſſe neceſſariam vt puniat, quæ ſit propria punitionis, vt talis eſt.* Probatur. Punitio ſecundum ſuam formalem rationem nil aliud importat, niſi ordinationem malorum, ergo non poteſt eſſe obiectum, niſi iuſtitiæ legalis. Conſequentia probatur. Quia cum Deus puniat vt vniuerſalis gubernator, non poteſt attingere punitionem primò, & per ſe, niſi prout eſt bonum communitatis. Confirmatur, quia alia bona, quæ ſecum affert punitio conſequutiuè ſe habent, nec ſunt primariò intenta à Deo, vt ſupremo gubernatore.

39 Dices. Deus eſt ſupremus iudex, & ita punit, vt poſſit non punire, ergo non habet debitum iuſtitiæ legalis. Reſpondetur negando conſequentiam. Nam etiam iudex ſupremus inter homines poteſt condonare pęnam, & tamen habet debitum iuſtitiæ legalis, quia videlicet iuſtitia legalis non ita obligat ad puniendum, vt non relinquat locum condonationi pænæ alicuius. Deus ergo ſuppoſito quod adminiſtret mundum ſecundum ordinem, quem inſtituit, habet debitum neceſſitatis, & rectitudinis puniendi vniuerſaliter loquendo.

40 Dico tertiò. *Deum puniendo cauſare aliquid iuſtũ.* Probatur. Pæna non excedit quantitatem demeriti, ſed ſeruatur debita correſpondentia, ergo.

41 Dico quartò. *Punitionem ex vi iuſtitiæ legalis eſſe debitum communicati.* Probatur. Communitas eſt inſtituta ſecundum leges æternas, ſecundum quas dirigitur, ergo habet ius ad omne illud, quod ipſi dant leges, ſecundum quas eſt inſtituta, eæ autem dant punitionem vt neceſſariam ad bonum commune.

42 Dico quintò. *Deum in puniendo non conſtituere obiectum iuſtitiæ commutatiuæ, aut diſtributiuæ, ſed tantum legalis.* Probatur. Totum illud iuſtum, quod eſt in punitione eſt effectus iuſtitiæ legalis, ergo non interuenit iuſtum alterius iuſtitiæ. Conſequentia patet. Quia deberet interuenire illud iuſtum ſpeciale, quod ponit alia iuſtitia. Antecedens probatur. Quia punitio in tantum eſt iuſta, in quantum ordinat delinquentes, & conſulit bono communi; hoc autem totum eſt effectus iuſtitiæ legalis.

43 Obijcies. Iuſtitia Dei punitiua ſeruat æqualitatem, ergo. Reſpondetur æqualitatem ſe habere materialiter, quia primariò intendit ordinare, quod eſt deordinatum.

44 Obijcies ſecundò. Peccatores obſtinati debentur Dęmoni. Ioannis 8. *Vos ex patre diabolo eſtis.* ergo Deus puniendo reddit ius ſuum dęmoni. Reſpondetur. Peccatores non propriè deberi dęmoni, quaſi habeat ius ad illos; ſed tantum ex Dei deſtinatione, quæ facta eſt ſecundum iuſtitiam legalem.

45 Obijcies tertiò. Peccatorum pęna eſt debita Deo, ergo exercetur ſpecialis iuſtitia. Reſpondetur. Eſſe debitam ex vi iuſtitiæ legalis, quia eſt debitum, vt omnis creatura ordinatè ſe habeat cum vltimo fine.

46 Obijcies quartò. Deus eſſet iniuſtus, ſi ſupra condignum puniret, ergo in punitione interuenit iuſtitia. Reſpondetur. Eſſet iniuſtus, quia faceret contra iuſtitiam legalem, quæ exigit, pęnam eſſe proportionatam delicto.

An in Deo ſit iuſtitia ſpecialis propriè dicta.

SECTIO IV.

47 IVſtitia ſpecialis eſt duplex. Commutatiua, & diſtributiua. Commutatiua reſpicit æqualitatem arithmeticam, quæ eſt illa, quæ tantum ponit ex vna parte, quantum eſt ex alia, vt ſi ex vna parte ſint duo, & etiam ex alia ſimiliter duo. Diſtributiua reſpicit æqualitatem geometricam, quæ conſiſtit in eo, quod ſeruetur debita proportio ad perſonas, quibus fit diſtributio habita ratione meriti, & dignitatis, ita vt digniori plus tribuatur; vndè non reſpicit æqualitatem rei ad rem, ſed rei ad perſonas. Difficultas eſt de vtraque.

48 Prima ſententia tribuit Deo vtramq; iuſtitiam. Ita Aureolus *in* 1. *diſt.* 46. *art.* 1. Suarez *diſp. de Iuſtitia, & Iure per totam.* Valentia *prima parte diſp.* 1. *q.* 21. *punct.* 1. Faſolus *art.* 1. *dubit.* 2. *&* 3. Aluarez 3. *part. diſp.* 4. *num.* 23. Raguſta *diſp.* 5. §. 6. Cabrera *q.* 1. *art.* 2. *diſp.* 7. *&* 8., & alij Recentiores.

Probant. Iuſtitia commutatiua ex ſuo obiecto formali non includit aliquam imperfectionē; ſicut nec etiam diſtributiua, quia illa dicit tantum ius contractum ad proprium, & exactum; hoc vero ius ſecundum proportionem geometricam attendit Deus in diſtributione præmiorum, ergo. Secundò. Ex eo præciſè inter homines interuenit iuſtitia commutatiua, quando conſtituitur æqualitas in commutatione; quia ius alterius obligat ad talem æqualitatem. Ius autem creaturæ obligat ad æqualitatem præmij cum merito, ergo. Tertiò. Quia virtutes, quæ rectificant actiones conueniunt Deo, cum nullam dicant imperfectionem. Quartò. In retribuenda mercede operibus bonis interueniunt conditiones iuſtitię commutatiuæ; nam ſeruatur æqualitas præmij ad meritum; interuenit commutatio dati, & accepti; & quod exhibetur à

tur à creatura eſt aliquo modo vtile Deo, quatenus cedit in honorem ipſius ergo. Confirmatur. Gloria in ſcriptura dicitur Corona, merces, retributio &c. & confertur ex promiſsione, & dicitur Deus remunerare ex iuſtitia, ergo.

49 Secunda ſententia ponit in Deo tantum iuſtitiam diſtributiuam, non autem commutatiuam. Ita Capreolus *in prima diſt.45. quæſt. vnica.art.1. concluſ.4.* Caietanus *2. 2. q.6. art.4. ad primum.* Ferrarienſis *1. contra Gentes.cap.93.* Arragonius *2.2.q.61. art.4.* Bannes *prima part.quæſt. 21. art.1.* Nauaretus *controu.28. §.1.* Ruiz *diſp.58. de voluntate Dei.ſect.2.& diſp.59.*

Probant. Vbi Iuſtum, & æquale requirit rerum inæqualitatem; vbi eſt iuſtum diſtributiuum; iuſtum autem, & æquale beatitudinis requirit rerum inæqualitatem, ergo. Secundò. In diſtributione gloriæ inæqualitas proportionalis eſt per ſe intenta, ergo.

50 Tertia ſententia ponit in Deo Iuſtitiam commutatiuam, negat autem diſtributiuam. Ita Azorius *tom. 1. lib.1.cap.10.q.3.*

51 Quarta ſententia negat abſolutè iuſtitiam propriè ſumptam. Ita Alenſis *prima parte quæſt.39. mem. 1.* Albertus *q.80.num.2.art.2.* Durandus *in 2.diſt.27.quæſt.2.* Baſſolis *art.1.* Lorca *partis ſecūdæ diſp. 44.de gratia.* Medina *q. 144. art. 3.* Molina *prima parte quæſt. 21. art.1.* Annibal *ibidem* Vaſquez *diſp.85. & 86.* Smiling *tract. 3. de Deo vno. diſp.4.quæſt.5.*

52 Notandum primò obiectum formale iuſtitiæ eſſe ipſum ius. Vndè cętera pertinent ad obiectum materiale. Hinc autem fit, quod pręſcindendo à iure tam æqualitas arithmetica, quam geometrica non ſit propriè iuſtitia; quod etiam ex eo patet, quia gratitudo in rependendo beneficio poteſt vtramque æqualitatem ſeruare. Sic etiam miſericordia in ſubueniendo, & obſeruantia in deferendo cultu neceſſario ſeruat æqualitatē geometricam, quia tenetur deferre ſecundum dignitatem vniuſcuiuſque.

53 Notandum ſecundò. Aliud eſſe quod aliquis exerceat actum iuſtitię, aliud quod faciat exercere. Vt aliquis exerceat, oportet vt exerceat cum illo, quia habet ius, ita vt ius ſit inter illos, inter quos exercetur iuſtitia; vt autem faciat exercere, non eſt neceſſe, vt interueniat ius, ſed ſufficit, vt habeat vim directiuam, ſecundùm quam faciat exercere. Sic Iudex, quando facit, vt fiat reſtitutio alicui, non exercet actum iuſtitiæ commutatiuæ, ſed facit exerceri.

54 Dicendum eſt. *Inter Deum, & creaturas non interuenire iuſtitiam propriè dictam, quæ ſit ſpecialis virtus.* Probatur. Creatura non habet verum, & proprium ius reſpectu Dei, nec Deus veram rationem debiti, ergo non interuenit iuſtitia propriè dicta. Conſequentia patet, quia ſine vero iure, & debito non poteſt ſaluari vera iuſtitia. Antecedens probatur. Deus habet ſupremum dominium ſupra res omnes, atque adeo ſupra omne ius creaturæ, ita vt implicet ſe priuare tali dominio; ſupremum autem dominium excludit alienum ius propriè dictum, & verum debitum. Confirmatur. Proprium ius eſt ſub poteſtate illius, cuius eſt; nec alius poteſt de ipſo ad libitum diſponere; Deus autem poteſt ad libitū diſponere ratione ſupremi dominij de omni iure creaturæ. Confirmatur ſecundò. Quandò Deus dat gloriam ex meritis adhuc gloria manet ſub pleno dominio ipſis, nec acquirimus ſupra ipſam aliquod ius, quod non ſit ſub pleno dominio Dei, ergo.

55 Reſpondet Suarez. Non eſſe de ratione iuſtitiæ, vt ille, qui tribuit ius alteri, illo ſe priuet, quia priuatio prouenit tantum ex imperfectione dominij, quod habet creatura. Contra. Implicat tribuere alteri ius ſuum, & retinere ſupra ipſum, & ſupra rem, quæ tribuitur plenum dominium, quia plenum dominium dicit totale ius proprium excludens alienum.

59 Reſpondet ſecundò. Diuerſam eſſe rationem iuſtitiæ in Deo, & in creaturis; conuenire tamen in vna ratione magis abſtracta. Contra. Non poteſt dari ratio magis abſtracta iuſtitię, quàm ſit obiectum formale, alioquin non haberet ſpecificationem ab ipſo; ratione autem obiecti formalis non poteſt Deo conuenire iuſtitia, cum creatura non habeat verum ius reſpectu Dei.

57 Reſpondent tertiò alij. Dari duplex dominium, vniuerſale, & Particulare. Dominium vniuerſale eſſe ipſius Dei, particulare autem creaturæ. Contra. Vel hoc dominium, & ius particulare eſt ſub pleno dominio Dei. Vel non. Si primum, ergo non eſt dominium, nec ius propriè dictum. Si ſecundum ergo Deus non habet plenum dominium rerum omnium.

58 Reſpondent quartò Alij. Deum habere duplicem titulum, Domini, & Contrahentis. Vt Dominus non habet iuſtitiam cum creatura. Vt contrahens autem dat ex iuſtitia. Contra quia ſunt tituli ſe inuicem dextruentes, nam eſſe ſupremum Dominum, ita vt non poſſit plenum dominium alicuius rei à ſe alienare, dicit nihil reperiri, de quo non poſſit ad libitum diſponere; eſſe vero contrahens propriè dictum importat quod poſſit aliquod dominium à ſe alienare, & ſupponit proprium ius alterius.

59 Probatur ſecundò concluſio Iuſtitia habet pro obiecto formali, & motiuo ipſum ius; nullus autem actus voluntatis diuinę poteſt habere pro obiecto formali ipſum ius, cum habeat ſolum diuinam bonitatem.

60 Dicendum ſecundò. Præmium diſtribui à Deo ſecundum pręſcriptionem iuſtitiæ legalis, atque adeo habet rationem debiti obiectiui ratione eiuſdem iuſtitiæ. Probatur. Ad hanc iuſtitiam pertinet benè ordinare communitatem; vt autem communitas beatorum ſit benè ordinata, oportet, vt muneretur ſecundum quantitatem meritorum.

61 Ad primum primæ ſententiæ negatur antecedens. Nam ius propriè dictum, ſi conueniret creaturæ, inferret imperfectionem in Deo, quia excluderet plenum dominium. Ad ſecundum negatur minor. Nam in Deo non eſt iuſtitia, quia non adeſt verum ius obligans ipſum. Ad tertium. Illas virtutes, quæ rectificant actiones conuenire Deo, ſi non ſupponant imperfectionem, iuſtitia autem ſupponit imperfectionem. Ad quartum negatur antecedens. Nam deficit principalis conditio, videlicet ius propriè dictum. Ad confirmationem. Gloriam dici mercedem, &c. quia ratione iuſtitiæ legalis habet rationem debiti obiectiui.

62 Ad primum ſecundæ ſententiæ, probare tantum Deum ſeruare proportionem geometricam, quæ non eſt obiectum proprium iuſtitiæ ſpecialis, niſi interueniat ius propriè dictum, quod cum non ſit in creatura, non ſequitur eſſe in Deo iuſtitiam diſtributiuam. Ad ſecundum. Inæqualitas proportionalis eſt ſemper per ſe intenta ex parte obiecti materialis, quia tamen non interuenit obiectum formale, nempe ius, neque iuſtitia propriè dicta interuenit.

DE ALIIS VIRTVTIBVS DISPVTATIO XXXIX.

An in Deo ſit miſericordia ſecundum propriam rationem.

SECTIO I.

1 MIſericordia reſpicit miſeriā ſubleuādam. Hinc triplex acceptio. Prima pro ſubleuatione cuiuſcunque defectus in quacunque creatura, ſiue exiſtentis, ſiue imminentis. Secunda pro ſubleuatione miſeriæ

Digitized by Google

ſeriæ creaturę rationalis. tertia pro ſubleuatione miſeriæ iam exiſtentis in creatura rationali; & hæc eſt propria acceptio.

2 Prima ſententia tribuit Deo miſericordiam ſecundum ſuam propriam rationem formalem. Ita Scotus *in 4. diſt. 46. q. 2.* Carthuſianus *q. 3.* Alenſis *prima parte quæſt. 39. mem. 1.* Ruiz *diſp. 61. de voluntate Dei. ſect. 1.* Smiſing *tract. 2. de Deo vno. diſp. 4. ſect. 6. num. 92.*

Probant. Quia nullam includit imperfectionem, nam effectus compaſſionis materialiter tantum ſe habet.

3 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Albertus 1. *parte q. 8. mem. 2. art. 4.* deſumitur ex D. Thoma 1. *p. q. 31. art. 3.* Vbi docet, miſericordiam importare affectum ex miſeria aliena conceptum, qui Deo non conuenit, & *ſecunda ſecundæ q. 30. art. 2.* Vbi docet, Deum miſereri propter amorem.

4 Dicendum eſt. Deo non conuenire miſericordiam ſecundum ſuam propriam rationem. Deſumitur ex D. Anſelmo *cap. 10. Proſologij. Miſericors es, non quia tu ſentis affectum; ſed quia nos ſentimus effectum.* Probatur. Actus diuinę voluntatis poteſt tantum habere pro motiuo formali diuinam voluntatem, non vero aliquid ad extra; miſericordia autem habet eſſentialiter pro motiuo miſeriam alienam. Confirmatur. Subleuatio à miſeria eſt effectus prouidentiæ, ergo. Antecedens probatur. Quia ad prouidentiam pertinet repellere defectus redigendo in ordinem quidquid deficit. Confirmatur ſecundo. Miſericordia ſubleuat miſeriam ex eo, quod afficitur ab ipſa, cum motiuum ſubleuandi ſit ipſa miſeria, quatenus mouet media compaſſione ad ſubleuandum; Deus autem non afficitur ex miſeria alicuius.

5 Ad fundamentum in oppoſitum negatur aſſumptum; Ad probationem. Compaſſionem reſpicere miſeriam ſub ratione motiui, cum autem miſeria ſit obiectum formale miſericordiæ oportet, vt compaſſio pertineat ad eſſe formale miſericordię.

An in Deo ſit liberalitas.

SECTIO II.

6 LIberalitas verſatur circa pęcuniæ largitionem, vel illius, quod pęcunia æſtimatur, vt docet Ariſtoteles 4. *Ethicorum cap. 5.* Quia tamen obiectum formale eſt largitio, per accidens ſe habet, quod inter homines verſetur tantum circa pęcuniam, & id, quod pęcunia æſtimatur; vndè ex hoc capite non debet negari in Deo, vt negat Vaſquez prima parte diſp. 85. cap. 7.

7 Dicendum eſt. In Deo non eſſe liberalitatem ſecundum propriam ſuam rationem. Probatur. De ratione liberalitatis eſt, vt reſpiciat largitionem vt merè vtilem illi, cui fit, & non illi, à quo fit; atque adeo non poteſt eſſe volita à largiente propter ſe ipſum, quia ſtatim ac eſt propter ipſam largientem, non eſt amplius liberalitas, ſed actus amoris erga ſe ipſum; ſed Deus quidquid operatur, & largitur, propter ſe ipſum operatur, & largitur, ergo.

8 Dices Ita largiri, vt ſecundum ſuam largitionem ſiſteret in creatura, ſi poſſet. Contra. Si ſiſteret in creatura, largitio illa eſſet liberalitas, ergo quia non ſiſtit, non poteſt eſſe liberalitas.

(3)

DE PROVIDENTIA DEI.

De exiſtentia, & eſſentia prouidentiæ.

DISPVTATIO XXXX.

Quomodo prouidentia Deo conueniat ſalua noſtra libertate.

SECTIO I.

1 PRouidentia nihil aliud eſt, quam directio rerum in ſuos fines; dupliciter autem ſumitur; Ab intra, & Ab extra; ſeu in actu primo, & in actu ſecundo. Primo modo dicit actum intrinſecum Dei importantem illam diſpoſitionem, ſecundum quam res diriguntur. Secundo modo dicit ipſam directionem poſitam in actu exercito, & rebus applicatam.

2 Supponendum autem eſt tanquã certum de fide contra Epicureos. Deum habere prouidentiam de rebus omnibus non ſolum in vniuerſali, ſed etiam in particulari. Sap. 6. *Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus,* & cap. 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter,* & c. 12. *Non eſt alius Deus, quam tu, cui cura eſt de omnibus,* & c. 14. *Tua autem Pater prouidentia gubernet* Matthei 10. *Vnus paſſer non cadit ſuper terram,* Et *veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt, &c.* Ratio autem eſt. Quia Deus eſt cauſa prima, & vniuerſalis, vndè debet diſponere ordinem, ſecundum quem res diriguntur in ſuos fines; quia, cum res habeant huiuſmodi ordinem, vt experientia conſtat, debet hic ordo eſſe à cauſa prima, quia omne agens operatur propter finem, atque adeo ordinat operationem ſuam ad finem. Vndè cum Deus ſit vniuerſale agens, ordinat etiam res omnes tanquam ſuos effectus ad ſuos fines. Difficultas autem eſt. Quomodo Prouidentia ſtet cum libertate.

3 Ratio dubitandi eſt. Quia ſi Deus diſponit de actibus liberis, aut prouidentia fruſtrari poterit ex libertate creata, quod implicat, cũ ſit immutabilis, & efficax; aut actiones liberæ erunt neceſſariæ, quia non poterunt non eſſe. Eadẽ autẽ eſt ratio de prouidẽtia, & de prædeſtinatione.

4 Notandum 1. voluntatem non poſſe exire in actũ aliquem, niſi in virtute intellectus proponentis obiectũ; vndè nihil eſt in actu voluntatis, quod non ſit proportionaliter in intellectu. Hinc fit, quod ſicut omnis actus non ſolum abſolutè eſt poſſibilis, ſed etiam in comparatione aliorum, ita vt poſſit voluntas potius ad ipſum ſe determinare; ita etiam eſt poſſibilis actus intellectus, qui ratione propoſitionis, & ſuaſionis potius inferat hunc in comparatione aliorum, quam cęteros.

5 Notandum ſecundò. Deum ſcientia ſimplicis intelligentiæ cognoſcere omnes actus liberos ſecundum omnem habitudinem ad quoſcunque actus intellectus concurrentibus quibuſcumque circumſtantijs; vndè etiam cognoſcit, quomodo potius hic actus, quam alius conſequi poſsit à voluntate ratione ſuaſionis concurrentibus talibus & talibus circumſtantijs, atque adeo cognoſcit, quænam ſuaſio ſit efficax ſtantibus his, vel illis circumſtantijs ad inferendum potius hunc actum, quam illum.

6 Notandum tertiò. Prouidentiam verſari circa actiones liberas, & media ad ipſas libero modo inferendas. Vndè quando Deus de ipſis diſponit, ſicut ſequitur ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ita etiam diſponit de medijs, per quæ poſſunt infallibiliter inferri hæ actiones; non enim diſponit de actionibus præcisè, ſed de ipſis vt per talia media inferendis.

Digitized by Google

7 Notandum quartò. Actum liberum Dei poſſe conſiderari & vt dicit intrinſecam vitalem attingentiam, & vt dicit determinationem, qua tollitur indifferentia diuinæ voluntatis. Primo modo dicit intrinſecam perfectionem, & ſicut ſe habet per modum actus primi reſpectu determinationis, qua tollitur indifferentia: ita etiam correſpondet voluntati creatæ in actu primo conſideratæ. Secundò modo dicit extrinſecum concurſum, quia voluntas diuina habet tantum indifferentiam in ratione cauſæ reſpectu effectus ad extra, vt ſuo loco diximus, & correſpõdet operationi eiuſdẽ voluntatis, imo eſt idem cum ipſa.

8 Dico primò. Decretum liberum Dei, quod importatur à prouidentia primo modo conſideratum eſſe cauſam operationis liberæ, non tamen officere libertati, quia eſt cauſa ſimul cum voluntate creata. Probatur. Deus eſt cauſa prima ratione ſuæ voluntatis; & voluntas creata ſubordinatur diuinæ, & operantur eadem indiuiſibili actione, ergo non tollitur libertas operationis, quia ex vi huius ſubordinationis non ponitur determinatio concernens operationẽ, quia adhuc volũtas remanet indifferens.

9 Dico ſecundò. Poſita determinatione diuinæ voluntatis, qua tollitur indifferentia ipſius, & per quam prouidentia determinato modo ſe habet, non tollitur libertas, quia non antecedit determinationem cauſæ liberæ. Probatur. Talis determinatio eſt concurſus Dei, qui eſt idem cum operatione cauſæ libere, ergo non tollit libertatem talis operationis, quia non determinat ipſam antecedenter, ſed tantum facit neceſſariam neceſſitate conſequenti fundata in ipſo eſſe operationis.

10 Obijcit Ruiz, *diſp.55. de Prædeſtinatione. ſect.6.* Implicat intentio actus liberi vt certiſſima, & prudentiſſima, niſi præſupponatur ſcientia media oſtendens, quæ media eſſent habitura ſuum effectum, ſi adhiberentur. Reſpondetur. Negando antecedens, nam ſufficit ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quia hęc oſtendit cum qua ſuaſione actus liber habeat infallibilem connexionem.

11 Obijcit ſecundò. ſec.7. Poſita quacunque ſuaſione cum quocunque motiuo, adhuc phyſicè eſt poſſibile, non elici conſenſum, ergo prouidentia non habet omnimodam certitudinem. Reſpondetur. Eſſe poſſibile poſſibilitate antecedenti, non autem conſequenti; infallibilitas autem non excludit potentiam ad oppoſitum, alioquin tolleretur libertas; & ideo oppoſitum ſemper eſt poſſibile poſſibilitate antecedenti.

12 Obijcit tertiò. Conſequutiò infallibilis non ſe extendit ad omnes actiones liberas, cum ſint aliquæ æquabiliter liberæ, quæ non habẽt ex tota collectione motiuorum infallibilitatem, ergo. Reſpondetur negando antecedens. Nam omnis actus voluntatis habet connexionem infallibilem cum aliqua ſuaſione non ſolum abſolutè, ſed etiam comparatiuè ad oppoſitas ſuaſiones, quia eſt talis naturæ, vt poſſit efficaciter ſequi ſtante quacunque ſuaſione in oppoſitum; & cum ſequatur ex vi alicuius ſuaſionis, debet dari aliqua ſuaſio, cum qua habeat infallibilem connexionem.

13 Obijcit quartò. Auctoritates D. Auguſt. & aliorum Patrum docentium, Deum vocare eodem modo, quo ſcit congruere, vt faciat certam ſuam prædeſtinationem, & prouidentiam. Reſpondetur. Vocare eodẽ modo, quo ſcit congruere non per ſcientiam mediam, ſed per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & vocatione alta, atq; ſecreta, qua ſic agit ſenſum, vt accomodet aſſenſu, vt ait D. Auguſt. epiſt. 10. Deinde D. Auguſt. intelligit de vocatione externa, vt alibi dictum eſt.

In quonam actu conſiſtat prouidentia.

SECTIO II.

14 EAdem eſt ratio de prouidentia, ac de prædeſtinatione, quia prædeſtinatio eſt pars prouidentię. Difficultas autem eſt, An conſiſtat in actu intellectus; An voluntatis; An in vtroque; certum eſt enim vtrumque concurrere, Deus enim quidquid operatur, per intellectum, & voluntatem operatur.

15 Supponendum autem eſt tanquam certum. Ad prouidentiam prærequiri ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ oſtendat ordinem, quo res diſponi poſſunt; In hac autem ſcientia non poteſt conſiſtere prouidentia ſecundum ſuum eſſe completum, quia eſt ſcientia neceſſaria; prouidentia autem liberè conuenit Deo, & verſatur tantum circa futura.

16 Prima ſententia aſſerit, principaliter importare actum voluntatis, connotare verò actum intellectus. Ita Scotus *in 1. diſt.40. q.1.* D. Bonau. *art.* 2. Ariminenſis *art.* 1. Gabriel *ibid.* Aureol. *ar.*4. Vaſq. 1. *p.q.*87. *c.*3. Amicus *diſp.*15. *ſect.*1. Smiſing *tract.3. de Deo vno. diſ.6.q.*2.

Probant. Scriptura vocat prouidentiam circa electos decretum, propoſitum, electionem, qui ſunt actus voluntatis. Secundò. Prouidentia eſt ordinatio efficax; efficacia autem habetur à ſola voluntate. Tertiò. Nullus actus intellectus poteſt habere rationẽ prouidentiæ; non quia intercedit actum voluntatis, quia ille eſt neceſſarius; non qui ſubſequitur, quia eſt ſcientia viſionis, quæ ſupponit prouidentiam.

17 Secunda ſententia aſſerit, conſiſtere in quodã actu intellectus, qui ſubſequitur intentionem finis, & electionem mediorum, qui ſe habet per modum imperij imperantis exequutionem ordinis rerum in finem. Ita Gonzalez 1. *par. diſp.*65. *ſect.*2. Nauarretus *q.*22. *controu.*29. & alij recentiores Thomiſtæ. Probant. Quia ſcriptura tribuit hunc actum imperij Deo Geneſis 1. *Fiat lux &c.* & nullam habet annexam imperfectionem, & eſt ille, ex quo efficaciter conſequitur effectus ergo. Secundò. Quia prouidentia humana exigit hunc actum vt cõplementum.

18 Tertia ſententia aſſerit conſiſtere in actu intellectus ordinante media ad finem, & antecedente actum voluntatis. Ita D. Thom. 1. *par. q.*22. *art.*1. Caietanus, & Bannes *ibidem.* Faſolus *dub.*1. Cumel. *q.*23. *art.*1. *diſp.*1. Richardus *in 1. diſt.*41. *art.*1. *q.*2. Durandus *q.*1. Capreolus *diſt.*40. *art.*1. *&* 2. Ferrarienſis. 1. *contra Gentes cap.*6. Molina 1. *par. q.*23. *art.*1. *diſp.*1. Ruiz *diſp. de prædeſtinatione. ſect.*6. & communiter Thomiſtæ.

Probant. Quia ſcriptura ponit prædeſtinationem in actu intellectus. Ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit.* Secundò. Predeſtinare, & prouidere eſt ordinare; ordinare autem eſt actus intellectus. Tertiò. Prouidentia eſt actus prudentiæ; prudentia autem pertinet ad intellectum.

19 Quarta ſententia docet æqualiter conſiſtere in actu intellectus, & voluntatis. Ita Alẽſis 1. *p.q.*26. *mem.* 2. Albertus *q.*67. *mem.* 2. Marſilius *in* 1. *q.*41. *art.*1. *notabili* 2.

20 Dico primò. *Non conſiſtere in illo actu imperij intimantis &c.* Probatur. Antequam intelligatur actus voluntatis diuinæ terminatus ad obiectum ad extra, non poteſt intelligi actus liber determinato modo ſe habens, ergo ad æxequendum, quod voluntas diuina decernit non poteſt interuenire actus imperij ſubſequens determinationem voluntatis. Conſequentia probatur. Quando intelligitur actus diuinus terminatus ad extra, intelligitur etiã obiectum terminans, atque adeo aut exiſtens, aut abſolutè futurum, ergo cum ex vi decreti liberi pręcisè intelligatur, non poteſt interuenire imperium ſubſequens, quia ſi interueniret non poſſet intelligi obiectum abſolutè futurum, aut exiſtens, niſi præintelligeretur imperium, ex vi cuius fieret exiſtens, aut futurum.

21 Dico 2. *Prouidentiã importare formaliter actũ intellectus.* Probatur. Obiectum, quod conſtituitur per prouidentiã, eſt ordo ille, quo res ita diſponuntur, vt ordinatè ſe habeãt ad ſuos fines, ergo prouidentia importat actum intellectus. Conſequentia probatur. Prouidentia formalis, & obiectiua idem dicunt proportionaliter, ergo cum obiectiua dicat ordinem applicatum rebus, formalis dicet ordinem formalẽ abſtractũ à rebus; hic autem ordo non poteſt in alio actu conſiſtere, quam intellectus.

22 Di-

Digitized by Google

22 Dico tertiò. *Prouidentiam importare etiam formaliter actum voluntatis decernentem ponere in rebus ordinem qui eſt in intellectu; vnde completur per actum voluntatis*. Deſumitur ex D. Damaſceno 1. de Fidei c. 29. *Prouidentia eſt voluntas Dei, per quem omnia, quæ ſunt, conuenientem gubernationem ſuſcipiunt*. Et Auguſtino de bono perſeuerantiæ, cap. 14. *Prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud, quam præſcientia, ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur*. Probatur. Prouidentia non eſt ordo mediorum in finem quomodocunque, ſed communicatiuo modo ſe habens, ergo debet compleri per actum voluntatis. Antecedens probatur. Quia prouidentia debet inferre ſuum effectum ad extra, & ponere in rebus illum ordinem, quem in ſe formaliter dicit, quod non poteſt ſaluari, niſi communicatiuo modo ſe habeat. Conſequentia probatur. Quia vis communicatiua conſiſtit in voluntate. Confirmatur. Efficax, & vltima determinatio de aliquo effectu eſt à ſola voluntate, ergo prouidentia includit actum voluntatis. Conſequentia probatur. Quia prouidentia, vt patet in prædeſtinatione, eſt efficax, ita vt implicet non ſequi effectum diſpoſitum. Confirmatur ſecundò. Per prædeſtinationem, quæ eſt quædam prouidentia, prædeſtinati certiſſimè liberantur, vt patet ex Auguſtino *citato*, & eſt tranſmiſſio creaturæ rationalis ad beatitudinē; tranſmittere autem, & liberare non eſt tantum intelligibiliter ordinare, ſed etiam aliquid efficere.

23 Ad primum primæ ſententię. Scripturam explicare per actum voluntatis, quia completur per ipſum. Ad ſecundum. Probare, quod includat actum voluntatis, ratione cuius ſit efficax. Ad tertium. Illum actum intellectus habere ratione prouidentiæ, qui præſcribit ordinem, hic autem eſt ſcientia neceſſaria antecedens decretum liberum; prouidentia autem eſt libera, quia ex voluntate libera applicatur ad influendum.

24 Ad primum ſecundæ ſententiæ negatur ſecunda pars antecedentis. Nam Deus habet actum imperij antecedentem ex genere ſuo omnem actum liberum, non tamen eſt ex ſe efficax ad extra, ſed tantum ratione voluntatis, quia ſolum facit, quod voluntas communicatiuo modo ſe habeat. Ad ſecundum negatur aſſumptum, & paritas.

25 Ad primum tertiæ ſententiæ ſcripturam explicare prædeſtinationem per pręſcientiam tanquam per aliquid veluti concomitans, quia præſcĕtia eſt ſimul cum prædeſtinatione. Ad ſecundum Prædeſtinare eſſe ordinare, pro vt ordinare dicit communicare ordinem rebus; hoc autem ordinare includit actum voluntatis. Ad tertium. Prouidentiam eſſe actum prudentiæ efficacis, & communicatiuæ, & ideo includit etiam actum voluntatis.

Quodnam ſit obiectum prouidentiæ.

SECTIO III.

26 OBiectum formale eſſe diuinam bonitatem, certum eſt ex dictis de diuina voluntate; vndè difficultas eſt de obiecto materiali, & ſecundario. Cum enim prouidentia practico modo ſe habeat, debet conſtituere ſuum obiectum; & quia certum eſt, verſari circa ordinem conſtituendum in rebus, ideo ſolum difficultas eſt, An ſub obiecto claudantur ſola media, quibus conſtituitur ordo, an etiam finis.

27 Prima ſententia aſſerit, prouidentiam verſari tantum circa media. Ita Durandus *in 1. diſt. 41. q. 2. n. 10.* Vaſquez *prima parte diſp. 87. cap. 4.* Suarez *lib. 1. de prędeſtinatione cap. 5. num. 17.*

Probat.. Prouidentia eſt pars prudentiæ, hæc autem verſatur tantum circa media ex *6. Ethic. cap. 9.* Secundò. Obiectum prouidentiæ eſt obiectum gubernationis; gubernatio autem verſatur tantum circa media. tertiò. Prouidentia eſt ratio ordinis rerum in finem, ergo non habet pro obiecto finem.

28 Secunda ſententia aſſerit verſari etiam circa finem. Ita Molina *prima parte q. 22. art. 1. diſp. 2. ad primum.* Smiſing *tract. 3. de Deo vno. diſp. 6. n. 30.*

29 Dico primò *Finem Cui non eſſe obiectum prouidentiæ, ſed materiam circa quam*. Probatur. Prouidentia eſt ratio ordinis rerum in finem, ergo ſupponit obiectum, quod ordinetur; quia cum ordo ſit effectus prouidentiæ, debet ſupponere ſubiectum, in quo ponatur.

30 Dico ſecundò. *Finem vltimum, ad quem res ordinantur, non eſſe obiectum prouidentiæ quò ad ſuum eſſe*. Probatur. Prouidentia ſe habet practico modo, ergo debet habere obiectum operabile; finis autem vltimus quò ad ſuum eſſe non eſt obiectum operabile.

31 Dico tertio. *Fines, qui non ſunt vltimi, ſed ſecundum ſuum eſſe ſunt producibiles, ſunt obiectum prouidentiæ; vndè etiam aſſequutio finis vltimi, quatenus eſt aliquid in creatura*. Probatur. Prouidentia dicit rationem ordinis rerum in fine, ita vt faciat, vt ſuum finem aſſequantur, ergo habet pro obiecto ipſum finem. Conſequentia probatur. Quia non poteſt facere, vt res aliqua aſſequatur finem, niſi illi tribuat ſuum finem; quod non poteſt facere, niſi ponat ipſum in eſſe. Confirmatur. Talis prouidentia vt prædeſtinatio habet pro obiecto talem finē, ergo prouidentia vt ſic habet pro obiecto finem correſpondentem ordini rerum vt ſic, quia dicit proportionaliter, quod dicit talis prouidentia. Confirmatur ſecundò. Gubernatio habet finem pro obiecto, ergo etiam prouidentia, quia gubernatio non eſt aliud, quam prouidentia poſita in exequutione. Conſequentia probatur. Quia gubernare eſt perducere rem ad finem bonum dando illi ſuam perfectionem; finis autem eſt bonum, & vltima perfectio rei.

32 Ad primum reſpondetur. Prouidentiam, licet non dictet de fine in vniuerſali, dictare tamen de fine in particulari, & ideo habet ipſum pro obiecto; deinde prouidentia non eſt pura prudentia, ſed includit etiam actum voluntatis, qui intendit bonum creaturarum. Ad ſecundum. Gubernationem verſari etiam circa finem, vt patet ex dictis. Ad tertium. Eo ipſo, quod habet pro obiecto ordinem, habere etiam finem tanquam partem integrantem ordinem.

An prouidentia reſpiciat immediatè, & æqualiter res omnes.

SECTIO IV.

33 DIco primò. *Deum habere prouidentiam immediatam de rebus omnibus, ſi ſumatur, prout dicit actus intrinſecos Dei*. Ita D. Thomas *prima p. q. 22. art. 3.* & communiter, & eſt de fide Iob 34. *Quem conſtituit alium ſuper terram, aut quem poſuit ſuper orbem, quem fabricatus eſt*. Probatur. Deus per ſuum actum intellectus importantem ordinem rerum, & per actum voluntatis decernentem talem ordinem reſpicit immediatè res omnes, ergo. Antecedens probatur. Quia iſte ordo non conſiſtit in alio, quam in actibus diuinis, quia nulla eſt alia cauſa vniuerſalis, in qua iſte ordo vniuerſalis poſſit ſubſiſtere, & deriuare ad res omnes.

34 Dico ſecundò. *Quamuis in exequutione prouidentiæ Deus vtatur cauſis ſecundis, ipſe tamen ſemper eſt immediatus exequutor illius*. Probatur. Deus immediatè concurrit ad omnes effectus, & operationes, ergo vt cauſa vniuerſalis immediatè exequitur prouidentiam; nam omnis ordo vt quid participatum, dependet immediatè à concurſu cauſæ primæ.

35 Dico tertiò. *Prouidentiam eſſe æqualem proportionaliter circa omnia æqualitate geometrica*. Probatur. Vnicuique prouidet ſecundum ſuam exigentiam, quantum ſatis eſt, ergo ſeruat æqualitatem proportionis.

36 Dices. Homines habent æqualem capacitatem, & tamē vni prouidit maiora auxilia gratię, ergo. Reſpōdetur. Negādo conſequentiā. Quia auxilia gratię ſunt in ordine ſuper-

Digitized by Google

ſupernaturali, & non ſunt ſecundum exigentiam, ſed merè gratuita, & ideo illa dat ſecundum illam menſuram, quæ illi placet.

37 Dices ſecundò. Aliquibus non prouidere neceſſaria, vndè aliqui fame, & ſomno pereunt, ergo. Reſpondetur Deum adminiſtrare ſuam prouidẽtiam per cauſas ſecundas, atque adeo ſecundum curſum illarum; quia autem aliquæ cauſæ ſecundæ ſunt defectibiles, ideo ex defectu aliquarum, fit vt ſubtrahantur alicui neceſſaria; Deus autem ex generali prouidentia non tenetur hos defectus impedire.

38 Dico quartò. *Deum non prouidere omnibus æqualiter quò ad bona prouiſa æqualitate arithmetica*. Probatur. Quia maiora bona confert vni, quam alteri.

An prouidentia ſemper aſſequatur ſuum finem.

SECTIO V.

39 Quæſtio non procedit de prouidentia in genere, prout præſcindit à creata, & diuina; tum quia non datur iſte communis conceptus; tum quia certum eſt, prouidentiam creatam aliquando fruſtrari ſuo fine; vel quia non habet media ſufficientia; vel quia non rectè applicat; vel quia deficit in electione; vel ex aliquo alio capite. Ratio autem eſt, quia exercetur per cauſas defectibiles; vndè difficultas procedit tantum de diuina.

40 Supponẽdum autem eſt tanquam certum prouidentiam eſſe efficacem circa media, quæ diſponit, vt docet D. Thomas *1. parte q. 22. art. 1.* & eſt de fide. Cum enim res de facto ordinentur in finem, & Deus operetur vt prima cauſa ex intentione finis, ordo ille, quem habent, eſt ex efficacia diuinæ prouidentiæ.

41 Prima ſententia aſſerit, non ſemper aſſequi ſuum finem. Ita D. Thomas *q. 6. de veritate art. 1. & in 1. diſt. 40. q. 1. art. 2.* Molina *prima parte q. 22. diſp. 2.* Cumel *ibidem*. Faſolus *dubit. 2.* Vaſquez *diſp. 87.* Suarez *1. de prædeſtinatione. cap. 18.* Probant. Quia prouidentia circa reprobos non aſſequitur ſuum finem beatitudinis. Secundò. Cum Deus ſit prouiſor vniuerſalis, debet exhibere prouidentiam ſecundum conditionem cauſarum ſecundarium, ergo cum aliquæ ſint liberæ, & defectibiles, debent dirigi per media fallibilia. Tertiò. Prouidentia non adhibet neceſſariò media efficacia; neque eſt neceſſe omnem voluntatem diuinam impleri, vt ſi ſit conditionata, ergo.

42 Secunda ſententia aſſerit, ſemper aſſequi ſuum finem. Ita *Caietanus prima parte q. 22. art. 1.* Banes *ibidem*. Nauarretus *controu. 30.* & deſumitur ex D. Thoma *prima parte q. 22. art. 4. ad ſecundum*, vbi docet; Ordinem diuinæ prouidentiæ eſſe immobilem, quia omnia eueniunt eo modo, quo prouidentur, & *tertio contra Gentes. cap. 94.* Vbi habet, quod exequutio diuinæ prouidentiæ non poteſt impediri.

43 Dicendum eſt. Prouidentiam diuinam ſemper aſſequi ſuum finem infallibiliter, ad quem diſponit media. Ita D. Bernardus *tract. de gratia, & libero arbitrio*, vbi habet. *Nihil horum ei aduenit, quod non, pro vt vult, potenti præordinet prouidentia*. Probatur. Si prouidentia poſſet fruſtrari ſuo fine, poſſet aliquid poni in actu, quod non eſſet ex volũtate Dei, hoc autem implicat; quia cum ſit cauſa prima, & vniuerſalis nihil extra voluntatem ipſius fit, ergo. Sequela probatur. Poſitis medijs, ſi non poneretur finis, ſequeretur impediri à creatura, cum de ſe ſint ſufficientia ad ponendum. Vel ergo hoc impedimentum eſt ſecundum diſpoſitionem cauſæ primæ ſaltem permiſſiuo; vel non. Si primum, ergo coniungitur cum alij medijs impeditiuis ad inducendum alium finem, & Deus diſponit quod illa media impediantur. Si ſecundum, ergo impedimentum eſt extra diſpoſitionem Dei, atque adeo non eſt ex voluntate ipſius.

Confirmatur. Prouidentia diuina verſatur circa media abſoluta, & efficacia, & efficaci voluntate, vt media ſunt, ergo etiam circa finem; quod autem eſt volitum efficaciter, & abſolutè, infallibiliter euenit. Antecedens patet. Quia cum reſpiciat ordinem rerum in finem, reſpicit etiam media cum ordine ad finem, atque adeo vt media ſunt, & cum ponantur in eſſe, debent eſſe obiectum voluntatis efficacis. Conſequentia probatur, quia volitio medij vt medium eſt, eſt etiam volitio finis, ergo volitio efficax mediorum in Deo eſt etiam volitio finis. Confirmatur Secundò. Omnia ratione prouidentiæ ordinantur ad finem vniuerſalem, quem ſemper obtinent, ergo prouidentia ſemper obtinet finem diſpoſitum. Antecedens patet. Quia etiam ea, quæ deficiunt reordinantur à Deo, quia vt cauſa vniuerſalis nihil ſinit inordinatum. Conſequentia probatur. Res non ordinantur ad finem vltimum niſi mediantibus finibus intermedijs particularibus, & res exigit tantum ad illos fines particulares ordinari, qui ſunt neceſſarij, vt attingatur finis vniuerſalis, ergo eo ipſo, quod obtinetur finis vniuerſalis, obtinentur etiam particulares.

44 Dicendum ſecundò. *In prouidentia diuina non poſſe inuolui aliquam voluntatem conditionatam, cuius adimpletio dependeat à conditione ponenda ex libertate creata*. Probatur. Vel prouidentia diſponit de hac conditione; vel non. Si primum, ergo conditio tranſit ad eſſe abſolutum, quia poſita diſpoſitione Dei conditio eo pacto eſt futura, quo diſponitur. Si ſecundum, ergo prouidentia eſt imperfecta, quia non diſponit de omnibus, quæ ingrediuntur ordinem prouidentiæ, hæc autem conditio ingreditur talem ordinem.

45 Dices diſponere, ſed conditionaliter. Contra Ordo prouidentiæ eſt abſolutus, ergo omnia, quibus integratur, abſoluto modo debent ſe habere, vt ordo ſecundum omnes ſuas partes ſit perfectus. Secundo. Si Deus non diſponeret abſolutè de hac conditione, cauſa ſecunda determinaret hanc conditionem, ergo cauſa ſecunda determinaret quò ad aliquam partem ordinem prouidentiæ.

46 Ad primum negatur antecedens. Nam media, quæ dat reprobo, aſſequuntur ſuum finem, qui eſt, quod ſalus fiat ipſi aſſequibilis. Ad ſecundum. Deum exhibere ſuam prouidentiam proportionato modo ſibi, & cauſis ſecundis; vt autem ſit ipſi Deo proportionata, debet eſſe infallibilis in aſſequutione finis, quia Deus vt prima cauſa debet ita mouere, vt efficaciter ponatur ordo intentus; vt autem ſit proportionata cauſis liberis, ſufficit ſi relinquat ipſi libertatem. Ad tertium negatur aſſumptum. Quia non poteſt prouenire in diſpoſitione prouidentiæ, niſi voluntas abſoluta, & efficax.

An Deus per prouidentiam prædefiniat res futuras ante cooperationem cauſarum ſecundarum.

SECTIO VI.

47 Quæſtio præſcindit de modo, quo prædefinitio ponitur in exequutione, & ſolum ſenſus eſt. An actus diuinæ voluntatis prædefiniens præceſſerit cooperationem cauſarum ſecundarum. Iſta autem præceſſio vel poteſt eſſe ſecundum durationem, vel ſecundum cauſalitatem; rurſus comparari poteſt ad effectus naturales, & ad liberos. Nunc agimus de effectibus naturalibus.

48 Supponendum autem eſt tanquam certum de fide. Diſpoſitionem diuinæ prouidentiæ prædefiniſſe omnia anteceſſione æterna durationis, non ſolum naturalia, ſed etiam libera. Ad Rom. 4. *Vo-*

cat ea,

Digitized by Google

cat ea, quæ non ſunt tanquam ea, quæ ſunt. Ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Difficultas ergo ſolum eſt de præceſſione quoad cauſalitatem.

49 Prima ſententia aſſerit, prædefinitionem Dei antecedere ordine cauſalitatis omnem effectum, & operationem creatam. Ita quidam Recentiores Probant. Quod cooperatio cauſæ ſecundæ ſit futura, oritur ex diuina voluntate, & prædefinitione tanquam ex cauſa, ergo. Secundò Deus in tempore præmouet cauſam ſecundam, ergo ab ęterno antecedenter prædefinit.

50 Secunda ſententia aſſerit, prædefinitionem diuinæ prouidentiæ neque antecedere, neque ſubſequi, poſſe tamen adeſſe aliam prædefinitionem efficacem, quæ ordine cauſalitatis antecedat cooperationem cauſæ liberę. Ita Suarez *3. de auxilijs cap.* 18. Bellarminus *2. de gratia, & libero arbitrio. c. 14.* Annibal *1. p. diſp. 65. c. 3. & 4.* Probant. Sciptura ad ſignificandam potentiam, & efficaciam diuinæ voluntatis docet, non poſſe impediri, hoc autem ſaluari non poteſt, niſi antecedenter ſe habeat; quia quod non poſſit impediri, dum concomitanter ſe habet, non arguit potentiam. Secundò. Pertinet ad perfectionem voluntatiſ diuinę ex abſoluta intentione finis poſſe adhibere media, quibus finis intentus obtineatur; hæc autem intentio ſicut præcedit ordine cauſalitatis exequutionem, ita etiam cooperationem cauſæ ſecundæ.

51 Notandum primò. Prędefinitionem eſſe actum liberum diuinæ voluntatis, quo aliquid decernit, vndè poteſt dupliciter conſiderari; & prout dicit vitalem attingentiam intrinſecam diuinæ voluntati; & pro vt dicit terminationem ad extra, atque adeo determinationem, qua tollitur indifferentia voluntatis, quæ cum ſit tantum reſpectu effectus ad extra, tollitur per ipſam operationem ad extra.

52 Notandum ſecundò. Decretum Dei liberum, vt dicit vitalem attingentiam, poſſe comparari cum cauſa ſecunda, & cum cooperatione ipſius. Primo modo ſe habet vt ſubordinans ſibi cauſam ſecundam, cum qua conſtituit vnam cauſam totalem, ita tamen, vt cauſa ſecunda dependeat ab ipſo decreto. Quartò. Secundo modo comparatur vt actus primus ad actum ſecundum.

53 Dico primo. *Prædefinitionem diuinæ prouidentiæ dicentem actum liberum vt importantem vitalem attingentiam eſſe neceſſario ordine cauſalitatis antecedentem ad cooperationem cauſæ ſecundæ.* Probatur. Omnis actus primus eſt antecedens cauſalitate ad actum ſecundum, ergo prædefinitio diuina hoc modo ſumpta antecedit cooperationem cauſæ ſecundę. Conſequentia probatur. Quia ſic accepta ſe habet vt actus primus, nam eſt ratio, per quam Deus vltimò conſtituitur in ratione primę cauſę, quia voluntas eſt ratio operandi.

54 Dico ſecundò. *Prædefinitionem, vt importat determinationem, qua tollitur indifferentia diuinæ voluntatis, non poſſe antecedere cauſalitate cooperationem cauſæ ſecundæ.* Probatur. Hæc determinatio eſt concurſus Dei ad extra, ergo non poteſt antecedere cooperationem cauſę ſecundę. Antecedens patet ex dictis de actu libero Dei. Conſequentia probatur quia concurſus Dei eſt idem indiuiſibiliter cum cooperatione cauſæ ſecundę. vbi autem eſt identitas, non poteſt eſſe anteceſſio ſecundum cauſalitatem.

55 Dico tertio. *Præter prædefinitionem diuinæ prouidentiæ, quæ reſpicit exequutionem, non dari aliam, quæ per modum intentionis ſecundum completam rationem decreti liberi antecedat cauſalitate cooperationem cauſæ ſecundæ.* Probatur. Actus liber non poteſt concipi determinato modo ſe habens circa determinatum obiectum, niſi concipiatur terminatus ad tale obiectum, ergo non poteſt cauſalitate antecedere ſuum obiectum, ergo quando habet pro obiecto cooperationem cauſę ſecundę, non poteſt illam antecedere. Conſequentia prima probatur. Quia terminatio actus liberi fit per operationem cauſæ primę terminatam ad obiectum, ad extra, quę eſt eadem cum operatione cauſę ſecundę.

56 Dices. Etiam actionē non poſſe concipi ſine termino, & tamen eſſe priorem cauſalitate. Contra. Quia aliud eſt non poſſe concipi ſine termino; & aliud terminum ingredi intrinſecam conſtitutionem ipſius; cooperatio autem cauſę ſecundę, & obiectum diuinę voluntatis ingreditur intrinſecā conſtitutionē terminationis actus liberi.

57 Confirmatur. Voluntas diuina eo ipſo, quod eſt efficax, eſt communicatiua illius, quod vult, quia velle Dei eſt amare, & amare eſt communicare bonum, ergo non poteſt dari voluntas cauſalitate antecedens cooperationem cauſę ſecundę. Conſequentia probatur. Quia ſi daretur, non eſſet communicatiua.

58 Dices. Solam voluntatem exequutiuam eſſe communicatiuam, non autem intentionem. Contra. Intentio eſt actus voluntatis volens id quod intendit, ergo cum omnis actus diuinę voluntatis ſit amor, oportet vt ſit communicatio illius boni, quod amat, cum tale bonum non pręſupponatur.

59 Dico quartò. *Quando aliqua media ordinantur ad aliquos effectus naturales, Deus prædefinit tales effectus in particulari ante cooperationem cauſæ ſecundæ, non in ſe ipſis, ſed in ſuis medijs.* Probatur. Exequutio mediorum antecedit operationem cauſę ſecundę reſpectu effectus, ad quem ordinantur; & dicit ordinem ad illum effectum in ſpeciali, ergo cum Deus prędefiniat hæc media, vt media ad talem effectum, prędefinit etiam in ipſis effectum ante cooperationem cauſę ſecundę.

60 Ad primum primę ſententiæ. Cooperationem cauſę ſecundę eſſe ex diuina voluntate vt cauſa, pro vt dicit vitalem attingentiam; non autem vt dicit determinationem, qua tollitur indifferentia. Ad ſecundum. Deum in tempore non pręmouere cauſam ſecundam, niſi cooperando, & manutenendo virtutem ipſius, & ponendo media, vndè ab ęterno debet tantū prędefinire in medijs.

61 Ad primum ſecundæ ſententię. Quando ſcriptura docet, voluntatem diuinam non poſſe impediri, ſignificat efficaciam in actu primo, atque adeo ſolam vitalem attingentiam, quę antecedit cauſalitate. Ad ſecundum. Pertinere ad perfectionem voluntatis habere efficacem intentionem finis, ex qua ſequatur exequutio, quando voluntas non eſt communicatiua illius, quod vult; in Deo autem eſt communicatiua.

An actus liberi boni prædefiniantur à Deo.

SECTIO VII.

62 EAdem eſt ratio de actibus bonis, & indifferentibus, ſi tamen dantur, quia tota difficultas oritur ex libertate, cum qua exercentur.

Supponendum autem eſt. Deum prędefinire hos actus ſaltem concomitanter ad cooperationem voluntatis, ita tamen, vt relinquat illęſam voluntatem, & hoc voluit D. Damaſcenus, quando *2. de Fide cap. 30.* & *dialogo contra Manicheos. in fine.* Negat, Deum prędefinire; intelligit enim de prędefinitione, quę determinet ad vſum, & tollat libertatem.

63 Supponendum ſecundò. Cum actus boni indigeant gratia excitante, vt eſt definitum in pluribus Concilijs, pręſertim Tridentino, hęc gratia ordine cauſalitatis antecedit ipſum actum, pertinet enim ad motionem, qua mouetur voluntas ad eliciendam ſuam operationem.

64 Supponendum tertio. Inter concurſum Dei, & operationem liberam nullam interuenire realem prioritatem, aut poſterioritatem, quia eſt idem indiuiſibiliter cum ipſamet operatione libera.

65 Prima ſententia aſſerit, Deum per modum intentionis prędefinire actus bonos ante cooperationem liberi arbitrij ordine cauſalitatis. Ita Suarez *1. de Auxilijs cap. 16.* Ruiz *diſp. 32. de Prædeſtinatione. ſec. 2.* & alij Recentiores.

Probant. Poteſt Deus flectere voluntatē creatā, quocū-

que voluerit, ergo poteſt antecedenter velle quemlibet actum. Secundò, Deus ex ſe habuit intentionem efficiendi Beatam virginem Matrem Dei, quod erat exequendum mediante conſenſu ipſius, & hæc intentio præceſsit exequutionem mediorum, ergo. Tertiò. Promiſsio adimplenda per actum liberum antecedit, cum ſit cauſa rei promiſſæ; Deus autem ex ſe promittit bona aſſequenda libero modo, ergo intentio dandi talia bona antecedit cooperationem liberam. Quartò. Habet Deus in ſua poteſtate media efficacia ad inferendum quẽlibet actum, ergo poteſt prædefinire ipſum ante cooperationem cauſæ liberæ. quintò. Actus liber eſt effectus prędeſtinationis, ergo prædefinitio antecedit cauſalitate.

66 Secunda ſententia aſſerit, prædefinire ante cooperationem cauſæ liberæ abſolutè futuram, non autem futuram conditionatè. Rurſus non prædefinire ſeparatim à medijs, ex quibus inferuntur, ſed coniunctim cum ipſis. Ita Arrubal *prima par. diſp. 67. c. 4. & ſequentibus.* Probat. Si prædefinitio non eſſet antecedens, non ſaluaretur efficacia diuinæ voluntatis, cui non poſsit reſiſti; quia poſita cooperatione cauſæ liberæ non eſt maior efficacia diuinæ voluntatis, quam cuiuſcumque cauſæ creatæ. Secundo. Opera, quæ nunc liberè fiunt, non poſſunt ſine libertate procedere ab iiſdem principijs, niſi in ipſis ponatur aliquid, quod mutet modum operandi; poteſt autem Deus antecedenter prædefinire nihil ponendo in ipſis principijs, atque adeo non tollendo libertatem.

67 Dico primò. *Prædefinitionem voluntatis diuinæ, vt dicit vitalem attingentiam obiecti, præciſa determinatione, qua tollitur indifferentia voluntatis diuinæ, antecedere cauſalitate operationem liberam.* Probatur. Quia comparatur ad operationem liberam vt actus primus ad ſecundum, nam ſimul cum voluntate creata ratione eſſentialis ſubordinationis, conſtituit vnicam cauſam totalem.

68 Dico ſecundò. *Deum prædefinire anteceſſione cauſalitatis operationẽ liberam in medijs ordinatis ad ipſam libero modo inferendam, ita tamen, vt prioritas cauſalitatis ſiſtat in medijs.* Probatur. Media, vt cauſa efficax antecedunt cauſalitate operationem liberam, & continent ipſam in virtute, ergo ſicut ante operationem liberã ponuntur in eſſe, decretum quoque de ipſis debet cauſalitate antecedere. Confirmatur. Media ſunt virtualiter ipſa operatio, quia cauſatiuè ſe habẽt, ergo dũ ipſa prędefiniuntur, prædefinitur etiam operatio in ipſis medijs.

69 Dico tertiò. *Prædefinitionem diuinam, vt importat etiam determinationem, qua tollitur indifferẽtia voluntatis, non antecedere ordine cauſalitatis operationem liberam.* Probatur. Concurſus diuinus, quo Deus concurrit ad operationem liberam non poteſt ipſam cauſalitatem antecedere, quia cum illa identificatur, ergo neque etiam prædefinitio. Conſequentia probatur. Quia prædefinitio, cum ſit actus liber, inuoluit in ſuo eſſe hunc concurſum vt rationem formalem, qua tollitur indifferentia. Confirmatur. Si efficax prædefinitio cauſalitate antecederet operationem liberam, tolleretur libertas. Sequela probatur. Neceſsitas antecedens vſum libertatis, & tollens indifferentiam, etiam ſi ſit ex ſuppoſitione antecedenti, tollit libertatem, quia non prouenit ex ipſa libertate, vt docet Anſelm. *cap. 2. de libero arbitrio.* Neceſsitas autem actus liberi prædefiniti antecedenter, eſſet talis neceſsitas; quia prędefinitio faceret, vt voluntas eſſet determinata ad vnum, & actus eſſet neceſſariò futurus, & antecederet exercitium libertatis. Vnde non eſſet ex determinatione voluntatis, quia ante ab extrinſeco eſſet determinatus.

70 Dices. Hanc prædefinitionem, licet ſit antecedens, verſari tamen circa actum vt libero modo futurum ex talibus medijs. Contra. Vel ſtantibus talibus medijs iſta prædefinitio ponit neceſsitatem antecedentem; vel non. Si primum, ergo, cum cauſatiuè ſe habeat, infert actum neceſſario modo, & licet ex vi mediorum ſit libero modo futurus, ex vi tamen prædefinitionis eſt futurus neceſſario modo; quia implicat, quod ex vi ipſius non ſit. Si ſecundum, ergo poterit non eſſe, atque adeo prædefinitio in ſenſu compoſito poterit non eſſe efficax, quod implicat.

71 Dices ſecundò. Hanc prędefinitionem ſupponere vſum libertatis conditionatè futurum, & ideo non tollere libertatem. Contra. Vſus libertatis conditionatè futurus non ponit in eſſe actum; hæc autem prædefinitio ponit in eſſe ſecundum eſſe abſolutum, ergo ſi comportat neceſſitatem antecedentem ad eſſe abſolutum, facit quod ſecundum eſſe abſolutum, neceſſario modo fiat. Secundò. Si hæc neceſſitas antecederet actum conditionatè futurum, tolleret libertatem quò ad illam conſequutionem conditionatam, ergo quia antecedit futuritionem abſolutam, tollit libertatem futuritionis abſolutæ.

72 Ad primum primæ ſententię negatur conſequentia. Nam ex eo, quod Deus poſſit flectere voluntatem, quocunq; voluerit, ſequitur tantum, quod antecedenter prædefiniat in medijs congruis, quibus flecti poteſt voluntas; & quod habeat prædefinitionem antecedentem, quatenus importat intrinſecum eſſe actus liberi. Ad ſecundum negatur, habuiſſe intentionem antecedentem efficiendi Beatam Virg. matrem Chriſti, ſed ordinauit media, & prędefiniuit actus liberos cõcomitanter ad cooperationem voluntatis. Ad tertium. Promiſſionem diuinam eſſe actum liberum, & vt dicit vitalem attingentiã, eſt cauſa rei promiſſæ, & antecedit cooperationem liberam; non autem, vt dicit determinationem, qua tollitur indifferẽtia voluntatis. Ad quartum negatur conſequentia. Quia media in voluntate Dei non faciunt, vt poſſit per antecedentem neceſſitatem inferre actum liberum; ſed ſolum quod poſſit prædefinire antecedenter in ipſis medijs. Ad quintum. Liberum actum eſſe effectum prædeſtinationis, pro vt prędeſtinatio dicit vitalem attingentiam; & prędefinitionem in medijs, non autem prout dicit determinationem tollentem indifferentiam diuinę voluntatis.

73 Ad 1. ſecundę ſententiæ negatur ſequela. Quia Deus habet media, quibus infert aſſenſum liberum creatum infallibiliter; dicitur autem non poſſe reſiſti diuinæ voluntati in ſenſu compoſito; non in ſenſu diuiſo, quia ſtãte efficacia mediorum implicat in ſenſu compoſito non ſequi effectũ, alias eſſent, & non eſſent efficacia. Ad ſecundum negatur minor. Nam eo ipſo, quod ponitur prędefinitio, immutantur principia actus liberi, quia voluntas determinatur ad vnum, vnde non eſſet amplius domina ſui actus, quia illum non determinaret.

An Deus prædefiniat actus malos.

SECTIO VIII.

74 SVpponendum eſt certum eſſe. Nullo pacto poſſe Deum prædefinire actum malum ſecundum rationem malitiæ, alioquin vellet ipſam malitiam. Cum tamen actus peccati ſit quid reale phyſicum, indiget concurſu cauſæ primæ; & ideo Deus debet habere decretum circa ipſum de ijs omnibus, quæ tenetur exhibere vt cauſa prima; vndè permiſſio, cum non dicat poſitiuum concurſum, non reſpicit actum liberum, vt poſitiuè prouenit à Deo, ſed tantum vt deficientem à recta regula, in quo defectu conſiſtit malitia.

75 Supponendum ſecundò. Quod cum Patres docent, Deum non eſſe cauſam actus mali, non poſſunt excludere cauſalitatem circa ipſum, quatenus eſt aliquid phyſicum, & prout dicit materiale peccati; quia cum ſit aliquid participatum, eſt eſſentialiter dependens à prima cauſa. Vndè ſolum intendunt, quod voluntas mala, vt deficiens eſt, non ſit à Deo, vt auctore talis defectus; & quod Deus non inducat ad malum, ſicut inducit ad bonum, atque adeo quod non prædeſtinet ad ipſum præparando media,

quæ

Digitized by Google

quæ ſint ordinata ad malitiam, vt definit Concilium Arauſicanum ſecundum *can*. 25. & Tridentinum *ſeſſ*. 6. *can*. 17. Difficultas autem eſt de actione mala entitatiuè ſumpta.

76 Prima Sententia docet, Deum prædefinire materialem actionem peccati ita vt ex ſe intendat talem actionem, & ad ipſam promoueat voluntatem. Ita Capreolus *in 2. diſt. 37. quæ. 1. artic.* 3. Ferrarienſis 3. *contra Gentes cap. 70. & 71.* Bannes 1. *p. q.* 14. *art.* 3. & communiter Recentiores Thomiſtæ, & alij, qui ponunt prædeterminationem phyſicam ad materialem actionem peccati. Fundamentum eſt. Quia cauſa ſecunda non poteſt operari, niſi determinetur, & promoueatur à cauſa prima.

77 Secunda ſententia aſſerit; Deum circa actum peccati non habere aliquam voluntatem abſolutam, ſed tantum conditionatam, qua vult actum illum produci, ſi voluntas creata voluerit. Ita Marſilius *in* 1. *q.* 45. *art.* 2. Andreas de Nouocaſtro *diſt.* 22. *q.* 2. & alij. Probant. Quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 6. definit, Deum operari mala opera tantum permiſſiuè. Secundò. Quia ad prædefinitionem requiritur intentio actus vt finis, hoc autem repugnat Deo, quia non poteſt procurare materialem actionem peccati.

78 Tertia ſententia aſſerit, Deum prædefinire concomitanter ad operationem liberam, Ita Conradus 1. 2. *q.* 79. *art.* 1. Caietanus 1. *p. q.* 19. *art.* 8. Corduba *lib.* 2. *q.* 51. *notabili* 2. Vaſquez 1. *p. diſp.* 87. *q.* 1.

79 Notandum 1. Actum peccati poſſe conſiderari, & vt eſt ſecundum menſuram cauſæ particularis, atque adeo pro vt habet determinationem ab ipſa, & vt eſt ſecundum menſuram cauſæ primæ, & vniuerſalis. Primo modo habet rationem defectus, & peccati, quia deficit à debita menſura. Secundo modo habet debitam rectitudinem, quia cauſa prima eſt indefectibilis.

80 Notandum ſecundò. Vt aliquis actus prædefiniatur in ſuis medijs, non ſufficere, quod ponantur in actu illa media; ſed debent poni cum intentione finis, & quatenus virtualiter continent talem actum, quia actus in tantum prædefinitur in medijs, in quantum ipſum virtualiter continent.

81 Dico primò. *Deum prædefinire entitatem actus mali, quatenus eſt ſecundum menſuram cauſæ primæ, & hæc prædefinitio, vt dicit ſolam vitalem attingentiam antecedit cauſalitate talem actum*. Probatur. Prædefinitio ſic ſumpta importat actum voluntatis Diuinæ, qui per modum actus primi coniungitur cum voluntate creata, & cum ipſa ratione ſubordinationis conſtituit vnam cauſam totalem, ergo Deus habet hanc prædefinitionem. Conſequentia probatur. Quia talis actus ſecundum eſſe phyſicum, & vt eſt ſecundum regulas cauſæ vniuerſalis, eſt poſitiuus effectus ipſius.

82 Dico ſecundò. *Deum prædefinire actum peccati phyſicè conſideratum, & vt eſt ſecundum regulas cauſæ vniuerſalis completa prædefinitione importante determinationem voluntatis Diuinæ, quæ tamen non antecedit ſed concomitatur operationem cauſæ liberæ*. Probatur. Deus concurrit poſitiuo concurſu ad talem actum, & dat illi determinationem, quam habet ſecundum regulas cauſæ vniuerſalis, ergo prædefinit concomitanter. Conſequentia probatur. Quia concurſus poſitiuus eſt formalis determinatio, qua tollitur indifferentia Diuinæ voluntatis, ergo adeſt prædefinitio modo explicato concomitans cooperationem cauſæ liberæ, cum qua talis concurſus identificatur.

83 Dico tertiò. *Deum ponere in actu media, quibus vtitur voluntas creata ad actus malos*. Probatur. Quia talia media exiſtunt, nihil autem exiſtit ſine decreto Dei.

84 Dico quartò. *Deum in his medijs non prædefinire actus malos*. Probatur. Si prædefiniret, intenderet peccatum, quia talia media dantur non propter entitatem peccati præciſè, ſed etiam, pro vt habet talem determinationem à voluntate creata, nam reſpiciunt actum vt eſt determinatio voluntatis creatæ.

85 Dico quintò. *Deum non prædefinire in his medijs actum malum quatenus ſecundum entitatem phyſicam eſt ſecundum regulas cauſæ primæ.*

Probatur. Quia talis determinatio eſt immediatè à cauſa prima abſque vllo medio, vndè media ipſam non reſpiciunt.

86 Dico Sextò. *Deum conſtituere hæc media in debito ordine, inſeruire autem actui malo ex eo, quod voluntas deficiens ea deflectat*. Probatur. Deus omnia operatur ſecundum leges æternas, atque adeo cum omni ordine, & rectitudine. Rurſus media ſubiacent vſui voluntatis creatæ, ergo dum deficit, deflectit ipſa à debito ordine.

87 Ad Fundamentum primæ ſententiæ. Promotionem, & determinationē cauſæ primæ in actu primo eſſe ipſum actum voluntatis Diuinæ vt dicit vitalem attingentiam, qui antecedenter ſe habet, in actu autem ſecundo ſunt ipſa motio per media congrua, quę facit voluntatem operari, hæc autem non habet locum in ordine ad actus malos.

88 Ad primum Secundæ ſententiæ. Tridentinum intelligere de malis operibus, vt mala ſunt, quia certum eſt Deū concurrere, vt cauſam primam, ad actum peccati. Ad Secundum. Procedere tantum de prędefinitione, quæ fit in medijs antecedentibus, non autem de concomitanti.

An Deus præintendat finem ex permiſſione peccati aſſequendum.

SECTIO IX.

89 Prima ſententia aſſerit, poſſe præintendere aliquem finem bonum ex permiſſione peccati aſſequendum, ſi ſit aliquid bonum non præſupponens neceſſariò peccatum. Ita ij, qui docent permiſſionem peccati eſſe effectum prædeſtinationis. Probant. Deus permiſit peccatum crucifixorum Chriſti ob noſtram ſalutem ergo. Secundò. Ad Rom. 9. *Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ, vt oſtenderet diuitias gloriæ in vaſis miſericordiæ*, ergo oſtenſio diuitiarum fuit præintenta. Tertiò. Quia Patres docent, Deum permittere peccata, vt indè eliciat aliquod bonum. Quartò. Permiſſio non eſt volita propter ſe ipſam, ergo propter finem bonum. Quintò. Quia etiam homines permittunt aliqua mala ob bonum finem.

90 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Vaſquez 1. *p. diſp.* 93. *cap.* 2. & ij, qui docent permiſſionem non eſſe effectum prædeſtinationis.

91 Notandum primò. Permiſſionem poſſe conſiderari dupliciter. Primò præciſè, vt dicit, quod Deus ſinat cauſam liberam in illo ſtatu, in quo videt peccaturam, & hoc modo ſupra illud poſitiuum, quo cauſa libera conſtituitur in tali ſtatu, non interuenit aliquid aliud poſitiuū, quod ſit effectus Dei, ſed tantum negatio maioris auxilij, quo poſſet Deus impedire peccatum. Secundò vt eſt coniuncta cum peccato, & tunc includit in ſuo conceptu ipſum peccatum.

92 Notandum ſecundò. Bona, quæ ex permiſſione oriri poſſunt, & dicunt ordinem ad ipſam primo modo ſumptam, eſſe bona abſoluta; quæ verò dicunt ordinem ad ipſam ſecundo modo acceptam, ſi ordo ſit eſſentialis, non ſunt bona abſolutè, ſed tantum occaſionaliter, videlicet ex occaſione alicuius mali exiſtentis.

93 Notandum tertiò. Permiſſionem formaliter conſiſtere in negatione, non in aliquo poſitiuo, alioquin, cum ex ipſa ſequatur peccatum, Deus faceret aliquid ordinatum ad peccatum, atque adeo eſſet cauſa illius.

94 Dico primò. *Deum non intendere aliquem finem ex permiſſione formaliter ſumpta obtinendum, etiamſi abſolutè ſit bonus*. Probatur. Ex permiſſione formaliter non poteſt obtineri aliquis finis, ergo. Antecedens probatur. Quia negatio, cum ſit merum nihil, non poteſt eſſe cauſa alicuius poſitiui; medium autem debet eſſe cauſa, cum debeat conducere ad aſſequendum finem.

95 Di-

Digitized by Google

95 Dices. Poſſe eſſe cauſam negatiuam. Contra. Vel eſſe cauſam negatiuam dicit aliquam cauſalitatem, ratione cuius finis dependeat à medio; vel non. Si primum, ergo debet eſſe talis, vt inferat dependentiam, quæ tamen non poteſt poni in effectu, niſi per aliquid poſitiuum. Si ſecundum, ergo nullo modo eſt cauſa.

Confirmatur. Sequeretur, quod Deus vellet negationem per ſe primò, quia intendens finem, vult etiam directè media, hoc autem implicat, ergo. Minor probatur. Quia cum motiuum Diuinæ voluntatis ſit bonitas Diuina, quidquid vult, bonificatiuo modo vult, videlicet communicando aliquod bonum, negationi autem non poteſt communicari aliquod bonum.

96 Dico ſecundò. *Deum intendere tantum illos fines, qui ſequuntur ex permiſſione fundamentaliter ſumpta, & ſunt abſolutè boni*. Probatur. Quia ex ipſa non poteſt ſequi alius finis, niſi ille, quem poteſt inducere ſecundum ſuum eſſe materiale.

97 Dico tertiò. *Deum non poſſe præintendere finem bonum occaſionaliter, ſeu qui eſſentialiter dependeat ex permiſſione ſimul cum peccato accepta*. Probatur. Si præintenderet talem finem, intenderet etiam peccatum; qui enim vult finem, vult etiam illud medium, quod eſt abſolutè, & ſimpliciter neceſſarium, ita vt finis ab ipſo eſſentialiter dependeat.

98 Dices. Id eſſe verum, quando medium eſt volibile ab eo, qui vult finem, peccatum autem non eſt volibile à Deo. Contra. A deſtructione conſequentis ſequitur deſtructio antecedentis, ergo cum finis non poſſit eſſe ſine medio, ſi medium non eſt volibile, neque etiam finis erit volibilis. Confirmatur. Implicat, effectum exiſtere non exiſtente cauſa, à qua dependet, ergo etiam implicat aliquem velle effectum exiſtere, & non velle exiſtere cauſam; hoc autem contingeret, ſi quis vellet finem, & non vellet medium, à quo eſſentialiter dependet.

99 Dices ſecundò. Sufficere, ſi velit ſolam permiſſionem, quia, cum infallibiliter ſequatur peccatũ, poteſt etiã velle id, quod ſupponit peccatum. Contra. Quod ſupponit peccatum dependet eſſentialiter ab ipſo, & volitio finis eſt virtualis volitio omnium, à quibus in eſſe eſſentialiter dependet, ergo ſi Deus vult id, quod ſupponit peccatum, ante præuiſionem peccati, vult etiam peccatum.

100 Ad primum. Reſpondetur. Salutem populi Iſraelitici, & crucifixionem Chriſti non fuiſſe præintentam ſaltem dependenter à permiſſione peccati, ſed præuiſo peccato, tunc fuiſſe præintentam. Ad ſecundum. Dum ſuſtinuit in multa patientia, iam ſupponebatur id, quod ſuſtineret, atq; adeo ſupponebatur peccatum, quo ſuppoſito voluit oſtendere diuitias, &c. Ad tertium. Deum non permittere peccatum ex intentione eliciendi bonum, ſed ſciens poſſe ſe elicere bonum, permittit, & hoc tantum volunt Patres. Ad quartum. Deum nullo modo velle permiſſionem formaliter ſumptam, cum non ſit obiectum volibile, ſed tantum vult permiſſionem fundamentalem, quæ de ſe reſpicit finem bonum abſolute, & per accidens ſequitur peccatũ, permiſſio autẽ formalis dicitur impropriè volita, quatenus poſſet impediri, & nõ impeditur.

Ad quintum negatur antecedens, nam homines non poſſunt præintendere bonum occaſionatum ex peccato, ſi intentio ſit recta, quia implicitè intenderent peccatum.

An Deus præintendat finem, quando ad ipſum ordinat media.

SECTIO X.

101 QVæſtio præcipuè procedit de fine ex humana libertate aſſequendo, & ſenſus eſt, An voluntas illa, quæ diſponit media ad talem finem acquirendum, ſupponat aliam voluntatem, quæ ſit intentio talis finis.

Prima ſententia eſt affirmatiua. Ità ij omnes, qui docent, prædeſtinationem ad gloriam eſſe factam ante præuiſionem meritorum. Probant. Prior eſt intentio finis, quàm electio mediorum, cum hæc ab illo cauſetur, ergo. Secundò. Si quis habeat in ſua poteſtate media efficacia ad finem ex aliena voluntate aſſequendum, ſi applicet talia media, colligitur habere intentionem efficacem talis finis, Deus autem habet in poteſtate, & applicat media efficacia ad finem ex humana libertate aſſequendum. ergo

102 Secunda ſententia, Intentionem actus liberi, quæ eſt in Deo verſari circa ipſum vt coniunctum cum medio, non autem ſeparatum à medio. Ita Arrubal 1. *p. diſput. 68. cap.* 1.

103 Tertia ſententia abſolutè negat, Deum præintendere finem. Ita Vaſquez 1. *p. diſp.* 89. *cap.* 15. & alij, qui docent, prædeſtinationem ad gloriam eſſe factam poſt præuiſa media.

104 Notandum primò. Intentionem finis eſſe cauſam electionis mediorum, poſſe accipi dupliciter, formaliter, & obiectiuè: primo modo dicit, quod intentio ſit cauſa alterius actus, qui ſit electio verſans circa media. Secundo modo ſe tenet ex parte obiecti, & dicit, quod finis in ratione obiecti ſit cauſa, quod media ſint volibilia, vndè cauſatio eſt in genere formali obiectiuo, & facit quod finis ſit veluti forma, cui ſubſternantur media.

105 Notandum ſecundò. Voluntatem Diuinam differre à creata, quod illa eſt cauſa rerum, & volendo facit obiectum, voluntas verò creata non eſt cauſa rerum, quia habet tantum virtutem elicitiuam volitionis; vnde, vt aliquid aliud faciat, debet applicare virtutes cauſatiuas. Rurſus voluntas Diuina non habet aliquid ad intra, quod de nouo ſit ratio terminandi ad obiectum; voluntas vero creata habet actum productum de nouo, per quem terminatur ad obiectum.

106 Dicendum eſt. *Deum non præintendere aliquem finem ante volitionem mediorum, qui per ipſa media ſit obtinendus*. Probatur. Si in Deo daretur intentio finis antecedens volitionem mediorum, poneretur finis in actu independenter à medijs; hoc autem implicat, quia ſupponitur, quod ſit obtinendus per talia media, ergo. Sequela probatur. Volitio Diuina, quando eſt efficax, eſt cauſatiua illius, quod vult, quia velle aliquid, eſt illi communicare eſſe, ergo ſi voluntas efficax finis antecedit electionem mediorum, iam ex vi talis volitionis antecedẽtis electionem mediorum finis poneretur in actu. Dices. Intentionem non eſſe immediatè cauſatiuam, ſed mediante electione.

Contra. Finis, vt poſitus in actu, eſt obiectum alicuius volitionis Diuinæ, quæ circa ipſum cauſatiuo modo ſe habeat, & hæc volitio non eſt electio, quia non habet media pro obiecto, ergo intentio cauſatiuo modo ſe habet immediatè circa finem, quia circa ipſum non verſatur aliquis alius actus. Secundò. Ita ſe habet intentio ad finem, ſicut electio ad media; ſed hæc immediatè, & per ſe præcisè cauſat media, ergo. Confirmatur. Nihil eſt in fine, quod non ſit obiectum intentionis, ergo nihil eſt in ipſo, quod non ſit cauſatum ab ipſa intentione.

107 Dices ſecundò. Intentionem ferri in finem, non vt præcisè obtinendum, ſed vt obtinendum per talia media, quorum electio ſubſequitur. Contra. Intentio ſecundum ſe præcisè eſt efficax, & eo ipſo, quod ponitur, ponitur etiam obiectum, quia non poteſt eſſe ſine ipſo, ergo ſi antecedit electionem, ponit in eſſe finem antecedẽter ad media. Secundò. Eo ipſo, quod intentio fertur in finem obtinendum per talia media, vult exiſtentiam ipſius dependenter ab exiſtentia mediorum, ergo cum non ſupponat media exiſtere, vult ſimul exiſtere, nam implicat, aliquid eſſe abſolutè futurum dependenter ab exiſtentia alterius, niſi & hoc ſit abſolutè futurum; nàm dependens eſt poſterius eo, à quo dependet, ergo implicat, quod Deus faciat per ſuam intentionem finem abſolutè futurum, niſi faciat etiam media abſolutè futura, ergo implicat

Digitized by Google

cat, quod intentio abſoluta præcedat electionem mediorum.

108 Confirmatur. Non poteſt intelligi actus liber Dei determinato modo attingens obiectum, niſi terminetur ad ipſum, & habeat determinationem, qua tollitur indifferentia Diuinæ voluntatis, ergo non poteſt intelligi intentio præcedens electionem mediorum. Conſequentia probatur. Quia terminatio Diuinæ voluntatis ad obiectum ad extra, cum ſit contingens, habetur tantum ratione alicuius extrinſeci, quod eſt operatio Dei ad extra. Rurſus, cum determinatio Diuinæ voluntatis non fiat per aliquid intrinſecum, alioquin haberet voluntas intrinſecam potentialitatem; ſed per extrinſecam operationem, eo ipſo, quod intelligitur actus liber determinato modo, intelligitur etiam operatio Dei circa tale obiectum, ergo ſi intentio præcedit electionem, intelligitur etiam præcedere poſitio obiecti.

109 Dicendum ſecundò. Deum intendere finem in ipſis medijs intentione exequutiua, deindè in ſe ipſo, ita vt intentio finis ſit cauſa electionis mediorum obiectiuo modo, quatenus media ſunt volita, pro vt ſtant ſub bonitate finis. Probatur. Voluntas Diuina ſe habet cauſatiuo modo, ita vt velle ſit cauſare, ergo ille ordo, qui eſt in cauſatione, eſt etiam in decretis Diuinis. Tum quia deſumitur ex ordine ad obiecta; Tum quia ipſum decretum ratione terminationis ad obiectum includit ipſam cauſationem.

110 Ad primum diſtinguitur antecedens. Intentio finis formaliter eſt prior electione in voluntate, quæ mouetur ab extrinſeco obiecto, quia non poteſt eligere, niſi moueatur à fine; non autem in voluntate Diuina, quia non mouetur ab obiecto extrinſeco, reſpectu cuius finis tantum obiectiuo modo eſt prior medijs. Ad ſecundum. Colligi intentionem formalem antecedentem electionem, quando voluntas non eſt cauſatiua rerum eo ipſo, quod vult, ſi autem ſit cauſatiua, colligitur tantum intentio virtualis contenta in ipſa electione mediorum.

111 Ex dictis Colligitur. Quod cum dicitur Deus ex intentione finis eligere media, non intelligitur, quod intentio pręcedat electionem; ſed ſolum, quòd media terminent volitionem Diuinam, quatenus ſtant ſub bonitate finis, ita vt finis ſit directè volitus, media autem tantum ratione finis.

DE PROVIDENTIA SVPERNATVRALI, & prædeſtinatione.

DISPVTATIO XLI.

An, & quid ſit prædeſtinatio, & prouidentia ſupernaturalis.

SECTIO I.

1 PRędeſtinatio idem eſt ac præmiſſio, & importat anteceſſionem tum cauſæ, quia quatenus eſt actus Dei ad intra eſt cauſa ſalutis, & mediorum ad ipſam aſſequendam; Tum durationis, quia ab æterno eſt in Deo.

2 Dico 1. *Prædeſtinationē, quatenus dicit actus Diuinos terminatos ad traſmittendos electos ad finem ſupernaturalem, conuenire Deo ab æterno*. Ita communiter Patres, & eſt de fide. Probatur. Ad Epheſ. 1. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti*.
Ratio autem eſt, quia homines de facto perducuntur ad beatitudinem ex eo, quòd Deus ab æterno diſpoſuit perducere, alioquin mutatus fuiſſet.

3 Dico ſecundò. *Prædeſtinationem conuenire Deo liberè non ſolum abſolutè, ſed etiam comparatiuè; ita vt potuerit prædeſtinare, quos non prædeſtinauit, & econtra*. Eſt de fide. Probatur Iacobi 4. *Vnus eſt legislator, & iudex, qui poteſt perdere, & liberare*. Ioannis 5. *Filius quos vult, viuificat*. Ratio autem eſt. Quia omnis effectus prædeſtinationis eſt quid contingens, cum ſit quid creatum, & gratuitum.

4 Dico tertiò. *Prædeſtinationem formaliter non ponere aliquid in prædeſtinato, ſed tantum cauſatiuè*. Ita D. Thomas *1.p.q.23.art.2.* & communiter. Probatur. Quia conſiſtit formaliter in actibus Diuinis immanentibus, qui nihil ponunt in obiecto, niſi denominationem extrinſecam. Confirmatur. Licet ſit præparatio beneficiorum, quia tamen eſt præparatio actiua, non paſſiua, ideo, nihil ponit in eo formaliter, cui fit.

5 Dico quartò. *Prædeſtinationem eſſe prouidentiam ſupernaturalem, vndè conſiſtit in actu intellectus, & voluntatis circa ordinem ſupernaturalem*. Probatur. Quia diſponit ordinem creaturæ rationalis ad finem ſupernaturalem.

6 Dicò quintò. *De ratione prædeſtinationis eſt reſpicere aliquem finem ſupernaturalem*. Ita D. Thomas *1.p.q.23.art.1.* Probatur. Prædeſtinatio, vt ſit propria, debet fieri ab extrinſeco, & per extrinſecam virtutem, qua eleuetur prędeſtinatus, ergo debet eſſe ad aliquid ſupernaturale, quia eleuatio eſt tantum ad id, quod eſt ſuper naturales vires.

7 Dico ſextò. *Prædeſtinationem reſpicere tanquam ſubiectum perſonam rationalem*. Probatur. Quia ſola eſt capax beatitudinis, & beneficiorum ſupernaturalium.

8 Dico ſeptimò. *Prædeſtinationem reſpicere bona ſupernaturalia, & ea omnia, quæ conducunt ad finem ſupernaturalem*. Probatur. Quia habet pro obiecto ordinem ſupernaturalem, hic autem ordo fundatur in prædictis bonis.

9 Dico octauò. *Non omnem prouidentiam ſupernaturalem eſſe prædeſtinationem*. Probatur. Prædeſtinatio intendit finem ſupernaturalem beatitudinis, prouidentia autem ſupernaturalis non ſemper aſſequitur hunc finem, vt contingit in reprobis.

10 Dico nonò. *Prædeſtinationem eſſe partem obiectiuam integralem prouidentiæ*. Ita D. Thomas *1.p.q.23.art.1.* Caiet. Bannes *ibid.* Faſolus *dub.1.* Arrubal *diſp. 63. cap.5.* & alij. Probatur. Prouidentia totaliter accepta reſpicit omnes res ordinabiles in finem, atque adeo omnia media, & omnes fines, prædeſtinatio autem reſpicit aliquas res, nempè rationales creaturas, & aliqua media, & aliquem finem. ergo

11 Dico decimò. *Prouidentiam pręcisè conſideratam, pro vt abſtrahit à ſingularibus non eſſe genus reſpectu prædeſtinationis, atque adeo prædeſtinationem non eſſe partem ſubiectiuam illius*. Eſt contra Arrubal *citatum* Valentiam *1.p.q.23.pun.1.* Smiſing *trac. 3. de Deo vno diſp.6.q.2.num.30.*

Probatur. Si prædeſtinatio eſſet pars ſubiectiua, deberet dari alia ſpecies prouidentiæ conſtituta per aliam differentiam, cum qua eſſet incompoſibilis; hoc autem implicat, quia omnes rationes formales, quæ ſunt in Deo ratione infinitatis ſi inuicem quidditatiuè includunt, aut ſaltem non ſunt incompoſſibiles. Confirmatur. Si tali pacto diſtingueremus rationem prouidentiæ, conciperemus in Deo aliquid ipſi repugnans, videlicet finitatem, quia prouidentia finito modo ſe haberet, nam vna prouidentia non eſſet alia. Confirmatur ſecundò. Diſtinctio ſpecifica fundatur in limitatione, nam prouenit ex modo eſſentiæ limitato. ergo

12 Dico vndecimò. *Ex parte obiecti prouidentiæ poſſe dari aliquam rationem genericam præciſam, & aliquas rationes determinatiuas, atque adeo prouidentiam, vt includit obiectum habere ratione ipſius, genus, & ſpecies*. Probatur. Poteſt ſumi ratio ordinabilis vt ſic ad finem, & hæc ratio eſt determinabilis per ordinabilitatem aut

natu-

Digitized by Google

naturali, aut ſupernaturali modo faciendam, ergo interuenit ratio communis cum rationibus determinatiuis.

13 Dices. Ex parte obiecti dantur genus, & ſpecies, ergo etiam ex parte actus. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia actus Diuinus non ſumit ſuam denominationem ab obiectis creatis.

14 Ex dictis colligitur. Quidnam ſit prædeſtinatio, eſt enim illa diſpoſitio, ſecundum quam Deus diſponit media, quibus ordinat creaturam rationalem ad finem ſupernaturalem, vndè definitur ab Auguſtino cap. 10. de bono perſeuerantiæ. *Eſt praſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur*, vel, vt deſumitur ex D. Thoma 1. *p.q.23.art.1.* Eſt *trāſmiſſio creatura rationalis in finem vita aterna*, & hæc definitio complectitur etiam prędeſtinationem Chriſti, & Angelorum, quam non complectitur definitio D. Auguſtini, cum Chriſtus, & Angeli non ſint liberati.

An Prouidentia ſupernaturalis ſupponat decretum de creatione.

SECTIO II.

15 PRima ſententia eſt negatiua. Ita nonnulli recentiores. Fundamentum eſt. Quia vltimum in exequutione eſt primum in intentione, collatio autem gloriæ eſt vltimum in executione.

16 Secunda ſententia. Prædeſtinationem, & decretum de creatione eſſe ſimul, ita vt prædeſtinatio ipſum includat. Ita Suarez 1. *de prędeſtinatione cap.18.n.12.* Prob. Quia Chriſtus eſt prædeſtinatus, vt eſſet filius Dei, ergo per prædeſtinationem eſt ordinatus, vt eſſet, & vt ita eſſet.

17 Tertia ſententia aſſerit, prædeſtinationem ſupponere tale decretum. Ita D. Thomas *3.p.q.1.art.3. ad 4.* Alenſis *1.p.q.28.mem.2. art. 1.* Caietanus *citato loco tertia partis*. Vaſquez *1.p.diſp.82.cap.5.* Faſolus *q.23. art. 1. dub. 2.*

18 Dico primò. *Prædeſtinationem non præcedere decretum de creatione*. Probatur. Prædeſtinatio includit decretum de productione gratiæ, & gloriæ; Deus autem non potuit ſeorſim decernere talem productionem in abſtracto, quia hæc non ſunt entia per ſe ſubſiſtentia, ſed eſſentialiter ordinata ad ſubiectum. Confirmatur. Gratia eſt ordinata ad gratos faciendos homines, & gloria includit actus vitales, qui eſſentialiter petunt decerni dependenter à principio vitali. ergo

19 Dico ſecundò. *Decretum creationis præſupponi prædeſtinationi*. Probatur. Prædeſtinatio reſpicit beneficia gratiæ, vt beneficia, ergo etiam decretum de creatione. Conſequentia probatur. Quia beneficium dicit eſſentialem ordinem ad perſonam, cui fit, & illam ſupponit. Confirmatur. Prædeſtinatio habet tantum pro obiecto beneficium, vndè dicitur ab Auguſtino, *Præparatio beneficiorum*, ergo non importat voluntatem de creatione, ſed præſupponit.

Confirmatur ſecundò. Prædeſtinatio habet pro obiecto finem cuius, creatio autem finem cui, finis autem cuius ſupponit finem Cui; tanquam illum, à quo dependet in eſſe, cum ſit propter ipſum.

20 Ad fundamentum primæ ſententiæ reſpondetur. Finem *Cui*, quatenus perficitur, eſſe vltimum in exequutione, vndè ex ipſo, & ex fine *Cuius* fit vnus totalis finis, Deindè aſſumptum valet tantum reſpectu voluntatis creatę, in qua eſt duplex ordo intentionis, & executionis.

21 Ad primum ſecundæ ſententiæ. Prædeſtinationem Chriſti non reſpicere ſolam gloriam, & gratiam ipſius, ſed etiam vnionem hypoſtaticam, quæ pertinet ad eſſe ipſius, & ideo eius prædeſtinatio non ſupponit decretum de creatione. Ad ſecundum. Valere de ordinatione ad finem connaturalem; non autem ſupernaturalem, quia adhuc non ordinatur ex intrinſeca ſua virtute.

An Prouidentia ſupernaturalis ſupponat naturalem.

SECTIO III.

22 PRima ſententia vult, Deum prius prædeſtinaſſe, & deindè inſtituiſſe naturalem prouidentiam in ordine ad ſupernaturalem. Ita Smiſing *trac.3.de Deo vno diſp.6.q.12.nu.748.* Mendozza *controuerſ. 1. Scholaſtica num.4.*

Probant 1. Corinth.3. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*, & ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt*, ergo omnia ſunt propter prædeſtinatos, vt tales ſunt. Secundò. Ordinatè volens prius vult finem, & prius media propinquiora fini, quam remota, natura autem rationalis ſecundum gratiam, & gloriam propinquiùs attingit finem vltimum, quàm ſecundum ordinem naturæ. Tertia. Quia conſtat, plures effectus rationales eſſe poſterius volitos tanquam media ad ſupernaturales.

23 Secunda ſententia vult, prædeſtinationem ſupponere prouidentiam naturalem. Ita Caietanus *3.p.q.1.art.3.* Vaſquez *1. p. diſp. 82. cap. 5.* & deſumitur ex D. Thoma *3.p.q.1.art.3.ad 2.* Dum docet, prædeſtinationem ſupponere ſcientiam futurorum.

24 Dico primò. *Prouidentia naturalis eſt propter ſe volita à Deo*, Probatur. Prouidentia naturalis, cum ſit ordo rerum in finem, includit etiam vltimum finem naturalem, vt rationem volendi talem ordinem, ergo eſt volita à Deo propter ſe ipſam. Conſequentia probatur. Quia vltimus finis eſt bonitas Diuina, propter quam Deus omnia vult, vndè quod eſt volitum propter ipſam, non poteſt eſſe volitum propter aliud. Confirmatur. Prouidentia naturalis immediatè attingit vltimum finem, & hæc attingentia non deſtruitur à ſupernaturali. ergo

25 Dico ſecundò. Prædeſtinatio ſupponit prouidentiam naturalem. Deſumitur ex D. Auguſtino de prædeſtinatione, & gratia cap.5. *Ante quam faceret nos, præſciuit nos, & in ipſa nos præſcientia, cum nondū feciſſet, elegit*. Probatur. Prouidentia naturalis obiectiua eſt à Deo propter ſe volita independenter à ſupernaturali, vndè non dependet ab ipſa in eſſe, & econtra ſupernaturalis dependet in eſſe à naturali, vt à ſubiecto, quod eleuatur, ergo naturalis præſupponitur. Conſequentia probatur. Quia ordo Diuinorū actuum deſumitur ex ordine obiectorum, ergo cum naturalis antecedat cauſalitate, & non dependeat à ſupernaturali, etiam decretum de ipſa antecedet.

26 Dico tertiò. *Prouidentia ſupernaturalis neque eſt ratio volendi prouidentiam naturalem, etiam vt eleuabilem*. Probatur. Naturalis ſecundum ſe eſt propter ſe volibilis; vt autem eleuabilis non eſt medium, ſed materia, circa quam, quæ præſupponitur, & eſt volita ratione finis ſupernaturalis.

27 Ad primum reſpondetur. Primum locum ſcripturæ eſſe intelligendum de ordine Dominij, ita vt naturalia ſubijciantur Chriſto vt principi naturalium mediante homine, & Deo mediante Chriſto; ſupernaturalia vero ſint Chriſti mediante homine, & ordinentur à Deo mediante Chriſto. Secundus vero locus debet intelligi, quod omnia cooperentur in bonum prædeſtinatis, quatenus illis inſeruiunt aut vt media, aut vt occaſio, aut alio modo, & ſenſus eſt de ſingulis in particulari, non autem de toto ordine prouidentiæ. Ad ſecundum. Valere de volente, cuius volitio non eſt cauſatiua obiecti; ſecus autem quando eſt cauſatiua. Ad tertium. Id eſſe verum de illis effectibus, vt ſunt res quædam particulares, non autem vt ingrediuntur ordinem prouidentiæ, quia tunc, vt pars illius, ſequuntur conditionem totius.

Digitized by Google

DE SIGNO, IN QVO FACTA eſt prædeſtinatio.

DISPVTATIO XLII.

An prædeſtinatio ſit facta ante præuiſionem peccati originalis.

SECTIO I.

1 QVæſtio procedit de anteceſſione ſecũdum ſigna, quæ nos diſtinguimus in actibus Diuinis, quæ non ſunt ſigna *in quo*, ſed tantum *à quo*, quatenus non poſſumus concipere vnum actum, niſi præconcipiamus alium propter ordinem ad obiectum; Prædeſtinatio autem dupliciter poteſt ſumi. Vel in particulari, vt terminatur ad ſingulas perſonas, vel in communi, vt in confuſo omnes prædeſtinat.

2 Prima ſententia aſſerit, prædeſtinationem eſſe factam ante præuiſionem peccati originalis. Ita Scotus *in 1. diſt. 41. quæſt. vnica* Aegidius, Herueus *ibidem* Gabriel *in 2. diſt. 20. q. vnica art. 1.* Molina *1. p. q. 23. art. 5. diſputat. 1. mem. 7.* Suarez *1. de prædeſtinatione cap. 11.* Smiſing *trac. 3. de Deo vno diſp. 6. q. 2. n. 18.*

Probant. Adam fuit electus prius ad gratiam habitualem, quam præuideretur eius peccatum, ergo etiam ad gloriam, quia ordinatè volens prius vult finem quam media. Secundò. Chriſtus fuit prædeſtinatus ante præuiſionem peccati originalis, ergo etiam omnes ad illius exemplar. Confirmatur. Beata Virgo fuit prædeſtinata ante præuiſionem originalis, quia non potuit præuideri, vbi non erat futurum, ergo. Tertiò. Permiſſio peccati originalis ſupponit reprobationem negatiuam vt effectus illius, ergo etiam peccatum originale. Quartò. Angeli prædeſtinati ſunt ante præuiſionem peccati, nam poſt præuiſum omnes fuerunt damnati, ergo etiam homines.

3 Secunda ſententia docet, eſſe factam poſt præuiſionem peccati. Ita ij omnes, qui volunt eſſe factam ex præuiſione meritorum, & præcipuè Capreolus *in 2. diſt. 20. art. 3.* Ariminenſis *in 1. diſt. 41. art. 2.* Cumel *1. p. q. 23. art. 1. diſp. 2.* Ruiz *diſp. 13. de prædeſtinatione ſec. 5.*

4 Dico primò. *Deum ante præuiſionem peccati originalis habuiſſe aliquem actum ordinandi ad beatitudinem omnes homines in ipſo Adamo tanquam in capite, atque adeo adfuiſſe prædeſtinationem incompleto modo, terminatam tantum ad aliquos effectus.* Probatur. Deus non potuit præuidere peccatum originale, niſi vt proueniens ab Adamo, vndè talis præſcientia ſupponit Adam futurum & decidentem à gratia, & habentem auxilia ſufficientia ad non peccandum, ergo ante præuiſionem fuit decretum de ordinando homine ad beatitudinem. Conſequentia probatur. Quia decretum de conferendis auxilijs ad non peccandum eſt decretum de ordinando homine ad beatitudinem.

5 Dices. Primam gratiam fuiſſe datam Adamo ſuppoſita præſcientia conditionata de peccato. Contra. Poſita præſcientia conditionata, peccatum non eſt abſolutè futurum, decretum autem de gratia conferenda Adamo antecedit præuiſionem peccati abſolutè futuri, quia non poteſt præuideri abſolutè futurum, niſi præuideatur prouenire à perſona potente non peccare.

6 Dico ſecundò. *Numerum prædeſtinatorum non fuiſſe determinatum ante præſcientiam abſolutam peccati originalis.* Probatur. Numerus prædeſtinatorum eſt quædam gratia extenſiua facta dependenter à meritis paſſionis Chriſti iuxta id Iſaiæ. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*, ergo non fuit determinatus ante præuiſionem paſſionis Chriſti, quia Incarnatio, licet ponatur volita ante præuiſionem peccati, non tamen fuit volita paſſio Chriſti.

7 Dices. D. Auguſtinus 1. *Retractationum c. 13.* habet, quod ſi Adam non peccaſſet, naſceretur certus numerus prædeſtinatorum, ergo. Reſpondetur tantum velle, quod in illo caſu generationes non duraſſent in infinitum; non autem, quod de facto numerus prædeſtinatorum ſit determinatus ante præuiſionem peccati.

8 Dico tertiò. *Prædeſtinationem completam fuiſſe factam poſt præuiſionẽ peccati originalis.* Ita docet D. Aug. *1. ad ſimplicianum q. 2. & cap. 8. de bono perſeuerantiæ, & cap. 7. de correptione, & gratia, & Epiſt.* 105. 106. *& 107. & in Enchirid. cap. 95. & 96.* & alibi frequenter. Proſper *ſententia 307. & ad excerta Genuenſium reſponſione 6. & 8.* Fulgentius *de Incarnatione, & gratia cap. 21. & lib. 1. Ad Monimum cap. 6. 26. & 28.* loquuntur autem non de ipſa exequutione, ſed de ipſo propoſito Dei, quod habuit ab æterno, & volunt prædeſtinationem ſe habere per modum liberationis, qua Deus decreuit aliquos liberare à maſſa damnato per peccatum originale ratione ſuæ miſericordiæ.

Probatur. Prædeſtinatio terminatur ad perſonas in particulari, & abſolutè futuras ita vt aut ſupponat futuras, aut faciat, ergo ſupponit peccatum originale. Conſequentia probatur. Quia non poſſunt homines à Deo præuideri vt abſolutè futuri, niſi præuideantur vt deſcendentes ab Adam, ergo cum ratione deſcendentię ſint infecti peccato originali, & deſcendentia ſupponat Adam peccaſſe, dum prędeſtinabat in eodem ſigno præuidebat peccatum.

9 Dices. Prędeſtinationem fuiſſe ante peccatum originale circa eoſdem homines vt deſcenſuros ab Adam pręciſo peccato originali. Contra. Non potuerunt præuideri aliter deſcenſuri, quam eo modo, quo deſcenderunt, ergo cum deſcenderint ab ipſo vt infecto, non potuerunt pręuideri vt deſcenſuri, niſi pręuiſo peccato.

10 Dico quartò. *Si Adam non peccaſſet, non fuiſſent ijdem homines prædeſtinati, & reprobati.* Ita Diuus Thomas *quodlibeto 3. q. 11. art. 25.* & alij Probatur. Quia tunc fuiſſet alius ordo, & diſpoſitio Diuinę prouidentię, & nemo ratione peccati originalis caruiſſet effectu prędeſtinationis.

11 Obijcit Scotus *in 2. diſt. 20. q. 2.* Ex D. Gregorio 4. *Moralium cap. 36. Si Adam non peccaſſet, ij, qui nunc per redemptorem ſaluati ſunt, ſoli ab illo naſcerentur electi*, ergo. Reſpondetur ſolum velle, quod in illo caſu naſcerentur tantum illi, qui eſſent prædeſtinati, non autem, quod ijdem numero, qui nunc, prædeſtinati eſſent.

12 Ad primum reſpondetur probare tantum, quod ante peccatum originale fuerit aliqua determinatio perducendi homines ad beatitudinem. Ad ſecundum. Controuerſum eſſe, An Chriſtus fuerit prędeſtinatus ante pręuiſionem peccati, quidquid tamen ſit, negatur conſequentia, & diſparitas eſt, quia prędeſtinatio ipſius non ſupponit ipſum eſſe, prędeſtinatio autem hominum ſupponit ipſos homines, atque adeo deſcendentiam ab Adam. Ad confirmationem Beatam Virginem fuiſſe pręuiſam vt deſcendentem ab Adam, & cum debito contrahendo peccatum originale, ratione autem prædeſtinationis præſeruatam fuiſſe, ne contraheret, vndè adhuc prædeſtinatio ipſius ſupponit pręuiſionem peccati. Ad tertium. Permiſſionem peccati non eſſe effectum reprobationis negatiuè, quia negatiuum non poteſt habere aliquos effectus. Ad quartum Angelos non fuiſſe reparatos poſt lapſum, & ideo ipſorum prędeſtinatio non ſupponit pręuiſionem peccati.

An

Digitized by Google

An prædeſtinatio ad gratiam ſit ex præuiſione alicuius meriti.

SECTIO II

13 SVpponendum eſt. Quod cum prædeſtinatio terminetur ad gratiam, & gloriam, vt ſupra diximus, poſſunt in ipſa diſtingui duo decreta; alterum circa gratiam; alterum circa gloriam: Cum enim actus diuini diſtinguantur ex ordine ad obiecta, & inter gratiam, & gloriam ſit ordo cauſationis finalis, poſſumus diſtinguere vnum decretum, quod verſetur circa media, & aliud circa finem.

14 Supponendum ſecundo. Poſſe etiam nos accipere prędeſtinationem, vt importantem vnum adęquatum decretum], quod ſimul terminetur ad media, & ad finem; cum enim finis ſit ratio volendi media, & media ſint tantum bona bonitate finis, hinc fit, vt vnica ſit tantum ratio, quæ ex parte obiecti ſit veluti forma determinans volibilitatem tam mediorum, quam finis. In præſenti autem diſtinguimus duplex decretum, & de illo, quod terminatur ad gratiam, quærimus, an ſupponat præuiſionem alicuius meriti: atque adeo an ex parte obiecti ſit ratio, cur gratia conferatur. Nomine autem gratiæ intelligimus illam ſpecialem, quæ vnicuiquę determinatè datur in ordine ad ſalutem.

15 Primus error fuit Origenis, qui aſſerebat animas fuiſse creatas antequam infunderentur corporibus, & fuiſſe prædeſtinatas, vel reprobatas iuxta opera, quæ fecerunt antequam infunderentur. Ita *lib. 1. Periarcom. cap. 7. 8. & 9.*

Secundus fuit Pelagij, qui docuit, prædeſtinationem eſſe factam intuitu meritorum procedentium ex viribus naturalibus, vt refert Auguſtinus *hæreſi 88. & alibi*.

Tertius fuit ſemipelagianorum, qui etiam dicti ſunt Maſſilienſes, quorum auctor fuit Ioannes Caſſianus, & Fauſtus Epiſcopus Vegienſis, qui, vt habet idem Caſſianus *collat.* 13. aſſerebant, initium fidei chriſtianæ eſſe à nudo libero arbitrio, & intuitu ipſius dari gratiam, atque adeo gratiam eſſe prædeſtinatam ex merito naturali liberi arbitrij.

16 Inter catholicos autem. Prima ſententia aſſerit, bonum vſum gratiæ præuiſum à Deo eſſe rationem, cur Deus prædeſtinet ad gratiam; vult autem hunc bonum vſum fundari in ipſa gratia. Ita Henricus *quodlibeto* 8. *q.* 5. Alenſis *prima par. q.* 28. *mem.* 3. Bacconus *in* 1. *diſt.* 45 *quæſt. vnica artic.* 2. Aureolus *artic.* 1. & nonnulli alij.

Communis tamen ſententia Catholicorum aſſerit, nullam dari cauſam meritoriam prędeſtinationis ad gratiam. Ita D. Thomas *prima parte quæſt.* 23. *art.* 5. & alij communiter.

17 Dico primo. *Dę Fide eſſe, neminem eſſe prædeſtinatum ad gratiam ex operibus animæ factis ante, quam infunderetur corpori.* Pr ebatur. Ad Rom. 9. *Cum nondum nati fuiſſent, aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret., non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt; Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.*

18 Reſpondet Origenes. Intelligi de operibus in hac vita factis. Contra. Quia negat Apoſtolus prædeſtinationem abſolutè eſſe ex operibus, ſed ex propoſito Dei.

19 Dico ſecundò. *Prædeſtinationem ad gratiam nullum ſupponere meritum.* eſt de fide definitum in Concilio Paleſtino *can.* 7. 8. 11. & 12., & in Concilio Mileuitano *can.* 4. & in Arauſicano ſecundo *can.* 2. 4. 5. 6. 14. & 17., & in Tridentino *ſeſſ.* 6. *capit.* 5. & 8. & *canone*, contra Pelagianos, & Maſſilienſes, & traditur à Patribus, præſertim D. Auguſtino, qui plures libros ſcripſit contra hæreſim Pelagianorum, & ſemipelagianorum, & eius doctrina approbatur circa hanc materiam, à Gelaſio Papa, vt habetur in cap. *Sancta Romana diſt.* 15. Probatur. Iſaiæ 55. *Inuentus ſum à non quærentibus me.* Ioannis 3. *non poteſt homo facere quidquam, niſi fuerit ei datum de cęlo.* & cap. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* 1. Corinthiorum 4. *Quis enim te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* 2. Corinthiorum 3. *Non quod ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex vobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*; & Ad Epheſios 2. *Gratia ſaluati eſtis ex fide, & hoc non ex vobis, donum enim Dei eſt.* & ad Epheſios. 1. *Qui cæpit in vobis opus bonū, perficiet.* Confirmatur. Paruuli non poſſunt prædeſtinari ad gratiam ex aliquo merito, ergo neque adulti. Conſequentia probatur. Tum quia ſcriptura non diſtinguit inter prædeſtinationem paruulorum, & adultorum, ſed vtramque ponit ex Dei miſericordia. Tum quia ea, quæ tanquam abſurda inferebant Pelagiani ex prędeſtinatione ad gratiam ſine meritis, ſequerentur etiam ex prædeſtinatione paruulorum, vt quod Deus eſſet acceptor perſonarum, & iniquus, cum aliquos paruulos prædeſtinet ſine meritis, & alios reprobet; vndè, cum in paruulis hoc non habeat locum ex eo, quod prædeſtinatio ſit merè gratuita, nec etiam habebit locum in prædeſtinatione adultorum. Ita arguit D. Auguſtinus *Epiſt.* 105.

20 Reſpondent Pelagiani. Eſſe diuerſam rationem, quia, ſi paruuli non prædeſtinantur, nullam pęnam habent poſt mortem, adulti verò traduntur ſupplicijs. Contra. Quia non traduntur ſupplicijs ex eo, quod non ſint prędeſtinati ad gratiam, ſed quia moriuntur in peccato actuali. Secundò. Tàm paruuli ſunt inter ſe æquales, quando prædeſtinantur ad gratiam, quàm ſunt adulti, ergo ſi in paruulis non interuenit acceptio perſonarum, nec etiam interueniet in adultis. Tertiò paruuli puniuntur ſaltem pæna damni, ergo.

21 Confirmatur ſecundò. Si gratia prædeſtinaretur ex meritis præuiſis, non prædeſtinaretur vt gratia, ſed vt meritum, atque adeo gratia non eſſet gratia. Ita arguit Auguſtinus 4. *contra Iulianum cap.* 3. *& alibi*.

22 Reſpondent Pelagiani. Primam gratiam eſſe ipſum liberum arbitrium, quod gratis datur. Contra. Quia ſcriptura nomine gratię non intelligit naturam, ſed id, quod datur naturæ, vt ipſi indebitum. Secundo. Ad Romanos 4. & 11. quando Apoſtolus ait, quod ſi gratia eſſet ex operibus, non eſſet gratia, loquitur de illa, quæ ſupponit naturam, & illam perficit.

23 Reſpondent ſecundò. Gratiam eſſe legem, atque doctrinam, quę data eſt gratis. Contra ex Auguſtino 1. *de gratia Chriſti cap.* 8. quia legis cognitio, ſi deſit gratiæ auxilium, non prodeſt, ſed potius dat occaſionem præuaricationis. Secundò. Plenitudo legis eſt dilectio ex Charitate, Charitas autem diffunditur in cordibus noſtris, non per legem, ſed per Spiritum Sanctum.

24 Reſpondent tertiò Semipelagiani. Meritum, quod præcedit gratiam, eſſe de congruo, & ideo non tollere rationem gratiæ, quia eſt tantum impetratorium, non obligatorium. Contra. Si præcederet meritum de congruo, ipſe homo inciperet, contra illud ad Philippenſes 2. *Deus, qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet.* Secundò. Quia homo ſe ipſum diſcerneret contra illud 1. Corinthiorum. 4. *Quis enim te diſcernit.* Tertiò. Quia poſſet homo aliquo modo gloriari de gratia accepta contra illud. *Quid gloriaris, quaſi non acceperis.*

25 Reſpondent 4. Fidem contradiſtingui ab operibus, & ideo ex eo, quod gratia ſit ex fide naturali, non ſequi quod ſit ex operibus. Contra. Fides, eſt quoddam opus iuxta illud Ioannis 6. *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille.* Secundò. Quia etiam fides eſt donum Dęi, iuxta illud ad Epheſios 2. *Salui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.*

26 Dico tertiò. *Deum nec de potentia abſoluta potuiſſe prædeſtinare ex bonis operibus præuiſis factis ex viribus naturalibus.* Eſt contra Ruiz *diſp.* 5. *de Prædeſtinatione*

tione

Digitized by Google

tione ſec. 3. Probatur. Deus non poteſt immutare naturas rerum, ergo nec dare gratiam ex operibus naturalibus. Conſequentia probatur. Natura eſt ordinis inferioris reſpectu gratiæ, nec habet vires, quibus ſe ſola extendatur ad ſupernaturalia, alioquin non eſſent ſupernaturalia, quia eſſent ſecundum vires naturæ, ergo ſi Deus faceret, vt opera naturalia eſſent aliquo modo cauſa prædeſtinationis, immutaret naturas rerum.

Confirmatur. Si ratione operum naturalium fieret prædeſtinatio ad gratiam, haberent aliquam congruitatem reſpectu gratiæ, & gratia eſſet debita naturæ debito congruitatis. Secundo confirmatur. Prædeſtinatio eſt ordo ad finem ſupernaturalem, ergo initium ipſius non poteſt eſſe à creatura, eſſet autem, ſi opera naturalia eſſent cauſa prædeſtinationis. Sequela probatur. Quia ordo prædeſtinationis eſt ſupernaturalis, ergo debet incipere à Deo vt ſupernaturaliter operante, quia omnis effectus requirit cauſam proportionatam.

27 Dico quartò. *Prædeſtinationem paruulorum non eſſe factam intuitu meritorum conditionatorum, quæ habuiſſent, ſi ſuperuixiſſent.* Eſt de fide contra Semipelagianos. Probatur. Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat*, non dicit. *Quod periturum fuerat*. Ita Auguſtinus *epiſt.* 106. Confirmatur. Si Deus puniret peccatum ſub conditione futurum, non eſſet verum illud ſapientiæ. Quartò. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius:* Ita Auguſtinus *cap.* 14. *de prædeſtinatione Sanctorum*. Confirmatur ſecundò. Ad Romanos 9. Apoſtolus inquirens cauſam, cur Eſau ſit reprobatus, & Iacob electus, recurrit ad iudicia Dei inſcrutabilia; facilis autem fuiſſet reſponſio, ſi Deus prædeſtinaſſet, & reprobaſſet intuitu operum conditionatorum. Ita Auguſtinus *epiſtola* 105.

28 Dico quintò. *Nec de potentia abſoluta poſſe prædeſtinationem eſſe ex meritis conditionatè futuris*. Eſt contra Ruiz *diſputat.* 5. *de prædeſtinatione ſection.* 6. Probatur. Meritum conſiſtit in exercitio libertatis, & eſt alicuius meritum, nulla autem operatio libera eſt alicuius perſonæ determinatæ, niſi ab ipſa eliciatur, operatio autem conditionata à nullo elicitur. Confirmatur. Quilibet non habet magis merita conditionata, quam demerita, ergo. Confirmatur ſecundò. Prædeſtinari ex meritis, facit, quod effectus prædeſtinationis dependeat in exequutione ab ipſis; implicat autem, aliquid ſecundum exiſtentiam dependere ab illo, quod non exiſtit, vt ſunt merita conditionata, nec eſt habituum exiſtentium.

29 Obijcit Ruiz. Deus facit, quod mors præueniat aliquos, quia ſcit, quod, ſi ſuperuiuerent damnarentur, ergo opus conditionatè futurum eſt motiuum Diuinæ voluntatis. Reſpondetur negando antecedens. Nam Deus non accelerat mortem intuitu peccati conditionati, quia adhuc poſſet ab illo præſeruare, ſed quia impleta eſt illa menſura gratiæ, ad quam prædeſtinarat.

30 Obijcit ſecundò. Poteſt Princeps moueri ad dandum gladium alicui, quem ſcit benè vſurum in bello, ergo. Reſpondetur. Ideo poſſe, quia ſupponit in eo, cui tribuit aptitudinem ad benè vtendum, quam ipſi non dat, Deus autem dat etiam bonum vſum gratiæ.

31 Dico ſextò. *Neque bonum vſum gratiæ procedentem à libero arbitrio fuiſſe præſuppoſitum prædeſtinationi ad gratiam*. Probatur. Quia ille, qui haberet hunc bonum vſum, ſe ipſum diſcerneret contra illud 1. Corinth. 4. *Quis autem te diſcernit*. Secundò. Quia homo ex proprijs viribus inciperet iuſtificationem contra definitionem Concilij Arauſicani ſecundi, & Tridentini, vt ſupra.

32 Dico ſeptimò. *Neque bonum vſum gratiæ conditionatè futurum eſſe rationem prædeſtinationis*. Eſt contra Molinam *prima parte quæſt.* 23. *artic.* 5. *diſputat.* 1. *mem.* 6. & 11. Probatur. Bonus vſus gratiæ conditionatè futurus eſt effectus prædeſtinationis conditionatæ, ergo non poteſt eſſe ratio prærequiſita. Antecedens patet. Quia conſequitur ex prædeſtinatione poſita in eſſe conditionato. Conſequentia probatur. Quia nullus effectus poteſt eſſe conditio prærequiſita ad ſuam cauſam, cum ſit natura ſua poſterior.

33 Dices ſecundum eſſe conditionatum poſſe eſſe conditionem prærequiſitam reſpectu prædeſtinationis ſecundum eſſe abſolutum.

Contra. Quia ſemper comparatur vt effectus ad prædeſtinationem, & ſemper retinet dependentiam ſecundum ſuam naturam.

34 Dices ſecundò. Hunc bonum vſum, pro vt eſt conditio, non fundari in gratia, ſed in libero arbitrio. Contra. Quia tunc liberum arbitrium ſe diſcerneret, inciperet iuſtificationem, haberet aliquid ex proprijs viribus in ordine ad gratiam, quod non accepiſſet, & prædeſtinatio non eſſet merè ex propoſito Dei.

35 Dico octauò. *Bonum vſum liberi arbitrij fundatum in gratia, quo benè vtitur ipſa gratia, non poteſt eſſe ratio prædeſtinationis*. Probatur. Bonus vſus gratiæ eſt effectus gratiæ, ergo non poteſt eſſe ratio cur Deus prędeſtinet. Conſequentia patet. Quia non poteſt Deus præuidere hunc bonum vſum abſolutè futurum, niſi abſolutè decreuerit gratiam, effectus enim non poteſt eſſe abſolutè futurus, niſi cauſa ſit abſolutè futura. Antecedens eſt de fide ex Cœleſtino Papa *epiſt. ad Epiſcopos Galliæ*, in qua approbat ſententiam Auguſtini, & Tridentinam *ſeſſ.* 6. *cap.* 15. definit. Quod nos non præuenimus gratiam, ſed ipſa nos præuenit.

36 Reſpondet Henricus dari gratiam ſpecialē ad hunc bonum vſum, quæ non eſt effectus prædeſtinationis, ſed prouidentiæ vniuerſalis. Contra. Prædeſtinatio amplectitur totum ordinem ſupernaturalem, quo homo ordinatur ad beatitudinem, hæc autem gratia eſt aliquid de hoc ordine. Secundò. Quia eſſet initium iuſtificationis; initium autem iuſtificationis, ſicut eſt à vocatione, ita etiam eſt effectus prædeſtinationis. Tertiò. Per hanc gratiam homo primò diſcernitur, ergo eſt effectus illius propoſiti, quo Deus abſolutè ſeparat à maſſa perdita.

37 Obijciunt Pelagiani. Scriptura docet, Deum dare gratiam intuitu noſtrorum operum. Matthei 7. *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis*, & alia huiuſmodi habet.

Reſpondetur. Non intelligere de prima gratia, ſed de poſteriori, quæ ſupponit in nobis aliquam operationem prouenientem ex gratia, vt orationem, deſiderium pęnitentię, & ſalutis, & alia eiuſmodi.

38 Obijciunt ſecundò. Vni dedit quinque talenta, alij duo, alij vero vnum vnicuique ſecundum propriam virtutem. Reſpondetur intelligi de gratijs gratis datis, quas Deus diſtribuit iuxta capacitatem.

39 Obijciunt tertiò. Bona opera moralia merentur remiſſionem peccatorum. Iob. 4. *Elemoſina ab omni peccato, & à morte liberat*, ergo. Reſpondetur mereri impetratiuè, quando fiunt ex gratia, ſecus autem ſi ex viribus tantum naturę.

40 Obijciunt quartò. Deus vult omnes ſaluos fieri. primę Timothei ſecundo, cum autem non omnes ſint ſalui, poteſt tantum velle conditionate, ſi videlicet ipſi velint, ergo debet pręcedere primam gratiam voluntas ſalutis.

Reſpondetur. Velle omnes ſaluos fieri voluntate pręcedenti, quatenus creauit genus humanum in ordine ad ſalutem; non autem voluntate conſequenti, quia multos relinquit in peccato. Et quos non relinquit, ſed ſaluat, non ſaluat intuitu alicuius pręcedentis voluntatis ipſorum, ſed ex mera miſericordia.

Digitized by Google

41 Obijciunt quintò. Eſt in poteſtate hominis, vt ſit prædeſtinatus, ergo ratione propriæ voluntatis præuenientis gratiam. Antecedens patet. Apocalypſis tertio. Poteſt quis ammittere coronam 2. Thimothei 2. Poteſt ſe facere vas in honorem. Reſpondetur negando antecedens.

Ad probationem poſſe quidam ſecundum præſentem iuſtitiam amittere coronam, & etiam in æternum, quia peccatum eſt in poteſtate cuiuſque, non autem facere ſe vas in honorem. 2. Ad Timotheum 2. dicitur quod ſi quis emendauerit ſe à peccatis, erit vas in honorem, emendare autem ſe non poteſt, niſi in virtute gratię, vt alibi paſſim habet Apoſtolus.

42 Obijciunt ſextò. D. Ioann. Chryſoſtomus, qui *homil. 17. in Ioannem* ait. *Deus ſuis in nos beneficijs noſtras non præuenit voluntates, ſed à nobis incipiendum eſt, &* alibi ſimilia habet. Reſpondet Vaſquez *p.p. diſp. 81. cap. 8.* Chryſoſtomum fuiſſe in errore, ſemipelagiannorum; ſed. Contra quia *homilia* 28. *in Geneſim* docet, præuenientem gratiam tollere impedimenta ſalutis, & *homil.* 30. petitionem Cananeę initium habuiſse à gratia, & *hom. 2. in Pſal. 50.* Prouocat *nos Deus dicens, da & tu aliquid*. Et homil. 7. in Ioannem. *Non enim veſtris præcedentibus meritis debitum perſolui, ſed ego incepi*, & alibi ſimilia docet, ex quibus patet primam gratiam nullum ſupponere meritum. Reſpondetur igitur. Deum nos expectare, non vt tribuat primam gratiam, ſed vt det ſubſequentem, & hoc intelligunt etiam alij Patres graci, quando habent huiuſmodi loquutiones.

43 Obijciunt ſeptimò. D. Auguſtinus *in propoſitionibus in epiſtolam Ad Romanos propoſitiones* 50. habet *Fidem elegit in præſcientia, vt quem crediturum eſſe præſciuit, ipſum elegerit*, & in infra. *Quod credimus noſtrum eſt, quod autem operamur, illius*. Reſpondetur D. Auguſtinum ſcripſiſſe hunc librum antequam eſſet Epiſcopus, & quando erat in errore Semipelagianorum; hoc tamen retractauit *lib. 1. retract. cap. 23. & cap. 4. de Prædeſtinatione Sanctorum*. Notat, confutationem huius contineri *in quæſt. 2. lib. 1. ad ſimplicianum*.

44 Obijciunt octauò. D. Auguſtinus *quæſtio.* 68. ex 83. ait quod voluntas Dei, qua miſeretur, venit de occultiſſimis meritis. Ait enim. *Venit enim de occultiſſimis meritis, quia & ipſi peccatores, cum propter generale peccatum vnam maſſam fecerint non tamen nulla eſt inter illos diuerſitas. Præcedit, ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis non ſint iuſtificati, digni efficiuntur iuſtificatione, vt item præcedit in alijs peccatoribus, quo digni ſint obtuſione.*

Reſpondetur intelligere de meritis in impropriè ordine ad gratiam iuſtificantem, quæ fundantur in gratia auxiliante: Vnde ſubdit. Quod Deus volentibus ſubuenit; ita tamen, vt nemo poſſit velle niſi ab ipſo vocetur.

45 Obijciuntur nono. Eundem Auguſt. *lib. ſex quæſtionum quæſtion. 2.*, vbi docet Verbum non fuiſſe incarnatum, niſi quando ſciebat adeſſe, qui crederent. Reſpondetur ſenſum eſſe, quod tunc voluerit incarnari, quando exiſtebant illi, qui erant prædeſtinati à Deo ad credendum, vt ipſe explicat *cap. 9. de bono perſeuerantiæ*.

46 Obijciunt decimò. Chriſtus æqualiter pro omnibus eſt mortuus, ergo ratione meriti Chriſti debetur omnibus gratia æqualis, ergo, ſi non datur, debet prouenire ex præſcientia meritorum. Reſpondetur. Chriſtum æqualiter pro omnibus eſſe mortuum quò ad oblationem pretij, non autem quoad ęqualitatem omnium beneficiorum.

47 Obijciunt decimo primò. Per ſolam gratiam ſufficientem nemo ſaluatur, ergo ſi dat hāc gratiam abſque demerito, qui illam recipiunt damnabuntur abſque demerito. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia damnatio non prouenit ratione gratiæ ſufficientis, ſed quia liberè à voluntate reſpicitur.

An prædeſtinatio ad gratiam ſupponat opus morale vt diſpoſitionem.

SECTIO III.

48 QVæſtio procedit ſuppoſito, quod poſſit dari aliquod opus bonum morale, quod fiat ex ſolis viribus naturæ, quia, ſi fit ex gratia, iam ſupponit primam gratiam aut ſi non poteſt, ceſſat difficultas.

Prima ſententia aſſerit, opera bona moralia naturalia eſſe diſpoſitionem de congruo ad gratiam, atque adeo prædeſtinationem ſupponere ipſius præuiſionem. Ita Gabriel *in 1. diſt. 41. q. vnica art. 3. dub. 1. & in 2. diſt. 27. q. 1. art. 2.* Durandus *diſt. 28. q. 5.* Caiet. *tom. 1. opuſc. trac. 4. q. 1.* Fundamentum eſt. Quia ſine hac diſpoſitione præuiſa Deus eſſet acceptor perſonarum.

49 Secunda ſententia aſſerit, bona opera moralia regulariter non eſſe diſpoſitionem ad gratiam, ſed tantum in aliquo caſu maximè neceſſitatis. Ita Vega *lib. 6. in Tridentinum cap. 17.*

50 Tertia ſententia. Opera moralia poſse eſse diſpoſitionem non reſpectu gratiæ ſanctificantis, ſed reſpectu tantum excitantis. Ita Richardus *in 2. diſt.* 28. Gerſon *Alphabeto 4. littera M.* Sotus *de natura, & gratia cap. 5. lib. 2.*

Probant. Quia talis diſpoſitio non dicit aliquod meritum neque etiam de congruo, quia opus meritorium ſupponit dignitatem perſonæ operantis, vel ſaltem proportionem operis. Secundò. Quia eſt congruum Diuinæ æquitati, vt acceptet hos actus tanquam diſpoſitionem; vndè ſcriptura promittit auxilium gratiæ peccatoribus bene operantibus: Tertiò. Natura rationalis habet capacitatem gratiæ, ergo bona opera ipſius eam diſponunt ad gratiam.

51 Quarta ſententia eſt abſolutè negatiua. Ita D. Thomas *p. 2. q. 109. art. 6. & q. 112. artic. 2. & 3.* & communiter.

52 Dico primò. *Nullum opus naturale moraliter bonum eſſe diſpoſitionem aut primam, aut ſufficientem ad iuſtificationem, atque adeo prædeſtinationem ad ipſam non eſſe ex præuiſione talis diſpoſitionis.* Eſt de fide ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 5. & cant. 1.* vbi definit exordium iuſtificationis deſumendum eſſe ex ipſa gratia præueniente. Probatur. Prima diſpoſitio ad iuſtificationem eſt fides ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 6.* & ratio eſt, quia iuſtificatio eſt acceſsus ad amicitiam Dei. Vndè diſpoſitio debet eſse aliquis liber motus in Deum, primus autem motus eſt per fidem, ergo prima diſpoſitio non poteſt eſse aliquid naturale, ut enim fides ſit diſpoſitio, non poteſt eſse ſine gratia Diuina, vt definitur in Tridentino *ſeſſ. 6. can. 3.*

53 Dices. Id valere de prima diſpoſitione conditionata, non autem de illa, quæ eſt aliqualis diſpoſitio. Contra. Ante primum motum in Deum nulla eſt omnino diſpoſitio; hic autem primus motus debet eſse per fidem. Confirmatur. Per diſpoſitionem id, quod diſponitur, accedit ad formam, ad quam diſponitur; primus autem acceſsus ad amicitiam Dei debet eſse aliquis motus in ipſum, quo homo incipiat eleuari ad ordinem ſupernaturalem.

Confirmatur. Diſpoſitio ex vi formalis diſpoſitionis dicit intrinſecam exigentiam illius, ad quod diſponit, etiamſi diſpoſitio ſit remota; nullum autem naturale poteſt exigere ſupernaturale, alioquin ſupernaturale non eſſet ſupernaturale.

54 Dico ſecundò. *Opus bonum morale ex viribus naturæ non eſt conditio requiſita ad obtinendam primam gratiam excitantem.* Eſt de fide, & deſumitur ex Auguſtino 1. *ad Simplicianum q. 2. & 1. de peccatorum meritis capit. 22. & 4. contra Iulianum capit. 3.* Probatur. Concilium Arauſicanum can. 4. definit; Deum non expe-

Digitized by Google

expectare noſtras voluntates, vt à peccato purgentur; expectaret autem, ſi eſſet neceſſarium aliquod opus morale vt conditio.

55 Dices. Concilium intelligere de iſta voluntate, qua volumus purgari à peccato, non autem de omni bono opere. Contra. Concilium definit, Deum non expectare noſtram voluntatem, quia de ſe non poteſt præparari ad gratiam, ſi autem homo poneret aliquam diſpoſitionem, ſe præpararet ad gratiam. ergo

Confirmatur. Si requireretur conditio aliqua naturalis ad gratiam, homo ſe diſponendo quæreret Deum, contra illud. Iſaiæ 65. *Inuentus ſum à non quærentibus me*, & gratia ſubijceretur labori humano, quod damnatum eſt in Concilio Arauſicano. Confirmatur ſecundò. Iſta diſpoſitio ſe haberet per modum impetrationis, ergo gratia daretur ex impetratione noſtra.

56 Dico tertiò. Actus morales bonos naturales nullo pacto poſſe diſponere ad gratiam in quocunque genere hominum; deſumitur ex D. Auguſtino *cap.* 1. *de prædeſtinatione Sanctorum*, vbi habet. *Fides non eſt ex operibus ne forte quis extollatur, ſolet enim dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat, antequam crederet, quod de Cornelio dici poteſt, cuius, vt narratur Actorum* 10. *acceptæ ſunt eleemoſinæ, & exauditæ orationes ante, quam crederet in Chriſtum, nec tamen ſine fide donabat, & orabat.* Probatur. Vel opera iſta ſupponunt fidem, vel non. Si primum, ergo ſupponunt primam gratiam, ſi ſecundum, contra, quia prima diſpoſitio incipit à fide.

57 Dices. Poſſe eſſe diſpoſitionem ad fidem, licet non ſint ad gratiam. Contra quia eo ipſo, quod eſſent diſpoſitio ad fidem, eſſent etiam diſpoſitio remota ad iuſtificationem. Secundò ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ergo non poteſt dari diſpoſitio ad fidem. Tertiò. Quia fides eſſet ex operibus, contra illud. Ad Epheſios 2. *Fides non eſt ex operibus.*

58 Confirmatur. Hæc diſpoſitio, eſſet moralis, de cuius ratione eſt, vt diſponat dignificando, ergo Deus inueniret aliquam dignitatem ex viribus naturæ contra definitionem Conciliorum.

Dices. Poteſt quis audita prædicatione fidei, quamuis tunc non crediderit, poſtea excitari illam recogitando ad affectum fidei, ergo iſte naturalis affectus erit diſpoſitio. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia erit ſolum excitatio ad acquirendam illam naturalem inſtructionem, ſicut etiam poteſt aliquis fidelis excitari ad deſiderium acquirendi inſtructionem religionis infidelium.

59 Dices ſecundò. Cum peccator habeat fidem, poterit ipſe ſaltem diſponi ad gratiam per talia opera, ergo. Reſpondetur non poſſe, quia fides in ipſo abſque gratia ſe habet veluti mortuo modo, nec operatur ex vi illius.

60 Ad fundamentum primæ ſententiæ negatur ſequela. Nam acceptio perſonarum habet tantum locum in ijs, quæ dantur ex diſtributiua iuſtitia, gratia autem datur merè gratis.

61 Ad primum tertiæ ſententiæ negatur conſequentia. Nam eo ipſo, quod opus morale non ſupponit dignitatem perſonæ, neque dicit aliquam proportionem, non poteſt eſſe diſpoſitio, quia diſpoſitio deeſſe aliquid proportionatum. Ad ſecundum negatur aſſumptum. Quia non eſt congruum Diuinæ æquitati, quod eſt contra naturam, vt quod gratia habeat pro diſpoſitione aliquod naturale, ſcriptura autem promittit gratiam ijs operibus, ſed factis cum auxilio gratiæ. Ad tertium negatur conſequentia. Quia diſpoſitio debet eſſe in eodem ordine, in quo eſt forma.

62 Quæres. An ſaltem prædeſtinatio ad gratiam ſit, ex diſpoſitione negatiua, qua tollitur peccatum.

Reſpondetur negatiuè, alioquin poſſet aſſignari ratio, cur Deus potius hunc eligeret, quam alium contra exemplum de figulo. *Ad Romanos* 9. qui ex eadem maſſa facit aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam, & gratia non eſſet merè ex propoſito Dei, ſed etiam ex homine ſe ipſum diſcernente aliquo pacto, vndè quando ſcriptura aſſignat ignorantiam tanquam rationem, cur Deus miſereatur, non intelligit, quod ſit ratio motiua, aut diſpoſitiua, ſed tantum quod finis miſericordiæ ſit tollere ignorantiam, ob quam aliquis peccat, & ideo particulæ cauſales, quas adhibet, ſignificant conſequutionem finalem.

DE PRAEDESTINATIONE AD Gloriam.

DISPVTATIO XLIII.

An ſit ex præuiſis meritis.

SECTIO I.

1 LOquimur de Prædeſtinatione, pro vt dicit decretum dandi gloriam, & quærimus, An ſupponat decretum dandi gratiam, atque adeo etiam merita præuiſa.

Supponendum autem eſt contra Valentiam *prima parte diſput.* 1. *quæſtion.* 23. *punc.* 4. *concluſ.* 2. Prædeſtinationem ad gloriam ſecundum ſigna, quæ diſtinguimus in actibus Diuinis, non eſſe ſimul cum cooperatione liberi arbitrij meritoria, licet enim omnes effectus prædeſtinationis ſint connexi cum tali cooperatione, quia tamen actus habet illum ordinem proportionaliter, quem habent obiecta, & gloria, & merita non ſint ſimul, ſed habeant ordinem dependentiæ ad inuicem, ideo etiam actus Diuini ad ipſa terminati non ſunt ſimul, ſed habent ordinem ad inuicem.

2 Prima ſententia aſserit decretum de gloria eſse ante præuiſionem meritorum. Ita D. Thomas *q.* 6. *de veritate art.* 2. *ad* 9. *& in* 1. *diſt.* 41. *q.* 1. *art.* 2. *& p. p. q.* 23. *art.* 4. Herueus *in* 1. *diſt.* 40. *q.* 1. *art.* 3. Capreolus *diſt.* 41. *q.* 1. Scotus *quæſt.* 1. Durandus *ibidem* Ariminenſis *art.* 2. Caietanus *citato loco primæ partis*. Bannes, Ripa, Cumel *ibidem* Molina *diſp.* 1. *mem.* 6. Faſolus *art.* 1. *dubit.* 3. Suarez 1. *de prædeſtinatione cap.* 8. Ruiz *diſp.* 8. *de prædeſtinatione, & ſequentibus*, & communiter tam Thomiſtæ, quam Scotiſtæ.

Probant. Ad Rom. 9. *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori*, hæc autem propoſitio, cum ſit in materia dogmatica, debet accipi vniuerſaliter, & intelligi ne dum de prædeſtinatione ad gratiam, ſed etiam ad gloriam. Confirmatur. Eſau non fuit reprobatus à prima gratia, ſed à gratia finali, ergo Iacob fuit prædeſtinatus ante præuiſionem operum ad gratiam finalem, atque adeo ad gloriam, quæ eſt connexa cum gratia finali. Secundò, Agens intellectuale non poteſt velle media vt media, niſi præhabeat intentionem finis, ergo Deus non poteſt velle merita, niſi præhabeat intentionem gloriæ. Tertiò. Paruuli non poſſunt prædeſtinari ex meritis, ergo neque etiam alij. Confirmatur. Aliqui moriuntur in gratia, dum dormiunt, tunc autem perſeuerantia non eſt meritum, ſed donum Dei, ergo, etiam gloria non eſt ex meritis, cum detur ratione perſeuerantiæ. Quartò. Non poſset aſſignari ratio, cur Deus aliquibus daret media infallibilia ad ſalutem, & aliquibus tantum ſufficientia. Quintò. Præ-

deſtinatio Chriſti ad gloriam non fuit ex meritis præuiſis ergo neque etiam noſtra. Sextò. Sequeretur quod, Deus non haberet ſpecialem prouidentiam de electis vſque ad vltimum punctum perſeuerantię, quia etiam reprobi habent gratiam efficacem ad plures actus bonos, & perſeuerantiam pro aliquo tempore, niſi daret illis omnia media ex efficaci intentione gloriæ.

3 Secunda ſententia ait, Aliquos ex ſpeciali priuilegio eſſe prædeſtinatos ad gloriam, ante præuiſa merita, vt Beatam Virginem, Apoſtolos, Hieremiam, & nonnullos alios, cæteros vero fuiſſe prędeſtinatos ex præuiſis meritis. Ita Ochamus *in 1. diſt. 41.*

4 Tertia ſententia abſolutè aſſerit, prædeſtinationem ad gloriam eſſe ex præuiſis meritis. Ita D. Bonauentura *in prima diſtinct. 41. art. 1. quæſt. 2.* Argentinas *quæſt. 1. artic. 2.* Aureolus *artic. 1. & 2.* Bacconius *artic. 2.* Henricus *quodlibeto 8. quæſt. 1.* Vaſquez *prima parte diſput. 89. cap. 2. & ſequentibus.* Leſſius *opuſcul. de prædeſtinatione diſput. 1. artic. 2.* Turrianus *opuſc. de electione ad gloriam diſput. 1. dubit. 5.* Amicus *prima parte diſput. 15. ſec. 4.* & alij.

5 Notandum primò. Aliquid eſſe prius volitum contingere dupliciter. Primo modo ex parte volitionis, cum inter actus adeſt ordo ita, vt vnus actus prius terminetur ad obiectum, quàm alter actus. Secundo modo ex parte obiecti, & tunc prioritas eſt in genere formali obiectiuo, & dicit, quod aliquid vt forma determinet volibilitatem obiecti, & tunc interuenit tantum vnus actus, quo attingitur obiectum determinans, & determinatum.

6 Notandum ſecundò. Finem eſſe determinationem, cur media ſint volibilia, vndè obiectiuo modo eſt prius volitus, quia determinat ipſa media; hac autem determinatio fit dupliciter, Formaliter, & in recto, quando videlicet finis per ſe primo attingitur, media vt ſtant ſub fine, & determinatiuè, quando videlicet finis vt terminus determinat volibilitatem mediorum, & tunc determinatio conſiſtit formaliter in illo ordine, quem habent media ad finem. Hinc primo modo eadem volitio attingit in recto tam finem, quam media, poſteriori modo attingit formaliter media, & connotatiuè vt terminum ipſum finem.

7 Notandum tertiò. Aliud eſſe, media eſſe volita in ordine ad finem, & aliud eſſe volita ex intentione finis. Primum dicit, quod volitio tendat in media vt cauſatiua finis; ſecundum, quod præcedat aliquis actus attingens finem in ſe ipſo, & ratione huius ſequatur alius actus tendens in media.

8 Notandum quartò. Ad ſaluandum, quod media ſint volita propter finem, atque adeo cauſationem finalem inter obiecta ſufficere, ſi media ſint volita ſecundum determinationem, quam habent à fine. Ratio eſt, quia tali pacto finis ratione ſuæ bonitatis tribuit volibilitatem medijs, vndè media attinguntur dependenter à bonitatę finis.

9 Notandum quintò. Prædeſtinationem habere pro fine vnionem creaturæ intellectualis cum ſuo vltimo fine, ita vt ipſum participet eo modo, quo poteſt. Duplici autem modo participat ſuum finem ſupernaturalem, videlicet in eſſendo, & in fruendo. Primo modo participatio fit per gratiam, quæ perficit habitualiter, & eleuat ad quoddam eſſe Diuinum, gratia enim eſt quædam participatio Diuinæ naturæ iuxta illud. *Maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc Diuinæ efficiamur conſortes naturæ.* Secundò modo importat operationes fundatas in participatione in eſſendo, quæ ſunt poſſeſſio ipſius finis, & fruitio.

10 Notandum ſextò. Gratiam ſanctificantem huius vitæ ordinari ad gratiam alterius vitæ tamquam diſpoſitionem, diſponitur enim homo ad illud eſſe ſupernaturale, quo coniūgitur ſuo vltimo fini, ita vt illi ſint debitæ operationes beatificæ, hęc autem gratia eſt vita ſupernaturalis ipſius animæ iuxta illud Ioannis 5. *Filius quos vult viuificat.* Et ratio eſt, quia illud eſt vita, quod eſt principium operationum vitalium; gratia autē eſt principium illarum operationum, quibus creatura rationalis verſatur circa finem ſupernaturalem.

11 Dico primò. *Finem primarium, & per ſe primò intentum, ad quem per ſe primò ordinantur media in prædeſtinatione, eſſe ipſum eſſe ſupernaturale in eſſe conſumato, quod conſiſtit in gratia conſumata, & completa per omnia dona ſupernaturalia.* Probatur. Ad Romanos 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus,* ergo prædeſtinatio per ſe primò reſpicit vitam ſupernaturalem. Conſequentia probatur. Quia prædeſtinatio tendit ad comunicandam imaginem, & fraternitatē Chriſti, hæc autem communicatio fit ratione gratiæ iuxta illud. *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus, & imaginem illius, qui de cælo eſt.* Confirmatur. Ad Ephæſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſācti, & immaculati,* ergo finis electionis eſt ſāctitas, quæ conſiſtit in gratia; vndè ſubdit Apoſtolus. *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum,* ergo finis fuit adoptio, quæ formaliter habetur per gratiam. Confirmatur ſecundò. Quando interuenit finis *Cuius*, & finis, *Cui*, quod primò intenditur eſt finis, *Cui*, ergo quod primo intenditur in prædeſtinatione eſt homo conſtitutus in eſſe ſupernaturali. Antecedens patet. Quia finis, *Cuius*, eſt propter perfectionem finis *Cui*, nam eſt aliquid bonum propter ipſum volitum. Conſequentia probatur quia eſſe ſupernaturale importat ipſam vitam ſupernaturalem, qua conſtituimur in eſſe filiorum Dei, & gloria eſt propter perficiendum hominem vt conſtitutum in hoc eſſe ſupernaturali, & ideo hoc eſſe ſupernaturale eſt finis *Cui*, gloria autem finis *Cuius*.

12 Dico ſecundò. *Gratiam conſumatam tanquam finem determinare volibilitatem eorum omnium; quæ, vt effectus prædeſtinationis, ipſam antecedunt.* Probatur. Omnes effectus prædeſtinationis, qui antecedunt gratiam conſumatam, integrant illum ordinem, qui perducit ad ipſam gratiam, ergo determinantur ab ipſa gratia quò ad ſuam volibilitatem tanquam à fine.

13 Dico tertiò. *Hunc ordinem in Diuinis decretis eſſe conſtituendum, vt Deus decernat primum medium, deinde ſecundum, quouſque perueniatur ad finem, & poſtea ea, quæ conſequuntur finem, Ita tamen vt media terminent Diuina decreta ſecundum determinationem quam habent à fine.* Probatur. Media ſic conſiderata habent vt poſſint terminare Diuinum decretum, etiamſi prius non ſit volitus finis, ergo prius ſunt volita. Antecedens patet. Quia media non ſunt volibilia, niſi ratione finis, ergo vt determinata à fine habēt, vt poſſint terminare volitionem. Conſequentia probatur. Quia in tantum eſt neceſſarium, vt præcedat volitio finis, in quantum debet determinare volibilitatem mediorum, ſufficienter autem determinat, ſi in eſſe obiectiuo ſit ratio volendi. Confirmatur. In tantum media non poſſent eſſe prius volita, in quantum volitio finis debet eſſe prior; ſed hoc non valet de fine mediorum, ſed de illo tantum, qui eſt finis ipſius volentis, ergo cum Deus non habeat alium finem, niſi propriam bonitatem, poteſt velle media ante volitionem finis rerum creatarum.

14 Dico quartò. *Gloriam decerni à Deo præuiſis meritis tanquam mercedem, & tanquam hæreditatem, præuiſa gratia conſumata.* Probatur Iacobi 2. *Deus elegit pauperes in hoc modo diuites in fide, & hæredes regni quod repromiſit Deus diligentibus ſe,* hoc eſt elegit, quos fecit diuites in fide; deindè, cum promiſſum conſiſtat in decreto conferendi aliquod bonum, & reſpiciat diligentes, iam tale decretum ſupponit media. Matthei 25. dicitur regnum præparatum electis à conſtitutione mundi quia exercuerunt opera miſericordiæ.

15 Dices explicari tantum cauſam exequutionis tēporalis,

Digitized by Google

lis, non autem præparationis ęternę. Contra. Explicatur cauſa beatitudinis; ergo ſicut media in exequutione ſunt cauſa exequutionis, ita in præuiſione ſunt cauſa præparationis. Confirmatur. Deus ab æterno præuidit merita; & quia attingit comprehenſiuo modo omne obiectum, debuit illa ab æterno attingere vt remunerabilia, ergo voluit ipſis remunerationem.

16 Dices ſecundò. Ex his ſequi, quod ſit in Deo poſt præuiſionem meritorum alius actus iuſtitię remuneratiuę. Contra. Decreta diuina ſunt cauſatiua illius, quod vult voluntas diuina, ergo non debent multiplicari plus, quàm neceſſe ſit in ordine ad communicationem; alioquin aut plus influerent, quàm eſſet in effectu, quod implicat; aut aliquid ipſorum fruſtratorium eſſet, & nihil influeret, quod ſimiliter implicat; ſed decretum de gloria per modum mercedis præuiſis meritis eſt ſe ſolo ſufficiens ad ponendum gloriam, ergo. Confirmatur. Quia non poteſt dici, quod ſit idem decretum, cui addatur aliqua cõditio, quia primum eſſet intrinſecè decretum liberale; ſecundum verò actus iuſtitię remuneratiuę. Secundò. Tale eſt decretum, quale eſt obiectum in tempore, cum ſit tale ex ordine ad obiectum, ergo cum in tempore ſit tantum obiectũ iuſtitiæ remuneratiuæ, non poteſt decretum habere aliam rationem, quam iuſtitiæ. Tertiò. decretum liberum non poteſt concipi, niſi terminetur ad obiectum ad extra aut futurum, aut exiſtens, ergo non poteſt eſſe multiplex, niſi ſit multiplex obiectum; ſed gloria ſiuè futura, ſiuè exiſtens, ſemper dicit rationem mercedis, ergo. Quartò. Actus diuini liberi colliguntur tantum ex obiectis exiſtentibus, ergo cum ſit gloria tantum per modum remunerationis, non poteſt poni circa ipſam alius actus, quam remuneratiuus.

17 Secundò probatur ex Patribus Fulgentio 1. ad Monimum cap. 24. *Prædeſtinauit ad regnum, quos ad ſe præſciuit miſericordiæ præuenientis auxilio redituros.* Chryſoſtomo homil. 80. in cap. 20. Matthęi. *Antequam nati ſitis, quia ſciebam vos huiuſmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuerunt.* Cyrillo 10. Theſauri cap. 6. *Non eſt meum dare primum honorem vobis petentibus, qui reſeruatus eſt in præſcientia Patris illis, quos exceſſus certandi commendauerit.* Epiphanio hæreſi 69. *Hoc vult oſtendere, quod non iuxta perſonarum acceptionem res iſta fiat, ſed pro dignitate;* loquitur autem de electione ad gloriam. Hieronymo in cap. 1. Malachiæ. *Quos præſciuit de gentibus credituros, elegit, & ex Iſrael eiecit incredulos.* Ambroſio 5. de fide. cap. 2. *Apoſtolus ait ſolus ait, quos præſciuit, & prædeſtinauit, non enim ante prædeſtinauit, quam præſciret; ſed quorum merita præſciuit, eorum præmia prædeſtinauit.*

18 Reſpondent. Hos Patres eſſe intelligendos de electione ſecundum ordinẽ exequutionis; adeſſe tamen aliam electionem per modum intentionis ante præuiſa merita. Contra. Quia ita docent elegiſſe poſt præuiſa merita, vt excludant omnem aliam electionem. Tum quia loquuntur de pręparatione; præparatio autem ſe habet per modum intentionis; Tum quia hoc dicunt, vt excludatur perſonarum acceptio.

19 Tertiò probatur. Electio ad gloriam eſt tamquam ad hereditatem, & mercedem, ergo eſt decreta ex præuiſione gratię conſumatæ, & meritorum. Conſequentia probatur. Quia hæreditas dicit ordinem eſſentialem ad eſſe filiorum Dei, & merces ad merita, & ad labores.

20 Reſpondent. Deum decreuiſſe gloriam dandam ex meritis, non autem decreuiſſe intuitu meritorum. Contra. In illo ſigno, in quo Deus decernit gloriam vt coronam, ſe habet vt corona, ne dum poſſibiliter, ſed etiam efficaciter quò ad futuritionem, ergo cum ratio coronæ dicat ordinem ad merita, non poteſt eſſe abſolutè futura, niſi etiam merita ſint abſolutè futura. Secundò. Quę ſunt neceſſariò connexa, nec pręciſiuè poſſunt ſeparari, ergo cum merces exiſtens, ſit neceſſario connexa cum meritis exiſtentibus, non poſſunt ſeparari in ordine ad exiſtentiam.

21 Reſpondent ſecundò. ſufficere, ſi media pręuideantur conditionatè futura. Contra. Quia corona abſolutè futura dependet ex meritis abſolutè futuris. Secundò. Quia merita conditionata non ſunt merita huius determinatę perſonę, quia fiunt tantum illius de eo, quod exerceantur ab ipſa. Tertiò. Quia Deus ſub conditione non magis cognoſcit merita, quam demerita.

22 Reſpondent tertiò. Deum prius intendere gloriam ſecundum ſe; deinde velle merita, & poſtea pręuiſis meritis, decernere gloriam vt mercedem. Contra. In tantum deberet intentio glorię pręcedere, in quantum deberet eſſe ratio, cur eligerentur media in ordine ad gloriam; ſed non poteſt eſſe, ergo. Minor probatur. Quia finis, prout ſtat in intentione, eſt ratio eligendi media, atque adeo eſt ratio eligendi illa tantum, quę ipſi proportionata ſunt ſecundum eſſe, quod habet in intentione, media autem non correſpondent gloriæ ſecundum ſe præciſè, ſed prout eſt merces, ergo ſi ſecundum rationem mercedis non ſtat in intentione, neque etiam poteſt eſſe ratio eligendi merita vt media.

23 Reſpondent quartò. Primum actum intentionis gloriæ eſſe ex meritis in communi, deindè Deum eligere talia media, & his præuiſis decernere gloriam, vt coronam tali perſonę determinatæ. Contra. Primus actus intentionis ſupponit merita in communi, quia corona dicit eſſentialiter ordinem ad illa, ergo primum decretum dandi gloriam huic determinatæ perſonę ſupponit merita ipſius in particulari.

Quartò probatur. Ideo intentio ad gloriam deberet pręcedere merita, quia finis extrinſecus, prout ſtat in intentione, debet eſſe principium electionis mediorum; ſed in Deo non poteſt eſſe, ergo. Minor probatur. Quia non acquirit eſſe intrinſecum in Deo, alioquin Deus moueretur ab obiecto extrinſeco, ſed ſola eius bonitas eſt ratio vt velit, quidquid vult.

24 Dices. Intentionem finis non ſolum debere pręcedere, vt ſit principium electionis mediorum, ſed etiam, vt ſit ratio, cur voluntas diuina terminetur ad aliud obiectum, nam vult vnum propter aliud. Contra. Vt velit media propter finem, ſufficit, ſi voluntas diuina terminetur ad ipſa, prout dicunt ordinem ad finem; quia eſſe propter finem nihil aliud dicit, niſi ordinari ad finem, ergo non eſt neceſſe, & pręcedat intentio.

25 Dico quintò. *Nec de potentia abſoluta poſſe Deum ante præuiſa merita intendere gloriam efficaciter, ſuppoſito, quod ſit danda ex meritis.* Probatur. Omnis actus liber diuinæ voluntatis efficax debet habere in tempore aliquod obiectum, ad quod terminetur, ergo non poteſt, antequam pręuideat merita, vt abſolutè futura, decernere dare gloriam, quę ſit danda ex meritis.

Conſequentia probatur. Obiectum terminat actum diuinum ratione futuritionis, & exiſtentię, quam eſt habiturum in tali differentia temporis, ergo ſi ante pręſcientiam meritorum adeſt efficax actus circa gloriam, ex vi ipſius intelligitur gloria terminans actum ſecundum futuritionem, & independenter à meritis, cum in illo ſigno non ſint merita, à quibus dependeat.

Confirmatur. Eadem ſemper eſt terminatio actus diuini ab ęterno, & in tempore, alioquin actus diuinus mutaretur terminatiuè, ergo ſi ab ęterno in primo ſigno eſſet terminatio ad obiectum independens à meritis, eſſet etiam in tempore.

26 Dices. Deum non decernere gloriã quocunq; modo, ſed dandam ex meritis. Contra. Vel in illo ſigno gloria terminat actũ diuinũ ſecundum dependentiam à meritis;

Digitized by Google

vel non. Si primum. Contra. Quia non poteſt abſolutè eſſe futura dependentia, niſi etiam abſolutè ſint futura merita. Si ſecundum, ergo non decernitur gloria cum dependentia à meritis.

27 Dices ſecundò. In primo ſigno gloriam eſſe futuram inadæquatè, pro vt prouenit à voluntate Dei. Contra. In primo ſigno non habet futuritionem ex parte omnium cauſarum, ergo nullam, quia indiuiſibiliter dependet ab omnibus. Secundò. Nihil eſt in effectu, quod non habeat dependenter à voluntate Diuina, ergo ſi in primo ſigno gloria non habet dependentiam à meritis, nunquam habebit.

28 Dico ſextò. *Quidquid in tempore datur dependenter à meritis, fuit ab æterno decretum ex præuiſione meriti, ſi conſideretur vt quidam ſpecialis effectus prædeſtinationis ſeorſim ab alijs.* Probatur. Nam ſi datur ex merito, dicit ordinem ad merita, atque adeo ſecundum hunc ordinem terminat decretum Diuinum.

29 Dico ſeptimò. *Deum decreuiſſe prædeſtinatis ante præuiſa merita gloriam non in ſe ipſa, ſed in gratia efficaci tamquam in medio infallibili.* Deſumitur ex illo Lucæ 12. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*, verbum enim, *Complacuit*, ſignificat gratuitam voluntatem, quæ terminetur ad regnum contentum in gratia efficaci, quod ex eo patet, quia Chriſtus hoc dixit, vt expelleret timorem, & ſpem excitaret, quia ratione huius complacentiæ aderat fundamentum maximum ſperandi; hoc autem fundamentum eſt gratia. Probatur. Media eliguntur à Deo vt media, ergo vt virtualiter continentia ipſum finem, ergo dum vult media, vult etiam finem, vt in ipſis contentum.

30 Ad primum reſpondetur. Scripturam eſſe intelligendam de prædeſtinatione adæquatè ſumpta, quæ, vt dicemus, non ſupponit merita, quia inuoluit etiam gratiam, non autem de præciſa electione ad gloriam. Neq; ex eo, quod ſit materia dogmatica, quod dicitur de prædeſtinatione ad gratiam, aut de prædeſtinatione adæquata, debet dici de præciſa electione ad gloriam, cum non ſit eadem ratio. Ad Confirmationem negatur conſequentia. Nam ſicut gratia finalis non eſt gloria, ita nec prædeſtinatio ad ipſam præciſè, eſt prædeſtinatio ad gloriam; vndè ex eo, quod vna ponatur gratuita, non ſequitur, quod debeat poni etiam altera, deindè ibi non eſt ſermo de prædeſtinatione Iacob, & de reprobatione Eſau reſpectu gratiæ finalis, ſed de prædeſtinatione, & reprobatione adæquata. Ad ſecundum. Antecedens eſſe verum, quando finis non ſolum eſt finis mediorum, ſed etiam ipſius agentis: ita vt circa ipſum exerceat vim motiuam. Secus autem ſi non moueat, quia in tantum debet præintendi, in quantum debet mouere agens ad electionem mediorum; Deus autem non mouetur ab aliquo obiecto creato. Ad tertium negatur conſequentia. Nam ſicut paruulis non datur gloria vt merces, ita neq; ipſis prædeſtinatur vt merces, & ideo electio ipſorum ad ipſam non debet eſſe ex præuiſis meritis. Ad Confirmationem. Cum quis dormiendo moritur, datur gloria ipſi intuitu perſeuerantiæ vt hæreditas, intuitu vero præcedentium meritorum vt corona: vndè etiam ipſis commenſuratur, & ideo decernitur ex meritis præuiſis. Ad quartum negatur conſequentia. Nam quod Deus vni det media infallibilia ad ſalutem, non prouenit ex præintentione finis, ſed quia illa elegit cum ordine ad finem, qui in ipſis meritis efficaciter intenditur. Ad quintum negatur conſequentia. Quia Chriſtus non habuit ex meritis; nam ſtatim in primo inſtanti conceptionis fuit beatus, quia tanquã vniuerſale caput debuit habere omnia dona. Ad ſextum negatur ſequela. Quia quælibet gratia, quæ datur prędeſtinatis, datur in ordine ad finem, atque adeo eligitur à Deo tamquam medium determinatum ſecundum ſuam volibilitatem à bonitate finis.

31 Ex dictis colligitur. Omnes homines eodem modo fuiſſe prædeſtinatos ad gloriam ex præuiſis meritis. Rationes enim allatæ pro omnibus militant, nec ex ratione, aut ex Scriptura, aut ex Patrum auctoritate habetur fundamentũ conſtituendi diſcrimen, nam licet aliqui ſint confirmati in gratia, & alij in ventre ſanctificati, non per hoc fit, vt debuerint ante præciſa merita prædeſtinari, quia ſanctificatio in ventre dicit tantum, quod tunc infundatur gratia.

Confirmatio verò in gratia dicit tantum ſpecialem aſſiſtentiam, qua Spiritus Sanctus aſſiſtit, ne quis peccet.

32 Colligitur ſecundò. Angelos quoque fuiſſe eodem modo prædeſtinatos tam ad gloriam ex præuiſis meritis, cum ſit eadem ratio, vt de hominibus, quàm ad gratiam abſque præuiſione meritorum. Et licet hoc de Angelis non ſit expreſsè definitum à Concilijs, implicitè tamen definitum fuit, quia vniuerſaliter decernunt, gratiam non poſſe eſſe ex meritis.

An prædeſtinatio adæquata ſupponat merita præuiſa.

SECTIO II.

33 SVmimus prædeſtinationem, prout terminatur ad omnes ſuos effectus per modum vnius decreti, atque adeo prout eſt decretum quoddam gratiæ, & gloriæ ſub vna ratione obiecti conſurgente ex formali determinatiuo finis.

34 Dicendum eſt. *Prædeſtinationem ſecundum eſſe adæquatum non habere cauſam moralem meritoriam, atque adeo non eſſe ex præuiſione alicuius meriti.* Ita D. Thomas *prima p. q.23. art.5.* & communiter.

Probatur. Ad Romanos 9. vbi Apoſtolus exemplo Iacob, & Eſau probat, prędeſtinationem non eſſe ex operibus, ſed ex libero propoſito Dei.

Dices eſſe intelligendum de ſola prædeſtinatione ad gratiam. Contra. Quia loquitur de illa prędeſtinatione, qua quis diſcernitur ab alio, & conſtituitur vas honoris, hęc autem eſt prędeſtinatio adęquata.

35 Confirmatur. Prędeſtinatio explicatur à ſcriptura per modum creationis, quę eſt productio nihil ſupponens ex parte producti. Ad Epheſios 2. *Ipſius enim factura ſumus creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ pręparauit Deus, vt in illis ambulemus*, & cap. 4. *Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis*, ergo prędeſtinatio non ſupponit aliquod meritum, alioquin non ſe haberet per modum creationis. Confirmatur ſecundò. Prędeſtinatio adęquata includit totam collectionem gratiæ, & reſpicit puram naturam, ergo non poteſt eſſe ex meritis, quia pura natura non habet aliquam proportionem meriti ad ſupernaturalia.

36 Obijcies: ſequeretur ſi prædeſtinatio non eſſet ex meritis, quod merita eſſent inutilia, quod ſuperflua eſſet induſtria ad benè operandum, exhortatio, prædicatio &c. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia prædeſtinatio reſpicit finem mediantibus meritis, & alijs medijs, & ideo ad ipſius execuṫionem neceſſaria eſt cooperatio liberi arbitrij.

37 Obijcies ſecundò. Deus non operatur irrationabiliter, ergo prædeſtinando habet aliquam rationem ex parte prædeſtinati. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia operatio Dei eſt rationabilis non ratione motiui extrinſeci, ſed quia eſt ſecundum regulas diuinæ rationis.

Quæ

Quæ ſit mens Diui Auguſtini.

SECTIO III.

38 QVia Eccleſia plurimum defert doctrinæ D. Auguſtini quò ad prædeſtinationem, ideo videndum eſt, quid in hac materia ſenſerit, vnuſquiſque enim in ſuam ſententiam ipſum trahere conatur.

Dico primò. *Diuum Auguſtinum poſuiſſe prædeſtinationem ante præuiſa merita; tunc autem ſumpſiſſe prędeſtinationem adæquatè.* Probatur. Quia vbi tradit hanc gratuitam electionem, ſemper coniungit gratiam cum gloria, vt *cap. 7. de correptione, & gratia*. *Quicunque, ergo ab originali damnatione iſta diuinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium, quod & procuratur eis audiendum Euangelium, & cum audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operantur, perſeuerant*. Et infra explicans ad quid electi ſint ait. *Electi autem ſunt ad regnandum cum Chriſto*; & rurſus de Apoſtolis, & Iuda dicit. *Illos debemus intelligere electos per miſericordiam, illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum ſuum, illum ad effundendum ſanguinē ſuum.* Et *cap. 15. de prædeſtinatione Sanctorum*, cum docuiſſet, Chriſtum non potuiſſe mereri ſuam prædeſtinationem, ſubdit. *Quiſquis in capite noſtro præcedentia merita ſingularis illius generationis inuenerit, ipſe in nobis membris eius multiplicatę regenerationis inquirat*.

39 Dico ſecundò. *Diuum Auguſtinum potuiſſe etiam electionem poſt præuiſa merita, & tunc loqui de electione ad gloriam præciſè.* Probatur. Quia ponit electionem, quæ proueniat ex diſcrimine eorum, qui eliguntur, ab ijs, qui non eliguntur, vt 1. Ad Simplicianum quæſtio. 2. *Non ergo ſecundum electionem propoſitum Dei manet, ſed ex propoſito electio: ideſt non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quę eligat, ideo manet propoſitum iuſtificationis, ſed quia illud manet, vt iuſtificet credentes, ideo inuenit opera bona, quæ iam eligat ad regnum cælorum*. Et infra. *Non tamen electio præcedit iuſtificationem, ſed iuſtificatio electionem, nemo enim eligitur, niſi iam diſtans ab eo, qui reijcitur. Vndè quod dictum eſt, quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem, non video, quomodo ſit dictum, niſi præſcientia*.

40 Reſpondent. Diuum Auguſtinum ſcripſiſſe hos libros, dum eſſet iunior, & poſtea aliter docuiſſe. Contra nam 2. *Retractationum cap. 1.* & *de prædeſtinatione c. c. 4.* & *de bono perſeuerantiæ. cap. 12.* laudat doctrinam ibi traditam, & notat in illa citata quæſtione contineri confutationem erroris Maſſilienſium.

41 Confirmatur. *Sermone 7. de Verbis Domini ſecundum Matthæum*, vbi habet. *Quos voluit Dominus, elegit; elegit autem ſecundum ſuam gratiam, & ſecundum illorum iuſtitiam*. Et infra. *Ego illos elegi, quia vidi mentes eorum de me præſumentes, non de ſe*.

Reſpondent. Diuum Auguſtinum eſſe intelligendum de electione ſecundum ordinem executionis. Contra. Quia nunquam expreſſit electionem ad ſolam gloriā per modum intentionis ante præuiſa merita. Secundò. Quia excludit poſitiuè talem electionem, dum inquit. *Non ergo ſecundum electionem propoſitum Dei manet, ſed ex propoſito electio*.

42 Obijcies. Donum perſeuerantię per D. Auguſtinum eſt ex voluntate dandi gloriam, ergo electio ad gloriam eſt ante decretum de gratia. Antecedens patet ex *cap. 9. de Correptione, & gratia*. Reſpondetur. Diuum Auguſtinum in citato loco tantum docere, quod donum perſeuerantiæ detur prædeſtinatis, quia prædeſtinati ſunt, intelligit autem de prædeſtinatione adæquatè ſumpta.

43 Obijcies ſecundò. Donum perſeuerantiæ eſt gratuitum, vt docet D. Auguſtinus *cap. 6. de Correptione, & gratia*, & *cap. 13. de Bono perſeuerantiæ*. ergo etiam vita æterna; quia eo ipſo, quod decernitur perſeuerantia, decernitur etiam vita æterna. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia, ſicuti gloria eſt diuerſum obiectum à perſeuerantia, ita etiam terminat diuerſum decretum. Vndè non fit vt ſi decretum de perſeuerantia ſit gratuitum, ſit etiam gratuitum decretum de gloria. Deindè perſeuerantia non decernitur vt corona, ſicuti decernitur gloria.

DE EFFECTIBVS Prædeſtinationis.

DISPVTATIO XXXXIV.

An natura, & creatio ſint effectus prædeſtinationis.

SECTIO I.

1 PRima ſententia eſt affirmatiua. Ita Suarez 3. *de Prædeſtinatione cap. 7.* Ruiz *diſp. 24. de Prædeſtinatione ſect. 7.* qui citant etiam D. Thomam *prima p. q. 23. art. 8.*, ſed ibi tantum docet, quod preces Sanctorum poſſunt impetrare aliquid neceſſarium ad prædeſtinationem.

Probant. Natura partim ſubiectiuè, partim efficienter concurrit ad alios effectus prædeſtinationis, ergo. Secundò. Subſtantia hominis poſita in actu ex intentione glorificandi eſt maius beneficium, & melius verificatur, quod ſit creata ad beatitudinem, ergo. Tertiò. Natiuitas vnius hominis poteſt eſſe effectus prædeſtinationis alterius, vt Natiuitas B. Virginis prædeſtinationis Chriſti, ergo etiam propria Natiuitas.

2 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Vaſquez *prima parte diſp. 93. cap. 4.* Smiſing *tract. 3. de Deo vno diſp. 6. q. 5. num. 240.*, & alij.

3 Dicendum eſt. Naturam, & creationem non eſſe effectus prædeſtinationis. Probatur. Prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio ex D. Auguſtino *cap. 10. de Prędeſtinatione Sanctorum*, ergo cum natura non ſit gratia, non poteſt eſſe præparata à prædeſtinatione, atque adeo nec effectus illius. Confirmatur. Diuus Auguſtinus cum alijs Patribus Africanis *epiſt. 95. ad Innocentium*, aſſignans gratiam, quæ eſt effectus prædeſtinationis, excludit naturam, & ait, Aliam eſſe gratiam, qua prædeſtinati vocamur, iuſtificamur, & glorificamur. Confirmatur ſecundò. Prædeſtinatio ex eodem Auguſtino. *cap. 14. de Bono perſeuerantiæ*, eſt præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur, ergo hæc beneficia, quæ ſunt effectus prædeſtinationis, ſupponunt naturam, quæ liberetur.

4 Reſpondet Ruiz. Naturam eſſe effectum prædeſtinationis, quia prærequiritur, vt producatur gratia. Contra. Vel ex vi prædeſtinationis ponitur in eſſe; vel non. Si primum. Contra, quia prędeſtinatio non eſſet præparatio ſolius gratiæ liberatiuæ. Si ſecundum; ergo non eſt effectus.

5 Reſpondet Suarez. Naturam præciſè ſpectatam non eſſe effectum prædeſtinationis, ſed vt fundat gratiam, & finem intentum à prædeſtinatione. Contra. Vt fundat, pręſupponitur, ergo non cauſatur effectiuè. Secundò. D. Auguſtinus excludit naturam à gratia prædeſtinationis, & nume-

Digitized by Google

numerat cum Apoſtolo tres tantum effectus, videlicet Vocationem, Iuſtificationem, & Glorificationem.

6 Ad primum negatur conſequentia. Nam ex eo, quod natura concurrit ſubiectiuè ad effectus prædeſtinationis, non poteſt eſſe effectus illius, quia ſubiectum præſupponitur ad operationem efficientis. Ex eo autem, quod concurrit effectiuè, non ſequitur quod ſit effectus prædeſtinationis, quia non concurrit, niſi vt eleuata per gratiam, & ideo ſolum eleuatio eſt effectus. Ad ſecundum. Hanc maiorem rationem beneficij implicare, quia beneficium naturę non poteſt eſſe à cauſa ſupernaturaliter operante. Homo autem dicitur creatus ad gloriam, quia eſt capax illius. Ad tertium. Illam ſolam Natiuitatem poſſe eſſe effectum prędeſtinationis alterius, quæ inuoluit aliquid ſupernaturale.

An alia bona naturalia ſint effectus prædeſtinationis.

SECTIO II.

7 Alia bona naturalia ſunt illa, quę inſeruiũt aliquo pacto ipſi homini, vt ingenium, indoles, corporis diſpoſitio, & complexio; vitę breuitas, aut longitudo, liberales diſciplinæ, & alia huiuſmodi. Dupliciter autem poſſunt conſiderari, vel vt merè naturalis ordinis; vel prout aliquando ſupernaturali modo fiunt.

8 Prima ſententia eſt abſolutè affirmatiua. Ita Molina 1. *parte q.23.art.2.diſp.3.* Cumel *diſp. vnica, concluſ. 6.* Suarez 3. *de Prædeſtinatione c.7.* Ruiz *diſp.24. de Prædeſtinatione ſect. 2. & ſequentibus* Smiling *tract. 3. de Deo vno, diſp.6.q.5.num.232.*& alij.

Probant. Ad Rom.8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti*, ergo cum inſeruiant fini prędeſtinationis, ſunt effectus illius. Secundò. Bona temporalia ſunt obiectum ſpei theologicę, quatenus iuuant ad ſpiritualia, ergo ſunt etiam effectus prædeſtinationis. Tertiò. Vocatio externa eſt effectus prędeſtinationis; hęc autem aliquando exercetur per res merè naturales. Quartò. Quod vocatio ſit congrua, eſt effectus prędeſtinationis, ergo etiam ingenium, & indoles, quia congruitas conſiſtit in proportione ad ipſa. Quintò. Sapientię 8. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius*, ergo mors pręmatura eſt effectus prędeſtinationis.

9 Secunda ſententia aſſerit, illa tantum bona naturalia eſſe effectus prędeſtinationis, quę dantur ex meriti Chriſti. Ita Vaſquez *prima parte diſp.93.cap.4.*

10 Tertia ſententia ait, illa bona naturalia eſſe effectus prędeſtinationis, quę per modum medij, aut diſpoſitionis conducunt ad gloriam, vel ad incrementum illius. Ita Amicus *prima parte diſp. 15.ſect.5. concluſ.1.*

11 Quarta ſententia. Ea tantum bona naturalia eſſe effectus prędeſtinationis, quæ fiunt ſupernaturali modo. Ita Faſolus *prima parte q.23.art.2.dub.5.* Gonzalez *diſp. 82.* Arubal *diſp.81.*

12 Dico primò. *Bona naturalia, quæ nullam habent ſupernaturalitatem, concernunt ad prædeſtinationem, vt aliquid de fundamento ipſius gratiæ.* Probatur. Iſta bona poſſunt fundare aliquam gratiam, quæ ſit effectus prędeſtinationis, ergo. Antecedens patet. Quia ex natura ſua concurrunt vel vt obiecta, & vt diſpoſitionis; vel vt conditiones, vel alio modo ad operationes humanas, ergo poſſunt fundare aliquam gratiam quia ſicut operatio humana poteſt eleuari ad eſſe ſupernaturale, ita etiam talia bona poſſunt coniungi cum aliqua gratia, que ſit in ordine ad eleuandam operationem.

13 Dico ſecundò. *Bona merè naturalia non eſſe effectus prædeſtinationis.* Probatur. Apoſtolus *Ad Rom.8.* aſſignans prædeſtinationis effectus tres tantum nominat, videlicet Vocationem, Iuſtificationem, & Glorificationem, vt explicat Proſper *ad excerpta Genuenſium. dub. 8.* & Auguſtinus cum alijs Epiſcopis *epiſt. 95. ad Innocentium*, vbi excludit à gratia prædeſtinationis bona, quæ pertinent ad naturam.

14 Dices. Hęc bona pertinere ad vocationem, quatenus adiuuant gratiam vocantem. Contra. Vel ſunt ſecundum ſe gratia prædeſtinationis; vel non. Si primum; ergo ſunt aliquis effectus ex illis tribus. Si ſecundum, ergo non ſunt effectus prædeſtinationis.

15 Confirmatur. Prędeſtinatio eſt præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsimè liberantur quicunque liberantur, ergo bona naturalia non ſunt effectus prædeſtinationi. Conſequentia probatur. Tum quia cum prędeſtinatio ſit in ordine ad liberationem, ſupponit peccatum originale, atque adeo ordinem prouidentiæ naturalis, in quo continentur bona omnia naturalia. Tum quia nemo per bona naturalia liberatur. Confirmatur ſecundò. Effectus debet eſſe proportionatus ſuæ cauſæ; ergo cum prędeſtinatio ſit prouidentia ſupernaturalis, debet effectus ipſius eſſe intra ordinem ſupernaturalem.

16 Dices. Bona naturalia eſſe intra ordinem ſupernaturalem, ſi accipiantur vt inſeruiunt fini prædeſtinationis. Contra. Vel quando inſeruiunt, acquirunt aliquod eſſe de nouo, vel non. Si primum; ergo hoc tantum erit effectus prædeſtinationis, ſi ſit aliquid ſupernaturale. Si ſecundum; ergo cum ſit ſecundum proprium eſſe effectus prouidentiæ naturalis non poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis.

17 Dico tertiò. *Bona naturalia ſupernaturali modo facta eſſe effectus prædeſtinationis, ſi habeant infallibilem connexionem cum fine illius.* Probatur. Illud eſt effectus prædeſtinationis, quod eſt medium efficax ad finem aſſequendum; huiuſmodi autem ſunt hæc bona ratione infallibilis connexionis.

18 Dico quartò. *Bona naturalia ſupernaturali modo facta, ſi non habeant infallibilem connexionem cum fine prædeſtinationis, non ſunt effectus illius.* Probatur. Effectus prędeſtinationis debent eſſe ex illo propoſito, quo Deus vult ſaluare, ergo quæ non habent infallibilem connexionem cum ſalute, non poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis. Antecedens probatur. Quia prædeſtinatio conſiſtit in huiuſmodi propoſito. Conſequentia probatur. Quia, cum propoſitum Dei non poſſit falli, ex intrinſeca ſua ratione terminatur tantum ad media infallibilia.

19 Ad primum reſpondetur. Omnia cooperari in bonum, vel vt media, vel vt occaſiones, vel aliquo alio modo. Sola autem media ſunt effectus prædeſtinationis. Ad ſecundum. Bona temporalia non eſſe effectus ſpei theologicæ, niſi prout ſtant ſub obiecto formali illius. Non poſſunt autem ſtare ſub ratione formali effectus prædeſtinationis, cum non ſint media proportionata fini illius. Ad tertium. Vocationem externam merè naturalem non eſſe effectum prędeſtinationis, ſed tantum quatenus eleuata per internam vocationem ſupernaturalem. Ad quartum negatur conſequentia. Quia indoles non cauſatur ex eo, quod cauſetur congruitas vocationis; ſed ſupponitur. Ad quintum. Breuitatem vitæ non eſſe ſecundum ſe effectum prædeſtinationis, ſed tantum vt ſtat ſub finali perſeuerantia. Ex dictis colligitur. Quid dicendum de operationibus moraliter honeſtis; ſuppoſito enim, quod poſsint exerceri abſque auxilio gratiæ; dicendum eſt non eſſe effectus prędeſtinationis, quia, cum ſint intra ordinem naturalem, non habent illam rationem gratiæ, quę ſupperadditur naturę, & eſt propria prędeſtinationis; nec iuuant ad aſſequendum finem, cum non ſint media proportionata.

(?)

An

Digitized by Google

An vocatio ſit effectus prædeſtinationis.

SECTIO III.

20 CVm prædeſtinatio ſit diſpoſitio mediorum, quibus homo traſmittitur ad vitam æternam, conſequenter verſatur circa gratiam tanquam medium, quo tranſmittatur, atque adeo gratia eſt effectus illius. Nunc videndum eſt quænam gratia ſit effectus prædeſtinationis, & primò inquirendum eſt de vocatione.

21 Dico primò. *Aliquam vocationem eſſe effectum prædeſtinationis.* Probatur. Ad Rom. 8. *Quos prædeſtinauit, hos, & vocauit.* Ad Timot. 1. *Vocauit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum.* Secundò. Vocatio eſt medium neceſſarium in ordiue ad finem prædeſtinationis, non enim poteſt homo libero modo tendere ad vltimum finem ſupernaturalem, niſi excitetur, & illuminetur, quod fit per vocationem, ergo.

22 Dico ſecundò. *Vocationem externam præcisè conſideratam non eſſe effectum prædeſtinationis.* Eſt contra Ruiz *diſp. 22. de prædeſtinatione. ſect. 2.* Probatur. Vocatio externa, etiamſi ſupernaturali modo fiat, præcisè ſumpta non poteſt habere aliquem effectum ſupernaturalem, niſi coniungatur cum vocatione ſupernaturali interna, ergo non eſt effectus prædeſtinationis. Antecedens eſt definitum in Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 16.* vbi habetur Gratiam antecedentem, qua Chriſtus influit in ſingulos homines, eſſe neceſſariam ad omne opus bonum. Conſequentia probatur. Quia effectus prædeſtinationis, quod ex natura ſua ordinatur ad alium cauſandum, eſt proportionatus tali cauſationi. Vocatio autem externa ordinatur ad cauſandum conſenſum, & non eſt proportionata ad conſenſum ſupernaturalem. Confirmatur. Patres, & Concilia damnantes doctrinam Pelagij docent, vocationem externam non eſſe veram gratiam, quæ datur per Chriſtum; ſola autem vera gratia eſt effectus prædeſtinationis.

23 Obijcit Ruiz. 2. Corinth. 1. *Hac confidentia volui prius venire ad vos, vt ſecundam gratiam haberetis*; hoc autem dixit quia habuerant primam gratiam per epiſtolam, ergo præſentia prædicantis eſt gratia. Reſpondetur eſſe intelligendum non de vocatione externa præcisè, ſed vt coniuncta cum interna, quam Deus dat poſita vocatione externa tamquam aliqua opportunitate.

24. Dico tertiò. *Illam tantum vocationem in prædeſtinatis eſſe effectum prædeſtinationis, quæ habet infallibilem connexionem cum fine prædeſtinationis, atque adeo quæ eſt efficax.* Ita Valentia *pri. p. q. 23. puncto* 3. Vaſq. *diſp. 93. cap. 3.* contra Suarez 3. *de Prædeſtinatione cap.* 6. Ruiz *diſp. 22. de prædeſtinatione ſect. 2.* Arrubal 1. *par. diſp. 84. cap. 2.* Amicum *diſp. 15. ſect. 5. num.* 150. & nonnullos alios. Probatur Vocatio, quæ eſt effectus prædeſtinationis debet cauſari ab illo propoſito Dei, quo prædeſtinat, ergo tantum vocatio infallibiliter connexa cum fine eſt effectus prædeſtinationis. Conſequentia probatur. Quia vacatio, quæ eſt ſecundum propoſitum, debet eſſe ipſi proportionata, ergo cum propoſitum Dei ſit infallibile, & ſi de vocatione vt de medio, non poteſt ferri niſi in vocationem, quæ ſit medium infallibile.

25 Dices. Sufficere ſi tota collectio mediorum ſit infallibilis, non autem eſſe neceſſe, vt ſingula media ſeorſim ſint infallibilia. Contra. Medium fallibile non conducit ad finem, ergo non eſt à propoſito Dei, quod ſemper eſt efficax.

26 Obijcies. Quod dirigit ad aſſequendum finem prædeſtinationis eſt effectus illius, bona autem omnia ſupernaturalia diriguntur, ergo. Reſpondetur. Id eſſe verum, ſi dirigantur ab ipſo propoſito, atque adeo ſi habeant infallibilem connexionem.

27 Obijcies ſecundò. Vocatio inefficax, licet non habeat effectum, ad quem ordinatur, habet tamen poſtea aliquem alium effectum, quando reuocatur in memoriam, quia eſt cauſa, vt qui recepit, accuſet ſuam negligentiam ergo. Reſpondetur. Non habere poſtea alium effectum, vt vocatio eſt; ſed ſolum vt quædam occaſio obiectiua; & ideo, vt habeatur effectus prædeſtinationis, eſt neceſſaria alia vocatio.

An gratia per modum habitus ſit effectus prædeſtinationis.

SECTIO IV.

28 NOmine gratiæ per modum habitus non ſolum intelligimus gratiam iuſtificantem, ſed etiam alios habitus ſupernaturales, vt Fidem, Spem, Charitatem, & ipſam perſeuerantiam finalem.

Supponendum autem eſt Gratiam iuſtificantem eſſe effectum prædeſtinationis, & de finali certum omnino eſt Ad Rom. 8. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit; quos vocauit, hos & iuſtificauit.* Et ad Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum.* Gratia enim iuſtificans eleuat ad eſſe ſupernaturale, quod intenditur per prędeſtinationem.

29 Supponendum ſecundò. Perſeuerantiam quoque eſſe effectum prædeſtinationis, vt communiter Patres docent, eſt enim ſimpliciter neceſſaria, vt quis aſſequatur finem prædeſtinationis; & ideo in Tridentino *ſeſſ. 6. cap.* 13. definitum eſt; perſeuerantiam eſſe donum, quod non poteſt haberi niſi ab ipſo Deo.

30. Supponendum tertiò Alios habitus ſupernaturales eſſe effectus prędeſtinationis eo modo, quo eſt iuſtificatio; pertinent enim ad integritatem iuſtificationis. Vndè ſolum difficultas eſt de gratia iuſtificanti, quæ per peccatum interrumpitur, & de meritis, quæ mortificantur. Quæſtio autem procedit ex ſuppoſitione, quod per pœnitentiam gratia reparetur, & merita reuiuiſcant.

31 Prima ſententia docet, non eſſe effectum prædeſtinationis, niſi vt reparata per pœnitentiam. Ita Valentia *prima parte quæſt. 23. punct.* 3. & Vaſquez *diſp. 93. cap.* 3.

Probant. Quia gratia, & merita ſine reparatione ſunt communia etiam reprobis. Secundò. Quia non conferunt ad beatitudinem, niſi vt reparata. Tertiò. Quia non habent continuationem cum alijs medijs, niſi ratione reparationis; omnis autem effectus debet cum alijs continuari.

32 Secunda ſententia eſt abſolutè affirmatiua. Ita Suarez 3. *de prædeſtinatione cap.* 4. Faſolus 1. *p. q. 23. art. 2. dub. 3. concl.* 4. Arrubal *diſp. 83. c.* 1. Amicus *diſp. 15. ſect. 5. concl. 3. & alij.*

33 Dico primò. Gratiam interruptam per peccatum, & merita mortificata eſſe effectus prędeſtinationis. Probatur. Dum gratia reparatur, & merita reuiuiſcunt ne dum reduplicatiuè, ſed etiam ſpecificatiuè tribuũt prædeſtinato ius ad vitam æternam, vt ad hęreditatem, & mercedem, ergo. Antecedens patet. Quia tale ius fundatur in gratia, vt gratia eſt, & in meritis, vt merita ſunt. Confirmatur. Gloria in ſecundum quantitatem commenſuratur meritis, ne dum quæ acquiruntur per pęnitentiam, ſed etiam ijs, quæ reuiuiſcunt, ergo quæ reuiuiſcunt ſunt media ad gloriam.

Confirmatur ſecundò Merita mortificata, & gratia interrupta retinent ordinẽ reparabilitatis, ita vt ſint infallibiliter reparanda, ergo etiam retinent ordinem infallibilem ad vltimum finem, ergo ſunt effectus prædeſtinationis.

34 Dices non reparari eamdem gratiam in indiuiduo. Contra. Quidquid ſit, reparatur tamen in virtute præcedentis, ergo præcedens eſt effectus prædeſtinationis, quia eſt cauſa alterius effectus ſubſequentis.

35 Dices ſecundò. Gratiam reparari ratione pænitentiæ,

tiæ, non autem ratione gratiæ amiſſę. Contra. Quia alia eſt gratia, quæ datur intuitu pœnitentię, & alia intuitu reparationis.

36 Dico ſecundò. *Reparationem eſſe conditionem, vt gratia interrupta ſit effectus prædeſtinationis.* Probatur. Quia mediante reparatione connectitur infallibiliter cum fine prædeſtinationis.

37 Ad primum reſpondetur, probare tantum, quod reparatio ſit conditio requiſita, qua poſita gratia retinet ordinem ad finem. Ad ſecundum. Conferre ad beatitudinem ſecundum ſe poſita conditione reparationis, vt patet ex dictis. Ad tertium negatur antecedens. Nam ſufficit, ſi continuetur cum ipſa reparatione, quę eſt effectus quidam prædeſtinationis, & medium ad finem.

An opera ſupernaturalia vt ſunt à libero arbitrio ſint effectus prædeſtinationis.

SECTIO V.

38 Reſpondetur affirmatiuè cum Ruiz *diſp. 22. de prædeſtinatione ſect.* 4. Smiſing *tract. 3. de Deo vno. diſp.6.q.5. num.* 252. & alij. Probatur Deus per ſuam gratiam ne dum excitat, & adiuuat liberum arbitrium, ſed etiam facit, vt operetur, ergo bona opera, vt preueniunt à libero arbitrio, ſunt effectus prędeſtinationis. Antecedens patet ex modo loquendi ſcripturæ, quæ docet, quod Deus facit, vt faciamus. Ezechielis 11. Ad Epheſios 1. & alibi; & ita etiam docet Concilium Arauſicanum ſecundum *can. 23.& 25.* Ratio autem eſt, quia liberum arbitrium eſt omnino dependens à Deo. Confirmatur. Liberum arbitrium dependet à Deo, ergo eo ipſo, quod operatio, dicit ordinem ad liberum arbitrium dicit ordinem etiam ad Deum.

39 Obijcies. Quod actus ſupernaturalis ſit liber, non prouenit à prędeſtinatione, ſed à libero arbitrio, ergo ſub hac ratione non erit effectus prædeſtinationis. Reſpondetur. Prouenire à libero arbitrio, vt à principio formaliter denominante, & à prædeſtinatione, vt ab ea, quæ facit, vt liberum arbitrium operetur.

40 Obijcies ſecundò. Quod ex duobus habētibus ęqualia auxilia alter conuertatur, & alter non, prouenit ex libero arbitrio, ergo quod cooperatio ſit à libero arbitrio non eſt effectus prædeſtinationis. Conſequentia probatur. Si operatio, vt proueniens à libero arbitrio eſſet effectus prædeſtinationis, proueniret ex prędeſtinatione, quod ex habentibus æquale auxilium vnus conuertatur, alter non. Reſpondetur negando conſequentiam. Nam qui conuertitur, habet gratiam, quę facit ipſum conuerti; qui verò non conuertitur, non habet.

An permiſſio peccati ſit effectus prædeſtinationis.

SECTIO VI.

41 Suppponendum eſt tanquam certum de fide. Peccatum non poſſe eſſe effectum prędeſtinationis, cum Deus non poſſit eſſe cauſa illius. Vndè quando Patres docent in prædeſtinatis peccata conuerti in bonum, debet intelligi occaſionaliter, quatenus peccatum eſt aliqua occaſio, ex qua Deus elicit aliquod bonum; & eodem modo permiſſio quoque peccati eſt occaſio, ex qua aliquod bonum eliciatur, nec aliquid amplius colligitur ex Patrum auctoritate, quando docent permiſſionem eſſe propter bonum prędeſtinatorum. Solum difficultas eſt, An ſit etiam effectus prædeſtinationis.

42 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Suarez 3. *de prædeſtinatione* c.8. Bannes 1. *p.q.23.art.2.dub.*2. Molina *art.2.diſp.*3. Peſantius *diſp.*4. Ruiz *diſp.23.de prædeſtinatione ſect.*1. Faſolus *citato loco primæ partis.dub.*4. & ferè communiter Recentiores. Probant. Quia D. Auguſtinus *cap.9. de correptione, & gratia* enumerat permiſſionem inter ea, quę Deus vult propter bonum prędeſtinatorum. Confirmatur. Quia Petrus Apoſtolus multum profecit ex permiſſione ſui peccati. Secundo. Permiſſio eſt effectus Dei, quo prædeſtinatus poteſt multum iuuari, ergo. Tertiò. Quia eſt melior modus prouidendi, ſi Deus velit permiſſionem vt effectum prædeſtinationis.

43 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Vaſquez 1.*p.q.* 93.*c.*2. Arrubal *diſp.*82.

44 Dico primo. *Deum non poſſe intendere permiſſionem ſub ratione permiſſionis.* Probatur. Deus non poteſt illam cauſare ſub ratione permiſſionis, quia cauſando bonificatiuo modo ſe habet, & ſemper communicat aliquod bonum, ergo neque intendere, quia permiſſio vt talis non eſt aliquod bonum, ſed ſubtractio boni.

Dices permiſſionem eſſe bonam, prout ſtat ſub aliquo bono, quod ſimul cum ipſa intenditur. Contra. Nunquam ſecundum ſe formaliter dicit aliquam bonitatem, ergo nunquam ſecundum ſe poteſt eſſe intenta.

45 Confirmatur. Si vellet permiſſionem formaliter, vellet aliquid, cum quo eſt infallibiliter annexum peccatum, ergo etiam vellet peccatum, quia quando duo ſunt infallibiliter annexa, ſi quis cognoſcens talem connexionem vult vnum, vult etiam aliud, quomodocunque ſe habeat connexio.

46 Dico ſecundò. *Permiſſionem non poſſe eſſe effectum prædeſtinationis.* Probatur. Non eſt vtilis fini prædeſtinationis, ſed ſecundum ſe dicit ſubtractionem beneficij, quod eſt effectus prædeſtinationis, videlicet gratiæ; quod autem non eſt vtile, & ſubtrahit effectum prædeſtinationis, non poteſt eſſe effectus ipſius. Confirmatur. Permiſſio non eſt bona, niſi pro vt coniungitur cum pœnitentia, ergo non poteſt eſſe volita vt medium ad prædeſtinationem, niſi etiam ſit volita pœnitentia, ergo niſi etiam ſit volitum peccatum, quia pœnitentia dicit eſſentialem ordinem ad peccatum, vt ad eſſentiale fundamentum.

47 Reſpondet Ruiz. Poſſe intendi pœnitentiam abſq; eo, quod intendatur peccatum, quia cum peccatum non ſit vtile, non poteſt amari ex intentione. Contra. Pœnitentia non poteſt ſubſiſtere ſine peccato ob eſſentialem ordinem, ergo non poteſt quis illam velle ante exiſtentiam peccati, niſi etiam velit peccata, alioquin vellet aliquid impoſſibile. Secundo. Pœnitentia eſt bonum occaſionatum, ergo non exiſtente peccato, non eſt bonum.

48 Reſpondet Faſolus. Pœnitentiam non eſſe cauſam per ſe illorum bonorum, quæ Deus colligit ex permiſſione peccati; & ideo non eſt opus vt ex intentione illorum ſit volita pœnitentia. Contra. Implicat permiſſionem peccati coniungi cum fine prædeſtinationis abſq; pœnitentia, effectus autem prædeſtinationis debet coniungi aut mediatè, aut immediatè. Secundo. Licet illa bona non dependeant per ſe à pœnitentia, depēdent tamen eo ipſo, quod dependent à permiſſione; permiſſio enim non poteſt illa inferre ſecundum ſe, quia, cum ſit cauſa negatiua, poteſt tantum inferre defectum.

49 Reſpondent tertiò alij. Sufficere, ſi peccatum præuideatur conditionatè futurum, vt poſſit intendi pœnitentia. Contra. Vel permiſſio, vt ſit effectus prędeſtinationis, debet perducere ad finem mediante peccato; vel non. Si primum; ergo in eo ſtatu, in quo eſt permiſſio, debet etiam eſſe peccatum, quia media ſubordinata, debent eſſe in eodem ſtatu. Si ſecundum. Contra. Quia non poteſt perducere niſi mediante pęnitentia.

50 Ad primum Reſpondetur D. Auguſtinum ibi non loqui de effectibus prædeſtinationis, ſed de iis, quæ ſunt occaſio, ex qua Deus elicit bonum prædeſtinatorum, quod ex eo patet; quia enumerat etiam peccatum, quod nullo pacto eſt effectus prædeſtinationis. Ad Confirmationem D. Petrum occaſionaliter profeciſſe ratione ſui peccati, & permiſſionis. Ad ſecundum negatur aſſumptum, vt patet ex dictis. Nam permiſſio eſt quid negatiuum,

Digitized by Google

tiuum, & ideo non habet cauſam, poteſt autem prędeſtinatus ab ipſa iuuari occaſionaliter. Ad tertium negatur antecedens. Quia permiſſio non perducit ad finem, ſed ſinit ab ipſo decidere.

DE REPROBATIONE.

DISPVTATIO XXXXV.

Quid ſit reprobatio.

SECTIO I.

1 Reprobatio ſignificat refutationem; vndè in Deo importat actum illum, quo aliquos refutat in ordine ad aliquod beneficium. Solent autem reprobi diuerſis nominibus appellari; ſed ſpecialiter dicuntur præſciti, non quia etiam prædeſtinati non ſint pręſciti; ſed quia Deus tantum præſcit, non autem facit reprobos.

2 Supponendum eſt de fide eſſe dari reprobationem in Deo ab eterno. Ad Rom. 9. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*; conuenit autem libere iuxta illud Ad Rom. 9. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.*

3 Supponendum ſecundò. Reprobationem non conuenire Deo metaphoricè. Ratio autem eſt; quia in exequutione dependet ab actibus diuinis. Vndè hi actus debent eſſe propriè in Deo, vt rationes cauſatiuæ.

4 Supponendum tertiò. Reprobationem eſſe quandam prouidentiam, verſatur enim circa ordinem eorum, qui ob peccatum deordinati ſunt; quia autem iſte ordo eleuat reprobos vt modo quodam ſupernaturali, videlicet per punitionem ordinentur ad finem ſupernaturalem, ideo eſt quædam prouidentia ſupernaturalis, atque adeo conſiſtet in actu intellectus, & voluntatis. Difficultas autem eſt; quinam ſint iſti actus.

5 Dico primò. *Hunc actum non eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ de peccato, & pęna poſſibilibus.* Probatur. Quia talis cognitio non magis attingit peccatum, quam merita poſsibilia eiuſdem perſonę.

6 Dico ſecundò. *Neque conſiſtere in illo actu, quo intellectus proponit talia media, quibus poteſt homo ſaluari, & tamen ex propria malitia non ſaluabitur.* Probatur. Hic actus pertinet ad prouidentiam, quæ confert beneficia vt media ad ſalutem; reprobatio autem non eſt talis prouidentia.

7 Dices. Prædeſtinatiò cõſiſtit in actu, quo proponuntur media infallibilia, ergo reprobatio, cum illi opponatur, conſiſtit in actu, quo proponuntur media fallibilia. Reſpondetur negando conſequentiam. Nam opponuntur inter ſe, quia vna reſpicit beneficia, & beatitudinem, altera vero iuſtitiam, & pęnam; media autem fallibilia adhuc ſunt beneficia, & reſpiciunt beatitudinem.

8 Dico tertiò. *Neque conſiſtere in præſcientia peccati.* Probatur. Reprobatio aliquid operatur ad extra; pręſcientia autem peccati nihil operatur.

9 Dico quartò. *Conſiſtere in iudicio practico, quo Deus iudicat reprobos indignos ſuis beneficijs, & dignos pæna.* Probatur. Quia talis actus ſufficit, vt cauſetur totus ordo reprobationis.

10 Dico quintò. *Conſiſtere etiam in illo actu voluntatis, qui decernit quod per tale iudicium proponitur.* Probatur. Quia reprobatio debet eſſe efficax, & conſtitutiua illius ordinis, qui ab intellectu præſcribitur.

An detur aliqua reprobatio negatiua.

SECTIO II.

11 Solet duplex reprobatio conſtitui tam reſpectu gratię, quam reſpectu gloriæ. altera negatiua, & altera poſitiua. Poſitiua eſt illa, qua Deus actu poſitiuo excludit vel à gratia, vel à gloria; negatiua verò eſt, cum Deus negatiuè ſe habet quò ad illos effectus, quos decernit prædeſtinatis, aut cum poſitiuo actu terminatur ad aliquid negatiuum. Difficultas autem eſt, An detur huiuſmodi reprobatio negatiua; & quia poſt præuiſionem peccati certum eſt non dari, cum ad ipſum ſequatur reprobatio poſitiua, ideo videndum eſt, An detur ante præuiſionem peccati.

12 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Scotus *in* 1. *diſt.* 41. §. *Contra iſtud.* Bannes *prima parte quæſt.* 23. *artic.* 3. *dub.* 2. Nauaretus *controu.* 34. §. 1. Faſolus *concl.* 4. Smiſing. *tract.* 3. *de Deo vno. diſp.* 6. *q.* 11. *num.* 729. & alij Recentiores.

Probant. Non poteſt aſsignari ratio, cur hunc prædeſtinet, & illum non pręedeſtinet, ergo debet dari aliqua reprobatio, quæ non habeat cauſam; hæc autem poteſt eſſe tantum illa, quæ negatiuo modo ſe habet. Secundò. Perfectiori modo ſe habet agens intellectuale, ſi poſitiuè velit non agere, quæ nunquam faciet; quam ſi ſe habeat ſuſpenſo modo, quia hoc importat maiorem ſapientiam, & dominium, ergo.

13 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Molina *prima p. q.* 23. *art.* 3. §. *Verum hæc ſententia.* Vaſquez *diſp.* 95. *c.* 2. Arrubal *diſp.* 87. *cap.* 3. Bellarminus *lib.* 2. *de gratia, & libero arbitrio, cap.* 16.

14 Dico primò. *Non eſſe ponẽdum in Deo hunc actum poſitiuum, quo velit aliquos non prędeſtinare, ſeu quo nolit prædeſtinare, aut non includere in regno.* Probatur. Vel iſta reprobatio negatiua præcedit pręuiſionem peccati originalis; vel ſubſequitur. Si primum; Contra. Quia ante pręuiſionem peccati originalis Deus voluntate antecedenti omnibus in Adam, vt in capite voluit ſalutem, & dedit gratiam, quam ſi conſeruaſſet, omnes poſteri habuiſſent, vt de fide eſt, atque adeo non potuit habere actum, quo nollet dare gratiam, vtpote oppoſitum actui, quem habuit, atque incompoſsibilem; nam voluiſſet omnes in Adam ſaluari, & etiam voluiſſet in ipſo aliquos non ſaluari, quod implicat. Si ſecundum; ergo non eſt reprobatio negatiua, ſed poſitiua, quia qui poſt præuiſionem peccati originalis non habent gratiam, excluduntur actu poſitiuo à gratia, nam non habent gratiam in pœnam peccati, cum ratione ipſius fiant indigni omni beneficio Dei. Confirmatur. Si Deus in priori ſigno nollet glorificare, dum in poſteriori dat media ad ſalutem, deberet ita dare, vt ſubſtarent huic intentioni, atque adeo vt ordinata ad malum creaturæ, quia daret vt infallibiliter inefficacia, hoc eſt contra rationem gratiæ, quę debet ordinari ad bonum illius, cui fit.

15 Dices. Non dare alia media pręter ea, quæ dat, non quia intendat non dare finem; ſed quia non tenetur. Contra. Cum Deus voluntate efficaci intendat talem finem, tenetur in ſequenti ſigno adhibere media congrua pro aſſequutione illius, ergo tenetur ex vi talis intentionis eligere media vt inefficacia.

16 Dices ſecundò. Iſta media eligi, vt inefficacia negatiuè, non verò vt inefficacia poſitiuè, quatenus coniunguntur cum reſiſtentia liberi arbitrij. Contra. Dum eliguntur vt inefficacia negatiuè, adhuc eliguntur vt non habitura ſuum finem, ergo adhuc eliguntur in ordine ad malum creaturæ.

17 Dico ſecundò. *Neque dari reprobationem merè negatiuam, ſeu per non actum.* Probatur. Antequam Deus poſitiuè reprobet, habet actum circa reprobos de ipſis ordinandis ad finem, quia decernit media, quibus ad ipſum ſe pro-

ſe promoueant, ergo. Antecedens patet. Nam omnes ſaltem in Adam ordinati ſunt ad finem ſupernaturalem. Confirmatur. Reprobare eſt ſeparare ab eo, à quo quis reprobatur, ergo in eodem ſigno, in quo Deus decernit media, quæ conducunt ad beatitudinem, non poteſt ab ipſa ſeparare, ergo. Confirmatur ſecundò. Non dare beatitudinem non eſt reprobare, alioquin etiam prędeſtinati eſſent reprobi ab illis gradibus glorię, quos nõ habẽt.

18 Ad primum negatur conſequentia. Nam ex eo, quod non poſsit aſsignari ratio, cur potius vnus, quam alius prędeſtinetur, non ſequitur dari reprobationem negatiuam, ſed ſolum quod aliquibus negetur gratia in pœnam peccati originalis, quę eſt poſitiua volitio pœnę. Ad ſecundum negatur ſequela. Quia ſaltem in caſu noſtro talis actus repugnat Deo, vt patet ex dictis.

An reprobatio ſit poſt peccatum originale præuiſum.

SECTIO III.

19 PRima ſententia ponit ante pręuiſionem originalis reprobationem in confuſo. Ita Ruiz *diſput. 13. de prædeſtinatione ſect. 2.*

20 Secunda ſententia ponit reprobationem negatiuam. Ita Marſilius *in 2. q. 13. art. 1.* Gabriel *diſt. 20. art. 1.* Scotus *in 1. diſt. 41. §. Contra iſtud.* Suarez *1. de prædeſtinatione cap. 12.* & alij.

Probant. Permiſsio originalis fuit effectus reprobationis negatiuè, ergo.

21 Tertia ſententia nullam reprobationem admittit ante præuiſionem originalis. Ita ij, qui docent prędeſtinationem eſſe factam ex meritis.

22 Dico primò. *Non poſſe Deo conuenire reprobationem in confuſo.* Probatur. Reprobatio eſt efficax, ergo non poteſt concipi in confuſo; quia de ratione decreti liberi efficacis eſt, vt terminetur ad aliquid determinatum in ſingulari.

23 Dico ſecundò. *Nullam reprobationem eſſe in Deo ante præuiſionem peccati originalis.* Ita D. Auguſtinus in ijs locis, in quibus hoc ipſum docet de prędeſtinatione, quos ſupra citauimus. Probatur. Reprobatio eſt alicuius reprobatio, ergo ſupponit futuritionem reprobati. Deus autem non cognoſcit homines eſſe futuros, niſi vt deſcendentes ab Adam, atque adeo vt infectos peccato originali.

24 Ad fundamentum ſecundę ſententię negatur aſſumptum. Quia permiſsio non eſt effectus Dei, cum ſit tantum aliquid negatiuum.

An deſtinatio ad pœnas ſit ante præuiſionem peccati.

SECTIO IV.

25 DIcendum eſt. *Deum non deſtinare aliquos ad pęnas ante præuiſionem illius peccati, ratione cuius pęna infertur.* Eſt de fide contra Caluinum *3. Inſtitutionum cap. 22. & 23.* vbi aſſerit, Deum ex ſe deſtinare ad pœnas ante pręuiſum peccatum, & deindè, vt mandet executioni ſuam voluntatem inſtigare ad peccatum. Traditur autem à D. Auguſtino *de bono perſeuerantiæ cap. 6.* Itaque *per miſericordiam eius in his, qui liberantur, & veritatem in ijs, qui puniuntur ſine vlla dubitatione credamus*, & Epiſt. 106. *Cum per liberũ arbitrium primi hominis in condemnationem vniuerſa maſſa deſluxerit, procul dubio quod ex eo fiunt vaſa in honorem, non ipſius iuſtitiæ, quam gratia nulla præceſſit, ſed Dei miſericordiæ; quod vero in contumeliam, non iniquitati Dei (quæ abſit, vt ſit apud Deum,) ſed iudicio deputandum eſt.* & lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Non igitur Deus Eſau hominem odit, ſed odit Deus Eſau peccatorem*, Et 3. contra Iulian. c. 8. *Bonus eſt Deus. Iuſtus eſt Deus. Poteſt ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt; non poteſt ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.* Probatur Tobię 3. *Nõ delectaris in perditionibus noſtris.* Iſaię 59. *Iniquitates veſtrę diuiſerũt inter vos, & Deum veſtrum.* Ezechielis 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij?* 2. Petri. 3. *Nolens aliquem perire*; hęc autem non poſſunt ſaluari, niſi quò ad voluntatem antecedentem, nam voluntate conſequenti vult mortem, perditionem, &c. Si autem ponatur voluntas antecedens de damnatione aliquorum, non poſſunt verificari hæ ſcripturæ. Probatur ſecundò. Cum pęna dicat ordinem eſſentialem ad peccatum, ſi antecedenter ad culpam præuiſam Deus vellet illam alicui inferre, vellet etiam peccatum ipſius, ergo. Sequela patet. Quia peccatum eſt medium omnino neceſſarium ad punitionem.

26 Dices. Non ſequi quod Deus velit peccatum, quia non eſt medium ab ipſo ponendum, nec ab ipſo volibile. Contra. Si non eſt volibile, nec etiam erit volibilis pœna antecedenter ad ipſum, quia pęna includit peccatum, vt eſſentiale fundamentum. Secundò. Volitio pœnę antecedenter ad peccatum continet implicitè volitionem peccati, ergo cum Deus non poſsit velle peccatum, nec etiam poterit velle pœnam antecedenter.

27 Dices ſecundò. Sufficere ſi cognoſcat, quod peccatum erit infallibiliter, ſi illud permittat; & ideo ſufficit, vt ex intentione puniendi, velit permittere peccatũ. Contra. Permiſsio non eſt medium ſufficiens ad pœnam, ſed requiritur etiam peccatum; qui autem vult finem, vult etiam omnia media neceſſaria. Secundò. Quia Deus vellet permiſsionem vt infallibiliter connexã cum peccato, nam vellet illam vt medium infallibile ad punitionem; velle autem aliquid in ordine ad peccatum, & vt infallibiliter connexum cum illo, eſt velle peccatum. Tertiò. Medium non poteſt eſſe ex complacentia finis, niſi ſit etiam ex complacẽtia ſui effectus, ergo non poteſt eligi permiſſio ex cõplacentia punitionis, niſi eligatur etiam ex complacentia ſui effectus, videlicet peccati.

28 Probatur tertiò. Deus deſtinans aliquos ad pęnam, facit illam neceſſariã neceſsitate conſequenti, ergo etiam peccatum debet eſſe in eo ſigno neceſſarium, neceſsitate conſequenti, quia neceſſarium conſequens non poteſt fundari in eo, quod non eſt neceſſarium eadem neceſsitate, ergo cum peccatum non ſit neceſſarium neceſsitate conſequenti, niſi quando eſt futurum, quando fit deſtinatio ad pœnas, aut debet ſupponi futurum, aut fieri futurum.

29 Probatur quartò. Velle punire non cognita culpa eſt actus crudelitatis, & iniuſtitiæ, præſertim cum homines ſint creati ad beatitudinem, & in primo parente ad ipſam ordinati, ergo.

Dices. Hoc eſſe verum in eo, qui non habet plenum dominium. Deus autem habet ſupra omnes plenum dominium. Contra. Quia dominium Dei eſt ſecundum regulas diuinæ rationis, ſecundum quas punitio non eſt iuſta, & bona, niſi ſupponat peccatum, ergo. Secundò. Talis deſtinatio ad pœnas eſſet oppoſita miſericordiæ, & amori; & non eſſet iuſtitia, quia non ſupponeret malum, ergo eſſet crudelitas.

30 Obijcit Caluinus illud Ad Rom. 9. *Cum nondum nati fuiſſent, non ex operibus, &c.* ergo Deus deſtinat ad pœnam ante pręuiſum peccatum. Reſpondetur Apoſtolum loqui de reprobatione, quæ ſupponit peccatum originale, & qua reprobat à gratia. Inſtat. Quia adhibet exemplum figuli, qui facit ex eadem maſſa aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam; reprobi autem non ſunt vaſa contumeliæ, niſi ratione damnationis. Reſpondetur. Exemplum adhiberi, vt oſtendat, quod Deus non facit iniuriam, ſi eos, qui iam ſunt in ſtatu damnationis ratione peccati originalis, relinquat in eodem ſtatu, non conferendo ipſis beneficia, quibus plenè liberentur.

31 Obijcit ſecundò. Deus reprobat, vt habet Apoſtolus, ex intentione oſtendendi ſuam iuſtitiam, ergo ante pręuiſionem peccati intendit damnare. Reſpondetur.

Apoſto-

Digitized by Google

Apoſtolum docere Deum ſuſtinere peccatores, qui iam ſunt tales, vt in eis oſtendat ſuam iuſtitiam, ait enim *Quod ſi Deus volens oſtendere potentiam ſuam ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ.* Vndè ſolum intendit iuſtitiam exiſtente peccato.

32 Obijcit tertiò. Apoſtulus ait, hominem non poſſe reſpondere Deo dicendo *Cur me feciſti ſic?* ergo damnatio eſt ex ſola voluntate Dei antecedenti. Reſpondetur. Non poſſe reſpondere, *Cur me feciſti ſic?* poſito peccato originali, quia, ſi relinquitur in ſtatu damnationis, iuſtè relinquitur, quia non tenetur Deus liberare; ſed, ſi liberat, ex gratia liberat.

33 Obijcit quartò. Prouerbiorum 30. *Omnia propter ſe ipſum operatus eſt, impium quoque in diē malum.* ergo intendit punire ex amore ſuæ iuſtitiæ, vt illam oſtendat. Reſpondetur negando conſequentiam. Nam ſenſus eſt, Quod Deus ordinet omnia ad ſe ipſum. Vndè etiam ordinat peccatores, quos in peccato relinquit, vt in ipſis oſtendat ſuam iuſtitiam, non autem quod prius intendat damnare, vt oſtendat iuſtitiam.

An peccatum originale ſit cauſa damnationis.

SECTIO V.

34 DIco primò. *Peccatum originale eſſe ſufficientem cauſam punitionis æternæ in ijs, qui moriuntur cum ipſo.* Ita D. Auguſtinus *Epiſt. 106. ad Bonifacium.* Per *liberum arbitrium primi hominis in condemnationem vniuerſa maſſa defluxit.* Et Epiſt. 157. *Meritò videretur iniuſtum, quod fiant vaſa iræ in perditionem, ſi non eſſet ipſa vniuerſa ex Adam maſſa damnata; quod ergo fiant inde naſcendo vaſa iræ, pertinet ad debitam pęnam.* Probatur. Quia peccatum originale importat veram culpam, qua homo conſtituitur inimicus Dei; vbi autem eſt culpa, pœna iuſta eſt.

35 Dico ſecundò. *Quando remittitur non eſſe cauſam proximam damnationis.* Probatur. *Quia ſi puniretur, non eſſet verè remiſſum*

Dices. Redire per ſubſequens peccatum. Contra. Si rediret, non eſſet plenè remiſſum.

36 Dico tertiò. *Etiamſi remittatur, eſſe tamen primā radicem damnationis.* Deſumitur ex D. Auguſtino *c. 7. de Correptione, & Gratia*; vbi habet. Omnes reprobos ex vno peccato ire in damnationem. Probatur, quia etiamſi remittatur, ſublata tamen prędeſtinatione, ſicut non fit plena liberatio, ſed tantum ſecundum præſentem iuſtitiam, ita neque eruitur homo à ſtatu damnationis plenè, quid incępit à peccato originali, ergo peccatum originale eſt prima radix.

An detur aliqua alia reprobatio.

SECTIO VI.

37 SVpponendum eſt. Quod cum Adam, vt primus parens omnium, creatus fuerit in gratia in ordine ad beatitudinem, omnes homines fuerunt ordinati in ipſo ad gratiam, & beatitudinem. Vndè, ſi ipſe non peccaſſet, ex vi talis ordinationis, omnes nati fuiſſent in gratia, & per ipſum ordinati ad beatitudinem.

38 Dico primò. *Homines ratione peccati originalis contraxiſſe meritum carendi beatitudine, & cæteris beneficijs gratiæ.* Deſumitur ex D. Auguſtino de Bono perſeuerantiæ c. 8. *de tam debita perditione, ſi neminem liberaret, non eſſet iniuſtus; ex vno quippe omnes in condemnationem, non iniuſtitia indicati ſunt filij iræ, ſed iuſtitia.* Probatur. Quia originale, vt definitum eſt in Tridentino *ſeſſ. 5.* habet veram rationem peccati, & inficit omnes, ergo conſtituit hominem dignum, qui careat beneficijs Dei.

39 Dico ſecundò. *Deum reprobaſſe præſcitos ab illa gratia, qua habet infallibilem connexionem cum vltimo fine, atque adeo à liberatione plena, & abſoluta; & hanc reprobationem eſſe per actum poſitiuum.* Probatur. Quia de facto non habent huiuſmodi beneficium, quod habent electi, ergo repelluntur ab ipſo, ergo per decretum poſitiuum. Conſequentia vltima probatur. Quia, cum ſint ordinati in primo homine ad gratiam, & beatitudinem, debet tolli iſta ordinatio per poſitiuum decretum, quod terminetur ad aliam ordinationem oppoſitam.

40 Dico tertiò. *Hanc reprobationem à gratia eſſe per modum pœnæ intuitu peccati originalis.* Deſumitur ex D. Auguſtino. *Epiſt.* 107. vbi loquens de gratia, habet. *Scimus eis, quibus non datur, iuſto iudicio Dei, non dari.* Et de correptione, & gratia cap. 11. *Nunc autem quibus deeſt tale adiutorium, iam pęna peccati eſt.* Probatur. Homo per originale naſcitur filius iræ, ergo meretur carentiam beneficiorum Dei in pœnam peccati.

An detur cauſa adæquata reprobationis.

SECTIO VII.

41 SVmimus reprobationem, prout dicit excluſionem à gloria, & à gratia per modum vnius actus.

Prima ſententia eſt negatiua. Ita Bannes 1. *p. q. 23. art. 5. parte 2.* Cumel *diſp.* 4. Molina *diſp.* 3. Nauaretus *controu.* 35. §. 3. Suarez 2. *de auxilijs cap.* 5. Citant etiam plures ex antiquis ſcholaſticis, ſed hi tantum docent, non dari cauſam reprobationis comparatiuæ; Cur videlicet potius vnus, quam alter reprobetur.

42 Secunda ſententia aſſerit, cauſam reprobationis adęquatæ eſſe peccatum originale. Ita D. Thomas *quæſt. 6. de veritate, art. 2. ad 9.* & *lect. 3. & 4. in c. 9. Ad Romanos.* & *ſecunda ſecundæ q. 2. art. 5. ad primum* Bellarminus 2. *de gratia. cap. 16.* Valentia *prima parte quæſt. 23. parte 2. punct.* 3. Faſolus *artic. 5. dubit. 1.* Vaſquez *diſp.* 88.

Notandum primò. Certum eſſe, reprobationem comparatiuè ſumptam non habere cauſam, quia ſiue conſiderētur homines in pura natura, ſiue vt infecti peccato originali, ſunt omnes æquales; nec eſt maior ratio, cur potius vnus, quam alius aut prædeſtinetur, aut reprobetur, & habet Apoſtolus *cap. 9. Ad Romanos*, & ex hoc capite reprobatio, & prædeſtinatio pertinent ad iudicia Dei imperſcrutabilia.

43 Notandum ſecundum. Ratione peccati originalis omnes homines eſſe conſtitutos in ſtatu damnationis, niſi miſericorditer liberentur; prædeſtinatio autem adęquatè ſumpta ponit talem liberationem, quia ponit gratiam cum ordine infallibili ad vitam æternam; in reprobis autem non fit talis liberatio, quia non decernitur ipſis gratia cum tali ordine infallibili. Vndè dicuntur à D. Auguſtino non liberati, non abſoluti, non vocati ſecundum propoſitum; & ideo non ſunt liberati abſolutè, ſed tantum ſecundum quid, videlicet ſecundum pręſentem iuſtitiam, quando contingit, eos eſſe in gratia; & ideo neque abſolutè ſunt extracti de ſtatu damnationis.

44 Notandum tertiò. Peccatum remiſſum poſſe adhuc puniri aliqua pœna temporali, vt patet in ijs, qui in purgatorio exiſtunt. Ex quo fit, poſſe Deum in pænam originalis remiſsi negare aliqua beneficia gratiæ; atque adeo potuit ab æterno videns omnes homines infectos originali, in pęnam illius non decernere plenam liberationem per gratiam, quæ habeat infallibilem connexionem cum vita æterna; & hanc pęnam in tempore exequi poſtquam eſt remiſſum.

45 Notandum quartò. In hoc caſu peccatum originale immediatè connecti cum hac pæna, quia infertur intuitu ipſius. Hæc autē pęna cōnectitur cum finali peccato, quia

Digitized by Google

nunquam reprobus habet gratiam cum infallibili connexione cum vita æterna; & hoc pacto coaleſcit adequata reprobatio radicata in peccato originali.

46 Dicendum eſt peccatum originale eſſe cauſam reprobationis adæquatè ſumptæ. Ita docet D. Auguſtinus *cap.8. de prædeſtinatione Sanctorum*. Et *cap. 9. & 14.* & *cap.8. de bono perſeuerantiæ*, & *Epiſt.106.*, & alibi paſsim, cuius ſententiam non rectè exiſtimant parum tutam Bannes, & Cumel ſupra citati. Probatur. Tota reprobatio refunditur in peccatum originale, vt in primum demeritum, ergo tota reprobatio habet cauſam. Antecedens patet. Quia reprobatio à gratia eſt in pœnam originalis, cum enim Deus illam neget, debet illam velle vt pœnam, vt ordinet, quod eſt deordinatum. Rurſus priuatio gloriæ eſt debita ratione originalis, & reprobus nunquam plenè liberatur à tali debito, quia licet conſtituatur in gratia pro aliquo tempore, cum talis gratia non dicat ordinem infallibilem ad gloriam, non plenè tollitur ordo peccati originalis ad damnationem. Confirmatur. Quia peccatum originale in reprobis dicit ordinem infallibilem ad peccatum finale, & conſequenter ad damnationem, ergo licet talis ordo aliquando interrumpatur per gratiam, adhuc tamen redit per ſubſequens peccatum; ſicut ordo gratiæ, vel gloriam in electis interruptus per peccatum, redit per ſubſequētē iuſtificationē.

47 Obijcies. Ad *Romanos 9.* Habetur, reprobationem non eſſe ex operibus. Reſpondetur. Ex hoc loco colligi tantum, quod non ſit ex demeritis propria operatione contractis.

48 Obijcies ſecundò. Peccatum remiſſum non punitur, ergo originale remiſſum non eſt cauſa damnationis. Reſpondetur. Peccatum remiſſum poſſe puniri illa pœna, quæ fuit determinata, antequam remitteretur. Vndè quando originale dimittitur, poteſt durare pœna ipſius, quæ habetur ex ſubtractione gratiæ; & ratione huius pœnæ connectitur cum finali peccato, & ſic eſt cauſa remota damnationis, peccatum verò finale eſt cauſa proxima.

49 Obijcies tertiò. Peccatum remiſſum eodem modo ſe habet, ac ſi non eſſet contractum, ergo. Reſpondetur. Eodem pacto ſe habere quò ad reatum culpæ; non autem quò ad pœnam; nec quò ad ordinem ad damnationem, quem retinet mediante peccato ſubſequenti.

De effectibus reprobationis.

SECTIO VIII.

50 Dico primo. *Creationem, & naturam non eſſe effectus reprobationis*. Probatur. Reprobatio ſupponit peccatum originale, ergo etiam creationem, & naturam.

51 Dico ſecundò. *Neque creationem cum talibus circumſtantijs eſſe effectum reprobationis*. Eſt contra Ruiz *diſ.38. de prædeſtinatione ſec.9.* Probatur. Quia tales circūſtantiæ naturales ſunt effectus prouidentiæ naturalis.

52 Dico tertiò. *Neque mortem in tali tempore, & cum circumſtantia peccati eſſe effectum reprobationis*. Probatur. Quia mors contingit ſecundum curſum cauſarum ſecundarum, atque adeo ex diſpoſitione naturalis prouidentiæ. Neque Deus vult, aliquē mori in peccato, ſed tantū permittit, alioquin ſibi complaceret de peccato.

53 Dico quartò. *Permiſſionem peccati originalis non eſſe effectum reprobationis*. Probatur. Quia reprobatio eſt poſterior peccato originali. Secundò. Si permiſsio peccati originalis eſſet volita à Deo, vt effectus reprobationis, eſſet volita ex complacentia finis reprobationis, ergo etiam ex complacentia medij, per quod conducit ad ipſam; hoc autem medium eſt peccatum.

54 Dico quintò. *Negationem gratiæ, quatenus fundat rationem pœnæ, eſſe effectum reprobationis*. Probatur. Quia talis punitio ponit aliquam rationem ordinis ex ſuppoſitione peccati.

55 Dico ſextò. *Permiſſionem peccati non eſſe effectum reprobationis*. Probatur. Quia permiſsio eſt aliquid negatiuum, quod per ſe non cauſatur, ſed tantum conſurgit ex aliquo poſitiuo; Deus autem reprobando non cauſat aliquid poſitiuum, ex quo conſurgat permiſsio, quia permiſsio ſupponit, quod voluntas ſiat extra ordinem finis, & quod Deus nolit impedire.

56 Obijcies. Permiſsio conducit ad finem reprobationis, ergo eſt effectus. Reſpondetur. Secundum ſe præciſè non conducere, quia eſt aliquid negatiuum; ſed tantum conducit ratione peccati, quod ponitur à voluntate.

57 Obijcies ſecundò. Reprobatio non eſſet certa, niſi decerneret permiſsionem peccati perſonalis. Reſpondetur negando ſequelam. Nam reprobatio, vt dicit deſtinationem ad pœnas, & poſt peccatum perſonale præuiſum, & ideo non debet decernere permiſsionem; reprobatio autem à gratia; ſicut non dependet in ſuo eſſe à peccato perſonali, ita neque ſecundum certitudinem.

58 Dico ſeptimò. *Peccatum non eſſe effectum reprobationis*. Eſt de fide. Probatur. Quia non poteſt eſſe effectus Dei, nec Deus prædeſtinat ad peccatum, vt definitum eſt in Concilio Arauſicano.

59 Dico octauò. *Neque pœnam, quæ eſt intrinſecè annexa peccato, eſſe effectum reprobationis*. Probatur. Tū Quia peccatum non eſt obiectum pœnificum, niſi ſub ratione mali; vndè ſi Deus cauſaret hanc pœnam cauſaret etiam malitiam peccati. Tum quia Deus non concurrit ad actum peccati, niſi vt cauſa prima vniuerſalis, vt autē talis non cauſat aliquem effectū reprobationis. Tū quia pœna iſta non eſt vera pœna, quia de ratione pœnæ, eſt quod ſit aliqua ordinatio creaturæ ad vltimum finem.

60 Obijcies. Omne bonum mixtum peccato tribuitur Deo; pœna autem eſt aliquid bonum ſecundum quid, ergo. Reſpondetur Pœnam propriè dictam eſſe bonum ſecundum quid: non autem, quæ conſurgit ex peccato formali, quatenus peccatum ratione ſuæ turpitudinis eſt obiectum pœnificum.

61 Dico nonò. *Deum cauſare pœnam formalem, quæ cōſurgit ex peccato vt obiecto pœnifico*. Probatur. Quia Deus facit, vt apprehendatur peccatum tamquam obiectum pœnificum.

62 Dico decimò. *Pœnam in reprobis eſſe effectum reprobationis*. Probatur. Quia eſt finis reprobationis, & importat illam ordinationem, qua reprobi ordinantur ad vltimum finem.

DE LIBRO VITAE.

DISPVTATIO XXXXVI.

An Deo conueniat liber vitæ.

SECTIO I.

1 Dico 1. *Deo cōuenite librū vitæ*. Probatur. Exod. 34. *dele me de libro, quem ſcripſiſti* Pſal. 38. *deleantur de libro viuentium*; & alibi habentur ſimilia.

2 Dico ſecundò. *Lirbum vitæ conuenire Deo metaphoricè*. Ita D.Thom. 1.p.q.24.art.1. & communiter. Probatur. Quia liber vitæ non eſt aliud, quam diuina præſcientia, quæ ideo dicitur liber vitæ, quia in ipſa exprimitur vita electorum.

3 Dico tertiò. *Librum vitæ differre formaliter à prædeſtinatione*. Ita D.Thomas *citatus*. Probatur. Quia liber vitæ eſt illa cognitio, qua cognoſcuntur prædeſtinati vt tales, nec includit actum voluntatis, ſicut includit prædeſtinatio, ſed ſupponit.

4 Dico quartò. *Hunc librum vitæ eſſe vitæ beatificæ*. Ita D.Thomas *citat. q.art.2.* Probatur. Apocalypſis 20. *Qui non eſt inuentus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnū ignis*. Ratio eſt. Quia eſt ſolum liber electorū vt tales ſunt; vt autem tales ordinantur ad vitam beatificam.

An de-

Digitized by Google

An detur in Deo liber mortis.

SECTIO II.

5 CErtum eſt, eſſe in Deo præſcientiã reproborum, atque adeo reperiri in ipſo id, quod poteſt ſignificari per librum mortis.

Dico primo. *In ſcriptura, & in re adeſſe fundamentum conſtituendi librum mortis.* Ita D. Baſilius *in cap. 4. Iſaiæ.* Nazianzenus *oratione 9.* Cyrillus *Alexandrinus in c. 3. Malachiæ.* Probatur Danielis 7. *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt*; & pſal. 138. *In libro tuo omnes ſcribentur.* Ratio autem eſt. Quia Deus habet eamdem præſcientiam reſpectu reproborum, quam habet reſpectu electorum.

6 Dico ſecundò. *Congruentius poni tantum librum vitæ.* Probatur. Quia eo ipſo quod aliqui non ſunt ſcripti in libro vitæ, intelliguntur damnati; tum quia Deus, cum nolit peccatum, auertit oculos a reprobis, & dicitur obliuiſci ipſorum Oſeæ 1. *Obliuione obliuiſcar eorum.* Tum quia liber vitæ non ſolum importat certam cognitionem, ſed etiam cauſalitatem, qua Deus facit electos.

An poſſit aliquis deleri de libro vitæ.

SECTIO III.

7 DIco primo. *Neminem poſſe deleri de libro vitæ deletione intrinſeca ipſi libro; eſt de fide.* Probatur. Quia Deus in cognitione, & prædeſtinatione eſt immutabilis.

8 Dico ſecundò. *Poſſe aliquem deleri extrinſeca deletione, quæ fit per carentiam gratiæ, & ſecundum præſentem iuſtitiam.* Probatur. Cum quis non eſt in gratia, non habet ius ad vitam æternam, ergo cenſetur deletus de libro vitæ.

9 Dico tertiò. *Aliquem deleri de libro vitæ ſecundum externam manifeſtationem.* Ita D. Auguſt. *in pſal. 68.* Probatur. Quia per talem manifeſtationem, qua manifeſtatur aliquem non eſſe ſcriptum in libro vitę, fit quędam extrinſeca deletio.

10 Dico quartò. *Aliquos deleri de libro vitæ, quatenus decidunt à gratia, quam habent pro aliquo tempore, ratione cuius ordinantur aliquo modo ad gloriam; & ſecundum quid dicuntur ſcripti in libro vitæ, vt ſunt omnes reprobi, qui in hac vita ſunt aliquando in gratia.* Ita D. Thomas *prima parte quæſt. 24. art. 3.* Probatur. Quia dum tollitur ordo ad gloriam, fit aliqua deletio extrinſeca.

DE VISIBILITATE DEI.

De poſſibilitate viſionis Dei intuitiuè.

DISPVTATIO XXXXVII.

An Deus poſſit videri per eſſentiam à creatura.

SECTIO I.

1 SVmimus viſionem pro cognitione intuitiua; eſt enim duplex cognitio, alia abſtractiua, & alia intuitiua. Abſtractiua cognitio eſt illa, quæ licet attingat obiectum ſecundum exiſtentiam, & præſentiam, non tamen attingit præſentiali modo. Intuitiua verò quæ attingit obiectum non ſolum ſecundum exiſtentiam, & pręſentiam, ſed etiam præſentiali modo ita, vt experiatur, obiectum eſſe præſens; vndè tota differentia conſiſtit ſolum in modo attingendi, non autem in re, quæ attingitur.

2 Dicendum eſt. *Deum eſſe viſibilem ab intellectu creato ſecundum ſuam eſſentiam.* Ita communiter cum D. Thoma *prima parte q. 12. ar. 1.* & eſt de fide definitum in Extrau. Vnigenitus, & in Concilio Florentino in litteris vnionis contra Armenos, & recentiores Græcos. Probatur prima Corinthiorum 10. *Videmus nunc per ſpeculum, & in enigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*; cognitio autem faciei ad faciem eſt cognitio intuitiua, vndè Apoſtolus illam contraponit cognitioni enigmaticæ. Matthei 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cælis eſt.* 1. Ioannis 3. *Videbimus eum ſicuti eſt.* Confirmatur. Beatitudo obiectiua conſiſtit in Deo vt ſummo bono, ergo debet eſſe poſſibilis clara viſio ipſius. Antecedens patet. Quia cum noſter appetitus ſit capax cuiuſcunque boni, non poteſt ſatiari, & beatificari niſi per bonum infinitum. Conſequẽtia probatur. Debet eſſe poſſibilis aſſequutio, & fruitio talis boni, ergo cum ſit bonum ſpirituale, atque adeo ſpirituali modo aſſequibile, non poteſt eſſe aſſequibile, niſi per potentias ſpirituales, atque adeo niſi per viſionem, quæ eſt operatio intellectus; & per fruitionem, quæ eſt operatio voluntatis.

3 Obijcies. Deus eſt inuiſibilis, vt habetur Ad Romanos 1. & 1. *ad Tim. 6.* ergò, &c. Reſpondetur. Dici inuiſibilem, tum quia non poteſt videri oculo corporeo; tum quia neque per intellectum poteſt naturaliter videri.

4 Obijcies ſecundò ex D. Io: Chryſoſtomo, qui pluribus in locis docet non eſſe poſsibile Deum videri, præſertim *hom. 7. in Ioannem.* Reſpondetur D. Ioannem Chryſoſtomum agere contra Amoneos; vndè negat viſibilitatem Dei in eo ſenſu, in quo ab ipſis ponebatur; volebant autem; quod Deus eſſet naturaliter viſibilis ab intellectu creato viſione comprehenſiua, & ideo D. Ioannes Chryſoſtomus negans hominibus, & Angelis talem viſionem, intelligit de comprehenſiua, & quæ fit ex iuribus naturæ, & eodem modo intelligendi ſunt cęteri Patres, quibus Vaſquez 1. *parte diſp. 27. c. 2. & 4.* tribuit errorem, quod voluerint, Deum non eſſe abſolutè viſibilem.

5 Obijcitur tertiò. Sequeretur Deũ eſſe intra obiectum adæquatum intellectus, atq; adeo poſſe naturaliter videri.

Reſpõdetur negã do ſecundã partẽ ſequelę. Quia licet ſit intra obiectũ adęquatũ, non tamẽ eſt intra proportionatũ, & proinde intellectus indiget aliquo proportionatiuo.

6 Obijcitur quartò. Quo perfectius eſt obiectum, eo perfectiorem viſionem cauſat, cum ipſam ſpecificet, ergo ſi eſt infinitum, cauſabit viſionem infinitam, ergo cum non ſit poſsibilis viſio infinita, nec etiam obiectum infinitum erit viſibile.

Reſpondetur, ommiſsis varijs reſponſionibus, quæ videri poſſunt apud Doctores, negando conſequentiã. Quia cognitio non ſpecificatur ab obiecto conſiderato ſecundum eſſe, ſed ſecundum rationem motiui; & ideo non creſcit, niſi pro vt creſcit obiectum in ratione motiui; Deus autem, licet ſit infinitus in eſſendo, non tamen in ratione obiecti motiui, nam mouet intellectum finito modo.

7 Obijcitur 5. Oculus non poteſt eleuari ad videndum Angelũ, ergo nec intellectus ad videndũ Deum, quia plus diſtat Deus ab intellectu creato, quàm Angelus ab oculo.

Reſpondetur negando conſequentiam. Quia ſolũ plus diſtat in ratione entis, non autem in ratione obiecti, ſiquidè Angelus nullo modo eſt intra obiectũ oculi, cum nullo modo ſit coloratus; Deus verò eſt intra obiectũ ĩtellectus vndè de facto illum cognoſcimus cognitione abſtractiua.

8 Inſtabis. Cognoſcibilitas ſequitur eſſe, ergo ſi Deus plus diſtat in ratione entis, plus etiam diſtabit in ratione cognoſcibilis.

Reſpõdetur. Diſtinguo cõſequens. Plus diſtat in ratione cognoſcibilis intenſiuè, non autem extenſiuè; ſola autem diſtantia extenſiua facit obiectũ extra ſphærã potentiæ, quia tollit omnino proportionem; non autẽ diſtantia inten-

intenſiua, quia relinquit proportionaliter idem prædicatum ex parte obiecti, & potentiæ; potentia enim eſt intellectiua, & Deus, cum habeat ſuam veritatem, atque adeo rationem formalem obiectiuam intellectus, eſt intelligibilis; & ideo conueniunt proportionaliter in eodem prędicato,

An Deus poſſit naturaliter videri,

SECTIO II.

9 DIcendum eſt, *Deum non poſſe naturaliter videri*, Eſt de fide ex Concilio Viennenſi contra Beguardos, & Beguinos, & traditur communiter à Patribus, & ſcolaſticis cum D. Thoma *prima parte quæſt.* 12. *art.* 4. Prob. Matthei 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater neq; Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*, ergo ſi non cognoſcitur, niſi mediáte reuelatione, non poteſt naturaliter videri; & ad Rom. 3. Vita æterna, quæ conſiſtit in viſione, & fruitione diuinæ eſſentiæ, dicitur gratia Dei, quia nimirum non poteſt haberi, niſi per auxilium ſupernaturale. Confirmatur. Ideo gratia eſt neceſſaria ad actus ſupernaturales, vt definitur in Concilio Arauſicano ſecundo, & in Tridentino *ſeſſ.* 6, quia ſunt ſupernaturales, & diſpoſitiones ad vitam æternam, ergo erit etiam neceſſaria ad viſionem Dei, quæ eſt ipſa vita æterna, ergo viſio erit ſupernaturalis,

10 Obijcitur. Poteſt aliquis intellectus naturaliter videre viſionem beatá Beati, ergo illam videns videbit etiam Deum, & per ipſam repræſentatum,

Reſpondetur. Quicquid ſit de antecedenti, negando conſequentiá. Quia viſio beata reprẹſentat Deum vt quo, & vitali modo, atque adeo ſolum reſpectu illius intellectus, cuius eſt viſio.

Inſtabis. Viſio beata dicit ordinem tranſcendentalem ad obiectum, ergo videns hanc viſionem videbit etiam hunc ordinem, atque adeo etiam obiectum. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia ordo tranſcendentalis non eſt aliud, quam ipſa repræſentatio, quæ cum ſe habeat *vt quo*, non poteſt ordo vt cognitus ducere in cognitionem repræſentati, ſicut nec poteſt ipſa repręſentatio.

11 Obijcitur ſecundò, Non obſtante infinitate adhuc Deus eſt ſub obiecto adæquato, ergo poterit videri. Reſpondetur negando conſequentiá. Quia infinitas elongat obiectum à debita proportione; vndè licet ſit intra obiectum adequatum, non eſt tamen proportionatum, quia intellectus non eſt completa potentia, ſed tantum inchoata, ita vt poſſit compleri reſpectu talis obiecti.

12 Obijcitur tertiò. Felicitas humana conſiſtit in contemplatione Dei ex 10. *Ethicorum c.* 7. ergo talis contemplatio debet eſſe naturaliter poſſibilis. Reſpondetur Humanam felicitatem, de qua ibi Ariſtoteles loquitur, conſiſtere in contemplatione Dei abſtractiua, quam acquirimus ex rebus creatis; nó autem in clara viſione Dei.

An Deus vt viſibilis ſit terminus appetitus naturalis.

SECTIO III.

13 PRima ſententia aſſerit, eſſe terminum appetitus naturalis innati. Ita Scotus *q.* 1. *prologi*, & *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 9. & 10. Durandus *q.* 8. *num.* 8. Paludanus *q.* 7. *art.* 1. Maior *q.* 6. D. Bonauentura *parte* 1. *quæſt.* 2. & communiter Scotiſtæ. Probant. Omnis homo appetit appetitu innato propriam perfectionem; viſio autem Dei eſt maxima perfectio. Secundò. Appetitus innatus habendi beatitudinem ſatiatur per viſionem Dei; ſatiatur autem ſolum per id, ad quod dicit naturalem inclinationem, ergo. Tertiò. Appetitus innatus eſt ad beatitudinem in communi, ergo ad omne id, in quo eſt talis beatitudo; alioquin, ſi non appeteret, poſita ſola naturali beatitudine, homo quieſceret.

14 Secunda ſententia eſt negatiua, Ita D. Thomas 1. *p. q.* 12. *art.* 1. Caietanus, & Bannes. *ibid.* Capreolus *q.* 1. *prologi* Suarez *lib.* 2. *de Deo vno. cap.* 7, & communiter Thomiſtæ,

15 Dico primò. *Creatura intellectualis habet naturalem capacitatem ad videndum Deū.* Ita D. Aug. *de prędeſtinatione Sanctorũ. c.* 5. vbi habet. *Poſſe habere fidē, ſiue poſſe habere Charitatem naturę eſt hominũ, in qua natura nobis data eſt poſſibilitas habēdi fidę.* Probatur. Natura intellectualis eſt ex ſe talis, vt ei non repugnet eleuari ad videndum Deum, ergo habet naturalem capacitatem, quia capacitas non eſt aliud niſi non repugnantia proueniens ex eo, quod ſubiectum ex intrinſecis ſuis principijs poſſit recipere aliquam formam,

16 Dico ſecundò, *Creatura intellectualis non habet appetitum innatum ad clarè videndum Deum*, Probatur. Appetitus innatus reſpicit bonum ſibi connaturale, atque adeo debitum, ergo cum beatitudo, ſeu clara viſio Dei nõ ſit bonum connaturale, non eſt terminus appetitus innati. Antecedens patet. Quia appetitus non ſolum dicit capacitatem, ſed etiam exigentiam naturę, quæ ab intrinſeco ſe promoueat ad ſuum terminum

17 Dico tertiò. *In creatura intellectuali eſt naturalis appetitus elicitus cognoſcendi Deum ſecundũ proprium eſſe eo modo, quo eſt cognoſcibilis, præſcindendo ab eo, quod ſit tali, vel tali modo cognoſcibilis*, Probatur. Voluntas tendit naturaliter in ſuam felicitatem, ita, vt tendat ad omne bonum, quod continetur ſub Beatitudine vt ſic, ergo tendit etiam naturali modo ad cognoſcēdum Deum. Conſequentia probatur. Homo ex effectibus cognoſcit naturaliter Deum vt primam cauſam; qui autem cognoſcit effectum deſiderat naturaliter cognoſcere cauſam, ſicuti eſt cognoſcibilis: nam apprehendit talem cognitionem, vt aliquam fęlicitatem,

18 Dico quartò, *Suppoſita reuelatione, qua cognoſcit ut eſſe poſſibile, Deum videri, poteſt voluntas naturali appetitu elicito id appetere*, Ita Caietan, *prima parte quæſt.* 12. *art.* 1, Ferrarienſis *tertiò contra Gentes cap.* 41. Probatur. Poteſt talis viſio proponi vt poſſibilis per cognitionem naturalem, ſicuti proponitur in hæretico per fidem naturalem, ergo poteſt voluntas tendere naturali appetitu in ipſam, quia poteſt naturaliter tendere in omne id, quod proponitur per cognitionem naturalem.

19 Ad primum diſtinguitur maior. Omnis homo appetit appetitu innato ſuam perfectionem connaturalem, non autem ſupernaturalem; viſio autem Dei eſt perfectio ſupernaturalis. Ad ſecundum negatur conſeqũeńtia. Quia appetitus innatus ne dum ſatiatur per terminum proprium connaturalem; ſed etiam per id, in quo talis terminus eminenti modo continetur, Viſio ergo beata ſatiat appetitum innatum, quia eminenti modo continet terminum connaturalem ipſius, nempè felicitatem naturalem. Ad tertium diſtinguitur conſequens. Poteſt appetere omne id, in quo eſt ratio beatitudinis in communi, quatenus ſtat ſub determinatione beatitudinis in communi; non autem poteſt appetere ſecundum propriam rationem ipſius; niſi talis ratio ſit connaturalis appetitui.

20 Obijcies ex D. Auguſtino 1. *Confeſſionum cap.* 10. Feciſti *nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* ergo datur appetitus innatus ad videndum Deum, & fruendum. Reſpondetur negando conſequentiam, quia D. Auguſtinus loquitur de inquietitudine, quæ oritur ex cognitione per reuelationem de poſſibilitate viſionis Dei; non autem, quæ oriatur ex appetitu innato.

21 Quæres. An appetitus elicitus ad beatitudinem, qui conſurgit ſuppoſita reuelatione, ſit abſolutus, & efficax. Reſpondetur. Affirmatiuè, quia abſoluit obiectum ab omni conditione, & appetit vt eſt in ſe, & eſt ſufficiens ad applicandam omnia media, quæ poteſt, nec obſtat, quod non poſſit omnia applicare cum ſit ſupernaturale, quia ſufficit, quod moueat ad ipſa petenda à

da à Deo, quæ petitio facit, quod eſt in homine in ordine ad finem.

An poſſit naturaliter oſtendi Deum eſſe clarè viſibilem.

SECTIO IV.

22 PRima ſententia eſt affirmatiua. Ita Scotus *in 4. diſt.8.* Vaſquez *prima parte diſp.20. c.1.* Arrubal *diſp.15.cap.1.* Smiſing *tract. 2. de Deo vno. diſp.6. n. 41.* & communiter Scotiſtæ.

Probant. Quando obiectum continetur intra adæquatam potentiam, cognoſcitur naturaliter, quod potentia poſſit circa ipſum elicere actum perfectiſſimum ſaltem ſupernaturali modo; Deus autem continetur intra obiectum potentiæ intellectiuæ, vndè ab ipſa abſtractiuè cognoſcitur. Secundò eſt naturaliter notum, quod id, quod conuenit inferiori in aliquo genere, conuenit etiam ſuperiori in eodem genere; ſed potentię viſiuæ conuenit cognitio intuitiua totius ſui obiecti; ergo etiam intellectiuę. Tertiò. Viſo effectu adeſt naturale deſiderium cognoſcendi cauſam perfecta cognitione, ergo ex hoc oſtendi poteſt poſſibilitas viſionis Dei, quia Deus naturaliter cognoſcitur vt cauſa rerum creatarum.

23 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Medina *prima ſecundæ q.5. art.1.* Aluarez *diſp.28.* Monteſinus *diſp.7. q. 1.* Molina *prima parte q.12. art.1. diſp.1.* Bannes *dub.1.* Salmaticenſes *diſp. 1. dub. 3.* & communiter Thomiſtæ.

24 Dicendum eſt. Non poſſe naturaliter demonſtrari Deum eſſe clarè viſibilem. Deſumitur ex D. Auguſtino *13. de Trinitate cap.9.* vbi ait *Fides hominem futurum verè beatum, non argumentatione humana, ſed diuina authoritate promittit.* Probatur. Vt aliquid demonſtretur poſſibile, debet probari per ſuas cauſas ſufficientes in quibus poſſibilitas contineatur; ſed reſpectu viſionis Dei non adſunt iſtæ cauſæ in ordine naturali, ergo. Maior patet. Quia demonſtratio poſſibilitatis eſt per cauſam. Minor probatur, nam iſtæ cauſæ vel ſunt intra ordinem naturæ; & tunc clara viſio Dei eſſet naturaliter poſſibilis, quod eſt contra fidem, vel non ſunt, & tunc non poſſunt naturaliter cognoſci.

25 Dices. Intra ordinem naturalem adeſſe cauſas inadæquatas, nempè intellectum. Contra. Poſſibilitas non poteſt cognoſci, niſi ratione cauſę continentis talem effectum, ergo non poteſt cognoſci, niſi ex vi cauſæ adæquatæ, quia effectus, vt conſiſtens in indiuiſibili ſecundum ſuam eſſentiam, dependente indiuiſibiliter à cauſa adæquata.

26 Dices ſecundò. Licet non poſſit cognoſci à priori, poſſe tamen cognoſci à poſteriori ex eo, quod natura rationalis non debet relinqui inquieta. Contra. Ex hoc ſolum poteſt inferri, quod debeat dari aliquod quietatiuum; non autem, quod Deus clarè viſus ſit huiuſmodi quietatiuum.

27 Ad primùm negatur antecedens. Quia non poteſt naturaliter cognoſci, quod Deus vt clarè viſibilis contineatur intra obiectum adæquatum intellectus; neque ex eo colligitur, quod de ipſo habeatur cognitio abſtractiua, quia hęc eſt ſolum cognitio per effectum, per quam Deus non cognoſcitur, vt eſt in ſe, ſed in effectu, vndè motiuū cognitionis eſt aliquid creatum, nempè dependentia creaturæ à Deo. Et ratio eſt, quia Deus non eſt ens, ſed ſupra ens, neque eſt aliquid verum, ſed ipſa veritas per eſſentiam: & ideo eleuatur ſupra obiectum naturale potentiæ intellectiuæ, & neceſſe eſt, quod potentia eleuetur, vt poſſit ad ipſum pertingere; quod autem ſit poſſibilis talis eleuatio, non poteſt naturaliter cognoſci.

28 Inſtabis. Ex eo, quod color eſt obiectum potentiæ viſiuę, colligimus, omnem colorem poſſe videri, etiamſi ſit infinitus? ſaltem ſi oculus eleuetur, & ideo color eſt obiectum, quia talis, & talis color eſt obiectum, ergo quia tale, & tale ens eſt obiectum intellectus, erit etiam obiectum ens infinitum. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia infinitas non eleuaret colorem ad modum eſſendi ſuperiorem in ratione coloris, nam eſſet infinitas accidentalis, vndè adhuc vniuocè participaret eandem rationem coloris: in Deo autem infinitas quia eſt in ratione entis, & eſſentialis, eleuat ipſum ſecundum rationē entis ad modum eſſendi ſuperiorem, atque adeo ad ſuperiorem rationem obiecti, vndè non eſt intra rationem entis, ſed ſupra ens, cum ſit ipſum eſſe per eſſentiam.

29 Inſtabis ſecundò. Obiectum noſtri intellectus non eſt verum, quatenus potentiale, ſed quatenus verum, ergo cum hæc ratio veri reperiatur in Deo, & ſibi ſubſternat actum purum, faciet ipſum obiectum noſtri intellectus. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia obiectum noſtri intellectus eſt verum, quod in ſuo eſſe formali inuoluit potentialitatem; nam ratio veri vt talis dicit conformitatem ad ſuam menſuram. Hæc autem ratio veri non eſt in Deo, quia non conformatur alicui menſuræ, ſed eſt ipſa veritas per eſſentiam, & actus purus veritatis; vndè eleuatur ſupra obiectum intellectus.

30 Ad ſecundum diſtinguitur maior. Quod conuenit inferiori, conuenit etiam ſuperiori ſeruata proportione; non autem eodem modo: in caſu autem noſtro potentia viſiua poteſt cognoſcere intuitiuè totum ſuum obiectum connaturale: vndè ſolum ſequitur, quod etiam intellectus poſſit intuitiuè cognoſcere totum ſuum obiectum connaturale. Deus autem eſt ſupra obiectum connaturale. Ad tertium. Viſo effectu adeſſe naturale deſiderium cognoſcendi cauſam, non quomodocunque, ſed quatenus talis cognitio eſt neceſſaria, ad perfectè cognoſcendum effectum, & quatenus cauſa eſt cognoſcibilis, vndè ex hoc non poteſt colligi poſſibilitas claræ viſionis Dei, quia, vt perfectè cognoſcatur creatura tanquam effectus Dei, ſufficit cognitio abſtractiua ipſius.

An ſit poſſibilis creatura, à qua Deus poſſit naturaliter videri.

SECTIO V.

31 PRima ſententia eſt affirmatiua. Ita Becanus *1. p. tract.1. cap. 9. quæſt. 5.* & in ipſam inclinant. Maior *in 4. diſt. 49. q. 4.* Molina *prima parte q. 12. art. 5. diſp.2.*

Probant. Coniunctum ex intellectu, & lumine gloriæ eſt quid finitum, & tamen eſt illi connaturalis clara viſio Dei, ergo cū creatura intellectualis poſſit fieri perfectior, & perfectior in infinitū poterit ita creſcere, vt equiualeat illi coniuncto. Secūdò datur accidens ſupernaturale, ergo eſt etiā poſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis, cui ſit connaturale, quia cum accidens dicat ordinem eſſentialem ad ſubiectum, debet habere ſubiectum proportionatum, & connaturale. Tertiò. Intellectus creatus eſt quædam participatio intellectus diuini, ergo poterit naturaliter participare lumen, quo Deus videt ſe ipſum, ſaltem in aliquo gradu inferiori.

32 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita D. Thomas *1. p. q.12. art.4.* Bannes *ibidem.* Faſolus *dub.1.* Gonzalez *diſp. 27.* Suarez *lib.2. de Deo vno. cap.9.* Ledeſma *q.4. de diuina perfectione artic.7.*

33 Dicendum eſt. Non eſſe poſſibilem creaturam, ſeu ſubſtantiam ſupernaturalem, quæ per ſuas vires connaturales poſſit videre Deum clarè, aut cui ſit connaturale lumen gloriæ. Probatur. Sequeretur, quod tali creaturæ eſſet connaturalis gratia, & amicitia Dei, vt fundamentum clarę viſionis ipſius; ſed hoc implicat, ergo. Sequela patet. Quia ſi eſſet connaturalis clara viſio Dei, eſſet etiam connaturalis fruitio, atque adeo Charitas, & amicitia. Minor probatur. Tum quia creatura eſt per naturam, & eſſentialiter ſerua Dei; inter ſeruum autem, & dominum

num non poteſt eſſe amicitia connaturalis. Tum quia gratia facit filium adoptiuum, adoptio autem non poteſt eſſe connaturalis illi, qui ex ſua natura eſt ſeruus. Probatur ſecundò. Ideo Deus in ratione obiecti excedit intellectum creatum, quia eſt actus purus, & ens per eſſentiam, & intellectus eſt quid potentiale; ſed poſita quacunque creatura, ſemper erit potentialis, & Deus actus purus, ergo ſemper interueniet idem exceſſus, & ideo non poterit per ſuas vires connaturales exprimere Deum intentionali modo per modum actus puri, quia non poterit tribuere cognitione in ratione repræſentatiui maiorem perfectionem, quam habeat in ſe ipſo proportionaliter, deberet autem tribuere, quia deberet tribuere rationem actus puri in repræſentando.

34 Dices. Sequeretur. Angelum inferiorem non poſſe intuitiuè videre Angelum ſuperiorem, quia exceditur in modo eſſendi, & in perfectione. Reſpondetur negando ſequelam. Quia licet excedatur in perfectione, non tamen exceditur in modo eſſendi, quia ſunt æquiualenter immerſi in potentialitate.

35 Dices ſecundò. Poſito lumine gloriæ, adhuc cognoſcens eſt potentialis, nec habet eundem modum eſſendi cum Deo, ergo. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia licet lumen gloriæ ſimul cum intellectu ſit quid potentiale, quia tamen ſimul cum ſpecie impreſſa eſt virtus actus puri, determinat intellectum ad recipiendum, & exprimendum obiectum per modum actus puri; & ideo poteſt intellectus attingere, vt eſt in ſe, etiamſi cognoſcens non habeat eundem modum eſſendi; ex hoc enim ſolum fit, quod lumen, & ſpecies vt virtutes expreſſiuæ actus puri non poſſint eſſe connaturales naturę potentiali, quia natura potentialis ratione ſui modi eſſendi eſt determinata ad omnia cognoſcenda ad modum entis potentialis, nam potentiæ connaturales ſequuntur principium radicale in modo cognoſcendi.

36 Dices tertiò. Non poteſt dari virtus, quæ infinito modo exprimat Deum, licet ſit virtus, quæ agat in virtute obiecti infiniti, ergo nec virtus, quę exprimat actualiſſimo modo. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia exprimere actualiſſimo modo non excludit potentialitatem in eſſendo, cum expreſſio non ſit modus menſurans ipſum eſſe; exprimere autem infinito modo excludit finitatem, quia infinitas eſt modus menſurans ipſum eſſe.

37 Dices quartò. Viſio beata eſt quid potentiale, nec habet eundem modum eſſendi cum Deo, ergo nec etiam erit neceſſarius in cognoſcente. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia in cognitione non requiritur alia proportio, niſi in ratione repreſentatiui, non autem in eſſendo; in cognoſcente autem requiritur proportio in modo eſſendi vt cognitio ſit connaturalis, quia debet ex vi ſui modi eſſendi mediante potentia formare quò ad eſſe intentionale modum eſſendi obiecti, vndè debet ipſum virtualiter continere; quod fieri non poteſt, niſi proportionetur in modo eſſendi; & ideo virtus effectiua repreſentationis actus puri per modum actus puri non poteſt eſſe connaturalis ſubſtantiæ potentiali, quia non eſt conformis virtuti radicali ipſius.

38 Dices quintò. Intellectus prò hoc ſtatu omnia intelligit materiali modo, & tamen non eſt immerſus materię, ergo modus cognoſcendi non ſequitur modum eſſendi. Reſpondetur diſtinguendo conſequens. Non ſequitur per accidens, concedo; non ſequitur per ſe, & nego; eſt autem per accidens, quod intellectus intelligat ad modum entis materialis, quia videlicet non habet ſpecies, niſi rerum materialium deſumptas ex obiectis ſenſibilibus.

39 Dices ſextò. Viſio beata eſt potentialis, ergo poteſt eſſe connaturalis naturæ potentiali. Reſpondetur. Eſſe potentialem in eſſendo, non autem in repræſentando, & ideo non poteſt eſſe connaturalis naturæ potentiali, quia connaturalitas attenditur etiam ſecundum modum repræſentationis, quia repræſentatio prouenit à virtute ſubſtantiæ.

40 Dices ſeptimò. Datur viſio beata, quæ vt forma exprimit, & repræſentat Deum, ergo poteſt etiam dari potentia, & natura, quæ vt principium vitale ipſum exprimat. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia viſio exprimit obiectum *vt Quo*, & ideo nō debet habere ſimilitudinem in modo eſſendi, & exprimit in virtute obiecti, quatenus per aliquam virtutem ſui ipſius ſe communicat cognoſcenti in eſſe intentionali; potentia autem, & natura deberet exprimere effectiuè, ita vt potentia exprimeret in virtute naturæ; vndè principium radicali deberet eſſe ſimile in modo eſſendi.

41 Dices octauò. Proportio in modo eſſendi non requiritur in potentia, nec in natura, vt attingat connaturaliter obiectum, ergo. Sequela probatur. Quia alioquin ſequeretur, quod potentia accidentalis non poſſet attingere ſubſtantiam; rurſus nec talis proportio eſt neceſſaria in natura cognoſcitiua, alioquin potentia ſenſitiua in homine affixa organo poſſet intelligere vniuerſale, quia natura, cuius eſt potentia, nempè anima rationalis, non eſt affixa organo. Reſpondetur negando ſecundum partem antecedentis. Ad probationem, non ſequi, quod potentia ſenſitiua poſſit attingere vniuerſale, quia talis potentia non eſt potentia totius animę, ſed etiam totius coniuncti, nam completur per organum in ratione potentiæ; vndè principium radicale eſt ipſa natura conſurgens ex anima, & corpore; tum quia potentia vt præciſa ab organo ſequitur gradum ſenſitiuum animæ, qui ex ſua natura eſt immerſus in materia; & in anima rationali non eſt immerſus per accidens, quia identificatur cum gradu intellectiuo.

42 Ad primum Reſpondetur. Illud coniunctum eſſe finitum, ſed inuoluere virtutem actus puri, & ideo poſſe ipſum exprimere intentionali modo; nulla autem natura creata poteſt ad hoc pertingere, quia omnis facultas connaturalis ſequitur in operando modū eſſendi ipſius tamquam principij radicalis; & ideo non ſolum eſt potentialis in eſſendo, ſed etiam in repræſentando; lumen autem gloriæ licet ſit quid potentiale in eſſendo, eſt tamen quid actuale in repræſentando, quia ſequitur naturam actus puri, cuius eſt virtus. Ad ſecundum negatur conſequentia. Quia accidens ſupernaturale, vt tale, reſpicit vt proprium ſubiectum ſubſtantiam naturalem, nam eſt eſſentialiter eleuatiuum ipſius, & ideo non debet habere ſubiectum, cui ſit connaturale, alioquin non eſſet eleuatiuum, & ſupernaturale. Ad tertium negatur conſequentia. Quia lumen gloriæ retinet ordinem ad actum purum, ita vt operetur tanquam virtus ipſius, & ideo non poteſt fieri connaturale alicui ſubſtantiæ creatæ quia non poteſt habere proportionem cum principio radicali ipſius, accidentia enim ſupernaturalia ſunt virtutes propriæ Dei, per quas concurrit ad operationes ſupernaturales.

An Deus poſſit intuitiuè videri ab oculo corporeo.

SECTIO VI.

43 Ratio dubitandi eſt. Quia Iob 19. habetur. *In carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt*; & cap. 42. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te*. ſecundò quia D. Auguſtinus *lib. 22. de Ciuitate Dei c. 29.* videtur docere, Deum videri à beatis oculis corporeis. tertiò. Corpora poſſunt eleuari ad effectus ſupernaturales, vt ignis ad torquendos Demones, aqua ad cauſandam gratiam, ergo etiam oculus ad videndum Deum.

44 Dicendum eſt. *Oculus nullo modo poteſt eleuari ad videndum Deum*. Hęc concluſio ab aliquibus cenſetur eſſe de fide, alij verò nolunt eſſe de fide, ſed tamen proximè accedere; traditur autem communiter cum D. Thoma *1. parte quæſt. 12. art. 3.* Probatur. Nulla potentia poteſt eleuari ad aliquod obiectum, niſi ſecūdum proportionem ſuæ ſpecificationis, ergo nec oculus ad videndum Deum.

Antecedens patet. Alioquin non operaretur vt talis potentia, ſed vt alia potentia, quæ conſtitueretur per eleuationem. Conſequentia probatur. Oculus eſt potentia corporea, & ex vi ſuæ ſpecificationis tendit materiali modo in tale obiectum ſenſibile, ergo ſi eleuaretur ad operandum ſpirituali modo circa obiectum intelligibile vt tale eſt, eleuaretur ad operandum extra ſuam ſpecificationem.

45 Dices. Potentia, quæ ex ſua ſpecificatione operatur circa obiectum potentiale, poteſt eleuari ad obiectum, quod ſit actus purus, ergo etiam potentia materialis ad obiectum ſpirituale. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia obiectum operari potentiali modo prouenit ex imperfectione talis ſpecificationis, quæ poteſt ſuppleri per virtutem actus puri; vndè eleuatio non eſt extra ſpecificationem; eleuatio autem potentiæ materialis ad obiectum ſpirituale eſſet extra ſpecificationem.

46 Ad primam rationem dubitandi. Reſpondetur. Senſum eſſe, quod in carne exiſtens poſt reſurrectionem videbit Deum redemptorem, ſeu Chriſtum, qui, cum habeat corpus, eſt viſibilis oculo corporeo, & hoc deſumitur ex præcedentibus verbis, ait enim; *Credo quod redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſus circundabor pelle mea, & in carne mea* &c. & ita explicat D. Auguſt. *lib.22. de Ciuitate Dei cap.29.* Secundus autem locus intelligitur de auditu per fidem, per quam Iob cognoſcebat Deum; poſt quam autem tribulatus eſt, cognouit Deum cognitione euidenti, quatenus ex tribulatione tanquam ex effectu acquiſiuit huiuſmodi euidentiam, & proindè dicit, *Nunc autem oculus meus videt te*, intelligens de oculo intellectuali. Ad ſecundum D. Auguſtinum proponere dubitationem circa hanc difficultatem, ipſe vero ſentit quod nequaquam poſſit oculus videre Deum, nam cum adduxiſſet plures Patres negantes, oculos poſſe videre Deum, concludit, *Hanc autem etiam meam ſententiam eſſe confiteor*. Ad tertiam. Quicquid ſit de antecedenti, negatur conſequentia, cum ſit diſpar ratio, nam ſi corpora poſſent eleuari ad effectus ſpirituales, eleuatio non eſſet in ordine ad reſpiciendum in ſe cognoſcitiuo modo aliquod obiectum, & ideo eleuatio non eſſet extra ſpecificationem eleuati; ſicut eſſet ſi oculus corporeus eleuaretur ad videndum Deum, quia eleuaretur cognoſcitiuo modo, & ideo eſſet neceſſaria proportio receptiui ad receptibile modo cognoſcitiuo, & vitali. Ex dictis.

47 Colligitur. Non eſſe poſſibilem potentiam ſenſitiuam, per quam Deus poſſit attingi vitaliter, & cognoſcitiuo modo; nam eo ipſo, quod eſt ſenſitiua, eſt determinata ex vi ſuæ ſpecificationis ad obiectum ſenſibile, nec poteſt habere pro obiecto aliquid commune ſenſibili, & ſpirituali, tum quia hæc ratio communis non eſſet quid ſenſibile, atque adeo nec intra obiectum adæquatum talis potentiæ; tum quia in tantum eſt potentia ſenſitiua, in quantum ex vi ſuæ ſpecificationis eſt determinata ad obiectum ſenſibile.

DE EO, QVOD IN DEO VIDERI poteſt.

DISPVTATIO XLVIII.

An per viſionem intuitiuam videantur omnia quæ ſunt in Deo.

SECTIO I.

1 PErfectiones, quæ ſunt in Deo formaliter, aliæ ſunt neceſſariæ, quæ ipſi neceſſariò conueniunt, vt ſunt attributa, & aliæ liberæ, quæ poſſent non conuenire, vt ſunt actus liberi, in præſenti autem agimus de neceſſariis.

Prima ſententia negat, videri omnia attributa, quatenus ſumuntur cum ordine ad creaturas. Ita Ochamus in 4.*q.13.art.*1. Paludanus *diſt.*49. *q.*2. *artic.* 1. Gabriel in 3.*diſt.*14.*q.*1.

Probant. Attributa ſunt infinita, ergo ad ea videnda requiritur virtus infinita, nam quo plura videntur in Deo requiritur maior virtus, beati autem non habent virtutem infinitam.

2 Secunda ſententia aſſerit, Deum non poſſe videri ſecundum omnes gradus virtualis perfectionis, ſecundum quos poteſt magis, aut minus ab intellectu creato penetrari. Ita Ferrarienſis 3.*contra Gentes cap.*5. Argentinas *in* 3.*diſt.*14.*q.*7.*art* 3. Albertinus *tom.*1.*coroll.*4.*punc.*7. & 8. Salas *p.*2.*trac.*2.*diſp.*4.*ſec.*2. & 3. & alij.

Probant. Si videretur Deus intenſiuè, & extenſiuè ſecundum omnes gradus, comprehenderetur, quia nihil ipſius lateret cognoſcentem, hoc autem dici non poteſt, ergo. Secundò. Viſa tali pacto omnipotentia, viderentur omnes creaturæ poſſibiles; hoc autem fieri non poteſt, ergo. Tertiò. Deus eſt infinitus, ergo non poteſt ſecundum ſe totum penetrari.

3 Tertia ſententia docet, Deum ſecundum ſe totum videri, quò ad omnem perfectionem, modum, & gradum in ipſo formaliter exiſtentem. Ita D. Thomas *p.p.q.*12. *art.*7.*ad* 2. & 3. Bannes *dub.* 2. Cumel *diſp.* 1. Vaſquez *diſp.*48. Scotus *in* 4.*diſt.*15.*q.*5 Suarez *lib.* 2. *de Deo vno cap.*22. Smiſing *tract.*2. *de Deo vno diſp.*6. *numer.*99. & alij.

4 Dico primò. *Ea omnia videntur in Deo, quæ neceſſaria ſunt, vt videatur Deus ſicuti eſt, atque adeo videntur omnia, quibus conſtituitur in eſſe vnius, & trini.* Eſt de fide Probatur 1. Ioannis 3. *Videbimus eum, ſicuti eſt*, & in Concilio Florentino *in litteris vnionis* definitur beatos clarè videre Deum trinum, & vnum ſicuti eſt, ergo debent videri omnia, quibus conſtituitur in eſſe vnius, & trini.

5 Dico ſecundò. *Beati de facto vident in Deo omnes perfectiones neceſſarias, quæ ſunt in ipſo formaliter, ſiue ſint modi, ſiue gradus, ſiue quocunque alio modo ſe habeant.* Probatur. Omnia, quæ ſunt in Deo formaliter, pertinent ad conſtitutionem ipſius vel ſecundum vnitatem, vel ſecundum trinitatem, ergo cum videatur Deus ſicuti eſt vt eſt de fide, debent hæc omnia videri. Antecedens patet, quia, cum ſit actus purus, quidquid eſt in ipſo, ſe habet per modum actus, atque adeo per modum conſtitutiui, cum nihil accidentale poſſit eſſe in ipſo. Conſequentia etiam patet. Quia non poteſt videri ſicuti eſt, niſi videatur ſecundum tale eſſe conſtitutum per talia conſtitutiua.

6 Dico tertiò. *Deus videtur à beatis per vnicum conceptum.* Ita communiter cum D. Auguſtino 13. De

Digitized by Google

Trinitate cap.16. Probatur. Vitio Dei exprimitur, pro vt intellectus mouetur ab obiecto, ergo non poteſt exprimi, niſi per vnicum conceptum, quia obiectum mouet vnica motione indiuiſibili, ſiquidem mouet vt ſummum ens per eſſentiam.

7 Ad fundamentum primæ ſententiæ negatur aſſumptum. Quia attributa ſecundum ſe neque ſunt finita, neque infinita, cum non habeant numerum, ſed ſint ſimpliciſſima perfectio infinita; numerus autem ponitur à noſtro intellectu, à quo ponitur diſtinctio rationis inter ipſa.

8 Ad primum ſecundæ ſententiæ negatur ſequela. Quia comprehenſio non conſiſtit in eo, quod videntur omnia quæ ſunt in obiecto, ſed in eo, quod cognitio in modo repræſentandi adæquet cognoſcibilitatem obiecti, vt dicemus ſuo loco. Ad ſecundum conceditur ſequela in eo ſenſu, in quo infra explicabimus, & negatur minor. Ad tertium negatur conſequentia, Quia licet Deus ſit infinitus, eſt tamen indiuiſibiliter viſibilis, & ideo non poteſt videri, niſi ſecundum ſe totum penetretur, & ſolum ſequitur quod ratione infinitatis non poſſit comprehendi.

An de potentia abſoluta poſſit Deus videri ſecundum eſſentiam, & non ſecundum perſonas, aut ſecundum vnam rationem, & non ſecundum aliam.

SECTIO II.

9 Difficultas procedit de viſione intuitiua, an videlicet poſſit videri eſſentia ſine perſonis, & econtra, aut vna perſona ſine alia, aut eſſentia ſine attributis, & econtra, aut vnum attributum ſine alio.

Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Scotus *in 1. diſt. 1. q. 2. art. 2.* Lichetus, & Tartaretus *ibidem*, Palatius *diſp. 3.* Baſſolus *in 3. diſt. 14. q. 2. art. 2.* & communiter Scotiſtæ, & præterea Salas *p. 2. trac. 2. diſp. 4. ſec. 3.* Hurtadus *in metaphyſica diſp. 6. ſec. 6.* & alij.

Probant. Pater prius origine, quam generet Filium, perfectè intelligit ſuam eſſentiam, ergo cum in hoc priori non ſint productæ perſonæ, neque etiam videntur à Patre, ſed ſola eſſentia, ergo eſſentia eſt viſibilis ſine perſonis. Secundò. Cognito vno relatiuo intuitiuè non eſt neceſſe, quod videatur alterum, ſic Dæmon cognoſcit creaturam vt dependentem à Deo non cognito Deo intuitiuè, ergo viſa vna perſona non eſt neceſſe, quod altera videatur. Tertiò. Actus poteſt terminari ad obiectum primarium, etiamſi non terminetur ad ſecundarium, ergo poteſt terminari ad eſſentiam, etiamſi non terminetur ad relationes Diuinas, quia relationes Diuinæ ſunt obiectum ſecundarium. Quartò. Non obſtante entitate, & ſimplicitate Dei poteſt eſſentia communicari non communicata perſonalitate, ergo etiam videri. Quintò. Vnio hypoſtatica terminatur ad perſonam, & non ad eſſentiam immediatè, ergo etiam viſio poterit terminari.

10 Secunda ſententia aſſerit, poſſe videri eſſentiam ſine perſonis, & ſine attributis, & vnum attributum ſine alio, & vnam perſonam ſine alia, hanc tamen viſionem non futuram beatam, ſed confuſam. Ita quidam Recentiores.

Probant. Poteſt aliquid videri ſecundum ſe totum, & non diſtinctè ſecundum omnes ſuas rationes. Sic beati de facto vident omnipotentiam, & tamen non vident omnes eminentiales continentias, ſeu habitudines ad creaturas, ergo. Secundò. Quando oculus videt intuitiuè albedinem, non videt omnia, cum quibus identificatur albedo, vt eſt ratio accidentis, qualitatis, &c. ergo non eſt de ratione viſionis intuitiuæ, quod attingat omnia, quæ identificantur cum obiecto. Sic etiam quando intellectus cognoſcit intuitiuè albedinem mediante viſione, non cognoſcit intuitiuè rationem accidentis, &c. Tertiò. Poteſt beatus ratione diſtinctionis virtualis intuitiuè videre eſſentiam communicatam, & non relationem, quod fieri non poteſt ſine aliqua præciſione, ergo cum in viſione intuitiua ſit poſſibilis præciſio, poterit eſſentia videri ſine attributis. Quartò. Poteſt videri creatura non viſa eius potentia obedientiali, licet cum ipſa identificetur, vt contingit in viſione naturali Angeli, quæ, cum non poſſit extendi ad terminum ſupernaturalem, neque etiam poteſt attingere potentiam obedientialem, ergo

11 Tertia ſententia abſolutè negat. Ita D. Thomas *ſecunda ſecundæ q. 6. art. 8. ad 3.* Caietanus. *ibidem.* Capreolus *in 4. diſt. 49. q. 6. ar. 3. ad argumēta Aureoli cōtra primam concluſionē* Durandus *q. 2. n. 5.* Sotus *q. 3. art. 3. concluſione ſecunda.* Ochamus *in 1. q. 5.* Gabriel *ibidem* Banes *1. p. q. 12. art. 7. dub. 7.* Molina *art. 8. diſput. 4.* Vaſquez *diſp. 48. art. 2. & alij.*

12 Dico primò. *Non poteſt videri eſſentia ſine perſonis, aut econtra, nec eſſentia ſine attributis, aut econtra, vnum attributum ſine alio, nec vna perſona ſine alia, ita, vt non poſſit videri Deus, niſi videatur quidquid eſt in ipſo formaliter, vt quid neceſſarium.* Deſumitur ex D. Auguſtino *in pſalmo* 84. vbi ait. *Fortè videndo Patrem, non videndo Filium, erimus beati? Ipſum audi Chriſtum. Qui me videt, videt & Patrem, cum vnus enim Deus videtur, Trinitas videtur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Et in Pſalmum 85. *Vbi non vnius ſeparatur natura, & ſubſtantia, viſio ſeparari non poteſt, & lib. 1. de Trinitate cap. 8. Sine ergo audiamus, oſtende nobis Filium, ſiue audiamus, oſtende nobis Patrem, tantundem valet quia neuter ſine alio poteſt oſtendi, vnum quippe ſunt, ſicut & ipſe ait Ego, & Pater vnum ſumus.* Et ſequitur ex dictis in *Meth. p. 2. diſput. 58. ſec. 2.* vbi oſtendimus in cognitione intuitiua neceſſariò videri totum obiectum ſecundum omnes rationes. Probatur, Non poteſt Deus intuitiuè cognoſci, aut aliquid ipſius, niſi cognoſcatur quidditatiuè, ergo niſi cognoſcatur cum ijs omnibus, quæ ſunt de quidditate, omnia autem, quæ ſunt in Deo, ſunt de quidditate Dei, quia ſecundum ſe totum eſt vnus ſimpliciſſimus actus purus.

Confirmatur. Eſt eſſentiale eſſentiæ identificari cum attributis, & perſonis, & econtra, ergo non poteſt vnum videri non viſa hac identificatione, non poteſt autem videri identificatio, niſi videantur ea, quæ identificantur. Confirmatur ſecundò. Non poteſt Deus, aut aliquid ipſius intuitiuè attingi, niſi attingatur vt ens per eſſentiam, & vt actus purus, cum debeat attingi ſub illa ratione, quæ correſpondet cognitioni intuitiuæ, ergo non poteſt intuitiuè videri, niſi videantur omnia, quæ ſunt in ipſo formaliter. Conſequentia probatur. Eo ipſo, quod attingitur ſub ratione entis per eſſentiam, attingitur ſecundum omne id, quod eſt formaliter ens per eſſentiam; ens autem per eſſentiam dicit formaliter omnem rationem entis, & quidditatis.

13 Dico ſecundò. *Non poteſt dari viſio intuitiua Dei, quę ſit confuſa, & non beatificans, per quam aliquid ſine alio in Deo videatur.*

Probatur. Quod videretur per talem viſionem, deberet videri ſub ratione intelligibilis, ita vt intelligibilitas eſſet ratio formalis obiectiua, ergo non poſset videri, niſi viderentur omnia, quæ ſunt in Deo. Conſequentia probatur. Intelligibilitas ſubſternit ſibi omnem rationem quæ eſt in Deo, cum ſit vna, & eadem intelligibilitas indiuiſibilis, ergo applicat indiuiſibiliter intellectum ad omne id, quod eſt per ipſum intelligibile.

14 Ad primum primæ ſententiæ. Quicquid ſit de antecedenti, negatur conſequentia; nam fit tranſitus à prioritate *à quo* ad prioritatem *In quo* neque enim datur aliquod ſignum, in quo Pater cognoſcat prius ſuam eſſentiam, & non perſonas, ſicut non datur aliquod ſignum, in quo ſit Pater, & non ſint aliæ perſonæ. Ad ſecundum di-

Digitized by Google

diſtinguitur antecedens. Poteſt videri intuitiuè vnum relatiuum non viſo alio, quando hæc relatiua non ſunt vnum in eſſentia, & natura, ſecus autem ſi ſint vnum, vt ſunt perſonæ Diuinæ; quia tunc vnitas eſt ratio, cur inſeparabiliter ſe habeant in viſione, ſicut inſeparabiliter ſe habent in entitate. Ad tertium. Actum poſſe terminari ad obiectum primarium, & non ad ſecundarium, quando hæc obiecta diſtinguuntur realiter, ſecus autem ſi non diſtinguantur, deindè perſonalitates Diuinæ pertinent ad obiectum primarium, *vt Quod*, vt oſtendimus ſuo loco. Ad quartum negatur conſequentia. Eſt enim diſpar ratio, ideo enim poteſt communicari eſſentia, & non relatio, quia relatio habet oppoſitionem ad communicari, ſi autem communicatio fieret ſub aliqua ratione communi eſſentiæ, & perſonalitati, tunc non poſſet non communicari, in caſu autem noſtro nec relatio, nec eſſentia habent oppoſitionem ad videri intuitiuè, & cognitio intuitiua terminatur ad intelligibilitatem per eſſentiam, quæ ſibi ſubſternit tàm eſſentiam, quàm perſonalitates, & ideo non poteſt videri eſſentia ſine perſonis, nec econtra. Ad quintum diſtinguitur antecedens. Vnio hypoſtatica non terminatur ad eſſentiam formaliter, terminatur tamen materialiter, & identicè, ratione identitatis cum perſonalitate; vndè negatur conſequentia. Imò, ſicut implicat, quod perſonalitas vniatur hypoſtaticè, & non vniatur eſſentia ſub perſonalitate, ita etiam ex eo, quod Deus ſecundum eſſe intelligibile vnitur intellectui, implicat, quod non vniatur ſub eſſe intelligibili quidquid identificatur cum ipſo, atque adeo quod non videatur ſimul eſſentia, & perſona, ſiquidem eſſe intelligibile ſubſternit tam eſſentiam, quam perſonam.

15 Ad primum ſecundæ ſententiæ negatur aſſumptum; & ad probationem reſpondetur. Omnipotentiam non habere illas habitudines, vndè, vt videatur ſecundum ſe totam, ſufficit ſi videatur ſecundum continentiam eminentialem, ratione cuius Deus poteſt ſe communicare modis infinitis; & ideo non poteſt videri, niſi videantur omnia identificata cum ipſo. Ad ſecundum diſtinguitur antecedens. Oculus non videt omnia identificata cum albedine, vt ſtant ſub determinatione coloris, & nego. Non videt omnia ſub proprijs rationibus concedo, vndè negatur conſequentia. Quia intellectus eſt potentia vniuerſalis attingens obiectum ſub vniuerſaliſſima ratione entis, cui cum ſubſternantur omnes rationes, attingit ipſas diſtinctè ſecundum proprias quidditates; oculus autem eſt potentia particularis, & ideo non poteſt attingere obiectum, niſi ſecundum ſpecialem determinationem cognoſcibilitatis; vnde, licet attingat ipſum totum, non tamen penetrat omnes rationes ipſius, intellectus verò non cognoſcit intuitiuè colorem, tum quia attingit mediante aliâ potentia, tum quia non attingit per propriam ſpeciem quidditatiuam, quæ eſt neceſſaria ad cognitionem intuitiuam, & proinde circa obiecta ſenſibilia procedit diſcurſiuo modo. Ad tertium negatur minor. Nam cum Beatus videt eſſentiam communicatam, & non relationem; ſolum videt eſſe Dei, vt eſt in ſe, ſicuti autem vt eſt in ſe, vnum non præſcindit ab alio, ita nec in cognitione fit aliqua præciſio.

Ad quartum Negatur aſſumptum. Implicat enim, quod videatur creatura, & non videatur potentia obedientialis ipſius, quatenus eſt quid ipſi intrinſecum, & cum ipſa identificatum. Ad probationem. Vt cognoſcatur potentia obedientialis intuitiuè, non eſt neceſſe quod cognoſcatur intuitiuè terminus ipſius, ſed ſufficit ſi cognoſcatur abſtractiuè, nec eſt neceſſe, quod cognoſcatur in particulari, ſed ſufficit ſi cognoſcatur in vniuerſali, pro vt dicit omne id, quod non implicat; nam potentia obedientialis eſt non repugnantia ad omne id, quod non implicat.

Quomodo decreta libera Dei ſint cognoſcibilia.

SECTIO III.

16 SVpponendum eſt. Actum liberum in Deo nihil ſuperaddere intrinſecum ſupra actum neceſſariũ, ſed ſolum importare actum neceſſarium pro vt cauſatiuo modo terminatur ad aliquid ad extra, vndè, vt cognoſcatur, debet attingi actus neceſſarius, cauſatio, & terminus cauſatus.

17 Prima ſententia aſſerit cognoſci ex ſpeciali reuelatione Dei, vndè Deus dicitur reſpectu actuum liberorum ſpeculum voluntarium. Ita Durandus *in 3. diſt.* 14. *q.* 2. *n.* 4. Vaſquez 1. *p. diſp.* 50. *n.* 23. Molina *q.* 12. *art.* 8. *diſp.* 5. *mem.* 5. *& 6.*

18 Secunda ſententia docet, actus liberos Dei videri ex ſpeciali concurſu, & determinatione, quatenus Deus mediante lumine, & ſpecie determinat ad videndum actũ neceſſarium cum connotatione obiecti ad extra. Ita Suarez *lib. 2. de Deo vno cap.* 24. *n.* 12. Faſolus 1. *p. q.* 12. *art.* 5. *n.* 112. Machinus *diſp.* 9. *ſec.* 3.

19 Dico primò. *Viſo Deo non videntur neceſſariò omnes actus liberi Diuini*. Ita communiter cum D. Thoma 1. *p. q.* 12. *artic.* 6. *&* 8. & deſumitur ex D. Dionyſio *cap.* 3. *de Diuinis nominibus* quatenus docet, quod Angeli inferiores illuminantur à ſuperioribus, quod non eſſet verum, ſi viderent omnia conſilia Diuina. Probatur. Actus liberi poſſunt Deo conuenire, & non conuenire, ergo ex eo, quod videatur eſſe Dei, non ſequitur, quod videantur actus liberi, cum non habeant connexionem neceſſariam cum ipſo.

20 Dico ſecundò. *Beati ex vi viſionis Dei vident actus liberos vt terminatos ad creaturas, pro vt ſunt in ſe ipſis*. Ita D. Dionyſius *citatus*, vbi docet, Angelos ſuperiores videre in Verbo conſilia Dei. Probatur. Actus liber, vt importat etiam obiectum extrinſecum, dicit vnam rationem obiecti, quatenus obiectum ad extra eſt obiectum ſecundarium, ergo poteſt cognoſci eodem actu; quo videtur Deus, quia, vbi eſt vnum obiectum, poteſt eſſe vnicus actus cognitionis.

21 Dices. Effectus ad extra eſt obiectum ſecundarium reſpectu cognitionis Diuinæ, non autem reſpectu creatę. Contra. Etiam reſpectu creatę attingitur, vt ſtat ſub primario obiecto, ergo ſe habet vt obiectum ſecundarium.

22 Dico tertiò. *Ad videndos actus liberos Dei eſt neceſſaria ſpecialis determinatio obiectiua.* Probatur. Vbi eſt nouum obiectum, debet eſſe noua determinatio obiectiua, ſed actus liber Dei eſt nouum obiectum, quia dicit voluntatem Diuinam non quomodocunq., ſed vt cauſantem talem effectum. ergo

23 Dico quartò. *Hæc determinatio obiectiua eſt ſubordinata determinationi obiectiuæ, qua intellectus determinatur ad videndum Deum*.

Probatur. Obiecta ſunt ſubordinata tanquam primarium, & ſecundarium, ergo etiam determinatio obiectiua, quia determinatio obiectiua ſequitur naturam obiecti.

24 Dico quintò. *Hæc determinatio obiectiua fit ex vi obiecti primarij in ordine ad intellectum eleuatum, quatenus actus diuinus mouet intellectum, & diuina eſſentia pro vt continet creaturas fęcundat ipſum ad eas cognoſcendas, etiam pro vt ſunt in ſe ipſis*.

Probatur. Actus Diuinus in ratione obiecti habet, quod ſe extendat cauſatiuo modo ad effectus creatos, & eſſentia Diuina cõtinet eſſe creaturarum, ergo poteſt haberi ab ipſis determinatio obiectiua in ordine ad talem extenſionem cauſatiuam, & ad eſſe creaturarum, quia quodlibet obiectum poteſt determinare in ordine ad cognitionem ſui ipſius.

25 Obijcies. Plura decreta libera non terminantur ad obiectum

Digitized by Google

obiectum extrinſecum, vt ſunt decreta conditionata, ergo non poſſunt hoc modo cognoſci. Reſpondetur negando antecedens. Quia non datur decretum liberum, cui non correſpondeat aliquid ad extra, vt ſuo loco oſtendemus. Ad probationem reſpondetur. Non dari decreta conditionata, ſed tantum ob abſoluta.

26 Obijcies ſecundò. In decreto libero ſolum ſuperadditur actui neceſſario effectus ad extra, ergo ad videndum actum liberum ſufficiet videre effectum ad extra. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia actus liber non ſolum dicit obiectum extrinſecum, ſed etiam vitalem attingentiam, qua actus neceſſarius coniungitur cauſatiuo modo cum obiecto ad extra.

An, & quomodo creaturæ ſint viſibiles in Deo.

SECTIO IIII.

27 SVpponendum eſt. Poſſe dupliciter aliquid in alio cognoſci, nempè cauſaliter, & formaliter. Primò modo cognoſcitur, quando attingitur actu diſtincto, ita tamen, vt hic actus cauſetur ex vi prioris ex eo, quod obiectum mouens ad ſui cognitionem, moueat etiã ad cognoſcendum quod in ſe continet, ſicuti principium mouet ad cognoſcendum ſe ipſum, & etiam concluſionem per actum diſtinctum. Secundo modo cognoſcitur eodem actu indiuiſibili, qui per ſe primò terminetur ad continens, & ſecundariò ad contentum.

28 Supponendum ſecundò. Eos, qui docent poſſibilia eſſe cognoſcibilia in ſe ipſis, ſumere poſſibilia ſecundum proprium eſſe, quod habent contradiſtinctum à Deo; ſed cum per nos non ſint aliquid extra omnipotentiam, neque etiam ſunt cognoſcibilia in ſe ipſis, niſi quatenus intellectus ea cognoſcens in Diuina omnipotentia, poteſt de ipſis ſeorſum ſibi formare aliquem conceptum, & veluti extrahendo ſecundum eſſe obiectiuum ab ipſa omnipotentia, vndè aliud eſt videre creaturas in ſe ipſis, & aliud videre ſecundum proprium eſſe ipſarum in Deo. Primum dicit, quod creaturæ terminent cognitionem ſecundum illud eſſe, quod ſunt in ſe ipſis, vt quid contradiſtinctum à Deo. Secundum dicit, quod terminent cognitionem ſecundum illam menſuram eſſendi, ſecundum quam virtualiter ſunt in Deo, præciſo tamen illo modo communicationis, quo ratione infinitatis communicant in eadem infinitate poſſibilitatis, vndè debent per cognitionem veluti extrahi ſecundum eſſe obiectiuum ab illa infinitate Diuinæ omnipotentiæ.

29 Prima ſententia negat, creaturas videri in Deo formaliter, ſeu ex vi viſionis, & eiuſdem actus, quo videtur Deus. Ita Ochamus *in 4. q. 13. art. 2. & 3.* Gabriel *in 3. diſt. 54. art. 1.* Maior *q. 3.* Vaſquez *1. p. diſput. 15. cap. 6.* Vadingus *diſp. 6. de Incarnat. dub. 6. punc. 2.*

Probant. Eſſentia Diuina non dicit ordinem ad creaturas, ergo non poteſt eſſe medium ad ipſas cognoſcendas. Secundò. Creaturæ non ſunt in Deo formaliter, ſed ſolum eminenter, quatenus eſt in ipſo creatrix potentia, ergo illo viſo non videntur formaliter. Tertiò. Sequeretur, quod neceſſariò omnes viderentur, quia in tantum, in quantum eſt cauſa ipſarum; cauſa autem ducit neceſſariò in cognitionem effectus. Quartò. Quo plures creaturæ viderentur, viſio eſſet perfectior, ergo ſequeretur, quod Beatus inferioris meriti eſſet magis beatus altero maioris meriti, quod eſt abſurdum. Conſequentia probatur. Fieri poteſt, quod ratione ſtatus, qui eſt inferioris meriti, debeat videre plures creaturas, tamquam concernentes ad ſtatum ipſius, tunc autem haberet viſionem beatam perfectiorem.

30 Secunda ſententia aſſerit, videri formaliter eodem actu indiuiſibili, quo videtur Deus. Ita D. Thomas *1. p. q. 12. art. 4.* Caietanus, Medina, Bannes *ibidem*. Molina *diſp. 5.* Faſolus *dub. 1.* Alenſis *2. p. q. 23. mem. 5.* Scotus *q. 3. prologi*. Richardus *in 3. diſt. 14. art. 1. q. 3.* Durandus *diſt. 49. q. 3.* Amicus *1. p. diſput. 9. ſec. 20.* Arrubal *diſp. 25.* Smiſing *trac. 2. de Deo vno diſp. 6. mem. 157.*

31 Dico primò. *Creaturas eſſe viſibiles in Deo ſecundum proprias rationes eodem actu, quo videtur Deus.* Deſumitur ex Cõcilio Senenſi ſi *decreto* 131. vbi habet; Deum eſſe ſpeculum, in quo Beati vident, quidquid ipſorum intereſt, & ex D. Auguſtino *lib. 4. de Geneſi ad litteram cap. 23.* vbi ait. *Multum intereſt inter cognitionem rei cuiuſcumque in Verbo, & cognitionem in ratione ipſius, & illud meritò ad diem, hoc ad veſperam pertinet*, & lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 7. *Cognitio creaturę in ſe ipſa decoloratior eſt, vt ita dicam quàm cum in Dei ſapientia cognoſcitur veluti in arte, qua facta eſt.*

32 Reſpondet Vaſquez. Loqui de cognitione creaturarum in Verbo cauſaliter. Contra. Diuus Auguſtinus ponit duplicem cognitionem, aliam, qua creaturæ cognoſcuntur in Verbo, & aliam, qua cognoſcuntur in ſe ipſis, viſio autem creaturarum in Verbo cauſaliter eſt cognitio creaturarum in ſe ipſis. Deindè D. Auguſtinus ait, creaturas cognoſci in Dei Sapientia, ſi autem eſſet tantum cognitio in Verbo cauſaliter, non cognoſcerentur in Dei ſapientia, vt in arte, qua factæ ſunt, ſed in ſe ipſis.

33 Reſpondet ſecundò. Non intelligere, quod creaturæ videantur in Verbo ſecundum proprium eſſe, ſed ſolum ſecundum eſſe eminentiale, quod non eſt aliud, quam ipſa creatrix eſſentia. Contra. Creaturæ videntur vt deſcriptę in veritate, & in ratione incommutabili, vt ait D. Auguſtinus *lib. 4. de Geneſi ad litteram cap. 24.* & *lib. 11. de Ciuitate cap. 29.* ſunt autem deſcriptæ ſecundum proprias rationes.

34 Probatur. Si creaturæ non viderentur in Verbo formaliter, nõ poſſent videri eodem actu, quo videtur Deus, ſed debent videri, ergo. Sequela probatur. Actus viſionis beatæ fit à lumine glorię, ergo cum lumen gloriæ poſſit tantum pro ſe primò reſpicere actum purum, à quo ſpecificatur, non poteſt aliquid attingere, niſi attingat in Deo, vt in ratione cognoſcendi. Minor probatur. Niſi viderentur in Deo, non cognoſceretur Deus vt continens creaturas ſecundum proprium eſſe ipſarum; atque adeo neque ſecundum rationem omnipotentiæ, neq. ſecundum rationem ideæ, quæ debet exprimere ideatum ſecundum propriam rationem.

35 Dico ſecundò. *Eſſe formale creaturarum, quod Beati vident in Verbo, non ſtat ſub modo eſſendi paſſiuo, ſed ſub modo eſſendi actiuo, quo creaturæ originatiuè exiſtunt in potentia Dei.* Eſt autem aduertendum, quod creaturæ habent duplicem modum eſſendi, alium, quo ſunt in ſe ipſis vt quid extractum à potentia Dei, & hic eſt modus eſſendi paſſiuus, quia dicit eſſe receptum, alium verò, quo exiſtunt in Deo, vt in ſua origine, & importat eſſe creaturarum, quod poteſt fluere à prima cauſa ſecũdum illas determinationes, quæ exprimuntur in Diuinis ideis, & hic dicitur modus eſſendi actiuus, quia ſtat ſub determinatione virtutis communicatiuę.

Probatur. Deus eſt ratio videndi creaturas, quatenus illas continet, ergo creaturæ videntur eo modo, quo ſubijciuntur cognitioni per ipſam rationem videndi, ergo videntur ſecundum modum eſſendi originatiuum, quia ſubijciuntur cognitioni ex vi continentiæ, qua continentur in Deo, ita vt continentia ſit ratio videndi.

36 Dico tertiò. *Quomodo Beati vident creaturas in Verbo, poſſunt ex vi fæcundationis illas cognoſcere veluti extractas ſecundum eſſe obiectiuum à Dei omnipotẽtia, formando de ſingulis ſeorſim proprium conceptum.* Probatur. Intellectus eſt fæcundus in ordine ad exprimendum eſſe creaturarum in eſſe intentionali ſecundum proprias rationes ipſarum, ergo cum poſſint exprimi ſecundum proprias rationes ſingulæ ſeorſim, ſicut etiam poſſunt exiſtere vt quid extractum à Diuina potentia, poterit etiam exprimere ex vitalis fæcundationis.

37 Dico quartò. *Hæc cognitio fit per extenſionem viſionis*

ſionis

Digitized by Google

ſionis beatæ, quatenus extenditur ad percipiendas creaturas ſingulas ſeorſim ſecundum proprias menſuras. Fit autem extenſio ex eo, quod beatus videns Diuinas ideas, format ſibi conceptum ſpecialem de tali, & tali creatura, vt de obiecto ſecundario ſtante ſub primario, nempè ſub repræſentatione Diuinarum idearum. Probatur. Beatus videt Diuinas idæas repræſentantes creaturas ſecundum proprium eſſe, quod poſſunt à Deo participare, ita vt repræſentetur etiã ille modus ſe habendi ſeorſim à quocunque alio, ergo cum videns ideas poſſit ſibi formare conceptum ideati adæquantem repræſentationem ideæ, poterit beatus formare ſibi conceptum talis, & talis creaturæ ſecundum proprium modum eſſendi.

38 Ad primum negatur conſequentia. Quia eſſentia Diuina non ducit in cognitionem creaturarum, vt in correlatiuum, ſed vt in id, quod in ſe ipſa continet tanquam effectum producibilem. Ad ſecundum. Diſtinguitur antecedens. Creaturæ non ſunt formaliter in Deo, ſi lij *formaliter* cadat ſupra modum eſſendi; ſi verò cadat ſupra eſſe creaturarum, ſunt formaliter in ipſo, quia ſicuti ſecundum proprium eſſe formale proueniunt a Deo, ita etiam ſecundum idem eſſe continentur in ipſo, vt in cauſa.

Ad tertium. An omnes creaturæ videantur in Deo videbunt infra.

Ad quartum negatur ſequela. Quiã viſio Beatorũ non correſpondet meritis, vt tendit in obiectum ſecundarium, ſed vt tendit in primarium; vnde ſi quis minoris meriti videat plures creaturas, eſſet ratione extenſionis viſionis beatæ. Hæc autem extenſio non auget perfectionem viſionis, vt tendit in obiectum primarium, atq; adeo nec etiam beatitudinem, ſed qualibet viſiò poteſt extendi ad quaſcunq. creaturas.

Quomodo Deus ſit medium ad videndas creaturas.

SECTIO V.

39 SVpponendum contra Granad. 1. part. trac. 6, diſput. 1. ſect. 5. & alios Recentiores. Deum non eſſe mediũ cognoſcendi creaturas relatione ordinis tranſcendentalis ad ipſas, tum quia non dicit talem ordinem, tum quia etiamſi diceret, non eſſet tamen medium faciens cognoſcere creaturas, quia licet non poſſit cognoſci vnum Relatiuum ſine alio, non tamen vnum cognoſcitur in alio.

40 Supponendum ſecundò, Deum in repræſentando creaturas non habere propriam rationem ſpeculi, vt docet D. Thom. q. 8. de ver. art. 4. Quia ſpeculum recipit imagines rerum ab ipſis rebus, non autem res ſunt originatiuè in ſpeculo, ſicuti ſunt creaturæ in Deo. Vnde quando Patres docent, creaturas videri in Deo, vt in ſpeculo, loquuntur metaphoricè, quia ſicuti in ſpeculo repræſentantur res ſecundum proprium eſſe, ita etiam creaturæ in Deo.

41 Supponendum tertiò. Ex eo, quod Deus ſit ens per eſſentiam, ipſum habere quidem in ſe illam perfectionem, per quam poteſt repræſentare creaturas, non tamen eſſe ipſam rationem entis per eſſentiam, quia ens per eſſentiam non magis importat vnam perfectionem, quàm alteram, & ideò eſt aſſignabilis aliqua ratio ſpecialis, ex vi cuius Deus ſit medium repræſentans creaturas.

42 Prima Sententia aſſerit, creaturas eſſe viſibiles in Deo, vt in ſpeculo, ratio autem ſpeculi in eo conſiſtit, quod Diuina eſſentia repræſentat etiam eſſe creaturarum Ita Scotus *in 3. diſtinct. 14. quæſt. 2.* Aureolus *quodlib. 10, art. 1. & alij.*

43 Secunda ſententia aſſerit eſſe viſibiles in Diuinis idæis, ita Henricus *quad. 7. q. 4. & 5.* Suarez *lib. 2. de Deo vno cap. 2. numero 29.* Saas 1. 2. *tract. 2. diſput. 4, ſec. 4. num. 61.*

44 Tertia ſententia aſſerit, creaturas eſſe viſibiles in Deo, vt in cauſa, ita vt medium obiectiuum, per quod videntur, ſit ipſa ratio cauſæ ita Capr. *in 4. diſt. 49. q. 6. artic. 3.* Palud. *quæ. 2. art. 1.* Durand. *q. 6.* Sotus *q. 3. art. 3.* Caietan. *1. p. q. 12. art. 8.* Bannes *in reſponſione ad vltimum 2. ſententiæ,* Molin. *diſput, 2.* Faſol. *dub. 8.* Egid. *lib. 5. de beatitud. q. 18, art. 5. §. 1.*

45 Dico Primò. *Ratio cauſæ, quatenus completur per ideã eſt medium, per quod creaturæ ſunt viſibiles in Deo* Eſt autem aduertendum, quod Ideæ Diuinæ ſunt ideæ ſubſiſtentes ex ſua formali ratione, quia cum conſiſtant in eſſe expreſſo verbi Diuini, & hoc eſſe expreſſum ſit terminus productionis, debet vt tale eſſe ſubſiſtens. Ex quo fit, vt non ſolũ repræſentent *vt quo* ſed etiã *vt quod*, & proinde quod poſſunt repræſentare etiam alteri ab ipſo Deo.

Deſumitur ex D. Dionyſ. *cap. 7. de Diu. nominibus* vbi aſſignat hanc rationem tanquam illam, ex vi cuius etiã ipſe Deus cognoſcit creaturas, & ex Diuo Auguſtino *lib. 4. de Genes. ad literam cap. 24.* vbi cum dixiſſet, creaturas videri in verbo, aſſignat rationem inquiens. In quo ſunt omnia, etiam quæ temporaliter facta ſunt æternę rationis, tanquam in eo, per quod factæ ſunt per æternas autem rationes intelligit idæas.

Probatur, Creaturæ non poſſunt videri in Deo, niſi eo modo, in ipſo continentur, ergo non poſſunt videri niſi ex vi illius rationis, per quam continentur. Antecedens patet. Nam quando aliquid in alio videtur, vt viſio ſit conformis obiecto debet ipſum attingere eo modo, quo eſt in ipſo. Conſequentia probatur. Ratio continendi eſt ràtio coniungendi creaturas cum ipſo Deo in ratione obiecti, ergo eſt ratiò cognoſcibilitatis creaturarum in Deo, Quia ſicuti ratio eſſendi eſt ratio cognoſcibilitatis, ita ratio eſſendi in alio eſt ratio cognoſcibilitatis, qua contentum poteſt cognoſci in continente. Hæc autem ratio, per quam Deus continet creaturas, eſt ratio cauſæ non ſolum vt dicit potentiam, ſed etiam idæas tanquam illas, per quas potentia determinatur ad communicandum eſſe creaturis ſecundum talem menſuram, vt etiam contingit in artificibus creatis.

46 Dices primò. Eſſentiam Diuinam facere innoteſcere creaturas, vt ſpeciem eminentialem ipſarum. Contra, Non facit innoteſcere vt medium cognitum, quia ſe haberet vt quo. Creaturæ autem videntur in Deo vt in medio cognito,

47 Dices ſecundò. Diuinam eſſentiam mouere ad cognoſcendas creaturas ſupplendo concurſum obiectiuum ipſarum. Contra. Tunc debet ſuppleri concurſus obiectiuus, quando deſert, & deberet prouenire ab obiecto, ergo, cum in cognitione creaturarum in Deo, vt in medio cognito, non debeant creaturæ concurrere obiectiuo modo, non erit ſupplendus concurſus. Deinde. Si Creaturæ præberent concurſum obiectiuum proprium, non viderentur in Deo, ſed in ſe ipſis, ergo etiamſi ſuppleretur concurſus, adhuc non viderentur in Deo.

48 Dico ſecundò, *In tali viſione eſſentia Diuina nedum eſt obiectum motiuum, ſed etiam terminatiuum*. Eſt contra Amicum *1. par. diſp. 9. ſec. 21.* Prob. Licet creaturæ cognoſcantur ſecundum propriam menſuram, & vna ſeorſim ab alia adhuc tamen cognoſcuntur ex vi virtutis cauſatiuæ, quæ eſt in Deo, vt ſtant ſub ipſa ſecundũ proprium eſſe poſſibile, ergo adhuc cognoſcuntur vt obiectum ſecundarium, & Diuina eſſentia vt primarium atq. adeò vt terminatiuum.

49 Obijcies, Concurſus obiectiuus in ordine ad viſionem intuitiuam eſt tantum aſſimilatiuus reſpectũ illius obiecti, à quo originatur, ergo cum concurſus obiectiuus Diuinæ eſſentiæ non origínetur ab eſſe creaturarum, non erit aſſimilatiuus reſpectũ ipſarum, ſed ſolum reſpectu Diuinæ eſſentiæ, ergo non facit illas cognoſcere.

Reſpondetur negando conſequentiam. Quia talis concurſus originatur à Diuina eſſentia, vt continet eſſe formale

Digitized by Google

male creaturarum; & ideo poteſt aſſimilare etiam in ordine ad creaturas, vt contentas in Diuina eſſentia.

An ex vi viſionis Dei videantur omnia poſſibilia.

SECTIO VI.

50 Prima ſententia aſſerit, ex neceſſitate videri omnia poſſibilia: ita Goffred. *quod.6.q.3.* Arimin. *quaeſt. 4. prolog. art. 1.* Baſſolus *in 3. diſt.14.q.2.art.2.* Durandus *in 4. diſt.49.q.4.* Henricus *quodlib.4.quae.5.* & alij.

Probant. Viſo Deo videtur tota Omnipotentia, ergo videtur quicquid ab ipſa poteſt effici; alioquin ſi non videretur potentia productiua cuiuſcunque rei particularis, non videretur aliqua perfecto Diuina.

Secundò. Deus repraeſentat naturaliter tam creaturas, quàm ſe ipſum, ergo non poteſt oſtendere ſe ipſum, niſi oſtendat & creaturas.

Tertiò. Minus eſt videre omnes effectus poſſibiles, quàm videre eſſentiam Dei, ergo ſi haec videtur, videntur etiam effectus poſſibiles.

51 Secunda ſententia aſſerit, non poſſe videri omnia poſsibilia; imo poſſe dari viſionem, quae nullum attingat poſsibile ſecundum propriam rationem: ita Bannes 1. *p.q.12.art.7.& 8.* Molin. *diſp.5.mem.1.* Faſol. *dub.15.* & ſequent. Nauarret. *contron.34.* Vaſq. *diſp. 49.cap.2.* Capr. *in 4. diſt.49.quaeſt.6.art.1.* Sot. *q.3. art.3.* Argentinas *quaeſt.1.art.4.* Suarez *lib.2. de Deo vno.cap. 26.* & alij.

Probant. Si viderentur omnia poſsibilia, comprehenderetur Diuina Omnipotentia, quia nihil lateret, quod eſſet in ipſa aut formaliter, aut eminenter, ergo comprehenderetur & Deus quod dici non poteſt.

52 Tertia ſententia aſſerit, poſſe videri omnia poſsibilia non per vnicum actum, ſed per diuerſa. ita Albertin. *coroll. 4. Theol. ex 1. princip.philos.puncto 9. num.25.* Hurtad. *diſp. 54. de Incarnat. ſect. 2. & 4.*

Probant. Nulla adeſt implicātia, quod per plures actus videantur omnia poſsibilia.

53 Quarta ſententia aſſerit, non poſſe in Deo videri actu omnia poſſibilia, poſſe tamen videri habitu. Quod diuerſimodè explicatur. Vnde Primus modus eſt, quod hoc fiat per habitum, quo Beati ſint potentes ad videnda ſingula poſſibilia; non poſſent autem actu conſiderare omnia, quia, cum ſint infinita, requireretur virtus infinita, ita Diuus Bonauent. *in 3. diſt. 14. art.1. quaeſt. 2. & 3.* Maril. *q. 10. artic. 2.*

Alter modus eſt; quod ratione viſionis beatae, quatenus intuetur verbum, poſſint attingi omnia, quae ſunt in ipſo, non tamen omnia actu attingantur; quia potentia finita non poteſt ſimul attendere ad infinitum, vnde contingit, quod modò haec attingat, modò illa: ita Scotus *in 3. diſt. 14. quaeſt.2.* Aureolus *q.1.* Gabriel *q. vnica.art.1.* Rubio *q.1.* Palat. *diſp. 1.* & communiter Scotiſtae.

54 Notandum 1. Poſſibilia poſſe videri à Beatis dupliciter modo. Primò. Si attingantur ſecundum proprias rationes prout tamen omnia ſimul communicant in eandem infinitatem Diuinae Omnipotentiae. Secundò modò; Si attingantur ſingula ſeorſim ab alijs, vt ſtant ſub proprio modo eſſendi, atque adeo etiam ſeorſim à Diuina Omnipotentia, ita tamen vt tanquam obiectum ſecundarium ipſi ſubordinentur.

55 Notandum ſecundus. Intellectum creatum non poſſe videre omnia poſſibilia in Deo, niſi omnia, & ſingula exprimat ſecundum proprias rationes per verbum mentis; & ideo, vt cognoſcat ſingula ſeorſim ab alijs, debet ſingula ſeorſim exprimere. Sic Deus, quia omnia cognoſcit, omnia, & ſingula exprimit in verbo, omnia conſtituendo in eſſe ideali. Haec autem expreſſio fieri poteſt, vel per verba diuerſa repraeſentatiua ſingulorum, vel per vnicum verbum. Vt autem fiat hoc poſteriori modo, debet interuenire aliqua eminentialis ratio verbi, quae in ſe contineat omnes alias rationes omnium verborum.

56 Notandum tertiò. Quod cum Deus exprimat omnia poſſibilia ſecundum proprias rationes in ſe ipſis, non tamen per hoc extrahuntur ab eſſe potentiali ſuae poſſibilitatis: quia per illam expreſſionem conſtituuntur in eſſe exemplari, quod pertinet ad rationem cauſae. Nam idea eſt complementum efficientis; quando verò exprimuntur ab intellectu creato, quia illa expreſſio non pertinet ad primam rationem cauſandi, ideo aliquo pacto extrahuntur à ſua poſſibilitate, & aliquo pacto ponuntur in eſſe nempe in actu intentionali.

57 Notandum quartò. In cognitione haec interuenire, nempe actum primum intellectus completum, qui importat intellectum faecundum, ad determinatum per ſpeciem; expreſſionem Verbi, qua obiectum ponitur in eſſe intentionali per vitalem repreſentationem illius, & haec expreſſio eſt actio quaedam productiua, quae eſt dicere; Rurſus mens, ſeu intellectus debet informari verbo vt forma repreſentatiua obiecti; deinde ex hac informatione conſurgit perceptio obiecti, quae eſt motus quidam vitalis, quo intellectum ſe conuertit in obiectum, & circa ipſum attendit, in quo propriè conſiſtit ratio cognitionis.

58 Notandum quintò. Perceptionem obiecti poſſe fieri per multiplex verbum mentis, ſi tamen interueniat aliqua connexio inter ipſa verba: quando enim aliqua verba ſunt inuicem ſubordinata, induunt rationem vnius verbi, & poſſunt informare mentem in ordine ad eundem actum, ſeu perceptionem obiecti.

59 Dico 1. *Ex vi viſionis Dei videntur in ipſo neceſſariò omnia poſſibilia ſecundum proprias rationes, quatenus communicant in eadem infinitate omnipotentiae.* Probatur, Beatus videt Omnipotentiam ſub ratione Omnipotentiae, & Diuinas ideas ſub ratione formali ideae, ergo videt omnia poſsibilia modo explicato. Antecedens patet. Alioquin non videret Deum, quia non videret, quae ſunt eſſentialia ipſius. Conſequentia Probatur. Non poteſt cognoſci Omnipotentia vt talis, niſi cognoſcatur vt potens facere omne poſsibile: quia ſicuti non eſſet omnipotentia, ſi non contineret aliquod poſsibile, ita etiā non videretur vt omnipotentia, ſi videretur abſque eo, quod videretur continentia alicuius poſsibilis: ſic etiam eſſe ideale repraeſentat eſſentialiter omnia ideabilia, ergo ſi non videretur vt repraeſentans omnia, non videretur ſecundum eſſe ideale infinitum, & per eſſentiam.

60 Dices. Ex eo, quod videtur Omnipotentia, videri poſsibilia ſolum ſecundum eſſe eminentiale, non autem ſecundum proprias rationes.

Contra. Propriae rationes poſsibilium ſecundum eſſe determinatum continentur in Deo, nam ſecundum eſſe determinatum ab ipſo proueniunt, & repraeſentantur in eſſe ideali infinito, ergo videntur ſecundum proprias rationes, ſiquidem eſſe ideale repraeſentat propriam rationem.

Confirmatur. Creaturae ſunt vita in eſſe ideali Diuino, iuxta illud Ioannis. 1. *Quod factum eſt in ipſo vita erat,* & de ratione ideali eſt, quod contineatur ſecundum propriam rationem in idea, ergo &c.

61 Dico ſecundò. *Omnes creaturae ſecundum proprias menſuras eſſendi non poſſunt cognoſci in Deo ex vi Viſionis ipſius, prout ſingulae ſeorſim ſe habent ab alijs in ratione obiecti, & veluti extra communicationem infinitatis Diuinae potentiae.*

Probatur. Beatus videns Deum; non cognoſcis modo infinito, cum cognitio beata ſit finita, ergo non poteſt ſimul cognoſcere omnia poſsibilia ſingula ſeorſim ſecundum proprias rationes. Conſequentia probatur. Vt cognoſceret tali pacto omnia poſsibilia, deberent ſingula ſeorſim ponere in eſſe intentionali ſecundum proprias rationes repraeſentatiuas; ſiquidem omnia poſsibilia ſimul ſumpta important quicquid eſt repraeſentabile.

62 Dico

Digitized by Google

62 **Dico tertio.** *Neque per extenſionem viſionis beatam, quæ extenditur per Verbum ſecundarium poſſunt omnia poſſibilia ſimul videri ſingula ſeorſim ſecundum proprias menſuras.*

Probatur. Omnia poſſibilia non poſſunt ſimul poni in actu, ergo nec ſimul videri ab intellectu creato ſecundum proprias rationes, vt quid extractum ſecundum eſſe obiectiuum à Diuina potentia. Antecedens patet. Quia poſſibilia ſunt infinita ſincathegorematicè. Et de ratione huius infiniti eſt, vt implicet poni in actu ſecundum ſe totum cum eſſentialiter conſtet ex actu, & potentia. Rurſus. Semper in Deo remanet potentia, ita vt ſemper tanquam ens per eſſentiam poſſit alio, & alio modo ſe communicare. Conſequentia probatur. Dum poſſibilia cognoſcuntur ab intellectu creato, ponuntur in actu ſecundum eſſe intentionale, ita vt ſi omnia videret, omnia poneret in actu, atque adeò cognoſceret omnia extracta ſecundum eſſe obiectiuum à Diuina potentia, ita vt nihil amplius remaneret extrahendum ſecundum eſſe obiectiuum; hoc autem implicat.

63 Dices. Repugnare tantum poni in actu omnia poſſibilia ſecundum eſſe reale, non autem ſecundum eſſe intentionale.

Contra. Quod non repugnat ſecundum eſſe obiectiuum, nec etiam repugnat ſecundum eſſe reale, quia repugnantia attenditur ſecundum eſſe formale, quod eſt idem tam in eſſe obiectiuo, quàm in eſſe reali à parte rei, ergo ſi non repugnat omnia poſſibilia poni in actu ſecundum eſſe obiectiuum, nec etiam repugnabit ſecundum eſſe reale.

64 Dices Beatus videt eſſe ideale creaturarum, & ipſum exprimit in proprio verbo, ergo cum in tali eſſe ideali contineantur omnia poſſibilia, beatus omnia exprimet in proprio verbo.

Reſpondetur. Videre eſſe ideale viſione finita, non autem infinita; & ideo finito modo ipſum exprimit. Ex quo fit, vt ſolum exprimat omnes creaturas, prout communicant in infinitate diuinæ potentiæ, vt repræſentationis idealis, non autem ſingulas ſeorſim vt quid extractum ab eſſe ideali.

65 Dico 4. *Neque poſſunt cognoſci omnia poſſibilia ſimul ſingula ſeorſim per diuerſos actus, & diuerſa verba.*

Probatur. Tum quia omnia poſſibilia adhuc ſimul ponerentur in actu ſecundum eſſe intentionale. Tum quia adhuc deberent produci rationes infinitæ repręſentatiuæ; atque adeo dari virtus infinita expreſſiua, quæ deberet continere infinitos effectus.

66 Dices. Beatus videt intuitiuè ipſum Deum, qui eſt quid infinitum ſimpliciter, & non exprimit verbum infinitum, ergo poterit videre omnia poſſibilia abſque eo, quòd exprimat infinita verba.

Reſpondetur negando conſequentiam. Quia licet Deus ſit infinitus, videtur tamen finito modo; poſſibilia autem non poſſunt omnia ſimul videri, niſi videantur infinito modo, hoc eſt exprimendo infinitas rationes repræſentatiuas; quia deberent videri ſingula ſecundum proprias rationes ſeorſim ab alijs, quod non contingit, quando videtur Deus, quia videtur finito modo ſecundum vnicam rationem infinitam.

67 Dico 5. *Omnia poſſibilia poſſunt videri in Deo, non ſimul, ſed diuiſim ſecundum proprias rationes ſingula ſeorſim ab alijs, ita vt videns Deum, poſſit ſe conuertere modò ad hæc, modò ad illa.* Hoc autem contingit eodem actu viſionis beatæ, quatenus exprimitur verbum ſecundarium repræſentatiuum huius, vel illius poſſibilis, quod ſubordinatur verbo repræſentatiuo Dei: & ideo concurrit ſimul cum ipſo ad eundem actum.

Probatur. Intellectus poteſt attingere quicquid poteſt ponere in eſſe intentionali, & poteſt ponere in eſſe intentionali omne id, cuius habet fœcunditatem; ſed intellectus fœcundus in ordine ad viſionem Dei, eſt etiam fæcundus in ordine ad omnia poſſibilia ſeorſim attingenda, ergo. Minor probatur. Intellectus eo ipſo, quòd eſt fæcundus in ordine ad Deum, eſt etiam fœcundus in ordine ad omnia, quæ continentur in ipſo, ergo erit fæcundus etiam in ordine ad omnia poſsibilia ſeorſim attingenda: quia quæ cognoſcuntur ſimul, vt contenta in aliquo, poſsunt etiam cognoſci ſingula ſeorſim extra ipſum: Sic cognoſcens numerum millenarium poteſt ſeorſim cognoſcere omnia binaria, ternaria, &c. quæ continentur in ipſo formando ſibi de ſingulis proprium conceptum.

68 Dices ſequeretur, quòd Beatus contineret in ſua virtute infinita verba, quod fieri non poteſt, niſi habeat virtutem infinitam.

Reſpondetur negando ſequelam. Quia non exprimit hæc verba in virtute propria, ſed in virtute obiecti, in quocum contineantur omnia poſsibilia, ſicuti ſufficit fæcundatio ab ipſo proueniens, vt poſsit ea cognoſcere in eodem obiecto: ita etiam ſufficit, vt poſsit ea extrahere ſecundum eſse obiectiuum ab eodem obiecto. Sic cognoſcens numerum infinitum, poſset in virtute eiuſdem fœcunditatis cognoſcere ſeorſim quemlibet numerum finitum, qui in ipſo contineretur.

69 Inſtabis. Verbum non exprimitur niſi in virtute intellectus, & ſpeciei impreſsæ, ergo ſi intellectus poteſt exprimere ſucceſsiuè alia, & alia verba repræſentatiua omnium poſsibilium, habebit virtutem infinitam ſaltem ratione ſpeciei impreſsæ.

Reſpondetur negando conſequentiam. Quia talia verba non producuntur in virtute ſolius ſpeciei impreſsæ, ſed etiam in virtute Diuinarum idearum, quatenus obiectiuo modo determinat intellectum ad formandum conceptum de tali, & tali poſsibili. Vnde ſpecies non concurrit ad formationem talis verbi, niſi vt ſpecies Diuinæ ideæ, atque adeo finito modo; quia non facit cognoſcere poſsibilia niſi ex vi Diuinarum idearum, tanquam obiectum ſecundarium reſultans ex repræſentatione primarij. Sic intellectus ſecundum ſuam virtutem naturalem poteſt cognoſcere alia, & alia obiecta in infinitum, ſi applicentur, producendo alia, & alia verba, licet habeat virtutem finitam, quia ſemper operatur finito modo ex vi determinationis obiectiuę reſpectu aliorum, & aliorum obiectorum.

70 Dices ſecundò ſequeretur viſionem beatam eſse variabilem, quod eſt contra rationem beatitudinis.

Reſpondetur. Eſse variabilem in ordine ad obiectum ſecundarium; non autem in ordine ad primarium, atque adeò non eſse variabilem, vt dicit rationem beatitudinis.

71 Inſtabis. Creaturæ videntur in Deo, ergo non poteſt variari viſio ſecundum obiectum ſecundarium, niſi varietur etiam ſecundum primarium.

Reſpondetur negando conſequentiam. Quia non videntur eadem indiuiſibili repræſentatione, ſed per extenſionem viſionis beatæ, & productionem noui verbi ſecundarij, ſine qua poſſet ſtare attingentia primaria, ſeu viſio ipſius Dei.

72 Ad prim. Primæ ſententiæ. Viſa omnipotentia videri omnia poſsibilia, prout inuicem communicant ſub modo eſſendi actiuo, in infinitate Diuinæ potentiæ; non autem ſingula ſeorſim ſecundum proprias rationes, vt ſtant ſub modo eſſendi paſsiuo.

Ad ſecund. Deum repræſentare tàm naturaliter ſe ipſum, quàm creaturas, quando creaturæ conſiderantur vt inuicem communicant in omni-

Digitized by Google

potentia; non autem, vt conſiderantur ſingulæ ſeorſim ſecundum proprias rationes.

Ad tertium. Minus eſt videre omnes effectus poſſibiles, quàm Diuinam eſſentiam ex parte obiecti, non autem ex parte cognitionis, quia Diuina eſſentia poteſt videri cognitione finita, non autem omnis effectus poſſibiles ſimul ſumpti, & conſtat ex dictis. Et notat etiam Diuus Thomas *quæſt.* 12. *ar.* 8. *ad* 3.

73 Ad Fundamentum ſecundum ſententiæ negatur ſequela. Quia ad comprehenſionem non ſufficit videri quicquid eſt in Deo ſiue formaliter, ſiue eminenter, ſed debet videri infinito modo, vt dicemus ſuo loco; nam compræhenſio debet adæquare cognoſcibilitatem obiecti.

74 Ex dictis colligitur. Quod ſi omnia poſſibilia eſſent cognoſcibilia in ſe ipſis extra Deum, ſequeretur cognitio infinita, quia videlicet talis cognitio non attingeret Deum; deberet tantum habere infinitatem repræſentationis, vt poſſet repræſentare omnia poſſibilia.

75 Colligitur ſecundò. Poſſe dari viſionem beatam, quæ nullum attingat poſſibile, vt habeat proprium modum eſſendi paſſiuum ſeorſim à quocunque alio; quia talis attingentia habetur per extenſionem prioris cognitionis, & per productionem noui verbi ſecundarij, hæc autem extenſio eſt in poteſtate beati, & ideo poteſt eam ſeparare.

76 Colligitur tertiò. Quomodo ex cognitione omnium poſſibilium inferatur compræhenſio Dei. Infertur enim, ſi talis cognitio attingat omnia poſſibilia ſingula ſeorſim ab alijs ſecundum modum eſſendi paſſiuum; talis tamen cognitio non eſſet formaliter compræhenſio, ſed illam ſupponeret, quia eſſet cognitio infinita, vnde ſupponeret etiam, quod Deus infinito modo videretur, quod etiam habet locum, ſi poſſibilia poſſint cognoſci extra Deum actu diuerſo ab eo, quo Deus attingeretur.

77 Colligitur quartò contra Scotum. Non poſſe eandem viſionem inuariatam ſecundum repræſentationem repræſentare modò hæc, modò illa poſſibilia. Quia repræſentatio, dum eſt in intellectu, repræſentat quicquid poteſt repræſentare; nam repræſentaretur etiam effectus formalis primarius ipſius. Deinde ſi poſſet inuariata repræſentare ſucceſſiuè omnia poſſibilia, haberet in ſe omnem rationem repræſentationis, atque adeò eſſet infinita.

78 Colligitur quintò contra Scotum *in* 4. *diſtinctione* 49. *quæſt.* 3. *artic.* 3. Suar. 3. *parte diſputatione* 26. *sect.* 4. Molinam 1. *parte quæſtione* 12. *artic.* 8. *diſput.* 5. membro 4. & 7. Nullum beatum poſſe in Deo cognoſcere infinitum, vt docent Ocham *in* 4. *quæſtio.* 13. *artic.* 5. *dubio* 4. Richardus *in* 3. *diſtinctione* 14. *articulo* 2. *quæſtione* 3. Gabriel *quæſtione* 1. *artic.* 1. Smiſing. *tractatu* 2. *de Deo vno, diſputatione* 6. *numero* 194. Quia talis viſio deberet continere infinitas repræſentationes correſpondentes infinitis obiectis ſub vna ratione eminentiſſima, quod fieri non poteſt, niſi repræſentatio ſit infinita in ſua ratione quidditatiua repræſentationis, vnde eſſet etiam neceſſaria infinita attentio, quia deberet eſſe proportionata repræſentationi, & deberet eſſe tanta, quantus eſſet concurſus intellectus, ergo eſſet infinitus, ſiquidem eliceret repræſentationem infinitam.

Vnde proueniat, quod hæc potius poſſibilia videantur in Deo, quàm alia.

SECTIO VII.

79 Ratio dubitandi eſt. Quia cum Diuina eſſentia vt cauſa vniuerſalis contineat omnia, eo modo, quo vnum repræſentat, repræſentat etiam cætera, & ideo eſt neceſſaria aliqua determinatio, per quam intellectus determinetur ad hæc potius videnda, quàm illa. Omiſſis autem varijs reſponſionibus.

80 Dico Primò. *Non poſſe oriri ex diuerſa differentia indiuiduali luminis gloriæ, quod hæc potius poſſibilia ſecundum ſpeciem, quàm alia videantur, atque adeo nec etiam ex differentia indiuiduali viſionis beatæ.* Eſt contra Suar. *lib.* 2. *de Deo vno cap.* 26. *&* 27. Granad. *prima parte tractatu* 6. *diſp.* 1. *ſectione* 6. Gonzal *diſput.* 51. *&* alios Recentiores.

Probatur. Quodlibet indiuiduale lumen poteſt tendere in obiectum formale, & primarium, cum ſit manifeſtatiuum ipſius Dei, ergo etiam in quodlibet materiale, ſeu ſecundarium, atque adeo in quodlibet poſſibile, quia creaturæ attinguntur vt obiectum ſecundarium. Sic etiam habitus fidei, & charitatis, quia tendunt in obiectum primarium, poſſunt etiam attingere quodlibet ſecundarium.

81 Dico ſecundò. *Neque ratione differentiæ indiuidualis luminis gloriæ prouenit, vt ex pluribus in Diuinis eiuſdem ſpeciei hæc potius videantur, quàm illa.* Eſt contra nonnullos Recentiores.

Probatur. Omnes potentiæ, & habitus tàm naturales, quàm ſupranaturales, qui poſſunt attingere aliqua indiuidua alicuius ſpeciei, poſſunt etiam attingere omnia, vt patet inductione. Et ratio eſt, quia cum attingant ſub aliqua ratione formali communi, & non ſub eſſe indiuiduali, poſſunt attingere ea omnia, in quibus talis ratio formalis proportionatiua reperitur, ergo lumen gloriæ, quod poteſt attingere aliqua indiuidua alicuius ſpeciei, poterit etiam attingere cætera.

82 Dico tertiò. *Nec ex diuerſitate intenſionis luminis fit, vt hæc potius poſſibilia, quàm illa videantur, ſiuè ſecundum ſpeciem, ſiuè ſecundum indiuiduationem.* Eſt contra Capreol. in 4. *diſtinct.* 49. *quæſt.* 2. *artic.* 3. Bannes 1. *p. quæſtione* 12. *articulo* 8. Faſol. *dubio.* 22. Molinam *diſputat.* 5. *membro* 1. Vaſquez *diſput.* 50. *n.* 27. & alios.

Probatur. Lumen gloriæ non variatur ratione intenſionis ſecundum ſpeciem, aut virtutem productiuam, ſed tantum ſecundum magis, & minus, ergo ex diuerſa intenſione non poteſt fieri, quod hæc potius poſſibilia, quàm illa videantur. Conſequentia probatur. Effectus proportionatur cauſæ, & ea ſolum diuerſitas poteſt ex vi cauſæ redundare in effectum, quæ eſt in ipſa cauſa, ergo ex diuerſa intenſione virtutis cauſatiuæ ſequetur ſolum effectus magis, vel minus intenſus, non autem diuerſa ratio repræſentatiua.

83 Dices. Maiorem intenſionem facere, vt magis penetretur obiectum primarium, & ratione maioris penetrationis videri plura poſſibilia.

Contra ex maiori intenſione habetur ſolum diuerſitas in viſione, non autem in obiecto primario, ita vt aliquid amplius in ipſo cognoſcatur, & diuerſitas viſionis in eo ſolum conſiſtit, quod intenſius manifeſtet obiectum primarium, ergo ex maiori intenſione non fit, quod plura poſſibilia videantur; quia intenſio non variat formalem rationem repræſentationis, ſed tantum perficit.

Confirmatur. Ideò ratione maioris luminis ſenſibilis poſſunt aliqua penetrari in obiecto ſenſibili, quia lumen ſe tenet ex parte obiecti, & ipſum perficit in eſſe viſibili, ita vt poſſit ſecundum aliquid mouere potentiam, ſecundum quod antea non poterat. Lumen autem gloriæ non ſe tenet ex parte obiecti, nec ipſum perficit; ſed ſe tenet ex parte potentiæ. ergo

84 Dico quartò. *Lumen gloriæ ex ſui natura reſpicit omnia poſſibilia vt cognoſcibilia in verbo nec magis eſt determinatum ad vnum, quàm ad aliud.*

Probatur. Quodlibet lumen gloriæ ſecundum quamlibet intenſionem ex ſua ſpecifica ratione reſpicit obiectum primarium formale ſecundum omnes ſuas perfectiones, alioquin non eleuaret ad videndum Deum, ergo quantum eſt de ſe, reſpicit omnia poſſibilia. Conſequentia Probatur. Omne lumen, quod

Digitized by Google

quod reſpicit aliquod obiectum primarium, & formale, habet eandem latitudinem, quam habet obiectum, ſi quidem ab ipſo ſpecificatur, ergo cum obiectum primarium ſe extendat ad omnia poſſibilia, ita vt omnia ſint cognoſcibilia ſub determinatione ipſius etiam lumen ad omnia ſe extendet.

85 Dices primò. Obiectum formale poſſe conſiderari ſecundum diuerſum gradum attingibilitatis, & huic diuerſo gradui correſpondere diuerſum lumen, & etiam diuerſa poſſibilia.

Contra. Lumen gloriæ attingit Deum ſecundum omnem perfectionem, quæ eſt in ipſo formaliter, ergo etiam ſecundum omnem gradum attingibilitatis; quia cum cognoſcibilitas ſequatur eſſe, non poteſt poni diuerſus gradus cognoſcibilitatis, niſi ponatur diuerſus gradus perfectionis.

86 Dices ſecundò. Creaturas poſſe cognoſci in Deo dupliciter nempe comprehenſiuè; vel tantum intuitiuè, vt autem cognoſcantur comprehenſiuè, requiritur certus gradus luminis commenſuratus connexioni earum cum Deo.

Contra, Ergo erunt intuitiuè viſibiles ſaltem per quodlibet lumen. Deinde quodlibet lumen attingit omnem gradum perfectionis in Deo, alioquin non attingeret totum Deum ſub ratione entis infiniti, ergo poteſt attingere omnem gradum quem ſupponit quælibet connexio cuiuſcunq; creaturæ cum Deo.

87 Dico quintò. *Neque ex diuerſa determinatione obiectiua proueniente à Diuina eſſentia, fit vt hæc potius poſſibilia, quàm alia videantur.* Eſt contra Arrubal *prima parte diſputat. 26. cap. 2.* Machinum diſput. 9. ſec. 5. & alios Recentiores.

Probatur. Diuina eſſentia vnitur intellectui ſecundum illam rationem, ſecundum quam eſt ratio cognoſcendi poſſibilia, ergo non determinat ad hæc potius, quàm illa, ſed ad omnia. Antecedens patet. Quia niſi vniretur ſecundum talem rationem non attingeretur Deus ſecundum aliquam perfectionem, qua conſtituitur in eſſe Dei. Conſequentia probatur. Determinatio obiectiua fit ab obiecto motiuo in ordine ad ea, reſpectu quorum eſt ratio cognoſcendi. Diuina autem eſſentia, vt continet poſſibilia, eſt obiectum motiuum reſpectu ipſorum, & omnia ſibi ſubſternit. ergo

Confirmatur. Secundum vnam, & eandem rationem formalem, & idealem nempe omnipotentiam, eſt ratio cognoſcendi omnia poſſibilia, ergo non poteſt vniri, vt eſt ratio cognoſcendi aliquod, niſi vniatur vt eſt ratio cognoſcendi omnia.

88 Dices primò. Licet vniatur, non tamen mouet ad omnia cognoſcenda.

Contra, Vnitur vt mouens actu ad cognitionem ſui ipſius, ergo vt mouens ad cognoſcenda omnia poſſibilia, quia mouet ad ea cognoſcenda eo ipſo, quod mouet ad cognitionem ſui ipſius.

89 Dices ſecundò. Poſſibilia omnia non eſſe cognoſcibilia, vt ſtant quocunque modo ſub obiecto formali primario, ſed vt ſtant ſub ipſo comprehenſiuè cognoſcibili.

Contra. Comprehenſibilitas non eſt ratio continendi omnia poſſibilia, ſed omnipotentia, vt talis eſt, ergo cum Deus cognoſcatur ſecundum rationem omnipotentiæ, mouet ad cognoſcendum omnia poſſibilia, quia quando obiectum manifeſtatur ſecundum vnam, & eandem formalem rationem, qua reddit aliquid cognoſcibile, facit etiam ipſum manifeſtare.

90 Dices tertiò. Comprehenſibilitatem non eſſe quidem rationem cognoſcendi, eſſe tamen conditionem, ſub quà ratio cognoſcendi debet attingi, vt faciat innoteſcere omnia poſſibilia.

Contra. Obiectum materiale, & ſecundarium poteſt ſecundum ſe totum attingi, etiamſi primarium non attingatur comprehenſiuè; Sic oculus poteſt attingere omnes colores, etiamſi non attingat comprehenſiuè colorem; intellectus poteſt attingere omnia reuelabilia, etiamſi non attingat comprehenſiuè obiectum formale, nempe Diuinam veracitatem; voluntas poteſt amare ex charitate totum obiectum ſecundarium, etiamſi non amet comprehenſiuè Deum qui eſt obiectum primarium. ergo

91 Dico ſextò. *Prouenire ex voluntate beatorum, quod hæc potius poſſibilia, quàm alia videantur, quatenus habentes intellectum fæcundum in ordine ad omnia, & ea cognoſcentes, vt contenta in Diuina omnipotentia, poſſunt vti tali fæcundatione, modo in ordine ad hæc, modo in ordine ad illa, extrahendo ipſa ſecundum eſſe obiectiuum à Diuina Omnipotentia.*

Probatur. Intellectus eſt fæcundus in ordine ad formalem rationem, quà Deus facit innoteſcere poſſibilia, cum ſit fæcundus in ordine ad omnipotentiam, vt infinito modo ſe habentem, ergo eſt fæcundus in ordine ad omnia poſſibilia, quatenus continentur in Diuina potentia, ergo poterit ad libitum conſiderare extra Diuinam potentiam modo hæc, modo illa.

92 Dices. Voluntas non poteſt velle incognitum, ergo non poteſt applicare intellectum ad hæc vel illa poſſibilia cognoſcenda, quia cum non ſint cognita, non poteſt velle, quòd ſint obiectum cognitionis.

Reſpondetur negando conſequentiam. Quia ſufficit, quod præcognoſcantur, vt contenta in Diuina Omnipotentia, & quod præcognoſcantur tanquam ea, quæ poſſunt extrahi ab ipſa ſecundum eſſe reale, & ſecundum eſſe obiectiuum.

An Exiſtentia cognoſcantur in Verbo?

SECTIO VIII.

93 Dicendum eſt. *Exiſtentia poſſe cognoſci in Verbo formaliter.* Ita communiter cum D. Thoma *prima parte quæſtione 12. artic. 8.* Et deſumitur ex Diuo Dionyſio *capite 7. & 8. de Diuinis nominibus*, vbi docet, Angelos ſuperiores illuminare inferiores de his, quæ cognoſcunt in verbo. Et ex Diuo Auguſtino libro 4. *de Geneſi* ad litter. cap. 24. 29. 30. & ſequen. vbi diſtinguit in Angelis duplicem cognitionem eorum, quæ facta ſunt nempe vnam quà cognoſcuntur in ſe ipſis, & aliam quà cognoſcuntur in verbo.

Probatur. Eſſentia Diuina poteſt in ratione obiecti fecundare intellectum in ordine ad exiſtentia, ergo exiſtentia poſſunt in ipſa cognoſci, vt in obiecto motiuo, quod non eſt aliud, niſi quod eſſentia Diuina moueat ad cognitionem exiſtentium, dum mouet ad cognitionem ſui ipſius. Antecedens patet. Quia eſſentia Diuina continet eſſe creaturarum, atq; adeò earundem intelligibilitatem, & ideo poteſt emittere fæcunditatem in ordine ad ipſas.

94 Dicendum ſecundò. *Exiſtentia de facto videri in Verbo.* Probatur. Talis cognitio pertinet ad integritatem beatitudinis, ergo viſio Dei, in qua fundatur beatitudo, debet ſe extendere ad huiuſmodi obiectum.

95 Dicendum tertiò. *Exiſtentia cognoſci per extenſionem viſionis Dei, per verbum ſecundarium ſubordinatum verbo expreſsiuo Diuinæ Eſſentiæ.*

Probatur. Non poſſunt cognoſci vt contenta in Diuina eſſentia, cùm ſint extra ipſam, vt quid productum, ergo per extenſionem cognitionis, cum non poſſint exprimi eodem verbo, quo exprimitur Diuina eſſentia.

96 Dices primò. Sequeretur, quod quilibet beatus poſſet cognoſcere omnia exiſtentia, nam videt Diuinam eſſentiam, quæ eſt omnium repræſentatiua, & fæcundat intellectum in ordine

Digitized by Google

ad omnia. Reſpondetur negando ſequelam. Quia fæcundatio intellectus beati fit ſecundum ipſius exigentiam; vndè licet fæcunditas ſit talis, vt ſufficiat pro omnibus, non eſt tamen debitus concurſus in ordine ad omnia; vnde neque in actu primo beatus poteſt omnia cognoſcere, quia fæcunditas non habet concurſum paratum, niſi in ordine ad ea, quæ debet beatus cognoſcere.

97 Dices ſecundò. Exiſtentia non ſunt in Deo vt in cauſa, ergo non poſſunt in ipſo videri, præſertim cum non habeant neceſſariam connexionem cum ipſo.

Reſpondetur diſtinguendo conſequentiam. Non poſſunt in ipſo videri, vt in obiecto terminatiuo, poſſunt tamen videri vt in obiecto motiuo; quia ex eo, quod eſt cauſa exiſtentium, poteſt fæcundare intellectum in ordine ad ipſorum cognitionem.

98 Dices tertiò. Exiſtentia non poſſunt cognoſci in decreto libero, tum quia nihil addit ſupra neceſſarium, tum quia non viderentur intuitiuè, ſed abſtractiuè, ergo non poſſunt cognoſci in Deo.

Reſpondetur. Non poſſe cognoſci in decreto libero adæquatè, poſſe tamen cognoſci in ipſo, & ſimul in eſſentia Diuina, quatenus continet eſſe ipſorum, & fæcundat in ordine ad ipſa, vnde ſolùm ſequitur, quod non cognoſcantur vt contenta in Deo: non autem quod non cognoſcantur in Deo, vt in motiuo cognoſcendi.

99 Ex dictis colligitur. Beatos videre præterita, & futura ſub ratione præteriti, & futuri, quia ea cognoſcunt, vt ſunt, vnde non cognoſcunt intuitiuè, quia cognitio intuitiua requirit obiectum præſentialiter in ſe ipſo exiſtens, quod non habet locum in præteritis, & futuris reſpectu beatorum.

Quænam exiſtentia videantur de facto à Beatis.

SECTIO IX.

100 Dico primò. *Beati vident in Verbo hoc vniuerſũ cũ omnibus ſuis perfectionibus, diſpoſitione, & ordine.* Ita communiter, & deſumitur ex D. Auguſtino *lib.4. de Geneſi ad litteram cap. 29.* Probatur. Beati habent naturale deſiderium innatum, & elicitum cognoſcendi veritates naturales, ergo cum hoc deſiderium ſit rationabile, debet ex vi beatitudinis expleri.

101 Dico ſecundò. *Beatus videt in ſingulari ea, quæ de exiſtentibus cognoſcit.* Ita Diuus Thomas *prima parte quæſtione 85. articulo 8.* & alij contra Smiſing. *tractatu 2. de Deo vno diſputatione 6. numer. 220.* & alios.

Probatur. Appetitus naturalis eſt ad cognoſcendas res in eſſe indiuiduali, quia non poſſunt cognoſci vt exiſtentia, niſi cognoſcantur in indiuiduo, ergo talis appetitus debet expleri.

102 Dico tertiò. *Beati cognoſcunt omnia myſteria fidei, quæ in via crediderunt ſiue explicitè, ſiue implicitè, atque adeo totum ordinem ſupernaturalem.* Deſumitur ex Diuo Auguſtino *libro 2. de Ciuitate cap. 25.* Et Diuo *Gregorio lib. 18. Moralium.*

Probatur. Fides euacuabitur iuxta illud 1. corinthiorum 17. *Cum venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt,* ergo beatus clarè videbit, quæ credidit, alioquin remaneret in ipſo appetitus rationabilis non ſatiatus.

103 Dico quartò. *Beati vident ea omnia ex contingentibus, quæ pertinent ad ipſorum ſtatum:* Ita communiter cum Diuo Thoma *quæſtione 12. articulo 8. & 4.*

Probatur. Cognitio ſui ipſius eſt debita cognoſcenti, ergo perfectè cognoſcenti eſt debita cognitio omnium, quæ cum ipſo connexa ſunt. Omnia autem ſunt connexa, quæ pertinent ad ſtatum cognoſcentis. Hinc Beati cognoſcunt, quæ liberè à nobis fiunt per actus exteriores, & ſpectant ad ſtatum ipſorum, vnde Fundatores Religionum vident omnia, quæ pertinent ad religionem. Principes quæ pertinent ad principatum, Patres familias, quæ pertinent ad domum, vident etiam ea quæ ad ipſos diriguntur, & alia huiuſmodi.

104 Obijcies ex Diuo Auguſtino *lib... de cura pro mortuis c. 13.* vbi docet, Mortuos neſcire, quid agatur apud nos, ſed audire ab eis, qui dum moriuntur perueniunt ad ipſos.

Reſpondetur. Diuum Auguſtinum hoc dixiſſe dubitando, vel ſolum velle, quod non poſſint ſcire quæ apud nos aguntur, quià ſunt à nobis loco diſtantes, niſi eis ſpecialiter reuelentur, hæc autem reuelatio fit Beatis in verbo, quòad ea, quæ concernunt ſtatum ipſorum, quo autem ad cætera, fit ipſis manifeſtatio ab ijs, qui moriuntur.

105 Dico quintò. *Beati non cognoſcunt libera decreta Dei de futuris contingentibus, nec ſecreta cordis, niſi ſpecialiter ad ipſos pertineant.*

Probatur. Danielis 10. vnus Angelus reſtitit alteri, quia neſciebat decretum Dei. Et ratio eſt, quià liberæ cogitationes habent rationem ſecreti, & ideo non ſunt manifeſtandæ, niſi ex ſpeciali conſenſu illius, cuius ſunt cogitationes.

106 Obijcies ex Diuo Auguſtino *libro vltimo de Ciuitate Dei capite 29.* vbi habet, Quod noſtræ cogitationes nobis inuicem patebunt. Et *Epiſtola 6.* Tunc *nihil latebit proximi nec erit quid ſuis quiſque aperiat, abſcondat alionis.* ergo &c.

Reſpondetur loqui de ſtatu beatitudinis poſt diem Iudicij, quando erit omnino perfectus; tunc enim nulla cogitatio Beatorum habebit rationem ſecreti, quia beati erunt inuicem vniti per ſummam charitatem in vltimo fine, & omnes cogitationes tendent in gloriam Dei, atque adeo pertinebunt ad ſtatum beatitudinis.

107 Dico ſextò. *Beati vident exiſtentia, prout ſucceſſiuè ponuntur in actu per expreſſionem verbi ſecundarij.* Probatur; viſio Beati poteſt creſcere extenſiuè quòad obiectum ſecundarium, ergo cum cognitio futurorum, antequam exiſtant, non ſit debita Beatis, neque cognoſcent ipſa, niſi quando exiſtunt.

108 Obijcies ex Diuo Auguſtino libro 15. de Trinitate cap. 16. *Fortaſſis volubiles non erunt noſtræ cogitationes, ab alijs in alias euntes, atque redeuntes, ſed omnem ſcientiam noſtram vnico ſimul conſpectu videbimus.*

Reſpondetur intelligere, quod non erunt volubiles circa obiecta, quæ ratione exiſtentiæ ſunt in ſe cognoſcibilia, non autem, quòd non attingantur de nouo, quæ de nouo fiunt.

109 Ex dictis colligitur. Quomodo ſint intelligendi aliqui Patres, quando videntur tribuere Beatis cognitionem omnium præexiſtentium, & futurorum, non enim intelligunt de omnibus ſimpliciter, ſed de his ſolum, quorum cognitio eſt ipſis debita ratione ſtatus. Vel etiam poſſunt explicari, quod intelligant de Beatis poſt vniuerſalem reſurrectionem, quando beatitudo erit in ſtatu omnino perfecto.

An

An Præterita, & futura cognoſcantur à Beatis per propriam ſpeciem.

SECTIO X.

110 DIcendum eſt. *Cognoſci per propriam ſpeciem, ita vt repræſententur ſecundum exiſtentiam, & cum coexiſtentia ad tempus, cui coexiſtunt, & diſtantia temporis præteriti, vel futuri à tempore præſenti.* Eſt contra Vading. *diſputatione 6. de Incarn. dubio* 7.§.2.& 3. Probatur. Præterita, & futura ſunt cognoſcibilia vt talia per propriam ſpeciem, quia omne cognoſcibile eſt perfecto modo intelligibile, & dicit ordinem ad intellectum, vt proprium obiectum ipſius. Proprium autem obiectum exigit intelligi per propriam ſpeciem, vt perfecto modo intelligatur. Confirmatur. Species aliena ſupplet defectum propriæ, quatenus per accidens deeſt, & ſi eſſet impoſſibiliter, nec per alienam ſpeciem poſſet obiectum intelligi, quia non eſſet repræſentabile. ergo

111 Obijcit Vadingus. Species repræſentans rem exiſtentem eſt impoſſibilis, niſi dependeat ab eſſe exiſtentiæ ergo eſt impoſſibilis ſpecies futuri, vt futuri. Antecedens probatur. Nam alioquin ſequeretur, quod ex natura ſua eſſet principium tàm apprehenſionis veræ, quam falſæ quia poſſet repræſentare obiectũ vt exiſtens, etiamſi non exiſtat. Reſpondetur. Quicquid ſit de antecedenti, negatur conſequentia. Quia ſufficit, quod ſpecies futuri repræſentet exiſtentiam ſimul cum futuritione, quod fit dum repræſentatur exiſtentia rei, & coexiſtentia ad tale tempus, & diſtantia talis temporis à tempore præſenti.

An Deus ſit viſibilis à Viatoribus, & an quis eum viderit.

SECTIO XI.

112 SVpponendum eſt de potẽtia ordinaria non poſſe videri, vt doceat, communiter cum D. Tho. *1. parte quæſtione 12. articulo* 11. & eſt de Fide 1. Timot. vltimo, *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Et ita etiam communiter docent Patres; quia terminus, ſeu aſſequutio vltimi finis non debetur homini, quamdiù eſt in via.

113 Supponendum ſecundò. De potentia abſoluta, & ex diſpenſatione poſſe videri in hac vita, vt docet communiter cum Diuo Thoma *citato*, & patet in Chriſto, qui ſimul fuit viator, & compræhenſor; neque enim adeſt vlla repugnantia, quod intellectus eleuetur per lumen gloriæ, etiam dum anima eſt vnita corpori. Vnde ſolum difficultas eſt, an de facto fuerit diſpenſatum alicui, vt in hac vita videret Deum, ſaltem per breui tempore. Quam plures autem concedunt hanc diſpenſationem Beatæ Virgini, Moyſi, & Diuo Paulo. Alij verò etiam nonnullis prophetis, vt Eſaiæ, & Ezechieli. Alij etiam Adamo, Alij etiam Ioanni Euangeliſtæ, Alij etiam Diuo Petro; Iob, & Diuo Hieronymo, & Benedicto; Sancto Ioſeph & Sancto Stephano, & denique alij etiam Diuo Franciſco.

114 Dicendum eſt. Cum nullo puro homine fuiſſe diſpenſatum, vt in hac vita videret Deum intuitiuè, etiam pro breuiſſimo tempore. Ita Molina *1. p. quæſt. 12. artic. 1. diſputat. 2.* Vaſquez *diſput.* 15. *& 56.* Trigoſus *quæſt. 7. articulo 3. dubio* 1. Granad. *tractatu 7. diſput.* 1. Salas *prima ſecundæ trac. 2. diſp. 10. ſec. 4.* Lorca *diſput. 31. de Beatit.* Deſumitur autem ex Diuo Dionſio *Epiſtola 1. ad Caium. & capite 4. de cælos Hierar. & capite 1. de myſtica Theologia.* Euariſto Papa *epiſtola 1. decretalium.* Baſilius *Oration.* 20. Athanaſ. *quæſtione 12. ad Antonium.* Ambroſius *capitulo 8. de fide contra Arianos.*

Probatur Ioan. 6. *Numquid Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo; hic vidit Patrem* 1. Timoth. 6. *Qui lucem habitat in acceſſibilem, quam nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.*

Confirmatur. In lege ordinaria non debet introduci diſpenſatio, niſi de ipſa conſtet; non conſtat autem, quòd alicui facta fuerit huiuſmodi diſpenſatio, imò ſcriptura, & Patres id negant, præſertim quòad eos, de quibus poteſt dubitari, an cum ipſis fuerit diſpenſatum, vt de Moyſe, & Paulo. ergo

115 Obijcies Moyſes dicitur vidiſse Deum facie ad faciem. ergo

Reſpondetur, vidiſſe ſub corporali ſpecie, non autem viſione quidditatiua, vnde Deus dixit ipſi. *Non videbit me homo, & viuet.*

116 Obijcies ſecundò. Paulus raptus eſt vſq. ad tertium cælum, & audiuit arcana verba, ergo. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia per arcana verba intelliguntur aliqua ſecreta myſteria, non autem viſio Diuinæ eſſentiæ.

117 Obijcies tertiò. Prophetæ dicuntur vidiſſe Deum. ergo

Reſpondetur. Vidiſſe Deum corporali apparitione, vndè Iſaias, *Vidi Dominum ſedentem.*

DE MEDIO, QVO DEVS eſt viſibilis.

DISPVTATIO XLIX.

An ſit poſſibilis ſpecies impreſſa in ordine ad videndum Deum intuitiuè.

SECTIO I.

1 NOmine ſpeciei impreſſæ intelligimus aliquam entitatem creatam, quæ compleat, & determinet intellectum ad videndum Deum, ſicut contingit in cæteris cognitionibus.

Prima Sententia negat, eſſe poſſibilem. Ita Durandus *in 4. diſt. 49. q. 2.* Sotus *ibidem* Palud. *quæſtio.* 1. Capreolus *quæſt.* 5. Palat. *diſp.* 9. Ferrar. *3. contra Gentes cap.* 49. Caietanus 1. *parte quæſt. 12. articulo* 2. Bannes *dubio* 1. Zumel *diſp.* 2. Nazar. *controu.* 1. Amicus *diſput. 9. ſectio* 4. Gonzalez *diſputat.* 25. *ſectione* 3. Granad. *tractat. 4. diſputat. 5. ſectio.* 3. Salmaticen. *tractat. 2. de viſione diſputat. 2. dubio* 4. & communiter Thomiſtæ.

Probant. Speciei, & obiectum ſunt eiuſdem rationis, licet differant in modo eſſendi, ſiquidem ſpecies dicit in eſse intentionali, quod dicit obiectum in eſse reali, nihil autem poteſt eſse eiuſdem rationis cum Deo.

2 Species non debet excedi ab obiecto in gradu immaterialitatis, ſicut neque etiam debet excedi intellectus, vt connaturaliter attingat obiectum. Implicat autem ſpecies, quæ non excedatur à Deo in gradu immaterialitatis, cum nulla ſpecies poſſit eſse actus purus, ſicuti eſt Deus.

3 Quo obiectum eſt perfectius, eò perfectior debet eſse ſpecies, cum ipſi proportionetur, ergo cum obiectum eſt infinitè perfectum, debet ſpecies eſse infinitè perfecta, quod implicat.

Digitized by Google

4 Etiam ſi ſpecies ſit extra obiectum, connotat tamen in ipſo indigentiam, quia ſupponit non habere totam intelligibilitatem. Hoc autem non habet locum in Deo, cum ſit actu, & proximè intelligibilis per eſſentiam.

5 Productio talis ſpeciei non eſſet Deo libera, quia ſpecies emanat naturaliter ab obiecto; vnde ſicut eſſentia in Deo præcedit volūtatem, ita etiam præcederet emanatio ſpeciei conſequens eſſentiam, & anteuerteret voluntatem, ergo talis ſpecies eſſet adæquata intelligibilitati Diuinæ, atque adeo infinita cauſans cognitionem comprehenſiuam.

6 Species ſe tenet ex parte obiecti, ita vt ſit accidens obiectiuum, & complementum obiecti, ſed Deus non poteſt compleri ab aliquo extrinſeco. ergo

2 Secunda ſententia aſſerit, eſſe poſſibilem; ita Diuus Bonauentura *in 3. diſtinct. 14. articulo 1. quæſtione 3.* Argentinas *quæſtione vnica articulo 1. ad 3. & 6.* Aureolus *quodlib. 8. articulo 1.* Scotus *in 2. diſtinctio. 3. quæſtione 9.* Mayronius *quæſtione 15. articulo 2.* Molina *1. parte quæſtione 12. articulo 2. diſputat. 1.* Vaſquez *diſputation. 38.* Suarez *lib. 2. de Deo vno cap. 13.* Smiſing *tractatu ſecundo de Deo vno diſputa. 6. numero 69.* Aegidius *lib. 8. de Beatitud. quæſtione 2. articulo 2.* & alij.

3 Dico primò. *Non eſt poſſibilis repræſentatio creata, quæ, vt quod, repræſentet Deum.*

Probatur. Repræſentatio *vt quod*, debet in ſe continere repræſentatum ſecundum id, quod de ipſo repræſentat. Non poteſt autem aliquid creatum continere in ſe quidditatem Dei. ergo

4 Dices. Non eſſe neceſſe, quod contineat eſſe Dei ſubſtantiali modo; ſed ſufficere, ſi contineat repræſentatiuè, ſicuti imago Cæſaris continet Cæſarem tantum repræſentatiuè. Contra. Imago non repræſentat formaliter ſubſtantiam corporis, ſed tantum molem corporis, cum figura diſpoſitione membrorum, colore, &c. Hæc autem omnia ſunt formali modo in imagine.

5 Dices ſecundò. Sicuti imago parua poteſt repræſentare magnum corpus; ita etiam repræſentatio finita poterit repræſentare infinitum.

Contra. Ideò parua imago poteſt repræſentare magnum corpus, quia eadem figura, & modus eſſendi quantitatiuus poteſt ſubſiſtere in minori, & minori proportione quantitatis. Sed perfectiones Diuinæ, non poſſunt eſſe in minori proportione virtualis quantitatis, quia eo ipſo, quod eſſent in perfectione finita, deſtruerentur. ergo

6 Dico ſecundò. *Non implicat ſpecies impreſſa, quæ ſit virtus fæcundatiua intellectus in ordine ad viſionem quidditatiuam Dei.*

Probatur. Lumen gloriæ eleuans intellectum exigit determinari obiectiuo modo, ergo hoc determinatiuum debet eſſe ipſi connaturale, cum ſit ſecundum exigentiam ipſius, ergo non poteſt eſſe Diuina eſſentia, ſed debet eſſe quid finitum; quia cum lumen ſit quid finitum, exigit etiam connaturale determinatiuum finitum. Eſſentia autem Diuina, ſi haberet rationem ſpeciei impreſſæ, eſſet infinita, ergo non poſſet eſſe connaturale determinatiuum luminis glorię, ergo eſt poſſibilis ſpecies impreſſa, quę ſit connaturale determinatiuum.

7 Dices. Lumen glorię non exigere connaturale determinatiuum, quia viſio non eſt connaturalis videnti, & lumen glorię ſe habet vt eleuatiuum.

Contra. Etſi lumen glorię ſit eleuatiuum, & viſio non ſit connaturalis beato, adhuc tamen eſt ſecundum exigentiam luminis glorię, ergo etiam determinatiuum, cuius virtute ſit viſio, erit ſecundum exigentiam luminis, ergo connaturale.

8 Confirmatur. Viſio Dei, vt talis, poteſt dependere à cauſa creata, ergo eſt etiam poſſibilis in ordine creato cauſa adęquata, atque adeo ſpecies. Conſequentia probatur. Viſio ex ratione ſua non dicit immediatum ordinem ad virtutem increatam; diceret autem, ſi non eſſet poſſibilis ſpecies impreſſa.

9 Confirmatur ſecundò. Quando in ordine creato eſt poſſibile aliquod principium effectus indiuidualis, eſt etiam poſſibile principium totale determinatum, ergo cum ſit poſſibile lumen glorię vt principium viſionis Dei, & viſio ſit indiuidualis, erit etiam poſſibilis ſpecies, vt complementum talis principij. Antecedens probatur. Quia effectus, vt talis, non excedit virtutem creatam; Sit econtra; quia creatio excedit virtutem creatam, non eſt poſſibile principium creatum ipſius, licet incompletum.

10 Dices. Viſionem Dei dicere ordinem immediatum etiam ad obiectum.

Contra. Non dependet ab obiecto, niſi quatenus vitalis expreſſio illius, ergo non dependet niſi mediante potentia, à qua vitaliter exprimitur obiectum, ergo potentia vitaliter expreſſiua debet conſtitui in tali ſtatu, vt poſſit virtualiter exprimere, atq. adeo per aliquod diſtinctum ab obiecto, cum obiectum non ſit vitaliter expreſſiuum ſui ipſius.

11 Ad primum negatur aſſumptum. Nam ſpecies impreſſa non eſt formalis ſimilitudo obiecti, ſed tantum virtualis. Deindè ex eo, quod ſpecies expreſſa dicat in eſſe intentionali, quod dicit obiectum in eſſe reali, non ſequitur, quod ſit eiuſdem rationis, ſed diuerſę, quia non eſt conformis in eſſendo, ſed ſolum in repręſentando, repręſentatio autem intentionalis *vt quo*, & eſſe reale non ſunt eiuſdem rationis.

Ad ſecundum. Diſtinguo Antecedens. Species non debet excedi ab obiecto in gradu immaterialitatis, quando eſt ipſi adęquata, & ordinatur ad ipſum repręſentandum vt connaturale obiectum illius atq. adeo ad cognitionem comprehenſiuam, ſecus autem, quando non ordinatur ad connaturaliter repręſentandum, nec ad cognitionem comprehenſiuam, atque adeo non eſt adęquata obiectũ.

Ad tertium. Speciem creſcere ſecundum proportionem obiecti, quando eſt ipſi adęquata, & quando obiectum mouet ſecũdum ſuam adęquatam intelligibilitatem. In caſu autem noſtro Deus mouet finito modo, & ideo ſpecies non creſcit ſecundum proportionem ipſius.

12 Ad quartum negatur aſſumptum. Quia ſpecies non ponitur ob indigentiam obiecti, ſed ob indigentiam potentiæ, nec vt obiectum fiat intelligibile obiectiuo modo, ſed vt fæcundetur potentia, & fiat completè intellectiua, & obiectum fiat intelligibile virtuali modo, hoc eſt contineatur in virtute potentiæ intellectiuę in ordine ad expreſſionem, per quam ex vi ſpeciei impreſſę fiat intelligibile formali modo.

Ad quintum negatur ſequela. Quia ſpecies non emanat naturaliter à Deo, neque anteuertit voluntatem ipſius, ſed producitur per potentiam ſubordinatam voluntati, virtus enim productiua ſpeciei in quocunque obiecto eſt aliqua potentia, & ideo in Deo coaleſcit in eadem rationem omnipotentiæ.

Ad ſextum negatur aſſumptum. Quia ſpecies non dat aliquam actualitatem obiecto, aut complementum, ſed eſt complementum potentię, & ſolum ſe tenet ex parte obiecti, vt virtus ipſius qua fæcundatur potentia.

13 Quæres. Quid dicendum de mente Diui Thomæ. Reſpondetur eſſe obſcuram; nam aliquando videtur ſolum negare ſpeciem quæ ſit medium *vt quod*, aliquando etiam, quæ ſit medium *vt quo* vnde videndi ſunt expoſitores.

(. ·.)

An

An de facto Deus videatur per ſpeciem impreſſam.

SECTIO II.

14 PRima ſententia eſt negatiua; vult enim, quod Diuina eſſentia vniatur intellectui loco ſpeciei impreſſę. Ita ij, qui negant poſſibilitetem ſpeciei impreſſæ, & etiam ferę omnes qui eam admittunt, *eſt praced. citati*,

Probant obiectum eſt maximè intelligibile, eſt ſufficienter vnitur cum intellectu, ergo fruſtrantia eſt ſpecies impreſſa.

2 Species ponitur ad ſupplendam diſtantiam obiecti, & ipſius impotentiam, ergo non datur, quando obiectum eſt potens, & indiſtans, vt in caſu noſtro.

15 Secunda ſententia aſſerit, Deum de facto videri per ſpeciem impreſſam, ita Diuus Bonauentura *in 3. diſtinct. 14. artic. 1. quaeſt. 3*, Aureolus *quodlib. 5. Aegidius* Luſitanus *lib. 8. de Beatitudine parte 2. quaeſt. 3. art. 3.* Turrian. *opuſculo de poſſibilitate ſpeciei impreſſæ. dub. 13.* & hanc ſententiam putant probabilem, Richardus *in 3. diſt. 14. artic. 1.* Argentinas *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 2. ad 3.*

16 Dicendum eſt *Deum de facto videri per ſpeciem impreſſam creatam*. Probatur. Eſſentia Diuina non poteſt habere rationem ſpeciei impreſſę, ergo non poteſt vniri cum intellectu vt ſpecies impreſſa. Antecedens probatur. Tum quia ſpecies non eſt obiectum, ſed virtus, & ſemen obiecti, & dicit quid intentionale, quo obiectum in eſſe intentionali ſe communicat potentiæ. Tum quia ſpecies, vt talis, exigit eleuari per virtutę vitalem, ita vt ex vi eleuationis concurrat ad expreſſionem vitalem obiecti; talis autem eleuatio repugnat diuinę eſſentiæ, quia dicit ſubiectionem ad potentiam. Tum quia ſpecies, vt talis, eſt fęcunditas potentiæ, atque adeo eſt quid potentiale, cum ſit complementum principij ipſius, intra rationem talis principij, atque adeo in ordine potentiali.

17 Dices. Licet eſſentia Diuina non habeat rationem ſpeciei, eſſe tamen obiectum perfectiſsimum, & ſecundum rationem obiecti concurrere ad viſionem.

Contra. Non poteſt concurrere vt obiectum, niſi vniatur cum intellectu vt obiectum; nec poteſt vniri vt obiectum, niſi ſit virtus fæcundatiua potentiæ. Sed non poteſt eſſe virtus fęcundatiua, quia virtus fæcundatiua ſubſternitur potentiæ fęcundatæ, & eleuatur à virtutę vitali ipſius. ergo

18 Confirmatur. Suppoſita poſsibilitate ſpeciei connaturalius eſt, quod viſio fiat per ipſam, ergo eſt ponenda talis ſpecies; quia viſio debet fieri connaturali modo. Antecedens patet. Quia modus influendi obiecti in cognitionem eſt fęcundare potentiam, & mediante fęcundatione concurrere ad viſionem; potentia autem connaturalius fęcundatur per id, quod eſt formaliter fęcunditas, & eſt ſecundum ipſius exigentiam.

19 Ad 1. Diſtinguo antecedens, obiectum eſt vnitum potentiæ localiter; non autem intentionaliter, & modo intelligibili; quia licet ſit maximè intelligibile, non tamen poteſt per ſe ipſum concurrere, quia non poteſt fæcundare intrinſecè potentiam, vt dictum eſt.

Ad 2. negatur aſſumptum. Quia ſpecies non ſupplet diſtantiam obiecti, ſeu impotentiam ipſius; ſed vt ſemen obiecti fęcundat potentiam, & in eſſe intentionali determinat: vndè ſemper eſt neceſſaria, ſiue obiectum ſit diſtans, ſiue præſens.

20 Quæres. An huiuſmodi ſpecies ſit ſupernaturalis quo ad ſubſtantiam. Reſpondetur affirmatiuè cum communi ſententia. Contra Scotiſtas; eſt enim virtus obiecti ſupernaturalis, atque adeo ſecundum ſuam ſubſtantiam, eſt ſupra efficacitatem cuiuſcunque cauſæ creatæ, & ſupra exigentiam totius naturæ.

An præter ſpeciem impreſſam ſit etiam neceſſeria ſpecies expreſſa.

SECTIO III.

21 PRima ſententia eſt negatiua. Vult enim, quòd ipſe Deus, quatenus intimè præſens intellectui inſeruiat loco ſpeciei expreſſæ. Ita Ferrar. *primo contra Gen. cap. 53.* Durandus *in 4. diſt. 49. q. 2.* Caietanus *1. p. q. 12. artic. 2.* Bannes *art. 1. dubio 9.* Nazar. *contr. 2.* Salmatic. *trat. 2. de Viſione diſputatione 2.* & communiter Recentiores Thomiſtę.

Probant. Deus eſt præſens intellectui, & eſt ſummè intelligibilis, ergo non eſt neceſſaria alia ſpecies expreſſa, quia ſolum producitur, vt faciat obiectum actu intelligibile.

2 Non poteſt dari medium, in quo Deus clarè, & intuitiuè videatur, ergo nec ſpecies expreſsa; hæc enim eſt medium cognitum, & id quo intellectus fit res cognita per aſsimilationem cum ipſa.

3 Si daretur ſpecies expreſsa, Deus contineretur adæquatè in ipſa; nam eſset imago adæquata obiecti; hoc autem implicat, ergo

22 Secunda ſententia eſt affirmatiua; ita Capreolus *in 4. diſt. 49. q. 1. art. 3.* Sotus *q. 2. art. 3.* Richardus *art. 1. q. 1.* Torres *q. 27. de Trinit. art. 1. diſp. 1.* Vaſquez *1. part. diſput. 38. c. 2.* Suarius *lib. 2. de Deo vno. cap. 11.* Molina *1. p. q. 12. art. 2. diſputat. 1.* Arrubal *diſputat. 17. cap. 2.* & alij.

23 Notandum 1. Speciem expreſsam nihil aliud eſse, niſi repræſentationem intentionalem conſtituentem obiectum in ſtatu proximo, vt poſsit percipi ab intellectu; & proinde facit, *vt quo*, ipſum apparere conſtituendo illud in eſse intentionali, ſeu in eſse apparenti, & manifeſto; vnde debet adæquari cum virtute propria intellectus.

24 Notandum ſecundò. Speciem expreſsam, ſeu verbum mentis proportionari cum verbo externo vocali; ſicuti enim per verbum vocale manifeſtatur res, quatenus vt docet Ariſtoteles in logicis ſubſtituuntur loco rei medijs conceptibus, ita per verbum internum intellectus ſibi ipſi loquitur manifeſtando ſibi obiectum. Ex hoc etiam fit, quod ſicut omnis loquutio debet eſse proportionata audienti, ita etiam verbum mentis debet eſse proportionatum intellectui, prout dicit virtutem perceptiuam. Commenſuratio autem in eo conſiſtit, quod verbum, vt manifeſtatiuum, ſit tale, quale exigitur ab intellectu.

25 Dicendum 1. *Verbum Diuinum, ſeu eſsentiam Diuinam non poſſe ſtare loco verbi, ſeu ſpeciei expreſſæ creatæ, ita vt intellectus creatus per ipſum attingat obiectum.*

Probatur. Eſsentia Diuina non habet debitam proportionem cum virtute auditiua intellectus in ratione verbi, ergo non poteſt ſtare loco verbi creati. Antecedens probatur. Non poteſt per modum formæ actuare vim perceptiuam intellectus, nec in ratione manifeſtatiui eſt in eadem ſpecificatione, in qua eſt virtus auditiua intellectus. ergo

Confirmatur. Mens non poteſt cogitare aliena cogitationis, ergo nec intellectus intelligere aliena verba. Antecedens patet. Quia cogitare eſt actus vitalis modo vitali productus, atque commenſuratus potentiæ vitali. Conſequentia probatur. Cogitare eſt ſibi exprimere verbum, per quod obiectum manifeſtetur. ergo

26 Dicendum 2. *Videntes Deum exprimere Verbum manifeſtatiuum Diuinæ eſſentiæ*. Deſumitur ex Diuo Thoma *prima parte q. 27, artic. 1.* vbi ex eo, quod omnis intelligens producit verbum, infert, Deum quoque producere, & *in 1. diſt. 27. q. 2. art. 2.* ait. Impoſsibile eſse, quod aliquis intelligat, niſi Verbo ſui intellectus. Et ex Diuo Auguſtino *libr. 9. de Trinitate cap. 11.* vbi ait *cum Deum nouimus, illa notitia verbum eſt, & fit aliqua*

Dei

Digitized by Google

obiectum extrinſecum, vt ſunt decreta conditionata, ergo non poſſunt hoc modo cognoſci. Reſpondetur negando antecedens. Quia non datur decretum liberum, cui non correſpondeat aliquid ad extra, vt ſuo loco oſtendemus. Ad probationem reſpondetur. Non dari decreta conditionata, ſed tantum ob abſoluta.

26 Obijcies ſecundò. In decreto libero ſolum ſuperadditur actui neceſſario effectus ad extra, ergo ad videndum actum liberum ſufficiet videre effectum ad extra. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia actus liber non ſolum dicit obiectum extrinſecum, ſed etiam vitalem attingentiam, qua actus neceſſarius coniungitur cauſatiuo modo cum obiecto ad extra.

An, & quomodo creaturæ ſint viſibiles in Deo.

SECTIO IIII.

27 SVpponendum eſt. Poſſe dupliciter aliquid in alio cognoſci, nempè cauſaliter, & formaliter. Primò modo cognoſcitur, quando attingitur actu diſtincto, ita tamen, vt hic actus cauſetur ex vi prioris ex eo, quod obiectum mouens ad ſui cognitionem, moueat etiā ad cognoſcendum quod in ſe continet, ſicuti principium mouet ad cognoſcendum ſe ipſum, & etiam concluſionem per actum diſtinctum. Secundo modo cognoſcitur eodem actu indiuiſibili, qui per ſe primò terminetur ad continens, & ſecundariò ad contentum.

28 Supponendum ſecundò. Eos, qui docent poſſibilia eſſe cognoſcibilia in ſe ipſis, ſumere poſſibilia ſecundum proprium eſſe, quod habent contradiſtinctum à Deo; ſed cum per nos non ſint aliquid extra omnipotentiam, neque etiam ſunt cognoſcibilia in ſe ipſis, niſi quatenus intellectus ea cognoſcens in Diuina omnipotentia, poteſt de ipſis ſeorſum ſibi formare aliquem conceptum, & veluti extrahendo ſecundum eſſe obiectiuum ab ipſa omnipotentia, vndè aliud eſt videre creaturas in ſe ipſis, & aliud videre ſecundum proprium eſſe ipſarum in Deo. Primum dicit, quod creaturæ terminent cognitionem ſecundum illud eſſe, quod ſunt in ſe ipſis, vt quid contradiſtinctum à Deo. Secundum dicit, quod terminent cognitionem ſecundum illam menſuram eſſendi, ſecundum quam virtualiter ſunt in Deo, præciſo tamen illo modo communicationis, quo ratione infinitatis communicant in eadem infinitate poſſibilitatis, vndè debent per cognitionem veluti extrahi ſecundum eſſe obiectiuum ab illa infinitate Diuinæ omnipotentiæ.

29 Prima ſententia negat, creaturas videri in Deo formaliter, ſeu ex vi viſionis, & eiuſdem actus, quo videtur Deus. Ita Ochamus *in* 4. *q.* 13. *art.* 2. *&* 3. Gabriel *in* 3. *diſt.* 54. *art.* 1. Maior *q.* 3. Vaſquez 1. *p. diſput.* 15. *cap.* 6. Vadingus *diſp.* 6. *de Incarnat. dub.* 6. *punc.* 2.

Probant. Eſſentia Diuina non dicit ordinem ad creaturas, ergo non poteſt eſſe medium ad ipſas cognoſcendas. Secundò. Creaturæ non ſunt in Deo formaliter, ſed ſolum eminenter, quatenus eſt in ipſo creatrix potentia, ergo illo viſo non videntur formaliter. Tertiò. Sequeretur, quod neceſſariò omnes viderentur, quia in tantum, in quantum eſt cauſa ipſarum; cauſa autem ducit neceſſariò in cognitionem effectus. Quartò. Quo plures creaturæ viderentur, viſio eſſet perfectior, ergo ſequeretur, quod Beatus inferioris meriti eſſet magis beatus altero maioris meriti, quod eſt abſurdum. Conſequentia probatur. Fieri poteſt, quod ratione ſtatus, qui eſt inferioris meriti, debeat videre plures creaturas, tamquam concernentes ad ſtatum ipſius, tunc autem haberet viſionem beatam perfectiorem.

30 Secunda ſententia aſſerit, videri formaliter eodem actu indiuiſibili, quo videtur Deus. Ita D. Thomas 1. *p. q.* 12. *art.* 4. Caietanus, Medina, Bannes *ibidem*. Molina *diſp.* 5. Faſolus *dub.* 1. Alenſis 2. *p. q.* 23. *mem.* 5. Scotus *q.* 3. *prologi*. Richardus *in* 3. *diſt.* 14. *art.* 1. *q.* 3. Durandus *diſt.* 49. *q.* 3. Amicus 1. *p. diſput.* 9. *ſec.* 20. Arrubal *diſp.* 25. Smiſing *trac.* 2. *de Deo vno diſp.* 6. *mem.* 157.

31 Dico primò. *Creaturas eſſe viſibiles in Deo ſecundum proprias rationes eodem actu, quo videtur Deus.* Deſumitur ex Cōcilio Senenſi ſi *decreto* 131. vbi habet; Deum eſſe ſpeculum, in quo Beati vident, quidquid ipſorum intereſt, & ex D. Auguſtino *lib.* 4. *de Geneſi ad litteram cap.* 23. vbi ait. *Multum intereſt inter cognitionem rei cuiuſcumque in Verbo, & cognitionem in ratione ipſius, & illud meritò ad diem, hoc ad veſperam pertinet*, & lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 7. *Cognitio creaturę in ſe ipſa decoloratior eſt, vt ita dicam quàm cum in Dei ſapientia cognoſcitur veluti in arte, qua facta eſt.*

32 Reſpondet Vaſquez. Loqui de cognitione creaturarum in Verbo cauſaliter. Contra. Diuus Auguſtinus ponit duplicem cognitionem, aliam, qua creaturæ cognoſcuntur in Verbo, & aliam, qua cognoſcuntur in ſe ipſis, viſio autem creaturarum in Verbo cauſaliter eſt cognitio creaturarum in ſe ipſis. Deindè D. Auguſtinus ait, creaturas cognoſci in Dei Sapientia, ſi autem eſſet tantum cognitio in Verbo cauſaliter, non cognoſcerentur in Dei ſapientia, vt in arte, qua factæ ſunt, ſed in ſe ipſis.

33 Reſpondet ſecundò. Non intelligere, quod creaturæ videantur in Verbo ſecundum proprium eſſe, ſed ſolum ſecundum eſſe eminentiale, quod non eſt aliud, quam ipſa creatrix eſſentia. Contra. Creaturæ videntur vt deſcriptę in veritate, & in ratione incommutabili, vt ait D. Auguſtinus *lib.* 4. *de Geneſi ad litteram cap.* 24. & *lib.* 11. *de Ciuitate cap.* 29. ſunt autem deſcriptæ ſecundum proprias rationes.

34 Probatur. Si creaturæ non viderentur in Verbo formaliter, nō poſſent videri eodem actu, quo videtur Deus, ſed debent videri, ergo. Sequela probatur. Actus viſionis beatæ fit à lumine glorię, ergo cum lumen gloriæ poſſit tantum pro ſe primò reſpicere actum purum, à quo ſpecificatur, non poteſt aliquid attingere, niſi attingat in Deo, vt in ratione cognoſcendi. Minor probatur. Niſi viderentur in Deo, non cognoſceretur Deus vt continens creaturas ſecundum proprium eſſe ipſarum; atque adeo neque ſecundum rationem omnipotentiæ, neq. ſecundum rationem ideæ, quæ debet exprimere ideatum ſecundum propriam rationem.

35 Dico ſecundò. *Eſſe formale creaturarum, quod Beati vident in Verbo, non ſtat ſub modo eſſendi paſſiuo, ſed ſub modo eſſendi actiuo, quo creaturæ originatiuè exiſtunt in potentia Dei.* Eſt autem aduertendum, quod creaturæ habent duplicem modum eſſendi, alium, quo ſunt in ſe ipſis vt quid extractum à potentia Dei, & hic eſt modus eſſendi paſſiuus, quia dicit eſſe receptum, alium verò, quo exiſtunt in Deo, vt in ſua origine, & importat eſſe creaturarum, quod poteſt fluere à prima cauſa ſecūdum illas determinationes, quæ exprimuntur in Diuinis ideis, & hic dicitur modus eſſendi actiuus, quia ſtat ſub determinatione virtutis communicatiuę.

Probatur. Deus eſt ratio videndi creaturas, quatenus illas continet, ergo creaturæ videntur eo modo, quo ſubijciuntur cognitioni per ipſam rationem videndi, ergo videntur ſecundum modum eſſendi originatiuum, quia ſubijciuntur cognitioni ex vi continentiæ, qua continentur in Deo, ita vt continentia ſit ratio videndi.

36 Dico tertiò. *Quomodo Beati vident creaturas in Verbo, poſſunt ex vi fæcundationis illas cognoſcere veluti extractas ſecundum eſſe obiectiuum à Dei omnipotētia, formando de ſingulis ſeorſim proprium conceptum.* Probatur. Intellectus eſt fæcundus in ordine ad exprimendum eſſe creaturarum in eſſe intentionali ſecundum proprias rationes ipſarum, ergo cum poſſint exprimi ſecundum proprias rationes ſingulæ ſeorſim, ſicut etiam poſſunt exiſtere vt quid extractum à Diuina potentia, poterit etiam exprimere ex vi talis fæcundationis.

37 Dico quartò. *Hæc cognitio fit per extenſionem viſionis*

Digitized by Google

ſionis beatæ, quatenus extenditur ad percipiendas creaturas ſingulas ſeorſim ſecundum proprias menſuras. Fit autem extenſio ex eo, quod beatus videns Diuinas ideas, format ſibi conceptum ſpecialem de tali, & tali creatura, vt de obiecto ſecundario ſtante ſub primario, nempè ſub repræſentatione Diuinarum idearum. Probatur. Beatus videt Diuinas idæas repræſentantes creaturas ſecundum proprium eſſe, quod poſſunt à Deo participare, ita vt repræſentetur etiã ille modus ſe habendi ſeorſim à quocunque alio, ergo cum videns ideas poſſit ſibi formare conceptum ideati adæquantem repræſentationem ideæ, poterit beatus formare ſibi conceptum talis, & talis creaturæ ſecundum proprium modum eſſendi.

38 Ad primum negatur conſequentia. Quia eſſentia Diuina non ducit in cognitionem creaturarum, vt in correlatiuum, ſed vt in id, quod in ſe ipſa continet tanquam effectum producibilem. Ad ſecundum. Diſtinguitur antecedens. Creaturæ non ſunt formaliter in Deo, ſi ly *formaliter* cadat ſupra modum eſſendi; ſi verò cadat ſupra eſſe creaturarum, ſunt formaliter in ipſo, quia ſicuti ſecundum proprium eſſe formale proueniunt a Deo, ita etiam ſecundum idem eſſe continentur in ipſo, vt in cauſa.

Ad tertium. An omnes creaturæ videantur in Deo videbunt infra.

Ad quartum negatur ſequela. Quia viſio Beatorũ non correſpondet meritis, vt tendit in obiectum ſecundarium, ſed vt tendit in primarium; vnde ſi quis minoris meriti videat plures creaturas, eſſet ratione extenſionis viſionis beatæ. Hæc autem extenſio non auget perfectionem viſionis, vt tendit in obiectum primarium, atq; adeo nec etiam beatitudinem, ſed qualibet viſiò poteſt extendi ad quaſcunq. creaturas.

Quomodo Deus ſit medium ad videndas creaturas.

SECTIO V.

39 SVpponendum contra Granad. 1. part. trac. 6, diſput. 1. ſect. 5. & alios Recentiores. Deum non eſſe mediũ cognoſcendi creaturas relatione ordinis tranſcendentalis ad ipſas, tum quia non dicit talem ordinem, tum quia etiamſi diceret, non eſſet tamen medium faciens cognoſcere creaturas, quia licet non poſſit cognoſci vnum Relatiuum ſine alio, non tamen vnum cognoſcitur in alio.

40 Supponendum ſecundò. Deum in repræſentando creaturas non habere propriam rationem ſpeculi, vt docet D. Thom. q. 8. de ver. art. 4. Quia ſpeculum recipit imagines rerum ab ipſis rebus, non autem res ſunt originatiuè in ſpeculo, ſicuti ſunt creaturæ in Deo. Vnde quando Patres docent, creaturas videri in Deo, vt in ſpeculo, loquuntur metaphoricè, quia ſicuti in ſpeculo repræſentantur res ſecundum proprium eſſe, ita etiam creaturæ in Deo.

41 Supponendum tertiò. Ex eo, quod Deus ſit ens per eſſentiam, ipſum habere quidem in ſe illam perfectionem, per quam poteſt repræſentare creaturas, non tamen eſſe ipſam rationem entis per eſſentiam, quia ens per eſſentiam non magis importat vnam perfectionem, quàm alteram, & ideò eſt aſſignabilis aliqua ratio ſpecialis, ex vi cuius Deus ſit medium repræſentans creaturas.

42 Prima Sententia aſſerit, creaturas eſſe viſibiles in Deo, vt in ſpeculo, ratio autem ſpeculi in eo conſiſtit, quod Diuina eſſentia repræſentat etiam eſſe creaturarum Ita Scotus *in 3. diſtinct. 14. quæſt. 2.* Aureolus *quodlib. 10. art. 1. & alij.*

43 Secunda ſententia aſſerit eſſe viſibiles in Diuinis idæis, ita Henricus *quad. 7. q. 4. & 5.* Suarez *lib. 2. de Deo vno cap. 2. numero 29.* Saas 1. 2. *tract. 2. diſput. 4. ſec. 4. num. 61.*

44 Tertia ſententia aſſerit, creaturas eſſe viſibiles in Deo, vt in cauſa, ita vt medium obiectiuum, per quod videntur, ſit ipſa ratio cauſæ ita Capr. *in 4. diſt. 49. q. 6. artic. 3.* Palud. *quæ. 2. art. 1.* Durand. *q. 6.* Sotus *q. 3. art. 3.* Caietan. *1. p. q. 12. art. 8.* Bannes *in reſponſione ad vltimum 2. ſententiæ*, Molin. *diſput. 2.* Faſol. *dub. 8.* Egid. *lib. 5. de beatitud. q. 18, art. 5. §. 1.*

45 Dico Primò. *Ratio cauſæ, quatenus completur per ideã eſt medium, per quod creaturæ ſunt viſibiles in Deo* Eſt autem aduertendum, quod Ideæ Diuinæ ſunt ideæ ſubſiſtentes ex ſua formali ratione, quia cum conſiſtant in eſſe expreſſo verbi Diuini, & hoc eſſe expreſſum ſit terminus productionis, debet vt tale eſſe ſubſiſtens. Ex quo fit, vt non ſolũ repræſentent *vt quo* ſed etiã *vt quod*, & proinde quod poſſunt repræſentare etiam alteri ab ipſo Deo.

Deſumitur ex D. Dionyſ. *cap. 7. de Diu. nominibus* vbi aſſignat hanc rationem tanquam illam, ex vi cuius etiã ipſe Deus cognoſcit creaturas, & ex Diuo Auguſtino *lib. 4. de Geneſ. ad literam cap. 24.* vbi cum dixiſſet, creaturas videri in verbo, aſſignat rationem inquiens. In quo ſunt omnia, etiam quæ temporaliter facta ſunt æternę rationis, tanquam in eo, per quod factæ ſunt per æternas autem rationes intelligit idæas.

Probatur, Creaturæ non poſſunt videri in Deo, niſi eo modo, in ipſo continentur, ergo non poſſunt videri niſi ex vi illius rationis, per quam continentur. Antecedens patet. Nam quando aliquid in alio videtur, vt viſio ſit conformis obiecto debet ipſum attingere eo modo, quo eſt in ipſo. Conſequentia probatur. Ratio continendi eſt ràtio coniungendi creaturas cum ipſo Deo in ratione obiecti, ergo eſt ratiò cognoſcibilitatis creaturarum in Deo, Quia ſicuti ratio eſſendi eſt ratio cognoſcibilitatis, ita ratio eſſendi in alio eſt ratio cognoſcibilitatis, qua contentum poteſt cognoſci in continente. Hæc autem ratio, per quam Deus continet creaturas, eſt ratio cauſæ non ſolum vt dicit potentiam, ſed etiam idæas tanquam illas, per quas potentia determinatur ad communicandum eſſe creaturis ſecundum talem menſuram, vt etiam contingit in artificibus creatis.

46 Dices primò. Eſſentiam Diuinam facere innoteſcere creaturas, vt ſpeciem eminentialem ipſarum. Contra. Non facit innoteſcere vt medium cognitum, quiã ſe haberet vt quo. Creaturæ autem videntur in Deo vt in medio cognito.

47 Dices ſecundò. Diuinam eſſentiam mouere ad cognoſcendas creaturas ſupplendo concurſum obiectiuum ipſarum. Contra. Tunc debet ſuppleri concurſus obiectiuus, quando deſert, & deberet prouenire ab obiecto, ergo, cum in cognitione creaturarum in Deo, vt in medio cognito, non debeant creaturæ concurrere obiectiuo modo, non erit ſupplendus concurſus. Deinde. Si Creaturæ præberent concurſum obiectiuum proprium, non viderentur in Deo, ſed in ſe ipſis, ergo etiamſi ſuppleretur concurſus, adhuc non viderentur in Deo.

48 Dico ſecundò, *In tali viſione eſſentia Diuina nedum eſt obiectum motiuum, ſed etiam terminatiuum*. Eſt contra Amicum *1. par. diſp. 9. ſec. 21.* Prob. Licet creaturæ cognoſcantur ſecundum propriam menſuram, & vna ſeorſim ab alia adhuc tamen cognoſcuntur ex vi virtutis cauſatiuæ, quæ eſt in Deo, vt ſtant ſub ipſa ſecundũ proprium eſſe poſſibile, ergo adhuc cognoſcuntur vt obiectum ſecundarium, & Diuina eſſentia vt primarium atq. adeò vt terminatiuum.

49 Obijcies, Concurſus obiectiuus in ordine ad viſionem intuitiuam eſt tantum aſſimilatiuus reſpectũ illius obiecti, à quo originatur, ergo cum concurſus obiectiuus Diuinæ eſſentiæ non originetur ab eſſe creaturarum, non erit aſſimilatiuus reſpectù ipſarum, ſed ſolum reſpectu Diuinæ eſſentiæ, ergo non facit illas cognoſcere.

Reſpondetur negando conſequentiam. Quia talis concurſus originatur à Diuina eſſentia, vt continet eſſe formale

Digitized by Google

male creaturarum; & ideo poteſt aſſimilare etiam in ordine ad creaturas, vt contentas in Diuina eſſentia.

An ex vi viſionis Dei videantur omnia poſſibilia.

SECTIO VI.

50 PRima ſententia aſſerit, ex neceſſitate videri omnia poſſibilia: ita Goffred. *quod.* 6. *q.* 3. Arimin. *quæſt.* 4. *prolog. art.* 2. Baſſolus *in* 3. *diſt.* 14. *q.* 2. *art.* 2. Durandus *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 4. Henricus *quodlib.* 4. *quæ.* 5. & alij.

Probant. Viſo Deo videtur tota Omnipotentia, ergo videtur quicquid ab ipſa poteſt effici; alioquin ſi non videretur potentia productiua cuiuſcunque rei particularis, non videretur aliqua perfectio Diuina.

Secundò. Deus repræſentat naturaliter tam creaturas, quàm ſe ipſum, ergo non poteſt oſtendere ſe ipſum, niſi oſtendat & creaturas.

Tertiò. Minus eſt videre omnes effectus poſſibiles, quàm videre eſſentiam Dei, ergo ſi hæc videtur, videntur etiam effectus poſſibiles.

51 Secunda ſententia aſſerit, non poſſe videri omnia poſſibilia; imo poſſe dari viſionem, quæ nullum attingat poſſibile ſecundum propriam rationem: ita Bannes 1. *p.* *q.* 12. *art.* 7. *&* 8. Molin. *diſp.* 5. *mem.* 1. Faſol. *dub.* 15. & ſequent. Nauarret. *controu.* 34. Vaſq. *diſp.* 49. *cap.* 2. Capr. *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 6. *art.* 1. Sot. *q.* 3. *art.* 3. Argentinas *quæſt.* 1. *art.* 4. Suarez *lib.* 2. *de Deo vno. cap.* 26. & alij.

Probant. Si viderentur omnia poſſibilia, comprehenderetur Diuina Omnipotentia, quia nihil lateret, quod eſſet in ipſa aut formaliter, aut eminenter, ergo comprehenderetur & Deus quod dici non poteſt.

52 Tertia ſententia aſſerit, poſſe videri omnia poſſibilia non per vnicum actum, ſed per diuerſa. ita Albertin. *coroll.* 4. *Theol. ex* 1. *princip. philoſ. puncto* 9. *num.* 25. Hurtad. *diſp.* 54. *de Incarnat. ſect.* 2. *&* 4.

Probant. Nulla adeſt implicātia, quod per plures actus videantur omnia poſſibilia.

53 Quarta ſententia aſſerit, non poſſe in Deo videri actu omnia poſſibilia, poſſe tamen videri habitu. Quod diuerſimodè explicatur. Vnde Primus modus eſt, quod hoc fiat per habitum, quo Beati ſint potentes ad videnda ſingula poſſibilia; non poſſent autem actu conſiderare omnia, quia, cum ſint infinita, requireretur virtus infinita, ita Diuus Bonauent. *in* 3. *diſt.* 14. *art.* 1. *quæſt.* 2. *&* 3. Maril. *q.* 10. *artic.* 2.

Alter modus eſt; quod ratione viſionis beatæ, quatenus intuetur verbum, poſſint attingi omnia, quæ ſunt in ipſo, non tamen omnia actu attingantur; quia potentia finita non poteſt ſimul attendere ad infinitum, vnde contingit, quod modò hęc attingat, modò illa: ita Scotus *in* 3. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. Aureolus *q.* 1. Gabriel *q. vnica. art.* 1. Rubio *q.* 2. Palat. *diſp.* 1. & communiter Scotiſtæ.

54 Notandum 1. Poſſibilia poſſe videri à Beatis duplici modo. Primò. Si attingantur ſecundum proprias rationes prout tamen omnia ſimul communicant in eandem infinitatem Diuinæ Omnipotentiæ. Secundò modò; Si attingantur ſingula ſeorſim ab alijs, vt ſtant ſub proprio modo eſſendi, atque adeo etiam ſeorſim à Diuina Omnipotentia, ita tamen vt tanquam obiectum ſecundarium ipſi ſubordinentur.

55 Notandum ſecundus. Intellectum creatum non poſſe videre omnia poſſibilia in Deo, niſi omnia, & ſingula exprimat ſecundum proprias rationes per verbum mentis; & ideo, vt cognoſcat ſingula ſeorſim ab alijs, debet ſingula ſeorſim exprimere. Sic Deus, quia omnia cognoſcit, omnia, & ſingula exprimit in verbo, omnia conſtituendo in eſſe ideali. Hæc autem expreſſio fieri poteſt, vel per verba diuerſa repræſentatiua ſingulorum, vel per vnicum verbum. Vt autem fiat hoc poſteriori modo, debet interuenire aliqua eminentialis ratio verbi, quæ in ſe contineat omnes alias rationes omnium verborum.

56 Notandum tertiò. Quod cum Deus exprimat omnia poſſibilia ſecundum proprias rationes in ſe ipſis, non tamen per hoc extrahuntur ab eſſe potentiali ſuę poſſibilitatis; quia per illam expreſſionem conſtituuntur in eſſe exemplari, quod pertinet ad rationem cauſæ. Nam idea eſt complementum efficientis; quando verò exprimuntur ab intellectu creato, quia illa expreſſio non pertinet ad primam rationem cauſandi, ideo aliquo pacto extrahuntur à ſua poſſibilitate, & aliquo pacto ponuntur in eſſe nempe in actu intentionali.

57 Notandum quartò. In cognitione hæc interuenire, nempe actum primum intellectus completum, qui importat intellectum fæcundum, ad determinatum per ſpeciem; expreſſionem Verbi, qua obiectum penitur in eſſe intentionali per vitalem repreſentationem illius, & hæc expreſſio eſt actio quędam productiua, quę eſt dicere; Rurſus mens, ſeu intellectus debet informari verbo vt forma repreſentatiua obiecti; deinde ex hac informatione conſurgit perceptio obiecti, quæ eſt motus quidam vitalis, quo intellectum ſe conuertit in obiectum, & circa ipſum attendit, in quo propriè conſiſtit ratio cognitionis.

58 Notandum quintò. Perceptionem obiecti poſſe fieri per multiplex verbum mentis, ſi tamen interueniat aliqua connexio inter ipſa verba: quando enim aliqua verba ſunt inuicem ſubordinata, induunt rationem vnius verbi, & poſſunt informare mentem in ordine ad eundem actum, ſeu perceptionem obiecti.

59 Dico 1. *Ex vi viſionis Dei videntur in ipſo neceſſariò omnia poſſibilia ſecundum proprias rationes, quatenus communicant in eadem infinitate omnipotentiæ.* Probatur, Beatus videt Omnipotentiam ſub ratione Omnipotentiæ, & Diuinas ideas ſub ratione formali ideæ, ergo videt omnia poſſibilia modo explicato. Antecedens patet. Alioquin non videret Deum, quia non videret, quæ ſunt eſſentialia ipſius. Conſequentia Probatur. Non poteſt cognoſci Omnipotentia vt talis, niſi cognoſcatur vt potens facere omne poſſibile: quia ſicuti non eſſet omnipotentia, ſi non contineret aliquod poſſibile, ita etiā non videretur vt omnipotentia, ſi videretur abſque eo, quod videretur continentia alicuius poſſibilis: ſic etiam eſſe ideale repræſentat eſſentialiter omnia ideabilia, ergo ſi non videretur vt repręſentans omnia, non videretur ſecundum eſſe ideale infinitum, & per eſſentiam.

60 Dices. Ex eo, quod videtur Omnipotentia, videri poſſibilia ſolum ſecundum eſſe eminentiale, non autem ſecundum proprias rationes.

Contra. Propriæ rationes poſſibilium ſecundum eſſe determinatum continentur in Deo, nam ſecundum eſſe determinatum ab ipſo proueniunt, & repræſentantur in eſſe ideali infinito, ergo videntur ſecundum proprias rationes, ſiquidem eſſe ideale repręſentat propriam rationem.

Confirmatur. Creaturæ ſunt vita in eſſe ideali Diuino, iuxta illud Ioannis. 1. *Quod factum eſt in ipſo vita erat*, & de ratione ideali eſt, quod contineatur ſecundum propriam rationem in idea, ergo &c.

61 Dico ſecundò. *Omnes creaturæ ſecundum proprias menſuras eſſendi non poſſunt cognoſci in Deo ex vi Viſionis ipſius, prout ſingulæ ſeorſim ſe habent ab alijs in ratione obiecti, & veluti extra communicationem infinitatis Diuinæ potentię.*

Probatur. Beatus videns Deum; non cognoſcis modo infinito, cum cognitio beata ſit finita, ergo non poteſt ſimul cognoſcere omnia poſſibilia ſingula ſeorſim ſecundum proprias rationes. Conſequentia probatur. Vt cognoſceret tali pacto omnia poſſibilia, deberent ſingula ſeorſim ponere in eſſe intentionali ſecundum proprias rationes repræſentatiuas; ſiquidem omnia poſſibilia ſimul ſumpta important quicquid eſt repræſentabile.

62 Dico

Digitized by Google

62 Dico tertio. *Neque per extenſionem viſionis beatam, quæ extenditur per Verbum ſecundarium poſſunt omnia poſſibilia ſimul videri ſingula ſeorſim ſecundum proprias menſuras.*

Probatur. Omnia poſſibilia non poſſunt ſimul poni in actu, ergo nec ſimul videri ab intellectu creato ſecundum proprias rationes, vt quid extractum ſecundum eſſe obiectiuum à Diuina potentia. Antecedens patet. Quia poſſibilia ſunt infinita ſincathegorematicè. Et de ratione huius infiniti eſt, vt implicet poni in actu ſecundum ſe totum cum eſſentialiter conſtet ex actu, & potentia. Rurſus. Semper in Deo remanet potentia, ita vt ſemper tanquam ens per eſſentiam poſſit alio, & alio modo ſe communicare. Conſequentia probatur. Dum poſſibilia cognoſcuntur ab intellectu creato, ponuntur in actu ſecundum eſſe intentionale, ita vt ſi omnia videret, omnia poneret in actu, atque adeò cognoſceret omnia extracta ſecundum eſſe obiectiuum à Diuina potentia, ita vt nihil amplius remaneret extrahendum ſecundum eſſe obiectiuum; hoc autem implicat.

63 Dices. Repugnare tantum poni in actu omnia poſſibilia ſecundum eſſe reale non autem ſecundum eſſe intentionale.

Contra. Quod non repugnat ſecundum eſſe obiectiuum, nec etiam repugnat ſecundum eſſe reale, quia repugnantia attenditur ſecundum eſſe formale, quod eſt idem tam in eſſe obiectiuo, quàm in eſſe reali à parte rei, ergo ſi non repugnat omnia poſſibilia poni in actu ſecundum eſſe obiectiuum, nec etiam repugnabit ſecundum eſſe reale.

64 Dices Beatus videt eſſe ideale creaturarum, & ipſum exprimit in proprio verbo, ergo cum in tali eſſe ideali contineantur omnia poſſibilia, beatus omnia exprimet in proprio verbo.

Reſpondetur. Videre eſſe ideale viſione finita, non autem infinita; & ideo finito modo ipſum exprimit. Ex quo fit, vt ſolum exprimat omnes creaturas, prout communicant in infinitate diuinæ potentiæ, vt repræſentationis idealis, non autem ſingulas ſeorſim vt quid extractum ab eſſe ideali.

65 Dico 4. *Neque poſſunt cognoſci omnia poſſibilia ſimul ſingula ſeorſim per diuerſos actus, & diuerſa verba.*

Probatur. Tum quia omnia poſſibilia adhuc ſimul ponerentur in actu ſecundum eſſe intentionale. Tum quia adhuc deberent produci rationes infinitæ repręſentatiuæ; atque adeo dari virtus infinita expreſſiua, quæ deberet continere infinitos effectus.

66 Dices. Beatus videt intuitiuè ipſum Deum, qui eſt quid infinitum ſimpliciter, & non exprimit verbum infinitum, ergo poterit videre omnia poſſibilia abſque eo, quòd exprimat infinita verba.

Reſpondetur negando conſequentiam. Quia licet Deus ſit infinitus, videtur tamen finito modo; poſſibilia autem non poſſunt omnia ſimul videri, niſi videantur infinito modo, hoc eſt exprimendo infinitas rationes repræſentatiuas; quia deberent videri ſingula ſecundum proprias rationes ſeorſim ab alijs, quod non contingit, quando videtur Deus, quia videtur finito modo ſecundum vnicam rationem infinitam.

67 Dico 5. *Omnia poſſibilia poſſunt videri in Deo, non ſimul, ſed diuiſim ſecundum proprias rationes ſingula ſeorſim ab alijs, ita vt videns Deum, poſſit ſe conuertere modò ad hæc, modò ad illa.* Hoc autem contingit eodem actu viſionis beatæ, quatenus exprimitur verbum ſecundarium repræſentatiuum huius, vel illius poſſibilis, quod ſubordinatur verbo repræſentatiuo Dei: & ideo concurrit ſimul cum ipſo ad eundem actum.

Probatur. Intellectus poteſt attingere quicquid poteſt ponere in eſſe intentionali, & poteſt ponere in eſſe intentionali omne id, cuius habet fœcunditatem; ſed intellectus fœcundus in ordine ad viſionem Dei, eſt etiam fæcundus in ordine ad omnia poſſibilia ſeorſim attingenda, ergo. Minor probatur. Intellectus eo ipſo, quòd eſt fæcundus in ordine ad Deum, eſt etiam fœcundus in ordine ad omnia, quæ continentur in ipſo, ergo erit fæcundus etiam in ordine ad omnia poſsibilia ſeorſim attingenda: quia quæ cognoſcuntur ſimul, vt contenta in aliquo, poſsunt etiam cognoſci ſingula ſeorſim extra ipſum: Sic cognoſcens numerum millenarium poteſt ſeorſim cognoſcere omnia binaria, ternaria, &c. quæ continentur in ipſo formando ſibi de ſingulis proprium conceptum.

68 Dices ſequeretur, quòd Beatus contineret in ſua virtute infinita verba, quod fieri non poteſt, niſi habeat virtutem infinitam.

Reſpondetur negando ſequelam. Quia non exprimit hæc verba in virtute propria, ſed in virtute obiecti, in quo cum contineantur omnia poſsibilia, ſicuti ſufficit fæcundatio ab ipſo proueniens, vt poſsit ea cognoſcere in eodem obiecto: ita etiam ſufficit, vt poſsit ea extrahere ſecundum eſse obiectiuum ab eodem obiecto. Sic cognoſcens numerum infinitum, poſset in virtute eiuſdem fœcunditatis cognoſcere ſeorſim quemlibet numerum finitum, qui in ipſo contineretur.

69 Inſtabis. Verbum non exprimitur niſi in virtute intellectus, & ſpeciei impreſsæ, ergo ſi intellectus poteſt exprimere ſucceſsiuè alia, & alia verba repræſentatiua omnium poſsibilium, habebit virtutem infinitam ſaltem ratione ſpeciei impreſsæ.

Reſpondetur negando conſequentiam. Quia talia verba non producuntur in virtute ſolius ſpeciei impreſsæ, ſed etiam in virtute Diuinarum idearum, quatenus obiectiuo modo determinat intellectum ad formandum conceptum de tali, & tali poſsibili. Vnde ſpecies non concurrit ad formationem talis verbi, niſi vt ſpecies Diuinæ ideæ, atque adeo finito modo; quia non facit cognoſcere poſsibilia niſi ex vi Diuinarum idearum, tanquam obiectum ſecundarium reſultans ex repræſentatione primarij. Sic intellectus ſecundum ſuam virtutem naturalem poteſt cognoſcere alia, & alia obiecta in infinitum, ſi applicentur, producendo alia, & alia verba, licet habeat virtutem finitam, quia ſemper operatur finito modo ex vi determinationis obiectiuę reſpectu aliorum, & aliorum obiectorum.

70 Dices ſecundò ſequeretur viſionem beatam eſse variabilem, quod eſt contra rationem beatitudinis.

Reſpondetur. Eſse variabilem in ordine ad obiectum ſecundarium; non autem in ordine ad primarium, atque adeò non eſse variabilem, vt dicit rationem beatitudinis.

71 Inſtabis. Creaturæ videntur in Deo, ergo non poteſt variari viſio ſecundum obiectum ſecundarium, niſi varietur etiam ſecundum primarium.

Reſpondetur negando conſequentiam. Quia non videntur eadem indiuiſibili repræſentatione, ſed per extenſionem viſionis beatæ, & productionem noui verbi ſecundarij, ſine qua poſſet ſtare attingentia primaria, ſeu viſio ipſius Dei.

72 Ad prim. Primæ ſententiæ. Viſa omnipotentia videri omnia poſsibilia, prout inuicem communicant ſub modo eſſendi actiuo in infinitate Diuinæ potentiæ; non autem ſingula ſeorſim ſecundum proprias rationes, vt ſtant ſub modo eſſendi paſsiuo.

Ad ſecund. Deum repræſentare tàm naturaliter ſe ipſum, quàm creaturas, quando creaturæ conſiderantur vt inuicem communicant in omni-

M poten-

Digitized by Google

potentia; non autem, vt conſiderantur ſingulæ ſeorſim ſecundum proprias rationes.

Ad tertium. Minus eſt videre omnes effectus poſſibiles, quàm Diuinam eſſentiam ex parte obiecti, non autem ex parte cognitionis, quia Diuina eſſentia poteſt videri cognitione finita, non autem omnis effectus poſſibiles ſimul ſumpti, & conſtat ex dictis. Et notat etiam Diuus Thomas *quæſt.* 12. *ar.* 8. *ad* 3.

73 Ad Fundamentum ſecundum ſententiæ negatur ſequela. Quia ad comprehenſionem non ſufficit videri quicquid eſt in Deo ſiue formaliter, ſiue eminenter, ſed debet videri infinito modo, vt dicemus ſuo loco; nam compræhenſio debet adæquare cognoſcibilitatem obiecti.

74 Ex dictis colligitur. Quod ſi omnia poſſibilia eſſent cognoſcibilia in ſe ipſis extra Deum, ſequeretur cognitio infinita, quia videlicet talis cognitio non attingeret Deum; deberet tantum habere infinitatem repræſentationis, vt poſſet repræſentare omnia poſſibilia.

75 Colligitur ſecundò. Poſſe dari viſionem beatam, quæ nullum attingat poſſibile, vt habeat proprium modum eſſendi paſſiuum ſeorſim à quocunque alio; quia talis attingentia habetur per extenſionem prioris cognitionis, & per productionem noui verbi ſecundarij, hæc autem extenſio eſt in poteſtate beati, & ideo poteſt eam ſeparare.

76 Colligitur tertiò. Quomodo ex cognitione omnium poſſibilium inferatur compræhenſio Dei. Infertur enim, ſi talis cognitio attingat omnia poſſibilia ſingula ſeorſim ab alijs ſecundum modum eſſendi paſſiuum; talis tamen cognitio non eſſet formaliter compræhenſio, ſed illam ſupponeret, quia eſſet cognitio infinita, vnde ſupponeret etiam, quod Deus infinito modo videretur, quod etiam habet locum, ſi poſſibilia poſſint cognoſci extra Deum actu diuerſo ab eo, quo Deus attingeretur.

77 Colligitur quartò contra Scotum. Non poſſe eandem viſionem inuariatam ſecundum repreſentationem repræſentare modò hæc, modò illa poſſibilia. Quia repræſentatio, dum eſt in intellectu, repræſentat quicquid poteſt repræſentare; nam repræſentaretur etiam effectus formalis primarius ipſius. Deinde ſi poſſet inuariata repræſentare ſucceſſiuè omnia poſſibilia, haberet in ſe omnem rationem repræſentationis, atque adeò eſſet infinita.

78 Colligitur quintò contra Scotum *in* 4. *diſtinctione* 49. *quæſt.* 3. *artic.* 3. Suar. 3. *parte diſputatione* 26. *ſect.* 4. Molinam 1. *parte quæſtione* 12. *artic.* 8. *diſput.* 5. membro 4. & 7. Nullum beatum poſſe in Deo cognoſcere infinitum, vt docent Ocham *in* 4. *quæſtio.* 13. *artic.* 5. *dubio* 4. Richardus *in* 3. *diſtinctione* 14. *articulo* 2. *quæſtione* 3. Gabriel *quæſtione* 1. *artic.* 1. Smiling. *tractatu* 2. *de Deo vno, diſputatione* 6. *numero* 194. Quia talis viſio deberet continere infinitas repræſentationes correſpondentes infinitis obiectis ſub vna ratione eminentiſſima, quod fieri non poteſt, niſi repræſentatio ſit infinita in ſua ratione quidditatiua repræſentationis, vnde eſſet etiam neceſſaria infinita attentio, quia deberet eſſe proportionata repræſentationi, & deberet eſſe tanta, quantus eſſet concurſus intellectus, ergo eſſet infinitus, ſiquidem eliceret repræſentationem infinitam.

Vnde proueniat, quod hæc potius poſſibilia videantur in Deo, quàm alia.

SECTIO VII.

79 RAtio dubitandi eſt. Quia cum Diuina eſſentia vt cauſa vniuerſalis contineat omnia, eo modo, quo vnum repræſentat, repræſentat etiam cætera, & ideo eſt neceſſaria aliqua determinatio, per quam intellectus determinetur ad hæc potius videnda, quàm illa. Omiſſis autem varijs reſponſionibus.

80 Dico Primò. *Non poſſe oriri ex diuerſa differentia indiuiduali luminis gloriæ, quod hæc potius poſſibilia ſecundum ſpeciem, quàm alia videantur, atque adeò nec etiam ex differentia indiuiduali viſionis beatæ.* Eſt contra Suar. *lib.* 2. *de Deo vno cap.* 26. & 27. Granad. *prima parte tractatu* 6. *diſp.* 1. *ſectione* 6. Gonzal *diſput.* 31. & alios Recentiores.

Probatur. Quodlibet indiuiduale lumen poteſt tendere in obiectum formale, & primarium, cum ſit manifeſtatiuum ipſius Dei, ergo etiam in quodlibet materiale, ſeu ſecundarium, atque adeo in quodlibet poſſibile, quia creaturæ attinguntur vt obiectum ſecundarium. Sic etiam habitus fidei, & charitatis, quia tendunt in obiectum primarium, poſſunt etiam attingere quodlibet ſecundarium.

81 Dico ſecundò. *Neque ratione differentiæ indiuidualis luminis gloriæ prouenit, vt ex pluribus in Diuinis eiuſdem ſpeciei hæc potius videantur, quàm illa.* Eſt contra nonnullos Recentiores.

Probatur. Omnes potentiæ, & habitus tàm naturales, quàm ſupranaturales, qui poſſunt attingere aliqua indiuidua alicuius ſpeciei, poſſunt etiam attingere omnia, vt patet inductione. Et ratio eſt, quia cum attingant ſub aliqua ratione formali communi, & non ſub eſſe indiuiduali, poſſunt attingere ea omnia, in quibus talis ratio formalis proportionatiua reperitur, ergo lumen gloriæ, quod poteſt attingere aliqua indiuidua alicuius ſpeciei, poterit etiam attingere cætera.

82 Dico tertiò. *Nec ex diuerſitate intenſionis luminis fit, vt hæc potius poſſibilia, quàm illa videantur, ſiuè ſecundum ſpeciem, ſiuè ſecundum indiuiduationem.* Eſt contra Capreol. *in* 4. *diſtinct.* 49. *quæſt.* 2. *artic.* 3. Bannes 1. *p. quæſtione* 12. *articulo* 8. Faſol. *dubio.* 22. Molinam *diſputat.* 5. *membro* 1, Vaſquez *diſput.* 50. *n.* 27. & alios.

Probatur. Lumen gloriæ non variatur ratione intenſionis ſecundum ſpeciem, aut virtutem productiuam, ſed tantum ſecundum magis, & minus, ergo ex diuerſa intenſione non poteſt fieri, quod hæc potius poſſibilia, quàm illa videantur. Conſequentia probatur. Effectus proportionatur cauſæ, & ea ſolum diuerſitas poteſt ex vi cauſæ redundare in effectum, quæ eſt in ipſa cauſa, ergo ex diuerſa intenſione virtutis cauſatiuæ ſequetur ſolum effectus magis, vel minus intenſus, non autem diuerſa ratio repræſentatiua.

83 Dices. Maiorem intenſionem facere, vt magis penetretur obiectum primarium, & ratione maioris penetrationis videri plura poſſibilia.

Contra ex maiori intenſione habetur ſolum diuerſitas in viſione, non autem in obiecto primario, ita vt aliquid amplius in ipſo cognoſcatur, & diuerſitas viſionis in eo ſolum conſiſtit, quod intenſius manifeſtet obiectum primarium, ergo ex maiori intenſione non fit, quod plura poſſibilia videantur; quia intenſio non variat formalem rationem repræſentationis, ſed tantum perficit.

Confirmatur. Ideò ratione maioris luminis ſenſibilis poſſunt aliqua penetrari in obiecto ſenſibili, quia lumen ſe tenet ex parte obiecti, & ipſum perficit in eſſe viſibili, ita vt poſſit ſecundum aliquid mouere potentiam, ſecundum quod antea non poterat. Lumen autem gloriæ non ſe tenet ex parte obiecti, nec ipſum perficit; ſed ſe tenet ex parte potentiæ. ergo

84 Dico quartò. *Lumen gloriæ ex ſui natura reſpicit omnia poſſibilia vt cognoſcibilia in verbo nec magis eſt determinatum ad vnum, quàm ad aliud.*

Probatur. Quodlibet lumen gloriæ ſecundum quamlibet intenſionem ex ſua ſpecifica ratione reſpicit obiectum primarium formale ſecundum omnes ſuas perfectiones, alioquin non eleuaret ad videndum Deum, ergo quantum eſt de ſe, reſpicit omnia poſſibilia. Conſequentia Probatur. Omne lumen, quod

Digitized by Google

quod reſpicit aliquod obiectum primarium, & formale, habet eandem latitudinem, quam habet obiectum, ſi quidem ab ipſo ſpecificatur, ergo cum obiectum primarium ſe extendat ad omnia poſſibilia, ita vt omnia ſint cognoſcibilia ſub determinatione ipſius etiam lumen ad omnia ſe extendet.

85 Dices primò. Obiectum formale poſſe conſiderari ſecundum diuerſum gradum attingibilitatis, & huic diuerſo gradui correſpondere diuerſum lumen, & etiam diuerſa poſſibilia.

Contra. Lumen gloriæ attingit Deum ſecundum omnem perfectionem, quæ eſt in ipſo formaliter, ergo etiam ſecundum omnem gradum attingibilitatis; quia cum cognoſcibilitas ſequatur eſſe, non poteſt poni diuerſus gradus cognoſcibilitatis, niſi ponatur diuerſus gradus perfectionis.

86 Dices ſecundò. Creaturas poſſe cognoſci in Deo dupliciter nempe comprehenſiuè; vel tantum intuitiuè, vt autem cognoſcantur comprehenſiuè, requiritur certus gradus luminis commenſuratus connexioni earum cum Deo.

Contra, Ergo erunt intuitiuè viſibiles ſaltem per quodlibet lumen. Deinde quodlibet lumen attingit omnem gradum perfectionis in Deo, alioquin non attingeret totum Deum ſub ratione entis infiniti, ergo poteſt attingere omnem gradum quem ſupponit quælibet connexio cuiuſcumq; creaturæ cum Deo.

87 Dico quintò. *Neque ex diuerſa determinatione obiectiua proueniente à Diuina eſſentia, fit vt hæc potius poſſibilia, quàm alia videantur*. Eſt contra Arrubal *prima parte diſputat. 26. cap. 2.* Machinum diſput. 9. ſec. 5. & alios Recentiores.

Probatur. Diuina eſſentia vnitur intellectui ſecundum illam rationem, ſecundum quam eſt ratio cognoſcendi poſſibilia, ergo non determinat ad hæc potius, quàm illa, ſed ad omnia. Antecedens patet. Quia niſi vniretur ſecundum talem rationem non attingeretur Deus ſecundum aliquam perfectionem, qua conſtituitur in eſſe Dei. Conſequentia probatur. Determinatio obiectiua fit ab obiecto motiuo in ordine ad ea, reſpectu quorum eſt ratio cognoſcendi. Diuina autem eſſentia, vt continet poſſibilia, eſt obiectum motiuum reſpectu ipſorum, & omnia ſibi ſubſternit. ergo

Confirmatur. Secundum vnam, & eandem rationem formalem, & idealem nempe omnipotentiam, eſt ratio cognoſcendi omnia poſſibilia, ergo non poteſt vniri, vt eſt ratio cognoſcendi aliquod, niſi vniatur vt eſt ratio cognoſcendi omnia.

88 Dices primò. Licet vniatur, non tamen monet ad omnia cognoſcenda.

Contra, Vnitur vt mouens actu ad cognitionem ſui ipſius, ergo vt mouens ad cognoſcenda omnia poſſibilia, quia mouet ad ea cognoſcenda eo ipſo, quod mouet ad cognitionem ſui ipſius.

89 Dices ſecundò. Poſſibilia omnia non eſſe cognoſcibilia, vt ſtant quocunque modo ſub obiecto formali primario, ſed vt ſtant ſub ipſo comprehenſiuè cognoſcibili.

Contra. Comprehenſibilitas non eſt ratio continendi omnia poſſibilia, ſed omnipotentia, vt talis eſt, ergo cum Deus cognoſcatur ſecundum rationem omnipotentiæ, mouet ad cognoſcendum omnia poſſibilia, quia quando obiectum manifeſtatur ſecundum vnam, & eandem formalem rationem, qua reddit aliquid cognoſcibile, facit etiam ipſum manifeſtare.

90 Dices tertiò. Comprehenſibilitatem non eſſe quidem rationem cognoſcendi, eſſe tamen conditionem, ſub quâ ratio cognoſcendi debet attingi, vt faciat innoteſcere omnia poſſibilia.

Contra. Obiectum materiale, & ſecundarium poteſt ſecundum ſe totum attingi, etiamſi primarium non attingatur comprehenſiuè; Sic oculus poteſt attingere omnes colores, etiamſi non attingat comprehenſiuè colorem; intellectus poteſt attingere omnia reuelabilia, etiamſi non attingat comprehenſiuè obiectum formale, nempe Diuinam veracitatem; voluntas poteſt amare ex charitate totum obiectum ſecundarium, etiamſi non amet comprehenſiuè Deum qui eſt obiectum primarium. ergo

91 Dico ſextò. *Prouenire ex voluntate beatorum, quod hæc potius poſſibilia, quàm alia videantur, quatenus habentes intellectum fæcundum in ordine ad omnia, & ea cognoſcentes, vt contenta in Diuina omnipotentia, poſſunt vti tali fæcundatione, modo in ordine ad hæc, modo in ordine ad illa, extrahendo ipſa ſecundum eſſe obiectiuum à Diuina Omnipotentia*.

Probatur. Intellectus eſt fæcundus in ordine ad formalem rationem, quâ Deus facit innoteſcere poſſibilia, cum ſit fæcundus in ordine ad omnipotentiam, vt infinito modo ſe habentem, ergo eſt fæcundus in ordine ad omnia poſſibilia, quatenus continentur in Diuina potentia, ergo poterit ad libitum conſiderare extra Diuinam potentiam modo hæc, modo illa.

92 Dices. Voluntas non poteſt velle incognitum, ergo non poteſt applicare intellectum ad hæc vel illa poſſibilia cognoſcenda, quia cum non ſint cognita, non poteſt velle, quòd ſint obiectum cognitionis.

Reſpondetur negando conſequentiam. Quia ſufficit, quod præcognoſcantur, vt contenta in Diuina Omnipotentia, & quod præcognoſcantur tanquam ea, quæ poſſunt extrahi ab ipſa ſecundum eſſe reale, & ſecundum eſſe obiectiuum.

An Exiſtentia cognoſcantur in Verbo?

SECTIO VIII.

93 Dicendum eſt. *Exiſtentia poſſe cognoſci in Verbo formaliter*. Ita communiter cum D. Thoma *prima parte quæſtione 12. artic. 8.* Et deſumitur ex Diuo Dionyſio *capite 7. & 8. de Diuinis nominibus*, vbi docet, Angelos ſuperiores illuminare inferiores de his, quæ cognoſcunt in verbo. Et ex Diuo Auguſtino libro 4. *de Geneſi* ad litter. cap. 24. 29. 30. & ſequen. vbi diſtinguit in Angelis duplicem cognitionem eorum, quæ facta ſunt nempe vnam quâ cognoſcuntur in ſe ipſis, & aliam quâ cognoſcuntur in verbo.

Probatur. Eſſentia Diuina poteſt in ratione obiecti fecundare intellectum in ordine ad exiſtentia, ergo exiſtentia poſſunt in ipſa cognoſci, vt in obiecto motiuo, quod non eſt aliud, niſi quod eſſentia Diuina moueat ad cognitionem exiſtentium, dum mouet ad cognitionem ſui ipſius. Antecedens patet. Quia eſſentia Diuina continet eſſe creaturarum, atq; adeò earundem intelligibilitatem, & ideo poteſt emittere fæcunditatem in ordine ad ipſas.

94 Dicendum ſecundò. *Exiſtentia de facto videri in Verbo*. Probatur. Talis cognitio pertinet ad integritatem beatitudinis, ergo viſio Dei, in qua fundatur beatitudo, debet ſe extendere ad huiuſmodi obiectum.

95 Dicendum tertiò. *Exiſtentia cognoſci per extenſionem viſionis Dei, per verbum ſecundarium ſubordinatum verba expreſsiua Diuinæ Eſſentiæ*.

Probatur. Non poſsunt cognoſci vt contenta in Diuina eſsentia, cùm ſint extra ipſam, vt quid productum, ergo per extenſionem cognitionis, cum non poſſint exprimi eodem verbo, quo exprimitur Diuina eſsentia.

96 Dices primò. Sequeretur, quod quilibet beatus poſset cognoſcere omnia exiſtentia, nam videt Diuinam eſsentiam, quæ eſt omnium repræſentatiua, & fæcundat intellectum in ordine

Digitized by Google

ad omnia. Reſpondetur negando ſequelam. Quia fæcundatio intellectus beati fit ſecundum ipſius exigentiam; vnde licet fæcunditas ſit talis, vt ſufficiat pro omnibus, non eſt tamen debitus concurſus in ordine ad omnia; vnde neque in actu primo beatus poteſt omnia cognoſcere, quia fæcunditas non habet concurſum paratum, niſi in ordine ad ea, quæ debet beatus cognoſcere.

97 Dices ſecundò. Exiſtentia non ſunt in Deo vt in cauſa, ergo non poſſunt in ipſo videri, præſertim cum non habeant neceſſariam connexionem cum ipſo.

Reſpondetur diſtinguendo conſequentiam. Non poſſunt in ipſo videri, vt in obiecto terminatiuo, poſſunt tamen videri vt in obiecto motiuo; quia ex eo, quod eſt cauſa exiſtentium, poteſt fæcundare intellectum in ordine ad ipſorum cognitionem.

98 Dices tertiò. Exiſtentia non poſſunt cognoſci in decreto libero, tum quia nihil addit ſupra neceſſarium, tum quia non viderentur intuitiuè, ſed abſtractiuè, ergo non poſſunt cognoſci in Deo.

Reſpondetur. Non poſſe cognoſci in decreto libero adæquatè, poſſe tamen cognoſci in ipſo, & ſimul in eſſentia Diuina, quatenus continet eſſe ipſorum, & fæcundat in ordine ad ipſa, vnde ſolùm ſequitur, quod non cognoſcantur vt contenta in Deo: non autem quod non cognoſcantur in Deo, vt in motiuo cognoſcendi.

99 Ex dictis colligitur. Beatos videre præterita, & futura ſub ratione præteriti, & futuri, quia ea cognoſcunt, vt ſunt, vnde non cognoſcunt intuitiuè, quia cognitio intuitiua requirit obiectum præſentialiter in ſe ipſo exiſtens, quod non habet locum in præteritis, & futuris reſpectu beatorum.

Quænam exiſtentia videantur de facto à Beatis.

SECTIO IX.

100 Dico primò. *Beati vident in Verbo hoc vniuerſũ cũ omnibus ſuis perfectionibus, diſpoſitione, & ordine.* Ita communiter, & deſumitur ex D. Auguſtino *lib. 4. de Geneſi ad litteram cap. 29.* Probatur. Beati habent naturale deſiderium innatum, & elicitum cognoſcendi veritates naturales, ergo cum hoc deſiderium ſit rationabile, debet ex vi beatitudinis expleri.

101 Dico ſecundò. *Beatus videt in ſingulari ea, quæ de exiſtentibus cognoſcit.* Ita Diuus Thomas *prima parte quæſtione* 85. *articulo* 8. & alij contra Smiſing. *tractatu* 2. *de Deo vno diſputatione* 6. *numer.* 220. & alios.

Probatur. Appetitus naturalis eſt ad cognoſcendas res in eſſe indiuiduali, quia non poſſunt cognoſci vt exiſtentia, niſi cognoſcantur in indiuiduo, ergo talis appetitus debet expleri.

102 Dico tertiò. *Beati cognoſcunt omnia myſteria fidei, quæ in via crediderunt ſiue explicitè, ſiue implicitè, atque adeo totum ordinem ſupernaturalem.* Deſumitur ex Diuo Auguſtino *libro* 2. *de Ciuitate cap.* 25. Et Diuo *Gregorio lib.* 18. *Moralium.*

Probatur. Fides euacuabitur iuxta illud 1. corinthiorum 17. *Cum venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt*, ergo beatus clarè videbit, quæ credidit, alioquin remaneret in ipſo appetitus rationabilis non ſatiatus.

103 Dico quartò. *Beati vident ea omnia ex contingentibus, quæ pertinent ad ipſorum ſtatum:* Ita communiter cum Diuo Thoma *quæſtione* 12. *articulo* 8. & 4.

Probatur. Cognitio ſui ipſius eſt debita cognoſcenti, ergo perfectè cognoſcenti eſt debita cognitio omnium, quæ cum ipſo connexa ſunt. Omnia autem ſunt connexa, quæ pertinent ad ſtatum cognoſcentis. Hinc Beati cognoſcunt, quæ liberè à nobis fiunt per actus exteriores, & ſpectant ad ſtatum ipſorum, vnde Fundatores Religionum vident omnia, quæ pertinent ad religionem. Principes quæ pertinent ad principatum, Patres familias, quæ pertinent ad domum, vident etiam ea quæ ad ipſos diriguntur, & alia huiuſmodi.

104 Obijcies ex Diuo Auguſtino *lib... de cura pro mortuis c.* 13. vbi docet, Mortuos neſcire, quid agatur apud nos, ſed audire ab eis, qui dum moriuntur perueniunt ad ipſos.

Reſpondetur. Diuum Auguſtinum hoc dixiſſe dubitando, vel ſolum velle, quod non poſſint ſcire quæ apud nos aguntur, quia ſunt à nobis loco diſtantes, niſi eis ſpecialiter reuelentur, hæc autem reuelatio fit Beatis in verbo, quòad ea, quæ concernunt ſtatum ipſorum, quo autem ad cætera, fit ipſis manifeſtatio ab ijs, qui moriuntur.

105 Dico quintò. *Beati non cognoſcunt libera decreta Dei de futuris contingentibus, nec ſecreta cordis, niſi ſpecialiter ad ipſos pertineant.*

Probatur. Danielis 10. vnus Angelus reſtitit alteri, quia neſciebat decretum Dei. Et ratio eſt, quià liberæ cogitationes habent rationem ſecreti, & ideo non ſunt manifeſtandæ, niſi ex ſpeciali conſenſu illius, cuius ſunt cogitationes.

106 Obijcies ex Diuo Auguſtino *libro vltimo de Ciuitate Dei capite* 29. vbi habet, Quod noſtræ cogitationes nobis inuicem patebunt. Et *Epiſtola* 6. Tunc *nihil latebit proximi nec erit quid ſuis quiſque aperiat, abſcondat alienis.* ergo &c.

Reſpondetur loqui de ſtatu beatitudinis poſt diem Iudicij, quando erit omnino perfectus; tunc enim nulla cogitatio Beatorum habebit rationem ſecreti, quia beati erunt inuicem vniti per ſummam charitatem in vltimo fine, & omnes cogitationes tendent in gloriam Dei, atque adeo pertinebunt ad ſtatum beatitudinis.

107 Dico ſextò. *Beati vident exiſtentia, prout ſucceſſiuè ponuntur in actu per expreſſionem verbi ſecundarij.* Probatur; viſio Beati poteſt creſcere extenſiuè quòad obiectum ſecundarium, ergo cum cognitio futurorum, antequam exiſtant, non ſit debita Beatis, neque cognoſcent ipſa, niſi quando exiſtunt.

108 Obijcies ex Diuo Auguſtino libro 15. de Trinitate cap. 16. *Fortaſſis volubiles non erunt noſtræ cogitationes, ab alijs in alias euntes, atque redeuntes, ſed omnem ſcientiam noſtram vnico ſimul conſpectu videbimus.*

Reſpondetur intelligere, quod non erunt volubiles circa obiecta, quæ ratione exiſtentiæ ſunt in ſe cognoſcibilia, non autem, quòd non attingantur de nouo, quæ de nouo fiunt.

109 Ex dictis colligitur. Quomodo ſint intelligendi aliqui Patres, quando videntur tribuere Beatis cognitionem omnium præexiſtentium, & futurorum, non enim intelligunt de omnibus ſimpliciter, ſed de his ſolum, quorum cognitio eſt ipſis debita ratione ſtatus. Vel etiam poſſunt explicari, quod intelligant de Beatis poſt vniuerſalem reſurrectionem, quando beatitudo erit in ſtatu omnino perfecto.

An

An Præterita, & futura cognoſcantur à Beatis per propriam ſpeciem.

SECTIO X.

110 Dicendum eſt. *Cognoſci per propriam ſpeciem, ita vt repræſententur ſecundum exiſtentiam, & cum coexiſtentia ad tempus, cui coexiſtunt, & diſtantia temporis præteriti, vel futuri à tempore præſenti*. Eſt contra Vading. *diſputatione 6. de Incarn. dubio 7. §. 2. & 3.* Probatur. Præterita, & futura ſunt cognoſcibilia vt talia per propriam ſpeciem, quia omne cognoſcibile eſt perfecto modo intelligibile, & dicit ordinem ad intellectum, vt proprium obiectum ipſius. Proprium autem obiectum exigit intelligi per propriam ſpeciem, vt perfecto modo intelligatur. Confirmatur. Species aliena ſupplet defectum propriæ, quatenus per accidens deeſt, & ſi eſſet impoſſibiliter, nec per alienam ſpeciem poſſet obiectum intelligi, quia non eſſet repræſentabile. ergo

111 Obijcit Vadingus. Species repræſentans rem exiſtentem eſt impoſſibilis, niſi dependeat ab eſſe exiſtentiæ ergo eſt impoſſibilis ſpecies futuri, vt futuri. Antecedens probatur. Nam alioquin ſequeretur, quod ex natura ſua eſſet principium tàm apprehenſionis veræ, quam falſæ quia poſſet repræſentare obiectũ vt exiſtens, etiamſi non exiſtat. Reſpondetur. Quicquid ſit de antecedenti, negatur conſequentia. Quia ſufficit, quod ſpecies futuri repræſentet exiſtentiam ſimul cum futuritione, quod fit dum repræſentatur exiſtentia rei, & coexiſtentia ad tale tempus, & diſtantia talis temporis à tempore præſenti.

An Deus ſit viſibilis à Viatoribus, & an quis eum viderit.

SECTIO XI.

112 Supponendum eſt de potẽtia ordinaria non poſſe videri, vt doceat, communiter cum D. Tho. 1. *parte quæſtione* 12. *articulo* 11. & eſt de Fide 1. Timot. vltimo, *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*. Et ita etiam communiter docent Patres; quia terminus, ſeu aſſequutio vltimi finis non debetur homini, quamdiù eſt in via.

113 Supponendum ſecundò. De potentia abſoluta, & ex diſpenſatione poſſe videri in hac vita, vt docet communiter cum Diuo Thoma *citato*, & patet in Chriſto, qui ſimul fuit viator, & compræhenſor; neque enim adeſt vlla repugnantia, quod intellectus eleuetur per lumen gloriæ, etiam dum anima eſt vnita corpori. Vnde ſolum difficultas eſt, an de facto fuerit diſpenſatum alicui, vt in hac vita videret Deum, ſaltem per breui tempore. Quam plures autem concedunt hanc diſpenſationem Beatæ Virgini, Moyſi, & Diuo Paulo. Alij verò etiam nonnullis prophetis, vt Eſaiæ, & Ezechieli. Alij etiam Adamo, Alij etiam Ioanni Euangeliſtæ, Alij etiam Diuo Petro: Iob, & Diuo Hieronymo, & Benedicto: Sancto Ioſeph & Sancto Stephano, & denique alij etiam Diuo Franciſco.

114 Dicendum eſt. Cum nullo puro homine fuiſſe diſpenſatum, vt in hac vita videret Deum intuitiuè, etiam pro breuiſſimo tempore. Ita Molina 1. *p. quæſt.* 12. *artic.* 1. *diſputat.* 2. Vaſquez *diſput.* 15. *&* 56. Trigoſus *quæſt.* 7. *articulo* 3. *dubio* 1. Granad. *tractatu* 7. *diſput.* 1. Salas *prima ſecunda trac.* 2. *diſp.* 10. *ſec.* 4. Lorca *diſput.* 31. *de Beatit.* Deſumitur autem ex Diuo Dionifio *Epiſtola* 1. *ad Caium. & capite* 4. *de cælos Hierar. & capite* 1. *de myſtica Theologia*. Euariſto Papa *epiſtola* 1. *decretalium*. Baſilius *Oration.* 20. Athanaſ. *quæſtione* 12. *ad Antonium*. Ambroſius *capitulo* 8. *de fide contra Arianos*.

Probatur Ioan. 6. *Numquid Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo; hic vidit Patrem* 1. Timoth. 6. *Qui lucem habitat in acceſſibilem, quam nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.*

Confirmatur. In lege ordinaria non debet introduci diſpenſatio, niſi de ipſa conſtet; non conſtat autem, quòd alicui facta fuerit huiuſmodi diſpenſatio, imò ſcriptura, & Patres id negant, præſertim quòad eos, de quibus poteſt dubitari, an cum ipſis fuerit diſpenſatum, vt de Moyſe, & Paulo. ergo

115 Obijcies Moyſes dicitur vidiſse Deum facie ad faciem. ergo

Reſpondetur, vidiſſe ſub corporali ſpecie, non autem viſione quidditatiua, vnde Deus dixit ipſi. *Non videbit me homo, & viuet.*

116 Obijcies ſecundò. Paulus raptus eſt vſq. ad tertium cælum, & audiuit arcana verba, ergo. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia per arcana verba intelliguntur aliqua ſecreta myſteria, non autem viſio Diuinæ eſſentiæ.

117 Obijcies tertiò. Prophetæ dicuntur vidiſſe Deum. ergo

Reſpondetur. Vidiſſe Deum corporali apparitione, vndè Iſaias, *Vidi Dominum ſedentem*.

DE MEDIO, QVO DEVS eſt viſibilis.

DISPVTATIO XLIX.

An ſit poſſibilis ſpecies impreſſa in ordine ad videndum Deum intuitiuè.

SECTIO I.

1 Nomine ſpeciei impreſſæ intelligimus aliquam entitatem creatam, quæ compleat, & determinet intellectum ad videndum Deum, ſicut contingit in cæteris cognitionibus.

Prima Sententia negat, eſſe poſſibilem. Ita Durandus *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. Sotus *ibidem* Palud. *quæſtio.* 1. Capreolus *quæſt.* 5. Palat. *diſp.* 9. Ferrar. 3. *contra Gentes cap.* 49. Caietanus 1. *parte quæſt.* 12. *articulo* 2. Bannes *dubio* 1. Zumel *diſp.* 2. Nazar. *controu.* 1. Amicus *diſput.* 9. *ſectio* 4. Gonzalez *diſputat.* 25. *ſectione* 3. Granad. *tractat.* 4. *diſputat.* 5. *ſectio.* 3. Salmaticen. *tractat.* 2. *de viſione diſputat.* 2. *dubio* 4. & communiter Thomiſtæ.

Probant. Speciei, & obiectum ſunt eiuſdem rationis, licet differant in modo eſſendi, ſiquidem ſpecies dicit in eſse intentionali, quod dicit obiectum in eſse reali, nihil autem poteſt eſse eiuſdem rationis cum Deo.

2 Species non debet excedi ab obiecto in gradu immaterialitatis, ſicut neque etiam debet excedi intellectus, vt connaturaliter attingat obiectum. Implicat autem ſpecies, quæ non excedatur à Deo in gradu immaterialitatis, cum nulla ſpecies poſſit eſse actus purus, ſicuti eſt Deus.

3 Quo obiectum eſt perfectius, eò perfectior debet eſse ſpecies, cum ipſi proportionetur, ergo cum obiectum eſt infinitè perfectum, debet ſpecies eſse infinitè perfecta, quod implicat.

Digitized by Google

4 Etiam ſi ſpecies ſit extra obiectum, connotat tamen in ipſo indigentiam, quia ſupponit non habere totam intelligibilitatem. Hoc autem non habet locum in Deo, cum ſit actu, & proximè intelligibilis per eſſentiam.

5 Productio talis ſpeciei non eſſet Deo libera, quia ſpecies emanat naturaliter ab obiecto; vnde ſicut eſſentia in Deo præcedit voluntatem, ita etiam præcederet emanatio ſpeciei conſequens eſſentiam, & anteuerteret voluntatem, ergo talis ſpecies eſſet adæquata intelligibilitati Diuinæ, atque adeo infinita cauſans cognitionem comprehenſiuam.

6 Species ſe tenet ex parte obiecti, ita vt ſit accidens obiectiuum, & complementum obiecti, ſed Deus non poteſt compleri ab aliquo extrinſeco. ergo

2 Secunda ſententia aſſerit, eſſe poſſibilem; ita Diuus Bonauentura *in 3. diſtinct. 14. articulo 1. quæſtione 3.* Argentinas *quæſtione vnica articulo 1. ad 3. & 6.* Aureolus *quodlib. 8. articulo 1.* Scotus *in 2. diſtinctio. 3. quæſtione 9.* Mayronius *quæſtione 15. articulo 2.* Molina 1. *parte quæſtione 12. articulo 2. diſputat. 1.* Vaſquez *diſputation. 38.* Suarez *lib. 2. de Deo vno cap. 13.* Smiſing *tractatu ſecundo de Deo vno diſputa. 6. numero 69.* Aegidius *lib. 8. de Beatitud. quæſtione 2. articulo 2.* & alij.

3 Dico primò. *Non eſt poſſibilis repræſentatio creata, quæ, vt quod, repræſentet Deum.*

Probatur. Repræſentatio *vt quod,* debet in ſe continere repræſentatum ſecundum id, quod de ipſo repræſentat. Non poteſt autem aliquid creatum continere in ſe quidditatem Dei. ergo

4 Dices. Non eſſe neceſſe, quod contineat eſſe Dei ſubſtantiali modo; ſed ſufficere, ſi contineat repræſentatiuè, ſicuti imago Cæſaris continet Cæſarem tantum repræſentatiuè. Contra. Imago non repræſentat formaliter ſubſtantiam corporis, ſed tantum molem corporis, cum figura diſpoſitione membrorum, colore, &c. Hæc autem omnia ſunt formali modo in imagine.

5 Dices ſecundò. Sicuti imago parua poteſt repræſentare magnum corpus; ita etiam repræſentatio finita poterit repræſentare infinitum.

Contra. Ideò parua imago poteſt repræſentare magnum corpus, quia eadem figura, & modus eſſendi quantitatiuus poteſt ſubſiſtere in minori, & minori proportione quantitatis. Sed perfectiones Diuinæ, non poſſunt eſſe in minori proportione virtualis quantitatis, quia eo ipſo, quod eſſent in perfectione finita, deſtruerentur. ergo

6 Dico ſecundò. *Non implicat ſpecies impreſſa, quæ ſit virtus fæcundatiua intellectus in ordine ad viſionem quidditatiuam Dei.*

Probatur. Lumen gloriæ eleuans intellectum exigit determinari obiectiuo modo, ergo hoc determinatiuum debet eſſe ipſi connaturale, cum ſit ſecundum exigentiam ipſius, ergo non poteſt eſſe Diuina eſſentia, ſed debet eſſe quid finitum; quia cum lumen ſit quid finitum, exigit etiam connaturale determinatiuum finitum. Eſſentia autem Diuina, ſi haberet rationem ſpeciei impreſſæ, eſſet infinita, ergo non poſſet eſſe connaturale determinatiuum luminis glorię, ergo eſt poſſibilis ſpecies impreſſa, quę ſit connaturale determinatiuum.

7 Dices. Lumen glorię non exigere connaturale determinatiuum, quia viſio non eſt connaturalis videnti, & lumen glorię ſe habet vt eleuatiuum.

Contra. Etſi lumen glorię ſit eleuatiuum, & viſio non ſit connaturalis beato, adhuc tamen eſt ſecundum exigentiam luminis glorię, ergo etiam determinatiuum, cuius virtute ſit viſio, erit ſecundum exigentiam luminis, ergo connaturale.

8 Confirmatur. Viſio Dei, vt talis, poteſt dependere à cauſa creata, ergo eſt etiam poſſibilis in ordine creato cauſa adęquata, atque adeo ſpecies. Conſequentia probatur. Viſio ex ratione ſua non dicit immediatum ordinem ad virtutem increatam; diceret autem, ſi non eſſet poſſibilis ſpecies impreſſa.

9 Confirmatur ſecundò. Quando in ordine creato eſt poſſibile aliquod principium effectus indiuidualis, eſt etiam poſſibile principium totale determinatum, ergo cum ſit poſſibile lumen glorię vt principium viſionis Dei, & viſio ſit indiuidualis, erit etiam poſſibilis ſpecies, vt complementum talis principij. Antecedens probatur. Quia effectus, vt talis, non excedit virtutem creatam; Sit econtra; quia creatio excedit virtutem creatam, non eſt poſſibile principium creatum ipſius, licet incompletum.

10 Dices. Viſionem Dei dicere ordinem immediatum etiam ad obiectum.

Contra. Non dependet ab obiecto, niſi quatenus vitalis expreſſio illius, ergo non dependet niſi mediante potentia, à qua vitaliter exprimitur obiectum, ergo potentia vitaliter expreſſiua debet conſtitui in tali ſtatu, vt poſſit virtualiter exprimere, atq. adeo per aliquod diſtinctum ab obiecto, cum obiectum non ſit vitaliter expreſſiuum ſui ipſius.

11 Ad primum negatur aſſumptum. Nam ſpecies impreſſa non eſt formalis ſimilitudo obiecti, ſed tantum virtualis. Deindè ex eo, quod ſpecies expreſſa dicat in eſſe intentionali, quod dicit obiectum in eſſe reali, non ſequitur, quod ſit eiuſdem rationis, ſed diuerſę, quia non eſt conformis in eſſendo, ſed ſolum in repręſentando, repręſentatio autem intentionalis *vt quo,* & eſſe reale non ſunt eiuſdem rationis.

Ad ſecundum. Diſtinguo Antecedens. Species non debet excedi ab obiecto in gradu immaterialitatis, quando eſt ipſi adęquata, & ordinatur ad ipſum repręſentandum vt connaturale obiectum illius atq. adeo ad cognitionem comprehenſiuam, ſecus autem, quando non ordinatur ad connaturaliter repręſentandum, nec ad cognitionem comprehenſiuam, atque adeo non eſt adequata obiectũ.

Ad tertium. Speciem creſcere ſecundum proportionem obiecti, quando eſt ipſi adęquata, & quando obiectum mouet ſecũdum ſuam adęquatam intelligibilitatem. In caſu autem noſtro Deus mouet finito modo, & ideo ſpecies non creſcit ſecundum proportionem ipſius.

12 Ad quartum negatur aſſumptum. Quia ſpecies non ponitur ob indigentiam obiecti, ſed ob indigentiam potentiæ, nec vt obiectum fiat intelligibile obiectiuo modo, ſed vt fæcundetur potentia, & fiat completè intellectiua, & obiectum fiat intelligibile virtuali modo, hoc eſt contineatur in virtute potentiæ intellectiuę in ordine ad expreſſionem, per quam ex vi ſpeciei impreſſę fiat intelligibile formali modo.

Ad quintum negatur ſequela. Quia ſpecies non emanat naturaliter à Deo, neque anteuertit voluntatem ipſius ſed producitur per potentiam ſubordinatam voluntati, virtus enim productiua ſpeciei in quocunque obiecto eſt aliqua potentia, & ideo in Deo coaleſcit in eadem rationem omnipotentiæ.

Ad ſextum negatur aſſumptum. Quia ſpecies non dat aliquam actualitatem obiecto, aut complementum, ſed eſt complementum potentię, & ſolum ſe tenet ex parte obiecti, vt virtus ipſius qua fæcundatur potentia.

13 Quæres. Quid dicendum de mente Diui Thomæ. Reſpondetur eſſe obſcuram; nam aliquando videtur ſolum negare ſpeciem quæ ſit medium *vt quod,* aliquando etiam, quæ ſit medium *vt quo* vnde videndi ſunt expoſitores.

Digitized by Google

An de facto Deus videatur per ſpeciem impreſſam.

SECTIO II.

14 PRima ſententia eſt negatiua; vult enim, quod Diuina eſſentia vniatur intellectui loco ſpeciei impreſſę. Ita ij, qui negant poſſibilitetem ſpeciei impreſſæ, & etiam ferę omnes qui eam admittunt, *eſt præced. citati*.

Probant obiectum eſt maximè intelligibile, eſt ſufficienter vnitur cum intellectu, ergo fruſtrantia eſt ſpecies impreſſa.

2 Species ponitur ad ſupplendam diſtantiam obiecti, & ipſius impotentiam, ergo non datur, quando obiectum eſt potens, & indiſtans, vt in caſu noſtro.

15 Secunda ſententia aſſerit, Deum de facto videri per ſpeciem impreſſam, ita Diuus Bonauentura *in 3. diſtinct. 14. artic. 1. quæſt. 3*, Aureolus *quodlib. 5. Aegidius* Luſitanus *lib. 8. de Beatitudine parte 2. quæſt. 3. art. 3.* Turrian. *opuſculo de poſſibilitate ſpeciei impreſſæ, dub. 13.* & hanc ſententiam putant probabilem, Richardus *in 3. diſt. 14. artic. 1.* Argentinas *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 2. ad 3.*

16 Dicendum eſt *Deum de facto videri per ſpeciem impreſſam creatam*. Probatur, Eſſentia Diuina non poteſt habere rationem ſpeciei impreſſę, ergo non poteſt vniri cum intellectu vt ſpecies impreſſa. Antecedens probatur. Tum quia ſpecies non eſt obiectum, ſed virtus, & ſemen obiecti, & dicit quid intentionale, quo obiectum in eſſe intentionali ſe communicat potentiæ. Tum quia ſpecies, vt talis, exigit eleuari per virtutē vitalem, ita vt ex vi eleuationis concurrat ad expreſſionem vitalem obiecti; talis autem eleuatio repugnat diuinę eſſentiæ, quia dicit ſubiectionem ad potentiam. Tum quia ſpecies, vt talis, eſt fęcunditas potentiæ, atque adeo eſt quid potentiale, cum ſit complementum principij ipſius, intra rationem talis principij, atque adeo in ordine potentiali.

17 Dices. Licet eſſentia Diuina non habeat rationem ſpeciei, eſſe tamen obiectum perfectiſsimum, & ſecundum rationem obiecti concurrere ad viſionem.

Contra. Non poteſt concurrere vt obiectum, niſi vniatur cum intellectu vt obiectum; nec poteſt vniri vt obiectum, niſi ſit virtus fæcundatiua potentiæ. Sed non poteſt eſſe virtus fęcundatiua, quia virtus fæcundatiua ſubſternitur potentiæ fęcundatæ, & eleuatur à virtute vitali ipſius. ergo

18 Confirmatur. Suppoſita poſsibilitate ſpeciei connaturalius eſt, quod viſio fiat per ipſam, ergo eſt ponenda talis ſpecies; quia viſio debet fieri connaturali modo. Antecedens patet. Quia modus influendi obiecti in cognitionem eſt fęcundare potentiam, & mediante fęcundatione concurrere ad viſionem; potentia autem connaturalius fęcundatur per id, quod eſt formaliter fęcunditas, & eſt ſecundum ipſius exigentiam.

19 Ad 1. Diſtinguo antecedens, obiectum eſt vnitum potentiæ localiter; non autem intentionaliter, & modo intelligibili; quia licet ſit maximè intelligibile, non tamen poteſt per ſe ipſum concurrere, quia non poteſt fæcundare intrinſecè potentiam, vt dictum eſt.

Ad 2. negatur aſſumptum. Quia ſpecies non ſupplet diſtantiam obiecti, ſeu impotentiam ipſius; ſed vt ſemen obiecti fęcundat potentiam, & in eſſe intentionali determinat: vndè ſemper eſt neceſſaria, ſiue obiectum ſit diſtans, ſiue præſens.

20 Quæres. An huiuſmodi ſpecies ſit ſupernaturalis quo ad ſubſtantiam. Reſpondetur affirmatiuè cum communi ſententia. Contra Scotiſtas; eſt enim virtus obiecti ſupernaturalis, atque adeo ſecundum ſuam ſubſtantiam, eſt ſupra efficacitatem cuiuſcunque cauſæ creatæ, & ſupra exigentium totius naturæ.

An præter ſpeciem impreſſam ſit etiam neceſſeria ſpecies expreſſa.

SECTIO III.

21 PRima ſententia eſt negatiua. Vult enim, quòd ipſe Deus, quatenus intimè præſens intellectui inſeruiat loco ſpeciei expreſſæ. Ita Ferrar. *primo contra Gen. cap. 53.* Durandus *in 4. diſt. 49. q. 2.* Caietanus *1. p. q. 12. artic. 2.* Bannes *art. 1. dubio 9.* Nazar. *contr. 2.* Salmatic. *trat. 2. de Viſione diſputatione 2.* & communiter Recentiores Thomiſtę.

Probant. Deus eſt præſens intellectui, & eſt ſummè intelligibilis, ergo non eſt neceſſaria alia ſpecies expreſſa, quia ſolum producitur, vt faciat obiectum actu intelligibile.

2 Non poteſt dari medium, in quo Deus clarè, & intuitiuè videatur, ergo nec ſpecies expreſsa; hæc enim eſt medium cognitum, & id quo intellectus fit res cognita per aſsimilationem cum ipſa.

3 Si daretur ſpecies expreſsa, Deus contineretur adæquatè in ipſa; nam eſset imago adæquata obiecti; hoc autem implicat, ergo

22 Secunda ſententia eſt affirmatiua; ita Capreolus *in 4. diſt. 49. q. 1. art. 3.* Sotus *q. 2. art. 3.* Richardus *art. 1. q. 1.* Torres *q. 27. de Trinit. art. 1. diſp. 1.* Vaſquez *1. part. diſput. 38. c. 2.* Suarius *lib. 1. de Deo vno. cap. 11.* Molina *1. p. q. 12. art. 2. diſputat. 1.* Arrubal *diſputat. 17. cap. 2.* & alij.

23 Notandum 1. Speciem expreſsam nihil aliud eſse, niſi repræſentationem intentionalem conſtituentem obiectum in ſtatu proximo, vt poſsit percipi ab intellectu; & proinde facit, *vt quo*, ipſum apparere conſtituendo illud in eſse intentionali, ſeu in eſse apparenti, & manifeſto; vnde debet adæquari cum virtute propria intellectus.

24 Notandum ſecundò. Speciem expreſsam, ſeu verbum mentis proportionari cum verbo externo vocali; ſicuti enim per verbum vocale manifeſtatur res, quatenus vt docet Ariſtoteles in logicis ſubſtituuntur loco rei medijs conceptibus, ita per verbum internum intellectus ſibi ipſi loquitur manifeſtando ſibi obiectum. Ex hoc etiam fit, quod ſicut omnis loquutio debet eſse proportionata audienti, ita etiam verbum mentis debet eſse proportionatum intellectui, prout dicit virtutem perceptiuam. Commenſuratio autem in eo conſiſtit, quod verbum, vt manifeſtatiuum, ſit tale, quale exigitur ab intellectu.

25 Dicendum 1. *Verbum Diuinum, ſeu eſſentiam Diuinam non poſſe ſtare loco verbi, ſeu ſpeciei expreſſæ creatæ, ita vt intellectus creatus per ipſum attingat obiectum.*

Probatur. Eſſentia Diuina non habet debitam proportionem cum virtute auditiua intellectus in ratione verbi, ergo non poteſt ſtare loco verbi creati. Antecedens probatur. Non poteſt per modum formæ actuare vim perceptiuam intellectus, nec in ratione manifeſtatiui eſt in eadem ſpecificatione, in qua eſt virtus auditiua intellectus. ergo

Confirmatur. Mens non poteſt cogitare aliena cogitationis, ergo nec intellectus intelligere aliena verba. Antecedens patet. Quia cogitare eſt actus vitalis modo vitali productus, atque commenſuratus potentiæ vitali. Conſequentia probatur, Cogitare eſt ſibi exprimere verbum, per quod obiectum manifeſtetur. ergo

26 Dicendum 2. *Videntes Deum exprimere Verbum manifeſtatiuum Diuinæ eſſentiæ*. Deſumitur ex Diuo Thoma *prima parte q. 27, artic. 1.* vbi ex eo, quod omnis intelligens producit verbum, infert, Deum quoque producere, & *in 1. diſt. 27. q. 2. art. 2. ait.* Impoſsibile eſse, quod aliquis intelligat, niſi Verbo ſui intellectus. Et ex Diuo Auguſtino *libr. 9. de Trinitate cap. 11.* vbi ait *cum Deum nouimus, illa notitia verbum eſt, & fit aliqua*

Dei

Digitized by Google

Dei ſimilitudo. Et libro 14. capite 17. *In hac imagine tunc perfecta erit Dei ſimilitudo, quando Dei perfecta erit viſio*.

27 Probatur. Poſito eodem concurſu proportionali, debet etiam poni idem effectus proportionabiliter, ſed in viſione Dei ponitur idem cōcurſus proportionabiliter, qui ponitur in cęteris cognitionibus, ergo. Minor probatur. Quia in viſione Dei concurrit intellectus, & adeſt concurſus obiectiuus qui ſit à ſpecie, vel ſaltem ab obiecto loco ſpeciei. ergo

Confirmatur intellectus nō poteſt intelligere, niſi operetur intellectiuo modo, ergo niſi producat verbum. Conſequentia probatur. Non poteſt operari intellectiuo modo, niſi operetur ſecundum ſuam virtutem completam, atque adeo vt fæcundus, ergo niſi producat verbum, quia eo ipſo, quòd operatur intellectiuo modo, ponit in actu quod continet in ſua virtute intellectiua, atque adeo in ſua fęcunditate. Continet autem in ſe ipſo verbum, quia importat ſpeciem impreſſam, quæ eſt virtualis repræſentatio obiecti. ergo

Confirmatur 2. Licet Deus ſit ſummè intelligibilis, & ſit ſibi ipſi præſens, adhuc tamen, dum ſe ipſum cognoſcit, producit verbum. Hoc autem non contingeret ſi eſſentia Diuina haberet rationem verbi, & poſſet pro ipſo ſupplere.

28 Ad 1. reſpondetur. Deum eſſe ſummè intelligibilem obiectiuo modo; non autem formali modo, ſeu intentionali modo; & ideo eſt neceſſaria aliqua repræſentatio, per quam actu repræſentetur intellectui, & fiat ipſi formali modo intelligibilis.

Ad 2. Negatur conſequentia. Quia Verbum non eſt medium, in quo obiectum cognoſcatur, ſed medium quo, quia eſt tantum ratio cognoſcendi.

Ad 3. Negatur ſequela. Quia obiectum non continetur in Verbo ſecundum eſſe reale, ſed ſecundum eſſe repræſentatiuum intellectuale, quod cum ſit proportionatum intellectui finito, repræſentat finito modo, vnde non debet habere in ſe aliquam infinitatem, ſed tantum dicere ordinem ad obiectum infinitum, quatenus eſt repræſentatiuum ipſis.

DE INCOMPREHENSIBILITATE Et ineffabilitate Dei.

DISPVTATIO XXXXX.

An Deus ſit incomprehenſibilis.

SECTIO I.

1 SVpponendum. Comprehenſionem aliquando ſumi pro cognitione poſſeſſiua, qua aliquid cognoſcitur in ordine ad fruitionem iuxta illud 1. Corinthiorum 9. *Sic currite, vt comprehendatis:* aliquando verò accipi pro quacunque cognitione perfecta in ſuo genere, ſiue ſit intuitiua, ſiue abſtractiua, iuxta id ad Epheſios 3. *Vt poſſitis comprehendere, quæ ſit latitudo, longitudo, &c.* & denique ſumi rigoroſè pro illa cognitione, quæ adequat cognoſcibilitatem obiecti, & de hac eſt difficultas. Certum eſt enim, quod Deus primo, & ſecundo modo non eſt incomprehenſibilis.

2 Suppon. 2. De ratione huius comprehenſionis eſſe, vt attingat omnia, quæ ſunt in obiecto, ſaltem per identitatem; alioquin non clauderet in ſua reprę ſentatione obiectum ſecundum totum ſuum eſſe. Vnde Diuus Auguſtinus *epiſt*. 112. *cap*.8. ait. *Aliud eſt videre, aliud totum videndo comprehendere, quando quidem id videtur, quod vt præſens vtcunque ſentitur, totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumſpici poſſunt*. Et lib. 12. de Ciuitate Dei, capite 15. *ſcientia comprehenditur, quod ſcientis cognitione finitur*. Nempe adæquatè. Ex quo fit, quod ſi in aliquo obiecto poſſit videri vna formalitas alia non viſa, illa cognitio non eſſet comprehenſiua, neque etiam illius formalitatis, quia non videretur prout communicat cum alia.

3 Dicendum eſt. *Deum eſſe incomprehenſibilem reſpectu cuiuſcunque intellectus creati*. ita communiter cum Diuo Thoma *prima parte q.12.art.3.& 3. parte, q. 10.artic*. 1. & eſt de fide ex definitione Concilij Baſilienſis ſeſſ.22. celebrati anno 1435. quando nimirum Concilium perſeuerabat legitimè congregatum, & fuit approbatum à Nicolao V. Et in Cap. Damnamus, & Cap. Firmiter. De Summa Trinitate. Et tradunt communiter Patres: Martialis *epiſt*. 1. *ad Magdeburgenſes cap*. 10. Hieronymus *Dialogo* 3. *contra Pelagium*. Cyrillus Alexandrinus *lib*. 1. *in Ioannem capite* 22. Theodoretus *dialogo* 1. *immutabilis* Irenæus *lib*. 4. *capite* 37. Auguſtinus *epiſtola* 111. & 112.

4 Dices hos Patres loqui de Deo reſpectu viatorum. Contra loquuntur etiam de cognitione, quam habent Angeli de facto de ipſo Deo, & aſſerunt, eſſe impoſſibilem illam exquiſitam cognitionem, quæ adæquet cognoſcibilitatem Dei; & hanc impoſſibilitatem colligunt ex conditione creaturæ.

5 Probat Hierem. 32. Incomprehenſibilis cogitatu. Ad Roman. 11. Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius.

Dices. Deum dici incomprehenſibilem ſecundum ſua conſilia, & cogitationes, quia non poſſunt comprehendi, niſi reuelentur: non autem ſecundum ſuam ſubſtantiam.

Contra. Licet loca ſcripturæ poſsint admittere hanc explicationem, adhuc tamen, Patres intelligunt de incomprehenſibilitate, quoad ſubſtantiam, præſertim Cryſoſtomus *homilia* 5. *de incomprehenſibili Dei natura*. Athanaſius *Dialogo* 2. *de Trinitate contra Arrianos*. Nyſſenus *de vita Moyſis, poſt medium*, Ambroſius *lib*. 1. *in Lucam. cap*. 3. Et accedit definitio Concilij Lateranenſis vt habetur in dicto Cap. Firmiter: vbi Concilium ex his locis colligit incomprehenſibilitatem Dei.

Confirmatur, Deus eſt actus puriſsimus abſtrahens ab omni potentialitate; & proinde habet etiam cognoſcibilitatem intra rationem actus puriſsimi; & econtra omnis creatura eſt neceſsariò immerſa in potentialitate, vnde omnis eius cognitio eſt intra ordinem potentialem, ergo non poteſt eſse perfecta adæquatio inter cognitionem creaturæ, & cognoſcibilitatem Dei, quia quod eſt in ordine potentionali, non poteſt adęquare actum purum.

6 Obijcies. Beati ita vident Deum, vt nihil de ipſo eos lateat, ergo poſsunt ipſum comprehendere, quia tunc obiectum comprehenditur, quando nihil de ipſo latet videntem. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia ad comprehenſionem non ſufficit, quod nihil lateat de obiecto; ſed debet ita attingi, vt finiatur cognitione attingentis. Quod fieri non poteſt, niſi adæquet cognoſcibilitatem obiecti. Cognitio autem finita non poteſt adæquare cognoſcibilitatem infinitam.

7 Obijcies 2. ex Diuo Iſidoro *lib*. 3. *de ſummo Bono*. *cap*.3. vbi habet quod Trinitas ſibi ſoli perfectè nota eſt, & humanitati Chriſti, ergo humanitas Chriſti comprehendit Deum.

Reſpondetur. Textum eſse mendoſum, & eſſe legendum quòd Trinitas ſibi ſoli perfectè nota ſit, & humanitas Chriſti quia videlicet humanitas Chriſti non poteſt ſecundum ſuam dignitatem perfectè cognoſci niſi cognoſcat etiam Verbum Diuinum eum dignificans: Verbum autem non poteſt perfectè cognoſci, niſi comprehendatur, atque adeo nec dignitas humanitatis Chriſti, niſi ab eo, qui comprehendit Verbum, qui eſt ipſe ſolus Deus.

In quo

Digitized by Google

In quo formaliter conſiſtat Incomprehenſibilitas.

SECTIO II.

8 PRima ſententia aſſerit, conſiſtere in eo, quod cognitio non poſsit attingere omnia prædicata, quæ conueniunt Deo: tribuitur Ocham *in 4. quæſtione 13.* Gabriel. *in 3. diſt. 14. quæſtione vnica artic. 3. Dubio 2.* qui tamen non loquuntur de incomprehenſibilitate Dei, ſed de obiecto, quod habet partes metaphyſicas. Impugnatur, In Deo non eſt pluralitas prædicatorum niſi ſecundum noſtrum modum concipiendi, ſed vnica perfectio indiuidualis, ergo aut omnia prædicata attinguntur, aut non attingitur illa indiuidualis perfectio. Confirmatur Beati vident Deum, ita vt non remaneat aliquod prędicatum quod non attingatur, alioquin non viderent Deum ſecundum totum ſuum eſſe, & tamen non comprehendunt. ergo

9 Secunda ſententia aſſerit, in eo conſiſtere, quòd non attingatur omnis realis intenſio, & gradus perfectionis; ita Paludan. *in 4. diſtinc. 49. quæſt. 5. artic. 3.* & alij. Impugnatur, ſi non videretur omnis realis intenſio, & gradus, cum talis intenſio, & gradus dicat aliquam perfectionem, aliqua realis perfectio Dei lateret. Ergo ſicuti Deus ſine hac reali perfectione non eſſet Deus; ita etiam non videretur vt Deus, ſi ſine ipſa videretur,

10 Tertia ſententia vult, in eo conſiſtere, quòd cognitio non habeat tantam perfectionem, quantam poteſt habere; Ita Baſſol. *in 3. diſtinctione 54. quæſt. 1. articulo 2.* Sotus *in 4. diſtinct. 49. quæſt. 3. articulo 1. ad 1.* Maironius *quæſt. 15.* Ariminenſis *in 1. diſtinct. 44. artic. 2.* Impugnatur. Sequeretur, quòd nulla creatura poſſet aliam comprehendere, quia non poſſet illam attingere cum tota illa perfectiore cognitione, qua poteſt attingi, ſiquidem omnis creatura eſt attingibilis cognitione infinita vt de facto à Deo attingitur,

11 Quarta ſententia aſſerit, ad comprehenſionem requiri, quod tanta ſit perfectio cognoſcentis, quanta eſt perfectio obiecti cogniti. Ita Scotus *in 3. diſt. 14. quæſt. 2.* Diuus Bonauentura *artic. 1. quęſt. 3. ad 3.* Durandus *in 1. diſtinct. 35. quæſt. 9.* & alij præſertim Recentiores. Vnde volunt incomprehenſibilitatem Dei in eo conſiſtere, quòd non ſit poſsibilis cognoſcens tantæ perfectionis, quantæ eſt Deus, Impugnatur. Quia hæc Reſponſio petit principium. Nam idem eſt dicere Deum eſſe incomprehenſibilem reſpectu cuiuſcunque creaturæ, ac dicere, ad comprehenſionem requiri, quòd cognoſcens ſit tantæ perfectionis quantæ eſt Deus, Confirmatur. Natura inferior poteſt habere cognitionem, quę contineat repræſentatiuè totum eſſe obiecti, ergo quæ ſit comprehenſiua, niſi aliud obſtet, quia cum cognoſcibilitas ſequatur eſſe, ſi obiectum ſecundum totum ſuum eſſe continetur in cognitione, continetur etiam ſecundum totam ſuam cognoſcibilitatem.

12 Quinta ſententia aſſerit, comprehenſionem in eo conſiſtere, quòd obiectum cognoſcatur totum, & totaliter; & vult lij *totaliter*, ſe tenere ex parte obiecti, ita vt obiectum attingatur etiam ſecundum ea, quæ continet eminenter; & proinde incomprehenſibilitatem Dei in eo conſiſtere; quòd licet totus attingatur, non tamen poteſt attingi totaliter, quia non poſſunt attingi in ipſo omnia, quæ continet virtualiter. Ita Alenſis *prima parte quæſtione 7. membro primo* Capreolus *in 4. diſtinctione 49. quæſtione 6. articulo 3.* Argentinas *articulo 3.* Ferrarienſis 3. *contra Gentes capite 16.* Suarez *libro 2. de Deo vno. capit. 29.* Bannes *prima parte quæſt. 12. articulo 8.* Molina *diſputatione 2.* Faſolus *articulo 7. Dubio 3.* Vaſquez *diſputatione 53. capite 4.* & communiter Recentiores,

Impugnatur, quod continetur virtualiter non eſt diſtinctum ab eo quod continetur formaliter, ergo, ſi hoc videtur ſine comprehenſione, debet etiam videri, quod continetur virtualiter. Confirmatur. Ex viſione omnium poſsibilium non ſequitur per ipſos comprehenſio, niſi quatenus cognoſcuntur ex vi Diuinæ eſſentiæ. Vel ergo, quando cognoſcuntur, aliquid de nouo cognoſcitur de Diuina eſſentia; vel non? Si primum, ergo antea non cognoſcebatur totus Deus. Si ſecundum, ergo ſicuti ex vi cognitionis Diuinæ eſſentiæ cognoſcuntur omnia poſsibilia, debent etiam cognoſci per quamlibet cognitionem, quæ attingat totum eſſe Dei.

13 Dices. Quando cognoſcuntur omnia poſsibilia, melius penetratur eſſe Diuinum. Contra. Vel hæc melior penetratio facit aliquid de nouo attingi in obiecto; vel non, ſed ſolum dicit maiorem claritatem cognitionis. Si primum, ergo obiectum præcisè comprehenſum non videtur ſecundum totum ſuum eſſe, quod eſt falſum. Si ſecundum. Contra; Quia maior claritas non eleuat cognitionem ad altiorem modum, & ideo non facit, quod ſit comprehenſiua.

14 Sexta ſententia aſſerit, ad comprehenſionem non ſufficere, quòd attingantur omnia, quæ ſunt virtualiter in obiecto, ſed inſuper requiri, quòd cognitio ſit æqualis cognoſcibilitati obiecti. Ita Goffredus *quodlib. 3. quæſtione 3.* Mayron. *in 3. diſtinctione 14. quæſtione 2.* Baccon. *diſtinctione 13. quæſtione pri. articulo 3.* Smiſing *tractatu ſecund. de Deo vno. diſputat. 7. quæſtione pr.* Ruiz *diſputatione 6. de ſcientia Dei ſectione 4.* Heric. *prima parte quæſtione 12. diſputat. 4. capite 4.* Impugnatur. Quia certum eſt, quod comprehenſio conſiſtat in tali æqualitate cognitionis cum cognoſcibilitate obiecti; & ſolum quæritur, quid de ſuo formali dicat iſta coęqualitas, non etiam cognitio non comprehenſiua adæquat obiectum, quatenus repræſentat ipſum totum.

15 Notandum prim. Comprehenſionem importare quandam incluſionem, ſecundum quam comprehenſum includitur in comprehendente, vnde quia obiectum includitur intentionali modo in cognitione, comprehenſio cognitionis debet eſſe ſecundum rationem repræſentationis,

16 Notandum ſecund. Vt res dicatur comprehendi, debere ſecundum ſe totam claudi in comprehendente; & ideo tanta debet eſſe capacitas comprehendentis, quanta eſt vis repletiua rei comprehenſæ; vnde vt obiectum comprehendatur à cognitione, debet ſecundum omnem rationem repræſentabilis contineri in repræſentatione cognitionis; & ideo dicitur finiri per cognitionem, non quia finito modo ſe habeat, ſed ad ſignificandum, quòd nulla ratio repræſentabilitatis debeat eſſe extra cognitionem. Vnde Diuus Auguſtinus *libro 12. de Trinitate cap. 18.* ait *Si quicquid ſcientia comprehenditur ſcientis comprehenſione finitur, profecto, & omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita eſt, quia ſcientia ipſius incomprehenſibilis non eſt.*

17 Notandum tert. In qualibet re poſſe duo conſiderari, nempe eſſentiam; & modum eſſendi. Eſſentia dicit perfectionem quidditatiuam, quæ aliquando includit etiam modum eſſendi qualificatiuum, qui ſe habet per modum differentiæ, vt eſſe per ſe in ſubſtantia, modus vero eſſendi dicit illam menſuram, ſecundum quam eſſentia determinatur ad certam perfectionis quantitatem; vnde eſt modus eſſendi quantitatiuus, quia dicit virtualem quantitatem perfectionis. Hæc autem duo etiam in Deo proportionabiliter reperiun-

Digitized by Google

periſmatur, nam eſſentia dicit plenitudinem eſſendi; modus verò quantitatiuus dicit infinitatem.

18 Notandum quart. Hunc modum eſſendi poſſe dupliciter contineri in cognitione, vel ſecundum propriam menſuram proportionaliter: vel ſecundum diuerſam menſuram, quæ proueniat à cognitione. Primo modo continetur, quando res in eſſe intentionali habet illum modum, quem habet in eſſe reali; quod tunc contingit, quando cognitio ſecundum eſſe repræſentatiuum habet æqualem modum eſſendi cum obiecto, vt ſi obiectum habet modum eſſendi infinitum, cognitio quoque habeat modum infinitum repræſentandi. Secundo modo continetur, quando modus eſſendi obiecti determinatur à cognitione ad alium modum eſſendi ſecundum eſſe intentionale, quod tunc fit, quando cognitio habet diuerſum modum eſſendi proportionaliter ad obiectum.

19 Dico prim. *Comprehenſio in eo formaliter conſiſtit, quod modus repræſentandi cognitionis adæquet proportionaliter modum eſſendi obiecti, ita vt obiectum exiſtat in eſſe intentionali, ſeu in cognitione cum eodem modo eſſendi proportionaliter, quo exiſtit in ſe ipſo, atque adeo quod cognitio habeat eundem modum eſſendi ſecundum eſſe repræſentatiuum, quem habet obiectum ſecundum eſſe reale.*

Probatur. Niſi obiectum habeat in cognitione eundem modum eſſendi proportionaliter, non habet in eſſe intentionali illam amplitudinem eſſendi, quam habet in ſe ipſo, ergo non comprehenditur, quia comprehenſio dicit aliquid contineri in alio ſecundum exigentiam propriæ menſuræ, ita vt in continente ſit ſufficiens capacitas in ordine ad menſuram, & modum eſſendi quantitatiuum virtualis perfectionis rei contentæ.

Confirmatur. Corpus Chriſti non comprehenditur quantitatiuè à ſpeciebus Sacramentalibus, aut à pyxide, quia licèt ſecundum ſe totum in ipſis contineatur, non tamen continetur ſecundum naturalem ſuum modum eſſendi quantitatiuum, quia non adeſt in ipſis capacitas, vt illum contineant cum ſuo modo eſſendi quantitatiuo, ergo nec cognitio erit comprehenſiua, ſi contineat obiectum abſque illo modo eſſendi, quem habet in ſe ipſo.

Dico ſecund. *Ad comprehenſionem Dei requiritur cognitio infinita ſecundum ſuam rationem quidditatiuam:* Ita Diuus Thomas *prima parte quæſt. 12. articulo 7.* Probatur. Cognitio, qua Deus cognoſcit ſe ipſum non eſt maior, quàm requiratur ad ipſius comprehenſionem, ergo pro comprehenſione requiritur cognitio infinita. Antecedens probatur. Cognitio Diuina adæquat cognoſcibilitatem Dei, alioquin non eſſet perfectiſſima, nec tamen excedit, quia cum eſſe Diuinum habeat infinitam cognoſcibilitatem, requirit etiam infinitam cognitionem, ergo, &c. Confirmatur. Niſi ſit infinita in ratione quidditatiua, non poteſt infinito modo continere obiectum, ergo obiectum quò ad modum eſſendi excederet capacitatem cognitionis, atque adeo non comprehenderetur.

20 Ex Dictis colligitur. In quo conſiſtat incomprehenſibilitas Dei reſpectu cuiuſcunque creaturæ; quia nimirum ſemper ratione ſui modi eſſendi excedit capacitatem cognitionis creatæ; nam cum exiſtat in ſe ipſo infinito modo, & cognitio creata ſemper finito modo repræſentet non adequat repræſentabilitatem obiecti, quia non continet ipſum in ſe infinito modo.

21 Colligitur ſecund. Naturam intellectualem inferiorem poſſe comprehendere naturam ſuperiorem creatam; quia natura ſuperior non excedit inferiorem in modo eſſendi, ſed tantum in eſſentiali perfectione; nam modus eſſendi cuiuſcunque creaturę eſt finitus, & ideo quando cognitio poteſt repræſentare totum eſſe naturę ſuperioris, poteſt etiam adæquate cognoſcibilitatem ipſius; quia non habet modum eſſendi ſuperiorem ratione cuius excedat, ſed poteſt habere in cognitione eundem modum eſſendi, quo exiſtit in ſe ipſa.

An Deus poſſit per aliquod nomem comprehenſiuè ſignificari.

SECTIO III.

22 Cum ineffabilitas non ſit aliud, niſi impoſſibilitas ad explicare, per ſermonem, ideo, vt videamus, an, & quomodo Deus ſit ineffabilis, inquirendum eſt, an poſſit per aliquod nomen ſignificari, & primo, an comprehenſiuè?

Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Smiſing *tract. 3. de Deo vno, diſputatione 7. numer. 42.* qui vult, Deum poſſe ſe ipſum compreſenſiuè ſignificare per aliquod nomen.

Probat. Eodem modo poteſt ſe ipſum ſignificare, quo ſe ipſum cognoſcit, ergo cum cognoſcat comprehenſiuè, poteſt ſe ipſum comprehenſiuè ſignificare. 2. vt nomen ſignificet comprehenſiuè Deum, non eſt neceſſe, quod explicet explicitè omnem rationem ſignificatam; ſed ſufficit, ſi explicet aliquo modo, & confuſè, ergo, &c.

23 Secunda ſententia eſt negant. Ita communiter præſertim Henri. *articulo 77. quæſtione 9.* Vaſquez *prima parte diſputa. 57. capit. 3. in fine.* Faſolus *q. 12. art. 1. dub. 3. num. 16.*

24 Dicendum eſt. *Non poſſe dari nomen ſignificans Deum comprehenſiuè à quocunque impoſitum, & in ordine ad quemcunque.* Probatur. Deus non eſt comprehenſiuè ſignificabilis, ergo implicat nomen ſignificans comprehenſiuè; quia implicat ſignificans, quando implicat ſignificatum. Antecedens probatur. Deus non eſt comprehenſiuè ſignificabilis reſpectu intellectus creati, quia vt vidimus non poſſet eum comprehenſiuè percipere; nec etiam reſpectu ſui ipſius, quia cum ſit eſſentialiter comprehenſiuus ſui ipſius, non poteſt ſe ipſum comprehenſiuè percipere ex vi ſignificationis alicuius nominis.

25 Ad prim. negatur aſſumptum. Quia ſignificatio eſt in ordine ad percipientem, vnde, vt ſit poſſibilis, debet eſſe poſſibilis percipiens. Ad ſecund. negatur ſimiliter aſſumptum. Quia ſicuti cognitio, vt repræſentet comprehenſiuè, debet explicitè repræſentare omnem rationem, ita etiam nomen vt ſignificet comprehenſiuè, debet explicitè ſignificare omnem rationem ſignificabilem.

An viatores poſſint Deum nominare nomine quidditatiuo, vt eſt in ſe.

SECTIO IV.

26 Deum poſſe nominari aliquo nomine à Viatoribus certum omnino eſt. Solum difficultas eſt, an tale nomen poſſit quidditatiuo modo ſignificare.

Prima ſententia eſt affirmatiua. Scotus *in prima diſtinctione 22. quæſtione vnica*, Ocham *ibidem*, Gabriel *articulo 3.* Molina *prima parte quæſtione 13. articulo 1. diſp. 2.*

Digitized by Google

diſputatione 2. Vaſquez *diſputatione* 57. *capit.* 2. & alij.

Probant, nomen poteſt plus ſignificare, quàm percipiat loquens, cum ſignificet iuxta menſuram audientis, vt ſi quis ſolum ex relatione cognoſcat Neapolim, & ipſam nominet, qui viſu cognoſcit, melius percipiat audito hoc nomine, quàm qui loquitur, ergo licet Viatores non cognoſcant Deum quidditatiuo modo, poterunt quidditatiuo modo nominare reſpectu Beatorum; quia Beati audito nomine aliquo modo percipiunt.

2 Si cæcus imponeret nomen rebus, melius ſignificaret apud non cęcos, quàm apud ipſum, ergo, &c.

3 Nomina ſunt ſymbola inter eum, qui loquitur, & eum, qui audit, & faciunt venire in cognitionem rerum, ergo ſignificant reſpectu audientis, ergo perfectio ſignificationis menſuratur ex audiente, ergo beati audito hoc nomine Deus poterunt quidditatiuè cognoſcere Diuinam eſſentiam.

27 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Diuus Thomas *prima parte quæſt.* 13. *artic.* 1. Caietanus, Bann. Nazar. *ibidem* Faſolus *dubio* 1. Machia *diſputatio* 20. *ſect.* 2. Diuu. Bonauentura *in* 1. *diſtinct.* 22. *artic.* 1. *quæſt.* 1. Ricardus *ibidem*. Durandus *quæſt.* 1. *n.* 5. Baſſol. *art.* 2. & communiter.

28 Dicendum eſt. *Deum non poſſe quidditatiuo modo nominari à Viatoribus*. Deſumitur ex illo Prouerb. 30. *Quod eſt nomen eius? aut nomen filij eius?* & ex Patribus, præſertim ex Diuo Dionyſio *cap.* 1. *de Diuinis nominibus*. Cyrillo Hieroſolimit. *Cath.* 6. Nazianzeno *tract. de fide*. Auguſtino *lib.* 1. *de Trinit. capit.* 4. Gregorio *libr.* 2. *moral. cap.* 24. & alijs. Probatur. Nomen eſt eſſentialiter ſignificatiuum illius, quod quis vult alteri ſignificare, vnde dicit ordinem eſſentialem ad loquentem, & audientem, ergo non plus, aut aliter poteſt ſignificare, quàm velit loquens ſignificare, quia habet totam vim ſignificandi ab ipſo loquente, vt à cauſa communicante, quæ vtitur nomine manifeſtatiuo ſuæ intentionis, ergo cum loquens non poſſit velle ſignificare non plus aut aliter, quàm percipiat, & viatores non percipiant Deum quidditatiuo modo, non poſſunt quidditatiuo modo ipſum nominare.

29 Ad prim. negatur aſſumptum, & ad probationem. Reſpondetur. In illo caſu nomen excitare maiorem cognitionem in audiente, quàm ſit in loquente, non ex vi ſignificationis; ſed per accidens, quia talis maior cognitio ſupponitur aliunde acquiſita. Et eodem modo reſpondetur etiam ad ſecundum. Ad 3. Nomina eſſe ſymbola ſignificatiua rerum, prout ſunt ſignificabiles à loquente, vnde ſignificant audienti iuxta menſuram loquentis.

30 Obijcies Habemus cognitionem quidditatiuam de Deo, ſi quidem de ipſo affirmamus prædicata propria, & quidditatiua, vt quod ſit ens per eſſentiam, ergo poſſumus etiam quidditatiuè nominare. Reſpondetur. Habere cognitionem de quidditate Dei ſed non quidditatiuam, & quidditatiuo modo, quia eſt cognitio confuſa, & ſub alienis conceptibus, non autem propria, & vt eſt in ſe ipſo, & ideo poſſumus ſolum ipſum nominare confuſo modo, non autem quidditatiuè, vt eſt in ſe.

An Beati poſſint nominare Deum quidditatiuo modo.

SECTIO V.

31 Prima ſententia aſſerit, Beatos poſſe nominare Deum quidditatiuo modo inter ſe ipſos, non autem reſpectu viatorum. Ita Henr. Baſſolus. D. Bonauentura, Ricardus, Argentinas, Caietanus, Molina, Faſolus, Vaſquez, & alij: citant etiam Diu. Thomam *prima parte quæſtione* 13. *articulo* 1. Et *in prima diſtinctione* 2. *quæſtione.* 1. *articulo* 3. & 1. *contra Gentes cap.* 3.

1. Probant Zacharię 14. Erit in die illa Dominus vnus, & nomen eius vnum.

2. Quilibet poteſt nominare res, ſicut cognoſcit: vnde in tantum Viatores non poſſunt nominare Deum quidditatiuè, quia non cognoſcunt: ergo cum Beati cognoſcant quidditatiuo modo, poterunt etiam nominare.

32 Secunda ſententia negat, Beatos poſſe etiam inter ſe ipſos quidditatiuo modo Deum nominare. Ita Bannes *prima parte quæſtione* 13. *articulo* 1. Ripa *ibidem*, Cunel *controu.* 4. Machin *diſput.* 2. *ſect.* 3. Suarez *lib.* 3. *de Deo vno. c.* 31. *n.* 18.

33. Dico 1. *Beati non poſſunt de facto nominare inter ſe Deum quidditatiuo modo*. Probatur ſemper ſunt in actuali cognitione quidditatiua Dei, ergo non poſſunt Deum inter ſe nominare quidditatiuè. Conſequentia probatur. Vt nomen ſignificet, debet ex vi ſignificationis cauſari cognitio, quando autem ſupponitur actualis cognitio, non poteſt de nouo cauſari.

34 Reſpondet Vaſquez. Hoc eſſe per accidens, & ſufficere ſi Beati cognoſcant, quod nomen correſpondeat cognitioni, quam habent de Deo. Contra. Nomina ſubſtituuntur loco rerum, prout à nobis intelliguntur ad generandam cognitionem in alio earundem rerum, ergo quando non poſſunt ſubſtitui, nec etiam poſſunt ex natura rei ſignificare, quando autem obiectum per ſe ipſum immediatè cauſat cognitionem, non poſſunt nomina pro ipſo ſubſtitui, ergo &c.

35 Dico 2. *Beati non poſſunt nominare Deũ quidditatiuo modo Viatoribus*. Probatur. Nomen eſt eſſentialiter ſignificatiuum reſpectu alterius, ergo non poteſt plus ſignificare, quàm audiens percipere, ergo cum Viatores non poſſunt percipere Deum quidditatiuè, neque etiam poteſt dari nomen ſignificans ipſum ex natura ſua quidditatiuo modo.

36 Dico 3. *Implicat abſolutè nomen ſignificans Deum quidditatiuo modo*. Deſumitur ex Diuo Dionyſio *cap.* 1. *de Diuinis nominibus*. Nazianzen. *orat.* 2. *de Theol.* Auguſtin. *lib.* 15. *de Trinitate cap.* 11. & alijs Patribus. Probatur. Non poteſt Deus ſignificari quidditatiuo modo, niſi in ordine ad perceptionem quidditatiuam, atque adeo in ordine ad cognitionem intuitiuam, ergo non eſt poſſibile nomen ſignificans ipſum quidditatiuo modo. Antecedens patet. Quia cum exiſtentia, & præſentia ſit de quidditate Dei, cognitio quidditatiua ipſius eſt neceſſariò intuitiua. Conſequentia probatur. Nomen eſt medium cognitum faciens aliud cognoſcere, ergo non poteſt cauſare cognitionem intuitiuam, ſed tantum abſtractiuam: Vnde de facto nihil poſſumus ex vi nominum intuitiuè cognoſcere.

37 Dico 4. *Neque ex natura ſua poteſt dari nomen excitatiuum cognitionis quidditatiuæ Dei*. Probatur. Nomina ſunt obiectum proprium auditus; vnde prius cauſant

cauſant cognitionem ſenſitiuam, & hac mediante excitant ad intellectiuam, quatenus eſt conuincta cum ſenſitiua, ergo cum ſola cognitio, quæ eſt dependens à phantaſia ſit conuincta cum ſenſitiua, & cognitio quidditatiua Dei ſit omnino independens, non poterit aliquod nomen ad ipſam excitare.

38 Ad 1. negatur conſequentia. Quia per illum locum ſcriptura tantum ſignificat vnitatem nominis in Eccleſia triumphante; non autem quòd illud nomen Dei vnum ſit futurum quidditatiuum. Ad 2. Diſtinguitur antecedens. Quilibet poteſt rem nominare, ſicut cognoſcit, quando eſt nominabilis; ſecus autem ſi non ſit, ſicuti eſt Deus: qui non eſt nominabilis quidditatiuè. Quod autem Viatores non poſſint nominare quidditatiuè, quia non cognoſcunt quidditatiuè, non eſt cauſa adæquata: nam licet ex defectu cognitionis arguatur impotentia nominandi; non tamen expoſitione ipſius ſequitur ſtatim potentia nominandi, ſed inſuper requiritur, quod res ſit nominabilis.

39 Colligitur ex dictis Deum eſſe ineffabilem, quia non poteſt nominari quidditatiuo modo, vt eſt in ſe. Et cum ſolus Deus non poſſit quidditatiuè cognoſci, niſi etiam cognoſcatur intuitiuè, & non poſſit aliquod nomen ordinari ad cognitionem intuitiuam, ſequitur, quod Deus ſit ineffabilis per quodcunque nomen, quod ipſum quidditatiuo modo ſignificet. Cætera autem quæ pertinent ad Diuina nomina, facilia ſunt, & videri poſſunt apud D. Thom. 1. *p. q.* 13. *art.* 2. *&* 3. *& ſequentibus.*

SACRA

Digitized by Google

SACRA SPECVLATIVA DOCTRINA,

AD Scholaſticæ Lecturæ Methodum.

DE DEO TRINO.

DE EXISTENTIA TRINITATIS.

DISPVTATIO XXXXX.

An Deus ſit Trinus.

SECTIO I.

1 TRINITAS idem eſt, ac trium vnitas, vnde duo importat, nempe Vnitatẽ, & Numerum, & vt in præſenti ſumitur, dicit vnitatem Naturæ, & Numerum Perſonarum; Numerũ quidem in recto, vt docet Nyſſenus *lib. de Opificio homin. cap.6.* & D. Thomas. *prima parte quæſt.31. art.* 1. In obliquo autem vnitatem naturæ. Vt igitur videamus, an Deus ſit Trinus, videndum eſt, an dentur in ipſo tres perſonę, & vnitas naturæ.

2 Dicendum eſt. *De fide eſſe dari in Deo tres Perſonas:* Ita definitum eſt in Concilio Nicęno, vt habetur in Symbolo Nicæno in 5. Synodo Conſtantinopolitana, *Collatione* 8. *cap. primo* in Concilio *Toletano primo in confeſſione fidei*, & Toletano. 4. *cap. primo*, & in Lateranenſi *cap. primo* vt habetur, in cap. *Firmiter de ſumma Trinitate* contra Hæreticos, Montanum Sabellium, Priſcilbianum, & eorum ſequaces.

Probatur, Matthei. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti.* ex quo loco colligunt Trinitatem perſonarum, Nazianzenus Orat. 32. Nyſſenus Oratione 4. cap. 39. Baſilius lib. 3. contra Eunomium, Iuſtinus, in Expoſitione ſuæ fidei de Trinitate.

Confirmatur. Prima Ioannis 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cęlo. Pater Verbum, & Spiritus Sanctus*; per quod oſtenditur plurarītas perſonarum, vt ait Athanaſius, *lib. primo de vnita Deitate*.

3 Dices. Ex his locis, non colligi diſtinctionem realem, Perſonarum; ſed tamen diuerſa nomina.

Contra. Quia his perſonis aſſignantur alibi in ſcriptura, diuerſa munera, quæ non poſſunt ſaluari ſine diſtinctione; Spiritus enim Sanctus dicitur mitti, Ioannis 14. *Quem mittet Pater in nomine meo*, & etiam Filius dicitur mitti, Ioannis 8. *Qui miſit me Pater*, miſſio autem non poteſt intelligi ſine diſtinctione.

Rurſus tribuitur teſtificari Ioannis. 8. *Teſtimonium perhibet de me, qui miſit me Pater*, & de Spiritu Sancto: Ioannis. 15. *Ille teſtimonium perhibebit de me*. Nemo autem de ſe ipſo teſtificatur.

Rurſus Filius procedit à Patre, Ioannis. 8. *Ego ex Deo proceſſi*, & etiam Spiritus Sanctus, Ioannis. 15. *Paraclitus qui à Patre procedit*. Nemo autem procedit à ſe ipſo.

4 Dicendum ſecundò. *Licet loca noui teſtamenti de ſe ſufficiant vt conuincant Trinitatem Perſonarum, non ſunt tamen efficacia, niſi ſupponant bonum effectum credendi*. Prima pars eſt certa, quia Myſterium Trinitatis, eſt ſufficienter reuelatum. Secunda pars probatur, quia reſpectu Hæreticorum non ſunt efficacia ex prauo affectu, quem habent erga fidem, vnde adhibent diuerſas interpretationes falſas.

Digitized by Google

5 Obijciunt Sabelliani Exodi 20. *Deus tuus Vnus eſt*. Deuteronomij 4. *Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter ipſum*, & cap. 32. *Vide, quod ego ſim ſolus; & non eſt alius Deus præter me*. Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum ſumus*; & cap 8. *Pater in me manens, ipſe facit opera*. Rurſus. *Qui videt me, videt & Patrem meum*. ergo non dantur plures perſonæ. Reſpondetur. In his omnibus locis, dici vnum Deum Patrem, & Filium, eſſe vnum, & Patrem eſſe in Filio, &c. ratione naturæ, quæ eſt vna numero, in omnibus perſonis. Dicitur autem non eſſe alium Deum, ad excludendam multiplicitatem Deorum. Omnes enim tres perſonæ ſunt vnus Deus, qui dicitur ſolus, quia non habet conſortium alterius Dei, non tamen Pater dicitur ſolitarius, quia habet conſortium aliarum perſonarum.

6 Obijciunt ſecundo. Ioannis 16. *Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt*; & cap. 17. *Omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt*, ergo nihil remanet, in quo filius realiter diſtinguatur à Patre. Reſpond. Omnia Patris eſse etiam Filij, & è contra, ratione vnitatis Naturæ, quam Pater communicando filio, omnia etiam ſua communicat, præter eſſe Patrem, vt definitur in Concilio Florentino *in litteris Vnionis*, & nos ſuo loco explicabimus.

An Filius Sit Conſubſtantialis Patri.

SECTIO II.

7 IDem eſt eſſe conſubſtantialem Patri, ac eſſe eiuſdem naturæ numero. Hanc autem conſubſtantialitatem negauerunt Hæretici Ariani aſſerentes, Filium Dei, eſse Creaturam omnium tamen nobiliſſimam, Eunomius aſserens, Filium eſse alterius ſubſtantiæ a Patre, & ipſi diſſimilem.

Macedoniani, qui etiam dicti ſunt Semiarriani, volebant, filium eſse ſimilem Patri, ſed tamen minorem.

8 Dicendum eſt. *Filium Dei eſſe conſubſtantialem Patri*, eſt de fide definitum in Concilio Nicæno contra Arrianos, & in 6. Synodo, *actione 1. & 17.* vbi habetur, *profitemur Chriſtum conſubſtantialẽ Patri, ſecundũ Deitatẽ.*

Probatur Ioannis 10. *Ego, & Pater vnum ſumus*; ex quo loco probant communiter Patres, conſubſtantialitatem filij, præſertim Athanaſius *Orat. 4. et 5. contra Arrianos* & D. Aug. *tractatu 36. in Ioannẽ* & *4. de Trinit. c. 9.*

9 Reſpondent Arriani. Intelligi tantum de vnitate concordiæ & confirmant ſuam reſponſionem ex illo Ioann. 17. *Vt ſint vnum ſicut, & nos; vt omnes vnum ſint, ſicut Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.*

Contra; Chriſtus loquens de prædeſtinatis dixerat, *Nõ rapiet eas quiſquam de manu mea*, & rationem reddit, *Quia nemo poteſt rapere de manu Patris mei*, vt autem oſtendat conſequentiam ſtatim ſubdit. *Ego, et Pater vnũ ſumus*, vt oſtendat æqualitatem potentiæ, atque adeo vnitatem Naturę, ita Chryſoſtomus *homilia 60. in Ioannem*, & Hilarius 7. *de Trinitate* ſecundo. Quia Iudæi non intellexerunt de vnitate concordiæ, ſed naturæ: vnde volebãt eum lapidare, dicentes *Et tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum*, & licet Chriſtus ſubiunxerit. *In lege veſtra ſcriptum eſt: ego dixi Dij eſtis* hoc non dixit, vt oſtenderet, ſe eſse Deum per gratiam, ſed vt reſponderet obiectioni, de humanitate oſtendens, quod quamuis homo, poterat tamen eſse Deus: & ita arguebat, ſi Iuſti, qui ſunt filij Dei per adoptionem, poſsunt dici Dij, ergo multo magis ego ipſe, qui ſum filius Dei Naturalis. Tertiò quia Chriſtus poſtea declarat, quomodo ſit vnum cum Patre, in illis verbis, *Quia dixit Filius Dei ſum*, eſse autem Filium Dei, non eſt eſse vnum per concordiam. Vnde Iudæi permanſerunt in ſua opinione, quod ſe feciſset Deum, & proinde quærebant ipſum interficere. Nec obſtant loca ſacrę ſcripturæ adducta ab Arrianis. Dominus enim rogauit Patrem, quod ſicut Pater, & filius ſunt vnum in Natura, ita omnes ſint vnum in concordia per gratiam, vt explicat Athanaſius *oratione 4. contra Arrianos*;

10 Confirmatur, quod debeat intelligi de vnitate naturæ ex illo Ioann. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum*; & c. 17. *Mea omnia, tua ſunt, & tua mea ſunt*; quæ non poſsent verificari, niſi eſsentia Patris eſset etiam eſſentia filij, vnde etiam cap. 5. dixerat eſse voluntatem Patris, vt omnes honorificent Filiũ, ſicut honorificãt Patrẽ; vnde cũ idẽ cultus ei debeatur, neceſse eſt, quod ſit Deus.

11 Obijciunt Arriani. Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, ergo ſolus Pater eſt Deus. Reſpond. Patrem dici ſolum Deum verum, vt excludatur multitudo Deorũ; & ſenſus eſt; Vt cognoſcant te, qui es Deus verus ſolus; quia non habes conſortium alterius Dei; vnde, *Ly ſolum*, cadit ſupra Deum excludendo alios Deos; non autem ſupra Patrem excludendo alias perſonas, quæ ſint Deus. ita Nazian. *Orat. 4. de Theologia*.

12 Obijciunt ſecundo quaſdam ſcripturas, in quibus filius dicitur minor Patre, aut aliquid ei tribuunt, ex quo infertur minoritas. Reſpond. Has Scripturas procedere de Chriſto, & eſse intelligendas de ipſo, quatenus eſt homo iuxta illud Athanaſi, in Symbolo *Aequalis Patri ſecundum Diuinitatem; Minor Patre ſecundum humanitatem*.

13 Obijciunt tertiò filius non operatur eodem modo, ac Pater 1. Corinth. 5. *Vnus eſt Deus Pater, ex quo omnia; & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia* per quod Significatur, quod ſit inſtrumentũ Patris, ergo non eſt Deus. Reſpond. Patrem dici operari per filium, quia filius operatur per virtutem ſibi communicatam a Patre; imò præpoſitio *per*, tribuitur aliquãdo etiã Patri ad Romanos 6. *Chriſtus reſurrexit à mortuis per gratiã Patris*.

14 Obijciunt quartò filius Dei eſt Creatura. Eccleſiaſtici 24. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum*, & Ioannis 1. *Ante me factus eſt*. Reſpond. Hæc loca intelligi de Chriſto, ratione Humanitatis, & dicitur. *Ab Initio* quia ab æterno fuit prædeſtinatus; ita Nazian. *orat. 3. de Theolog.* Athanaſius *ſerm. 3. contra Arrianos*, Baſilius *lib. 4. contra Eunomium*.

15 Quæres, quid dicendum de nomine *Homouſios*. Reſpond. Hanc vocem fuiſse in Vſu ad ſignificandam conſubſtantialitatẽ filij ante Conciliũ Nicænum etiam apud Apoſtolos, vt conſtat ex Lyturgia D. Iacobi, & Marci, vnde non poteſt reijci ab eo, qui benè ſentit de fide Catholica; nã Conciliũ Nicænum defendit hanc vocem, cõtra Arrianos, & decreuit filium dicendum eſse *Homouſion Patri*, vnde in Symbolo Nicæno habetur. *Genitum nõ factum Homouſion Patri*, Nec obſtat, quod hæc vox nõ ſit in Scriptura, quia ſufficit, quod implicitè in ea contineatur, nempe ſecundum rem ſignificatam iuxta illud, *Ego, & Pater vnum ſumus*.

16 Obijciunt Arriani. Iſta vox fuit damnata in Cõcilio Ariminenſi, ergo. Reſpond. Tunc fuiſse damnatam, quando illud Concilium non erat legitimum, ſed conſtabat ex Hæreticis fauente Imperatore Hęretico, vt notat D. Aug. 3. *contra Maximinum c. 14.* Vnde quando cępit eſse legitimum, & catholicum, reiecta ſunt, quæ antea fuerant decreta, & fuit approbatum nomen *Homouſion*, ſic etiam Conſtãtinus Imperator deceptus ab Arrianis exiſtimauit, expedire ſilentium imponi quæſtioni de hoc nomine tanquam inutili; ſed poſtea cognita fraude Hæreticorum laudauit decretum Concilij Nicæni.

17 Obijcies ſecundò Concilium Antiochenum reiecit hoc nomen, ergo. Reſpond. Reiecisſe hoc nomen in eo ſenſu, in quo vſurpabatur à Paulo Samoſateno, qui volebat, filium eſse ſolum eiuſdem naturæ Specificæ cum Patrę, & ad hoc ſignificandum vtebatur nomine *Homouſios*.

18 Colligitur ex his Hęreticum eſſe dicere filium eſſe *Homuſion* Patri hoc eſt Similẽ in natura; hanc enim vocẽ inuenerunt Semiariani, vt affinitate nominis, traherent ad ſe Catholicos; ſignificabant autem filium eſſe omnino ſimilem Patri, ſed excludebant identitatem naturæ, vt tradit D. Ambroſius, *cap. 2. de Diuinitate filij*.

19 Col-

Digitized by Google

19 Colligitur ſecundò Hæreticum eſſe tribuere Diuinis Perſonis vocem, *Simiuſios*, hoc eſt ſimul ſubſtantiam habens; quia per hanc vocem & poteſt excludi diſtinctio Perſonarum, & etiam importari diuerſitas Naturæ, vt docet Epiphanius *in Anchorato*.

An Spiritus Sanctus ſit conſubſtantialis Patri, & Filio.

SECTIO III.

20 SPiritum Sanctum eſſe conſubſtantialem Patri, iidem negauerunt, qui etiam hoc ipſum negabant de Filio, aſſerentes, eſſe creaturam creaturæ, & eſſe quoddam donum, & virtutem Dei, vt refert Auguſtinus Hereſi 49. & præterea Macedon. aſſerentes eſſe creaturam Miniſtrantē Patri, & Filio, & alij etiam Heretici.

21 Dicendum eſt. *De fide eſſe Spiritum Sanctum eſſe conſubſtantialem Patri & Filio*. Ita eſt definitum in Concilio Nicæno, *lib.* 2. vnde in Simbolo ipſius dicitur, *Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur*. Et in Concilio Conſtantinopolitano, 1. *cap.* 1. & 7. & Conſtantinopolitano 4. *collatione*. 8. *Can.* 1. *Si quis non confitetur Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vnam naturam, & virtutem, & poteſtatem, Trinitatē conſubſtantialem, vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentijs, ſiue Perſonis adorandam talis anathema ſit*, & paſſim idem habemus definitum in alijs Concilijs.

22 Probatur. Matthei 28. *Baptizantes, eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Ex his autem colligitur Diuinitas Spiritus Sancti, quia concurrit ad baptiſmum æquali authoritate, & virtute, ac Pater, ita vt ſit Auctor Iuſtificationis, quæ eſt opus proprium Dei, ita arguunt Nazianz. *Orat.* 5. *de Theolog.* Cyril. *lib.* 16. *Theſauri cap.* 7. Ambroſ. *lib.* 1. *de Spiritu Sancto cap.* 14. Fulgentius *Reſponſione* 8. *ad obiectiones Arrianorum*, & communiter Patres.

23 Probatur ſecundò Act. 3. *Dixit autem Petrus Ananiæ; cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto; non es mentitus hominibus, ſed Deo*. ergo Spiritus Sanctus eſt Deus. Ita arguunt Nazianz. *orat.* 5. *de Theolog.* Chryſoſtomus *ſermone de Conſubſtantiali Trinitate*, Epiphanius *hæreſi* 59. Auguſtinus 3. *contra Maximum cap.* 25. & alij plures.

24 Probatur 3. Quędam loca veteris teſtamenti, in quibus Deus dicitur loquutus, in nouo teſtamento explicantur de Spiritu Sancto, ſic illud Pſal. 94. *Nolite obdurare corda veſtra ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me Patres veſtri*; ad Hæbreos 3. exponitur de Spiritu Sancto, & plura alia eodem modo explicantur.

Confirmantur, ex Lyturgia D. Iacobi, vbi habetur. *Quærimus in omnibus ſubſidium, & auxilium ab Vnigenito filio tuo, & à bono, & viuificante, & conſubſtantiali Spiritu* Sic etiam in Lyturgia Diui Marci de Spiritu Sancto dicitur, *Simplex nec natura diuiſus, Auctor diuinorum, Chariſmatum fons, tibique conſubſtantialis*.

25 Obijciunt Arriani, & Macedoniniani. Ioannis 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*, nempe per Verbum, ergo etiam Spiritus Sanctus. Reſpondetur neg. conſeq. Quia ſenſus eſt, quod omnia, quæ facta ſunt, ſint facta per Verbum. Spiritus autem Sanctus, ſicuti non eſt factus, ita nec per Verbum factus, ſic reſpondet Nazianz. *orat.* 37.

26 Obijciunt ſecundò. Ad Romanos 3. *Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. ergo cum poſtulet Deum, inferior eſt. Reſpond. Dici poſtulare, quia facit, vt nos poſtulemus, excitando per ſuam gratiam, ita Nazianz. *citatus*.

27 Obijcies tertiò. Ioan. 16. *Non enim loquetur à ſemetipſo*, ergo eſt creatura. Reſpondetur. Hoc dici ad ſignificandam eius Proceſſionem, quia dum procedit à Patre, & Filio, accipit ab ipſis intelligentiam, loquutionem. Ita Baſilius *lib.* 5. *contra Eunomium*.

28 Obijcies 4. Ioan. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum, ergo Spiritus Sanctus non eſt Deus, cum hic non nominetur. Reſpond. Spiritum Sanctum includi in Vero Deo, qui eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; neque ſemper ponuntur explicitè omnes Diuinæ Perſonæ. Ita Baſilius *lib.* 5. *contra Eunomium*, & Athanaſius *Epiſt. ad Serapionem*.

An ex Veteri Teſtamento probetur Trinitas.

SECTIO IV.

29 HAebrei, qui tantum vetus teſtamentum recipiunt, non poſſunt conuinci ex nouo de exiſtentia Trinitatis; ideo videndum eſt, an poſſint conuinci ex veteri. Supponendum eſt. In pluribus locis veteris teſtamenti, fuiſſe adumbratam Trinitatem, vt in illo Geneſis 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*; cum enim ſolus Deus produxerit hominem, & loquatur in plurali, *Faciamus*, ſignificatur pluralitas perſonarum operantium; & ſimiliter in illa viſione Abrahę Geneſis 18. cum enim Deus apparuiſſet Abrahæ, vidit tres viros ſtantes, quos adorauit.

30 Dicendum 1. *Ex his locis, in quibus adumbratur Trinitas, non poſſe colligi pluralitatem Perſonarum, ſecluſa reuelatione, vel peculiari illuſtratione. Poſita verò reuelatione poſſe colligi*. Prima pars patet; quia valde obſcurè in ipſis indicatur hoc Myſterium. Secunda verò pars probatur; nam facta reuelatione, ſi cōferatur Myſterium cum his adumbrationibus, clarè cognoſcimus, in iis figuratum eſſe. Vnde communiter Patres ex his locis colligunt pluralitatem perſonarum.

31 Dicendum 2. *In Veteri Teſtamento nedum fuiſſe adumbratas Diuinas perſonas, ſed etiam reuelatas, licet ſatis obſcurè*. Probatur Pſalmo 33. *Verbo Domini Cęli firmati ſunt; & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Hic autem nominantur tres perſonæ, nempe Dominus, ſeu Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & ex hoc loco probant Trinitatem Concilium Nicænum *lib.* 4. Athanaſius *orat.* 4. & 5. *contra Arrianos*, Auguſtinus *concione* 2. *in Pſalmum* 32. & ſic etiam explicatur à Rabbi Moyſe *in cap.* 42. *Geneſ.*

32 Dicendum 3. *Ex vi præcisè teſtamenti veteris non haberi euidentem manifeſtationem Trinitatis*. Ita Epiphanius *in Anchorato* S. Gregorius *lib.* 2. *in Ezechielem*, Nazianz. *Orat.* 37. Probatur Ioannis 17. *Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus*, ergo ſi manifeſtauit, non erat manifeſtatum, intelligitur autem de manifeſtatione Trinitatis, vt docet Auguſtinus *tract.* 36. *in Ioannem*. Chriſoſtomus *homil.* 80. & alij Patres.

Et ratio eſt. Quia loca veteris teſtamenti, non ſunt adeo clara, quin poſſint recipere aliam explicationem.

33 Dicendum 4. *In Veteri teſtamento adeſſe efficacia teſtimonia ad probandam Trinitatem reſpectu eorū, qui bene affecti ſunt ad credendum ſcripturis, quamuis non poſſint eſſe efficacia reſpectu proteruorum*. Prima pars, probatur. Chriſtus, vt conuinceret Iudeos de ſua Diuinitate. Marci 12. adduxit locum Pſalm. 109. inquiens. *Quomodo Dauid vocat eum Dominū, dicens; Dixit Dominus, Domino meo*, & Paulus Ad Hębreos. adducit locum Pſ. 2. *Dominus dixit ad me filius meus es tu; ego hodie genui te*.

Probatur etiam 2. pars. Teſtimonia Veteris Teſtamenti, non ſunt adeo clara, quin poſſint per lumen Naturale ad alium ſenſum retorqueri. ergo.

34 Ex his colligitur. Hæbreos non poſſe conuinci ex Veteri Teſtamento de exiſtentia Trinitatis, tum quia proterui ſunt: tum quia carent lumine fidei, & ideo cum non ſint benè affecti ad credendum ſcripturis, poſſunt eas ſecundum alium ſenſum accipere, *Niſi enim credideritis*, inquit Iſaias, *non intelligetis*.

Digitized by Google

DE COGNOSCIBILITATE Trinitatis.

DISPVTATIO XXXXXI.

An Trinitas poſſit naturaliter oſtendi.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt. Philoſophos Gentiles habuiſſe aliquam notitiam de Myſterio Trinitatis, vt colligitur ex ijs, quæ dicit Plato in Epiſtola ad Dionyſium, Regem; vnde Platonici aſſerebant, tria eſſe principia, Vnitatem, Mentem, & Amorem, denotantes Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Sic etiam Triſmegiſtus nonnulla ſcripſit de hoc Myſterio, vnde in libro, cui eſt titulus *Monas, Dialogo* 4. ait, *Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem*, & D. Auguſtinus 7. *Confeſſionum, cap. 9.* ait ſe legiſſe in libro Platonico, ſed alijs Verbis, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Fuit tamen hæc cognitio imperfecta, & potius verba tenebant, quàm rem ſignificatam.

2 Supponendum ſecundò. Hanc cognitionem non acquiſiuiſſe lumine naturali, ſed ab Aegyptijs, quibus ab Hebreis fuerat communicata; vel ex libris Hebreorum; vel ex Oraculis Sybillinis. Sybillę enim prædixerunt de Myſterijs fidei ex inſtinctu Spiritus Sancti, vt docet Clemens Alexandrinus, *libro primo Stromatum* Iuſtinus, *Orat. Hortatoria ad Gentes*, Lactantius 1. *diuinarum inſtitutionum. cap. 6.* & Hieronymus *libr. 1. contra Iouinianum*.

3 Raymundus Lullus putauit poſſe demonſtratiuè, & euidenter oſtendi Trinitatem. Fundamentum eſt. Quia naturaliter, & euidenter cognoſcitur, eſſe in Deo bonificatiuum, bonificabile, & actum bonificandi; vnde cum illa ſit perfectiſſima natura, in qua eſt vnica actio, vnica paſſio, & vnicus actus, & in illa eſſentia ſit perfectiſsima diſtinctio, in qua eſt vnicum diſtinctiuum, vnicum diſtinguibile, & vnicum diſtinguere, debent in Deo dari tres perſonę, vna ſecundum bonificatiuum, altera ſecundum bonificabile, & tertia ſecundum actum bonificandi.

4 Dicendum eſt. *Non poſſe naturaliter cognoſci Myſterium Trinitatis*. ita communiter, cum D. Thoma 1. *p. q. 32. artic.* 1. & Scotus *in 1. diſtinct. 2. q.* 7. & cæteri Scolaſtici iiſdem locis.

Probatur Matthei. 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater, & Patrem quis nouit, niſi filius, aut cui voluerit filius reuelare*. Lucæ 10. *Nemo nouit, quis ſit Filius, niſi Pater, & quis ſit Pater, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*. Matthei 16. *Caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus*. Et ex his locis colligunt, Myſteriũ Trinitatis non eſſe naturaliter cognoſcibile, Concilium Nicęnum *libr. 2. §. Ne quæras* Clemens Papa *epiſt. ad Iacobum Fratrem Domini*; Baſilius 1. *contra Eunomium*, Hilarius 2. *de Trinit.* Cyril. Aleſſandr. *Orat. de Verbi Incarnatione*.

Ratio eſt. Quia intellectus noſter non poteſt aliquid de Deo cognoſcere, niſi ex creaturis, iuxta illud, ad Romanos primò. *Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*; Creaturæ autem ducunt tamen in cognitionem Dei, vt primæ cauſę; & non requirunt per ſe in Deo pluralitatem perſonarum.

5 Dicendum ſecundò. *Neque Angelos poſſe naturaliter cognoſcere Myſterium Trinitatis*. Ita Concilium Nicęnum *citatum*. Hilarius 2. *de Trinitate*. Clemens Romanus *Epiſt. citata.* Nazianz. *orat. 35.* & alij Patres.

Probatur. Vel Angelus cognoſcit per ſpecies proprias, vel arguitiuè. Neutro autem modo poteſt cognoſcere Trinitatem naturaliter; non per ſpeciem, quia, cum obiectum ſit ſupernaturale, ſpecies non eſt illi debita; non arguitiuè, quia ex creatis, non poteſt argui pluralitas perſonarum in Deo.

6. Dicendum 3. *Trinitatem eſſe de Deo demonſtrabilem per cauſam virtualem, eo pacto, quo vnum attributum demonſtratur ex altero*.

Probatur. Perſonalitates conueniunt diuinæ naturæ ratione fęcunditatis; ergo cognita fęcunditate, poteſt, vt ex cauſa virtuali, inferri pluralitas perſonarum.

7 Ad fundamentum Raymundi, reſpond. Supponere aliqua, quę non cognoſcuntur, niſi ex reuelatione; nempe eſſe in Deo actum bonificandi, & realem productionem. Deinde quod bonificatio fiat cum identitate Naturæ, & reali diſtinctione perſonarum: Rurſus etiam continet plura abſurda, quæ proſequitur Vaſquez *prima p. diſp.* 132.

8 Obijcies. Eſt naturaliter cognoſcibile, bonum eſſe communicatiuum ſui ipſius; & per bonum infinitum infinitè communicatiuum, ergo cum Deus ſit bonum infinitum, infinito modo ſe communicabit ad intra, cum non poſſit ad extra. Reſpond. Naturaliter cognoſci, bonum eſſe communicatiuum ſui ipſius, ſed non cum æqualitate ad ſe ipſum; neque quod ſe communicet alteri diſtincto cum identitate naturæ, & ſine dependentia illius, cui fit communicatio.

An facta reuelatione poſſit naturaliter demonſtrari Trinitas.

SECTIO II.

9 DIfficultas eſt, an poſita reuelatione Trinitatis poſſit intellectus inuenire aliquas rationes, quibus Myſterium demonſtret.

Prima ſententia eſt affirmatiua. ita Richard. Victorin. 1. *de Trinit. cap. 3.* Henricus *quodlibeto* 8. *q.* 14. & *quodlibeto* 11. *q.* 2 Aureolus *in 1. diſtinct. 9. q. 1. art.* 4. Fundamentum eſt. Quia putant, quod poſſit fieri demonſtratio, de omnibus neceſſarijs.

10 Secunda ſententia eſt oppoſita, & traditur communiter cum D. Thoma, 1. *p. q.* 32. *artic.* 1.

11 Dico primo. *Neque ſuppoſita reuelatione poſſe Trinitatem demonſtrari, per aliquid extrinſecum ipſi Myſterio*. Probatur per reuelationem manifeſtatur tantum Myſterium, vt in ſe eſt; non autem aliquod medium, per quod fiat demonſtratio, ergo non poteſt oſtendi per aliquod medium extrinſecum. Confirm. In creatis, nullum adeſt medium ducens in cognitionem Trinitatis, quia Creaturæ oſtendunt tantum Deum vt vnum, ergo non poteſt intellectus inuenire aliquod medium, per quod cognoſcat Trinitatem.

12 Dico ſecundò. *Facta reuelatione, poſſe intellectũ inuenire aliquid ſimile, per quod manuducatur ad aſſentiendum Myſterio Trinitatis, aſſenſu naturali, diſtincto ab aſſenſu fidei*. Probatur cum Deus perfectiſsime intelligat, nihil ei debet deeſſe, quod pertineat ad intellectionem ſublata omni imperfectione. De ratione autem intellectionis eſt quod producat Verbum, & proinde Deus etiam producet. Rurſus de ratione voluntatis eſt, quod dum amat, producat amorem, & proinde etiam Deus producet. Ita paſsim D. Auguſt. *in lib. 6. de Trinitate* & Anſelm. *cap. 9. Monologij*.

13 Dicendum tertiò. *Suppoſita reuelatione poſſe ſolui omnia argumenta, quæ fiunt contra Myſterium Trinit.* Probatur. Sunt contra veritatem, & continent falſitatem intra ordinem Naturæ, ergo ſubijciuntur lumini naturali,

Digitized by Google

rali,ergo poterit Intellectus agnoſcere falſitatem.

14 Ad fundamentum in oppoſito. Reſpond. Falſum eſſe poſſe fieri demonſtrationem de omnibus neceſſarijs; nam rerum quidditates, quæ definiuntur, non poſſunt demonſtrari, vt quod homo ſit animal rationale, quia non habet cauſam priorem ſuæ eſſentiæ, niſi idealem in mente diuina, quæ nobis ignota eſt, & ita docet Ariſtoteles 3. *Metaphiſ. Tex. 6. & lib.4.Tex.ij.* Deinde neque poſſumus demonſtrare omnia, quæ ſunt demonſtrabilia, quia Intellectus noſter,non pertingit ad medium demonſtrationis.

15 Obijcies. Euidens eſt, Deum mentiri non poſſe. Rurſus eſt euidens,reuelaſſe Trinitatem, ergo facta reuelatione poſſumus euidenter colligere Myſterium. Reſpōd. neg.conſeq. Quia reuelatio, & Deum non poſſe mentiri ſunt media extrinſeca, & contingenter connexa cum Myſterio Trinitatis; vnde non poſſunt cauſare euidentiam ipſius in ſe ipſo; ſed tantum colligitur, eſſe euidens, quod Deus reuelauerit Trinitatem, non autem erit Euidens Trinitas in ſe ipſa.

16 Obijcies ſecundò. Quando aliquid ex natura ſua, eſt principium productiuum,eſt etiam euidens, quod erit tale in quocunque ponatur, ſed eſt euidens, Intellectum, & voluntatem eſſe principia productiua, ergo etiam in Deo. Reſpond.diſtinguendo Maiorem. Eſt enim vera,ſi principium productiuum ſeruet eamdem rationem in quocunque ponatur; ſecus autem, ſi non ſeruet. Intellectus autem & voluntas in Deo non ſeruant eandem rationem, quia in creatis ſunt quid potentiale, & indigent aliquo ſupperaddito, vt attingant Obiectum, in Deo autem ſe habent per modum actus puri.

17 Quæres. An in Creaturis ſit veſtigium Trinitatis. Reſpond.affirmatiue cum D.Auguſtino,*6.de Trinit.cap.* 10.& alibi;veſtigium autem nihil aliud eſt, niſi quædam impreſſio facta ab aliquo, quæ ducit in cognitionem imprimentis, non tanquam formalis repręſentatio, ſed per modum cuiuſdam ſigni. Veſtigium autem Trinitatis conſiſtit in Creaturis,in Modo,ſpecie,& Ordine. Modus repręſentat Patrem, quia importat quandam menſuram, per quam indicat potentiam, quæ attribuitur Patri. Species indicat Verbum, quia importat quandam expreſſionem, qua exprimitur aliqua Idea, & ideo indicat Sapientiam Patris, nempe Filium, Ordo etiam, cum reſpiciat vltimum finem,ad quem creaturæ ordinantur, eſt quidam effectus amoris, & ideo, indicant ſpiritum Sanctum, qui eſt Amor. ita D. Auguſt. *cap. 23. de natura boni*.

18 Queres ſecundò. An ex hoc veſtigio poſſit cognoſci Trinitas. Reſpond. negatiue pręciſa reuelatione. Quia veſtigium per ſe ducit tantum in cognitionem virtutis imprimentis, non autem illius, cuius eſt veſtigium; ſic veſtigium equi non duceret in cognitionem illius, niſi ſupponeretur cognitio equi, ſuppoſita autem reuelatione, poteſt ex veſtigio acquiri aliqua cognitio, qua Intellectus excitatur ad veram cognitionem per fidem, vt per ſe patet.

An in Creaturis ſit Imago, per Quam cognoſcatur Trinitas.

SECTIO III.

19 SVpponendum eſt. Imaginem eſſe repræſentationem illius, cuius eſt imago. Hinc requiritur Primò vt ſit ſimilitudo quædam ab ipſo tranſumpta, & ex natura ſua ordinata ad repræſentandum, vt notat D. Auguſt. *Q. æſt.74. ex 83.* ſecundò vt adęquatè repræſentet id, cuius eſt imago, quia cum ſit ſimilitudo ab ipſo tranſumpta, oportet,vt totum referat;tertiò vt repræſentatiuo modo ducat in cognitionem illius,cuius eſt imago.

20 Supponendum ſecundò ſolum in Creatura rationali poſſe eſſe imaginem Trinitatis, vt docet D. Auguſtinus 15. *de Trinit. cap.1.* Quia imago debet repræſentare ſecundum vltimam ſpeciē, irrationalia autem non pertingūt ad Dei ſimilitudinem ſecundum vltimam rationem, cum non ſint in gradu intellectuali. Hæc autem imago poteſt contingere dupliciter,perfectè, & imperfectè ſecundum quandam analogiam, ad imaginem propriè dictam. Certum eſt, non poſſe eſſe perfectam Imaginem, quia non eſt propria repræſentatio trium perſonarum ſubſiſtentium in vnica natura,ſicuti diceretur eſſe, ſi eſſet propria imago.

21 Dico primò. *In Creatura Intellectuali eſſe imaginem Trinitatis ſecundum quandam proportionem* ita cōmuniter Patres,& Scholaſtici pręſertim Magiſter *in 1.diſtinct.3.*Scotus *q.9.* Ochamus,& Gabriel *Quæſt.10.* Probatur Geneſis 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram:* vnde cum Deus loquatur in plurali, indicatur, hominem eſſe ad imaginem Trinitatis, & ita arguit Auguſt. 12. *de Trinitate cap. 6.*

22 Dico ſecundò *Modus, quo magis propriè aſſignatur imago Trinitatis,eſt, quod conſiſtat in mente ſeu memoria, in Verbo ſeu intelligentia, & in Amore:* ita Nyſſenus, *orat. chatechetica cap.1.* Anſelm. *in Monolog. cap. 45.* Tertullianus *contra Praxeam cap.5.6.& 7.*& paſſim Auguſt. *in lib. de Trinit.* Probatur. Memoria, cum ſit fæcunda, & productiua Verbi, refert Patrem, Verbum autem mentis refert Filium tanquam illum, qui procedit per Intellectum. Amor autem vt terminus voluntatis refert Spiritum Sanctum, vt procedentem per voluntatem.

23 Dico tertiò. *Imaginem Trinitatis præciſa reuelatione nullo modo ducere in cognitionem Trinitatis, poſita verò,tantum manuducere ad eam intelligendam, quatenus ex hac proportionali repręſentatione, poſſumus perſuadere Intellectui, ipſum Myſterium.* eſt contra Aureol. *in 1. diſtinction. 3. part. 2. quæſt. 5.* deſumitur autem ex Diuo Auguſtino 15. *de Trinit. capitul. 24.* Probatur. In Creatura non eſt propriè imago Trinitatis, ſed ſolum ſecundum quandam Analogiam, ergo pręciſa reuelatione, non poteſt ducere in cognitionem Trinitatis, quia neque cognoſcetur vt imago illius.

24 Obijcit Aureolus. Omne intelligens ſubſiſtit in tribus ſuppoſitis, & hoc naturaliter cognoſcitur, ſed Deus eſt Intelligens, ergo. Maior probatur. Intelligens ſubſiſtit in proprio ſuppoſito reali, & intelligendo ſe ipſum producit in eſſe cognito, intentionali, & ideo in eo ſubſiſtit. Rurſus amat ſe ipſum, & amor, quia eſt vnitiuus amantis cum obiecto, facit, vt amans ſubſiſtat intentionali modo in amore, ergo. Reſpond. Quidquid ſit de maiori, conſequentiam valere tantum ſecundum virtutem præmiſſarum: procedendo autem ſecundum naturale lumen nihil amplius concludit, quàm quòd Deus ſubſiſtat in tribus ſuppoſitis vno reali, & duobus intentionalibus, quod non eſt aliud, quàm habere actum intelligendi, & amandi: non autem, quod ſubſiſtat in tribus ſuppoſitis realiter diſtinctis.

An Trinitas poſſit Cognoſci, euidenter cognitione abſtractiua, Quidditatina.

SECTIO IV.

25 QVæſtio procedit etiam de potentia Dei abſoluta, manente tamen homine in ſtatu naturali abſque vlla eleuatione. Prima Sententia eſt affirmatiua, ita Scotus *in 2. diſtinction. 3. quæſtion. 9.* Ochamus *Quæſt.1.prologi. Art.3.* Alliacenſis *art.2.* Baſolis 76. *idem* Gabriel *artic.3.* Maior *in 2. Diſt.3. Quæſt. 5.* Aureolus *in proemio prolog. Quæſt. 3. articul. 4.* Probant. Notitia abſtractiua eſt prior intuitiua,

Digitized by Google

ergo cum non dependeat ab ipſa, poteſt dari ſine intuitiua. Confirmatur poteſt Deus conſeruare notitiam intuitiuam in abſentia obiecti; tunc autem fieret abſtractiua. 2. Talis cognitio non eſſet beata, cum ſola intuitiua beatificet, & abſtractiua poteſt ſeparari ab intuitiua, vt experientia patet, ergo. 3. Hæc cognitio non implicat, cum non implicet intuitiua, quę eſt perfectior. ergo

26 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Capreolus *in 2. diſtinct. 23. q. 1. artic. 3. ad Tertium*, Durandi *contra ſecundam concl.* Richardus *q. 3. prol.* Herueus *quodl. 1.* Vaſquez *1. p. diſp. 134. cap. 3.* Suarez *lib. 1. de Trinit. cap. 11.* Ruiz *diſput. 42. de Trinitate ſeſſ. 1. & ſecunda* Cuniga *diſput. 7. de Trinit. dubio 2. & alij.*

27 Dico primo. *Cognitio Trinitatis quidditatiua abſtractiua per alienas ſpecies, non eſt poſſibilis reſpectu intellectus creati, in ſtatu naturali*. Prob. Non eſt poſſibile medium, quod cognitum ducat in cognitionem Trinitatis, ergo. Antecedens patet; nam deberet eſſe aliquis effectus ad extra, qui ratione connexionis, & dependentię duceret in cognitionem. Nullus autem effectus ducit in cognitionem Dei, vt eſt Trinus, ſed tantum, vt eſt prima cauſa.

28 Dices. Viſio Beata, cum ſit repræſentatiua Dei, vt Trinus eſt, exigit neceſſario Deum Trinum, ergo qui illam cognoſceret, argueret Deum Trinum. Reſpond. exigere Deum Trinum, vt eſt quædam repræſentatio, non autem, vt eſt quidam effectus; quia autem repræſentatio cauſat cognitionem intuitiuam, ideo non poteſt ducere in cognitionem abſtractiuam Trinitatis.

29 Inſtabis. Si quis videret viſionem beatam alicuius, cognoſceret repræſentationem illius, ergo illa cognita veniret in cognitionē abſtractiuam Trinitatis. Reſpond. negando antecedens, quia repræſentatio ſe habet, vt quo, & ideo poteſt tantum exercere vim repræſentatiuam, reſpectu intellectus, qui illam elicit.

30 Inſtabis 2. Viſio beata, vt repræſentatiua, dicit ordinem tranſcendentalem ad Deum Trinum, ergo ex vi huius ordinis cognoſceretur Deus Trinus. Reſpond. Dicere ordinem, *vt quo*, non autem, *vt quod*; quia ordo tranſcendentalis, non eſt aliud, quam ipſa repræſentatio; & ideo talis ordo non poteſt cognoſci, vt ducens in cognitionem obiecti, niſi ab intellectu, qui informatur tali repræſentatione. Deinde viſio beata eſt quædam cogitatio Beati; cogitationes autem non ſunt cognoſcibiles in ſe ipſis, ab aliqua creatura, ſed ſolum in manifeſtatione, ſeu loquutione cogitantis, vt in tractatu de Angelis, explicatur.

31 Dico 2. *poſſe dari cognitionem abſtractiuam, Trinitatis, per propriam ſpeciem reſpectu intellectus non eleuati*. Probatur. Si eſſet poſſibilis talis ſpecies, non eſſet proportionata intellectui, alioquin eſſet debita intellectui Angelico, ſequitur enim naturam obiecti, quod non eſt proportionatum cum ſit ſupernaturale. ergo

32 Ad 1. negat. conſeq. Nam ex eo, quod cognitio abſtractiua ſit prior intuitiua, ſequitur tantum, quod poſſit dari ſine intuitiua, niſi aliunde implicet. Abſtractiua autem cognitio Trinitatis aliunde implicat. Ad confirmationem, ſi Deus in abſentia obiecti conſeruaret notitiam intuitiuam, non euaderet abſtractiua, quia adhuc repræſentaret obiectum, præſentiali modo. Deinde non poteſt conſeruare cognitionē ſui ipſius intuitiuam, niſi etiam conſeruaret lumen gloriæ, vnde ille intellectus non eſſet in ſtatu naturali. Ad ſecundum. Quicquid ſit, an talis cognitio eſſet beata, ſuppoſito quod eſſet poſſibilis, eſſet improportionata intellectui non eleuato. Cum autem dicitur quod cognitio abſtractiua poteſt ſeparari ab intuitiua, ſolum verum eſt, quando de eodem obiecto poteſt haberi vtraque cognitio, & reſpectu illius intellectus, & ſecundum illum ſtatum, cui intuitiua eſt proportionata. Ad tertiam cognitionem abſtractiuam de Trinitate per diſcurſum implicare, an autem ſit poſſibilis per propriam ſpeciem, alibi videndum eſt; nunc autem ſufficit quod non ſit proportionata intellectui non eleuato.

An Viatori ſit poſſibilis euidentia de exiſtentia Trinitatis.

SECTIO V.

33 Dupliciter excogitari poteſt euidentia exiſtentiæ Trinitatis; vel ratione reuelationis, quæ fiat euidens, & per ipſam acquiratur notitia euidens, de exiſtentia Trinitatis; vel ratione alicuius medij cogniti, quod ducat euidenter in cognitione Trinitatis. Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Durandus *in 3. diſtin. 23. quæſtione 9.* Caietan. *ſecunda ſecundę quæſt. prima. art. 4.* Suarez *3. parte diſp. 27. ſect. 5.* Cuniga *diſput. 7. de Trinit. dub. 3.* & alij Recentiores. Probant. Ex duabus propoſitionibus euidentibus ſequitur concluſio euidens. Exiſtentia autem Trinitatis poteſt colligi ex duabus euidentibus; nempe quod Deus non poſſit mentiri, & quod reuelauerit ſuppoſito quod reuelatio ſit euidens. Secundò Chriſtus cognouit Myſteria fidei, euidenter cognitione diſtincta à beata; nam vt Viator orabat Patrem, loquebatur de Deo vt Trino. Non poterat autem vt viator vti ſcientia beata quia non erat proportionata diſcurſui, quo probabat ſuam doctrinam.

34 Secunda ſententia abſolutè negat. Ita Bannes *1. 2. quæſtione 32. articulo primo dubio 2.* Vaſquez *diſput. 138. capit. 2. & 3.* Ruiz *diſputat. 32. de Trinitat. ſect. 3.*

35 Dico primo. *Etiamſi poſſit dari euidentia reuelationis Myſterij Trinitatis, non tamen ex hoc colligi poteſt euidenter exiſtentia ipſius*. Probatur. Etiamſi reuelatio ſit euidens, connectitur tamen cum exiſtentia Trinitatis, vt reuelatio atteſtantis, ergo contingenter, & ratione extrinſeci reuelantis, ergo non cauſabit euidentiam, vt etiam contingit, quando perſona creata euidenter teſtificatur de aliquo; euidentia enim ſolùm cauſari poteſt ex vi connexionis euidentis, atque adeo quæ ſit per ſe, & ab intrinſeco extremorum.

36 Dico ſecundò. *Neque ex aliquo effectu ſupernaturali colligi poteſt euidenter ratione obiectiuæ connexionis cum Deo vt Trino exiſtentia Trinitatis*. Probatur. Tota connexio conſiſtit in ratione repræſentatiui, & repræſentati, ergo non poteſt percipi, niſi ab eo, ratione cuius talis effectus ſe habet vt repræſentatiuus, ergo non poteſt eſſe medium cognitum ducens in cognitionem exiſtentiæ Trinitatis. Prima conſequentia probatur, Quia ſi connexio conſiſtit in ratione repræſentationis, eſt tamen cognoſcibilis ab eo, à quo cognoſcitur repræſentatio. Secunda conſequentia probatur. Quia cum ſit tantum repræſentatio *vt Quo*, erit tantum reſpectu illius, à quo elicitur actus repræſentatiuus. Confirmat. Tales effectus connectuntur tantum, *vt Quo*, cum Deo Trino, non *vt Quod*, quia connectuntur tantum vt repræſentatiui, ergo cognoſcens illos vt obiectum, *vt Quod*, non percipiet talem connexionem.

37 Ad Primum; Ex duabus præmiſsis euidentibus ſequi concluſionem euidentem, quando extrema connectuntur, cum medio connexione intrinſeca euidente; ſecus autem, quando connectuntur ratione extrinſeci, quia tunc non habetur euidens connexio extremorum. Deum autem eſſe Trinum, & quod Deus dixerit, ſe eſſe Trinum, connectuntur inter ſe ab extrinſeco. Ad ſecundum negatur minor. Nam ſicut Deus poteſt vti ſua ſcientia Diuina manifeſtando Myſteria Fidei, & accomodando noſtræ capacitati; ita etiam Chriſtus poterat vti cognitione beata, quando tradebat eadem Myſteria accomodando loquutionem captui viato-

Digitized by Google

raptui viatoris, & poterat etiam orare Patrem, quia per aliam ſcientiam deducebat eſſe orandum.

38 Obijcies. Si quis videret Deum intuitiuè, & poſtea ceſſaret à viſione, recordaretur, ſe vidiſſe Deum Trinum; ex hac autem memoria veniret in cognitionem euidentem Trinitatis, ergo. Reſpondetur negando Minorem. Nam vel recordatio caderet ſupra Obiectum aliàs cognitum, & tunc eſſet viſio beata; vel caderet ſupra cognitionem prę habitam, & tunc perciperet ſolum, ſe habuiſſe cognitionem de Deo, non autem perciperet, quòd per illam cognitionem fuerit repræſentatum.

39 Obijcies ſecundò. Si tres Perſonę Diuinæ aſſumerentur hypoſtaticè tres Naturas, & aliquis eleuaretur ad videndas illas vniones, tunc ex illo effectu Supernaturali veniret in cognitionem Trinitatis. Reſpond. negando ſequellam. Nam ſuppoſito, quod illę vniones ſint aliquid ſuperadditum, ſi quis illas cognoſceret, poſſet tantum arguere, aut vnam perſonam infinitam, quæ terminaret illas naturas, aut tres perſonas, non tamen Eiuſdem Naturæ.

An Miſterium Trinitatis repugnetur rationi Naturali.

SECTIO VI.

40 Ratio dubitandi eſt, quia adeſt principium communiter receptum, & notum lumine naturali, quod videtur contrarium huic Myſterio; vid. *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*. Omiſſis autem varijs expoſitionibus, quas tradunt Theologi. Celebris eſt illa, quæ limitat hoc principium, vt locũ habeat quando extrema identificant ſibi adęquatè tertium; tunc enim ex vi adæquatę identificationis, ſunt idem inter ſe, quod ſi non identificant ſibi adæquatè, neque ſunt idem inter ſe, vt contingit, quando Tertium habet aliquam latitudinem communicabilitatis. Sic Petrus identificatur cum homine, prout dicit naturam Communem, & ſimiliter etiam Paulus, non tamen ſunt idem inter ſe. Cum, ergo eſſentia Diuina habeat latitudinem communicabilitatis, qua, licet vna ſingularis, poteſt communicari tribus Perſonis, vna Perſona non eam ſibi identificat adæquatè, & ideo non ſequitur, vt Perſonæ Diuinæ debeant identificari inter ſe ita exponũt Capreolus in 1. *Diſt.2.quæſt.3.artic.* 1. Marſil. *Quæſt. 6.art. 3.* Baſſolis *quæſt. vltima ad* 4. Durand. 1. *diſtinct.38. q.*1. Molina 1.*p.q.28.artic.3.diſp.2.* Vaſquez *diſp.123.cap.3.* Ruiz *diſp.10.de Trinit.ſect.4.*

41 Obijcies. Nulla talis inadæquata identificatio inuenitur in Creatis, ergo Reſpond. Neque etiam in creatis aliquid ſingulare inueniri, quod ratione infinitatis ſit pluribus communicabile.

42 Obijcies ſecundò. Poſſet quis dicere, Actionem, & paſſionem inadæquate identificari cum motu, & ideo non eſſet idem inter ſe. Reſpond. Hoc dici ſine fundamento, quia non colligitur ex aliquo talis inadæquata identificatio.

43 Obijcies tertiò. In Patre eſt tota eſſentia Diuina, ergo Paternitas Diuina, eam ſibi identificat adæquatè. Reſpond. in Patre eſſe totam eſſentiam Diuinam, ſed non totaliter, quia cum ſit communicabilis, non habetur in ipſo ſuam adæquatam communicationem.

44 Inſtabis quia reſpondetur per id, quod controuertitur, hoc enim excluditur ex vi Principij, quod plura ſint idem vni ſingulari communi, nam eo ipſo, quod ſunt idem cum illo, euadunt idem inter ſe. Reſpond. Principium ſupponere incommunicabilitatem Tertij, qua ſuppoſita ex identificatione aliquorum, cum ipſo infertur identificatio eorundem inter ſe, quod inde prouenit, quia ſe habet incommunicabiliter: Eſſentia autem Diuina non obſtante ſingularitate habet Communicabilitatem, & ideo ceſſat ratio, ob quam identificatio cum tertio infert identificationem inter ſe.

45 Inſtabis ſecundò. Eſſentia Diuina eſt ſimpliciſſima, & nihil eſt ipſius, quod non ſit idem adæquatè cum qualibet Perſonalitate, ergo adæquatè intenſiuè, & extenſiue identificatur, cum qualibet Perſonalitate.

Reſpond. Antecedens eſſe verum, ſi *Ly adæquate* cadat ſupra eſſe, & perfectionem, non autem, ſi cadat ſupra terminabilitatem ratione communicationis, neque obſtat ſimplicitas, quia ſicuti non excludit, communicabilitatem, ita nec facit, vt terminetur adæquatè per vnam Perſonalitatem.

46 Obijcies quartò. Sequeretur, quod idem eſſet inconuertibiliter ſibi ipſi excedens, & exceſſum, idem eſſet maius ſe ipſo. Reſpond. negando ſequellam. Nam poſita identitate Perſonalitatis cum eſſentia, licet ſint vnum entitatiuè, adhuc tamen eſſentia habet terminabilitatem, rationeq; cuius poteſt terminari per alias relationes, & ratione terminabilitatis excedit perſonalitatem, vnde non eadem entitas excedit ſe ipſam, ſed terminabilitas excedit vnum Terminum.

47 Inſtabis. Secundum terminabilitatem Eſſentia eſt inæqualis Paternitati, ergo realiter diſtinguitur, quia ſicuti æqualitas requirit diſtinctionem ita etiam inæqualitas. Reſpond. Tunc requirere diſtinctionem, quando eſt ſecundum eſſe entitatiuum, non autem, quando eſt ſecundum aliquam formalitatem ſic genus eſt inæquale differentiæ, nec tamen ab ipſa diſtinguitur realiter.

48 Obijcies quintò. Quando aliqua entitas ſecundum ſe totam eſt idem cum alia, quidquid in ipſa continetur eſt etiam idem cum ipſa, ergo cum tota entitas Diuinæ eſſentiæ ſit idem cum Paternitate, & in ipſa contineantur aliç relationes, hæ quoque erunt idem cum Paternitate. Confirmatur. Paternitas identificat ſibi entitatem eſſentiæ, ergo etiam quidquid eſt entitas eſſentiæ. Sed filiatio eſt Entitas Eſſentiæ, ergo. Reſpondetur.

Quando aliquid ſecundum ſe totum identificatur cum alio, identificatur etiam, quidquid eſt idem cum ipſo, ſi ſubſternatur formali termino identificationis. Ratio autem formalis identificationis eſſentiæ cum relationibus eſt Communicabilitas, vnde cum relatio non ſubſternatur communicabilitati, non trahitur ratione eſſentiæ ad identificationem cum alia relatione. Si vrgeas, ergo non ſecundum ſe totam identificatur, conceditur, ſi *Ly totum*, conſideretur, prout importat quidquid dicit, nam identificatio non contingit ſecundum extrema: vnde in eadem entitate poteſt eſſe aliquid, quod identificetur, & aliquid, quod non identificetur, & licet eſſentia Diuina, & proprietas perſonalis ſint eadem Entitas, poteſt eſſentia identificari, cum proprietatibus licet proprietates non ſint idem inter ſe. Sic etiam proprietas perſonalis identificat ſibi eſſentiæ Entitatem, ſecundum quod communicabilis eſt, non autem vt dicit alias proprietates Perſonales incommunicabiles.

Quomodo ſoluendi ſint Syllogiſmi contra Myſterium Trinitatis.

SECTIO VII.

49 Stante illo Principio, *Quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe*, complures Syllogiſmi fieri poſſunt, contra Myſterium Trinitatis, vt autem diſſoluantur.

50 Notandum primò. Formam ſyllogiſticam, præſcindendo à quacunque materia, eſſe neceſſariam, & inferre concluſionem neceſſariam, & habet locum etiam in Diuinis, quia tamen in ratione materiæ contingunt plura vitia, ideo quando committitur aliquod vitium, non verum, ſed falſum infert.

51 Notandum ſecundò. Radicem qua omne vitium in

Digitized by Google

in ſyllogiſmis circa Trinitatem occurrit, eſſe eſſentiam Diuinam, quæ habet conditiones, quæ in creatis ſe mutuò excludunt, nempe ſingularitatem, & communicabilitatem, quando enim terminus in Creatis ſumitur vt ſingularis, ſumitur etiam vt incommunicabilis; in Diuinis autem ſumitur vt ſingularis, & communicabilis, vnde diuerſo modo ſupponit, ac in creatis, & poſsunt committi Fallaciæ ex variatione ſuppoſitionis.

52 Notandum tertiò. Cum eſſentia Diuina ſit vna ſingularis, & communicetur tribus perſonis, habet quandam latitudinem ſuppoſitionis, per quam poteſt ſupponere pro omnibus perſonis; Vnde, ſi diſtributiuè ſumatur, debet ſupponere pro omnibus, & proinde habet ampliorem ſuppoſitionem, quam ſingulæ perſonæ ſeorſim.

53 Notandum quartò diſtributionem cadere ſupra ea formaliter, pro quibus ſupponitur terminus communis; diſtributio enim importat pluralitatem, quia dicit, quod terminus ſupponat pro hoc, & illo; hinc cum in Deo non ſit pluralitas, niſi ratione perſonarum, debet diſtributio cadere ſupra perſonas.

54 Notandum quintò. Omnes fallacias reduci ad hæc capita, vt probent, aut perſonas non diſtingui inter ſe; aut eſſentiam diſtingui in perſonis; aut conuenire eſſentiæ, quod conuenit perſonis; aut perſonis, quod conuenit eſſentiæ; aut non conuenire eſſentiæ vel perſonis, quod de facto conuenit.

55 Notandum ſextò. Omnes fallacias oriri, vel quia variatur ſuppoſitio huius termini Deus, ita vt modò ſumatur diſtributiuè, modò ſine diſtributione; vel quia non ſumatur cum debita diſtributione; vel quia ſupponit modò materialiter, modò formaliter; vel quia variatur ſuppoſitio proprietatum perſonarum de ſenſu materiali ad formalem, aut e contra. Ex hoc autem fit, quod, vt rectè procedant ſyllogiſmi in hac Materia, ſi ſint communes, hoc eſt ſi medius terminus ſumatur, vt quid commune, & diſtributiuè, tunc non licet arguere à Deo communiter ſumpto ad aliquam peculiarem perſonam; ſi verò ſyllogiſmus ſit expoſitorius, & conſtet terminis ſingularibus, tunc terminus Deus debet ſumi ſingulariter, vt ſtet pro determinata perſona, quia prout ſumitur vt quid commune diſtributum, non connectitur cum vna tantum Perſona, ſed cum omnibus ex his autem;

56 Colligitur, quomodo ſoluendi ſint ſyllogiſmi, contra Trinitatem, & quia plures eſſe poſſunt, nonnullos afferemus iuxta diuerſitatem fallaciarum.

Primus eſt illius generis, quod tollit diſtinctionem perſonarum, vt Deus eſt Pater: Filius eſt Deus, ergo Filius eſt Pater. Reſpond. Medium ſupponere ex natura ſua pro Omnibus perſonis, & ideo falſas eſſe præmiſſas, quia falſum eſt, quod Deus ſit ſolus Pater, cum ſit etiam Filius, & Spiritus Sanctus.

57 Secundus eſt illius generis, quod infert diſtinctionem in eſſentia, vt Pater diſtinguitur a Filio, Deus eſt Pater, ergo. Reſpond. Medium terminum in maiori ſumi formaliter, in minori verò materialiter, & ideo variatur ſuppoſitio.

58 Tertius eſt eorum, qui inferunt conuenire Eſſentiæ, quod cõuenit perſonæ, vt Pater generat, Eſſentia Diuina eſt Pater. ergo. Reſpond. Variari ſuppoſitionem, nam Pater in maiori ſupponit formaliter pro ſuppoſito, in Minori verò Materialiter.

59 Quartus eſt eorum, qui inferunt conuenire perſonæ, quod conuenit eſſentiæ; vt Deus eſt communicabilis pluribus perſonis; Pater eſt Deus, ergo. Reſpond. Variari ſuppoſitionem medij, quia in Maiori ſumitur communicabiliter, vt aliquid commune omnibus, in Minori autem ſumitur perſonaliter, alioquin Minor eſſet falſa.

60 Quintus eſt eorũ, qui inferunt non conuenire Eſſentiæ quod conuenit; vt Pater non eſt communicabilis pluribus; Deus eſt Pater, ergo. Reſpond. Variari ſuppoſitionem medij; nam in Maiori ſupponit formaliter, in Minori identicè.

61 Sextus eſt eorum, qui inferunt non conuenire Perſonis, quod conuenit, vt Eſſentia Diuina non eſt genita; Filius eſt Eſſentia Diuina, ergo. Reſpond. Variari ſuppoſitionem medij, quia in Maiori ſupponit formaliter, in Minori identicè.

An Ratione Contradictionis Myſterium Trinitatis repugnet lumini Naturali.

SECTIO VIII.

62 Ex alio capite Myſterium Trinitatis videtur repugnare lumini Naturali; lumen enim naturale oſtendit, non poſſe contradictoria verificari de eodem, poſito autem hoc Myſterio videntur verificari; nam a parte rei eſſentia, & relatio ſunt omnino idem, & tamen à parte rei eſſentia communicatur, relatio verò non communicatur, ergo præciſa operatione Intellectus ponentis diſtinctionem, contradictoria verificantur, nempe communicari, & non communicari, de eo, quod eſt omnino vnum, à parte rei, omiſſis autem varijs reſponſionibus.

63 Notandum primo Deum eſſe Obiectum excedens noſtrum modum intelligendi, præſertim quia ipſum intelligimus per alienas ſpecies, vnde neceſſitamur, omnia de ipſo intelligere finito modo, etiam ex parte obiecti, hinc cogimur per plures conceptus concipere ſimpliciſſimam perfectionem Dei, & per varios diſcurſus procedendo à Creaturis ad Deum.

64 Notandum ſecundò Reuelationem Trinitatis fuiſſe accomodatam noſtræ capacitati, alioquin non potuiſſemus percipere, quod reuelabatur, cum autem noſter intellectus non poſſit agnoſcere Deum, niſi per varios conceptus, vt dicta reuelatio eſſet accomodata, explicata eſt per varios conceptus, quod etiam ſeruauerunt Patres, & Concilia, dum explicauerunt Myſterium. Hinc autem fit, quod omnia, quæ de Trinitate enunciantur, non habeant locum, niſi prout iſta ſubſtant; noſtris Conceptibus vnde cum dicitur, Eſſentiam communicari, & non relationem, non verificatur, niſi de Myſterio, prout ſubeſt reuelationi, & eſt accomodatum noſtro modo intelligendi, & proinde ſupponitur facta ab ipſa diſtinctio inter eſſẽtiam, & Relationem, ex ui conceptuum obiectiuorum, ſub quibus eſt reuelatum.

65 Notandum tertiò. Ad ponendam contradictionem non ſolum requiri, quod cõtradictoria ſint reſpectu eiuſdem, ſed etiam, quod illud adęquent: quia ſi non adęquãt, erunt virtualiter reſpectu diuerſorum, nam idem inadæquatè ſumptum poterit fundare vnum Contradictorium, & inadæquatè alterum; Sufficit enim, quod Obiectum poſſit concipi diuerſis conceptibus, vt tollatur contradictio.

66 Notandum quartò. Contradictoria ex ſuo modo ſignificandi ſe habere finito modo, etiam ſi cadant ſupra aliquid infinitum, quia ſignificant dependenter à noſtris conceptibus, qui ſemper finito modo manifeſtant Obiectum, vnde quando cadunt ſupra rem infinitam, non terminantur ad ipſam adæquatè ſumptam, ſed ſolum aliquid de ipſa enunciant, & ideo remanet aliquid aliud, quod poſſit vlterius explicari.

67 Notandum quintò. Modum eſſendi Dei eſſe infinitum, cum ſit imparticipatus, hinc non poteſt concipi vnico conceptu, licet ſit ſimpliciſſimus, nec vno nomine, aut enunciatione ſignificari.

68 Notandum ſextò. Communicabilitatem, & incommunicabilitatem in Diuinis pertinere ad modum eſſendi, dicit enim, quod illa perfectio, quæ eſt Deus, ita ſe habeat, vt communicabiliter exiſtat, prout nomine eſſentiæ ſignificatur, incommunicabiliter verò, prout nomine Perſonæ, ita tamen vt incommunicabilitas, licet negatiuo modo explicetur, importet aliquid poſitiuum, & conſequenter non dicat negationem communicationis, quæ intelligitur in Eſſentia. Ex dictis.

69 Col-

Digitized by Google

69 Colligitur reſolutio difficultatis. Cum enim dicitur ſequi contradictionem in hoc Myſterio, eo quod eſſentia communicatur, & non relatio, cum tamen relatio, & Eſſentia ſint vnum, & Idem. Reſpond. Communicari, & non communicari, licet præcisè conſiderata ſint contradictoria, non eſſe tamen talia, quando de Deo dicũtur; tunc enim cadunt ſupra modum eſſendi, & ſingula inadæquatè ipſum explicant, ſtante infinitate ipſius, & modo ſignificandi ipſorum finito. Deinde quia cadunt ſupra Deum, vt eſt reuelatus, & accomodatus noſtro modo intelligendi, & prout varijs conceptibus eſt inadæquatè cognoſcibilis, vnde vna eadem Entitas dicetur communicari, & non communicari in ordine ad noſtrum modum intelligendi; Cum autem vrgent. Communicari, & non communicari, ſunt contràdictoria, quando cadunt ſupra idem ſecundum eſſe reale ante opus Intellectus. Reſpond. Eſſe contradictoria, quando cadunt ſupra idem finitum, & alterum ipſorum ipſum adæquat; non verò, quando cadunt ſupra idem infinitum, quia ſtante infinitate vnum contradictorium non adæquat obiectum, ſed remanet aliquid vlterius enunciandum. Et proinde vnum non negat, quod ponit alterum, ſed ambo explicant quid poſitiuum. Nam non communicari dicit poſitiuum terminum perſonalem; communicari verò eſſentiæ Diuinæ perfectionem, ratione cuius exigit eſſe in pluribus.

DE DIVINIS PROceſſionibus.

DISPVTATIO LII.

An in Deo Dentur Proceſſiones Reales.

SECTIO I.

1 PRoceſſio nihil aliud dicit, niſi quod vnum ſit ab alio, & in hoc ſenſu quæritur, an ſint in Deo ſecluſis imperfectionibus; intelligitur autem de Proceſſione reali, & non tantum Metaphorica, alioquin non ſufficeret, vt ratione ipſius plurificarẽtur realiter Diuinę Perſonę. Hinc diuerſo modo ſumitur, ac ſumatur in creatis, quia dum in creatis aliquid procedit ab alio, acquirit de nouo eſſe, quod non habet locum in Deo, quia cum proceſſio ſit ad intra, oportet, vt ſit Deus, & quod per ipſam communicetur Deitas, alioquin Perſonæ procedentes, non eſſent Deus.

2 Supponendum autem eſt. Quod licet per has proceſſiones communicetur eadem numero Natura producentis, oportet tamen, vt ſeruetur diſtinctio realis, inter producens, & productum, quia non poteſt idem producere à ſe ipſo, & ideo debet interuenire diſtinctio ſecundum perſonas, cum non poſſit interuenire in aliquo alio.

3 Dicendum eſt. *Dari in Diuinis Proceſſiones, ſecundum quas vna perſona procedat ab alia*. Eſt de fide, & ita docent communiter cum D. Thoma *prima parte quęſtione 27. Articolo primo*. Probatur Sap. 7. *vapor eſt virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis Omnipotentis Dei ſincera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit: Candor eſt enim Lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei Maieſtatis, & Imago Bonitatis illius;* Quod de Filio interpretatur Apoſtolus. *Ad Hæbreos primo*. Ioannis 5. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo ſic dedit, & Filio vitam habere in ſemetipſo*; dare autem vitam eſt producere, & cap. 7. *Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum*, & cap. 8. *Ego ex Deo proceſſi*. Ratio autem eſt quia eadem Natura Diuina eſt in tribus perſonis, ergo cum non poſſit eſſe in omnibus per ſe primò, debet eſſe per communicationem; Confirm. Niſi vna perſona eſſet ab alia, non haberent incommunicabilitatem, per quam inuicem diſtinguerentur, nam ſtante infinitate, quæ omnia vnit, non poſſunt perſonæ alio modo diſtingui, niſi per proceſſionem vnius ab alio.

4 Dices. Poſſe diſtingui per proprietates abſolutas. Contra. Non poteſt poni in Deo incommunicabilitas perſonarum, niſi etiam ponatur fundamentum; hoc autem non poteſt eſſe aliud, quàm productio, quia cum non poſſit prouenire ratione limitationis, debet prouenire ratione oppoſitionis, quæ non poteſt ſaluari, niſi ratione proceſſionis vnius ab alio.

5 Dico ſecundò. *Proceſſiones in Deo eſſe duplicis generis Actiuas, & Paſſiuas, licet actiuę melius dicantur Productiones*. Probatur. Nequit intelligi productio, niſi intelligatur producens, & productum, ergo niſi intelligatur productio Actiua, & Paſſiua.

6 Dico tertiò. *Has Proceſſiones eſſe cum ordine inter ſe*, eſt de fide. Fides enim docet, filium procedere à Patre, & Spiritum Sanctum à Patre, & Filio Prob. in prima proceſſione communicatur quidquid non habet oppoſitionem cum termino producto, ergo communicatur etiam principium alterius productionis, ergo vna proceſſio eſt ratione alterius.

7 Obijcies. Sequeretur, quod vna perſona eſſet eſſentiatrix, & altera eſſentiata: vnde poneretur inæqualitas. Reſpond. negando ſequelam. Quia eſſe eſſentiatrix, & eſſentiata importat productionem ſecundum naturam, per has autem proceſſiones non producitur natura, ſed ea, quæ eſt in producente, communicatur alteri.

8 Obijcies ſecundò. Perſona producta eſſet dependens à producente, quia acciperet eſſe ab ipſa. Reſpondetur negando ſequelam. Quia dependentia ſequitur tantum id, quod accipit eſſe finitum, diſtinctum ab eo, à quo procedit, nam dependentia nihil aliud importat, niſi ita participare eſſe, vt non habeat intrinſecam neceſſitatem eſſendi. Hinc perſona producta non eſſet, niſi eſſet producens, non quia dependeat, ſed quia habet eamdem numero eſſendi neceſſitatem.

9 Obijcies tertiò. Sequeretur, perſonam productam non eſſe ens à ſe, atque adeo non eſſe Deum. Reſpond. negando ſequelam. Quia perſona producta accipit ex vi productionis idem eſſe perſonę producentis, vnde eſſe ens à ſe non excludit proceſſionem conſubſtantialem, ſed tantum non conſubſtantialem.

10 Obijcies quartò. Perſona non eſſet æterna, quia haberet principium. Reſpond. negando ſequelam. Quia tunc productio excludit æternitatem, quando incipit, non autem quando eſt producto coæterna.

11 Obijcies quintò. Repugnat rationi primi Principij procedere ab alio, ergo cum Filius ſit Deus, & primum principium, non poteſt ab alio procedere. Reſpondetur. Repugnare primo principio procedere ab alio cauſatiuè, & accipere eſſentiam diſtinctam, non autem procedere ab alio perſonaliter, cum identitate eſſentiæ.

12 Obijcies ſextò. Si in Deo eſſent Proceſſiones, eſſet etiam prius, & poſterius, quia producens eſt prior producto. Hoc autem eſt contra illud ſymboli Athanaſij. *In hac Trinitate nihil prius, aut poſterius*. Reſpondetur. Trinitate excludi prioritatẽ Naturæ, aut aliam maiorem, non autem prioritatem originis, quæ ſufficit ad ſaluandam proceſsionem, cum ſolum dicat vnum eſſe ab alio. Differt autem prioritas originis à prioritate naturæ, quod illa eſt tantum ſecundum progreſsionem, non autem ſecundum naturam, cum ex vi ipſius non poſsit in aliquo ſigno concipi natura prioris, niſi etiam concipiatur natura poſterioris, in prioritate autem naturæ importatur diſtinctio Naturarum, & in aliquo ſigno poteſt concipi natura prioris, non concepta natura poſterioris, vt docet Ariſtoteles *in poſt prædicamentis cap. de priori*.

An

Digitized by Google

An Proceſſiones Diuinæ ſint à Natura.

SECTIO II.

13 CVm Intellectus noſter diſtinguat in Deo Intellectum, & voluntatem ab ipſa Natura, hinc Oritur difficultas, an Proceſſiones ſint immediatè à Natura; an verò per Intellectum, & voluntatem.

Prima Sententia aſſerit, eſſe immediatè a natura, quia illi conueniunt ratione fæcunditatis, quam habet ex vi infinitatis; Filium autem dici procedere per Intellectum, & Spiritum Sanctum per voluntatem, non propriè, ſed ſecundum quandam appropriationem. ita Durandus *in 1. diſt. 6. Quæſt. 2.* Probat. In Creatis fæcunditas conuenit ratione naturæ, & non ratione intellectus, ergo etiam in Diuinis. 2. Generatio Verbi eſt opus naturæ ex Damaſc. 1. *Fidei cap.* 13. ergo tertiò per actionem Intellectus, & voluntatis nihil producitur, *9. Metaph. text. 16.* ergo, quartò productiones in Diuinis ſunt actus notionales, & non eſſentiales, ergo non poſſunt conuenire per intelligere, & velle, quia ſunt actus eſſentiales; quintò productiones perſonarum differunt realiter. Intelligere autem & velle non diſtinguntur realiter, ſextò Natura eſt prior Intellectu, et voluntate, & eſt Infinita, ergo vt prior poterit generare.

14 Secunda Sententia aſſerit, Proceſſiones eſſe per Intellectum & voluntatem ita D. Thomas 1. *part. Quæſt. 27. Art. 2.* Caiet. *art. 5.* Ferrar. 4. *contra gentes cap. 11. & ſequentibus.* Scotus *in 1. diſt. 2. Quæſt. 7.* D. Bonau. *art. 1. quæſt. 2.* Canarienſis *Quæſt. 27. de Trinit. art. 5. Diſputat. Vnica.* Vaſquez 1. *part. Diſp. 111. Cap. 2.* Cuniga *Diſp. 2. de Trinitate Dub. 2.* Ruiz *Diſputat. 2. de Trinit. ſect. 2.* & alij.

15 Dicendum eſt. *Naturam Diuinam vt contra diſtinctam ab intellectu, & voluntate, non habere formaliter fæcunditatem, atque adeo proceſſiones conuenire Deo ratione intellectus, & voluntatis.* Probatur. Fæcunditas naturæ eſt proportionata gradui ipſius, ita vt quælibet natura habeat ſuam propriam fæcunditatem, ergo debet fundari in proprio gradu ipſius, ergo cum Natura diuina ſit intellectualis, debet fæcunditas fundari in eſſe intellectuali, ita vt fæcunditas ſit in genere intellectuali. Confirmatur. Præciſa intellectualitate, natura Diuina non eſt completa in eſſe Deitatis, ergo præciſa intellectualitate non poteſt ipſi conuenire fæcunditas, quæ ſupponit naturam completam.

16 Dices præciſa intellectualite, naturam diuinam adhuc eſſe infinitam, & ideo habere fæcunditatem. contra. Infinitas includit tantum implicitè omnem perfectionem, & eodem modo includit fæcunditatem ac intelligere, ergo ſicuti nondum concipitur cum intellectu, ita nec etiam concipitur cum fæcunditate.

17 Probatur ſecundò Filius eſt Verbum, vt de fide eſt. Ioann. primo eſt Sapientia Patris, prima Corinthiorum primo eſt figura, & imago ſubſtantiæ Patris, ad Hebreos primo & ad Coloſſenſes primo. Item Spiritus Sanctus eſt Donum, Actor. ſecundo. Hæc autem ſaluari non poſſunt, niſi Filius procedat per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem.

18 Reſpond. Durand. Nec intelligi ſecundum quandam appropriationem: non autem propriè. contra Quia hæc Reſponſio eſt contra communem ſenſum Sanctorum Patrum; & quia Scripturæ ſunt accipiendæ cum proprietate, quando non ſequitur aliquid abſurdum. Rurſus coincidit cum errore Allogianorum, qui negabant, Verbum eſſe perſonam, & eſſe propriè Verbum.

19 Ad primum negatur conſequentia. Nam cum fæcunditas conueniat Deo proportionaliter, ac creatis, ſicuti naturæ creatæ conuenit ratione ſui vltimi complementi, ita etiam Deo. Ad ſecundum generationem Verbi eſſe opus naturæ, quia tendit naturali modo, & non liberè ſeu voluntariè; non autem quia ſit a natura. Ad tertium Ariſtotelem velle, quod per actiones intellectus, et voluntatis, non producatur aliquid, quod remaneat tranſacta actione, vt patet ex contextu.

Ad quartū negatur conſequent. Nam proceſſiones conueniunt Deo, ratione intellectus, & voluntatis, prout notionaliter ſe habent. Quid autem dicant, prout notionaliter ſe habent, explicabimus infra. Ad quintum neque naturam habere in ſe diſtinctionem realem, & tamen per Durand. eſt principium diſtinctarum productionum; vnde hoc etiam dici poteſt de intellectu, & voluntate, licet non diſtinguantur ad inuicem; vnde negatur conſeq. nam ab eodem principio poſſunt eſſe diuerſi termini. Ad ſextum negatur conſequent. Nam natura diuina non poteſt concipi fecunda, niſi concipiatur perfectè conſtituta in ſuo eſſe, & ideo non ſufficit ſola infinitas.

Quot ſint Proceſſiones in Deo.

SECTIO III.

20 RAtio dubitandi eſt, quia per vnam proceſſionem perfectè communicatur tota Deitas, ergo erit vna tantum Proceſſio ſecundò. In omni natura eſt tantum vnus modus communicandi ſe ipſam, ergo. contra verò cum ſit maior fæcunditas in Deo, quàm in nobis, cum in nobis producantur plura verba, & plures amores, multò magis hæc plurificatio erit in Deo.

21 Dicendum eſt. *De fide eſſe, duas tantū Proceſſiones eſſe in Deo.* deſumitur ex eo, quod tantum duæ ſint reuelatæ. Ioann. 5. de Filio dicitur. *Ego ex Deo proceſsi* & cap. 15. de Spiritu Sancto *Paraclitus qui à Patre procedit:* & in Concilio Niceno definitum eſt, vt habetur in Symbolo, filium procedere à Patre, & Spiritum Sanctum à Patre, & a filio, & ita docet communiter Patres, & Scholaſtici cum D. Thoma *1. p. quæſt. 27. art. 5.* & *in 1. diſt. 2.* cum Magiſtro.

Probatur de fide eſt, duas tantum eſſe perſonas productas, & Patrem eſſe improductum, ergo cum proceſſiones tendant ad productionem perſonarum, erunt tantum duæ. Rurſus cum ſint operationes immanentes, & in natura intellectuali ſit tantum duplex actio immanens, nempe intellectus, & voluntatis, erit etiam tantum duplex proceſſio.

22 Obijcies. Ideo ponitur communicatio ſecundum intellectum, & voluntatem, quia ſunt quædam perfectiones, communicatiuæ ſui ipſius. Sed etiam alia attributa ſunt talia, ergo. Reſpond. Ideo poni proceſſionem ſecundum intellectum, & voluntatem, quia ſunt perfectiones communicatiuę ſui ipſius modo immanenti, et cum perfectione intrinſeca naturæ intellectualis; cætera autem attributa non ſunt huiuſmodi, ſed tamen ſunt communicatiua ſui ipſius ad extra.

23 Obijcies ſecundò. Ideo intellectus, & voluntas important duplicem proceſſionem, quia important duplicem actum, ergo cum in intellectu diuino ſit multiplex actus, vt ſcientia Practica ſpeculatiua, &c. erit etiam multiplex proceſſio. Reſpond. negando conſequentiam. Quia Omnes actus intellectus diuini, habent eumdem modum communicationis, & idem Obiectum formale. Deinde Deus nō habet ſcientiam practicam de ſe ipſo, & ideo ratione ſui ipſius habet vnicum tantum actum, & proinde etiam vnicam communicationem.

24 Ad primam Rationem dubitandi per vnam proceſſionem communicari quidem adequatè Deitatem, ſed non omni modo, quo eſt communicabilis. Ad ſecundam in Creatis eſſe vnicum tantum modum communicandi naturam, quia non communicatur intellectuali modo. Ad tertiam. In nobis multiplicari Verba, & Amores ratione finitatis, in Deo autem Verbum eſt infinitum, & amor quoque, & ideo non poſſunt multiplicari.

An

Digitized by Google

An Proceſſiones realiter diſtinguantur.

SECTIO IIII.

25 LOquimur nunc de proceſſionibus Paſſiuis, quia hæ ſunt illæ, ratione quarum plurificantur Perſonę. Ratiò dubitandi eſt,. Quia actus intelligendi, & volendi, in Deo non diſtinguuntur, ergo neque proceſſiones, cum ſint ſecundum actum intelligendi, & volendi.

Secunda Proceſsio Diuina eſt infinita, & adæquatur virtuti productiuę, ergo vna proceſsio infinita adęquatè correſpondebit virtuti productiuæ infinitæ.

Tertiò. Poſita vna Proceſsione habetur tota perfectio poſsibilis proceſsionis, ergo non eſt poſsibilis alia proceſsio, ſicuti non eſt poſsibilis alter Deus, quia includit omnem perfectionem Deitatis.

26 Communis ſententia docet. Proceſsiones paſsiuas realiter diſtingui inter ſe, & hoc certum eſt de fide, ſicuti certum eſt, perſonas productas realiter diſtingui. Verum Cuniga *diſp. 2. de Trinitate dub. 16.* ait, quod ſi quis aſſereret, proceſsiones paſsiuas non importare relationes Perſonarum productarum, ſed intellectionem, & volitionem, vt coniunctas relationibus, non eſſet contra fidem aſſerere, Proceſsiones paſsiuas non diſtingui realiter.

27 Dico primò. *Proceſſiones paſſiuas non poſſe aſſignari ex parte eſſentiæ, ita vt ſint intelligere, & velle, vt connotant relationes in obliquo.* Probatur. Proceſsio paſsiua eſt formaliter ratio, qua aliquid producitur, & eſt ratio diſtinguendi perſonam productam à producente, ergo non poteſt aſsignari in recto ex parte Diuinæ Eſſentiæ, alioquin Diuina eſſentia produceretur, ſi quidem diceret in ſe formaliter, & intrinſecè rationem productionis, & diſtingueretur ab Eſſentia producentis, cum proceſſio ex natura ſua ponat diſtinctionem.

28 Dico ſecundò. De Fide eſſe. *Proceſſiones paſsiuas, inter ſe realiter diſtingui.* Deſumitur ex D. Auguſtino 15. *de Trinitate cap. 17.* Vbi ex diſtinctione proceſſionum concludit diſtinctionem Perſonarum. Probatur. De fide eſt, Perſonas ex vi ſuæ Proceſſionis, formaliter Vnam procedere, vt Filium, & aliam vt Amorem, ergo cum diſtinguantur ſecundum eſſe Filij, & Amoris ſpirati, diſtinguuntur ex vi ſuarum Proceſſionum, ergo de fide eſt, Proceſſiones realiter diſtingui, quia ſi eſt de fide, aliqua diſtingui realiter, eſt etiam de fide, ea realiter diſtingui, quæ ab ipſis, vt talia importantur.

29 Ad primam rationem dubitandi patebit ex infra dicendis.

Ad ſecundam negatur conſequen. Nam licet per vnam Proceſſionem communicetur tota Deitas; non tamen ſufficit, quia non adæquat omnem modum communicabilitatis naturæ Diuinæ.

Ad tertiam diſting. Antecedens. Habetur tota perfectio proceſſionis, non ſecundum omnem modum; ſed tantum ſecundum vnicum; nam vni virtuti poſſunt correſpōdere plures termini adæquati in diuerſo genere: vnde cum natura Diuina ſit communicabilis diuerſo modo, ex eo quod poteſt eſſe in tribus Perſonis, habet etiam diuerſos actus communicationis, quibus adæquatur omnis modus communicabilitatis.

30 Inſtabis. Modus communicationis vnius Proceſſionis eſt infinitus, ergo non poteſt eſſe multiplex, quia infinitus non multiplicatur. Reſpondetur Modum vnius proceſsionis eſſe infinitum in ſe, ſed ea infinitate, qua eſt infinita eſſentia; ratione autem talis infinitatis habetur etiam alter modus communicationis, & ideo ad conſtituendum infinitum modum communicationis requiritur vterque modus.

Quomodo Intellectus, & voluntas ſint Principium diſtinctarum Proceſsionum.

SECTIO V.

31 DIfficultas in eo conſiſtit, quomodo, cum intellectus, & voluntas ſint vnum, proceſsiones tamen quæ ſunt ab ipſis, realiter diſtinguantur; vt autem punctus difficultatis percipiatur. Aduertendum eſt. Aliud eſſe quærere, per quod hæ Proceſsiones diſtinguãtur, & aliud, quomodo poſsint diſtingui, cum non habeant diſtinctionem in ſuo principio. Primum requirit formalem rationem diſtinctionis. Secundum ſuppoſita diſtinctione, quæritur, quomodo diſtingui poſsit abſque diſtinctione in principio, & de hoc ſecundo agimus in præſenti.

32 Prima ſententia aſſerit, diſtingui, quia principia non ſunt omnino idem, nam Intellectus, & voluntas diſtinguuntur ex natura rei. Ita Scotus *in 1. Diſtinct. 13. quæſt. vnica ad 3.* & communiter Scotiſtæ.

33 Secunda ſententia aſſerit, poſſe proceſsiones eſſe diſtinctas, quia principia diſtinguuntur ſecundum rationem cum fundamento in re, quod ſufficit, vt vna ſit per intellectum, & altera per voluntatem. Ita Molina. *1. p. quæſt. 27. artic. 4. diſput. 4.* Suarez *1. de Trinitate c. 9.* Cuniga. *diſput. 2. de Trinitate dub. 15. membro 3.* & communiter Recentiores.

34 Notandum primò. Actus intellectus, & voluntatis ita comparari, vt vnus ſit poſterior altero, ipſumque ſupponat; quia videlicet voluntas fertur in id, quod eſt iam cognitum. Et hoc etiam in Diuinis habet locum proportionaliter; vnde Proceſsio Amoris ſupponit Proceſsionem verbi. Rurſus ſicut Amor in beatis prouenit ratione cognitionis, ita etiam in Deo productio Amoris prouenit ratione Productionis verbi.

35 Notandum ſecundò. Proceſsiones Diuinas non eſſe à Natura Diuina, prout dicit intellectum, & voluntatem quocunque modo; ſed prout terminatur ab hypoſtatibus, ita vt proceſsio proueniat formaliter ratione illius terminationis, qua exigit terminari tali, & tali hypoſtaſi; Habet enim ratione ſuæ infinitatis, quod ſit Principium talis, & talis Proceſsionis, prout terminatur tali, & tali hypoſtaſi; quod ex eo patet, quia prout terminatur hypoſtaſi Patris, eſt Principium Verbi, & vt ſit Principium Spiritus Sancti, exigit vlterius terminari hypoſtaſi Filij, quia cum Spiritus Sanctus procedat vt Amor, ſupponit productum verbum, tanquam illud, quod pertinet ad intelligere.

36 Notandum tertiò. Virtutem ſpiratiuam, prout eſt in Patre, non intelligi in ſtatu proximo vt ſit Principium amoris, quia non poteſt eſſe principium Spiritus Sancti, niſi etiam ſit in Filio, ſicut enim Amor creatus procedit ratione cognitionis, quæ inuoluit verbum creatum, ita neque Amor Diuinus poteſt procedere, niſi ratione verbi Diuini, & ideo exigit eſſe ab ipſo, vt à terminante naturam Diuinam ſecundum virtutem ſpiratiuam.

37 Notandum quartò. Aliqua poſſe immediatè ſe ipſis diſtingui, vt patet de differentijs, quæ diuidunt genus, & in rebus phyſicis, licet non ſit diſtinctio in principio productiuo, poſſunt diſtincta ab ipſo prouenire, quãdo ex vi Proceſsionis accipiunt formale diſtinctiuum, quale eſt limitatio ad tale, vel tale eſſe.

38 Colligitur ex his ſolutio difficultatis. Proceſsiones enim paſsiuę habent diſtinctionem etiam radicaliter à principio quatenus non eſt idem principium vtriuſq; ſicet enim principium ſit natura Diuina fæcunda, quia tamen ita ſe habet, vt in ordine ad vnam, ex intrinſeca ſua ratione petat terminari per vnicam hypoſtaſim, & in ordine ad aliam per duplicem hypoſtaſim, ita vt non ſit in ſtatu proximo ſpirandi, niſi vt duplici hypoſtaſi terminata, hinc conſtituitur diſtinctum principium, nam reſpectu vnius

Digitized by Google

vnius Proceſſionis tantum vna Perſona; reſpectu verò alterius eſt multiplex perſona ſecundum alium modum terminandi naturam diuinam.

39 Secundò etiam Reſponderi poteſt. Non requiri diſtinctionem in principio, quia vt diſtinguantur ſufficit, ſi tali modo procedant, vt ex vi ſuæ proceſſionis habeant rationes diſtinctiuas; quod in eo conſiſtit, quod procedant cum oppoſitione ad inuicem, ſeu ordine originis. Ita D. Thomas 1. *part. Quæſt. 27. art. 3. ad 3.*

40 Obijcies. Quod vna Proceſſio ſit ab vno, & altera a duobus, importat diſcrimen ex parte proceſſionis, non ex parte principij, ergo non per hoc aſſignatur radix diſtinctionis ex parte principij. Reſpond. negando ſecundam partem anteceden. Quia aſſignatur etiam radix ex parte principij, quæ tamen colligitur à poſteriori, & in eo conſiſtit, quod natura Diuina cum vna hypoſtaſi ſit principium vnius Proceſſionis, & cum duplici hypoſtaſi ſit principium alterius.

41 Obijcies ſecundo. Ideo Proceſſio Spiritus Sancti diſtinguitur à Proceſſione verbi ratione Principij, quia illam ſupponit; ſed etiam velle eſſentiale ſupponit intelligere eſſentiale, & tamen non diſtinguentur, ergo. Reſpõd. Velle eſſentiale ſupponere intelligere eſſentiale ſecundum noſtrum modum intelligendi; non autem ſecundum realem ordinem originis, ſicut proceſſio amoris ſupponit proceſſionem verbi.

42 Inſtabis. Ergo tantum ratione ordinis diſtinguuntur, non autem ratione principij. Reſpond. negando conſequen. Quia ordo originis reducitur ad principiũ, vt ad radicem; ideo enim proceſſiones habent hunc ordinem, quia vna eſt à natura terminata vna Hypoſtaſi, & alia à natura terminata duplici hypoſtaſi.

43 Obijcies tertiò principium naturali modo principians habet principiare ſiue ſit in vno, ſiue in pluribus, ergo Proceſſio Spiritus Sancti non eſt diſtincta ex eo, quod ſit à duobus; nam adhuc eſſet talis, ſi ab vno tantum prouenirer. Reſpond. anteced. valere quando in vno habet omnia requiſita; ſecus autem, Quando non eſt in ſtatu proximo principiandi, vt in caſu noſtro, nam natura diuina non habet omnia requiſita ad productionem Spiritus Sancti, niſi ſit terminata etiam Hypoſtaſi Filij.

Per Quid Formaliter Proceſsiones Paſſiuæ diſtinguantur.

SECTIO VI.

44 Prima ſententia aſſerit, proceſſiones paſſiuas diſtingui ſe ipſis, primo, & formaliter, nec aliunde quærendum eſſe diſtinctionem. Ita Scotus *in 1. Diſt. 13. Quæſt. vnica* D. Bonauentura *art. 1. quæſt. 3.* Durandus *Quæſt. 2.*

45 Secunda Sententia aſſerit, has proceſſiones diſtingui realiter, quia ſunt in Suppoſitis realiter diſtinctis, & ſe habent diſparatè tanquã proprietates perſonales, ita Aegyd. *in 1. diſt. 12. 1. p. quæſt. 2.* Argent. *quæſt. 1. artic. 2.*

46 Tertia ſententia aſſerit, diſtingui in Ordine ad diuerſos terminos, ſeu perſonas; quia licet non ſint propriè motus, aut actiones, ſe habent tamen inſtar motus, & actionis; vnde ſicut motus & actio diſtinguntur ex termino, ita etiam hæ Proceſſiones. Ita Ruiz *diſp. 84. de Trinit. ſect. 1.* & alij Recentiores.

47 Quarta ſententia aſſerit, diſtingui per ordinem originis, quem habent ad inuicem, & ratione oppoſitionis. Ita D. Thomas *1. part. quæſt. 27. art. 3. ad Tertium* Caiet. Bannes Zumel. *ibidem.* Ferrarien. 4. *contra gentes cap. 1.* Capreolus *in 1. diſt. 13. quæſt. 1. art. 1.* Carthus *q. 1.*

48 Dico primo. *Etiam ſi Proceſsiones poſſent concipi, vt via ad terminum, neque adhuc diſtinguerentur in ordine ad ipſum, tanquam per formale diſtinctiuum alterius* Probatur. Quod eſt diſtinctiuum alterius, debet habere prius diſtinctionem in ſe ipſo, nec poteſt illam accipere ab eo, quod diſtinguit. Sed diſtinctio perſonarum non eſt prius in perſonis, quàm ſit in proceſſionibus, ergo. Minor probatur. Quia perſonę diſtinguuntur ratione proceſſionum, ita vt in ſuo diſtinctiuo inuoluant proceſſiones, ergo.

49 Dico ſecundo. *Proceſsiones paſsiuas ſe ipſis diſtingui ratione intrinſeci ordinis, originis, & oppoſitionis.* Probatur vnitas, quam ponit infinitas, non poteſt impediri in proceſſionibus, niſi ratione originis, & oppoſitionis, ergo. Antecedens probatur. Tum quia ratio diſparata non poteſt impedire, vt patet in relationibus paternitatis, & Spirationis actiuæ. Tum quia omnis diſtinctio; quæ non prouenit ratione originis, prouenit ratione limitationis. Tum quia in Diuinis omnia ſunt, vnum, vbi non obſtat relationis oppoſitio, vt docet Anſel. *cap. 3. de proceſsione Spiritus Sancti*, & Concilium Florentinum *ſeſſ. 19.*

50 Obijcies per Proceſſionẽ paſſiuam filius eſt a Patre, non autem eſt Principium Spiritus Sancti, ergo inter vnam, & aliam proceſſionem paſsiuam, non eſt ordo originis. Reſpond. negando conſequentiam, quia ſicuti filius eo ipſo, quod eſt a Patre, conſtituitur cum ratione principij ſpiratiui, ita etiam proceſſio paſſiua Spiritus Sancti, dicit ordinem originis ad proceſſionem paſſiuam Filij quatenus eſt ratio conſtituens filium in eſſe ſpirantis; vnde eadem proceſſio paſsiua Filij reſpicit patrem vt principium à quo eſt, & proceſsionem Spiritus Sancti vt principium ipſius.

Quomodo Proceſsiones Paſsiuæ inter ſe differant.

SECTIO VII.

51 Prima ſententia aſſerit, differre ſolo num. ita nonnulli Thomiſtæ probant. In Deo nulla eſt diſtinctio eſſentialis, alioquin eſſet ſecundum naturam, ergo. ſecundo perſonę procedentes differunt ſolo num. cum diſtinguantur ſolum perſonaliter, ergo etiam proceſſiones: anteced. patet Nam in creatis perſonæ ſolo num. diſtinguuntur.

52 Secunda ſententia eſt Communis, & aſſerit differre pluſquam num. nimirum formaliter ita D. Thomas 1. *p. quæſt. 27. art. 4. & 5.* Bannes *dub. 2.* Zumel *diſp. 2.* Scotus *in 1. diſt. 7. quæſt. vnica.* Cuniga *diſp. 2. de Trinit. dub. 18. membro 2.*

53 Dico primo *proceſsiones diuinas diſtingui inter ſe pluſquam numero.* Probatur vna eſt generatio, altera verò ſpiratio, vt eſt de fide, & habent oppoſitionem ad inuicem, ergo diſtinguuntur pluſquam numero, quia generatio habet diuerſum modum tendendi, & oppoſitio non eſt inter ea, quæ ſolo numero differunt.

54 Dico ſecundo *Hanc diſtinctionem eſſe ſolum ſecundum modum procedendi, ita vt non ſit propriè quidditatiua, ſeu eſſentialis, ſed peculiaris quædam diſtinctio.* Probatur tota diſtinctio prouenit ſolum ex modo ſe habendi harum proceſsionum, cum diſtinguantur ſolum inter ſe ratione ordinis originis, non autem ratione limitationis, ergo eſt tantum ſecundum modum procedendi.

55 Ad primum Reſpondetur. Hanc diſtinctionem non eſſe propriè eſſentialem, ſed perſonalem, quia dicit tantum diuerſum modum procedendi perſonarum.

Inſtabis terminus formalis harum proceſſionum nullo modo diſtinguitur, cum ſit ipſamet natura diuina, quæ eſt eadem in omnibus perſonis, ergo neque proceſſiones. Reſpond. negando conſequentiam, quia ſufficit ad diſtinctionem, quod diuerſo modo communicetur natura diuina per has proceſſiones.

56 Ad ſecundum neg. Anteced. ad probationem neg. paritas, quia in Diuinis differunt pluſquam num. quia terminant naturam diuinam, ſecundum diuerſum modum terminabilitatis. Deinde etiam in creatis, quando natura eſt ſpecie diuerſa, etiam perſona pluſquam num. differt.

In

Digitized by Google

In quo conſiſtat fæcunditas, ex qua proueniunt diuinæ Proceſſiones.

SECTIO VIII.

57 COmmuniter ferè docent, iſtam fæcunditatem ex parte intellectus eſſe ipſam intellectionem diuinam, quatenus eſt, vel principium *quo*, vel productio Verbi; ex parte verò voluntatis eſſe ipſum velle, ſeu amare ita D. Thomas 1. *p. quæſt.* 27. *art.* 1. Caietanus *ibidem*. Bannes *art.* 2. *dub.* 2. Molin. *art.* 5. *diſp.* 2. Vaſquez *diſp.* 102. *cap.* 3. Suarez 1. *de Trinit. cap.* 6. & alij.

Prob. quia patres, & Concilia docent, verbum, & Spiritum Sanctum procedere non ſolum per intellectum, & voluntatem, ſed etiam per intellectionem, & volitionem.

Secundo. Ideo duæ ſunt tantum proceſſiones, quia duæ ſunt tantum operationes immanentes, nempe intellectio, & volitio, ergo intellectio & volitio importat fęcunditatem. Tertiò intellectus, & voluntas in Deo ſe habent per modum actualis intellectionis, & volitionis; ergo ſi proceſſiones ſunt per intellectum, & voluntatem, erunt ex fæcunditate, quę habetur per actum intelligendi, & volēdi.

58 Secunda ſententia docet, Verbum procedere ex memoria fæcunda; vnde fæcunditas conſiſtit formaliter in memoria, quatenus eſt talis, vt ab ipſa proueniat productio, per quam verbum exprimitur, ita Scotus *in* 1. *diſt.* 2. *q.* 7. §. *obijcit contra ipſam* Ocham. *quæſt.* 2. Gabriel. *art.* 1. Maior. *diſt.* 32. *quæſt.* 6.

59 Notandum primo. Memoriam tam in creatis, quam in Diuinis, non eſſe aliud, quam ipſum intellectum; quia ſicuti actus ipſius eſt intellectio, ita etiam principium eſt intellectus; importat autem vim quandam, ex qua prouenit actualis cogitatio; ideo enim recordamur, quia in memoria aliquid habitualiter conſeruatur, quod poteſt cauſare talem actualem cogitationem.

60 Notandum ſecundo, memoriam non ſolum reſpicere præteritum, ſed etiam præſens, vt docet D. Auguſt. 4. *de Trinit. cap.* 11. vbi ait, *Cum ergo ſibi præſens eſt, nullo modo ſui meminiſſet, niſi ad res præſentes, memoria pertineret*. Et ratio eſt, quia ſicuti memoria importat vim quandam, quæ obiecta fiunt præſentia intelligibili modo, ita cum etiam reſpectu præſentium requiratur eadem vis, erit eadem ac memoria.

61 Notandum tertiò. Memoriam in nobis hoc pacto fæcundari: obiectum excitat potentiam immittendo ſpeciem, quæ vt quoddam ſemen obiecti cōiungitur cum naturali fęcunditate potentię, hinc potentia cum ſuam exercens concipit mentale verbum ipſum formando, vt illud poſtea exprimens, per actualem dictionem in operto, ponat, & conſurgat actualis cognitio. Vnde proxima fæcunditas memoriæ conſiſtit in hac conceptione, ex qua immediatè exprimitur Verbum. Iſta autem conceptio eſt notitia quędam latens in memoria, quæ correſpondet vt principium actuali cogitationi; ita docet D. Auguſtinus 14. *de Trinitate cap.* 7.

62 Notandum quartò verbum, quod de memoria exprimitur, eſſe diſtinctum ab illa habituali notitiā, ex qua exprimitur; vnde D. Auguſt. 11. de Trinit. c. 5. *Hinc aduerti aliquanto manifeſtius poteſt, aliud eſſe, quod reconditum memoria tenet, & aliud, quod inde in cogitatione recordantis exprimitur, quamuis cum ſit vtriuſque copulatio, vnum idemque videatur*. Ratio eſt, quia potentia per actualem cogitationem non fit ſterilis, vnde adhuc retinet ſuam formam fæcunditatis.

63 Notandum quintò. Ex his ſequi, duplicem eſſe notitiam, ſeu intelligentiā, aliā in actu primo, quæ importat fæcunditatē memoriæ; & aliam in actu ſecundo, quæ dicit actualem cogitationem; vtraque autem pertinet ad vnam plenam intellectionem, nam intelligere importat exercitium vitę intellectualis; cogitatio autem dicit præciſam rationem talis exercitij, memoria autem completa per ſuam fæcunditatem importat vitam, quæ exercetur.

64 Notandum ſextò voluntatem eſſe eandem potentiam cum intellectu, cum hoc ſolo diſcrimine, quod intellectus in ratione potentiæ non debet informari actuali cognitione, vt autem habeat rationem voluntatis, debet informari, ita vt cognitio concurrat ad volitionem, & ita Docet D. Auguſt. 15. *de Trinit. cap.* 27. vbi ait, *Quam quidem voluntatem de cognitione procedere, cernat, diſcernatur, qui poteſt*. Hinc etiam fit, vt quidquid attingit voluntas, attingat etiam intellectus, ſecundum eandem rationem, quia veritas, quæ eſt obiectum intellectus, non aliud dicit, niſi eſſe, quatenus per cognitionem exprimi poteſt, & bonitas idem eſſe obiecti, quatenus trahit ad ſe cognoſcentem.

65 Notandum ſeptimo fæcunditatem voluntatis eſſe illam, ex qua immediate procedit amor. Quia autem amor conſiſtit in quadam inclinatione, qua amans impellitur in amatū, hinc fit, vt iſta fæcunditas conſiſtat in cognitione: cum enim cognitio trahat obiectum ad amantem, habet amans ex vi illius, vt inclinetur in obiectum, quia habet iam ipſum pręſentatum ſub ratione boni allicientis, & amor ex eo procedit, quod amans ſenſit ſe allici, quod fit formaliter per cognitionem.

66 Dico primo. *Fæcunditatem intellectus ratione cuius procedit verbum, eſſe memoriam completam, prout habet notitiam latentem, in ſe ipſa* deſumitur ex D. Aug. 15. *de Trinit. c.* 7. vbi ait *Filius autem intelligentia Patris de intelligentia genitus, quod eſt Pater, hoc eſt de memoria, non inconuenienter dici poteſt*, & ex D. Anſelm. c. 46. Monolog. *Hinc itaque liquido animaduerti poteſt de ſumma Sapientia, quæ ſic ſemper ſe dicit ſicut ſemper ſui memor eſt, quia de æterna memoria coæternum Verbum naſcitur; ſicut igitur Verbum congruè intelligitur proles, ita memoria parentis nomen aptiſſimè ſuſcipit*.

67 Probatur. Verbum non eſt aliud, quam quædam loquutio mentalis manifeſtans ipſi menti per actualem expreſſionem illius, quod eſt in memoria, ergo debet exprimi ex memoria, quatenus dicit notitiam per modum actus primi, conſequentia probatur. Nam de ratione manifeſtationis eſt, vt ſit expræſſio quędam actus primi, tranſumpta à re repræſentata, ergo debet præcedere in memoria aliqua notitia, ex qua tranſumatur verbum.

68 Dico ſecundo. *Fæcunditatem, ex qua procedit Spiritus Sanctus, conſiſtere in voluntate, quatenus dicit virtutem ſpiratiuam, quæ nihil aliud eſt, niſi ipſa perceptio obiecti cogniti*. Probatur. Amor prouenit ex eo, quod obiectum alliciat, vnde prouenit ab amante quatenus impellitur. Sed hęc compulſio habetur ratione perceptionis obiecti, ergo. Minor probatur. Quia perceptio obiecti ita mouet animam, vt ſentiat ſe trahi, & impelli in obiectum, quod ipſi præſentatur.

69 Ad primum reſpond. cum patres, & Concilia docent verbum procedere per intelligere, & Spiritum Sanctum per amorem, intelligunt de intelligere, quod dicit notitiam exiſtentem in memoria per modum actus primi, vt patet ex patribus citatis, & de amore, prout dicit illum impulſum, quo amans impellitur, vt eliciat amorem; cum enim amor ſit ille, qui producitur, non poteſt eſſe fæcunditas ſui ipſius.

70 Ad ſecundum. Nos quoque ponere duas actiones immanentes, intellectiuam, & Spiratiuam, quę ſunt productiones, & proueniunt ratione fæcunditatis, ſed modo explicato. Ad tertium diſting. ſecunda pars anteced. proceſſiones ſunt per intellectum, & voluntatem, vt dicunt fæcunditatem producentem, non autem vt dicunt actualem attingentiam obiecti, nam alia eſt fæcunditas, alia attingentia obiecti, ſeu actuale intelligere, & velle, vt conſtat ex dictis, fæcunditas autem, quia eſt actus producens, ſe habet per modum actus puri.

Digitized by Google

DE PROCESSIONIBVS Actiuis, ſiue originibus.

DISPVTATIO XXXXXIII.

An detur in Deo duplex intelligere & Duplex velle.

SECTIO I.

1 Ratio dubitandi eſt. Quia intelligere, & velle eſſentiale, eſt commune tribus perſonis. Rurſus filius dicitur procedere per intelligere, & Spiritus Sãctus per velle, ergo aut omnes perſonæ producent, cum habeant intelligere, et velle eſſentiale; aut ponendum eſt duplex intelligere, & velle.

2 Prima ſententia eſt Gandauen. *quodlibet* 1. *q.* 1. qui ponit duplex intelligere, & velle; nẽpe eſſentiale, & notionale, quod ſit propriũ ſolius perſonæ producẽtis. Aſſerit enim intellectũ, & voluntatem eſſe principiũ paſſiuum, & actiuum, vt paſſiuum perfici per motũ, qui fit ab obiecto, & habere primum actum, qui eſt aliquid confuſum; vt verò actiuum perfici ex propria virtute, & habere complementum ſuæ operationis; & hoc proportionaliter reperiri in Deo, ita vt intelligere, & velle eſſentiale æquiualeat primo actui, notionale verò ſecundo.

3 Communis ſententia docet, in Deo eſſe tantum vnicũ intelligere, & velle, nempe eſſentiale, ita D. Thomas 1. *p. quæſt.* 27. *art.* 1. & 2. Caietanus *ibidem* Molin. *art.* 5. *diſp.* 16. Vaſquez *diſp.* 112. *c.* 1. Suarez 1. *de Trinit. c.* 7. Cuniga *diſp.* 2. *de Trinit. dub.* 8.

4 Dicendum eſt *dari in Deo vnicum tantum intelligere, & velle eſſentiale.* Probatur vel intelligere, & velle notionale importat aliquam rationem intelligendi, & volendi, vel non, ſi primum, ergo non poteſt eſſe extra intelligere, & velle eſſentiale, quia hæc ſunt infinita, & talia per eſſentiam, & important omnem perfectionem intelligendi, & volendi, ſi ſecundum, ergo non ſunt aliquid intelligere, & velle ad rationẽ dubitãdi patebit ex infra dicẽdis.

An detur dicere, & quomodo ſe habeat ad intelligere.

SECTIO II.

5 Communiter docent, patrem dicendo producere filium. Videndum eſt igitur, quid ſit hoc dicere & quomodo ſe habeat ad intelligere: loquimur autem de dicere, quo Deus ad intra loquitur.

Prima ſententia eſt Scoti *in* 1. *diſt.* 2. *q.* 7. §. *Obijcitur contra iſta*; vbi docet, principium productiuum verbi eſſe memoriam fæcundam, quæ importat intellectum diuinum cum eſſentia diuina præſenti in ratione obiecti. Ex hac autem memoria prouenire actum ſecundum intelligendi, & ipſam intelligẽtiam, qua producitur verbum; ita vt talis productio ſit dicere, quod tamen non fundatur in intelligere, ſed tantum ordine quodam ipſum præſupponit, ſequuntur omnes Scotiſtæ. Fundamentum eſt, quia actus dicendi eſt proprius ſolius Patris, cum ſolus generet; intelligere verò eſt commune omnibus perſonis.

6 Secunda ſententia aſſerit, dicere importare ipſum intelligere eſſentiale, cum relatione patris, ratione cuius determinatur ad producendum, vnde intelligere comparatur ad dicere tanquam incluſum ad includens ita D. Thomas 1. *p. q.* 43. *art.* 1. *ad Tertium.* Caietanus *quæſt.* 27. *art.* 1. *dub.* 2. Bannes *ibidem* Molina *diſp.* 7. Vaſquez *diſp.* 112. *cap.* 3. Ruiz *diſp.* 59. *de Trinit. ſect.* 4. & communiter.

7 Notandum primo. Tam in diuinis, quam in omni natura intellectuali ponendum eſſe dicere, quia non eſt aliud quam quoddam loqui, vnde cum in intellectione quilibet apud ſe loquatur, habet etiam apud ſe dicere, vt docet D. Auguſt. 11. *de Trinit. cap.* 14. Sumitur autem aliquando impropriè, & tunc ſignificat actum intelligendi, vt deſumitur ex D. Anſel. *c.* 28. *Monol.* quia cum dicimus, etiam intelligimus, vnde ſumitur pars pro toto. Propriè verò ſumptum in diuinis importat aliquid notionale conueniens ſoli Patri, quia eſt quædam loquutio, ſeu prolatio Verbi; vnde cum ſolus Pater proferat Verbum, quia ſolus generat, ipſi ſoli conuenit dicere.

8 Notandum ſecundo, dicere, vt ſe tenet ex Patre Patris, differre ab intelligere, quod intelligere conſideratur vt manifeſtatiuum obiecti, & cum ordine ad ipſum. Dicere verò vt productiuum termini, & cum ordine ad ipſum. vt ait D. Thomas 1. *p. q.* 34. *art.* 1. *ad Tertium.* Ratio eſt, quia intelligere formaliter facit obiectum percipi, & ideo intellectio debet eſſe manifeſtatiua ipſius; per dicere autem vt per loquutionem aliquid profert.

9 Notandum tertiò. Cum in cognitione actuali duo concurrant, potentia fæcunda, & actualis cogitatio, actualis cogitatio duo importat, nempe aciem mentis, & formam repræſentatiuam obiecti. Acies mentis eſt intellectus quatenus per conatũ vitalẽ intendit in obiectum ex vi ſimilitudinis, quæ in ipſa imprimitur, vt docet Auguſt. 11. *de Trinit. cap.* 2. Forma verò repræſentatiua obiecti, qua informatur acies mentis, exprimitur ex illa habituali notitia, quæ eſt in memoria, ipſa autem acies mentis non exprimitur, quia non eſt aliud, quam vis animæ, qua percipitur. Obiectum ita D. Auguſt. 11. *de Trinit. cap.* 7.

10 Notandum quartò; intelligere hæc omnia importare memoriam fæcundam cum notitia latente, aciem animæ coniungentem potentiam cum obiecto, & formam, qua acies informatur, quæ ſit expreſſa de memoria. Ratio eſt, quia intelligere eſt actuale exercitium vitæ intellectualis; vnde requiritur vita intellectualis, quæ exerceatur. Acies mentis vt ratio exercendi, & forma expreſſa de memoria fæcunda, qua acies mentis informetur, tanquam medium, quo potentia coniungetur cum obiecto.

11 Notandum quintò intelligere Diuinum hæc omnia importare ſecluſis imperfectionibus; vnde nõ poteſt intelligi in eſſe completo, niſi poſita productione verbi: pater n. dicit naturã diuinã per modũ memoriæ fæcundæ, itaut ſecundũ talẽ rationẽ terminetur propria hypoſtaſi, & dicat relationẽ ad filiũ, vt docet Aug. 9. *de Trinit. c.* 11. filius autem dicit naturam diuinam tanquam aciem mentis, habentem formam expreſſam de memoria, quę nihil aliud eſt, niſi illa ratio verbi, quæ terminat productionem.

12 Notandum ſextò. Intellectionem aliquando ſumi pro ſola actione productiua verbi, ſicuti calefacio ſumitur pro ſola actione productiua caloris, aliquando verò ſumi pro perceptione obiecti, qua mens ipſum intelligit, & importat formaliter exercitium vitæ intellectualis.

13 Dico primo *dicere propriè ſumptum non importare ipſum verbum* deſumitur ex D. Auguſt. 15. *de Trinit. c.* 15. vbi ait, *Verbum verò noſtrum intimum, niſi noſtra cogitatione non dicitur.* Si autem verbum dicitur non eſt ipsũ dicere. Prob. dicere non eſt aliud, quam loqui. Verbum autem non eſt loqui, ſed terminus loquutionis, vnde dicere comparatur ad Verbum, vt productio ad terminum.

14 Dico ſecundo *ſi dicere ſumatur pro manifeſtare, tunc importat ipſum verbum: non tamen ſumitur ſecundum propriam rationem* ita D. Anſelm. *cap.* 32. *Monol.* & D. Auguſt. 15. *de Trinitate cap.* 21. Probatur: verbum eſt manifeſtatiuum, *vt quo*, obiecti, cum ſit ſimilitudo expræſſiua illius, ergo ſi dicere ſumatur pro manifeſtatione, importat Verbum.

15 Dico 3. *Dicere non importare actũ immediate prouenientẽ a memoria, qui ſit extra intelligere, & ipsũ præſupponat.* Prob. Actꝰ adæquatus, intellectꝰ vt talis, eſt intelligere, ergo extra intelligere adequatè sũptũ, nõ poteſt dari aliꝰ actus. Antecedẽs patet, quia intellectus eſt tãtũ virtꝰ intellectiua; vnde non põt operari, niſi intellectiuo modo.

16 Reſpondetur, Rada intelligere eſſe actum adæquatum in ratione operationis; non autem in ratione pro-du-

Digitized by Google

ductionis. Contra. Intelligere eſt finis vltimus intellectus, & vltima perfectio, ergo poſito intelligere non eſt poſſibilis alius actus, quia poſito vltimo fine, potentia non amplius operatur.

17 Dico quartò. *Dicere non importare, neque aliquo modo includere intelligere, prout dicit perceptionē obiecti*. Prob. Eſſentiale non eſt formaliter notionale, neque è contra, ſed intelligere eſt eſſentiale, dicere verò notionale: vnde dicere in ſuo conceptu eſt aliquid relatiuum, & non communicatur filio; intelligere verò eſt quid abſolutum, & communicatur filio, ergo. Confir. De ſuo formali dicere non importat aliud, niſi rationem productionis. In Diuinis autem productio ſecundum ſe totam eſt relatiua, & perſonalis. ergo

18 Dico quintò. *Dicere de ſuo formali, importare actionem intellectualem prouenientem à memoria fęcunda, quæ formaliter eſt productio Verbi, & dici poteſt intellectio, quatenus intellectio ſumitur, non pro perceptione obiecti, ſed pro actione productiua verbi*. Prob. Dicere eſt aliquid intra rationem intellectualitatis, & ordinatur ad Verbum, vt ad id, quod dicitur; vnde dicere Diuinum eſt verbum generare, vt ait Aug. *Tract. 14. in Ioannem*, ergo erit actio intellectualis productiua Verbi. Confirm. Dicere eſt actus notionalis Patris, tendens ad notionalem; vnde ipſi ſoli conuenit in ordine ad Verbum, quod dicitur, ergo ſe habet per modum actionis intellectualis importantis productionem. Quod autem dictum eſt de dicere, debet proportionaliter intelligi de ſpirare, ita vt ſit aliquid per modum productionis, in ratione amoris, proueniens à voluntate fæcunda, & ſit productio ipſius Amoris Perſonalis.

19 Ad fundamentum Scoti nos quoque ponere dicere diſtinctum ab intelligere, non vt actum præſupponentem ipſum intelligere, ſed ingredientē adæquatā rationē ipſius.

20 Obijcies. Dicere ſe habet per modum actionis, relatio verò per modum termini in facto eſſe, ergo dicere non importat formaliter relationem. Reſp. Relationem, quando fundamentum eſt in facto eſſe, ſe habere per modum termini in facto eſſe. Quando verò eſt in fieri, relatio quoque ſe habet in fieri, cum ergo dicere ſe habeat per modum actionis, relatio quoque ipſi proportionatur, & proinde erit relatio actualis generationis.

21 Ex dictis colligitur. Quomodo accipiendum, quando dicitur Verbum produci per intellectionem; tunc enim intellectio non accipitur pro ipſa perceptione obiecti, ſed pro actione intellectuali, quæ importat exercitium virtutis productiuæ.

An, & quomodo ſint aſſignanda Principia, et Productiones Proceſſionum Paſſiuarum.

SECTIO III.

22 Licet in Diuinis non ſit actus primus diſtinctus ab actu ſecundo; quia tamen adeſt aliquid æquiualens vtrique, ideo cogimur vti ad ipſum concipiendum conceptu tàm actus primi, quàm actus ſecundi.

Prima ſententia aſſerit, intelligere, & amare, prout ſe habent per modum operationis, eſſe productiones; intellectum verò, & Voluntatem principia à quo. ita D. Tho. 1. *p. q. 27. art. 5.* Bannes *dub. 1.* Molina *diſp. 2.* Zumel *diſp. 1.* Torres, *p. 2. eiuſdem diſputationis*. Granadus *tract. 2. de Trinit. diſp. 3. ſeſſ. 3.* Ruiz *diſp. 85. de Trinitate ſect. 1.* & alij: Probant. Productio mediat inter principium, & terminum; huiuſmodi autem intellectio, ergo. Secundò. In creatis productio verbi eſt intellectio. ergo

23 Secunda ſententia aſſerit, intellectionem, & volitionem, eſſe principia *quo*, non verò productiones. Ita Henricus *quodlib. 6. q. 3.* Suarez *1. de Trinit. cap. 8.* Cuniga *diſp. 2. de Trinit. dub. 6.* & alij Recentiores. Probant. Filius eſt ſapientia genita de ſapientia, vt docent Patres. Sapientia autem in Deo, non eſt per modum actus primi, ſed ſecundi. Secundò. Verbum habet notitiam ſibi communicatam à Patre, ergo intellectio eſt principium, quia illud eſt principium, quod formaliter communicatur. Tertiò. Pater eſt Beatus priuſquam producat verbum, ergo prius intelligens, ergo intellectio præcedit productionem.

24 Tertia ſententia diſtinguit duas actiones, nempe aliam, qua communicatur eſſentia, & aliam, qua producitur relatio, & vult reſpectu prioris, quam vocat actionē abſolutam, principium eſſe intellectum; reſpectu verò poſterioris, quam vocat relatiuam, principium eſſe ipſum intelligere. Ita Albert. *tom. 2. Corol. 12. ex prædicam. Ad aliquid.*

25 Dico primò. *Intelligere, & velle, quatenus eſſentialia ſunt, non eſſe principium quo, ex quibus procedat verbum, & Amor*. Probatur. Intelligere in genere intellectuali eſt vltima perfectio, & vltimus finis, ergo non poteſt eſſe principium, *quo*, productionis verbi. Antecedens patet. Tum quia eſt ipſa perceptio obiecti, vltra quā intellectus nō poteſt vlterius perfici. Tum quia Deus per intelligere eſt beatus; beatitudo autē eſt vltima perfectio. Conſeq. Probat. Si intelligere conſtituitur pro principio, non erit vltima perfectio, cum de ratione principij ſit dicere ordinem ad vlteriorem actum.

26 Dico 2. *Intelligere, & velle neque eſſe productiones*. Proba. Productio in Diuinis eſt notionalis, vnde non conuenit Spiritui Sancto, ergo non poteſt conſiſtere in intelligere, & velle, quia hæc ſunt eſſentialia.

27 Dices. Intelligere non eſſe abſolutè productionem, ſed prout eſt cum tali relatione. Cōtra. Vel participat intrinſecam rationem productionis, vel non. Si primū, ergo etiam in Spiritu Sācto erit formaliter ratio productionis. Si ſecundum, ergo ſolum erit productio id quod ſuperadditur. Confirmatur. Si eſſet productio cum tali relatione, ſemper exigeret aliquam relationem, cum qua exerceret rationem productionis.

28 Dico tertiò. *Principium, quo, productiuum verbi eſſe memoriam fæcundam, & Spiritus Sancti voluntatem fæcundam, vt ſupra explicauimus*. Prob. Illud eſt principium, *Quo*, ex quo exprimitur verbum. Sed exprimitur ex memoria fæcunda, ergo minor patet. Tū quia Memoria fęcunda continet verbū vt conceptum. Tum quia ita docet Aug. *11. de Tri. c. 7.* & *l. 15. c. 7. & 10.* D. Anſ. *c. 45. Mon.*

29 Reſpond. Cuniga memoriam eſſe fæcundam per ipſum actuale intelligere, quia non eſt memoria per modū habitus, ſed per modum actus ſecundo. Contra. Intelligere eſt operatio intellectus ſequens ex ipſa fæcunditate, ergo non poteſt eſſe ipſa fæcunditas, Confir. Ex eo, quod memoria ſit per modum actus ſecundi, ſequitur ſolum, quod ipſa fæcunditas ſit actualiter producens, ipſum verbum, non autem quod ſit formaliter ipſum intelligere.

30 Reſp. Albertin. D. Auguſt. tantum velle, quod memoria ſit principium actionis abſolutæ, qua communicatur eſſentia, non autem relatiuæ. Contra. Auguſt. docet, Memoriam eſſe principium, *quo*, reſpectu verbi, verbum autem producitur per actionem relatiuam.

31 Dico quartò. *Productiones Diuinas conſiſtere formaliter in dicere, & ſpirare*. Prob. Productio verbi in eo conſiſtit, quo exprimitur id, quod eſt in memoria. Exprimitur autem per ipſum dicere, nam dicere eſt quædam loquutio mentalis, qua de fæcunditate memoriæ formatur verbum, vnde etiam mediat inter principium, & terminū.

32 Dices cum Suarez. Verbū Diuinum immediatè procedere ex principio, *quo*, abſque intermediatione, quia talis actio importat imperfectionem. Contra. De fide eſt in Diuinis non ſolum adeſſe terminum, & principiū, ſed etiā proceſſiones actiuas, quę ſunt generatio, & ſpiratio, hę autem non ſunt formaliter termini, nec principia, alioquin principium ſe haberet per modum actus primi, & non per modum actus ſecundi.

33 Ad primum primæ ſententiæ reſp. Dicere, & ſpirare mediare inter terminum, & principium. Ad ſecundū. Etiā in creatis verbum produci, ex memoria fæcūda per dicere.

34 Ad primum ſecundę ſententiæ reſpondet. Verbum procedere vt ſapientiam de ſapientia, quia procedit ex memoria, in qua eſt ſapientia, quoad fæcūditatem expreſ-

ſiuam ipſius Sapientię per modum repræſentationis ipſius obiecti; hęc autem ſapientia ſe habet per modũ actus ſecundi, quia non eſt productiua, ſed actu producens.

Ad ſecundum negat. conſeq. quia ſufficit, quod Filius procedat à notitia, quæ eſt in memoria patris per modum fęcunditatis, vt habeat notitiam ſibi communicatam à patre. Ad 3. neg. aſſumptum Quia ſicuti pater intelligit producendo Verbũ, ita etiam eſt beatus; imo ſicuti pater conſtituitur per ipſum producere, ita non poteſt concipi prius beatus, quàm producat.

In Quo nam ſint origines Actiuæ.

SECTIO IV.

35 PRima ſententia aſſerit eſſe in perſona producta ita Henricus *quod libeto 6 q.* 1. Albertin. *corol.* 12. *ex prędicamento relationis quæſt.* 12. *Dub.* 3. & alij Recentiores. Probatur; origo actiua eſt actio realis, ergo non poteſt identificari cum perſona producente, nam debet ab ipſa emanare. Secunda origo actiua correſpondet actioni, actio autẽ eſt in termino. Tertiò origo actiua, & Paſſiua non opponuntur, ergo nec diſtinguuntur, ergo origo actiua eſt in ea perſona, in qua eſt paſſiua;

36 Secunda ſententia eſt communis, & aſſerit eſſe in perſona producente ita D. Thomæ *1. p. quæſt.* 41. *art.* 1. *ad* 2. Scotus *in* 1. *diſt.* 28. *Quæſt.* 3. §. *His communiter* Suarez *lib.* 6. *de Trinit. cap.* 2. & alij.

Probatur primò ex patribus, qui docent, patrem, & Filium ex eo diſtingui, quod ille generat, ille vero nõ. Secũdò producens, & productum debent diſtingui, ergo cum in Diuinis non diſtinguantur, ſecundum principium, *quo*, debent diſtingui ſecundum influxum. Tertio perſona producens cum ſit infinita, identificat ſibi omnes perfectiones in ſuo genere qualis eſt origo actiua; nec implicat talis identificatio, quia inter actum primum & ſecundum nulla eſt oppoſitio, ergo.

37 Notandum. Actionem duo importare; primum eſt facere in actu ſuæ virtutis principium; eſt enim reale exercitium virtutis productiuę, quę licet ſit extrinſeca agenti, eſt tamen exercitium ipſius, quia virtus productiua exigit exerceri per aliquid extrinſecum. Secundum eſt, vt ſit id, quo effectus formaliter profluit ab agente; & ideo eſt ratio communicatiua illius eſſe, quod effectus recipit, ſecundum autem vtramque rationem, ſe habet *vt quo*.

38 Notandum ſecundo, in diuinis originibus reperiri has duas rationes, quæ cum ſint ratio, cur vna perſona ſit ab alia per realem productionẽ, faciũt, vt perſona producẽs exerceat ſuam vim, & vt producta ſit à producente.

39 Notandum tertiò. Licet in Diuinis proceſſionibus non detur motus, & dependentia, datur tamen aliquis quaſi influxus, per quem vna perſona eſt ab alia; cum enim perſona verè producatur, debet poni actus ſecundus productionis, qui ſit formalis principiatio, & æquiualeat influxui: vnde ſecluſo motu, & dependentia non remanent puræ Relationes, ſed etiã aliquid quod ſit quaſi influxus.

40 Notandum quartò: diuerſo modo ſe habere productionem in Diuinis, ac in creatis; quia in creatis operatio eſt contingens, & operans poteſt operari, & non operari; in Diuinis verò eſt neceſſaria, & conuenit per eſſentiam. Rurſus in creatis ſupponit operans plenè conſtitutum in ſuo eſſe; in Diuinis verò præciſa operatione non eſt perſona producens conſtituta in ſuo eſſe.

41 Dico primò. *Originem actiuam prout dicit rationẽ exercitij virtutis productiuæ eſt in perſona producente.* Prob. Perſona producens eſt producens per eſſentiam, & nõ contingenter, ergo origo actiua importans exercitium virtutis productiuæ, eſt in perſona producente, quia quod eſt tale per eſſentiam, habet formaliter illam rationem ſibi intrinſecam, per quam eſt tale.

42 Dices. Sufficere, ſi origo ſit neceſſaria; tunc enim perſona erit producens per eſſentiam, quia erit talis conditionis, vt habeat neceſſariò originem actiuam, in perſona producta. Contra, pater in Diuinis non eſt filius per eſſentiam non alia ratione, niſi quia ab ipſo diſtinguitur, ergo nec erit producens per eſſentiam, ſi origo actiua ab ipſo realiter diſtinguatur; quia quod eſt realiter diſtinctum, non poteſt conſtituere eſſe intrinſecum Patris. Quod autẽ eſt tale per eſſentiam, eſt tale extrinſecè, & quidditatiuè.

43 Dico ſecundo. *In Diuinis originem actiuam diſtingui realiter in illas duas rationes, nẽpe in rationem exercitij virtutis: & in rationem communicationis.* Prob. perſona eſt eſſentialiter producens, & vt talis importat priorem rationem originis, vt perfectionem in genere producentis, & melius eſt conſtitui in eſſe producentis, per aliquid intrinſecum, quam per aliquid extrinſecum. Rurſus altera ratio originis eſt per modum tranſmiſſionis influxus in perſonã productam, ergo cum formali modo tranſmittat, debet eſſe in influxu tranſmiſſo, atque extra perſonam producentem, ergo ſeruat cum ipſo oppoſitionem termini, *vt Quo*.

44 Dico tertiò. *Originem actiuam ſecundum rationem, quæ facit perſonam originari, eſſe in perſona producta.* Prob. effectus formalis huius rationis eſt in perſona producta, ergo etiam cauſa formalis, cum ſit inſeparabilis ab effectu. Antecedens patet. Quia perſona producta dicit egreſſum per originem a producente.

45 Dices, effectum formalem actionis eſſe duplicem, nempe conſtituere agens in ratione agentis; & conſtituere terminum extra cauſam, & hunc poſteriorem effectum eſſe potius in genere efficientis. Contra, actio eſt forma communicationis, & ſe habet, vt Quo, reſpectu eſſe communicati, ergo ſe habet in genere cauſæ formalis: vnde progredi à principio eſt intrinſecum termino.

46 Ad primum negatur cõſeq. Nã ideo in creatis actio ex natura ſua emanat a producente, quia emanat, vt eſt ratio, qua effectus fit, & non dicit exercitium virtutis productiuæ, quod ſit intrinſecũ, & eſſentiale producenti. In diuinis vero dicit, & ideo emanat tantum vt eſt ratio cõmunicationis. Ad ſecundũ diſtinguo minorẽ. Actio accidentalis eſt in termino, non autem eſſentialis; vnde, quia etiam in Diuinis perſona eſt producens intrinſecè, & eſſentialiter, ideo exigit in ſe originem, & dicit rationem exercitij. Ad tertium negat. antecedens, ſi intelligatur de origine actiua, vt dicit rationem exercitij.

47 Ad primum Secundæ Sententiæ. Patres eſſe intelligendos de orgine actiua, vt importat rationem exercitij generandi.

Ad ſecundum diſtinguo conſequens. debent diſtingui ſecundũ influxũ, ita vt ſecũdũ exercitiũ producendi ſit in producente, & ſecundũ rationẽ cõmunicationis ſit in producto concedo. Non autẽ alio modo. Ad tertiã perſonam producentẽ identificare ſibi omnia, cũ quibus non habet oppoſitionẽ; origo autem actiua, vt dicit rationem communicationis, habet oppoſitionem, vt patet ex dictis.

48 Obijcies. Actio, & Paſſio opponuntur, ergo cũ tota origo actiua ſit actio, opponetur origini paſſiuæ, ergo ſecũdũ ſe totam diſtinguetur, & erit in perſona producente? Reſpond. Actionẽ, & paſſionẽ opponi ratione terminorũ, quia vna reſpicit agens, & altera paſſũ, ſecundũ autem ſe non opponũtur, cum ſint idem influxus. In diuinis autem etiã illa ratio, quæ importat cõmunicationem, opponitur cũ altera ratione, quæ dicit exercitiũ virtutis, & oppoſitio prouenit, quia eſt ratio, cur terminus prodeat à producente, & ideo non opponitur cum origine paſſiua.

Quomodo ſint explicandæ orgines.

SECTIO V.

49 CErtũ eſt, Origines actiuas importare rationẽ productionis, atq. adeo operationis, & hęc operatio eſt intra ordinẽ intellectionis, & volitionis, nõ eſt autẽ factio, & cõſequẽter nec operatio proprie dicta, vt eſt de fide

ex

Digitized by Google

ex Symbolo Niceno, vbi de filio dicitur *Genitum non factum*. Factio enim importat terminum diſtinctum, ſecundum naturam. Neque etiam eſt Creatio, quia cum perſonæ productæ ſint conſubſtantiales producenti, ſunt de ſubſtantia ipſius, non autem ex nihilo; Neque eſt eductio, quia non eſt ex præſuppoſito ſubiecto, neque eſt actio propriè dicta, quia actio importat exitum de potentia ad actum, & motum, quo res mouetur de non eſſe ad eſſe; & connotat terminum dependentem a producente. Difficultas autem eſt, an origo ſe habeat ad modum actionis, ſeclusis imperfectionibus; An vero ad modum relationis prædicamentalis.

50 Prima ſententia aſſerit, ſe habere tantum ad modum relationis prædicamentalis, pro qua ſolet citari, Scotus *in 4. diſt. 13. quæſt. 1.*

51 Secunda ſententia ait, origines actiuas ſe habere per modum actionis, ita D. Thomas 1. *p. quæſt. 41. art. 1. ad 2.* Capreol. *in 1. diſt. 27. art. 3. ad 2.* Cuniga *diſp. 2. de Trinit. dub. 12. memb. 1.* Ruiz *diſp. 33. ſect. 4.* & communiter.

52 Dico primo *origines actiuas non ſe habere per modum relationis purè prædicamentalis*. Probatur relatio prædicamentalis, cum ſit purus reſpectus, tantum purè refert; Origines autem non ſunt rationes purè referentes, cum conſtituant perſonas in ratione producentis.

53 Dico ſecundo *Origines actiuas ſe habere ad modum actionis ſeclusis imperfectionibus, et intrinſecè importare reſpectum ad terminum æquiualentem reſpectui tranſcendentali, quem dicit principium ad ſuum terminũ*. Probatur de ratione originis eſt ſecundum ſuam præciſam rationem, vt ponat in eſſe terminum, ipſum inferendo ex vi virtutis productiuæ; è contra autem de ratione relationis prædicamentalis eſt, vt ſupponat terminũ, ergo cũ de ratione actionis ſit ponere in eſſe terminũ, eo modo, quo poſcit, origo ſe habebit per modũ actionis.

54 Dico tertio. *Origines actiuas eſſe immanentes*. Pro cuius intelligentia, Aduertere oportet, actionem non dici immanentem, quia non exeat à producente tendendo ad terminum diſtinctum, ſed quia non recipitur in ſubiecto diſtincto à producente: vnde in Diuinis eſt maior ratio immanentiæ, quia origo ponit ſuum terminum in natura producentis, per identificationem. Et licet terminus ſit ſuppoſitum diſtinctum, ſaluatur tamen immanentia, quia ſtat cum vnitate naturæ. Concluſio eſt de fide. Probatur Ioannis 1. *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum* Et rurſus. *Vnigenitus, qui eſt in ſinu patris*, & cap. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*.

55 Dico quarto. *Origines Diuinas eſſe per modum actionis vitalis*. Probatur operatio intellectualis, & volitiua in creatis ideo eſt vitalis, quia importat exercitium vitæ intellectualis; ſed etiam in Deo productiones ſecundum intellectũ, & voluntatem ſunt tale exercitium, ergo.

56 Obijcies ex D. Auguſt. *de Trinit. cap. 5.* vbi docet. In Deo nihil aliud eſſe, præter eſſentiam, & relationẽ, ergo non eſt actio. Reſpond. negando conſequentiam; quia per relationem non intelligit purum reſpectum, ſed quidquid non eſt abſolutum; vnde includit etiam originem, quia eſt ad aliud.

57 Obijcies ſecundo. In natura intellectuali ſunt tantum duæ operationes immanentes, intelligere, & velle, origo autem non eſt aliqua ex his, ergo. Reſpond. eſſe duas tantum operationes immanentes adæquate ſumptas, in quibus tamen diſtinguntur diuerſi actus; alius qui eſt productio termini, & alius qui eſt attingentia obiecti, origines autem important productiones.

58 Obijcies tertiò. Actio ex intrinſeca ſua ratione importat dependentiã, ergo ſi in Diuinis eſt actio, ſaltẽ perſonalitas, quæ producit? dependebit. Reſpond. Actionem propriè dictã importare dependentiã, quia tendit ad terminũ habentem, eſſe participatum. Perſonalitas verò, licet producatur, non tamen eſt quid participatum, quia ex identificatione cum Diuina eſſentia eſt ens à ſe.

59 Obijcies quartò de ratione operationis vitalis eſt, vt viuens aliquid per ipſam operetur intra ſe, quod non pertineat ad ſui cõſtitutionem. Sed per has operationes producitur aliquid, quod pertinet ad complementum naturæ diuinæ, ergo. Reſpond. de ratione operationis vitalis eſſe tantum, vt tendat ad perficiendum viuens; in creatis autem perficit accidentali modo, & ideo non pertinent ad conſtitutionem viuentis: in Diuinis autem pertinent ad conſtitutionem, quia ſunt operationes, quæ conueniunt Deo per eſſentiam.

60 Quæres. An origines paſſiuæ ſe habeant per modum paſſionis. Reſpond. negatiuè; quia in paſſione nihil poteſt conſiderari, quod ſit pura perfectio, ſemper enim paſſum importat aliquam potentialitatem.

An Origines Actiuæ Importent formaliter aliquid de Eſſentia.

SECTIO VI.

61 PRima ſententia aſſerit, de ſuo formali importare intelligere, & Velle quatenus ſunt in perſonis producentibus, & connotare relationes. Citantur pro hac ſententia, Caiet. 1. *part. quæſt. 27. art. 1.* Torres *art. 5. diſput. vnica p. 2.* Capreol. *in 1. diſp. 27. quæſt. 2. art. 1. concluſ. 2.* Et tradit. ex profeſſo a Zumel. 1. *p. quæſt. 51. art. 1. diſp. 1. Concluſione 1.* Probatur producere Patris, eſt eſſe ipſius, eſſe autem patris eſt intelligere. Secundò. In Deo potentia, & actus ſunt idem, potentia autem generatiua eſt intelligere. Confirmatur. Origo dicit exercitium facultatum immanentium, facultates autem immanentes ſunt intellectus, & voluntas tertio Diuina actio eſt eius ſubſtantia, ſubſtantia autem eſt quid eſſentiale. Quartò. Verbum non poteſt repræſentare formaliter, niſi cognitio ſit productio ipſius, ergo.

62 Secunda ſententia ait, originem actiuam importare aliquid notionale, nempe habitudinem producentis ad productum ita D. Thomas 1. *p. q. 41. art. 1.* Scotus *in 1. diſ. 28. q. 2.* Bannes 1. *part. q. 40. art. 2. dub. 3.* Molina *diſp. 2. Membro 3.* Suarez *6. de Trinit. c. 2.* Ruiz *diſp. 84. de Trinit. ſect. 2.* & alij.

63 Dicendum eſt. *Originem actiuam non importare in recto, & formaliter aliquid eſſentiale, ſed tantum aliquid notionale*. Probatur per originem conſtituitur formaliter ſuppoſitum in eſſe producentis, ergo non poteſt importare aliquid eſſentiale. Antecedens patet; quia origo actiua importat actuale exercitium productionis, conſequentia probatur perſona producens ſecundũ rationẽ principij diſtinguitur à producta, quia de ratione actualis principij eſt, vt diſtinguatur ab eo, quod à ſe ipſo procedit, ergo.

64 Dices. Hoc procedere de origine actiua adæquatè ſumpta, nã tali pacto dicit etiam relationem. Contra; quia procedit de origine ſecundum formalem rationem originis, origo autem vt talis, eſt ipſa ratio principiandi, et ideo eſt aliquid notionale.

65 Ad primum Reſpond. producere patris eſſe ipſum eſſe Patris, vt Pater eſt, intelligere autem non eſt eſſe Patris, vt pater eſt, ſed vt Deus eſt. Ad ſecundum negatur minor; nam potentia generatiua eſt memoria fæcunda, nõ autẽ intelligere, & ideo actus memoriæ dicit Originẽ, hic autem actus eſt ipſum dicere, quod eſt quid notionale. Ad confir. Originẽ eſſe actum facultatum immanentium, ſed productiuum, & ideo eſſe ipſum dicere, & ſpirare notionale. Ad tertiũ. Diuinam actionem eſſe ſubſtantiam Dei, quatenus quidquid eſt in Deo pertinet ad ſubſtantiã ipſius, non autẽ quatenus ſubſtãtia ſumitur pro eſſẽtia contradiſtincta à notionalibus. Ad quartũ vt verbũ repræſentet formaliter, ſufficere ſi producatur per actionem intellectiuam, hæc autem actio non eſt intelligere, ſed dicere.

66 Colligitur ex dictis origines actiuas ſecundum quod ſunt in perſona producente, diſtingui realiter a paſſiuis, correſpondentibus ratione oppoſitionis, quam habent ad inuicem, & ſimiliter etiam ab actiuis, prout ſunt in

Digitized by Google

in perſona producẽte, cum ſimiliter habeant oppoſitionẽ cum ipſis. Hæc autem diſtinctio eſt pluſquam numerica, quia, quę ſolo numero differunt, non habent Oppoſitionem ad inuicem, prouenit autẽ hæc diſtinctio formaliter ab oppoſitione, connotatiuè autem ex diuerſis terminis.

67 Colligitur ſecundò. Origines actiuas comparatas cum Paſſiuis correſpondentibus, vt eſt generatio actiua, cum proceſſione paſſiua diſtingui realiter; quia generatio actiua eſt propria Patris, nec communicatur Spiritui Sancto, & hæc ſimiliter diſtinctio eſt pluſquam numerica ratione diuerſi modi ſe habendi, & ratione diuerſi effectus veluti formalis.

68 Colligitur tertiò. Origines actiuas, prout ſunt in eadem perſona, diſtingui inter ſe ex diuerſo modo productionis ſecundum noſtros conceptus in ordine ad terminos diſtinctos; reſpiciunt enim Filium, & Spiritum Sanctum, & ſunt actuale exercitium fœcunditatis, in diuerſo genere. Non eſt autem realis diſtinctio, cum inter ipſas nulla ſit origo, & oppoſitio.

69 Colligitur quartò. Origines Actiuas ſecundum illas rationes, ſecundum quas ſunt in Perſonis productis, non diſtingui realiter à Paſſiuis, earundem Perſonarum, quia non adeſt oppoſitio inter ipſas, ſed tantum ſecundum noſtros conceptus; quia origo actiua importat rationem communicationis, Paſſiua verò dicit ipſum recipere: vnde actiua reſpicit Perſonam producentem tanquam ratio dandi; Paſſiua verò tanquam ratio recipiendi.

70 Colligitur quintò. Origines actiuas, ſecundum quod ſunt in perſonis productis, diſtingui realiter inter ſe, quia perſonę productę nihil habent commune notionale; hæc autem ratio originis eſt quid notionale.

Quid formaliter per origines, ſeu Proceſſiones communicetur.

SECTIO VII.

71 Certum eſt de fide, Proceſſiones Diuinas importare communicationem Diuinæ naturæ, & Productionem perſonalitatis. Rurſus certum eſt etiam per quamlibet Proceſſionem totam Diuinam naturam communicari cuilibet perſonę, alioquin non eſſent conſubſtantiales; ſolum ergo difficultas eſt, quid communicetur ex vi Proceſſionis, formaliter nimirum, an tota natura, an verò aliquid ſpeciale attributum.

72 Prima ſententia aſſerit, Diuinam naturam communicari tantum materialiter; formaliter verò ex vi proceſſionis attributum, nempe Filio intelligere, & Spiritui Sancto Amor, ita Recentiores communiter, præſertim Suarez *11. de Trinitate cap. 5.* Probatur primò ex Patribus, qui docent, Filium eſſe Sapientiam genitam de ſapientia, & quatenus filium, eſſe Verbum. Secundò. Verbum procedit formaliter vt ſummè repræſentatiuum; eſſe autem repræſentatiuum habetur per intelligere. Tertiò. Filius procedit formaliter vt Verbum; Verbum autem nequit intelligi ſine notitia, cum ſit id, quo Perſona intellectualiter loquitur. Quartò. Pater, dum producit Verbum, intendit tantum formaliter exprimere ſuam ſcientiam. Hoc autem fit, dum intelligere communicatur Perſonę productæ. Quintò. Si ex vi proceſſionis formaliter communicaretur eſſentia Diuina, etiam Spiritus Sanctus eſſet genitus, nam ex vi proceſſionis haberet eandem num. naturam cum producente; vnde procederet vt ſimilis.

73 Secunda ſententia negat, communicari ex vi proceſſionis formaliter aliquid ſpeciale attributum. Ita Torres *q. 27. de Trin. art. 2. p. 4. in reſp ad 2.* Vaſquez *1. p. diſput. 113. cap. 6.* Cuniga *diſp. 2. de Trin. dub. 20. Memb. 8.*

74 Dico primò. *Ex vi Proceſſionis formaliter communicari totam, & adæquatam naturam Diuinam.* Prob. Proceſſio formaliſſimè ſumpta eſt infinita ſecundum rationem proceſſionis, & infinitas imbibitur in eius formali modo tendendi, ergo ex vi ipſius formaliter communicatur tota natura Diuina. Antecedens eſt certum. Quia infinitas imbibitur in omni ratione, quæ eſt in Deo. Tum quia ſi non eſſet infinita, eſſet finita, atque adeo haberet terminum finitum. Conſequentia probatur. Quia cum ſit infinita in ratione Proceſsionis, eſt etiam in ratione communicationis, atque adeo formaliter eſt communicatiua alicuius infiniti ſimpliciter.

75 Dices ſufficere, ſi formaliter communicetur attributum infinitum. Contra. Licet attributum ſit infinitum in ſua propria ratione, non tamen eſt infinitum in ratione communicabilis, quia non adæquat quidquid in Deo eſt communicabile. Communicatio autem infinita adæquat quidquid eſt communicabile, & ideo totam naturam Diuinam, vt formaliter correſpondentem communicationi, quia cum communicatio ſit infinita in ratione communicationis, debet illi correſpondere aliquid infinitum in ratione communicabilis. Confir. Si ex vi proceſsionis formaliter communicatur tantum ſpeciale attributum, Filius ex vi proceſsionis formaliter, & explicitè, non eſſet æqualis Patri, quod dici non poteſt, quia formaliter procedit vt Filius, de cuius ratione eſt æqualitas in natura. Sequela probatur. Nam attributum non eſt tota natura, & Pater ratione naturæ importat adæquatam Deitatem.

76 Dices. Sufficere, ſi communicetur Diuinum intelligere; in quo implicitè continetur Deitas. Contra. Vel Deitas communicatur ex vi proceſsionis formaliter, vel non. Si primum, ergo ex vi proceſsionis formaliter communicatur tota natura. Si ſecundum, ergo ex vi proceſsionis formaliter filius non eſt ęqualis patri, cum ęqualitas conſiſtat in eo, quod ſit Deus, vt docent patres, præſertim Auguſt. *1. de Trinit. cap. 6.*

77 Dico ſecundò. *Ex vi Proceſſionis formaliter communicari naturam, ſecundum ſpecialem rationem terminabilitatis Perſonalis, ita vt terminabilitas ſit illud formale, ſub quo communicatur tota natura.* Probatur. Natura Diuina ſecundum ſe totam, eſt in qualibet Perſona, & infinito modo cuilibet communicatur, ergo debet habere diuerſos modos communicabilitatis, ratione quorum exigat eſſe in pluribus, iſte autem modus eſt formalis ratio, ſub qua Natura Diuina communicatur. Confirmatur. Perſonalitates habent diuerſum modum terminandi, ergo etiam natura diuerſos modos terminabilitatis, ergo etiam diuerſas rationes, ſub quibus communicetur, quia communicatur, vt eſt terminabilis.

78 Ad primum. Illas loquutiones Patrum, & Conciliorum, quibus ſignificatur, filium procedere vt ſapiẽtiam genitam, & Spiritum Sanctum vt Amorem, atque alias huiuſmodi nihil aliud indicare, quàm diuerſas proceſsiones, videlicet generationem, & ſpirationem, quarum vna ſit ab intellectu, & altera à voluntate, & quod natura ſub diuerſa ratione formali communicetur; non autem, quod ex vi proceſsionis formaliter communicetur ſolum aliquid attributum.

79 Ad ſecundum. Verbum non eſſe repræſentatiuum, niſi vt verbum eſt, vt autem tale non importat intelligere, quia intelligere, eſt aliquid eſſentiale, vnde ſequitur ſolum quod ex vi proceſsionis procedat vt Verbum infinitum. Ad tertium. Ex eo, quod Verbum non poſsit intelligi abſque notitia, non ſequitur, quod formaliter communicetur intelligere, ſed ſolum, quod in Diuinis detur intelligere, quia datur etiam verbum. Ad quartum. Patrem in productione verbi intendere, exprimere ſcientiam, quam habet in memoria fœcunda, quod ſit formaliter ratione verbi, quod tamen formaliter non eſt ipſum intelligere eſſentiale. Ad quintum. Cur Spiritus Sanctus non ſit genitus, videbimus infra; interim ſufficit, quod non procedat ex memoria fœcunda, ſicuti procedit Verbum.

DE

DE EXISTENTIA DIVINARVM Relationum.

DISPVTATIO XXXXXIV.

An in Deo dentur relationes Reales.

SECTIO I.

1 EX Proceſſionibus, quas certum eſt dari in Diuinis, conſurgunt relationes, quia perſona producens, & producta dicunt ordinem ad inuicem in ratione principij, & termini.

Dicendum eſt. *Perſonas Diuinas importare relationes reales*; eſt de fide ex Concilio Tolet. 12. *in Confeſſione fidei*, ex Epiſtola *Sophronij approbata in 6. Synodo, actione 3.* & deſumitur ex ſcriptura, quatenus Perſonæ Diuinæ nominantur nominibus relatiuis, nempe Patris, Filij, & Spiritus, qui eſt à Patre. Probatur. Quando aliqua ex creatis tribuuntur Deo, tribuuntur etiam cætera, quæ in ipſis inuoluuntur, aut ſunt neceſſariò connexa, & non dicunt imperfectionem, ergo cum de fide ſit, Deum eſſe realiter Patrem, & in ipſo eſſe Generationem, & Proceſſionem, debet etiam tribui relatio, quæ eſt connexa cum productione, & quia producens, & productum inuicem ordinantur.

2 Obijcies. Vnum relatiuum habet totum ſuum eſſe ad aliud, & cum ipſo ſe mutuò infert, ergo dependet. In Deo autem non eſt dependentia. Reſpond. Quidquid ſit, an vnum relatiuum dependeat ab alio; In Diuinis eſſe diſparem rationem, quia ſunt relationes per eſſentiam; vnde vna tantum coexigit aliam, & hæc coexigentia fundatur in eſſentia, quæ exigit tres Perſonalitates pro termino adæquato.

3 Obijcies ſecundò. Relatio non poteſt importare eſſentiam, atque in perſona producente ſupponit actionem productiuam, atque adeo Perſonam conſtitutam, ergo Pater, Verbi gratia, erit Pater, antequam referatur. Reſpond. negando ſecundam partem Antecedentis. Quia relatio, non eſt pura relatio, ſed ſimul refert, & conſtituit Perſonam, & importat productionem.

4 Obijcies tertiò. Relatio non eſt neceſſaria, vt pater ſit realiter pater, nam Deus eſt realiter Dominus abſque relatione reali, ergo. Reſpondetur negando antecedens & ad probat. Deum eſſe Dominum prout dicit aliquid reale, nempe potentiam coercitiuam ſupra creaturas.

5 Obijcies quarto. Relatio non poteſt conuenire Deo, ſecundum ſubſtantiam; quia omnia ſubſtantialia ſunt abſoluta, & neque ſecundum accidens, ergo. Reſpond. Conuenire ſecundum ſubſtantiam, quatenus ſubſtantia importat totum eſſe Dei; vnde conueniunt neceſſariò. Si autem ſubſtantia ſumatur pro eſſentia, non conuenit ſecundum ſubſtantiam.

6 Obijcies quinto. Relatio ſupponit extrema realiter diſtincta; in diuinis autem non poteſt habere locum alia diſtinctio, quam perſonalis, ergo non eſt ponenda vlterior diſtinctio ſecundum relationem. Reſpond. Supponere extrema diſtincta, quando contingenter aduenit, & eſt pura ratio referendi. In Diuinis autem nec contingenter aduenit, nec eſt pura ratio referendi, & ideo eſt ratio diſtinctiua.

An Relationes Diuinæ ſint reales ſecundum eſſe Ad.

SECTIO II.

7 IN Relatione diſtinguitur eſſe *ad*, & eſſe *in*, primum dicit propriam rationem relationis, per quā à cæteris entibus contradiſtinguitur. Secundum importat rationem communem cum alijs accidentibus & eſt id, quo realiter eſt in ſubiecto.

8 Prima ſententia aſſerit, non eſſe Reales, ſecundum eſſe *Ad* præciſè & vult quod eſſe *Ad* relationis præſcindat ab eſſe reali, & rationis, & ſolum fiat reale per eſſe *In*. Ita Caietanus *parte prima q. 28. art. primo* Ferrarienſ. 2. *contra Gentes cap. 9.* Torres *q. 28. de Trinit. art. 1.* Nazar. *prima parte q. 28. art. 1. controu. vnica concl. 2.* citant etiam D. Thomam eodem loco *primę partis*. Probatur Relatio realis conuenit in eſſe *Ad*, cum relatione rationis, ergo non poteſt eſſe reale. Secundo. Quidquid eſt in Deo, eſt ſubſtantia, aut formaliter, aut identicè, ita vt ſubſiſtat in natura Diuina, ſed eſſe *Ad* relationis, neq; formaliter eſt ſubſtantia, neque in ipſa ſubſiſtit, quia non dicit eſſe *in*. Ergo. Tertiò diſtinctio perſonarum ſecundum relationem eſt quaſi extrinſecus intellecta, vt docet Cyril. 2. *Theſaur. cap. 3.* vnde relatio, vt talis, non poteſt prædicari de Deo, vt docet Boetius *de Trinitate*. ergo.

9 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita D. Bonauent. *in primo diſt. 27. quæſt. 2.* Durandus *ibidem*. Maior. *q. 1.* Molina *p. p. q. 28. art. 1.* Bannes *dub. 1.* Valquez *diſput. 114. cap. 2.* Suarez *5. de Trinit. cap. primo* Cuniga *diſp. 3. dub. 1.* & deſumitur ex D. Thoma *prima par. quæſt. 28. artic. 1.*

10 Notandum primò. Cum à ſcriptura, & Concilijs tribuantur diuinis Perſonis nomina relatiua, debent relationes eſſe reales, eodem pacto proportionaliter, quo ſunt reales in creatis, quia nomina idem proportionaliter ſignificant; realitas autem relationis ſecundum eſſe *Ad* non importat aliquid ſupra extrema abſoluta, ſed ipſa tantum, prout veniunt in mutuam complexionem; & ideo reſpectus eſt realis, quia extrema ex natura ſua important quandam mutuam connexionem. Neque tamen ſequitur, quod relatio ſecundum eſſe *Ad*, ſit tantum obiectiuè in intellectu: nam re vera intellectus attingens talem connexionem, aliquid intelligit imbibitum in eſſe obiecti.

11 Notandum ſecundo. Realitatem Diuinarum relationum non eſſe aliud, quàm eſſe notionale cuiuſcunque perſonæ, quatenus ab intrinſeco ſuo venit in complexionem cum notionali alterius, & cum ipſo connectitur; vnde illud notionale non erit merus reſpectus, ſed aliquid aliud ex cuius intrinſeco ſequatur talis connexio, quæ tamen ſit neceſſaria ſimpliciter ea neceſſitate, qua Deus habet eſſe.

12 Dicendum eſt. *Relationes Diuinas eſſe reales etiam* ſecundum eſſe *Ad*. Probatur. Perſonæ Diuinæ ita ſe habent, vt ex vi ſui eſſe intrinſeci vna coexigat alteram, nec poſſit eſſe ſine illa, ergo dicunt relationem realem ſecundum eſſe *Ad*. Antecedens patet. Nam non poſſumus intelligere Patrem ſecundum eſſe Patris, niſi ex vi eſſe obiectiui Patris cōceptus noſter extendatur etiam ad Filium; & quando intelligimus Patrem, intelligimus aliquid quaſi intrinſecum, ergo vna Perſona vt talis, exigit aliam & ad ipſam ordinatur. Conſequent. prob. quia eſſe *Ad* relationis non eſt aliud, quàm ille ordo, quo vnum connectitur cum alio. Confirmatur. Quod conuenit Deo ex vi ſuæ infinitatis, eſt reale, ſed relationes ſecundum eſſe *Ad* conueniunt Deo ex vi infinitatis, ergo. Minor probatur. Nam ex vi ſuæ infinitatis conueniunt tres Perſonalitates, quibus terminatur natura cum ordine originis ad inuicem; In hoc autem ordine importat hoc eſſe *Ad* relationis.

13 Ad

Digitized by Google

13 Ad primum. Reſpond. Eſſe *Ad* relationis rationis eſſe ipſum eſſe *Ad* relationis realis, quia relatio rationis concipitur ad modum realis; omne enim ens rationis mutuat ab ente reali illam rationem entis, ſecundum quam concipit. & ideo non eſt diuerſum eſſe *Ad*, ita vt interueniat conuenientia.

Ad ſecundum Eſſe *Ad* Diuinæ relationis eſſe quid reale realitate diuinæ ſubſtantiæ; neque adhoc eſt neceſſarium eſſe *In*, quia non dicit aliquid ſuperadditum Perſonalitati; ſed eſt ipſa Perſonalitas, vt coexigens aliam Perſonalitatem, & ideo realitas relationis, non eſt realitas alicuius inexiſtentis, ſed alicuius ſubſiſtentis, cum coexigentia termini.

Ad tertium. D. Cyrillum diſtinctionem perſonalem vocare quaſi extrinſecus intellectum, quia non poteſt intelligi, niſi per terminum realiter diſtinctum. Boetius autem docet, quod relatio non faciat prædicationem, quia non ponit in relatiuo aliquid de nouo, ſed tantum ipſum ordinet ad aliud, vnde loquitur de prædicatione inexiſtentiæ, non autem ordinis.

DE RELATIONIBVS Comparatis ad eſſentiam,

DISPVTATIO XXXXXV.

An relationes diſtinguantur realiter ab eſſentia.

SECTIO I.

1 EX Hæreticis Thodoſiani, Angelitę, & Damianiſtæ omnes, ex tertia ſecta ſeueritarum, aſſerunt, Perſonas Diuinas non eſſe ipſam naturam Diuinam, ſed habere communem naturam, ſeu Deitatem in ſe ipſis exiſtentem. Ex Catholicis autem Gilbert. Poretan. realiter diſtinguebat relationes ab eſſentia, aſſerens ab æterno eſſe aliquid in Deo, quod non eſſet Deus.

2 Dicendum eſt. *De fide eſſe relationes diuinas non diſtingui realiter ab eſſentia*. Ita communiter cum Magiſtro *in pr. diſt.* 33. & D. Thomas *p. p. q.* 28. *art.* 2. & definitum fuit contra Gilbert. in Concilio Rhemenſi *ſub Eugenio* 3. quod fuit approbatum quòad hanc partem ab ipſo Pontifice. Probatur. Si relatio eſt diſtincta realiter à natura Diuina, vel eſſet Deus, vel non. Si primum, ergo quatuor Dij. Si ſecundum, ergo aliquid creatum, quia quidquid eſt, & non eſt Deus, ſeu ens per eſſentiam, eſt aliquid participatum.

3 Dices. Non eſſe Deum, ſed aliquid de ipſo Deo. Contra. Relationes, vt contradiſtinctæ à natura Diuina, habent proprium eſſe, quod neque identice eſt ipſa natura, ergo vel hoc eſſe eſt quid creatum, & ſic erit creatura, vel increatum, & ſic erit Deus.

4 Obijcit Gilbert. Si eſſentia, & relatio eſſet eadem res, ſicuti Perſona Filij eſt incarnata, & paſſa; ita etiam eſſet incarnata Deitas. Reſpond. Diſting. ſequel. natura diuina eſſet incarnata, & paſſa, prout in Filio, ſeu ratione Perſonæ Filij ex identitate cum ipſo; non autem ſimpliciter incarnata, quia non terminauit naturam humanam ſecundum rationem Deitatis.

5 Obijcit ſecundo. Sequeretur, quod Diuina eſſentia generaretur. Reſpond. negando ſequelam. Quia ſola Perſona diſtinguitur & ideo ſola generatur; quia terminus generationis debet eſſe diſtinctus à generante, vnde ſolum quod eſt generatio reſpectu Perſonæ, eſt communicatio reſpectu eſſentiæ.

6 Obijcit 3. Eſſe relatiuum eſt aliquid præter relationem, ergo ſupponit abſolutum. Reſp. Eſſe aliquid præter relationem, non per realem diſtinctionem; ſed ſecundum modum concipiendi, vt contingit in creatis, in relatiuis traſcendentalibus,

An Relationes diſtinguantur ab eſſentia aliquo pacto ante opus intellectus.

SECTIO II.

7 PRima ſententia eſt Durandi *in primo diſt.* 13. *q.* 1. qui ait, diſtingui ab eſsentia aliquo modo realiter, nempe tanquam modum à re; non autem tanquam rem à re, ſeu realitatem à realitate. Prob. eſsentia Diuina eſt in aliquo ſuppoſito, in quo non eſt relatio; vnde in filio non eſt paternitas, ergo ſecluſa operatione intellectus adeſt diſtinctio.

8 Secunda ſententia aſserit, diſtingui ex natura rei formaliter, ante operationem intellectus, ita Scotus *in* 1. *diſt.* 2. *q.* 7. §. *ſedhic reſtat* Lychet. & Tutaret. *ibidem*. Maior. *q.* 13. Gabriel *q.* 1. *art.* 1. *&* 3. Marſil. *q.* 6. *art.* 2. Rada 1. *p. contr.* 4. & communiter Scotiſtæ; hęc autem diſtinctio formalis ex natura rei, ſtat cum identitate entitatiua, & ſimplicitate, & conſiſtit in eo, quod in obiecto ſint aliquę formalitates, quæ ex natura ſua ſecundum eſse formale ſe excludant; ita Scotus *citatus*. Probat. Deus ſecluſo omni actu intellectus non eſt Deus Paternitate, ſed Deitate; nec Pater Deitate, ſed Paternitate, vt ait Auguſt. 7. *de Trinitate cap.* 2. ergo Deitas, & Pater ex natura rei diſtinguuntur. Secund. Diuina eſsentia à parte rei eſt communicabilis, non autem Paternitas. communicabile autem, & incommunicabile ex natura ſua non ſunt idem. Confirmatur Pater cognoſcit ſuam eſsentiam eſse ex natura ſua communicabilem, & non Paternitatem, nec format diſtinctionem rationis, ergo. Tertio. Si Paternitas eſset idem formaliter cum eſsentia, ante opus intellectus, eſsentia vt eſsentia conſtitueret Patrem diſtinctum à Filio, & eſset ratio diſtinguendi, ergo. 4. Pater, & Filius ſunt idem in eſsentia, & diſtincti in relationibus, ergo.

9 Tertia ſententia aſserit, non diſtingui ante opus intellectus, D. Thomas. *p. p. q.* 28. *art.* 2. *adſecundum*. Bannes *dub.* 3. Zumel *diſp.* 2. Molina *diſp.* 5. Vaſq. *diſp.* 120. *cap.* 4. Suarez 3. *de Trinitate cap.* 8. Ruiz *diſp.* 22. *de Trinit ſect.* 3. *& ſequentibus*, & alij.

10 Notandum primò; modum concipiendi poſse conſiderari, vel ex parte intellectus, vel ex parte medij. Primo modo dicit illam modificationem, quam res habet in eſse repræſentatiuo, fundatam in virtute præciſiua intellectus. Secundo modo dicit illam modificationem, quam habet ratione medij, per quod concipitur, nempe ratione ſpeciei. Hinc obiectum modificatur iuxta vim repręſentatiuam ſpeciei. Ex hoc autem ſequitur, intellectum ratione medij cogi concipere finito modo, quidquid de Deo intelligit, quia habet tantum ſpecies rerum finitarum, per quas concipiat.

11 Notandum ſecundo. Ad diſtinctionem formalem ex natura rei non ſufficere, quod proueniat, ratione modi concipiendi, ſe tenentis ex parte medij; nam ſe debet tenere ex parte obiecti, & ab intrinſeco illius prouenire. Sic quando Deus concipitur corporeo modo, non prouenit ex natura obiecti, ſed ratione medij, quia ſpecies, quibus vtimur, ſunt rerum corporearum; & ideo non licet inferre, quod diſtinctio proueniens, ratione medij, ſit in Deo; præſertim quia ex noſtro modo concipiendi, aliqua diſtinguimus in Deo, vt ſint accomodata noſtræ capacitati, quæ diſtincta non ſunt, quod etiam factum eſt in reuelatione, & Doctrina Patrum, & conciliorum.

12 Dico primo. *Relationes non diſtingui realiter, ſecundum quid ab eſſentia eo modo, quo ponit Durandus*. Prob. ſequeretur eadem diſtinctio, quam ponebat Gilbertus, nam totum eſse Perſonale deberet diſtingui ab eſſentia, cum ſit eadem ratio; hoc autem eſse Perſonale, eſ-

ſet res

Digitized by Google

ſet res aliqua, quia non eſt purus reſpectus. Vnde inquiri poteſt, an hæc res ſit Deus, an non. Deinde etiam eſſet in Deo paternitas, nempe natura, & tres relationes, ab ipſa realiter diſtinctè quod eſt damnatum in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & refert in cap. *Damnamus. De ſum. Trinit.*

13 Dico ſecundo *Relationes Diuinas non diſtingui ab eſſentia ex natura rei formaliter*. Probatur, infinitas ex vi ſuæ rationis formalis omnia in Deo vnit, etiam ſecundum eſſe formale, quæ non habent oppoſitionem, ergo etiam eſſentiã, & relationẽ. Antecedens probatur. Quia infinitas excludit limitationem in eo, in quo eſt; atque adeo excludit etiam, quod vnum non ſit aliud, ergo cum ſit ſecundum eſſe formale, excludet etiam ſecundum eſſe formale. Confirmat. omnis diſtinctio tollit aliquam identitatem, ergo non eſſet in Deo ſumma identitas, & poſſemus aliquid melius concipere in Deo. Confirm. 2. Si eſſentia Diuina eſſet ex natura rei diſtincta à relationibus, eſſet etiam ex natura rei terminabilis per ipſas, ergo etiam ex natura rei eſſet potentialis.

14 Ad fundamentum Durandi reſpodetur. Ex eo quod eſſentia Diuina ſit in vno ſuppoſito, in quo non eſt relatio alterius; non ſequi diſtinctionem, ſicut non ſequitur ſeparatio eſſentiæ ab eodem ſuppoſito; hoc enim prouenit ex eo, quod eadem natura ſit in omnibus Perſonis.

15 Ad primum ſecundæ ſententiæ. Deum Patrem non eſſe Deum Paternitate, nec Patrem Deitate, loquendo de ipſo, ſecundum quod eſt reuelatus; quia autem eſt reuelatus cum accomodatione ad noſtram capacitatem, eſt etiam explicatus per plures cõceptus rerum creatarum, atque adeo cum diſtinctione rationis, ſeu conceptuum obiectiuorum; & ideo tales propoſitiones formantur ſuppoſita diſtinctione conceptuum. Ad ſecundum, eandem difficultatem procedere etiam de identitate reali. Reſpond. autem. Communicari, & non communicari non ſe habere contradictoriè, quando cadunt ſupra eſſe diuinum infinitum, Tum quia ipſum non adæquant; ita vt quod dicit vnum, tollat alterum. Tum quia pronunciatur de eſſe Diuino, vt explicato per plures conceptus. Hinc eadem ſimplex formalitas ob ſuam infinitatem poteſt per contradictoria explicari, quatenus eſt conceptibilis per diuerſos conceptus.

16 Dices: eſſentia, & Paternitas ſunt eadem formalitas, ergo dum communicatur eſſentia, communicatur etiam Paternitas. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia cum Pater communicat Filio totam ſuam eſſentiam, vt de fide eſt, non illam communicat, ſub ratione relationis; vnde ita communicat, vt non obſtante communicatione habeat relatio ſemper conſtituere Patrem, quod inde prouenit, quia ex ſuo formali habet ſemper referre ad Filiũ; atque adeo diſtinguere ab ipſo; vnde cum communicatio non deſtruat rationes formales rei communicatæ, poſſibile eſt, quod eadem formalitas ſecundum ſe tota communicetur Filio, & adhuc conſtituat Patrem diſtinguendo à Filio, & remanendo propria ipſius ſecundum quod ipſum conſtituit.

17 Ad Confirmationem, Patrem cognoſcere ſuam eſſentiam, & Paternitatem, abſque vlla diſtinctione cum modo eſſendi infinito, quę tamen per ordinem ad noſtros conceptus ſit explicabilis, per hæc contradictoria communicabile, & non communicabile. Ad tertium idem eſſe formaliter ante opus intellectus conſtituere Patrem, & eſſentiam in ſuo eſſe, ita tamen, vt conſtituat Patrem, vt diſtinctum à Filio, & vt idem cum ipſo; nam idem eſſe formale dicit in ſe rationem vnitiuam, nempe infinitatem, & diſtinctiuum, nempe Perſonalitatem. Non hinc tamen fit, quod eſſentia, vt eſſentia, diſtinguat Patrem à Filio; ſed quòd illa infinita perfectio, quæ eſt ſimul Paternitas, & eſſentia diſtinguat. Ad quartum, ſicuti eadem entitas, vt de fide eſt, poteſt fundare vnitatem, & diſtinctionem, quia ob ſuam infinitatem importat communicationem eiuſdem naturæ, cum reali Productione; ita etiam idem eſſe formale ex natura rei, quia ipſum quoque importat infinitatem. Vnitas autem, & diſtinctio ſunt compoſſibiles in eodem eſſe formali infinito, quia neque vniunt, neque diſtinguunt abſolutè, ſed tantum inadæquatè.

An relationes ſint de quidditate eſſentiæ Diuinæ.

SECTIO III.

18 SVpponendum eſt. Actu eſſe communicatum eſſe de eſſentia naturæ diuinæ, quia de facto reperitur in tribus Perſonis, & cum ſit actus puriſſimus, non poteſt habere hanc communicationem potentiali modo, & per modum actus primi; ſed debet habere cum actuali exercitio: vnde quando concipitur per modum communicabilitatis, id prouenit ex noſtro imperfecto modo concipiendi.

19 Supponendum ſecundo. Certum eſſe, naturam Diuinam exigere tria ſuppoſita, in quibus exerceat ſuam communicationem, vnde eſſentialiter requirit Perſonalitates, vt terminum, & ipſæ ſunt eſſentialiter connexæ per identificationem, cum natura Diuina, vnde ſaltem in obliquo ſunt de eius eſſentia, & de conceptu Deitatis.

20 Supponendum tertio. Actualem Communicationem, nil aliud dicere, quàm naturam Diuinam eſſe identificatam cum tribus Perſonis. Vnde ratio, in qua formaliter conſiſtit exercitium cõmunicationis, non eſt aliud, quàm terminari tribus Perſonalitatibus, & cum Perſonalitates ſint rationes terminandi, erunt formaliter illa ratio, qua exercetur communicatio, & ipſis præciſis tolletur formalis actus communicationis. Quod ex eo patet, quia eſſentia Diuina non eſt proprie in Perſonis, ſed eſt ipſamet Perſona, vt eſt definitum in cap. *Damnamus de Summa Trinit.* vnde cum actualis communicatio conſiſtat in eo, quod natura Diuina ſit in tribus perſonis, & eſſe in tribus Perſonis dicat eſſe tres Perſonas, importabit formaliter tres Perſonalitates, vt id, quo formaliter intelligitur natura communicata; præſertim, quia actualis communicatio habetur ratione Proceſſionum, & Proceſſiones ſunt formaliter Perſonalitates.

21 Prima ſententia negat, Perſonalitates eſſe de quidditate eſſentię diuinæ, atque abſque ipſis ſaluari perfectam Deitatem: ita ij omnes, qui ponunt diſtinctionem ex natura rei. D. Bonauent. *in* 1. *diſt.* 24. *q.* 1. *&* 2. Argent. *q.* 1. Ferrar. 4. *contra Gentes. cap.* 11. Molina *p. p. q.* 29. *artic.* 1. *diſp.* 5. Torres *art.* 3. Vaſquez *diſp.* 121. *cap.* 4. Suarez 4. *de Trinit. cap.* 5. Ruiz *diſp.* 14. *ſect.* 3. Cuniga *diſp.* 3. *dubio* 16. & fere communiter Recentiores. Prob. Vna Perſona habet perfectè totam Deitatem, & non relationem alterius, ergo relationes non ſunt de quidditate eſſentiæ. 2. Quando concipimus adæquatè eſſentiam, non concipimus relationes, ergo 3. Si relationes eſſent de intrinſeca ratione Deitatis, ipſam plurificarent in ratione Deitatis, quia ponerẽt in ipſa eſſentialiter numerum, quod eſt contra definitionem Cap. *Firmiter. De Summa Trinitate.* 4. eſſentia præcedit relationes, vt determinabilis per ipſas, ergo. Quinto. Quando prędicatum dicitur de ſubiecto, quidquid de prædicato dicitur, etiam dicitur de ſubiecto, ergo ſi relatio dicitur de eſſentia, dicitur etiam de omnibus Perſonis, de quibus dicitur eſſentia. 6. Relatio producitur, non verò eſſentia, ſed præintelligitur productioni, ergo. 7. Pater communicat Filio totam ſuam ſubſtantiam, & Capite. *Damnamus, De Summa Trinit* non verò Paternitatem, vt habetur ex Concilio Florentino, *in Litteris vnionis.* ergo. 8. Sequer., quod eſſentia eſſet relatiua, & non abſoluta. Contra communem ſenſum Sanctorum Patrum, qui docent, eſſentiam eſſe quid commune, & illam diſtinguunt ab Hypoſtaſibus.

22 Secunda ſententia eſt Albertini *tom.* 1. *quæſt. prima circa primum corollarium, ex* 7. *principio philoſophico, dub.* 2. *puncto* 1. *&* 2. qui aſſerit, Relationes non eſſe de quiddi-

Digitized by Google

quidditate eſſentiæ collectiuè, aut diuiſiuè ſumptas, ſed tantum diſiunctiuè, hoc eſt quod non omnes ſimul ſunt, de eſſentia Diuinitatis, tanquam terminus adæquatus, neque etiam Paternitas, Filiatio, & ſpiratio diuiſiuè, prout quælibet eſt aliquis terminus diuinæ communicationis; ſed ſolum omnes ſub diſiunctione, nempe quod hæc, vel illa abſque determinatione ſit de eſſentia Diuinitatis, & ideo de eſſentia Dei eſt Pater, vel Filius, vel Spiritus Sanctus, quatenus de eius ratione eſt, quod modificata per vnam relationem excludat alias. Probatur. Eſſe communicabile pluribus eſt eſſentiale naturæ diuinæ, nec poteſt explicari, niſi ſub diſiunctione, alioquin non ſaluaretur, quomodo omnia prædicata naturæ conueniant cuilibet perſonæ. ergo.

23 Tertia ſententia abſolutè aſſerit, Eſſe de quidditate naturæ diuinæ. ita Caietanus *p. p. q. 27. art. 2.* Bannes *q. 28. art. 2. dub. 6.* Aureolus *in 1. diſt. 1. quæſt. 1. art. 2. & ſequentibus* & *diſt. 33. q. 1. art. 1. & 3.* Valent. *tom. 1. diſp. 2. q. 4. punct. 1. in reſponſione ad quartum contra Pluralitatem diuinarum Perſonarum*; & deſumitur etiam ex D. Thoma *p. p. q. 27. artic. 2. ad tertium*. Vbi habet, *in ipſa perfectione Diuini eſſe continet etiam Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, ſicut & quæcunque ad eius perfectionem pertinent.*

24 Dico primo *Relationes non eſſe de quidditate eſſentiæ, quatenus eſſentia importat formale conſtitutiuum, per quod conſtituitur in eſſe Deitatis*; hanc concluſionem probant tantum argumenta primę ſententiæ. Probatur. formale conſtitutiuum Deitatis importat id, per quod Deus diſtat infinito modo à creaturis, ergo vt tale non dicit formaliter perſonalitates. Antecedens patet. Quia ſicuti Deus infinitè diſtat à creaturis, ita formale conſtitutiuum eſt id, quo diſtat. Conſequentia probatur. Id, per quod diſtat, eſt eſſe ens per eſſentiam, & habere infinitatem ſimpliciter; hoc autem non dicit explicitè perſonalitates Diuinas.

25 Dico ſecundo. *Relationes eſſe de intrinſeca ratione eſſentiæ adæquatè ſumptæ, ita vt non poſſit ſaluari completa ratio deitatis, ſine ipſis,* Deſumitur ex pluribus Patribus. Nazianz. *orat. 5. de Theolog.* vbi ait *Filius non eſt Pater, ſed quod Pater, nec Spiritus Sanctus eſt Filius, ſed quod Filius, atque ita inconfuſa trium perſonarum diſtinctio, in vna diuinitatis natura conſideratur.* à Cyrillo. Alexand. *Dialogo 2. de Trinitate* poſt initium. *Diuinam ſi quis agnominaret naturam integram nobis quaſi in vno ſignificato, oſtenderet ſtatim Trinitatem Diuinam, quæ in vna deitate intelligitur.* S. Ephrem in Sermone de Pentec. *Nec enim ſola vnitas, neque Trinitas eſt diuinitas ſed vtrumque ſimul.* Athanaſio orat. contra Gregal. Sabell. *Vniuerſa plenitudo & integritas Deitatis eſt Pater, vt Pater; vniuerſa item plenitudo Deitatis eſt Filius, vt Filius.* & Serm. 4. contra Arrianos. *Quoniam Filius eſt imago Patris, neceſſe eſt, vt cogites Deitatem, & proprietatem Patris, ipſam eſſentiam Filij conſtituere.*

26 Probatur Perſonalitates pertinent ad integritatem Diuinæ naturę cum ſint termini perſonales ipſius; vnde ſine ipſis non ſubſiſteret perſonaliter, & per ſe illi conueniunt, ergo ſunt de eſſentia ipſius. Conſequentia probatur. Natura diuina, vt natura eſt, ex vi deitatis eſt infinita ſimpliciter, de ratione autem infiniti, eſt vt eſſentialiter importet omnem ſuam integritatem, alioquin aliquid deeſſet eſſentiæ; vnde limitaretur.

27 Dices. Naturam diuinam ratione infinitatis habere perſonalitates ſibi identificatas, quæ cum ſint reſpectiuæ; ſunt proprietates illius; non verò aliquid eſſentiale. Contra, vel eſſentia diuina vt concipitur ad modum eſſentiæ, & importans adæquatam Deitatem, eſt infinita, vel non. Si primum, ergo importat quidditatiuè omnem ſuam integritatem, quia nedum eſt infinita entitatiuè, ſed etiam quidditatiue. Si ſecundum, ergo non eſt adęquata Deitas, quia Deitas adæquata eſt infinita ſimpliciter.

28 Probatur ſecundo. De eſſentia naturæ Diuinæ eſt communicari tribus perſonis, ergo de eſſentia illius eſt, quicquid requiritur ad conſtituendam formaliter talem communicationem; ſed requiruntur perſonalitates, ergo. Minor probatur. Quicquid conuenit Deo, conuenit per eſſentiam, & per modū actus puriſſimi, ergo etiam communicabilitas; communicabilitas autem per modū actus importat actualem communicationem, & actualis communicatio dicit perſonalia. Tum quia formaliter conſiſtit in proceſſionibus. Tum quia naturam Diuinam communicari tribus perſonis, eſt eſſe tres Perſonas.

29 Dices. Sufficere, ſi habeat identicè actum communicationis. Contra. Formaliter, & quidditatiuè eſt actus puriſſimus, ita vt ex vi ſuę quidditatis excludat omnem potentialitatem, ergo formaliter, & quidditatiuè dicit actum vltimum communicationis.

30 Dices ſecundo. Actum communicationis non importare perſonalia, ſed quod eſſentia ſit in perſona. Contra. Actualis communicatio veluti in fieri conſiſtit formaliter in proceſſionibus, ergo in facto eſſe in perſonalitatibus.

31 Dices tertio. Naturam non diſtingui à perſonalitatibus, niſi ratione; ſic autem conceptam non habere actum ſecundum communicationis, ſed tantum actum primum. Contra vel concipitur vt importans adæquatam Deitatem, vel non. Si primum; ergo concipitur cum infinitate, & cum actu puriſſimo communicationis. Si ſecundum, ergo non ſequitur, perſonalitates non eſſe de eſſentia Deitatis adæquatè ſumptę.

32 Probatur tertio. Eſſentia diuina ex vi ſuæ quidditatis formaliter eſt ipſum intelligere, infinitum, & per eſſentiam per modum actus puriſſimi, ergo includit omnē perfectionem in tali genere, & omnem rationem, quę pertinet quocunque modo ad intelligere, ergo etiam rationem Verbi, quæ eſt aliqua ratio intra rationem intelligendi, & quid neceſſarium, & debitum diuino intellectui ratione fęcunditatis.

33 Dices. Rationem Verbi non pertinere ad eſſe intrinſecum ipſius intelligere. Contra. Eſt intra intrinſecum ordinem intellectualem, & pertinet ad actuale intelligere, ergo eſt illi intrinſecum, quia dum intelligere ſit infinitū, includit quidquid eſt ſibi debitum.

34 Ad primum. Reſpondetur negando, quod vna perſona non habeat relationes alterius ratione Deitatis; vna enim perſona eſt in alia, & ideo relatio vnius, eſt de quidditate alterius, non prout eſt altera perſona, ſed prout eſt Deus, licet enim perſonæ diſtinguantur in relationibus, ſunt tamen vnum in eſſentialitate eſſendi, & ideo vna perſona eſſentialiter exigit aliam in ſe ipſa. Ad ſecundum negatur aſſumpt. Licet enim, quando concipimus eſſentiam cum ſolis abſolutis, non concipiamus relationes; non tamen concipimus adæquatam rationem Deitatis. Ad tertium negatur ſequela. Quia relationes plurificant eſſentiam, ea plurificatione, quam de ſe important; quia autem ſunt termini perſonales, ideo plurificant tantum perſonaliter, & facit, quod deitas, ſeu vna ſumma res ſit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, vt habetur in Capite *Damnamus*, vnde ponunt numerum non in eſſentialitate eſſendi, ſed in termino perſonali. In Capite autem *Firmiter* dicitur eſſentiam eſſe quid indiſtinctum, quia ſumitur, vt dicit eſſentialitatem eſſendi; non autem vt dicit terminos perſonales. Ad quartum, eſſentiam præcedere relationes ſecundum noſtrum modum concipiendi, qui non cadit ſupra eſſe adæquatum Deitas. Ad quintum illam regulam æquiualere illi principio, quæ ſunt eadem vni Tertio, ſunt eadem inter ſe, & proinde quod dicitur de prędicato, dicitur etiam de ſubiecto, quando adęquat prędicatum ſecundum illam rationem, ſecundum quam dicitur de ſubiecto. Secus autem, quando non adæquat, vt in caſu noſtro, nam relatio dicitur de eſſentia, prout eſt terminata, vna autem relatio non adæquat terminationem eſſentiæ. Deinde vt valeat talis regula, debet dici de prędicato, prout eſt quid prius ſubiecto; relationes autem non dicun-

Digitized by Google

dicuntur de eſsentia diuina, prout concipitur prior perſonis, nam tunc concipitur tantum inadęquatè, nempe ſecundum abſoluta. Ad 6. eſsentia non produci, prout importat ſola abſoluta, producitur autem aliquid, quod eſt in adæquata ratione deitatis. Ad 7. Sicuti Pater communicat Filio totum ſuum eſse reale. In quo includitur etiam eſse Patrem, & tamen adhuc valet, quod non communicet eſse Patrem. Ita licet communicet totam ſuam eſsentiam, in qua includitur eſsentialiter Paternitas, adhuc tamen non communicat eſse Patrem, quia Paternitas ab oppoſitione ſemper habet diſtinguere à Filio. Ad 8. Quando Patres docent, eſsentiam eſse abſolutam, loquuntur de ipſa, prout ſtat in noſtris conceptibus, ſecundum quos diſtinguimus, inter ipſam, & Perſonalitates, vt poſſimus aſſignare per quid Perſonæ ſint Deus, & per quid tales perſonæ, non autem loquuntur de eſsentia conſiderata ſecundum totam ſuam adæquationem.

35 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ diſtinguo antecedens. Prædicatum communicabilitatis, prout dicit actū communicationis, conuenit diuinæ naturæ, prout eſſe in perſonis, atque adeo ratione perſonalitatum; non autem ſeorſim à perſonis, & ideo non debet adæquatè conuenire cuilibet perſonæ, ſed ſolum inadæquatè.

An Relationes dicant formaliter eſſentiam.

SECTIO IV.

36 IDem eſt, ac ſi quæratur, an eſsentia ſit de quidditate Relationum. Prima ſententia ait, eſse de quidditate relationum in obliquo, ſicut ſedens eſt de conceptu ſeſſionis; non autem in recto, ita ij omnes, qui diſtinguunt relationes ab eſsentia, aut ex natura rei, aut ſecundum conceptus adæquatos & ſpecialiter Molina 1. *p.q.28.art.2.diſp.6.* Vaſquez *diſp.121.* Cuniga *diſp.3. de Trinit.dub.16.* & fere communiter Recentiores. Prob. Relatio concipitur aduenire eſsentiæ vt determinabili, & communicabili perſonis, ergo eſsentia eſt extra relationes. 2. Si paternitas includeret eſsentiam, hæc eſset formalis propoſitio, Paternitas eſt eſsentia, vnde ſicut Pater eſsentia intelligit; ita etiam intelligeret Paternitate, & Filius eſset Verbum ex eo, quod eſt ſapientia, quod eſt contra D. Auguſtinum *6. de Trinit.cap.2.* Tertiò pater non plus diceret, quam Paternitas, vnde Paternitas non eſset proprietas Patris. Quartò. Eſsentia eſt quid abſolutum, ergo non poteſt contineri in quidditate relationis. Quintò. Relatio dicit aliquid, quod non dicit eſsentia, ſecundum quod eſt incommunicabilis, ergo Sextò. Sequeretur, cum dicitur Paternitas eſt Deitas, prædicationem eſse in primo modo dicendi per ſe, vnde eſse Patrem eſset eſse Deum, contra D. Auguſtinum *7. de Trinit. cap. 2.* Septimo. Relatio eſset eſſentialiter ſubſtantia, quod eſt falſum, quia non dicitur de Deo ſubſtantialiter, vt docent Patres.

37 Secunda ſententia eſſerit abſolutè. Eſſe de quidditate relationum ita Alenſ. *1.p.quæſt.68,memb.5.art.2.& 5.* Marſil. *in 1.diſt.23.art.3.* Aureolus *diſt. 1. q.1, art. 1.& 3.* Capreolus *diſt.2.q.3.art.3.* Suarez *lib. 4. de Trinitate cap.7.* Ruiz *diſp.13.ſect.1.& 2.* Amicus *1.p.diſp.19.ſect. 6.* & alij Recentiores.

38 Notandum primò. Non obſtante reali diſtinctione perſonarum, totum eſſe Dei, etiam prout importat perſonas, eſſe vnam ſummam rem infinitam, vt definitur in Capite. *Damnamus.* de *Summa Trinit.* vnde Perſonalitates non ſolum in obliquo, ſed etiam in recto ſunt vna ſumma res. Cum autem res importet illud intrinſecum, quo vnumquodque eſt aliquid, atque eſſentiam, qua res in ſe conſiſtit. Hinc fit, vt importet eſſentialitatem eſſendi, qua quodlibet formaliter in ſe ipſo eſſentiatur, vt ſit id quod eſt. Ex quo fit, quod cum Diuinæ perſonæ ſint vna res, ſint etiam vna eſſentialitas eſſendi.

39 Notandum ſecundò. Myſterium Trinitatis poſſe dupliciter conſiderari, primo prout eſt in ſe, & proinde prout infinito modo ſe habet, 2. prout eſt in repræſentatione noſtrorum conceptuum; & tunc finito modo ſe habet, quia repræſentatur per ſpecies rerum finitarum.

40 Notandum 3. Quod licet debeamus loqui de hoc Myſterio, prout per noſtros conceptus repræſentatur, tum quia Concilia, & Patres ſic loquuti ſunt. Tum quia etiam reuelatio eſt facta cum accomodatione ad noſtrum modum concipiendi, quando tamē quidditatem Myſterij inquirimus, corrigendus eſt modus concipiendi, ne aliquid ipſi tribuamus, vt conueniens à parte rei, quod conuenit tantum ratione noſtri modi concipiendi.

41 Dico primo. *Si conſideretur relatio prout eſt in repræſentatione noſtrorum conceptuum, eſſentia non eſt de quidditate ipſius.* Probatur. Conceptus formalis repræſentatiuus eſſentiæ diſtinguitur à conceptu formali, repræſentatiuo perſonalitatis, ita vt repræſentatio vnius, non contineatur in repræſentatione alterius, ergo eſſentia non eſt de quidditate relationis, vt ſtat in repræſentatione noſtri conceptus, quia tali pacto ſequuntur naturam repræſentationis, & ſe habent eo modo, quo repræſentantur.

42 Dico ſecundò *Ex natura obiecti relationes, ſeu perſonalitates, includere quidditatiuè diuinitatem.* Probatur. Quælibet trium perſonarum eſt illa res, nempe natura diuina, vt definitur in cap. *Damnamus* De *Summa Trinit.* Rurſus abſtractum eſſentiæ prędicatur in recto, non ſolum de perſonis, ſed etiam de abſtracto perſonarum, vnde Athanaſius *Dialog. 1. de Trinitate* immortalitas *eſt Hypoſtaſis Patris*, & infra, *Hypoſtaſis eſt incorruptibilitas, Iuſtitia, ſanctificatio &c.* ergo eſſentia eſt de quidditate perſonalitatis, nam ad verificandas has propoſitiones, non ſufficit ſola identitas, & proinde falſa eſt iſta propoſitio, Rationalitas, & Animalitas. Confirmatur. Ad verificationem prædicationis requiritur identitas prædicati cum ſubiecto, ergo quando abſtractum prædicatur de concreto, aut de alio abſtracto in recto, debet adeſſe identitas eſſentialis, quia abſtractum debet identificari ex vi illius eſſe, quod importat in abſtracto, quod eſt eſſe formale, & quidditatiuum. Confirmatur. 2. Non poteſt vſurpari propoſitio abſtracti de concreto, cum reduplicatione, quæ cadat ſupra concretum, niſi prędicatum ſit intrinſecum rationi reduplicatæ; ſic non poteſt dici homo vt homo, eſt, animalitas, quia animalitas non includitur formaliter in eſſe formali hominis. Sed diuinitas prædicatur de perſona, vt perſona eſt, ergo. Minor probatur ex D. Athanaſ. *orat.contra Gregal. Sabel.* Vniuerſa plenitudo, & integritas Deitatis eſt Pater, vt Pater.

43 Probatur ſecundo. Perſonalitas Diuina eſt entitatiuè diuinitas, vt eſt de fide, ergo etiam eſſentialiter, quia ex eo, quod eſt entitatiuè Deitas, trahit ad ſe Deitatem entitatiuo modo, ergo etiam quidditatem, ita vt coaleſcat cum ipſa in idem eſſe quidditatiuum. Conſequentia probatur. Quidquid pertinet ad eſſentiam Dei, aliquo modo eſt illi eſſentiale, vnde etiam exiſtentia eſt de quidditate ipſius, ergo etiam eſſe entitatiuum eſt de quidditate diuinæ eſſentiæ, ergo ſi relatio trahit ad ſe eſſe entitatiuum, vt ſit idem cum ipſo, trahit aliquid quidditatiuum diuinę eſſentię, ergo totam eſſentiam, quia cum ſit omnino ſimplex, non poteſt trahi ſecundum partem.

44 Probatur tertio. Perſonalitates ſunt quid reale ea ratione entis, qua eſt quid reale diuina eſſentia, prout Deus ſecundum ſe totum eſt vnum ſimpliciſſimum ens per eſſentiam, ergo quando concipiuntur ſecundum ſe, debent concipi vt quid reale ex vi entis per eſſentiam, cum non debeant concipi, eſſe quid reale alia ratione entis, quam ea, qua ſunt quid reale à parte rei, ergo quidditatiuè includunt ens per eſſentiam, & conſequenter diuinam eſſentiam; quia ens per eſſentiam, eſt eſſentia diuina.

45 Dices. Rationem entis, quam dicunt Relationes, vt pręcisè conceptę, non eſſe ens per eſſentiam; ſed quid pręſcin-

Digitized by Google

DE PROCESSIONIBVS Actiuis, ſiue originibus.

DISPVTATIO XXXXXIII.

An detur in Deo duplex intelligere & Duplex velle.

SECTIO I.

1 RAtio dubitandi eſt. Quia intelligere, & velle eſſentiale, eſt commune tribus perſonis. Rurſus filius dicitur procedere per intelligere, & Spiritus Sãctus per velle, ergo aut omnes perſonæ producent, cum habeant intelligere, et velle eſſentiale; aut ponendum eſt duplex intelligere, & velle.

2 Prima ſententia eſt Gandauen. *quodlibet* 1. *q.* 1. qui ponit duplex intelligere, & velle; nẽpe eſſentiale, & notionale, quod ſit propriũ ſolius perſonæ producẽtis. Aſſerit enim, intellectũ, & voluntatem eſſe principiũ paſſiuum, & actiuum, vt paſſiuum perfici per motũ, qui fit ab obiecto, & habere primum actum, qui eſt aliquid confuſum; vt verò actiuum perfici ex propria virtute, & habere complementum ſuæ operationis; & hoc proportionaliter reperiri in Deo, ita vt intelligere, & velle eſſentiale æquiualeat primo actui, notionale verò ſecundo.

3 Communis ſententia docet, in Deo eſſe tantum vnicũ intelligere, & velle, nempe eſſentiale, ita D. Thomas 1. *p. quæſt.* 27. *art.* 1. & 2. Caietanus *ibidem* Molin. *art.* 5. *diſp.* 16. Vaſquez *diſp.* 112. *c.* 1. Suarez 1. *de Trinit. c.* 7. Cuniga *diſp.* 2. *de Trinit. dub.* 8.

4 Dicendum eſt *dari in Deo vnicum tantum intelligere, & velle eſſentiale*. Probatur vel intelligere, & velle notionale importat aliquam rationem intelligendi, & volendi, vel non, ſi primum, ergo non poteſt eſſe extra intelligere, & velle eſſentiale, quia hæc ſunt infinita, & talia per eſſentiam, & important omnem perfectionem intelligendi, & volendi, ſi ſecundum, ergo non ſunt aliquid intelligere, & velle ad rationẽ dubitãdi patebit ex infra dicẽdis.

An detur dicere, & quomodo ſe habeat ad intelligere.

SECTIO II.

5 COmmuniter docent, patrem dicendo producere filium. Videndum eſt igitur, quid ſit hoc dicere & quomodo ſe habeat ad intelligere: loquimur autem de dicere, quo Deus ad intra loquitur.

Prima ſententia eſt Scoti *in* 1. *diſt.* 2. *q.* 7. §. *Obijcitur contra iſta*; vbi docet, principium productiuum verbi eſſe memoriam fæcundam, quæ importat intellectum diuinum cum eſſentia diuina præſenti in ratione obiecti. Ex hac autem memoria prouenire actum ſecundum intelligendi, & ipſam intelligẽtiam, qua producitur verbum; ita vt talis productio ſit dicere, quod tamen non fundatur in intelligere, ſed tantum ordine quodam ipſum præſupponit, ſequuntur omnes Scotiſtæ. Fundamentum eſt, quia actus dicendi eſt proprius ſolius Patris, cum ſolus generet; intelligere verò eſt commune omnibus perſonis.

6 Secunda ſententia aſſerit, dicere importare ipſum intelligere eſſentiale, cum relatione patris, ratione cuius determinatur ad producendum, vnde intelligere comparatur ad dicere tanquam incluſum ad includens ita D. Thomas 1. *p. q.* 43. *art.* 1. *ad Tertium.* Caietanus *quæſt.* 27. *art.* 1. *dub.* 2. Bannes *ibidem* Molina *diſp.* 7. Vaſquez *diſp.* 112. *cap.* 3. Ruiz *diſp.* 59. *de Trinit. ſect.* 4. & communiter.

7 Notandum primo, Tam in diuinis, quam in omni natura intellectuali ponendum eſſe dicere, quia non eſt aliud quam quoddam loqui, vnde cum in intellectione quilibet apud ſe loquatur, habet etiam apud ſe dicere, vt docet D. Auguſt. 11. *de Trinit. cap.* 14. Sumitur autem aliquando impropriè, & tunc ſignificat actum intelligendi, vt deſumitur ex D. Anſel. *c.* 28. *Monol.* quia cum dicimus, etiam intelligimus, vnde ſumitur pars pro toto. Propriè verò ſumptum in diuinis importat aliquid notionale conueniens ſoli Patri, quia eſt quædam loquutio, ſeu prolatio Verbi; vnde cum ſolus Pater proferat Verbum, quia ſolus generat, ipſi ſoli conuenit dicere.

8 Notandum ſecundo, dicere, vt ſe tenet ex Patre Patris, differre ab intelligere, quod intelligere conſideratur vt manifeſtatiuum obiecti, & cum ordine ad ipſum. Dicere verò vt productiuum termini, & cum ordine ad ipſum vt ait D. Thomas 1. *p. q.* 34. *art.* 1. *ad Tertium*. Ratio eſt, quia intelligere formaliter facit obiectum percipi, & ideo intellectio debet eſſe manifeſtatiua ipſius; per dicere autem vt per loquutionem aliquid profert.

9 Notandum tertiò. Cum in cognitione actuali duo concurrant, potentia fæcunda, & actualis cogitatio, actualis cogitatio duo importat, nempe aciem mentis, & formam repræſentatiuam obiecti. Acies mentis eſt intellectus quatenus per conatũ vitalẽ intendit in obiectum ex vi ſimilitudinis, quæ in ipſa imprimitur, vt docet Auguſt. 11. *de Trinit. cap.* 2. Forma verò repræſentatiua obiecti, qua informatur acies mentis, exprimitur ex illa habituali notitia, quæ eſt in memoria, ipſa autem acies mentis non exprimitur, quia non eſt aliud, quam vis animæ, qua percipitur. Obiectum ita D. Auguſt. 11. *de Trinit. cap.* 7.

10 Notandum quartò; intelligere hæc omnia importare memoriam fæcundam cum notitia latente, aciem animæ coniungentem potentiam cum obiecto, & formam, qua acies informatur, quæ ſit expreſſa de memoria. Ratio eſt, quia intelligere eſt actuale exercitium vitæ intellectualis; vnde requiritur vita intellectualis, quæ exerceatur. Acies mentis vt ratio exercendi, & forma expreſſa de memoria fæcunda, qua acies mentis informetur, tanquam medium, quo potentia coniungetur cum obiecto.

11 Notandum quintò intelligere Diuinum hæc omnia importare ſecluſis imperfectionibus; vnde nõ poteſt intelligi in eſſe completo, niſi poſita productione verbi: pater .n. dicit naturã diuinã per modũ memoriæ fæcundæ, itaut ſecundũ talẽ rationẽ terminetur propria hypoſtaſi, & dicat relationẽ ad filiũ, vt docet Aug. 9. *de Trinit. c.* 11. filius autem dicit naturam diuinam tanquam aciem mentis, habentem formam expreſſam de memoria, quę nihil aliud eſt, niſi illa ratio verbi, quæ terminat productionem.

12 Notandum ſextò. Intellectionem aliquando ſumi pro ſola actione productiua verbi, ſicuti calefacio ſumitur pro ſola actione productiua caloris, aliquando verò ſumi pro perceptione obiecti, qua mens ipſum intelligit, & importat formaliter exercitium vitæ intellectualis.

13 Dico primo *dicere propriè ſumptum non importare ipſum verbum* deſumitur ex D. Auguſt. 15. *de Trinit. c.* 15. vbi ait, *Verbum verò noſtrum intimum, niſi noſtra cogitatione non dicitur.* Si autem verbum dicitur non eſt ipſũ dicere. Prob. dicere non eſt aliud, quam loqui. Verbum autem non eſt loqui, ſed terminus loquutionis, vnde dicere comparatur ad Verbum, vt productio ad terminum.

14 Dico ſecundo *ſi dicere ſumatur pro manifeſtare, tunc importat ipſum verbum: non tamen ſumitur ſecundum propriam rationem* ita D. Anſelm. *cap.* 32. *Monol.* & D. Auguſt. 15. *de Trinitate cap.* 21. Probatur: verbum eſt manifeſtatiuum, *vt quo*, obiecti, cum ſit ſimilitudo expreſſiua illius, ergo ſi dicere ſumatur pro manifeſtatione, importat Verbum.

15 Dico 3. *Dicere non importare actũ immediate prouenientẽ a memoria, qui ſit extra intelligere, & ipſũ præſupponat.* Prob. Act⁹ adæquatus, intellect⁹ vt talis, eſt intelligere, ergo extra intelligere adęquatè sũptũ, nõ poteſt dari ali⁹ actus. Antecedẽs patet, quia intellectus eſt tãtũ virt⁹ intellectiua; vnde non põt operari, niſi intellectiuo modo.

16 Reſpondetur. Rada intelligere eſſe actum adæquatum in ratione operationis; non autem in ratione productionis du-

Digitized by Google

ductionis. Contra. Intelligere eſt finis vltimus intellectus, & vltima perfectio, ergo poſito intelligere non eſt poſſibilis alius actus, quia poſito vltimo fine, potentia non amplius operatur.

17 Dico quartò. *Dicere non importare, neque aliquo modo includere intelligere, prout dicit perceptionẽ obiecti.* Prob. Eſſentiale non eſt formaliter notionale, neque è contra, ſed intelligere eſt eſſentiale, dicere verò notionale: vnde dicere in ſuo conceptu eſt aliquid relatiuum, & non communicatur filio; intelligere verò eſt quid abſolutum, & communicatur filio, ergo. Confir. De ſuo formali dicere non importat aliud, niſi rationem productionis. In Diuinis autem productio ſecundum ſe totam eſt relatiua, & perſonalis. ergo

18 Dico quintò. *Dicere de ſuo formali, importare actionem intellectualem prouenientem à memoria fœcunda, quæ formaliter eſt productio Verbi, & dici poteſt intellectio, quatenus intellectio ſumitur, non pro perceptione obiecti, ſed pro actione productiua verbi.* Prob. Dicere eſt aliquid intra rationem intellectualitatis, & ordinatur ad Verbum, vt ad id, quod dicitur; vnde dicere Diuinum eſt verbum generare, vt ait Aug. *Tract. 14. in Ioannem*, ergo erit actio intellectualis productiua Verbi. Confirm. Dicere eſt actus notionalis Patris, tendens ad notionalem; vnde ipſi ſoli conuenit in ordine ad Verbum, quod dicitur, ergo ſe habet per modum actionis intellectualis importantis productionem. Quod autem dictum eſt de dicere, debet proportionaliter intelligi de ſpirare, ita vt ſit aliquid per modum productionis, in ratione amoris, proueniens à voluntate fæcunda, & ſit productio ipſius Amoris Perſonalis.

19 Ad fundamentum Scoti nos quoque ponere dicere diſtinctum ab intelligere, non vt actum præſupponentem ipſum intelligere, ſed ingredientẽ adæquatã rationẽ ipſius.

20 Obijcies. Dicere ſe habet per modum actionis, relatio verò per modum termini in facto eſſe, ergo dicere non importat formaliter relationem. Reſp. Relationem, quando fundamentum eſt in facto eſſe, ſe habere per modum termini in facto eſſe. Quando verò eſt in fieri, relatio quoque ſe habet in fieri, cum ergo dicere ſe habeat per modum actionis, relatio quoque ipſi proportionatur, & proinde erit relatio actualis generationis.

21 Ex dictis colligitur. Quomodo accipiendum, quando dicitur Verbum produci per intellectionem; tunc enim intellectio non accipitur pro ipſa perceptione obiecti, ſed pro actione intellectuali, quæ importat exercitium virtutis productiuæ.

An, & quomodo ſint aſſignanda Principia, et Productiones Proceſſionum Paſſiuarum.

SECTIO III.

22 Licet in Diuinis non ſit actus primus diſtinctus ab actu ſecundo; quia tamen adeſt aliquid æquiualens vtrique, ideo cogimur vti ad ipſum concipiendum conceptu tàm actus primi, quàm actus ſecundi.

Prima ſententia aſſerit, intelligere, & amare, prout ſe habent per modum operationis, eſſe productiones; intellectum verò, & Voluntatem principia à quo. ita D. Tho. *1. p. q. 27. art. 5.* Bannes *dub. 1.* Molina *diſp. 2.* Zumel *diſp. 1.* Torres, *p. 2. eiuſdem diſputationis.* Granadus *tract. 2. de Trinit. diſp. 3. ſeſſ. 3.* Ruiz *diſp. 85. de Trinitate sect. 1.* & alij. Probant. Productio mediat inter principium, & terminum; huiuſmodi autem intellectio, ergo. Secundò. In creatis productio verbi eſt intellectio. ergo

23 Secunda ſententia aſſerit, intellectionem, & volitionem, eſſe principia *quo*, non verò productiones. Ita Henricus *quodlib. 6. q. 3.* Suarez *1. de Trinit. cap. 8.* Cuniga *diſp. 2. de Trinit. dub. 6.* & alij Recentiores. Probant. Filius eſt ſapientia genita de ſapientia, vt docent Patres. Sapientia autem in Deo, non eſt per modum actus primi, ſed ſecundi. Secundò. Verbum habet notitiam ſibi communicatam à Patre, ergo intellectio eſt principium, quia illud eſt principium, quod formaliter communicatur. Tertiò. Pater eſt Beatus priuſquam producat verbum, ergo prius intelligens, ergo intellectio præcedit productionem.

24 Tertia ſententia diſtinguit duas actiones, nempe aliam, qua communicatur eſſentia, & aliam, qua producitur relatio, & vult reſpectu prioris, quam vocat actionẽ abſolutam, principium eſſe intellectum; reſpectu verò poſterioris, quam vocat relatiuam, principium eſſe ipſum intelligere. Ita Albert. *tom. 2. Corol. 12. ex prædicam. Ad aliquid.*

25 Dico primò. *Intelligere, & velle, quatenus eſſentialia ſunt, non eſſe principium quo, ex quibus procedat verbum, & Amor.* Probatur. Intelligere in genere intellectuali eſt vltima perfectio, & vltimus finis, ergo non poteſt eſſe principium, *quo*, productionis verbi. Antecedens patet. Tum quia eſt ipſa perceptio obiecti, vltra quã intellectus nõ poteſt vlterius perfici. Tum quia Deus per intelligere eſt beatus; beatitudo autẽ eſt vltima perfectio. Conſeq. Probat. Si intelligere conſtituitur pro principio, non erit vltima perfectio, cum de ratione principij ſit dicere ordinem ad vlteriorem actum.

26 Dico 2. *Intelligere, & velle neque eſſe productiones.* Proba. Productio in Diuinis eſt notionalis, vnde non conuenit Spiritui Sancto, ergo non poteſt conſiſtere in intelligere, & velle, quia hæc ſunt eſſentialia.

27 Dices. Intelligere non eſſe abſolutè productionem, ſed prout eſt cum tali relatione. Cõtra. Vel participat intrinſecam rationem productionis, vel non. Si primũ, ergo etiam in Spiritu Sãcto erit formaliter ratio productionis. Si ſecundum, ergo ſolum erit productio id quod ſuperadditur. Confirmatur. Si eſſet productio cum tali relatione, ſemper exigeret aliquam relationem, cum qua exerceret rationem productionis.

28 Dico tertiò. *Principium, quo, productiuum verbi eſſe memoriam fæcundam, & Spiritus Sancti voluntatem fæcundam, vt ſupra explicauimus.* Prob. Illud eſt principium, *Quo*, ex quo exprimitur verbum. Sed exprimitur ex memoria fæcunda, ergo minor patet. Tũ quia Memoria fœcunda continet verbũ vt conceptum. Tum quia ita docet Aug. *11. de Tri. c. 7. & l. 15. c. 7. & 10.* D. Anſ. *c. 45. Mon.*

29 Reſpond. Cuniga memoriam eſſe fæcundam per ipſum actuale intelligere, quia non eſt memoria per modũ habitus, ſed per modum actus ſecundo. Contra. Intelligere eſt operatio intellectus ſequens ex ipſa fæcunditate, ergo non poteſt eſſe ipſa fæcunditas. Confir. Ex eo, quod memoria ſit per modum actus ſecundi, ſequitur ſolum, quod ipſa fæcunditas ſit actualiter producens, ipſum verbum, non autem quod ſit formaliter ipſum intelligere.

30 Reſp. Albertin. D. Auguſt. tantum velle, quod memoria ſit principium actionis abſolutæ, qua communicatur eſſentia, non autem relatiuæ. Contra. Auguſt. docet, Memoriam eſſe principium, *quo*, reſpectu verbi, verbum autem producitur per actionem relatiuam.

31 Dico quartò. *Productiones Diuinas conſiſtere formaliter in dicere, & ſpirare.* Prob. Productio verbi in eo conſiſtit, quo exprimitur id, quòd eſt in memoria. Exprimitur autem per ipſum dicere, nam dicere eſt quædam loquutio mentalis, qua de fæcunditate memoriæ formatur verbum, vnde etiam mediat inter principium, & terminũ.

32 Dices cum Suarez. Verbũ Diuinum immediatè procedere ex principio, *quo*, abſque intermediatione, quia talis actio importat imperfectionem. Contra. De fide eſt in Diuinis non ſolum adeſſe terminum, & principiũ, ſed etiã proceſſiones actiuas, quę ſunt generatio, & ſpiratio, hę autem non ſunt formaliter termini, nec principia, alioquin principium ſe haberet per modum actus primi, & non per modum actus ſecundi.

33 Ad primum primæ ſententiæ reſp. Dicere, & ſpirare mediare inter terminum, & principium. Ad ſecundũ. Etiã in creatis verbum produci, ex memoria fæcũda per dicere.

34 Ad primum ſecundę ſententiæ reſpondet. Verbum procedere vt ſapientiam de ſapientia, quia procedit ex memoria, in qua eſt ſapientia, quoad fæcũditatem expreſ-

Digitized by Google

ſiuam ipſius Sapientiæ per modum repræſentationis ipſius obiecti; hæc autem ſapientia ſe habet per modũ actus ſecundi, quia non eſt productiua, ſed actu producens.

Ad ſecundum negat. conſeq. quia ſufficit, quod Filius procedat à notitia, quæ eſt in memoria patris per modum fæcunditatis, vt habeat notitiam ſibi communicatam à patre, Ad 3. neg. aſſumptum Quia ſicuti pater intelligit producendo Verbũ, ita etiam eſt beatus; imo ſicuti pater conſtituitur per ipſum producere, ita non poteſt concipi prius beatus, quàm producat.

In Quo nam ſint origines Actiuæ.

SECTIO IV.

35 PRima ſententia aſſerit eſſe in perſona producta ita Henricus *quod libeto 6 q.* 1. Albert in. *corol.* 12. *ex prædicamento relationis quæſt.* 12. *Dub.* 3. & alij Recentiores. Probatur; origo actiua eſt actio realis, ergo non poteſt identificari cum perſona producente, nam debet ab ipſa emanare. Secunda origo actiua correſpondet actioni, actio autẽ eſt in termino. Tertiò origo actiua, & Paſſiua non opponuntur, ergo nec diſtinguuntur, ergo origo actiua eſt in ea perſona, in qua eſt paſſiua;

36 Secunda ſententia eſt communis, & aſſerit eſſe in perſona producente ita D. Thomæ 1. *p. quæſt.* 41. *art.* 1. *ad* 2. Scotus *in* 1. *diſt.* 28. *Quæſt.* 3. §. *His communiter* Suarez *lib.* 6. *de Trinit. cap.* 2. & alij.

Probatur primo ex patribus, qui docent, patrem, & Filium ex eo diſtingui, quod ille generat, iſte vero nõ. Secũdò producens, & productum debent diſtingui, ergo cum in Diuinis non diſtinguantur, ſecundum principium, *quo*, debent diſtingui ſecundum influxum. Tertio perſona producens cum ſit infinita, identificat ſibi omnes perfectiones in ſuo genere qualis eſt origo actiua; nec implicat talis identificatio, quia inter actum primum & ſecundum nulla eſt oppoſitio, ergo.

37 Notandum. Actionem duo importare; primum eſt facere in actu ſuæ virtutis principium; eſt enim reale exercitium virtutis productiuæ, quæ licet ſit extrinſeca agenti, eſt tamen exercitium ipſius, quia virtus productiua exigit exerceri per aliquid extrinſecum. Secundum eſt, vt ſit id, quo effectus formaliter profluit ab agente; & ideo eſt ratio communicatiua illius eſſe, quod effectus recipit, ſecundum autem vtramque rationem, ſe habet *vt quo*.

38 Notandum ſecundo, in diuinis originibus reperiri has duas rationes, quæ cum ſint ratio, cur vna perſona ſit ab alia per realem productionẽ, faciũt, vt perſona producẽs exerceat ſuam vim, & vt producta ſit à producente.

39 Notandum tertiò. Licet in Diuinis proceſſionibus non detur motus, & dependentia, datur tamen aliquis quaſi influxus, per quem vna perſona eſt ab alia; cum enim perſona verè producatur, debet poni actus ſecundus productionis, qui ſit formalis principiatio, & æquiualeat influxui; vnde ſecluſo motu, & dependentia non remanent puræ Relationes, ſed etiã aliquid quod ſit quaſi influxus.

40 Notandum quartò: diuerſo modo ſe habere productionem in Diuinis, ac in creatis; quia in creatis operatio eſt contingens, & operans poteſt operari, & non operari; in Diuinis verò eſt neceſſaria, & conuenit per eſſentiam. Rurſus in creatis ſupponit operans plenè conſtitutum in ſuo eſſe; in Diuinis verò præciſa operatione non eſt perſona producens conſtituta in ſuo eſſe.

41 Dico primò. *Originem actiuam prout dicit rationẽ exercitij virtutis productiuæ eſt in perſona producente.* Prob. Perſona producens eſt producens per eſſentiam, & nõ contingenter, ergo origo actiua importans exercitium virtutis productiuæ, eſt in perſona producente, quia quod eſt tale per eſſentiam, habet formaliter illam rationem ſibi intrinſecam, per quam eſt tale.

42 Dices. Sufficere, ſi origo ſit neceſſaria; tunc enim perſona erit producens per eſſentiam, quia erit talis conditionis, vt habeat neceſſariò originem actiuam, in perſona producta. Contra, pater in Diuinis non eſt filius per eſſentiam non alia ratione, niſi quia ab ipſo diſtinguitur, ergo nec erit producens per eſſentiam, ſi origo actiua ab ipſo realiter diſtinguatur; quia quod eſt realiter diſtinctum, non poteſt conſtituere eſſe intrinſecum Patris. Quod autẽ eſt tale per eſſentiam, eſt tale extrinſecè, & quidditatiuè.

43 Dico ſecundo. *In Diuinis originem actiuam diſtingui realiter in illas duas rationes, nẽpe in rationem exercitij virtutis: & in rationem communicationis.* Prob. perſona eſt eſſentialiter producens, & vt talis importat priorem rationem originis, vt perfectionem in genere producentis, & melius eſt conſtitui in eſſe producentis, per aliquid intrinſecum, quam per aliquid extrinſecum. Rurſus altera ratio originis eſt per modum tranſmiſſionis influxus in perſonã productam, ergò cum formali modo tranſmittat, debet eſſe in influxu tranſmiſſo, atque extra perſonam producentem, ergo ſeruat cum ipſo oppoſitionem termini, *vt Quo*.

44 Dico tertiò. *Originem actiuam ſecundum rationem, quæ facit perſonam originari, eſſe in perſona producta.* Prob. effectus formalis huius rationis eſt in perſona producta, ergo etiam cauſa formalis, cum ſit inſeparabilis ab effectu. Antecedens patet. Quia perſona producta dicit egreſſum per originem a producente.

45 Dices, effectum formalem actionis eſſe duplicem, nempe conſtituere agens in ratione agentis; & conſtituere terminum extra cauſam, & hunc poſteriorem effectum eſſe potius in genere efficientis. Contra, actio eſt forma communicationis, & ſe habet, vt Quo, reſpectu eſſe communicati, ergo ſe habet in genere cauſæ formalis: vnde progredi à principio eſt intrinſecum termino.

46 Ad primum negatur cõſeq. Nã ideo in creatis actio ex natura ſua emanat a producente, quia emanat, vt eſt ratio, qua effectus fit, & non dicit exercitium virtutis productiuæ, quod ſit intrinſecũ, & eſſentiale producenti. In diuinis vero dicit, & ideo emanat tantum vt eſt ratio cõmunicationis. Ad ſecundũ diſtinguo minorẽ. Actio accidentalis eſt in termino, non autem eſſentialis; vnde quia etiam in Diuinis perſona eſt producens intrinſecè, & eſſentialiter, ideo exigit in ſe originem, & dicit rationem exercitij. Ad tertium negat. antecedens, ſi intelligatur de origine actiua, vt dicit rationem exercitij.

47 Ad primum Secundæ Sententiæ. Patres eſſe intelligendos de origine actiua, vt importat rationem exercitij generandi.

Ad ſecundum diſtinguo conſequens. debent diſtingui ſecundũ influxũ, ita vt ſecũdũ exercitiũ producendi ſit in producente, & ſecundũ rationẽ cõmunicationis ſit in producto concedo. Non autẽ alio modo. Ad tertiã perſonam producentẽ identificare ſibi omnia, cũ quibus non habet oppoſitionẽ; origo autem actiua, vt dicit rationem communicationis, habet oppoſitionem, vt patet ex dictis.

48 Obijcies. Actio, & Paſſio opponuntur, ergo cũ tota origo actiua ſit actio, opponetur origini paſſiuæ, ergo ſecũdũ ſe totam diſtinguetur, & erit in perſona producente. Reſpond. Actionẽ, & paſſionẽ opponi ratione terminorũ, quia vna reſpicit agens, & altera paſſũ, ſecundũ autem ſe non opponũtur, cum ſint idem influxus. In diuinis autem etiã illa ratio, quæ importat cõmunicationem, opponitur cũ altera ratione, quæ dicit exercitiũ virtutis, & oppoſitio prouenit, quia eſt ratio, cur terminus prodeat à producente, & ideo non opponitur cum origine paſſiua.

Quomodo ſint explicandæ origines.

SECTIO V.

49 CErtũ eſt, Origines actiuas importare rationẽ productionis, atq. adeo operationis, & hæc operatio eſt intra ordinẽ intellectionis, & volitionis, nõ eſt autẽ factio, & cõſequẽter nec operatio proprie dicta, vt eſt de fide

ex

Digitized by Google

ex Symbolo Nicæno, vbi de filio dicitur *Genitum non factum.* Factio enim importat terminum diſtinctum, ſecundum naturam. Neque etiam eſt Creatio, quia cum perſonæ productæ ſint conſubſtantiales producenti, ſunt de ſubſtantia ipſius, non autem ex nihilo; Neque eſt eductio, quia non eſt ex præſuppoſito ſubiecto, neque eſt actio propriè dicta, quia actio importat exitum de potentia ad actum, & motum, quo res mouetur de non eſſe ad eſſe; & connotat terminum dependentem a producente. Difficultas autem eſt, an origo ſe habeat ad modum actionis, ſeclusis imperfectionibus; An vero ad modum relationis prædicamentalis.

50 Prima ſententia aſſerit, ſe habere tantum ad modum relationis prædicamentalis, pro qua ſolet citari, Scotus *in 4. diſt. 13. quæſt. 1.*

51 Secunda ſententia ait, origines actiuas ſe habere per modum actionis, ita D. Thomas *1. p. quæſt. 41. art. 1. ad 2.* Capreol. *in 1. diſt. 27. art. 3. ad 2.* Cuniga *diſp. 2. de Trinit. dub. 12. memb. 1.* Ruiz *diſp. 33. ſect. 4.* & communiter.

52 Dico primo *origines actiuas non ſe habere per modum relationis purè prædicamentalis.* Probatur relatio prædicamentalis, cum ſit purus reſpectus, tantum purè refert; Origines autem non ſunt rationes purè referentes, cum conſtituant perſonas in ratione producentis.

53 Dico ſecundo *Origines actiuas ſe habere ad modum actionis ſeclusis imperfectionibus, et intrinſecè importare reſpectum ad terminum æquiualentem reſpectui tranſcendentali, quem dicit principium ad ſuum terminū.* Probatur de ratione originis eſt ſecundum ſuam præciſam rationem, vt ponat in eſſe terminum, ipſum inferendo ex vi virtutis productiuæ; è contra autem de ratione relationis prædicamentalis eſt, vt ſupponat terminū, ergo cū de ratione actionis ſit ponere in eſſe terminū, eo modo, quo poſcit, origo ſe habebit per modū actionis.

54 Dico tertio. *Origines actiuas eſſe immanentes.* Pro cuius intelligentia, Aduertere oportet, actionem non dici immanentem, quia non exeat à producente tendendo ad terminum diſtinctum, ſed quia non recipitur in ſubiecto diſtincto à producente: vnde in Diuinis eſt maior ratio immanentiæ, quia origo ponit ſuum terminum in natura producentis, per identificationem. Et licet terminus ſit ſuppoſitum diſtinctum, ſaluatur tamen immanentia, quia ſtat cum vnitate naturæ. Concluſio eſt de fide. Probatur Ioannis 1. *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum* Et rurſus. *Vnigenitus, qui eſt in ſinu patris,* & cap. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.*

55 Dico quarto. *Origines Diuinas eſſe per modum actionis vitalis.* Probatur operatio intellectualis, & volitiua in creatis ideo eſt vitalis, quia importat exercitium vitæ intellectualis; ſed etiam in Deo productiones ſecundum intellectū, & voluntatem ſunt tale exercitium, ergo.

56 Obijcies ex D. Auguſt. *de Trinit. cap. 5.* vbi docet. In Deo nihil aliud eſſe, præter eſſentiam, & relationē, ergo non eſt actio. Reſpond. negando conſequentiam; quia per relationem non intelligit purum reſpectum, ſed quidquid non eſt abſolutum; vnde includit etiam originem, quia eſt ad aliud.

57 Obijcies ſecundo. In natura intellectuali ſunt tantum duæ operationes immanentes, intelligere, & velle, origo autem non eſt aliqua ex his, ergo. Reſpond. eſſe duas tantum operationes immanentes adæquatè ſumptas, in quibus tamen diſtinguntur diuerſi actus; alius qui eſt productio termini, & alius qui eſt attingentia obiecti, origines autem important productiones.

58 Obijcies tertiò. Actio ex intrinſeca ſua ratione importat dependentiā, ergo ſi in Diuinis eſt actio, ſaltē perſonalitas, quæ producit? dependebit. Reſpond. Actionem propriè dictā importare dependentiā, quia tendit ad terminū habentem, eſſe participatum. Perſonalitas verò, licet producatur, non tamen eſt quid participatum, quia ex identificatione cum Diuina eſſentia eſt ens à ſe.

59 Obijcies quartò de ratione operationis vitalis eſt, vt viuens aliquid per ipſam operetur intra ſe, quod non pertineat ad ſui cōſtitutionem. Sed per has operationes producitur aliquid, quod pertinet ad complementum naturæ diuinæ, ergo. Reſpond. de ratione operationis vitalis eſſe tantum, vt tendat ad perficiendum viuens; in creatis autem perficit accidentali modo, & ideo non pertinent ad conſtitutionem viuentis: in Diuinis autem pertinent ad conſtitutionem, quia ſunt operationes, quæ conueniunt Deo per eſſentiam.

60 Quæres. An origines paſſiuæ ſe habeant per modum paſſionis. Reſpond. negatiuè; quia in paſſione nihil poteſt conſiderari, quod ſit pura perfectio, ſemper enim paſsum importat aliquam potentialitatem.

An Origines Actiuæ Importent formaliter aliquid de Eſſentia.

SECTIO VI.

61 PRima ſententia aſſerit, de ſuo formali importare intelligere, & Velle quatenus ſunt in perſonis producentibus, & connotare relationes. Citantur pro hac ſententia, Caiet. *1. part. quæſt. 27. art. 1.* Torres *art. 5. diſput. vnica p. 2.* Capreol. *in 1. diſp. 27. quæſt. 2. art. 1. concluſ. 2.* Et tradit. ex profeſſo a Zumel. *1. p. quæſt. 51. art. 1. diſp. 1. Concluſione 1.* Probatur producere Patris, eſt eſſe ipſius, eſſe autem patris eſt intelligere. Secundò. In Deo potentia, & actus ſunt idem, potentia autem generatiua eſt intelligere. Confirmatur. Origo dicit exercitium facultatum immanentium, facultates autem immanentes ſunt intellectus, & voluntas tertio Diuina actio eſt eius ſubſtantia, ſubſtantia autem eſt quid eſſentiale. Quartò. Verbum non poteſt repræſentare formaliter, niſi cognitio ſit productio ipſius, ergo.

62 Secunda ſententia ait, originem actiuam importare aliquid notionale, nempe habitudinem producentis ad productum ita D. Thomas *1. p. q. 41. art. 1.* Scotus *in 1. diſ. 28. q. 2.* Bannes *1. part. q. 40. art. 2. dub. 3.* Molina *diſp. 2. Membro 3.* Suarez *6. de Trinit. c. 2.* Ruiz *diſp. 84. de Trinit. ſect. 2.* & alij.

63 Dicendum eſt. *Originem actiuam non importare in recto, & formaliter aliquid eſſentiale, ſed tantum aliquid notionale.* Probatur per originem conſtituitur formaliter ſuppoſitum in eſſe producentis, ergo non poteſt importare aliquid eſſentiale. Antecedens patet; quia origo actiua importat actuale exercitium productionis, conſequentia probatur perſona producens ſecundū rationē principij diſtinguitur à producta, quia de ratione actualis principij eſt, vt diſtinguatur ab eo, quod à ſe ipſo procedit, ergo.

64 Dices. Hoc procedere de origine actiua adæquatè ſumpta, nā tali pacto dicit etiam relationem. Contra; quia procedit de origine ſecundum formalem rationem originis, origo autem vt talis, eſt ipſa ratio principiandi, et ideo eſt aliquid notionale.

65 Ad primum Reſpond. producere patris eſſe ipſum eſſe Patris, vt Pater eſt, intelligere autem non eſt eſſe Patris, vt pater eſt, ſed vt Deus eſt. Ad ſecundum negatur minor; nam potentia generatiua eſt memoria fœcunda, nō autē intelligere, & ideo actus memoriæ dicit Originē, hic autem actus eſt ipſum dicere, quod eſt quid notionale. Ad confir. Originē eſſe actum facultatum immanentium, ſed productiuum, & ideo eſſe ipſum dicere, & ſpirare notionale. Ad tertiū, Diuinam actionem eſſe ſubſtantiam Dei, quatenus quidquid eſt in Deo pertinet ad ſubſtantiā ipſius, non autē quatenus ſubſtātia ſumitur pro eſſētia contradiſtincta à notionalibus. Ad quartū vt verbū repræſentet formaliter, ſufficere ſi producatur per actionem intellectiuam, hæc autem actio non eſt intelligere, ſed dicere.

66 Colligitur ex dictis origines actiuas ſecundum quod ſunt in perſona producente, diſtingui realiter a paſſiuis, correſpondentibus ratione oppoſitionis, quam habent ad inuicem, & ſimiliter etiam ab actiuis, prout ſunt

Digitized by Google

in perſona productæ, cum ſimiliter habeant oppoſitionẽ cum ipſis. Hæc autem diſtinctio eſt pluſquam numerica, quia, quę ſolo numero differunt, non habent Oppoſitionem ad inuicem, prouenit autẽ hæc diſtinctio formaliter ab oppoſitione, connotatiuè autem ex diuerſis terminis.

67 Colligitur ſecundò. Origines actiuas comparatas cum Paſſiuis correſpondentibus, vt eſt generatio actiua, cum proceſſione paſſiua diſtingui realiter; quia generatio actiua eſt propria Patris, nec communicatur Spiritui Sancto, & hæc ſimiliter diſtinctio eſt pluſquam numerica ratione diuerſi modi ſe habendi, & ratione diuerſi effectus veluti formalis.

68 Colligitur tertiò. Origines actiuas, prout ſunt in eadem perſona, diſtingui inter ſe ex diuerſo modo productionis ſecundum noſtros conceptus in ordine ad terminos diſtinctos; reſpiciunt enim Filium, & Spiritum Sanctum, & ſunt actuale exercitium fæcunditatis, in diuerſo genere. Non eſt autem realis diſtinctio, cum inter ipſas nulla ſit origo, & oppoſitio.

69 Colligitur quartò. Origines Actiuas ſecundum illas rationes, ſecundum quas ſunt in Perſonis productis, non diſtingui realiter à Paſſiuis, earundem Perſonarum, quia non adeſt oppoſitio inter ipſas, ſed tantum ſecundum noſtros conceptus; quia origo actiua importat rationem communicationis, Paſſiua verò dicit ipſum recipere: vnde actiua reſpicit Perſonam producentem tanquam ratio dandi; Paſſiua verò tanquam ratio recipiendi.

70 Colligitur quintò. Origines actiuas, ſecundum quod ſunt in perſonis productis, diſtingui realiter inter ſe, quia perſonę productę nihil habent commune notionale; hæc autem ratio originis eſt quid notionale.

Quid formaliter per origines, ſeu Proceſſiones communicetur.

SECTIO VII.

71 Certum eſt de fide, Proceſſiones Diuinas importare communicationem Diuinæ naturæ, & Productionem perſonalitatis. Rurſus certum eſt etiam per quamlibet Proceſſionem totam Diuinam naturam communicari cuilibet perſonę, alioquin non eſſent conſubſtantiales; ſolum ergo difficultas eſt, quid communicetur ex vi Proceſſionis, formaliter nimirum, an tota natura, an verò aliquid ſpeciale attributum.

72 Prima ſententia aſſerit, Diuinam naturam communicari tantum materialiter; formaliter verò ex vi proceſſionis attributum, nempe Filio intelligere, & Spiritui Sancto Amor, ita Recentiores communiter, præſertim Suarez 11. *de Trinitate cap.* 5. Probatur primò ex Patribus, qui docent, Filium eſſe Sapientiam genitam de ſapientia, & quatenus filium, eſſe Verbum. Secundò. Verbum procedit formaliter vt ſummè repræſentatiuum; eſſe autem repræſentatiuum habetur per intelligere. Tertiò. Filius procedit formaliter vt Verbum; Verbum autem nequit intelligi ſine notitia, cum ſit id, quo Perſona intellectualiter loquitur. Quartò. Pater, dum producit Verbum, intendit tantum formaliter exprimere ſuam ſcientiam. Hoc autem fit, dum intelligere communicatur Perſonę productæ. Quintò. Si ex vi proceſſionis formaliter communicaretur eſsentia Diuina, etiam Spiritus Sanctus eſſet genitus, nam ex vi proceſſionis haberet eandem num. naturam cum producente; vnde procederet vt ſimilis.

73 Secunda ſententia negat, communicari ex vi proceſſionis formaliter aliquid ſpeciale attributum. Ita Torres *q.* 27. *de Trin. art.* 2. *p.* 4. *in reſp ad* 2. Vaſquez 1. *p. diſput.* 113. *cap.* 6. Cuniga *diſp.* 2. *de Trin. dub.* 20. *Memb.* 8.

74 Dico primò. *Ex vi Proceſſionis formaliter communicari totam, & adæquatam naturam Diuinam.* Prob. Proceſſio formaliſſimè ſumpta eſt infinita ſecundum rationem proceſſionis, & infinitas imbibitur in eius formali modo tendendi, ergo ex vi ipſius formaliter communicatur tota natura Diuina. Antecedens eſt certum. Quia infinitas imbibitur in omni ratione, quæ eſt in Deo. Tum quia ſi non eſſet infinita, eſſet finita, atque adeo haberet terminum finitum. Conſequentia probatur. Quia cum ſit infinita in ratione Proceſsionis, eſt etiam in ratione communicationis, atque adeo formaliter eſt communicatiua alicuius infiniti ſimpliciter.

75 Dices ſufficere, ſi formaliter communicetur attributum infinitum. Contra. Licet attributum ſit infinitum in ſua propria ratione, non tamen eſt infinitum in ratione communicabilis, quia non adæquat quidquid in Deo eſt communicabile. Communicatio autem infinita adæquat quidquid eſt communicabile, & ideo totam naturam Diuinam, vt formaliter correſpondentem communicationi, quia cum communicatio ſit infinita in ratione communicationis, debet illi correſpondere aliquid infinitum in ratione communicabilis. Confir. Si ex vi proceſsionis formaliter communicatur tantum ſpeciale attributum, Filius ex vi proceſsionis formaliter, & explicitè, non eſſet æqualis Patri, quod dici non poteſt, quia formaliter procedit vt Filius, de cuius ratione eſt æqualitas in natura. Sequela probatur. Nam attributum non eſt tota natura, & Pater ratione naturæ importat adæquatam Deitatem.

76 Dices. Sufficere, ſi communicetur Diuinum intelligere; in quo implicitè continetur Deitas. Contra. Vel Deitas communicatur ex vi proceſsionis formaliter, vel non. Si primum, ergo ex vi proceſsionis formaliter communicatur tota natura. Si ſecundum, ergo ex vi proceſsionis formaliter filius non eſt ęqualis patri, cum ęqualitas conſiſtat in eo, quod ſit Deus, vt docent patres, præſertim Auguſt. 1. *de Trinit. cap.* 6.

77 Dico ſecundò. *Ex vi Proceſſionis formaliter communicari naturam, ſecundum ſpecialem rationem terminabilitatis Perſonalis, ita vt terminabilitas ſit illud formale, ſub quo communicatur tota natura.* Probatur. Natura Diuina ſecundum ſe totam, eſt in qualibet Perſona, & infinito modo cuilibet communicatur, ergo debet habere diuerſos modos communicabilitatis, ratione quorum exigat eſſe in pluribus, iſte autem modus eſt formalis ratio, ſub qua Natura Diuina communicatur. Confirmatur. Perſonalitates habent diuerſum modum terminandi, ergo etiam natura diuerſos modos terminabilitatis, ergo etiam diuerſas rationes, ſub quibus communicetur, quia communicatur, vt eſt terminabilis.

78 Ad primum. Illas loquutiones Patrum, & Conciliorum, quibus ſignificatur, filium procedere vt ſapiẽtiam genitam, & Spiritum Sanctum vt Amorem, atque alias huiuſmodi nihil aliud indicare, quàm diuerſas proceſsiones, videlicet generationem, & ſpirationem, quarum vna ſit ab intellectu, & altera à voluntate, & quod natura ſub diuerſa ratione formali communicetur; non autem, quod ex vi proceſsionis formaliter communicetur ſolum aliquid attributum.

79 Ad ſecundum. Verbum non eſſe repræſentatiuum, niſi vt verbum eſt, vt autem tale non importat intelligere, quia intelligere, eſt aliquid eſſentiale, vnde ſequitur ſolum quod ex vi proceſsionis procedat vt Verbum infinitum. Ad tertium. Ex eo, quod Verbum non poſsit intelligi abſque notitia, non ſequitur, quod formaliter communicetur intelligere, ſed ſolum, quod in Diuinis detur intelligere, quia datur etiam verbum. Ad quartum. Patrem in productione verbi intendere, exprimere ſcientiam, quam habet in memoria fæcunda, quod ſit formaliter ratione verbi, quod tamen formaliter non eſt ipſum intelligere eſſentiale. Ad quintum. Cur Spiritus Sanctus non ſit genitus, videbimus infra; interim ſufficit, quod non procedat ex memoria fæcunda, ſicuti procedit Verbum.

DE

Digitized by Google

DE EXISTENTIA DIVINARVM Relationum.

DISPVTATIO XXXXXIV.

An in Deo dentur relationes Reales.

SECTIO I.

1 EX Proceſſionibus, quas certum eſt dari in Diuinis, conſurgunt relationes, quia perſona producens, & producta dicunt ordinem ad inuicem in ratione principij, & termini.

Dicendum eſt. *Perſonas Diuinas importare relationes reales*; eſt de fide ex Concilio Tolet. 12. *in Confeſſione fidei*, ex Epiſtola *Sophronij approbata in 6. Synodo, actione* 3. & deſumitur ex ſcriptura, quatenus Perſonæ Diuinæ nominantur nominibus relatiuis, nempe Patris, Filij, & Spiritus, qui eſt à Patre. Probatur. Quando aliqua ex creatis tribuuntur Deo, tribuuntur etiam cætera, quæ in ipſis inuoluuntur, aut ſunt neceſſariò connexa, & non dicunt imperfectionem, ergo cum de fide ſit, Deum eſſe realiter Patrem, & in ipſo eſſe Generationem, & Proceſſionem, debet etiam tribui relatio, quæ eſt connexa cum productione, & quia producens, & productum inuicem ordinantur.

2 Obijcies. Vnum relatiuum habet totum ſuum eſſe ad aliud, & cum ipſo ſe mutuò infert, ergo dependet. In Deo autem non eſt dependentia. Reſpond. Quidquid ſit, an vnum relatiuum dependeat ab alio; In Diuinis eſſe diſparem rationem, quia ſunt relationes per eſſentiam; vnde vna tantum coexigit aliam, & hæc coexigentia fundatur in eſſentia, quæ exigit tres Perſonalitates pro termino adæquato.

3 Obijcies ſecundò. Relatio non poteſt importare eſſentiam, atque in perſona producente ſupponit actionem productiuam, atque adeo Perſonam conſtitutam, ergo Pater, Verbi gratia, erit Pater, antequam referatur. Reſpond. negando ſecundam partem Antecedentis. Quia relatio, non eſt pura relatio, ſed ſimul refert, & conſtituit Perſonam, & importat productionem.

4 Obijcies tertiò. Relatio non eſt neceſſaria, vt pater ſit realiter pater, nam Deus eſt realiter Dominus abſque relatione reali, ergo. Reſpondetur negando antecedens & ad probat. Deum eſſe Dominum prout dicit aliquid reale, nempe potentiam coercitiuam ſupra creaturas.

5 Obijcies quarto. Relatio non poteſt conuenire Deo, ſecundum ſubſtantiam; quia omnia ſubſtantialia ſunt abſoluta, & neque ſecundum accidens, ergo. Reſpond. Conuenire ſecundum ſubſtantiam, quatenus ſubſtantia importat totum eſſe Dei; vnde conueniunt neceſſariò. Si autem ſubſtantia ſumatur pro eſſentia, non conuenit ſecundum ſubſtantiam.

6 Obijcies quinto. Relatio ſupponit extrema realiter diſtincta; in diuinis autem non poteſt habere locum alia diſtinctio, quam perſonalis, ergo non eſt ponenda vlterior diſtinctio ſecundum relationem. Reſpond. Supponere extrema diſtincta, quando contingenter aduenit, & eſt pura ratio referendi. In Diuinis autem nec contingenter aduenit, nec eſt pura ratio referendi, & ideo eſt ratio diſtinctiua.

An Relationes Diuinæ ſint reales ſecundum eſſe Ad.

SECTIO II.

7 IN Relatione diſtinguitur eſſe *ad*, & eſſe *in*, primum dicit propriam rationem relationis, per quā à cæteris entibus contradiſtinguitur. Secundum importat rationem communem cum alijs accidentibus & eſt id, quo realiter eſt in ſubiecto.

8 Prima ſententia aſſerit, non eſſe Reales, ſecundum eſſe *Ad* præciſè & vult quod eſſe *Ad* relationis præſcindat ab eſſe reali, & rationis, & ſolum fiat reale per eſſe *In*. Ita Caietanus *parte prima q.* 28. *art. primo* Ferrarienſ. 4. *contra Gentes cap.* 9. Torres *q.* 28. *de Trinit. art.* 1. Nazar. *prima parte q.* 28. *art.* 1. *controu. vnica concl.* 2. citant etiam D. Thomam eodem loco *primę partis*. Probatur Relatio realis conuenit in eſſe *Ad*, cum relatione rationis, ergo non poteſt eſſe reale. Secundo. Quidquid eſt in Deo, eſt ſubſtantia, aut formaliter, aut Identicè, ita vt ſubſiſtat in natura Diuina, ſed eſſe *Ad* relationis, neq; formaliter eſt ſubſtantia, neque in ipſa ſubſiſtit, quia non dicit eſſe *in*. Ergo. Tertiò diſtinctio perſonarum ſecundum relationem eſt quaſi extrinſecus intellecta, vt docet Cyril. 2. *Theſaur. cap.* 3. vnde relatio, vt talis, non poteſt prædicari de Deo, vt docet Boetius *de Trinitate*. ergo.

9 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita D. Bonauent. *in primo diſt.* 27. *quæſt.* 2. Durandus *ibidem*. Maior. *q.* 1. Molina *p. p. q.* 28. *art.* 1. Bannes *dub.* 1. Vaſquez *diſput.* 114. *cap.* 2. Suarez 5. *de Trinit. cap. primo* Cuniga *diſp.* 3. *dub.* 1. & deſumitur ex D. Thoma *prima par. quæſt.* 28. *artic.* 1.

10 Notandum primò. Cum à ſcriptura, & Concilijs tribuantur diuinis Perſonis nomina relatiua, debent relationes eſſe reales, eodem pacto proportionaliter, quo ſunt reales in creatis, quia nomina idem proportionaliter ſignificant; realitas autem relationis ſecundum eſſe *Ad* non importat aliquid ſupra extrema abſoluta, ſed ipſa tantum, prout veniunt in mutuam complexionem; & ideo reſpectus eſt realis, quia extrema ex natura ſua important quandam mutuam connexionem. Neque tamen ſequitur, quod relatio ſecundum eſſe *Ad*, ſit tantum obiectiuè in intellectu: nam re vera intellectus attingens talem connexionem, aliquid intelligit imbibitum in eſſe obiecti.

11 Notandum ſecundo. Realitatem Diuinarum relationum non eſſe aliud, quàm eſſe notionale cuiuſcunque perſonæ, quatenus ab intrinſeco ſuo venit in complexionem cum notionali alterius, & cum ipſo connectitur; vnde illud notionale non erit merus reſpectus, ſed aliquid aliud ex cuius intrinſeco ſequatur talis connexio, quæ tamen ſit neceſſaria ſimpliciter ea neceſſitate, qua Deus habet eſſe.

12 Dicendum eſt. *Relationes Diuinas eſſe reales etiam* ſecundum eſſe *Ad*. Probatur. Perſonæ Diuinæ ita ſe habent, vt ex vi ſui eſſe intrinſeci vna coexigat alteram, nec poſſit eſſe ſine illa, ergo dicunt relationem realem ſecundum eſſe *Ad*. Antecedens patet. Nam non poſſumus intelligere Patrem ſecundum eſſe Patris, niſi ex vi eſſe obiectiui Patris cōceptus noſter extendatur etiam ad Filium; & quando intelligimus Patrem, intelligimus aliquid quaſi intrinſecum, ergo vna Perſona vt talis, exigit aliam & ad ipſam ordinatur. Conſequent. prob. quia eſſe *Ad* relationis non eſt aliud, quàm ille ordo, quo vnum connectitur cum alio. Confirmatur. Quod conuenit Deo ex vi ſuæ infinitatis, eſt reale, ſed relationes ſecundum eſſe *Ad* conueniunt Deo ex vi infinitatis, ergo. Minor probatur. Nam ex vi ſuæ infinitatis conueniunt tres Perſonalitates, quibus terminetur natura cum ordine originis ad inuicem; In hoc autem ordine importat hoc eſſe *Ad* relationis.

13 Ad

Digitized by Google

13 Ad primum. Reſpond. Eſſe *Ad* relationis rationis eſſe ipſum eſſe *Ad* relationis realis, quia relatio rationis concipitur ad modum realis; omne enim ens rationis mutuat ab ente reali illam rationem entis, ſecundum quam concipit. & ideo non eſt diuerſum eſſe *Ad*, ita vt interueniat conuenientia.

Ad ſecundum Eſſe *Ad* Diuinæ relationis eſſe quid reale realitate diuinæ ſubſtantiæ; neque adhoc eſt neceſſarium eſſe *In*, quia non dicit aliquid ſuperadditum Perſonalitati; ſed eſt ipſa Perſonalitas, vt coexigens aliam Perſonalitatem, & ideo realitas relationis, non eſt realitas alicuius inexiſtentis, ſed alicuius ſubſiſtentis, cum coexigentia termini.

Ad tertium. D. Cyrillum diſtinctionem perſonalem vocare quaſi extrinſecus intellectum, quia non poteſt intelligi, niſi per terminum realiter diſtinctum. Boetius autem docet, quod relatio non faciat prædicationem, quia non ponit in relatiuo aliquid de nouo, ſed tantum ipſum ordinet ad aliud, vnde loquitur de prædicatione inexiſtentiæ, non autem ordinis.

DE RELATIONIBVS Comparatis ad eſſentiam.

DISPVTATIO XXXXXV.

An relationes diſtinguantur realiter ab eſſentia.

SECTIO I.

1 EX Hæreticis Thodoſiani, Angelitę, & Damianiſtæ omnes, ex tertia ſecta ſeueritarum, aſſerunt, Perſonas Diuinas non eſſe ipſam naturam Diuinam, ſed habere communem naturam, ſeu Deitatem in ſe ipſis exiſtentem. Ex Catholicis autem Gilbert. Poretan. realiter diſtinguebat relationes ab eſſentia, aſſerens ab æterno eſſe aliquid in Deo, quod non eſſet Deus.

2 Dicendum eſt. *De fide eſſe relationes diuinas non diſtingui realiter ab eſſentia.* Ita communiter cum Magiſtro *in pr. diſt. 33.* & D. Thomas *p. p. q. 28. art. 2.* & definitum fuit contra Gilbert. in Concilio Rhemenſi *ſ b Eugenio 3.* quod fuit approbatum quoad hanc partem ab ipſo Pontifice. Probatur. Si relatio eſt diſtincta realiter à natura Diuina, vel eſſet Deus, vel non. Si primum, ergo quatuor Dij. Si ſecundum, ergo aliquid creatum, quia quidquid eſt, & non eſt Deus, ſeu ens per eſſentiam, eſt aliquid participatum.

3 Dices. Non eſſe Deum, ſed aliquid de ipſo Deo. Contra. Relationes, vt contradiſtinctæ à natura Diuina, habent proprium eſſe, quod neque identice eſt ipſa natura, ergo vel hoc eſſe eſt quid creatum, & ſic erit creatura, vel increatum, & ſic erit Deus.

4 Obijcit Gilbert. Si eſſentia, & relatio eſſet eadem res, ſicuti Perſona Filij eſt incarnata, & paſſa; ita etiam eſſet incarnata Deitas. Reſpond. Diſting. ſequel. natura diuina eſſet incarnata, & paſſa, prout in Filio, ſeu ratione Perſonæ Filij ex identitate cum ipſo; non autem ſimpliciter incarnata, quia non terminauit naturam humanam ſecundum rationem Deitatis.

5 Obijcit ſecundo. Sequeretur, quod Diuina eſſentia generaretur. Reſpond. negando ſequelam. Quia ſola Perſona diſtinguitur & ideo ſola generatur; quia terminus generationis debet eſſe diſtinctus à generante, vnde ſolum quod eſt generatio reſpectu Perſonæ, eſt communicatio reſpectu eſſentiæ.

6 Obijcit 3. Eſſe relatiuum eſt aliquid præter relationem, ergo ſupponit abſolutum. Reſp. Eſſe aliquid præter relationem, non per realem diſtinctionem; ſed ſecundum modum concipiendi, vt contingit in creatis, in relatiuis traſcendentalibus.

An Relationes diſtinguantur ab eſſentia aliquo pacto ante opus intellectus.

SECTIO II.

7 PRima ſententia eſt Durandi *in primo diſt. 13. q. 1.* qui ait, diſtingui ab eſſentia aliquo modo realiter, nempe tanquam modum à re; non autem tanquam rem à re, ſeu realitatem à realitate. Prob. eſſentia Diuina eſt in aliquo ſuppoſito, in quo non eſt relatio; vnde in filio non eſt paternitas, ergo ſecluſa operatione intellectus adeſt diſtinctio.

8 Secunda ſententia aſſerit, diſtingui ex natura rei formaliter, ante operationem intellectus, ita Scotus *in 1. diſt. 2. q. 7. §. ſed hic reſtat* Lychet. & Tutaret. *ibidem.* Maior. *q. 13.* Gabriel *q. 1. art. 1. & 3.* Marſil. *q. 6. art. 2.* Rada *1. p. contr. 4.* & communiter Scotiſtæ; hęc autem diſtinctio formalis ex natura rei, ſtat cum identitate entitatiua, & ſimplicitate, & conſiſtit in eo, quod in obiecto ſint aliquę formalitates, quæ ex natura ſua ſecundum eſſe formale ſe excludant; ita Scotus *citatus*. Probat. Deus ſecluſo omni actu intellectus non eſt Deus Paternitate, ſed Deitate; nec Pater Deitate, ſed Paternitate, vt ait Auguſt. 7. *de Trinitate cap. 2.* ergo Deitas, & Pater ex natura rei diſtinguuntur. Secund. Diuina eſſentia à parte rei eſt communicabilis, non autem Paternitas, communicabile autem, & incommunicabile ex natura ſua non ſunt idem. Confirmatur Pater cognoſcit ſuam eſſentiam eſſe ex natura ſua communicabilem, & non Paternitatem, nec format diſtinctionem rationis, ergo. Tertio, Si Paternitas eſſet idem formaliter cum eſſentia, ante opus intellectus, eſſentia vt eſſentia conſtitueret Patrem diſtinctum à Filio, & eſſet ratio diſtinguendi, ergo. 4. Pater, & Filius ſunt idem in eſſentia, & diſtincti in relationibus, ergo.

9 Tertia ſententia aſſerit, non diſtingui ante opus intellectus, D. Thomas. *p. p. q. 28. art. 2. ad ſecundum.* Bannes *dub. 3.* Zumel *diſp. 2.* Molina *diſp. 5.* Vaſq. *diſp. 120. cap. 4.* Suarez *3. de Trinitate cap. 8.* Ruiz *diſp. 22. de Trinit. ſect. 3. & ſequentibus*, & alij.

10 Notandum primò; modum concipiendi poſſe conſiderari, vel ex parte intellectus, vel ex parte medij. Primo modo dicit illam modificationem, quam res habet in eſſe repræſentatiuo, fundatam in virtute præciſiua intellectus. Secundo modo dicit illam modificationem, quam habet ratione medij, per quod concipitur, nempe ratione ſpeciei. Hinc obiectum modificatur iuxta vim repræſentatiuam ſpeciei. Ex hoc autem ſequitur, intellectum ratione medij cogi concipere finito modo, quidquid de Deo intelligit, quia habet tantum ſpecies rerum finitarum, per quas concipiat.

11 Notandum ſecundo. Ad diſtinctionem formalem ex natura rei non ſufficere, quod proueniat, ratione modi concipiendi, ſe tenentis ex parte medij; nam ſe debet tenere ex parte obiecti, & ab intrinſeco illius prouenire. Sic quando Deus concipitur corporeo modo, non prouenit ex natura obiecti, ſed ratione medij, quia ſpecies, quibus vtimur, ſunt rerum corporearum; & ideo non licet inferre, quod diſtinctio proueniens, ratione medij, ſit in Deo; præſertim quia ex noſtro modo concipiendi, aliqua diſtinguimus in Deo, vt ſint accomodata noſtræ capacitati, quæ diſtincta non ſunt, quod etiam factum eſt in reuelatione, & Doctrina Patrum, & conciliorum.

12 Dico primo. *Relationes non diſtingui realiter, ſecundum quid ab eſſentia eo modo, quo ponit Durandus.* Prob. ſequeretur eadem diſtinctio, quam ponebat Gilbertus, nam totum eſſe Perſonale deberet diſtingui ab eſſentia, cum ſit eadem ratio; hoc autem eſſe Perſonale, eſ-

ſet res

Digitized by Google

ſet res aliqua, quia non eſt purus reſpectus. Vnde inquiri poteſt, an hæc res ſit Deus, an non. Deinde etiam eſſet in Deo quaternitas, nempe natura, & tres relationes, ab ipſa realiter diſtinctè quod eſt damnatum in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & refert in cap. *Damnamus. De ſum. Trinit.*

13 Dico ſecundo *Relationes Diuinas non diſtingui ab eſſentia ex natura rei formaliter*. Probatur, infinitas ex vi ſuæ rationis formalis omnia in Deo vnit, etiam ſecundum eſſe formale, quæ non habent oppoſitionem, ergo etiam eſſentiã, & relationẽ. Antecedens probatur. Quia infinitas excludit limitationem in eo, in quo eſt; atque adeo excludit etiam, quod vnum non ſit aliud, ergo cum ſit ſecundum eſſe formale, excludet etiam ſecundum eſſe formale. Confirmat. omnis diſtinctio tollit aliquam identitatem, ergo non eſſet in Deo ſumma identitas, & poſſemus aliquid melius concipere in Deo. Confirm. 2. Si eſſentia Diuina eſſet ex natura rei diſtincta à relationibus, eſſet etiam ex natura, rei terminabilis per ipſas, ergo etiam ex natura rei eſſet potentialis.

14 Ad fundamentum Durandi reſpodetur. Ex eo quod eſſentia Diuina ſit in vno ſuppoſito, in quo non eſt relatio alterius; non ſequi diſtinctionem, ſicut non ſequitur ſeparatio eſſentiæ ab eodem ſuppoſito; hoc enim prouenit ex eo, quod eadem natura ſit in omnibus Perſonis.

15 Ad primum ſecundę ſententiæ. Deum Patrem non eſſe Deum Paternitate, nec Patrem Deitate, loquendo de ipſo, ſecundum quod eſt reuelatus; quia autem eſt reuelatus cum accomodatione ad noſtram capacitatem, eſt etiam explicatus per plures cõceptus rerum creatarum, atque adeo cum diſtinctione rationis, ſeu conceptuum obiectiuorum; & ideo tales propoſitiones formantur ſuppoſita diſtinctione conceptuum. Ad ſecundum, eandem difficultatem procedere etiam de identitate reali. Reſpond. autem. Communicari, & non communicari non ſe habere contradictoriè, quando cadunt ſupra eſſe diuinum infinitum, Tum quia ipſum non adæquant; ita vt quod dicit vnum, tollat alterum. Tum quia pronunciatur de eſſe Diuino, vt explicato per plures conceptus. Hinc eadem ſimplex formalitas ob ſuam infinitatem poteſt per contradictoria explicari, quatenus eſt conceptibilis per diuerſos conceptus.

16 Dices: eſſentia, & Paternitas ſunt eadem formalitas, ergo dum communicatur eſſentia, communicatur etiam Paternitas. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia cum Pater communicat Filio totam ſuam eſſentiam, vt de fide eſt, non illam communicat, ſub ratione relationis; vnde ita communicat, vt non obſtante communicatione habeat relatio ſemper conſtituere Patrem, quod inde prouenit, quia ex ſuo formali habet ſemper referre ad Filiũ; atque adeo diſtinguere ab ipſo; vnde cum communicatio non deſtruat rationes formales rei communicatæ, poſſibile eſt, quod eadem formalitas ſecundum ſe tota communicetur Filio, & adhuc conſtituat Patrem diſtinguendo à Filio, & remanendo propria ipſius ſecundum quod ipſum conſtituit.

17 Ad Confirmationem, Patrem cognoſcere ſuam eſſentiam, & Paternitatem, abſque vlla diſtinctione cum modo eſſendi infinito, quę tamen per ordinem ad noſtros conceptus ſit explicabilis, per hæc contradictoria communicabile, & non communicabile. Ad tertium idem eſſe formaliter ante opus intellectus conſtituere Patrem, & eſſentiam in ſuo eſſe, ita tamen, vt conſtituat Patrem, vt diſtinctum à Filio, & vt idem cum ipſo; nam idem eſſe formale dicit in ſe rationem vnitiuam, nempe infinitatem, & diſtinctiuum, nempe Perſonalitatem. Non hinc tamen fit, quod eſſentia, vt eſſentia, diſtinguat Patrem à Filio; ſed quòd illa infinita perfectio, quæ eſt ſimul Paternitas, & eſſentia diſtinguat. Ad quartum, ſicuti eadem entitas, vt de fide eſt, poteſt fundare vnitatem, & diſtinctionem, quia ob ſuam infinitatem importat communicationem eiuſdem naturæ, cum reali Productione; ita etiam idem eſſe formale ex natura rei, quia ipſum quoque importat infinitatem. Vnitas autem, & diſtinctio ſunt compoſſibiles in eodem eſſe formali infinito, quia neque vniunt, neque diſtinguunt abſolutè, ſed tantum inadęquatè.

An relationes ſint de quidditate eſſentiæ Diuinæ.

SECTIO III.

18 Supponendum eſt. Actu eſſe communicatum eſſe de eſſentia naturæ diuinæ, quia de facto reperitur in tribus Perſonis, & cum ſit actus puriſſimus, non poteſt habere hanc communicationem potentiali modo, & per modum actus primi; ſed debet habere cum actuali exercitio: vnde quando concipitur per modum communicabilitatis, id prouenit ex noſtro imperfecto modo concipiendi.

19 Supponendum ſecundo. Certum eſſe, naturam Diuinam exigere tria ſuppoſita, in quibus exerceat ſuam communicationem, vnde eſſentialiter requirit Perſonalitates, vt terminum, & ipſæ ſunt eſſentialiter connexæ per identificationem, cum natura Diuina, vnde ſaltem in obliquo ſunt de eius eſſentia, & de conceptu Deitatis.

20 Supponendum tertio. Actualem Communicationem, nil aliud dicere, quàm naturam Diuinam eſſe identificatam cum tribus Perſonis. Vnde ratio, in qua formaliter conſiſtit exercitium cõmunicationis, non eſt aliud, quàm terminari tribus Perſonalitatibus, & cum Perſonalitates ſint rationes terminandi, erunt formaliter illa ratio, qua exercetur communicatio, & ipſis præciſis tolletur formalis actus communicationis. Quod ex eo patet, quia eſſentia Diuina non eſt proprie in Perſonis, ſed eſt ipſamet Perſona, vt eſt definitum in cap. *Damnamus de Summa Trinit.* vnde cum actualis communicatio conſiſtat in eo, quod natura Diuina ſit in tribus perſonis, & eſſe in tribus Perſonis dicat eſſe tres Perſonas, importabit formaliter tres Perſonalitates, vt id, quo formaliter intelligitur natura communicata; preſertim, quia actualis communicatio habetur ratione Proceſſionum, & Proceſſiones ſunt formaliter Perſonalitates.

21 Prima ſententia negat, Perſonalitates eſſe de quidditate eſſentię diuinæ, atque abſque ipſis ſaluari perfectam Deitatem: ita ij omnes, qui ponunt diſtinctionem ex natura rei. D. Bonauent. *in 1. diſt. 24. q. 1. & 2.* Argent. *q. 1.* Ferrar. *4. contra Gentes. cap. 11.* Molina *p. p. q. 29. artic. 1. diſp. 5.* Torres *art. 3.* Vaſquez *diſp. 121. cap. 4.* Suarez *4. de Trinit. cap. 5.* Ruiz *diſp. 14. ſect. 3.* Cuniga *diſp. 3. dubio 16.* & fere communiter Recentiores. Prob. Vna Perſona habet perfectè totam Deitatem, & non relationem alterius, ergo relationes non ſunt de quidditate eſſentiæ. 2. Quando concipimus adæquatè eſſentiam, non concipimus relationes, ergo 3. Si relationes eſſent de intrinſeca ratione Deitatis, ipſam plurificarent in ratione Deitatis, quia ponerẽt in ipſa eſſentialiter numerum, quod eſt contra definitionem Cap. *Firmiter. De Summa Trinitate.* 4. eſſentia præcedit relationes, vt determinabilis per ipſas, ergo. Quinto. Quando pręedicatum dicitur de ſubiecto, quidquid de prædicato dicitur, etiam dicitur de ſubiecto, ergo ſi relatio dicitur de eſſentia, dicitur etiam de omnibus Perſonis, de quibus dicitur eſſentia. 6. Relatio producitur, non verò eſſentia, ſed præintelligitur productioni, ergo. 7. Pater communicat Filio totam ſuam ſubſtantiam, & Capite. *Damnamus, De Summa Trinit* non verò Paternitatem, vt habetur ex Concilio Florentino, *in Litteris vnionis.* ergo. 8. Sequer., quod eſſentia eſſet relatiua, & non abſoluta. Contra communem ſenſum Sanctorum Patrum, qui docent, eſſentiam eſſe quid commune, & illam diſtinguunt ab Hypoſtaſibus.

22 Secunda ſententia eſt Albertini *tom. 1. quæſt. prima circa primum corollarium, ex 7. principio philoſophico, dub. 2. puncto 1. & 2.* qui aſſerit, Relationes non eſſe de quiddi-

Digitized by Google

quidditate eſſentiæ collectiuè, aut diuiſiuè ſumptas, ſed tantum diſiunctiuè, hoc eſt quod non omnes ſimul ſunt, de eſſentia Diuinitatis, tanquam terminus adæquatus, neque etiam Paternitas, Filiatio, & ſpiratio diuiſiuè, prout quælibet eſt aliquis terminus diuinæ communicationis; ſed ſolum omnes ſub diſiunctione, nempe quod hæc, vel illa abſque determinatione ſit de eſſentia Diuinitatis, & ideo de eſſentia Dei eſt Pater, vel Filius, vel Spiritus Sanctus, quatenus de eius ratione eſt, quod modificata per vnam relationem excludat alias. Probatur. Eſſe communicabile pluribus eſt eſſentiale naturæ diuinæ, nec poteſt explicari, niſi ſub diſiunctione, alioquin non ſaluaretur, quomodo omnia prædicata naturæ conueniant cuilibet perſonæ. ergo.

23 Tertia ſententia abſolutè aſſerit, Eſſe de quidditate naturæ diuinæ. ita Caietanus *p. p. q. 27. art. 2.* Bannes *q. 28. art. 2. dub. 6.* Aureolus *in 1. diſt. 1. quæſt. 1. art. 2. & ſequentibus* & *diſt. 33. q. 1. art. 1. & 3.* Valent. *tom. 1. diſp. 2. q. 4. punct. 1. in reſponſione ad quartum contra Pluralitatem diuinarum Perſonarum*; & deſumitur etiam ex D. Thoma *p. p. q. 27. artic. 2. ad tertium*. Vbi habet, *in ipſa perfectione Diuini eſſe continet etiam Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, ſicut & quæcunque ad eius perfectionem pertinent.*

24 Dico primo *Relationes non eſſe de quidditate eſſentiæ, quatenus eſſentia importat formale conſtitutiuum, per quod conſtituitur in eſſe Deitatis*; hanc concluſionem probant tantum argumenta primę ſententiæ. Probatur. formale conſtitutiuum Deitatis importat id, per quod Deus diſtat infinito modo à creaturis, ergo vt tale non dicit formaliter perſonalitates. Antecedens patet. Quia ſicuti Deus infinitè diſtat à creaturis, ita formale conſtitutiuum eſt id, quo diſtat. Conſequentia probatur. Id, per quod diſtat, eſt eſſe ens per eſſentiam, & habere infinitatem ſimpliciter; hoc autem non dicit explicitè perſonalitates Diuinas.

25 Dico ſecundo. *Relationes eſſe de intrinſeca ratione eſſentiæ adæquatè ſumptæ, ita vt non poſſit ſaluari completa ratio deitatis, ſine ipſis*, Deſumitur ex pluribus Patribus. Nazianz. *orat. 5. de Theolog.* vbi ait *Filius non eſt Pater, ſed quod Pater, nec Spiritus Sanctus eſt Filius, ſed quod Filius, atque ita inconfuſa trium perſonarum diſtinctio, in vna diuinitatis natura conſideratur.* à Cyrillo. Alexand. *Dialogo 2. de Trinitate* poſt initium. *Diuinam ſi quis agnominaret naturam integram nobis quaſi in vno ſignificato, oſtenderet ſtatim Trinitatem Diuinam, quæ in vna deitate intelligitur.* S. Ephrem in Sermone de Pentec. *Nec enim ſola vnitas, neque Trinitas eſt diuinitas ſed vtrumque ſimul.* Athanaſio orat. contra Gregal. Sabell. *Vniuerſa plenitudo & integritas Deitatis eſt Pater, vt Pater; vniuerſa item plenitudo Deitatis eſt Filius, vt Filius.* & Serm. 4. contra Arrianos. *Quoniam Filius eſt imago Patris, neceſſe eſt, vt cogites Deitatem, & proprietatem Patris, ipſam eſſentiam Filij conſtituere.*

26 Probatur Perſonalitates pertinent ad integritatem Diuinæ naturę cum ſint termini perſonales ipſius; vnde ſine ipſis non ſubſiſteret perſonaliter, & per ſe illi conueniunt, ergo ſunt de eſſentia ipſius. Conſequentia probatur. Natura diuina, vt natura eſt, ex vi deitatis eſt infinita ſimpliciter, de ratione autem infiniti, eſt vt eſſentialiter importet omnem ſuam integritatem, alioquin aliquid deeſſet eſſentiæ; vnde limitaretur.

27 Dices. Naturam diuinam ratione infinitatis habere perſonalitates ſibi identificatas, quæ cum ſint reſpectiuæ; ſunt proprietates illius; non verò aliquid eſſentiale. Contra, vel eſſentia diuina vt concipitur ad modum eſſentiæ, & importans adæquatam Deitatem, eſt infinita, vel non. Si primum, ergo importat quidditatiuè omnem ſuam integritatem, quia nedum eſt infinita entitatiuè, ſed etiam quidditatiuè. Si ſecundum, ergo non eſt adęquata Deitas, quia Deitas adæquata eſt infinita ſimpliciter.

28 Probatur ſecundo. De eſſentia naturæ Diuinæ eſt communicari tribus perſonis, ergo de eſſentia illius eſt, quicquid requiritur ad conſtituendam formaliter talem communicationem; ſed requiruntur perſonalitates, ergo. Minor probatur. Quicquid conuenit Deo, conuenit per eſſentiam, & per modū actus puriſſimi, ergo etiam communicabilitas; communicabilitas autem per modū actus importat actualem communicationem, & actualis communicatio dicit perſonalia. Tum quia formaliter conſiſtit in proceſſionibus. Tum quia naturam Diuinam communicari tribus perſonis, eſt eſſe tres Perſonas.

29 Dices. Sufficere, ſi habeat identicè actum communicationis. Contra. Formaliter, & quidditatiuè eſt actus puriſſimus, ita vt ex vi ſuę quidditatis excludat omnem potentialitatem, ergo formaliter, & quidditatiuè dicit actum vltimum communicationis.

30 Dices ſecundo. Actum communicationis non importare perſonalia, ſed quod eſſentia ſit in perſona. Contra. Actualis communicatio veluti in fieri conſiſtit formaliter in proceſſionibus, ergo in facto eſſe in perſonalitatibus.

31 Dices tertio. Naturam non diſtingui à perſonalitatibus, niſi ratione; ſic autem conceptam non habere actum ſecundum communicationis, ſed tantum actum primum. Contra vel concipitur vt importans adæquatam Deitatem, vel non. Si primum; ergo concipitur cum infinitate, & cum actu puriſſimo communicationis. Si ſecundum, ergo non ſequitur, perſonalitates non eſſe de eſſentia Deitatis adæquatè ſumptę.

32 Probatur tertio. Eſſentia diuina ex vi ſuæ quidditatis formaliter eſt ipſum intelligere, infinitum, & per eſſentiam per modum actus puriſſimi, ergo includit omnē perfectionem in tali genere, & omnem rationem, quę pertinet quocunque modo ad intelligere, ergo etiam rationem Verbi, quæ eſt aliqua ratio intra rationem intelligendi, & quid neceſſarium, & debitum diuino intellectui ratione fęcunditatis.

33 Dices. Rationem Verbi non pertinere ad eſſe intrinſecum ipſius intelligere. Contra. Eſt intra intrinſecum ordinem intellectualem, & pertinet ad actuale intelligere, ergo eſt illi intrinſecum, quia dum intelligere ſit infinitū, includit quidquid eſt ſibi debitum.

34 Ad primum. Reſpondetur negando, quod vna perſona non habeat relationes alterius ratione Deitatis; vna enim perſona eſt in alia, & ideo relatio vnius, eſt de quidditate alterius, non prout eſt altera perſona, ſed prout eſt Deus, licet enim perſonæ diſtinguantur in relationibus, ſunt tamen vnum in eſſentialitate eſſendi, & ideo vna perſona eſſentialiter exigit aliam in ſe ipſa. Ad ſecundum negatur aſſumpt. Licet enim, quando concipimus eſſentiam cum ſolis abſolutis, non concipiamus relationes; non tamen concipimus adęquatam rationem Deitatis. Ad tertium negatur ſequela. Quia relationes plurificant eſſentiam, ea plurificatione, quam de ſe important; quia autem ſunt termini perſonales, ideo plurificant tantum perſonaliter, & facit, quod deitas, ſeu vna ſumma res ſit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, vt habetur in Capite *Damnamus*, vnde ponunt numerum non in eſſentialitate eſſendi, ſed in termino perſonali. In Capite autem *Firmiter* dicitur eſſentiam eſſe quid indiſtinctum, quia ſumitur, vt dicit eſſentialitatem eſſendi; non autem vt dicit terminos perſonales. Ad quartum, eſſentiam præcedere relationes ſecundum nóſtrum modum concipiendi, qui non cadit ſupra eſſe adæquatum Deitas. Ad quintum illam regulam æquiualere illi principio, quæ ſunt eadem vni Tertio, ſunt eadem inter ſe, & proinde quod dicitur de prędicato, dicitur etiam de ſubiecto, quando adęquat prędicatum ſecundum illam rationem, ſecundum quam dicitur de ſubiecto. Secus autem, quando non adæquat, vt in caſu noſtro, nam relatio dicitur de eſſentia, prout eſt terminata, vna autem relatio non adæquat terminationem eſſentiæ. Deinde vt valeat talis regula, debet dici de prędicato, prout eſt quid prius ſubiecto; relationes autem non dicun-

Digitized by Google

dicuntur de eſsentia diuina, prout concipitur prior perſonis, nam tunc concipitur tantum inadęquatè, nempe ſecundum abſoluta. Ad 6. eſsentia non produci, prout importat ſola abſoluta, producitur autem aliquid, quod eſt in adæquata ratione deitatis. Ad 7. Sicuti Pater communicat Filio totum ſuum eſse reale. In quo includitur etiam eſse Patrem, & tamen adhuc valet, quod non communicet eſse Patrem. Ita licet communicet totam ſuam eſsentiam, in qua includitur eſsentialiter Paternitas, adhuc tamen non communicat eſse Patrem, quia Paternitas ab oppoſitione ſemper habet diſtinguere à Filio. Ad 8. Quando Patres docent, eſsentiam eſse abſolutam, loquuntur de ipſa, prout ſtat in noſtris conceptibus, ſecundum quos diſtinguimus, inter ipſam, & Perſonalitates, vt poſſimus aſsignare per quid Perſonæ ſint Deus, & per quid tales perſonæ, non autem loquuntur de eſsentia conſiderata ſecundum totam ſuam adæquationem.

35 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ diſtinguo antecedens. Prædicatum communicabilitatis, prout dicit actũ communicationis, conuenit diuinæ naturæ, prout eſſe in perſonis, atque adeo ratione perſonalitatum; non autem ſeorſim à perſonis, & ideo non debet adæquatè conuenire cuilibet perſonæ, ſed ſolum inadæquatè.

An Relationes dicant formaliter eſsentiam.

SECTIO IV.

36 Idem eſt, ac ſi quæratur, an eſsentia ſit de quidditate Relationum. Prima ſententia ait, eſse de quidditate relationum in obliquo, ſicut ſedens eſt de conceptu ſeſſionis; non autem in recto, ita ij omnes, qui diſtinguunt relationes ab eſsentia, aut ex natura rei, aut ſecundum conceptus adæquatos & ſpecialiter Molina 1. *p.q.28.art.2.diſp.6.* Vaſquez *diſp.121.* Cuniga *diſp.3. de Trinit.dub.16.* & ferè communiter Recentiores. Prob. Relatio concipitur aduenire eſsentiæ vt determinabili, & communicabili perſonis, ergo eſsentia eſt extra relationes. 2. Si paternitas includeret eſsentiam, hæc eſset formalis propoſitio, Paternitas eſt eſsentia, vnde ſicut Pater eſsentia intelligit; ita etiam intelligeret Paternitate, & Filius eſset Verbum ex eo, quod eſt ſapientia, quod eſt contra D. Auguſtinum *6. de Trinit.cap.2.* Tertiò pater non plus diceret, quam Paternitas, vnde Paternitas non eſset proprietas Patris. Quartò. Eſsentia eſt quid abſolutum, ergo non poteſt contineri in quidditate relationis. Quintò. Relatio dicit aliquid, quod non dicit eſsentia, ſecundum quod eſt incommunicabilis, ergo Sextò. Sequeretur, cum dicitur Paternitas eſt Deitas, prædicationem eſse in primo modo dicendi per ſe, vnde eſse Patrem eſset eſse Deum, contra D. Auguſtinum 7. *de Trinit. cap. 2.* Septimo. Relatio eſset eſsentialiter ſubſtantia, quod eſt falſum, quia non dicitur de Deo ſubſtantialiter, vt docent Patres.

37 Secunda ſententia eſſerit abſolutè. Eſſe de quidditate relationum ita Alenſ. 1.*p.quæſt.68.memb.5.art.2.& 5.* Marſil. *in 1.diſt.23.art.3.* Aureolus *diſt. 1. q. 1. art. 1. & 3.* Capreolus *diſt.2.q.3.art.3.* Suarez *lib. 4. de Trinitate cap.7.* Ruiz *diſp.13.ſect.1.& 2.* Amicus 1.*p.diſp.19.ſect. 6.* & alij Recentiores.

38 Notandum primò. Non obſtante reali diſtinctione perſonarum, totum eſſe Dei, etiam prout importat perſonas, eſſe vnam ſummam rem infinitam, vt definitur in Capite, *Damnamus.* de *Summa Trinit.* vnde Perſonalitates non ſolum in obliquo, ſed etiam in recto ſunt vna ſumma res. Cum autem res importet illud intrinſecum, quo vnumquodque eſt aliquid, atque eſſentiam, qua res in ſe conſiſtit. Hinc fit, vt importet eſſentialitatem eſſendi, qua quodlibet formaliter in ſe ipſo eſſentiatur, vt ſit id quod eſt. Ex quo fit, quod cum Diuinæ perſonæ ſint vna res, ſint etiam vna eſſentialitas eſſendi.

39 Notandum ſecundò. Myſterium Trinitatis poſſe dupliciter conſiderari, primo prout eſt in ſe, & proinde prout infinito modo ſe habet, 2. prout eſt in repræſentatione noſtrorum conceptuum; & tunc finito modo ſe habet, quia repræſentatur per ſpecies rerum finitarum.

40 Notandum 3. Quod licet debeamus loqui de hoc Myſterio, prout per noſtros conceptus repræſentatur, tum quia Concilia, & Patres ſic loquuti ſunt. Tum quia etiam reuelatio eſt facta cum accomodatione ad noſtrum modum concipiendi, quando tamẽ quidditatem Myſterij inquirimus, corrigendus eſt modus concipiendi, ne aliquid ipſi tribuamus, vt conueniens à parte rei, quod conuenit tantum ratione noſtri modi concipiendi.

41 Dico primo. *Si conſideretur relatio prout eſt in repræſentatione noſtrorum conceptuum, eſſentia non eſt de quidditate ipſius.* Probatur. Conceptus formalis repræſentatiuus eſſentiæ diſtinguitur à conceptu formali, repræſentatiuo perſonalitatis, ita vt repræſentatio vnius, non contineatur in repræſentatione alterius, ergo eſſentia non eſt de quidditate relationis, vt ſtat in repræſentatione noſtri conceptus, quia tali pacto ſequuntur naturam repræſentationis, & ſe habent eo modo, quo repræſentantur.

42 Dico ſecundò *Ex natura obiecti relationes, ſeu perſonalitates, includere quidditatiuè diuinitatem.* Probatur. Quælibet trium perſonarum eſt illa res, nempe natura diuina, vt definitur in cap. *Damnamus* De *Summa Trinit.* Rurſus abſtractum eſſentiæ prędicatur in recto, non ſolum de perſonis, ſed etiam de abſtracto perſonarum, vnde Athanaſius *Dialog. 1. de Trinitate* immortalitas *eſt Hypoſtaſis Patris*, & infra, *Hypoſtaſis eſt incorruptibilitas, Iuſtitia, ſanctificatio &c.* ergo eſſentia eſt de quidditate perſonalitatis, nam ad verificandas has propoſitiones, non ſufficit ſola identitas, & proinde falſa eſt iſta propoſitio, Rationalitas, & Animalitas. Confirmatur. Ad verificationem prædicationis requiritur identitas prædicati cum ſubiecto, ergo quando abſtractum prædicatur de concreto, aut de alio abſtracto in recto, debet adeſſe identitas eſſentialis, quia abſtractum debet identificari ex vi illius eſſe, quod importat in abſtracto, quod eſt eſſe formale, & quidditatiuum. Confirmatur. 2. Non poteſt vſurpari propoſitio abſtracti de concreto, cum reduplicatione, quæ cadat ſupra concretum, niſi prędicatum ſit intrinſecum rationi reduplicatæ; ſic non poteſt dici homo vt homo, eſt, animalitas, quia animalitas non includitur formaliter in eſſe formali hominis. Sed diuinitas prædicatur de perſona, vt perſona eſt, ergo. Minor probatur ex D. Athanaſ. *orat.contra Gregal. Sabel.* Vniuerſa plenitudo, & integritas Deitatis eſt Pater, vt Pater.

43 Probatur ſecundo. Perſonalitas Diuina eſt entitatiuè diuinitas, vt eſt de fide, ergo etiam eſſentialiter, quia ex eo, quod eſt entitatiuè Deitas, trahit ad ſe Deitatem entitatiuo modo, ergo etiam quidditatem, ita vt coaleſcat cum ipſa in idem eſſe quidditatiuum. Conſequentia probatur. Quidquid pertinet ad eſſentiam Dei, aliquo modo eſt illi eſſentiale, vnde etiam exiſtentia eſt de quidditate ipſius, ergo etiam eſſe entitatiuum eſt de quidditate diuinæ eſſentiæ, ergo ſi relatio trahit ad ſe eſſe entitatiuum, vt ſit idem cum ipſo, trahit aliquid quidditatiuum diuinę eſſentię, ergo totam eſſentiam, quia cum ſit omnino ſimplex, non poteſt trahi ſecundum partem.

44 Probatur tertio. Perſonalitates ſunt quid reale ea ratione entis, qua eſt quid reale diuina eſſentia, prout Deus ſecundum ſe totum eſt vnum ſimpliciſſimum ens per eſſentiam, ergo quando concipiuntur ſecundum ſe, debent concipi vt quid reale ex vi entis per eſſentiam, cum non debeant concipi, eſſe quid reale alia ratione entis, qua m ea, qua ſunt quid reale à parte rei, ergo quidditatiuè includunt ens per eſſentiam, & conſequenter diuinam eſſentiam; quia ens per eſſentiam, eſt eſſentia diuina.

45 Dices. Rationem entis, quam dicunt Relationes, vt pręciſè conceptę, non eſſe ens per eſſentiam; ſed quid pręſcin-

munt originem ponunt etiam relationem, quę imbibitur in ipſa intrinſecè. Inſtabis: poteſt ſaluari origo abſq; relatione, vt cum Deus producit creaturas ad extra, ergo. Reſp. Ideo poſſe ſaluari, quia origo ad extra non eſt intrinſeca Deo, origo autem ad intra eſt intrinſeca Perſonæ producentis. Ad Confirmationem. Reſp. ex Auctoritate negatiua nihil concludi. Ad ſecundam rationem, ſpirationem actiuam non poni inter proprietates perſonales, quia cum ſit communis Patri, & Filio, non conſtituit ſeorſim aliquam Perſonam.

An Relatio ſpirationis actiuæ conſtituat quartam Relationem.

SECTIO II.

6 PRima Sententia eſt negatiua, ita Ocham. *in* 1. *diſt.* 19. *q.* 1. *& diſt.* 27. *q.* 1. Gabriel *ibidem, & diſt.* 28 *q. vnica. art.* 3. Maior *diſt.* 27. *q. vnica ad* 3. Prob. Non poteſt intelligi, quomodo ſint plures relationes, niſi ſint plures res, ſpiratio autem actiua nō eſt res diſtincta à Paternitate, & filiatione, quia ipſis identificatur; vnde neque eſſentia ob identificationem cum perſonis eſt res diſtincta: ſecundò. Eadem relatio poteſt eſſe ad plures terminos, ergo Pater poteſt referri ad Filium, & Spiritum Sanctum eadem relatione, tertiò. Non plurificatur relatio, niſi plurificetur fundamentum, aut ratio fundandi, in Diuinis autem non plurificatur.

7 Secunda ſententia aſſerit, conſtituere quartam relationem, ita D. Tho. 1. *p. q.* 28. *art.* 4. Bannes, & Caietanus *ibidem* Molina *diſp.* 1. Vaſquez *diſp.* 138. *ca.* 2. Ruiz *diſp.* 18. *ſect.* 1. & Communiter.

8 Notandum 1. Ad plurificandas relationes, non eſſe neceſſe, vt res plurificentur ſecundum eſſe reale; in creatis enim eadem res refertur ad plures terminos, per plures relationes, à ſe indiſtinctas: ſic albedo dicit relationem ſimilitudinis, ad aliam albedinem, & ad nigredinem relationem diſſimilitudinis.

9 Notādum 2. Cum relatio importet habitudinē vnius ad aliud, ad plurificandam relationem ſufficere, ſi plurificetur hæc habitudo; vnde vt ſit diuerſa relatio, ſufficit ſi extrema inter ſe connectantur ſecundum diuerſam rationem, & quia extrema ſunt de conceptu relationis, ideo ad ipſam diuerſificandam ſufficit diuerſitas alterius ſaltem extremi.

10 Dicendum eſt. *Relationem ſpirationis actiuæ, importare quartam relationem.* Probat. Pater connectitur cum Spiritu Sancto, ſecundum diuerſam rationem, ac cum Filio; & ſimiliter Filius diuerſa ratione connectitur, cum Patre, & Spiritu Sancto, ergo dicunt ad ipſum diuerſam relationem. Antecedens patet, quia Pater, & Filius connectūtur cū Spiritu Sācto, ſecūdū rationē ſpirationis. Conf. Pater, & Filius debent habere ſpecialem oppoſitionē cum Spiritu Sancto, alioquin non diſtinguerentur ab ipſo, ergo etiam debent dicere ad ipſum ſpecialem relationem.

11 Ad 1. negat. Antecedens. Q ia ad intelligendas plures relationes ſufficit intelligere plures connexiones, ſeu habitudines extremorum, prẹſertim quando termini ſunt diſtincti, vt in caſu noſtro. Ad ſecundum. Eandem relationem poſſe eſſe ad plures terminos, quando induunt rationem vnius adęquati, vt contingit in ſpiratione paſſiua, & in relatione Filij ad Patrem, & Matrē. In caſu autē noſtro adeſt diſtinctus terminus adęquatus, & diſtincta ratio referendi. Ad tertium. Suppoſito, quod relatio non diſtinguatur a fundamento, nego antecedens; nam poteſt plurificari, illo non plurificato. Deinde in Diuinis adeſt etiam ſufficiens diſtinctio ex parte quaſi fundamentali, quia relationis ſpirationis actiuæ fundamentum eſt duplex perſona: nam relatio paternitatis fundatur ſolum in Patre, & relatio Filiationis in ſolo Filio; ſpiratio autem per ſe exigit duplicem perſonam.

An Relatio dicat Perfectionem in Deo.

SECTIO III.

12 QVæſtio procedit de perfectione entitatiua, ſeu tranſcendentali, & quia certum eſt, nihil eſſe in Deo, quod non ſit perfectū, ideo punctus difficultatis in eo conſiſtit, an relatio pręciſe ſumpta, vt contradiſtinguitur ab eſſentia, importet propriam perfectionem relatiuā, ita vt plurificetur perfectio ſicuti plurificatur relatio.

13 Prima ſententia affirmat; ita Ocham *in* 1. *diſ.* 19. *q.* 1. Gabriel *ibidem* Argent. *diſt.* 7. *art.* 1. Suarez 3. *de Trinit. cap.* 9. *&* 10. Cuniga *diſp.* 5. *de Trinit. dub.* 12. Amicus 1. *p. diſp.* 19. *ſect.* 8. Granad. *tract.* 3. *de Trin. diſp.* 5. *ſect.* 2. & communiter recentiores. Probat. Relatio, vt talis, eſt ens reale, & in Diuinis eſt quid ſubſiſtens, & faciens numerum, ergo dicit perfectionem, quia perfectio conuertitur cum ente. Conf. Pater eſt perfectio, quatenus Pater, & ſibi complacet, quod ſit Pater, ergo. 2. Patres docent contra artium, quod, ſi Deus ab æterno non genuiſſet, caruiſſet aliqua perfectione. Rurſus generationem Diuinam eſſe perfectionem naturæ, ergo. 3. Relationes Diuinę, habent quidquid requiritur ad rationē relationis realis, ergo dicunt ſuam perfectionem in eſſe relationis, 4. Pertinent ad perfectionem Dei, & nulla eſt ratio in Deo, quæ non dicat perfectionem, ergo. 5. Perſonalitas in creatis dicit propriam perfectionem, ergo multo magis in Diuinis. Conf. Trinitas, vt talis, adoratur. Patres iuxta illud Athanaſij in Symbolo. *Trinitatem in vnitate veneremur.* 6. Paternitas eſt conueniens Patri, & non Filio, ergo habet propriam bonitatem, quæ conſiſtit in conuenientia.

14 Secunda ſententia eſt negatiua, ita Capreol. in 1. *diſt.* 9. *q.* 1. *ad* 3. *contra* 1. *concluſ. & d.* 33. *q.* 1. *art.* 3. Scotus *d.* 2. *q.* 7. *§. ad* 1. *q.* Ariminenſis *d.* 19. *q.* 1. *art.* 1. Caietanus 1. *p. q.* 28. *art.* 1. *&* 2. Ferrarien. *lib.* 4. *contra gentes, cap.* 14. Smiſing. *diſp.* 3. *de Deo Trino, q.* 1. *n.* 49. & alij.

15 Tertia ſententia aſſerit, Relationes importare perfectionē, non tamen extra perfectionem eſſentiæ, ita vt non ſint tres perfectiones relatiuæ, ſed vnica tātum: ita Aureolus *in* 1. *diſt.* 19. *art.* 3. Vaſquez 1. *p. diſp.* 122. *cap.* 6.

16 Dico 1. *Perſonalitates Diuinas, quatenus dicunt formale relationis, ſeu præciſum Eſſe ad non importare perfectionem propriam.* Prob. *Eſſe ad*, nihil ponit in eo, cuius eſt, *Eſſe ad*, ſed ſolum ordinat ad aliud eſſe ipſius, alioquin importaret aliquid abſolutum, nam ſubiectum conſtitueretur in ſe per ipſum, *Eſſe ad;* quod autem conſtituitur in ſe, eſt quid abſolutum, nam conſtituitur ad ſe, ergo non importat de ſuo formali aliquam propriam perfectionem. Conſequentia probatur. Si de ſuo formali importaret perfectionem, perficeret id, cuius eſt *Eſſe ad*; atq, adeo poneret in ipſo aliquam perfectionem, quia in ſe ipſo perficeret.

17 Dices. No n importare perfectionem abſolutam, ſed relatiuā. Contra. Non poteſt perfici in ordine ad aliud, niſi in ſe recipiat perfectionem, ſicut non poteſt eſſe in ordine ad aliud, niſi ſit in ſe, ergo non poteſt perfici, niſi in ſe recipiat aliquam perfectionem, ſecundum quam conſtituatur in ſe ipſo.

18 Prob. 2. Perfectio ex genere ſuo eſt quid abſolutum ergo non poteſt dari perfectio relatiua, ergo relatio, vt talis, non dicit perfectionem. Antecedens probatur. Perfectio ſecundum ſuam formalem rationem comparatur ad id, cuius eſt perfectio vt quoddam conſtitutiuum ipſius, & ſicuti quodlibet per eſſe quod habet in ſe, conſtituitur in ſe, & ad ſe, ita etiam perfectio ex genere ſuo habet conſtituere rem in ſe, & ad ſe. Confirmatur. Omnis perfectio, quæ eſt in Deo eſt ſubſtantialis: vnde D. Auguſtin. 7. *de Trinit. cap.* 1. docet, Perfectionem Dei eſſe ipſam magnitudinem Dei, ergo dicitur abſoluto modo, non autem relatiuè, quia ſubſtantiale ex genere ſuo eſt quid abſolutum, & ſubſiſtit ad ſe, & quæ ſunt ſubſtātialia

in Deo, non ſunt relatiua, vt docet idem Aug. 5. *de Trinit.* c. 15. vnde etiam loco cit. *lib. 7. de Trinit.* docet, quod pater, & Filius ſunt vna magnitudo, nempe perfectio.

19 Dices. Quod ſicut ens præſcindit ab abſoluto, & reſpectiuo, ita etiam præſcindat perfectio. Contra. Ens, quod eſt ratio alicui eſsendi in ſe, non præſcindit ab abſoluto, & relatiuo, ergo nec perfectio, cum ſit ratio, qua res perficitur in ſe. Deinde quod ex genere ſuo importat aliquam rationem, non poteſt ab illa præſcindere; perfectio autem ex genere ſuo importat aliquid abſolutum.

20 Dico ſecundo. *Perſonalitates diuinas importare perfectionem, prout ſunt termini naturæ diuinæ, ita vt concurrant ad perfectum eſſe Dei intra rationem deitatis.* Deſumitur ex Concil. Nicæno *lib. 2. §. Non difficile*; vbi habetur, *vna eſt Diuinitas Sancta Trinitatis, quæ in tribus ſubſiſtētijs perfectis, & æqualibus conſideratur*, & ex 1. Synodo Conſtantinopolit. *Credimus æqualem honorem, ac dignitatem, & imperium coæternum, in tribus perfectiſſimis ſubſiſtentijs, ſeu tribus perfectis perſonis.* Et idem docent frequenter etiam patres. Prob. fœcunditas dicit perfectionem in Deo, & pertinet vt quid reale ad eſse Dei, ita vt ſine ipſa non eſset Deus, ergo etiam perſonalitates, quia important actualitatem fœcunditatem, ſeu terminum actualem, quo exercetur fœcunditas, ita vt præciſo hoc termino, natura diuina non eſset cōpleta, quia adhuc exigeret terminari termino poſitiuo, quod autem eſt complementū naturæ diuinæ dicit perfectionē.

21 Dico 3. *Perſonalitates importare aliquā perfectionē rōe modi eſsēdi naturæ diuinæ, quē habet ratione ſuæ cōmunicabilitatis.* Habet. n. natura diuina diuerſos modos, quibus exigit terminari perſonaliter, nā ſi vno tantū modo eſset terminabilis, haberet tātū vnā perſonalitatē. Prob. perſonalitates importāt totā ſuā perfectionem, quia ſunt termini cōplentes exercitiū cōmunicationis naturæ diuinæ, ergo ratione modi eſsendi, quia natura, præciſis perſonalitatibus, dicit hos modos eſsendi, veluti incompletè, & radicaliter; ratione autē pſonalitatis habet cōpleto modo.

22 Dico 4. *Perſonalitates diuinas non importare tres perfectiones, ſed tantū vnam, qua omnes ſint perfectæ, & quæ ſit perfectio eiuſdē eſsētiæ* deſumit. ex D. Thoma *in 1. diſt. 7. q. 2. art. 2. ad vltimū*, vbi habet, *Dignitas eſt de abſolutè dictis, & ideo eſt eadē dignitas Patris, & Filij numero, ſicut eadē eſsētia; vnde ſicuti paternitas in patre eſt eſſentia, & eadē eſsētia in Filio eſt nō Paternitas, ſed filiatio; ita eadē dignitas num. quæ in Patre eſt Paternitas, in filio eſt filiatio.* Prob. ſi tres perſonæ dicerent tres perfectiones relatiuas, nō eſsēt vna perfectio, ſicuti neq; ſunt vna perſona; ſed Trinitas vt talis eſt vna perfectio, ergo. Minor probatur. Trinitas vt talis eſt vna ſumma res, vt definitur in cap. *Damnamus*. *De ſumma Trinit.* ergo vna ſumma perfectio, quia perfectio ſequitur rem, nec multiplicatur, niſi ad multiplicationem illius.

23 Secūdo perſonæ diuinæ ſunt inter ſe æquales, nec plus perfectionis dicit vna, ne dum intenſiuè, ſed nec etiam extēſiuè, quā dicāt aliæ duæ, aut omnes ſimul, ergo perfectiones perſonales nō plurificātur, alioquin ſicuti eſsent tres perfectiones perſonales, ita etiā plus perfectionis eſſet in tribus, quā in vna. Antecedens traditur cōmuniter à Patribus. D. Bernardus Epiſ. 190. ad Innocentiū, *Totum eſt Pater quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Totū Filius, quod ipſe, & Pater, & Spiritus Sanctus, Totum Spiritus Sanctus, quod & ipſe & Pater & Filius* Anſel. c. 23. Proſolog. *Quod eſt ſingulus quiſq; hoc eſt tota Trinitas ſimul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*. Aug. 6. de Trinit. c. 8. *Cū itaq; tātus eſt ſolus Pater, vel ſolus filius, vel ſolus Spiritus S. quātus eſt ſimul Pater, fili⁹, & Spiritus S. nullo modo triplex dicēdus eſt.* Ex Cōc. Tolet. 6. in profeſs. fidei. *Trinitas nec minor ex ſingulis, quam in omnib⁹, nec maior in omnib⁹, quā in ſingulis pſonis manet.*

24 Reſpond. Tantā eſse vnā perſonā, quantę omnes ſimul, quia perfectiones relatiuæ continentur eminenter in eſsētia. Contra: qualibet perſona, dū dicit eſsentiam, dicit perfectiones relatiuas, cōtentas in ipſa, & inſuper propriā perſonalē formali modo ſe habentē, ergo duæ perſonę dicerēt plus perfectionis, quā vna, quia dicerent duas perfectiones relatiuas, formali modo ſe habētes. Cōfirmat. vel perſonalitas addit aliquā perfectionē ſupra eſsentiam; vel nō, ſi primū, ergo perſona ex eo, quod habet eſsentiā, non habet perfectionē aliarū perſonarū, ſi 2. ergo non tres perfectiones relatiuæ, cum nihil addatur ſupra eſsentiam.

25 Dices ſecundò, vnam perſonam habere perfectionem alterius per identitatem cum eſsentia. Contra: vel idētitas facit, vt perfectio perſonalis vnius ſit perfectio alterius, vel nō: ſi primum, ergo non tres perfectiones, quia numerus eſt tantum ſecundum ea, quæ opponuntur: ſi ſecundū, ergo plus perfectionis eſt in duabus, quàm in vna.

26 Dices tertiò. Patres loqui dē æqualitate ratione eſſentię. Contra: comparant perſonas inter ſe, prout faciunt numerū perſonalē, & aſserūt nō plus eſse omnes perſonas ſimul, quam vna, itaut omnino excludant exceſsum, ergo.

27 Dices quartò. Omnes perfectiones perſonales eſse in ſingulis perſonis ratione circuminſeſſionis, Contra: circuminſeſſio non tollit numerum perfectionum, ergo neq; facit, quod non ſint plus duæ, quam vna.

28 Prob. tertiò. Si darētur tres perfectiones relatiuę, vel eſsent infinitę in quātitate perfectionis, vel finitę. Non 1. quia infinitū ſimpliciter eſt per eſsētiā ſingulare, nec poteſt plurificari. Non 2. quia aliquid finitum eſset in Deo.

29 Dices nō eſse finitas, nec infinitas, ſed abſtrahere ab vtroq. Contra. Dicūt perfectionem, ergo vel illam dicunt cū termino, vel ſine termino. Ruſus finitum, & infinitum priuatiuè opponuntur, ergo cum ſint rationes conuenientes perfectioni, ſecundum ſuum eſse intrinſecum, debet altera ipſarū ſemper cōuenire. Confirmat. Iſtę perfectiones exiſterēt realiter à parte rei, ergo nō poſsēt præſcindere a modis intimè imbibitis in qualibet perfectione, nēpe finitate, & infinitate, quia præciſio eſt tātū per intellectū.

30 Dices 2. eſse infinitas in genere ſuo, non autē ſecūdū rationē entis. Cōtra. Quod non eſt infinitū ſimpliciter in ratione entis, eſt abſolutè finitū, & ſolum ſecūdū quid infinitū, quod autē eſt finitū in ratione entis, participat conditiones finitatis, nēpe limitationē, depēdētiā &c. 2. quod non eſt infinitū ſecundū rationē entis, non eſt ens per eſsētiā, ſed participatū, & dependēs 3. iſtę pfectiones relatiuę deberēt eſſe ens illa rōe entis, qua De⁹ eſt ens, alioquin eſset in Deo aliquid, quod eſset Deus, diuerſa rōe entis, ergo cū Deus ſit ēs per eſsētiā, etiā pfectiones relatiuę erūt ens ex vi entis per eſsentiā, atq. adeo infinitę in ratione entis.

31 Ad 1. Reſp. relationes eſse quid reale realitate eſsentię, atq. adeo non habere aliā perfectionē, niſi perfectionē eſsentię, non autē realitate propria. Inſtabis. Eſse *Ad* præcisè eſt aliquid reale, ergo. Reſp. Eſse quid reale realitate illius, quod refert, nam nihil aliud importat, niſi eſse reale vnius extremi, prout venit in cōplexionē cū alio: vnde relationes diuinę sūt quid increatū, ſubſtātiale, &c. eodē eſse, & ſubſtātialitate, qua eſt talis eſsētia. Ad Confirmationē negat. conſeq. Nā quod Pater ſit perfectus, quatenus Pater, nō aliud dicit, quā eſse perfectū ratione propriæ perſonalitatis, hæc autē eſt perfecta eadem perfectione, qua eſt perfecta eſsentia, itaut illa perfectio, quæ in Patre eſt perſonalitas ipſi⁹, eadē in filio ſit eius perſonalitas ex ſola diuerſitate ordinis originis, quæ ponit diſtinctionem ſecundū modū terminandi, nō verò ſecundū perfectionem.

32 Ad ſecundum. Si Pater non genuiſset ab æterno, caruiſset aliqua perfectione, quia caruiſset fœcūditate, atq. actu illius, vnde nec fuiſset actus puriſſimus. Nō autem, quia caruiſset ſpeciali perfectione relationis. Generatio autē diuina eſt perfectior humana, quia eſt generatio infinita infinitate eſsentiæ. Ad 3. negat. conſeq. Quia, vt ſint perfectæ, ſufficit perfectio eſsētiæ. Ad 4. pertinere ad perfectionē Dei, vt nulla ratio ſit in ipſo, quæ non dicat perfectionē, pertinet tamē etiā ad perfectionē ipſius, vt non dicat perfectionē diſtinctam ob ſummam ſimplicitatem, & infinitatem. Ad 5. negat. cōſeq. Ideo enim perſonalitas

creata

Digitized by Google

creata dicit propriã perfectionẽ, quia natura eſt limitata, & non poteſt eſſe tota ſua perfectio; in Diuinis autem natura eſt tota ſua perfectio. Ad Confirm. negatur conſeq. nam quando adoratur Trinitas, non adorantur relationes præciſæ, ſed ipſæ perſonæ, quæ dicunt etiam eſſentiam.

33 Ad 6. Paternitatem ſecundum perfectionem ita conuenire Patri, vt ſit etiam conueniens filio, quia eadem perfectio eſt Paternitas in Patre, & filiatio in filio, vt ait D. Tho. *cit.* ſecundum vero ordinem originis non eſt conueniẽs Patri, ſed Diuinæ eſſentiæ, cui omnes relationes ſunt conuenientes, quia eſſentia Diuina exigit eſſe tam Paternitas, quàm Filiatio; vnde ratione huius conuenientiæ non habet relatio aliud eſſe, quàm eſſe eſſentiæ, & conſequenter nec aliam perfectionem.

An relationes habeant fundamentum.

SECTIO IIII.

34 PRima ſententia aſſerit, fundari in eſſentia, vt in remoto fundamento, & in Perſona vt in proximo, ita Henricus apud Carthuſ. *in* 1. *diſt.* 26. *q.* 8.

35 Secunda ſententia vult, fundari in intelligere, & velle eſſentiali, quia natura Diuina eſt prius intelligens, & volens, quàm determinetur ad perſonas.

36 Tertia ſententia aſſerit, nullum habere fundamentum aut rationem fundandi, neq; etiam ſecundum noſtrum modum inadequatum concipiendi, ita Suarez 7. *de Trin. c.* 5. Ruiz *diſp.* 91. *de Trinit. ſect.* 3. Cuniga *diſp.* 3. *de Trinit. dub.* 19. & communiter Recentiores.

37 Quarta ſententia, originem eſſe rationem fundandi, relationem, ita D. Tho. *in* 1. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 2. D. Bonau. 1. *p. art.* 1. *q.* 2. Richard. *q.* 3.

38 Dico 1. *Eſſentiã non eſſe fundamentũ, aut rationem fundandi relationem.* Prob. Fundamentũ, & ratio fundandi debent eſſe propria illius, cuius eſt relatio, vt patet inductione. Nihil autem eſſentiale eſt proprium perſonæ, cuius eſt propria relatio.

39 Dico 2. *Neque Perſonam eſſe fundamentum relationis.* Prob. Relatio nõ ingreditur conſtitutionẽ ſui fũdamenti; relatio autem ingreditur conſtitutionem perſonæ.

40 *Si relatio Diuina concipiatur inadæquate, prout dicit puram rationem ordinis, habet perſonam pro fundamento.* Prob. Vt purus ordo non dicit rationem termini perſonalis, immo ſupponit, ergo ſupponit perſonam conſtitutam, tanquam fundamentum.

41 Dico 4. *Secundum noſtrum modum concipiendi inadæquatũ Origines ſunt rationes fundandi relationẽ, prout dicũt purũ reſpectũ.* Prob. Relationes iſtę concipiuntur inadęquatè vt puri reſpectus, ergo cũ in eſſe notionali interueniat ratio originis, poteſt ratio originis concipi vt præcedens hos reſpectus, ergo erit ratio fundandi.

42 Obijcies. Origo actiua debet cõuenire Patri rõe alicuius perſonalitatis; hęc autem non poteſt eſſe alia, quàm Paternitas. Reſp. Productionem conuenire ratione eſſe perſonalis, quando ipſum non conſtituit; in Diuinis autem conſtituit perſonam.

43 Obijcies 2. Perſona cõſtituitur per relationẽ, ergo nõ poteſt eſſe fundamentum ipſius. Reſp. conſtitui per relationem vt æquiualet tranſcendentali, non autem vt ęquiualet prædicamentali, vt ſuo loco videbimus.

Qualem terminum habeant relationes Diuinæ.

SECTIO V.

44 PRima ſententia vult, terminari ad aliquid abſolutum; ſeu ad aliam relationem, non vt relatio eſt, ſed quatenus eſt forma hypoſtatica. Ita Capreol. *in* 1. *diſ.* 26. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 1. Ferrar. 4. *contra Gentes, cap.* 26. Marſil. *in* 1. *q.* 29. *art.* 1. *dub.* 1.

45 Secunda ſententia vult, terminari formaliter ad relationes ſibi correſpondentes, vt relationes ſunt; ita Suarez 5. *de Trinit. cap.* 8. Vaſquez 1. *p. diſp.* 159. *cap.* 6. Ruiz *diſ.* 91. *de Trin. ſect.* 4. Cuniga *diſp.* 3. *de Trinit. dub.* 20.

46 Dico 1. *Relationes Diuinas nõ terminari ad relationes ſibi correſpõdẽtes, prout dicunt eſſe ad, ita vt hoc eſſe ad, ſit ratio formalis terminandi.* Prob. Quælibet relatio habet ſuum proprium conceptum diſtinctum à conceptu alterius relationis, & extrema relationis ingrediuntur talẽ cõceptũ iuxta exigẽtiã ipſius, ergo quãdo aliquid eſt extremũ duarũ relationũ diuerſarũ, nõ poteſt ingredi conceptũ vtriuſq; ſecũdũ eãdẽ rationẽ, ergo cũ perſonę, vt tales ingrediãtur cõceptũ duarũ relationũ, vt Pater Paternitatis quã ipſe refertur ad filiũ, & filiationis qua Filius refertur ad ipſum, debent ingredi ſecũdũ diuerſã rationem, ergo ſi ingrediũtur eã, qua referũtur ſecũdũ eſſe *Ad*, non poſſunt ſecundum idem eſſe *Ad*, ingredi eam, quam terminant.

47 Dico 2. *Perſonas Diuinas terminare relationes formaliter ratione originis, quam important.* Prob. Terminus formalis relationis eſt id, per quod formaliter cõnectitur, cũ alio extremo; ſed perſonæ connectũtur inter ſe ratione originis, ergo. Minor prob. Quia tota connexio inter perſonas Diuinas eſt in ratione producentis, & producti.

48 Obijcies. Relatio diuina ita diſtinguit, vt diſtinguat à termino correlato, ergo requirit formaliter terminum, vt correlatum. Reſp. Diſtinguere ſecundum totum ſuum eſſe adęquatum, & ideo relatio terminatur ad correlationem adæquatè ſumptam, quia tamen non eſt pura correlatio, ideo habet aliquid aliud, ratione cuius formaliter terminet, & hoc eſt origo.

DE PERSONA, IN COMMVNI.

DISPVTATIO LVII.

Quid ſignificet Perſona.

SECTIO I.

1 PErſona à Philoſophis, & Theol. vſurpatur pro indiuiduo, intellectualis naturæ, quia natura, prout eſt in aliquo indiuiduo, & incommunicabiliter exiſtit, habet quandam determinatam apparentiam, & cognoſcibilitatem ſui ipſius, qua ſecundum proprium eſſe fit conſpicua, & nota. Hinc Damaſc. *cap.* 13. *Dialect.* Perſona *eſt quæ per ſuas actiones, & proprietates perſpicua eſt.*

2 Dico 1. *Perſonã ſignificare eſſe ſubſtãtiale naturę; eſt contra Laur.* Vallam. *lib.* 6. *elegantiarum cap.* 38. vbi vult Perſonam non conuenire Deo, quia ſignificat qualitatem; deſumitur autem ex locis ſcripturæ, vbi dicitur Deum non eſſe acceptorem Perſonarum, & Nazianz. *orat.* 32. teſtatur decretum fuiſſe, vt perſona apud catholicos ſignificaret ſuppoſitum, ſubſtantiali proprietate diſtinctum.

Prob. Vnuſquiſque ex vi ſuæ indiuidualis ſubſtantiæ habet ſuam indiuidualem apparentiam, ergo ſi attendamus ſignificationem huius vocis, ſignificat naturam, cum ſpeciali proprietate ſubſtantiali, quia perſona non aliud ſignificat, quam illam apparentiam, qua quiſque vt diuerſus ab alio apparet.

3 Dico 2. *Perſonam ſignificare ſubſtantialem naturam, non quocunque modo, ſed quadam propria, & ſingulari nota, caracterizatam, ſubſtantiali modo.* Prob. Perſona importat propriam apparentiam, qua quiſque ab alio diſtinguitur, ergo importat ſubſtantialem naturam, proprio ſigno determinatam, quia ratione propriæ apparentiæ redditur talis, qualis nulla alia eſt.

4 Dico 3. *Perſonam ſignificare etiam qualitates, & alia accidentia, quæ caracterizant naturam, non per ſe, ſed quatenus indicant ſubſtantialem proprietatem.* Deſumitur ex D. Damaſceno *loco citato.*

Digitized by Google

Prob. Perſona de ſuo formali ſignificat proprietatem ſubſtantialis naturæ indiuidualis, quatenus dat propriam apparentiam, ergo ex ſua ſignificatione extenditur ad omne id, quod importat talem apparentiam, accidentia autem vt ſignum important hanc apparentiam.

Quid ſit Perſona.

SECTIO II.

5 DEfinitur perſona à Boetio *lib. de duabus naturis c. 2.* quod ſit *naturæ rationalis indiuidua ſubſtātia*, & hæc definitio, vt conformis doctrinæ SS. Patrum, recipitur ab omnibus excepto Scoto in *1. d. 23. q. vnica §. ad inueſtig.* qui loco *Indiuiduæ ſubſtantiæ* ait, ponendum *Incommunicabilis exiſtentiæ*.

6 Notandum 1. Certum eſſe, Naturam intellectualē ingredi conſtitutiuum adæquatum perſonæ; cum autem natura ſit communis omnibus perſonis, nec importet illam determinationem, quam habeat perſona in quo libet indiuiduo, ſe habet materialiter, & determinatur per aliquid, quod tribuat ſpecialem modum ſubſiſtendi.

7 Notandum 2. Rationem perſonæ dicere, quod natura intellectualis ita ſubſiſtat in ſe, vt ſe habeat incommunicabiliter, quia dicit naturam iam determinatā ſecundum ſuum modum eſſendi, ſi quidem illum dicit vltimò completam. Ad hanc autem incommunicabilitatem, non ſufficit indiuiduatio, vt patet ex Myſterio Incarnationis; nam in Chriſto eſt humana natura indiuidua, quæ ſufficit, vt ſit terminus productionis, abſque tamen incommunicabilitate perſonali, quia communicatur Verbo tanquam perſonæ aſſumēti eandē naturam ad propriā hypoſtaſim.

8 Dico 1. *Perſonam de ſuo formali importare aliquam proprietatem, realem, ſubſtantialem, per quam natura ita in ſe conſtituitur, vt illi repugnet communicare cum alio in modo ſubſiſtendi;* Prob. Perſona ſubſiſtit in ſe, vt indiuidua, ergo præter indiuiduationem debet habere aliquam ſubſtantialem proprietatem, per quam determinato modo ſubſiſtat, quia indiuiduatio determinat naturam, & facit, vt ſit hæc, non autem modum ſubſiſtendi, vt patet in natura aſſumpta à Verbo: vnde cum natura intellectualis debeat ſubſiſtere per ſe, debet etiam dari determinatio, ſecundum hunc modum ſubſiſtendi.

9 Dico 2. *Hanc ſubſtantialem proprietatem importare formaliter, quemdam ſubſtantialem characterem, quo natura intellectualis ita ſecundum modum ſubſiſtendi determinatur, vt ſecundum ipſum habeat propriam apparentiā qua diſcernatur à quacunque alia ſecundum modum ſubſiſtendi, & operandi.* Prob. Quodlibet eſſe habet ſuā conſpicuitatē, ſecundū quam innoteſcit, & quæ illi prouenit ex ſuo vltimo conſtitutiuo, ergo tale eſſe habet talem conſpicuitatē ſibi propriam, ergo quod habet eſſe omnino proprium, & completum, debet habere omnino propriā, & cōpletā conſpicuitatē; talis autē eſt ratio perſonæ.

10 Dico 3. *Incommunicabilitatem in modo ſubſiſtendi non importari formaliter per perſonalitatem, ſed conſequi ad ipſam, vt proprietatem.* Prob. Perſonalitas importat rationem vltimò determinatiuam naturæ ſecundum modum ſubſiſtendi. Hæc autem non eſt formaliter incōmunicabilis, quia incōmunicabilitas eſt reſpectu alterius, vltima autē determinatio cū ſit in eſſe ſubſtātiali, eſt ad ſe.

11 Colligitur ex dictis. Quomodo intelligenda ſit definitio perſonæ, dicitur .n. *Naturæ rationalis*, vt aſſignetur pars veluti materialis, quam importat. Perſona dicitur, *Indiuidua ſubſtantia*, hoc eſt incommunicabilis; accipitur enim de indiuiduatione, quatenus importat omnimodam incōmunicabilitatem, per quam ſignificatur ille peculiaris character, per quē natura vltimo determinatur ſecundum modum ſubſiſtendi. Traditur autem definitio per incommunicabilitatem, quia ponitur proprietas loco differētiæ.

12 Colligitur 2. Perſonam reſpectu indiuidui ſe habere vt quid poſterius, quia natura prius eſt indiuidua, quam perſona. Item reſpectu ſuppoſiti ſe habere vt quid minus vniuerſale; ſuppoſitū .n. eſt idē in oībus naturis ſubſtātialibus, quod eſt perſona in natura intellectuali; vnde perſona eſt et ſupoſitū, & inſuper dicit peculiarē rationē, excellētiæ, ſecūdū quā natura fit cōſpicua in modo ſubſiſtendi.

DE PERSONA IN DIVINIS.

DISPVTATIO LVIII.

An in Deo ſit ponenda ratio Perſonæ.

SECTIO I.

1 DIcendū eſt. *Nomē perſonæ conuenire Deo*, eſt de fide, & ita docēt cōmuniter Patres, & Scholaſtici, contra Tranſyl. & Illyricos. Licet aūt nō reperiatur expreſſè in ſcriptura, habetur tamen in ipſa idē ſignificatū, nēpe ratio Patris, Filij, & Spiritus Sancti, de quibus ea dicūtur, quæ in creatis fūdātur in eſſe perſonali. Prob. Deus eſt natura intelligēs, perfecte ſubſiſtens, & determinata in modo ſubſiſtendi, ergo debemus illi tribuere nomen perſonæ ad ſignificandum talem modum ſubſiſtendi, nam perfectiones Diuinas explicamus, per voces, & conceptus perfectionum creatarum.

2 Dico 2. *Rationem Perſonę conuenire Deo, non ſecūdū eūdē cōceptū, ſed ſecūdū aliū infinitè diſtātē.* Prob. Quod in Deo nomine perſonæ ſignificatur, eſt aliquid infinitū; in creatis vero quid finitū, ergo ratio perſonæ ſecūdū aliū cōceptū infinitè diſtātē dicitur de Deo, quia vbi in aliqua qdditate reperit. infinitas, facit infinitè diſtare ab oī finito.

3 Obiicit, Perſona eſt ſimpliciter incōmunicabilis, quod tamē nō cōtingit in Deo, nā natura terminata vna perſonalitate, poteſt vlterius cōmunicari, ergo. Reſp. Naturā Diuinā terminatā vna perſonalitate non poſſe vlterius communicari, eodem modo communicationis, ſed tantum diuerſo ideo autem poteſt diuerſo modo cōmunicari, quia eſt communicabilis pluribus modis, ita vt per terminationem vnius perſonalitatis non adæquatè communicetur.

4 Obiicies 2. In Diuinis non eſt differentia ſecundum ſubſtantiam, ergo nec perſona, cum perſona ſit rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. Reſp. negan. conſeq. Quia ad plurificandum perſonam, ſufficit, plurificari formaliter conſtitutiuum, quod conſiſtit in proprietate perſonali, quæ in Diuinis plurificatur.

Quid formaliter dicat Perſona Diuina.

SECTIO II.

5 SVpponendum eſt. Perſonam in ſuo adæquato conceptu importare tum naturam diuinam, tum etiam aliquid notionale, quia cum ſit natura intellectualis incommunicabiliter ſubſiſtens, debet includere tum naturā, tum etiam aliquid, ratione cuius incommunicabiliter ſe habeat. Hinc notionale debet pertinere ad formale conſtitutiuū perſonæ, quia ratione ipſius perſonæ diſtinguūtur.

6 Dico 1. *Perſonam Diuinam de ſuo formali non importare aliquid negatiuum, ſed aliquid poſitiuum.* ita Scot. *in 1. d. 23. q. vnica* Prob. Perſonæ Diuinæ diſtinguūtur ſolū in eſſe perſonali, ergo eſſe perſonale debet formaliter dicere aliquid poſitiuum; alioquin perſonæ Diuinæ non diſtinguerētur realiter poſitiuo modo; nā idē eſt cōſtitutiuū & diſtinctiuū. Rurſus cum Incarnatio ſit facta in perſona formaliter, nō autem in natura, ſequeretur, quod verbum non terminaſſet naturam humanam per aliquid poſitiuū.

7 Dico ſecundò. *Perſonam Diuinam de ſuo formali importare eſſe ſubſiſtens peculiari nota characterizatum, ſeu cum aliquo peculiari modo, ex quo prouenit incommunicabilitas.* Probatur. Perſona Diuina de ſuo formali non aliud importat, quam determinationem quamdam naturæ, ex qua acquirat determinatam appa-

Digitized by Google

apparentiam, ergo importat Diuinum ſubſiſtere vt peculiarij ſi pro determinandum, nam ex hoc natura habet determinatam apparentiam.

8 Dico tertiò. *Perſonam Diuinam importare perſonales proprietates, ſeu relationes, prout dicunt peculiares modos ſubſiſtendi.* Prob. Perſona eſt vltimò completa in ratione ſubſiſtendi, cum ſit incommunicabiliter ſubſiſtẽs, ergo cum in Diuinis id non habeat à natura, habebit à proprietate perſonali, vt ab vltimo determinatiuo.

9 Dico quartò. *Perſonã importare aliquid abſolutum, ita vt quãuis conſtituatur per relationem, ſignificetur tamen abſoluto modo ratione naturæ.* Licet enim proprietas perſonalis ſit vltimum determinatiuũ perſonę, quia tamẽ ſe habet vt modus quidam, natura verò vt res, ideo perſona ſequitur conditionẽ naturæ; ſic etiam homo eſt corporeus, licet anima ſit ſpiritualis. Prob. Perſonalitas concurrit ad cõſtituẽdã perſonã, tãquã character quid ſubſiſtẽdi, diſcriminans vnum modum ab alio in ratione ſubſiſtendi, ergo perſona, quę conſtituitur, ſe habet abſoluto modo, quia character non aliud præſtat, quàm facere innoteſcere Diuinum ſubſiſtere ſecundum ſpecialem apparentiam; vnde perſona principaliter dicit ipſum ſubſiſtere, characterem verò vt modum ſubſiſtendi.

10 Dico 5. *Ex eo quod character perſonalis eſt relatio, perſona conſtituta ſecundum ſuum eſſe perſonale abſolutum, refertur ad aliud.* Aliud enim eſt, perſonã eſſe quid abſolutum, & aliud quod ſecundum eſſe abſolutum, referatur. Primum dicit habere tale eſſe, quod in ſe ipſo, & ad ſe ipſum ſubſiſtat. Secundum dicit, quod ex eo, quod aliquid ſibi ſubſiſtat, dicat ordinem ad aliquem terminum, & hæc duo ſunt poſſibilia, vt patet in relationibus trãſcendentalibus. Prob. Perſona Diuina in ſuo eſſe abſoluto imbibit relationem, quia imbibit notionale, ergo ſecundum ſuum eſſe abſolutum refertur.

11 Obijcitur. Relatio vt talis conſtituit perſonam, ergo perſona ſe habet relatiuo modo; Reſp. negando conſeq. Quia relatio Diuina non eſt pura relatio, ſed etiã aliquid aliud præſtat, & ideo cõſtituit perſonã exhibendo perſonalẽ characterem, vnde poteſt perſona ſignificari abſoluto modo, ſicuti ſignificãtur etiã alia relatiua trãſcendentalia.

12 Obijcitur 2. Sola relatiua plurificantur in Diuinis, ergo ſi perſonæ plurificantur, erunt relatiuæ. Reſp. Relatiua plurificari nõ ſolum vt puri reſpectus, ſed etiam prout aliquid aliud præſtant, & ideo cum perſonæ non ſint aliquid purum relatiuum, poſſunt ſignificari abſoluto modo ratione relationis ſumptę, non vt refert, ſed prout conſtituit tanquam terminus perſonalis.

An in Deo ſit ponenda hypoſtaſis.

SECTIO III.

13 HYpoſtaſis idem eſt, quod ſubſtans: vnde quia ſubſtantię indiuiduales ſubſtant accidentibus, à Græcis hypoſtaſes dictę ſunt. Quia autem, quod alijs ſubſiſtat, ſe habet per modum ſubſtentaculi, & conſequẽter per ſe ſubſiſtit, ita vt non indigeat ſubſtẽtari, ideo nomen hypoſtaſis ſignificat etiam primas ſubſtãtias, quatenus per ſe ſubſiſtunt, & in hoc ſenſu ponitur in Diuinis tàm à Patribus, quàm à Concilijs, & ſolum difficultas eſt, an hoc nomen ſit tribuendum eſſentiæ, ita vt ſit idem, ac vſia, ſeu eſſentia, atque adeo ſit tantum vna hypoſtaſis in Deo; an verò idem ſit ac perſona, ſeu ſuppoſitum.

14 Dico 1. *Nomen hypoſtaſis ab antiquis Patribus fuiſſe vſurpatum, pro vſia, et in hoc ſenſu vnicam tantum hypoſtaſim poſitam fuiſſe in Deo.* Prob. ex D. Athan. *orat. 5. contra Arrianos,* Quemadmodum *vnum principium, & pro principio vnus Deus, ita planè, ac re vera vna eſt eſſentia, & hypoſtatis, quæ dicit,* Ego *ſum, qui ſum.*

15 Dico 2. *Conſueuiſſe diſtingui inter hypoſtaſim, & vſiam, ita vt hypoſtaſis ſtaret pro perſona, vſia verò pro natura, ſeu eſſentia,* ita Boet. *l. de duabus naturis.* Prob. ex D. Athan. tr. de Definit. *Eſſentia quidem, genus, natura, & forma, ſicut dictum eſt, idem ſunt, perſona autem, character, hypoſtaſis, indiuiduum, & proprium etiam ipſum vnũ ſunt* & idem etiam habet Damaſcenus 3. *de fide cap.* 4. & Auguſtinus 5. *de Trinit. cap.* 8.

16 Dico 3. *Hypoſtaſim in Diuinis ſignificare perſonam, ita vt licet aliquando fuerit vſurpata pro eſſentia, communis tamen vſus fuit pro perſona, & nunc pro ſola perſona debet vſurpari.* Prob. ex D. Athan. tract. de Definit. *Si quis quærat, quas confitearis naturas, dico vnam, hypoſtaſes verò tres,* Idem etiam docet D. Dionyſius *cap. 1. de Diuinis nominibus,* Niſſ. *orat. cathechetica c. 1.* Damaſc. *Epiſt. de Triſagio,* & Conciliũ Ephæſinum, *1. c. 1. anathematis.* 2. & Conſtantinopolit. 2. *collat.* 8. *can.* 1. vbi anathematizat, qui non confitetur vnam deitatem in tribus hypoſtatibus.

DE CONSTITVTIVO Diuinarum Perſonarum.

DISPVTATIO LIX.

An dentur proprietates conſtituentes Perſonas.

SECTIO I.

1 NEgauit proprietates perſonales Præpoſitiuus apud D. Thom. 1. *p. q.* 32. *art.* 2. aſſerens, quod ſtante ſimplicitate Diuina non poterat diſtingui inter eſſentiam, & proprietatem, & ideo non debere dari abſtractum proprietatis. Tribuitur hæc opinio etiam Ariminenſi *in* 1. *diſt.* 26. *&* 27. ſed re vera ſolum in modo loquendi diſcrepat à communi ſententia.

2 Dicendum eſt. *Perſonas Diuinas habere ſuas proprietates perſonales, ſecundum quas ad inuicem diſtinguantur* Ita communiter cum D. Tho. 1. *p. q.* 40. *art.* 2. *&* 3. & eſt de fide, & deſumitur ex cap. *Firmiter. De ſumma Trinitate* vbi habetur. *Hæc Sancta Trinitas, ſecundum eſſentiam indiuidua, & ſecundum proprietates perſonales diſcreta,* & ex Concil. Tolet. 11. *in profeſſ. fidei.* vbi habetur; *vnicuique perſonę manere ſuam proprietatem.* Prob. Perſonæ Diuinę ſunt plures, ergo cum non poſſint habere pluralitatem ex aliquo cõmuni, debẽt habere ex aliquo proprio.

3 Dicendum 2. *Has proprietates perſonales eſſe reales, ita vt ſe teneant formaliter ex parte obiecti, & non tantum fundamentaliter.* Prob. Ratio perſonæ eſt realiter, & formali modo in Diuinis, vt eſt de fide, ergo etiam proprietas perſonalis, quia perſona conſtituitur per ipſam, tanquam per proprium characterem.

4 Dicendum 3. *Has proprietates perſonales non eſſe aliquas entitates, ſeu res, quæ ita ſint in vna perſona incommunicabiliter, vt non ſint in alia.* Prob. Pater communicat filio totam ſuam entitatem, & ſubſtantiam, vt definitur in cap. *Damnamus. De ſumma Trinit.* ergo non eſt in ipſo aliqua entitas, ſeu res, quæ non cõmunicetur. Conſeq. prob. Si proprietas diceret hanc entitatem, ſeu rem incommunicabilẽ; vel eſſet ſubſtantia Patris; vel nõ. Si primũ, ergo nõ cõmunicaretur tota ſubſtantia Patris, cõtra definitionẽ allatã. Si ſecũdũ; ergo eſſet in Deo aliquid diſtinctũ, quod nõ eſſet ſubſtãtia perſonæ, quod eſt error Gilberti.

5 Dicendum 4. *Proprietates perſonales importare diuinam eſſentiam ſecundum peculiarem modum ſe habendi, in qualibet perſona, ratione originis, ita vt quod eſt una proprietas in vna perſona, ſit alia proprietas in alia perſona, ex ſolo diuerſo modo ſe habendi, quoad originem.* ita D. Thoma *in* 1. *diſt.* 7. *quæſt.* 2. *art.* 2. *ad vltimum.* Probatur. Proprietas perſonalis non importat aliud, quàm illud eſſe perſonale cuiuslibet perſonæ, ergo cum hoc ſit tãtum quidam character ſubſiſtendi, non importat aliud, quàm Diuinam naturam cum tali modo ſe habendi.

Digitized by Google

Confirmatur. Quia ſic ſaluatur quomodo Trinitas ſit vna ſumma res, quæ ſit veraciter Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, iuxta definitionem capitis. *Damnamus*, De ſumma *Trinitate*. Nam non ponit alia, & alia res ſecundum pluralitatem perſonarum, ſed tantum alius, & alius modus ſe habendi eiuſdem rei.

6 Dicendum quintò. *Licet in Deo idem ſit abſtractum, & concretum, proprietates tamen perſonales, poſſunt, & debent in abſtracto quoque ſignificari*. Deſumitur ex Patribus, & Concilijs, quatenus vtuntur nominibus abſtractis, ad illas ſignificandas. Probatur. Nomina, quę Deo tribuuntur, debent ſignificari in ordine ad noſtram capacitatem, ergo cum noſter intellectus non poſſit intelligere, niſi per diuerſos conceptus abſtracti, & concreti, nomina quæ Deo tribuunt debent ſignificari tum in abſtracto, tum in concreto.

7 Obijcit. Torres contra tertiã concl. Pater cõmunicat Filio Paternitatẽ, eſt propoſitio hæretica, ergo etiã quod cõmunicet propriã entitatẽ, ergo habet aliquam entitatẽ, incõmunicabilẽ. Reſp. Eſſe hæreticum dicere, quod cõmunicet eſſe Patrem, quia tũc ſequeretur indiſtinctio perſonarum; non autem quod communicet entitatem, quæ eſt ipſa Paternitas, ſeu quod communicet Paternitatem per modũ entis, ita vt Filius ſit totũ illud eſſe, quod eſt Pater, iuxta definitionẽ capitis. *Damnamus*. *De ſumma Trinit.*

8 Obijcit ſecundò. Patrem eſſe Patrem, eſt infinita entitas, & tamẽ non cõmunicatur Filio ex Florent. *in litteris vnionis*, ergo. Reſp. Patrẽ eſſe Patrẽ, eſſe infinitã entitatẽ, quæ ſit entitas, & infinitas eſſentiæ: hæc autẽ cõmunicatur Filio, quia ſecundum Florent. *Pater dat omnia Filio, præter eſſe Patrem*, quia nimirum hæc infinita entitas ratione originis habet in Filio aliũ modũ eſſendi, ita vt illa infinitas entis, quæ in Patre habet rationem Patris, in Filio habeat rationem Filij, & hoc pacto Filius non eſt Pater, licet habeat realitatem Paternitatis, quia ratione communicationis talis realitas habet alium modum eſſendi.

9 Quæres. An conſtitutio Diuinarũ perſonarũ per proprietates ſit realis, Reſpon. Eſſe realem materialiter, & quò ad rem conſtituta, quia perſona eſt quid reale; eſſe autem rationis quòad modum conſtitutionis, quia modus conſtitutionis, dicit diſtinctionem, & compoſitionem, quæ in Diuinis perſonis non eſt niſi ſecundum noſtrum modum concipiendi, quatenus, ſecundum inadęquatos conceptus, diſtinguimus inter eſſentiam, & proprietatẽ.

An proprietates conſtituentes Perſonas ſint abſoluta, an relatiuę.

SECTIO II.

10 PRima ſententia aſſerit, eſſe abſoluta. Ita tamen vt non plurificentur, niſi ratione originis, & relationes ſuperueniãt perſonis iam conſtitutis, ita Ioan. de Ripa *in 1. diſt. 26.* Gulliel. Pariſien. apud Carth. *in 1. diſt. 26. q. 1.* & vt probabilem defendunt Scot. *in 1. diſt. 26. q. vlt. §. Tertia opinio.* Baſſol. *q. 2. art. 3*. Prob. Prouer. Tertiò: Quod nomen eſt eius, aut nomen Filij eius? indica mihi ſi noſti. Si autem perſonæ conſtituerentur per relationes, nomina Patris, & Filij, eſſent propria, & interrogatio eſſet irrationabilis. Secundò. Relatio terminatur ad abſolutum, ergo cum perſonæ vt tales, terminent inuicem relationes, debent habere proprietates abſolutas, quibus eas terminent.

11 Secunda ſententia aſſerit, Perſonas cõſtitui per proprietates, relatiuas, ita communiter cum D. Thoma. *1. p. q. 40. Art. 2.* & Magiſtro *in 1. diſt. 26.*

12 Dico primò. *Proprietates perſonales non eſſe purè abſolutas, ſed etiam relatiuas, ita vt intrinſecè, & formaliter dicant relationes.* Hęc concluſio eſt certa ex principijs fidei, quãuis nõ ſit definita, & deſumitur ex Concil. Toletan. 11. *in Confeſſ. fidei*, vbi habetur; *In relatione perſonarum numerus cernitur.* Et rurſus. *In hoc ſolũ numerum inſinuant, quod ad inuicem ſunt, & in hoc numero carent, quod ad ſe ſunt*, & ex Florent. *in litteris vnionis* definitur; *Omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito filio ſuo gignendo, dedit præter eſſe Patrem.* Si ergo ſolum eſſe Patrem eſt proprietas Patris, quia id ſolũ habet propriũ, quod Filio non communicat, proprietas erit aliquid relatiuũ; nã eſſe Patrẽ, eſt quid relatiuũ; Prob. Vbicumque in Diuina Scriptura nominãtur perſonæ Diuinæ, adhibẽtur nomina relatiua, Matthei vltimo. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* 1. Io. 5. *Tres ſunt, qui teſtimoniũ dãt in Cęlo, Pater, Verbũ, & Spiritus Sãctus*, ergo cum nomina exprimant Diuinas perſonas, ſecũdũ ſuas proprietates, ſunt proprietates aliquid relatiuũ.

13 Reſp. Scotus. Explicari per nomina relatiua, tanquã per notiora; non autem quia relationes ſint proprietates conſtituentes. Contra. De his, quæ ſola reuelatione habemus, debemus opinari ſolũ iuxta id, quod eſt reuelatũ, ergo cum perſonæ Diuinæ ſint reuelatæ, ſolũ cum proprietatibus relationis, poſſumus ſolũ affirmare eſſe relatiuas. Cõf. In reuelatione nõ eſt magis, aut minus notũ, & intellectus in aſſẽtiẽdo reſpicit ſolã auctoritatẽ reuelãtis. ergo

14 Prob. ſecũdò. In Diuinis omnia ſunt vnũ, vbi nõ obſtat relationis oppoſitio, vt docet D. Anſ. *c. 3. de proceſſ. Spiritus Sancti*, & Cõcil. Flor. *ſeſſ. 19.* ergo perſonę non poſſũt conſtitui, & diſtingui per proprietates abſolutas, quia inter illas proprietates non eſſet oppoſitio relatiua.

15 Reſp. Scot. Sufficere, ſi proprietates abſolutè ſint referibiles per relationẽ; nã tũc radicaliter dicũt relationẽ, quod ſufficit ad oppoſitionẽ. Contra. Quia D. Anſel. docet, ex ſola oppoſitione formali haberi diſtinctionem. Deinde oppoſitio non cauſat diſtinctionem, niſi ex vi rationis formalis oppoſitionis, ergo vbi non eſt formaliter oppoſitio, nec etiam eſt diſtinctio.

16 Prob. tertiò. Si proprietates eſſent abſolutæ, perſonæ Diuinæ eſſent limitatę, ergo. Sequella probat. Quod intra idem genus diuiditur, eſt limitatum ſecundum illud eſſe, in quo diuiditur, quando diuiſio non prouenit ex oppoſitione relatiua, ſic perſonæ, & indiuidua creata ſunt limitata, quia contrahuntur per aliquid ſui generis; limitatio enim inde prouenit, quod vnum ex vi ſui eſſe non ſit aliud.

17 Dico ſecundò. *Proprietates perſonales non eſſe purè relatiuas ſed habere admixtum aliquid abſolutũ.* Prob. Illud eſt purè relatiuum, quod eſt pura relatio importans purum eſſe *Ad* Proprietates autem perſonales non ſunt purũ eſſe *Ad*, ergo. Minor prob. Quia pura relatio habet tãtũ referre; hę autẽ proprietates nõ purè referunt, ſed etiã conſtituunt perſonas, & terminant hypoſtaticè naturam.

18 Obijcit. Spiratio actiua communicatur Filio, ergo relatio eſt communicabilis, ergo non eſt proprietas perſonalis, quæ debet eſſe incommunicabilis. Reſpond. Relationem eſſe incommunicabilem reſpectu ſuæ cõrrelationis, & hoc ſufficit, vt proprietas perſonalis, poſſit eſſe relatiua; nam quando debet diſtinguere à pluribus perſonis, importat plures relationes, coaleſcentes in vnum per ſummam ſimplicitatem, & conſtituitur vna adæquata proprietas perſonalis, quæ refert ad omnes perſonas, à quibus diſtinguitur.

19 Ad 1. Per illam interrogationẽ indicari, nõ quod nomina Patris, & Filij, non ſint propria, ſed quod non explicent adæquatè, & quidditatiuè perſonas Diuinas, quia ſicuti nõ ſũt à nobis in hac vita adęquatè cognoſcibiles, ita neq; etiã poſſũt adęquatè exprimi. Ad 2. Quinã ſit terminus formalis relationũ diuinarũ, diximus ſupra *d. 56. ſe. 5.*

An proprietates conſtituentes perſonas dicant origines.

SECTIO III.

20 SVppon. eſt. Totã diſtinctionẽ diuinarũ perſonarũ prouenire ratione originis; niſi .n. vna perſona ab alia procederet, non diſtingueretur ab ipſa, & hoc intelligũt Patres, quãdo docẽt, perſonas diſtingui rõe originis.

21 Suppon. 2. Realiter loquẽdo à parte rei eſſe formale ori-

Digitized by Google

originis conſtituere, & diſtinguere perſonas, nam totum eſſe notionale pertinet ad eſſe perſonale, ita vt ſit vna ſimplex ratio, quæ ſit origo, relatio, & proprietas perſonalis; vnde ſicut proprietas conſtituit, & diſtinguit, ita etiam origo.

22 Supponendum tertiò. Noſtros conceptus poſſe conſiderari, vel ex parte modi concipiendi, vel ex parte rei conceptæ, ſecundo modo certum eſt, origines conſtituere perſonas, quia formaliter important relationes, ex eo quod intrinſecè ſint ad aliud; vnde ſi vna conſtituit, altera quoque conſtituet. Difficultas ergo eſt de originibus ſecundum noſtros conceptus ex parte modi concipiendi, an nimirum vt concipiuntur per modum originis, concipiantur vt conſtitutiuę perſonarum.

23 Prima ſententia eſt affirmatiua, Ita D. Bonauentura *in* 1. *diſt.* 26. *quæſt.* 2. *&* 3. Probatur ſecundum modum concipiendi origo pręcedit relationem, & cum ſit diſtinctiua, prius concipiuntur perſonæ diſtinctæ, quam referri, ergo.

24 Secunda ſententia negat, proprietates debere concipi ad modum originis, ita communiter cum D. Thoma 1. *p. quæſt.* 40. *art.* 2.

25 Dico primò. *Proprietates perſonales non ſe habere quoad modum concipiendi ad modum originis*. Probatur. Conſtitutiuum debet eſſe proportionatum conſtituto, ergo conſtitutiuum perſonę non poteſt eſſe proprietas per modum originis. Conſequentia probatur, quia perſona dicit aliquid per modum eſſendi, non autem per modum operandi; origo autem dicit aliquid per modum relationis.

26 Dico ſecundò. *Origines, quæ ſe tenent ex parte perſonarum producentium in ordine ad aliam, ſecundum noſtrum modum concipiendi, ſupponere perſonas producentes conſtitutas*. Probatur ex natura ſua prior eſt ratio principij, quàm ratio originis, ergo cum eadem formalitas ſit principium, & origo, quando concipitur ſub ratione originis, non concipitur ſub ratione principij; ſed ſupponitur, ergo neque ſub ratione conſtitutiua. Hoc tamen ſolum valet ſecundum noſtrum modum concipiendi, quia ad concipiendas proprietates perſonales, debemus vti conceptu principij, & originis, nam in re adeſt ſolum actualis productio, quia principium in diuinis eſt per eſſentiam actu producens.

27 Dico tertiò origines, quæ ſe tenent ex parte perſonæ productæ, præcedere ſecundum noſtrum modum concipiendi conſtitutiuum eiuſdem perſonæ. Probatur origo, & conſtitutiuum in diuinis concipiuntur ad modum originis, & conſtitutiui vt ſunt in creatis quia concipiuntur per conceptus creatos. In creatis autem origo præcedit conſtitutiuum, quia eſt ratio, cur conſtitutiuum ponatur in eſſe.

28 Ad fundamentum primę ſententiæ reſpondetur originem præcedere relationem ad ſummum ſecundum noſtrum modum concipiendi, quatenus æquiualet prędicamentali; vnde ſolum ſequitur, quod non poſſit concipi, vt conſtitutiuum, quando concipitur vt æquiualens prędicamentali.

Sub qua ratione relatio conſtituat perſonam.

SECTIO IV.

29 PRima ſententia aſſerit, Relationem poſſe conſiderari ſecundum eſſe conceptum, & ſecundum eſſe exercitum. Primo modo eſt relatio prout eſt in ſubiecto, non conſiderando diſtinctè, quid in ipſo efficiat ſecundo modo eſt relatio conſiderata vt formaliter referens; vult ergo conſtituere perſonas, prout dicit eſſe exercitum Ita Caiet. 1. *p. quæſt.* 40. *art.* 2. *ad* 2. *difficult.* & alij Thomiſtæ.

30 Secunda ſententia aſſerit, relationes conſtituere perſonas, prout dicit eſſe, *in* quia verò eſt relatio ſubſtantialis, hoc eſſe *in* non eſt ſecundum inexiſtentiam, ſed ſecundum ſubſiſtentiam; ita nonnulli Thomiſtę.

31 Tertia ſententia aſſerit, relationem conſtituere perſonam, vt eſt quædam forma hypoſtatica importans eſſe ſubſiſtens, quod dicit aliquid abſolutum; ita Ferrar. 4. *cōtra gentes, cap.* 26. Marſil. *in* 1. *q.* 29. *art.* 1. Capreol. *diſt.* 26. *quæſt. vnica art.* 3. Çuniga *diſp.* 15. *de Trinit. dub.* 15. *memb.* 4. & alij.

32 Quarta ſententia aſſerit, relationem, prout dicit eſſe *in* ſubſiſtens conſtituere perſonas prout autem dicit eſſe *Ad* eas diſtinguere ita Bannes 1. *part. quæſt.* 40. *artic.* 4. *dub.* 1.

33 Quinta ſententia vult, relationes conſtituere perſonas ſecundum proprias rationes relationis prædicamentalis, ita Aureol. *in* 1. *diſt.* 26. *art.* 3. Durand. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. Scotus *diſt.* 28. *quæſt.* 3. §. *Ad quæſtionem.* Suarez 7. *de Trinit. cap.* 7. Ruiz *diſp.* 89. *&* 90. *de Trinit.* & ferè communiter recentiores.

34 Dico primò. *Relationes conſtituere perſonas, quatenus ſunt quædam formæ, ſeu modi hypoſtaticæ, & characteriſticè determinantes diuinam naturam, ad talem modum ſubſiſtendi*. Prob. perſonæ vt tales incōmunicabiliter ſe habēt, & important proprium characterem ſubſiſtendi, ergo relatio vt vltimum conſtitutiuum perſonæ debet importare aliquam propriam rationem incommunicabilitatis, & proprij characteris.

35 Dico ſecundò. *Relationes importare hanc determinationem hypoſtaticam, vt ſunt peculiares relationes ſingularum perſonarum, ita vt relatio Patris, vt talis eſt, dicat propriam rationem characteriſticam Patris*. Probatur. Quod conſtituit perſonas in eſſe perſonali, debet formaliter exprimere id, per quod quælibet perſona ſeorſim ſe habet ab alia; cum in hoc conſiſtat proprietas characteriſtica; hoc autem eſt relatio determinata, talis perſonæ, quia ex vi ipſius nobis innoteſcit ſecundum ſuam propriam rationem.

36 Dico tertiò. *Relationes conſtituere perſonas, prout æquiualent tranſcendentalibus*. Probatur conſtituere perſonam non eſt purè referre, ſed determinare naturam ad ſpecialem modum ſubſiſtendi, & conferre peculiarem characterem, ergo non poteſt relatio conſtituere perſonam, niſi vt æquiualet tranſcendentali, alioquin conſtitueret purè referendo, quod implicat. Hinc vt æquiualent prædicamentalibus, nullo pacto conſtituunt perſonas, quia referre non eſt conſtituere rem in ſe.

37 Obijcitur. Operari ſupponit eſſe, ergo multò magis ipſum referri ratione operationis, ergo perſonæ debent conſtitui, per relationem ſub aliqua ratione, quæ præcedat operari, & referri. Reſpondetur in creatis operari ſupponere eſſe operantis, quia contingenter conuenit, non autem in diuinis, quia conuenit neceſſariò, & intrinſecè, & per eſſentiam.

38 Obijcitur ſecundò. Relatiua tranſcendentalia non ſunt vera relatiua, ſed quid abſolutum, ergo perſonæ conſtituuntur per aliquid abſolutum. Reſpond. neg. antecedens. Nam important verum reſpectum; dicuntur autem abſoluta quia non ſunt purè reſpectus; hæc autem relatio ſufficit pro conſtitutiuo diuinarum perſonarum, quia ponit oppoſitionem, & diſtinctionem.

39 Obijcitur tertiò. Pater, vt Pater, eſt prior origine filio, ergo relatio Paternitatis non poteſt concipi, quod ſubſequatur generationem; ſubſequeretur autem, ſi Pater conſtitueretur per relationem, vt æquiualet tranſcendentali. Reſpond. Patrem eſſe priorem origine ratione eiuſdem originis formaliter, non autem ratione paternitatis, prout æquiualet relationi prædicamentali, quia tunc origo, & relatio ſunt vnum, & idem, & ſolum diſtinguuntur ſecundum noſtrum modum concipiendi; ideo Pater dicitur prior origine filio.

40 Obijc. quartò pater conſtituitur, per actuale generare, ergo non per relationem, vt æquiualet tranſcendentali. Reſpondetur negando conſequentiam, quia actuale generare

Digitized by Google

generare importat relationem tranſcendentalem, quia reſpicitur Filius vt terminus exiſtens, ex vi generationis. In Deo autem relatio tranſcendentalis non eſt relatio potentiæ, ſed actualis productionis.

41 Colligitur ex dictis. An præciſis relationibus, remaneant hypoſtaſes; ſi enim preſcinduntur, vt æquiualent tranſcendentalibus, non remanent, quia tunc preſcinduntur characteres hypoſtatici, atque adeo formale conſtitutiuum hypoſtaſis. ſi autem præſcinduntur, vt ſolum æquiualent prædicamentalibus; tunc remanent hypoſtaſes, quia remanet notionale, ſecundum illam rationem, qua conſtituit perſonam, nempe ſecundum rationem termini hypoſtatici.

DE IDENTITATE DIVINARVM Perſonarum.

DISPVTATIO LX.

Qualis ſit iſta identitas.

SECTIO I.

1 IDentitas diuinarum perſonarum habetur ratione eiuſdem naturæ, vt dictum eſt alibi. Communiter autem docent, diuinam naturam eſſe vnum omnimoda vnitate, & quia omnimoda vnitas in creatis eſt indiuidualis, ſeu ſingularis, ideo docent, diuinam naturam eſſe indiuidualem, & ſingularem; difficultas ſolum eſt, an ſit indiuidualis propriè dicta.

2 Dico primo. *Quamuis perſonæ diuinæ habeant maximam vnitatem in natura, hæc tamen vnitas non eſt propriè ſingularis, aut indiuidualis.* Deſumitur ex Patribus, Hilario *7. de Trinit. circa finem* vbi ait. *Patrem ſingularem Deum prædicare ſacrilegum eſt.* Ambroſ. 5. de fide ad Gratian. cap. 1. *Quod ad ſubſtantiam pertinet, non eſt ſingularitatis, ſed vnitatis; ſingularitas ad perſonam pertinet, vnitas ad naturam.* Auguſt. quæſt. 9. Veteris teſtamenti. *Vnus quidem Deus, ſed non ſingularis.* Probatur: vnitas ſingularis eſt incommunicabilis, vnitas autem diuinæ naturæ eſt communicabilis, cum communicetur tribus perſonis ſibi omnino identificatis, & inter ſe realiter diſtinctis, ergo. Confirmatur: vnitas ſingularis eſt vnitas limitationis, quia determinat naturam communem, vt ſit hæc numero; vnde limitat, vt non claudat totaliter eſſe naturæ; in Deo autem nulla eſt limitatio.

3 Dico ſecundò. *Naturam Diuinam ſimul cum qualibet perſonalitate importare vnam, & eandem vnitatem.* Probatur: vbi eſt ſimplicitas ſumma, ibi eſt etiam vna tantum vnitas, nam ſicuti ſimplicitas excludit omnem compoſitionem, ita etiam excludit concurſum plurium vnitatum; ſed perſona diuina eſt ſummè ſimplex, ergo.

4 Dico tertiò. *Naturam diuinam importare rationem formalem vnitatis, qua perſona diuina ſit vnum vt quod, perſonalitatem verò importare rationem determinatiuam talis vnitatis.* Probatur: natura diuina importat illam infinitam perfectionem, qua perſona eſt infinitè perfecta, ergo eſt formalis ratio vnitatis, quia vnitas diuinę perſonæ eſt vnitas ſimplicitatis, quæ debet fundari in perfectione ſimpliciter infinita, cum vnitas proportionaliter ſequatur eſſe. Rurſus: vnum quodque concurrit ad vnitatem, eo modo, quo concurrit ad eſſe, ergo cum perſonalitas concurrat ad perſonam, vt determinatiua, concurret etiam vt determinatiua vnitatis ipſius.

5 Dico quartò. *Diuinam naturam importare quandam rationem vnitatis, qua non ſolum ſit ratio, qua perſona ſit vnum, ſed etiam, qua ſit vnitiua perſonarum ad inuicem in eſſentialitate eſſendi.* Probatur vnitas diuinę naturæ eſt infinita, ergo debet vnire omnia, quæ ſunt in Deo, quantum vnibilia ſunt, ergo cum perſonæ ſint vnibiles ſecundum eſſentialitatem eſſendi, vnientur ex vi ipſius.

6 Dico quintò. *Vnitatem diuinæ naturæ eſſe quandam vnitatem supereminentem longè diuerſam ab omnibus creatis.* Probatur: vnitas proportionatur cum eſſe, cuius eſt vnitas, ergo quantum eſſe ſupereminet vnitas; eſſe autem diuinum ſupereminet infinito modo omnibus creatis.

7 Dico ſextò. *Licet vnitas diuinæ naturæ non ſit propria indiuidualis, explicatur tamen per vnitatem indiuidualem.* Probatur: quę ſunt in Deo, explicantur per conceptus rerum creatarum, ergo cum in creatis non ſit maior vnitas indiuidualis, debet conceptus ipſius adhiberi ad explicandam vnitatem diuinæ naturę.

An Perſonæ diuinæ ſint vnum in aliqua ſubſiſtentia abſoluta.

SECTIO II.

8 NOmen ſubſiſtentiæ aliquàndo ſumitur pro omni eo, quod habet eſſe reale: dicitur. n. ſubſiſtere, quia rè vera habet eſſe. Propriè tamen ſumitur pro modo eſſendi per ſe, vnde conuenit tantum ſubſtantiæ completæ, & excludit indigentiam alterius, tanquam ſubſtentatiui, poteſt autem ſumi, & in abſtracto, & in concreto. Primo modo importat rationem pertinentem ad complementum naturæ ſubſtantialis, quæ dat illi formali modo eſſe per ſe. Secundo modo importat ipſam naturam, quatenus per talem rationem determinatur ad eſſendum per ſe.

9 Prima ſententia negat, dari ſubſiſtentiam abſolutam, in qua perſonæ diuinæ ſint vnum. Ita Albert. 1. *p. quæſt. 57. memb. 3.* D. Bonauent. *in 1. diſt. 23. art. 2. quæſt. 1. &* 2. Aureol. *diſt.* 26. *art.* 4. Henricus 2. *part. ſum. art.* 53. *quæſt.* 6. Molin. 1. *part. quæſt. 29. art. 2. diſp. 3.* Vaſquez *diſp. 125. cap. 3.* Cuniga *diſp. 5. de Trinit. dub.* 10. Amicus *diſp. 21. ſect.* 1. & alij. Probatur: Patres, & Concilia, dum aſſignant, ſub qua ratione Deus ſit vnus, & ſub qua trinus, pro vnitate aſſignant eſſentiam, & pro pluralitate ſubſiſtentiam, ita vt negent poſſe eſſe vnam ſubſiſtentiam, ergo: Secundo Patres Concilij Alexandrini, & Nicæni admiſerunt nomen ſubſiſtentiæ, vt per ipſam diſtinguerent perſonam contra Sabellianos, ergo. Tertiò ſubſiſtentia fundat negationem cuiuſcunque aptitudinis eſſendi in alio, quæ non conuenit, niſi ſubſtantiæ omnino completæ, & ſuppoſitatæ, ergo. Quartò. Ad ſubſiſtendum non ſufficit independentia à ſubiecto, nam natura præciſa ſubſiſtentia adhuc eſt independens, ſed requiritur non ordinari ad aliud. Deitas autem ordinatur ad perſonas. Quintò: ſubſiſtere Deitate eſt habere deitatem, ergo ſi præciſis perſonalitatibus daretur habens deitatem, poſſet dici, quod deitas generetur. Sextò: ſubſiſtentia abſoluta eſſet infinita, ergo non relinqueret locum ſubſiſtentijs relatiuis, vnde ſi Deus non eſſet Trinus, ſubſiſtentia abſoluta ipſius eſſet omnino incommunicabilis. Confirmatur: ſequeretur, quod in diuinis eſſent quatuor ſubſiſtentiæ, nam non obſtaret identitas ſubſiſtentiæ abſolutæ cum relatiuis, ſicuti nec obſtat, quin ſpiratio actiua ſit quarta relatio.

10 Secunda ſententia ponit vnam ſubſiſtentiam abſolutam, quę deitas ſubſiſtat, & quæ ſit communis omnibus perſonis. Ita Durand. *in 1. diſt. 26. quæſt.* 1. Scotus *quæſt. vnica* Bannes 1. *part. quæſt. 40. articul.* 4. *dub.* 2. Caiet. *quæſt.* 30. *art.* 4. Suarez *lib.* 4. *de Trinit. cap.* 11. Smiſing. *diſp. 2. de Deo trino quæſt.* 4. Granad. 1. *part. tract.* 4. *de Trinit. diſp. 5. ſect.* 3. & alij.

11 Notandum primo. Totam difficultatem prouenire ex diuerſa vſurpatione huius nominis ſubſiſtentię, quando enim Patres, & Concilia docent, Trinitatem diſtingui

gui

Digitized by Google

qui ſecundum ſubſiſtentias, per ſubſiſtentiam non aliud intelligunt, quam totum illud eſſe, quod importat perſonam, vnde Concilium Conſtantinopolitanum primum. *Epiſtola ad Damaſum*, ait. *In tribus perfectiſſimis ſubſiſtentijs, ſiue in tribus perfectis perſonis.* Accipitur etiam ſubſiſtentia, pro ratione, quæ facit aliquid per ſe ſubſiſtens, ſeu ita in ſe exiſtens, vt ſibi ſufficiat quoad exiſtendũ hinc Boet. li. de duabus Naturis. *Deus eſt hypoſtaſis ideſt ſubſiſtentia, ſubſiſtit enim nullo indigens.* Si primo modo ſumatur ſubſiſtentia quoad catholicos nulla eſt difficultas, & quia omnes conueniunt, quod nulla detur perſona abſoluta, & conſequenter nulla ſubſiſtentia abſoluta, vnde difficultas procedit de ſubſiſtentia, vt dicit peculiarem rationem determinatiuam exiſtentiæ.

12 Notandum ſecundò. Subſiſtentiam, vt dicit determinatiuum exiſtentiæ, duo dicere, nempe aliquam rationem, qua exiſtentia ita determinetur, vt ex vi ipſius natura ſibi ſufficiat quoad exiſtendum; & aliquam rationem ita determinatiuam exiſtentiæ, vt eam trahat ad eſſe perſonale, conferendo proprium characterem, ſecundum quē incõmunicabiliter ſe habeat. Si poſteriori modo accipiatur nulla eſt difficultas, quia ſicuti certum eſt, non dari perſonam abſolutam, ita etiam certum eſt, non dari hanc rationem ſubſiſtentiæ abſolutæ.

13 Dicendum eſt. *Dari rationem ſubſiſtendi abſolutam determinatiuam exiſtentiæ ad talem modum exiſtendi, quæ conueniat diuinæ naturæ, ex vi ſui eſſe abſoluti.* Deſumitur ex Patribus. Auguſt. 7. de Trinit. cap. 4. *Omnis res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quanto magis Deus* Hieronymi Ep. 57. ad Damaſum. *Vna eſt Dei, & ſola natura, quæ verè eſt: id enim, quod ſubſiſtit, non aliunde habet, ſed ſuum eſt.* Cyrillo Alexandr. *in compendiaria expoſitione fidei*, loquens de diuina eſſentia ait. *Quid eſt eſſentia? res, quæ per ſe eſt, neque altero indiget, ad hoc, vt ſubſiſtat.* Hilar. lib. de Synodis. *Idcirco etiam ſubſtantia eſt, quia res, quæ eſt, neceſſe eſt, vt ſubſiſtat in ſe.*

14 Probatur: ratio formalis ſubſiſtendi eſt quædam perfectio intra latitudinem exiſtentiæ determinatiua ipſius ad perfectum modum exiſtendi, ergo debet conuenire Deo ex vi eſſe abſoluti. Antecedens patet; Quia, quod non ſubſiſtit per ſe, indiget alio. Conſequentia probatur: ex vi infinitatis conuenit Deo ſecundum eſſe abſolutum exiſtere per eſſentiam, ita vt exiſtentia pertineat formaliter ad eſſe abſolutum, ergo etiam ratio ſubſiſtendi, quia cum exiſtentia ſit infinita, includit omnem perfectionem exiſtendi, ſecundum omnem modum exiſtendi.

15 Dices ſufficere, ſi importet rationem ſubſiſtendi ſibi identificatam in eſſe relatiuo. Contra. Quando aliqua perfectio in diuinis eſt abſoluta, eſt etiam abſoluta quæcunque ratio, quæ eſt intra eius latitudinem, quia cum ſit talis formaliter, debet formaliter dicere omnem perfectionem; ſecundo. Si non diceret ſecundum eſſe abſolutum rationem ſubſiſtendi, non poſſet intelligi exiſtẽtia abſoluta, vt infinito modo ſe habens, nec vt perfecta in ratione exiſtendi.

16 Probatur ſecundò: ratio ſubſiſtendi eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ergo debet conuenire Deo ſecundum eſſe abſolutum. Antecedens probatur. Tum quia in vnoquoque eſt melior ipſa, quàm non ipſa. Tum quia exiſtere eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; quando autem aliqua perfectio eſt ſimpliciter ſimplex, etiam eſt tale omne complementum ipſius. Conſequentia probatur. Quia omnis perfectio ſimpliciter ſimplex pertinet ad eſſe abſolutum, nam cum ſit melior in vnoquoque, eſt etiam melior in ipſo.

17 Reſpondetur nõ eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem quia redderet eſſentiam incommunicabilem, & excluderet aliam perfectionem. Contra, quia non loquimur de ratione ſubſiſtendi, vt importat modum characteriſticum, quæ ſola reddit incommunicabile; Deinde illud eſt melius in vnoquoque, quo poſito excluditur aliqua indigentia. Huiuſmodi autem eſt ratio ſubſiſtentiæ, nam ea poſita, etiam in natura diuina ſecundum eſſe abſolutum, excluditur indigentia alterius ad exiſtendum, & ſublata ponitur exiſtentia indigens.

18 Reſpondetur ſecundò. In Patre, & filio, & Spiritu Sancto eſſe ſubſiſtentiam, quæ cum ſe habet ad modum tranſcendentis, pluriſicatur iuxta numerum perſonarum. Contra. Perfectio ſimpliciter ſimplex non poteſt pluriſicari, alioquin darentur plures perfectiones ſimpliciter ſimplices cum oppoſitione ad inuicem; vna autem perfectio ſimpliciter ſimplex non poteſt opponi cum alia, nam per hoc deſtrueretur eius ratio, quia non poſſet eſſe ſimul cum ipſa; & ideo in quo ipſa eſſet melior, non eſſet melior altera appoſita.

19 Reſpondetur tertiò. Hinc tantum ſequi, quod Deitas non ſit completa ſine relationibus in ratione Deitatis. Contra. Præciſis omnibus relatiuis debet eſſentia remanere cum omni perfectione ſimpliciter ſimplici, cum omnis talis perfectio ſit communis omnibus perſonis, ergo etiam cum ratione ſubſiſtendi.

20 Reſpond. quartò. Exiſtere per ſe cum independentia à ſubiecto, conuenire ſubſtantiæ vt tali abſque aliqua ſubſiſtentia. Contra. Eſſentia diuina habet perfectiſſimum modum ſubſiſtendi, ex vi ſuæ quidditatis, ergo etiam rationem ſubſiſtendi, quia ex hoc determinatur exiſtentia ad perfectum modum exiſtendi. Confirmatur: eſſentia ex vi ſuæ quidditatis excludit omnem indigentiam in ordine ad exiſtendum, & habet omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ergo etiam ſubſiſtentiam, quæ eſt neceſſaria, ad excludendam indigentiam.

21 Reſpondetur quintò; relationes eſſe de quidditate eſſentiæ, & ideo reddere ipſam quidditatiuè ſubſiſtentem abſque ſubſiſtentia abſoluta. Contra. Adhuc ſecundum eſſe abſolutum careret aliqua perfectione, ſimpliciter ſimplici: ſecundò. Perfectio ſimpliciter ſimplex non poteſt pluriſicari, & conſequenter nec poteſt eſſe relatiua.

22 Ad primum reſpondetur patres, & Concilia, quando aſſignant ſubſiſtentiam pro pluralitate, illam ſumere, prout ſignificat perſonam, & ſic patet ad ſecundum. Ad tertium. Subſiſtentiam fundare negationem cuiuſcunq; habitudinis ad eſſendum in alio, quando eſt ſimul cum termino ſuppoſitali; non autem præciſè, vt dicit rationem determinatiuam exiſtentiæ, Ad quartum ad ſubſiſtendum ſufficere illam independentiam, quæ reddit naturam ſibi ſufficientem ad exiſtendum; hæc verò conuenit etiam deitati, quia non ordinatur ad perſonas ratione indigentiæ, ſed vt habeat ſuum terminum ſuppoſitalem. Ad quintum. Præciſis perſonalitatibus adhuc manere habens deitatem, nempe hunc Deum communem omnibus perſonis, quia tamen non eſt ſuppoſitum, non poteſt dici, quod deitas generetur, quia generatio terminatur ad ſuppoſitũ. Ad ſextum ſubſiſtentiam abſolutam eſſe infinitam ea infinitate, qua eſt infinita natura; vnde relinquit locum terminis perſonalibus, quia ſubſiſtentia in ſua formali ratione illis non importat; vnde nec reddit naturam incommunicabilem. Ad confirmationem negatur ſequela, quia aliud eſt ſubſiſtentia, & aliud terminus perſonalis, & in diuinis eſt tantum vnica ſubſiſtentia, & tres termini perſonales, vt latius explicabimus *diſp. 62. ſect. 1.*

An Perſonæ diuinæ conueniant in aliqua ratione communi Perſonæ.

SECTIO III.

23 Prima ſententia aſſerit, rationem perſonæ eſſe quid commune omnibus perſonis, ſicut indiuiduum vagũ. ita D. Thomas *1. p. quæſt. 30. art. 4.* Caiet. *ibidem*. Prob. quia perſona ſignificat ſubſiſtens in natura cum determinato modo ſubſiſtendi; vnde poteſt vage dici de qualibet perſona, cum quælibet dicat determinatum modum ſubſiſtendi.

22 Secunda ſententia aſſerit, perſonam importare aliquid

Digitized by Google

quid commune vniuocum, ita Gabriel *in 1. diſt. 25. quæſt. vnica art. 1.* Suarez 2. *de Trinit. cap. 3.* Cuniga *diſp. 5. de Trinit. dub. 4. & 5.* Smiling. *diſp. 2. de Deo Trino quæſt. 5. num. 115. & 131.* Probatur: poteſt abſtrahi conceptus communis, qui ſit omnino idem, nempe qui dicat rationem ſubſiſtentis incommunicabiliter. ergo.

25 Tertia ſententia vult, importare aliquid commune analogum, ita D. Bonauent. *in 1. diſt. 25. art. 2. quæſt. 1. & 2.* Argent. *quæſt. vnica*. Auerſ. *1. p. quæſt. 29. ſect. 5. dub. 2.* Probatur: quando concipitur determinatè talis perſona, non concipitur aliquid ſuperadditum perſonæ vt ſic, ſed tantum concipitur magis explicite, quod prius concipiebatur implicitè, ergo conceptus perſonæ vt ſic non eſt vnus, ſed multiplex ad modum vnius.

26 Quarta ſententia negat, perſonas diuinas conuenire in aliquo communi conceptu perſonæ formaliter ſumptæ ita Aureolus *in 1. diſt. 19. quæſt. 2. art. 1.* Scotus *diſt. 13. quæſt. vnica* §. *Ad queſtionem*, & *diſt. 23. quæſt. vnica*.

27 Dico primò. *Si perſona conſideretur ſecundum eſſe adæquatum importat aliquid commune, quod tamen inadæquatè exprimit rationem perſonæ, licet implicitè dicat totã rationem perſonæ.* Probatur: Perſona ſecundum eſſe adæquatum importat intellectuale ſubſiſtens incommunicabiliter, ſed perſonæ diuinæ habent aliquid commune in ratione ſubſiſtentis incommunicabiliter, ergo. Minor probatur: Quia dicunt communem naturam, quæ includitur vt conſtitutiuum intrinſecũ in tali ſubſiſtentia.

28 Dices. Fundare conceptum commune naturæ, non autem perſonæ, ſicuti ratio generica non fundat communẽ conceptum ſpeciei, ſed generis. Contra; natura concurrit diuerſo modo ad conſtitutionem perſonæ ab eo, quo concurrit genus ad conſtitutionem ſpeciei, quia non concurrit per modum ſuperioris, ſed veluti pars, ergo ingreditur conceptum perſonę, ſicuti pars conceptum totius.

29 Dico ſecundo. *Perſonalitates diuinas, prout dicunt præciſè terminos perſonales, non conuenire in aliquo conceptu communi, ſiue vniuoco, ſiue analogo.* Probatur: non poteſt abſtrahi conceptus communis, niſi reperiatur aliquid commune in iis, à quibus abſtrahitur. Sed perſonæ diuinæ, vt dicunt perſonalia, non habent aliquid, in quo conueniant, ergo. Minor probatur. Perſonæ diuinæ vt perſonæ, diſtinguuntur ſecundum totum eſſe perſonale, ergo vt dicunt perſonalitates, non habent, in quo conueniant, quia quod eſt ratio diſtinctionis, non poteſt eſſe ratio conuenientiæ.

30 Dices diſtinguere ſolum, vt ſunt tales perſonalitates, non autem vt perſonalitates. Contra: vel iſta ratio perſonalitatis, ſecundum quam diſtinguuntur, eſt relatiua, & incommunicabilis vel non; ſi primum; ergo dicit oppoſitionem, & eſt ratio diſtinguendi; ſi ſecundum; ergo non eſt ratio perſonalitatis, quia quod non eſt relatiuum, eſt abſolutum, & pertinet ad eſſentiam;

31 Dices ſecundo. A realiter diſtinctis poſſe abſtrahi conceptum, qui ſit vnus ſecundum rationem in eſſe obiectiuo. Contra: licet poſſit abſtrahi talis conceptus, non tamen qui importet formaliter id, per quod diſtinguuntur; quia in eo, in quo diſtinguuntur, non conueniunt; totum autem eſſe perſonalitatis eſt ratio diſtinguendi.

32 Dices tertiò. Perſonalitates, licet diſtinguant, adhuc tamen facere conuenire in eo, quod omnes ſint perſonę. Contra: diſtinctiuum non poteſt ſecundum formalem rationem diſtinctiui ponere conueniẽtiam, ergo cum perſonalitates ſecundum formalem rationem perſonalitatis ſint ratio diſtinctiua, non poſſunt ſecundum ipſam cauſare conuenientiam; alioquin perſonæ diuinæ eſſent vnum in ratione perſonę.

33 Ad fundamentum primæ ſententiæ reſpond. Perſonam poſſe dici vagè de qualibet perſona, quando conſideratur ſecundum eſſe adęquatum, ita vt aliquid explicitè dicat, & aliquid implicitè, vt explicatum eſt in prima concluſione.

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ negatur aſſumptum, vt patet ex dictis.

Ad fundamentum tertię. Quando concipitur determinatè talis perſona, concipitur cum proprio termino perſonali, ſecundum quem nihil habet commune, cum alia perſona.

DE DISTINCTIONE Diuinarum Perſonarum.

DISPVTATIO LXI.

Qualis ſit iſta diſtinctio.

SECTIO I.

1 DIco primo. *Nõ eſſe proprie ſpecificã.* Ita communiter cum Magiſtro *in 1. diſt. 19.* & deſumitur ex D. Auguſtino, *7. de Trinit. cap. 6.* vbi docet, quod ſi tres perſonæ diuinæ eſſent tres ſpecies, poſſent dici tres ſubſtantiæ, & tres eſſentiæ. Prob. ſpecies habet ſub ſe plura indiuidua, per quę diuiditur, & continetur ſub aliqua natura vniuerſali, & importat diuerſitatem eſſentiæ; hæc autem non conueniunt diuinis perſonis.

2 Dico ſecundò. *In diſtinctione diuinarum perſonarum intelligi aliquid amplius in ratione diſtinctionis, quam intelligatur in diſtinctione indiuiduali.* Prob. relationes, quibus conſtituuntur perſonæ, habent aliquam maiorem diuerſitatem, quam indiuidualem, cum ſint veluti relationes diſquiparantiæ; & ex perſonis productis vna ſe habet vt verbum, altera vt Amor. ergo.

3 Dico tertiò. *Licet perſonæ diuinæ ita diſtinguantur, vt vna non ſit alia, non tamẽ diſtinguuntur n. proprie dicto*, ita communiter cum Magiſtro in 1. *diſt. 19.* & D. Thom. 4. *contra gentes cap. 11.* & deſumitur etiam ex D. Auguſtino 7. *de Trinit. cap. 6.* Vbi docet; Tres perſonas diuinas, non eſſe tria indiuidua. Probat. de ratione indiuidui eſt, quod diuidat, & multiplicet naturam materiali modo; hoc autem non conuenit perſonis diuinis.

4 Dico quartò. *Diſtinctionem perſonalem in diuinis in ratione diſtinctionis dicere etiam aliquid minus, quam dicat diſtinctio numerica.* Prob. diſtinctio numerica excludit vnitatem ſecundum eſſe entitatiuum; diſtinctio verò perſonalis in diuinis non excludit, ergo.

5 Dico quintò. *Diſtinctionem perſonalem in diuinis explicari, per diſtinctionem numericam.* Prob. In creatis nulla eſt diſtinctio, quæ magis ipſi aſſimiletur, quam numeralis, ergo debemus ipſa vti.

6 Obijc. ex D. Damaſc. *lib. 1. de fide c. 11.* vbi de perſonis diuinis ait, *ſecundum omnia vnum ſunt, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, præter, ſi ita dicamus, ingignentiam, gignentiam, & proceſſionem, ratione autem, & intelligentia hoc diſtinctum*, ergo perſonæ, non diſtinguuntur realiter, ſed ratione. Reſp. D. Damaſcenum velle, perſonas diuinas diſtingui ratione, & intelligentia, non quia diſtinctio formetur ab intellectu ſed quia ſit in ordine ad ipſum, quia tantum ab intellectu, percipi poteſt, non autem à ſenſibus, vnde ſubdit: *Non enim localem diſtinctionem ceu in nobis poſſumus in incircumſcripta aſſignare deitate.*

An ratione perſonarum detur numerus in Diuinis.

SECTIO II.

7 COmmuniter fere docent, in diuinis non eſſe numerum ſimpliciter dictum, ſed ſolum ſecũdum quid: alij verò volunt eſſe numerum, tranſcendentalem propriè dictum vt Ruiz *diſp. 37. de Trinit. ſect. 2. & 3.*

8 Dico

Digitized by Google

8 Dico primò. *Diuinas perſonas poſſe, & debere per numerum ternarium explicari*. Prob. quia ſcriptura, Concilia, & Patres ita explicant, alioquin non poſſet alio modo Myſterium Trinit. nobis innoteſcere.

9 Dico ſecundo. *Numerum non reperiri in diuinis ſecundum propriam, & formalem rationem numeri*. Deſumitur ex D. Ambroſio 4. de fide ad Gratian. cap. 4. *diſtinctionem accipimus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, non pluralitatem*, & D. Bernard. *lib. 5. de conſiderat. ad Eugen.* loquens de Trinit. ait *Nō habens quod ad numerum diuidat*. Prob. non poteſt dari numerus, niſi cadat ſupra entitatem rei, illam multiplicando, ſed in diuinis non eſt multiplicatio ſecundum entitatem, quia Trinitas eſt vna res, ex cap. *damnamus De ſum. Trinit.* ergo. Maior probatur: Quia numerus coaleſcit ex vnitatibus; vnitas autem eſt paſſio entis, & vnitas phyſica paſſio entis phyſici; vnde non poteſt multiplicari, niſi etiam multiplicetur entitas phyſica.

10 Dices relationes diuinas eſſe aliquid reale, & diſtinguere realiter, & ideo fundare vnitatem numericam. Cōtra. Si fundarent propriam vnitatem, vel ſecundum ipſam ponerent numerum in eſſentia, vel non; ſi primum, ergo eſſentia numeraretur, quod dici non poteſt, cum ſit omnino vna; ſi ſecundum, ergo haberent propriam vnitatem phyſicam, & conſequenter propriam entitatem; vnde in diuinis darentur plures entitates, & Trinitas non eſſet vna ſumma res.

11 Dico tertiò. *Quod in Trinitate per numerum explicatur, importat vnam, & eandem vnitatem entis per eſſentiam, ſecundum varios modos determinantes hanc vnitatem*. Prob. eo pacto ſe habet numerus, quo ſe habet ens; & tanta eſt diſtinctio in ijs, quæ numerantur, quanta eſt in ente. In Trinitate autem non eſt diſtinctio ſecundum eſſe, cum ſit vnicum ens per eſſentiam, ſed tantum ſecundum modos eſſendi, ergo neque ſecundum vnitatem, ſed tantum ſecundum modos eiuſdem vnitatis.

12 Obijc. Modi eſſendi perſonarum ſunt reales, & diſtinguuntur inter ſe, ergo debent habere propriam vnitatem; nam diſtinctio ſequitur ex vnitate. Reſpond. negando conſequentiam. Quia tale eſt fundamentum, ex quo ſequitur diſtinctio, qualis eſt ipſa diſtinctio; diuerſæ autem perſonę non diſtinguuntur ſecundum eſſe, ſed tantum ſecundum modum eſſendi, vndę diſtinctio ipſarum, non debet prouenire ex diſtincta vnitate, ſed ſolum ex diſtinctis modis eiuſdem vnitatis.

Quæres, an hæc nomina multiplicitas, triplicitas, & alia huiuſmodi poſſint dici de Trinitate reſpond. poſſe dici, cū ſoleat vſurpari a Patribus pręſertim Cyrillo Alexandr. lib. 3. dialog. de Trinit. & Nazian. orat. 39. Non tamen poſſunt dici ſecundum ſuam proprietatem; vnde in Conc. Tolet. 11. in profeſſione fidei habetur nō triplex, ſed Trinitas, & dici, & credi debet. Ratio autem eſt. Quia multiplicitas cadit ſupra eſſe, & importat ſecundum ipſum quandam diuiſionem, quæ Deo repugnat.

DE IIS, QVAE Plurificantur ad Plurificationem Perſonarum.

DISPVTATIO LXII.

An Tres perſonæ dicant tres ſubſiſtentias relatiuas.

SECTIO I.

1 PRima ſententia aſſerit, dari tres ſubſiſtentias relatiuas. Ita ij omnes, qui negant abſolutam, & prętérea ex ijs, qui eam ponunt Caiet. 1. *part. quæſt.* 39. *art.* 2. & 3. Medina 3. *part. quæſt.* 2. *art.* 2. Bannes 1. *part. q.* 3. *art.* 4. *dub.* 2. Smiſing. *diſp.* 1. *de Deo Trino num.* 68. Cuniga *diſp.* 5. *de Trinit.* Suarez 4. *de Trinit. capit.* 11. Prob. Patres & Concilia docent, Trinitatem, importare tres ſubſiſtentias, ita vt Trinitas ſit numerabilis ſecundum ipſas, & vtuntur nomine ſubſtantiuo, ergo. Confirmatur. Non diſtinguunt inter perſonam, & ſubſiſtentiam, & vocant ſubſiſtentiam perſonalem, ergo. Secundo: perſonalitas diuina dicitur ſubſiſtens, & incommunicabilis, ergo cum ſint tres perſonalitates, erunt tres ſubſiſtentiæ. Tertiò. Quia eſt vna tantum forma eſſentiæ, non poſſunt dici tres eſſentiæ, ergo neque tres ſubſiſtentię, ſi ſubſiſtentia eſſet vna tantum forma abſoluta. Quartò quia in Chriſto eſt vna tantum ſubſiſtentia, eſt etiam vnum tantum ſuppoſitum, ergo etiam in Trinitate eſſet vnum tantum ſuppoſitum. Confirmatur. Diuinæ perſonæ diſtinguuntur in ratione ſubſiſtentis, quia ſuppoſitalitas includit ſubſiſtentiam, alioquin non daret eſſe incommunicabile, ergo. Quintò Natura humana in Chriſto, ſubſiſtit ſubſiſtentia verbi, quia ipſum ſolum fuit incarnatum, ergo verbum habet propriam ſubſiſtentiam.

2 Secunda ſententia ponit vnicam tantum ſubſiſtentiam abſolutam, & negat tres relatiuas, ita Durand. *in* 1. *diſt.* 26. *quæſt.* 1. *& in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. Palud. *ibidem.* Albert. 1. *part. quæſt.* 43. *membro* 1. *& membro* 2. *art.* 1. Ferrar. 4. *contra gentes cap.* 26. §. *Attendendum.* Capr. *in* 1. *diſt.* 26. *quæſt.* 1. *art.* 1. *concluſ.* 3. Argent. *quæſt.* 1. *art.* 3. *ad* 3. Marſil. *quæſt.* 30. *art.* 2. *ad* 4. *&* 10. & deſumitur etiam ex D. Thoma, *quæſt.* 8. *de potentia art.* 3. vbi habet. Relationes diuinas, & ſi conſtituant hypoſtaſes, & faciat eas ſubſiſtentes, hoc tantum facere, in quantum ſunt eſſentia diuina, quia relatio non habet, quod ſubſiſtat, vel faciat ſubſiſtere, cum hoc ſit ſolius ſubſtantiæ.

3 Notandum primo certum eſſe, dari tres ſubſiſtentias relatiuas, ſi ſubſiſtentia ſumatur pro perſona, vt ſumitur in Concilio Conſtantinopolitano, 11. *Actione* 8. *ſi quis non confitetur vnam deitatem in tribus ſubſiſtentijs, ſiue perſonis adorandam, anathema ſit.* Cum autem ſubſiſtentia ſit nomen ſubſtantiuum, & ſubſtantiuè ſignificet, dum Patres, & Concilia docent, dari tres ſubſiſtentias, oportet, vt intelligant de ſubſiſtentijs ſubſtantiuè acceptis.

4 Notandum ſecundò. Nomen ſubſiſtentiæ eſſe abſtractum, vt patet ex modo ſignificandi. Poteſt autem dupliciter ſumi, vel vt abſtractum totius, vel vt abſtractum formæ. Primò modo importat in abſtracto totum eſſe ſubſiſtentis, ſeu perſonæ, ita vt dicat partem formalem, & materialem, vt conſtituunt vnum, ſed per modum abſtracti; & tanquam formam totius, ſicuti ſe habet humanitas reſpectu hominis. Secundo modo importat tantum eſſe formale ſuppoſiti, ſecundum eſſe abſtractum, ſicuti rationalitas importat tantum eſſe formale hominis.

5 Notandum tertiò. Subſiſtentiam, vt ſupra docuimus, duo importare, nempe rationem determinatiuam exiſtentiæ, & rationem terminatiuam naturæ, ſeu ipſius ſubſiſtere, conferentem talem, & talem modum ſubſiſtendi.

6 Dico primò. *Si ſubſiſtentia accipiatur pro abſtracto adæquato ſuppoſiti dantur in diuinis tres ſubſiſtentiæ ſubſtantiuè acceptæ*. Prob. Nomen numerale non poteſt tribui nomini adiectiuo, quod ſignificat formam ſubſtātiuam communem perſonis; ſic non poſſumus dicere tres increatos, tres immenſos, quia tunc nomen numerale cadit ſupra formale ſignificatum nominis ſubſtantiui, ergo cum in diuinis poſſint dici tres ſubſiſtentiæ, vt patet ex Concilijs, & Patribus, debet ſubſiſtentia plurificari, atq; adeo eſſe triplex ſubſtantiuè, alioquin, nec etiam adiectiuè poſſent dici tres ſubſiſtentiæ, ſicuti non poſſunt dici tres increati.

7 Dico ſecundò. *Perſonas diuinas plurificari, & diſtingui ſecundum aliquam rationem ſubſiſtentiæ*. Deſumitur ex Conc. Nicæno 1. *lib.* 2. §. *Cum ſit copioſior*; vbi diſtin-

diſtinguuntur perſonæ diuinæ deinde ſubdit, *Quidquid per ſe ſubſiſtit, quatenus per ſe ſubſiſtit, propriæ naturæ perſonam, ſiue faciem, ſiue figuram habere dicitur*, & ex litteris Theodori Patriarchæ approbatis ab eodem Concilio, vbi de diuina natura habet. *Diuiſa eſt enim numerarijs ſubſiſtentijs, & numerata perſonalibus alteritatibus*. Probatur: vel perſonæ diuinæ totaliter communicant in modo ſubſiſtendi, vel non. Si primum; ergo non diſtinguuntur, quia cum diſtinctio non ſit ſecundum eſſe, ſed ſolum ſecundum diuerſos modos eſſendi eiuſdem entis, ſi conueniunt in modo ſubſiſtendi, communicant etiã in modo eſſendi, quia eſſe Dei eſt, ipſum ſubſiſtere. Si ſecundum; ergo debent dari intra ipſum ſubſiſtere aliquæ peculiares rationes, ſecundum quas diſtinguantur.

8 Dico tertiò. *Has rationes ſubſiſtendi proprias diuinarum perſonarum, ſecundum quas inuicem diſtinguuntur, importare quaſdam rationes determinatiuas ſubſiſtentiæ eſſentialis, ad peculiares modos ſubſiſtendi*. Probatur: Ratio ſubſiſtendi, vt eſt propria cuiuslibet perſonæ, dicit illam rationem, qua perſona innoteſcit ſecundum proprium modum eſſendi, ergo importat rationem determinatiuam ſubſiſtere ſubſtantialis, & eſſentialis. Antecedens probatur: Perſonæ diuinæ non habent per quid ſingulæ innoteſcant, niſi per id, quo incommunicabiliter ſe habent. Hoc autem eſt proprius modus ſubſiſtendi. Hinc Sophonius *in Epiſtola approbata in VI. Synodo* ait. *Eſt vnus Deus, vna Deitas in tribus ſubſiſtentijs fulgens*.

9 Dico quartò. *Has tres rationes ſubſiſtendi importare præciſè modos determinatiuos ſubſiſtentiæ tanquam quoſdam characteres; non autem formalem rationem ſubſiſtendi*. Probatur: omnia quæ conueniunt Deo, & non concernunt formaliter ad plurificandas perſonas, conueniunt ipſi ſingulari modo ſine aliqua plurificatione ita exigente infinitate, ſed perfectio ſubſiſtentiæ, prout facit eſſe per ſe, ſine indigentia alterius, non ſpectat ad plurificandas perſonas; ſed ſunt tantum modi determinatiui ſubſiſtentiæ, ergo. Minor probatur. Tum quia id tantum ſpectat ad plurificationem perſonalẽ, quod Deus non haberet, ſi non eſſet trinus; tunc autem haberet ſubſiſtere per ſe, ſine indigentia alterius. Tum quia exiſtere per ſe abſque indigentia alterius conuenit cuilibet perſonæ, nec importat aliquid proprium ipſius. Tum quia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ vt diximus in ſuperioribus, non poteſt habere oppoſitionem relatiuam.

10 Ad primum reſpondetur, ex auctoritate Patrum, & Conciliorum, quatenus ponunt numerum ſecundum ſubſiſtentiam, colligi tantum pluralitatem perſonalem, quia ſumunt ſubſiſtentiam pro perſona, vel ſolum numerum terminorum perſonalium, qui dicuntur ſubſiſtentiæ, quatenus ſunt modi determinatiui ſubſiſtentiæ; vel ſolum numerum ſubſiſtentiarum, prout ſunt quædam abſtracta totius ſuppoſiti. Hinc patet etiam ad confirmat. ad ſecundum. Perſonalitatem diuinam, ſubſiſtere ratione eſſentię, cum qua identificatur, eſſe autem incommunicabilem, quia importat modum determinatiuum ſubſiſtentię. Ad tertium. Dici tres ſubſiſtentias, quatenus ſunt tria abſtracta perſonarum, & quatenus dicunt tres modos ſubſiſtendi. Ad quartum. In Chriſto eſſe vnam tantum ſubſiſtentiam, & vnum ſuppoſitum, quia eſt tantum vnus modus ſubſiſtendi, ſeu vnus terminus perſonalis. Ad Confirmationem. Dicimus perſonas non diſtingui in ratione ſubſiſtentiæ, ſed in modo ſubſiſtendi, quia ſuppoſitalitas importat ſolum modum ſubſiſtendi, qui facit, quod perſona incommunicabiliter ſe habeat. Ad quintũ Humanam naturam in Chriſto ſubſiſtere ſubſiſtentia Verbi, quia cum terminetur perſonalitate verbi, ſtat ſub modo eſſendi ipſius, vnde in operando trahitur ad communicandum cum verbo, ita vt actiones ipſius ſint actiones verbi, quia habet proprium characterem perſonalem verbi diuini. De ſe autem ſubſiſtit ſubſtantialiter, ſed quia ſubſiſtentia ipſius determinatur per modum, quo determinatur ſubſiſtentia Verbi, ideo dicitur ſubſiſtere ſubſiſtentia ipſius.

11 Quæres. An tres perſonæ diuinæ poſſint dici tres ſubſtantiæ. Reſpondetur negatiuè cum D. Thoma 1. *part. q.29. art.2. ad 2.* quia Patres, & Concilia ita docent, eſſe vnam ſubſtantiam, vt negent, eſſe tres ſubſtantias; ſubſtantia enim importat naturam, & quidditatem, quæ non plurificatur. Aliquando tamen à Patribus, & Concilijs dicuntur tres ſubſtantiæ, quia accipiunt ſubſtantiam pro ſubſtantia prima, ſeu ſuppoſito.

An perſonæ diuinæ dicant tres exiſtentias relatiuas.

SECTIO II.

1 SVpponendum eſt. Deum habere vnam exiſtentiam abſolutam, quæ ipſi conuenit per eſſentiam, & deſumitur ex illo exodi, 3. *Ego ſum qui ſum*, & rurſus. *Qui eſt miſit me.* Iob. 23. *Ipſe ſolus eſt*, & cum Patres ex his, & alijs huiuſmodi locis colligunt, Deum per eſſentiam exiſtere, de fide eſt, dari exiſtentiam abſolutam, quod etiam eſt notum lumine naturali, vnde Philoſophi gentiles hoc agnouerunt.

2 Prima ſententia aſſerit, dari etiam tres exiſtentias relatiuas, ita Scotus *in 1. diſt.11. quæſt.2.* Medina 3. *p. quæſt. 47. art.2. dub.2.* Suarez *diſp. 11. de Incarnatione ſect. 2.* Cumel. 1. *part. quæſt. 28. art.2. diſp.4.* Cuniga *diſp. 5. de Trinit. dub.11.* Smiſing. *diſp.1. de Deo trino quæſt.4. n.82.* Amicus 1. *part. diſp. 19. ſect. 7.* & alij. Probatur. Relationes diuinæ habent ſuam actualitatem, & quando concipiuntur, vt contradiſtinctæ ab eſſentia, ſunt neceſſariç, & à ſe; ergo. Secundo. Perſonæ diſtinguuntur inter ſe realiter, diſtinctio autem realis eſt inter extrema actualiter exiſtentia. Tertiò. Perſonalitas in creatis dicit propriam exiſtentiam, ergo, etiam in diuinis. Confirmatur. Paternitas dat Patri eſſe actu Patrem, ergo importat aliquid exiſtens. Quartò. In diuinis ſunt tres exiſtentes incommunicabiliter, & perſonæ conuenit primo, & immediatè exiſtere, ergo ſunt tres exiſtentiæ relatiuæ.

3 Secunda ſententia eſt negatiua; ita Capreol. *in 1. diſt. 23. quæſt. vnica art.3. ad 5.* Bannes 1. *par. quæſt.40. ar. 4. dub.2.* Caiet. *quæſt.28. art.2.* Vaſquez *diſp. 126. cap. 2 & 3.* Ruiz *diſp.25. de Trinit. ſect. 3. & 4.* & deſumitur ex D. Thoma *quæſt. 2. de potentia art.6.* & *in 1. diſt. 33. quæſt.1. art. 1. ad 1.*

4 Dico primò. *Non dari in diuinis tres exiſtentias relatiuas*. Probatur: ſi darentur, filius eſſet poſterior Patre natura, quod dici non poteſt. Probatur: ſequela. Vbi eſt prioritas naturæ, & temporis, ibi eſt prioritas ſecundum durationem, & ibi eſt prioritas ſecundum durationem, vbi eſt ſecundum exiſtentiam, quia duratio, aut eſt exiſtentia, aut ſaltem inſeparabiliter, ad ipſam conſequitur. Si autem darentur tres exiſtentiæ relatiuæ, perſona producens originaret exiſtentiam alterius, & illam præcederet ſecundum exiſtentiam, ſicut pręcedit ſecundum originem, ergo eſſet prior ſecundum exiſtentiam, quia eſt prior ſecundum ea omnia, inter quæ exercetur origo.

5 Dices. Supra exiſtentiam cadere tantum prioritatem originis. Contra: talis eſt proprietas, qualis exigitur ab eo, quod eſt prius; ſicut quando præcedit tempus, prioritas eſt temporis, & quando præcedit æternitas, eſt prioritas ęternitatis, ergo quando pręcedit exiſtentia, eſt prioritas exiſtentiæ, Vel ergo perſona eſt prior altera ſecundum perſonalem exiſtentiam. Vel ſecundum puram rationem originis: ſi primum, ergo eſt prioritas exiſtentiæ, atque adeo naturæ. Si ſecundum, ergo non dantur exiſtentię perſonales, quia tunc vna deberet eſſe prior altera, nam vna proueniret ab alia.

6 Probat. ſecundò; ens per eſſentiam non plurificatur realiter in diuinis, ergo neque exiſtentia. Antecedens patet: quia ens per eſſentiam cum ſit infinitum, excludit omnem

nem

nem plurificationem; vnde definitur in cap. *Damnamus.* De *ſum. Trinit.* Quod vna perſona ſit illud, quod eſt alia; vnde omnes perſonę, ſunt vnum ens per eſſentiam. Conſeq. Probatur: quia exiſtentia per eſſentiam, quæ ſola poteſt eſſe in Deo, imbibitur in eſſe per eſſentiam; vnde non poteſt plurificari, niſi plurificetur ens.

7 Dices. Licet exiſtentia ſequatur ens per eſſentiam, poſſe tamen plurificari, ipſo non plurificato, ſicut plurificantur etiam relationes. Contra: ideo plurificantur relationes, quia ex vi ſuæ formalitatis dicunt oppoſitionem. Exiſtentia autem non dicit, vnde ſi darentur tres exiſtentiæ relatiuæ, deberent eſſe ſingulæ imparticipatæ, atque adeo exiſtentiæ per eſſentiam. Exiſtentia autem per eſſentiam eſt ipſum ens per esſentiam.

8 Dico ſecundò. *Eamdem exiſtentiam ita eſſe in omnibus perſonis, vt tamen habeat diuerſos modos actualitatis ratione perſonalis characteris, terminantis eandem exiſtentiam.* Prob. Inter diuinas perſonas exercetur realis productio, qua eſſe, & exiſtere vnius communicatur alteri, ergo perſona producta, cum habeat eſſe, & exiſtere ex vi productionis, debet habere ſpecialem modum exiſtendi, per quem intelligatur habere eſſe productum.

9 Ad primum: Diuinas relationes habere ſuam actualitatem ratione eſſentiæ; quando autem præciſè concipiuntur cum actualitate, concipitur inadæquatè actualitas eſſentiæ. Ad ſecundum. In creatis diſtinctionem realem importare diſtinctionem ſecundum exiſtētiā, quia ne dum eſt ſecundum modum eſſendi, ſed etiam ſecundum eſſe ratione finitatis. In diuinis verò eſt tantum ſecundum modum eſſendi. Ad tertium. Perſonalitatem creatam importare propriam exiſtentiam, quia diſtinguitur realiter à natura, quæ eſt finita, vnde etiam exiſtentia ipſius finito modo ſe habet. Ad Confirmationem. Paternitatem ex ſe dare tantum eſſe Patrem; quia autem exiſtit exiſtentia abſoluta, facit Patrem actu Patrem. Ad quartum: in diuinis eſſe tres exiſtentes adiectiuè, non ſubſtantiuè, exiſtere autem non conuenit primo, & per ſe perſonæ, ſed entitati, & ideo plurificatur tantum ad plurificationem entitatis.

10 Quæres. An tres perſonæ diuinæ poſſint dici tres eſſentię, ſeu naturæ. Reſpond. negatiuè, vt definitur in cap. *Firmiter*, & cap. *Damnamus* De *ſum. Trinit.* alioquin excluderetur vnitas eſſentiæ, & Naturæ.

11 Quæres ſecundò. An poſſit dici tres quidditates relatiuę. Reſpond. negatiuè. Nam ſenſus eſſet, quod perſonę haberent diſtinctas eſſentias, quæ eſſent relatiuæ; nam nomen ſubſtantiuum addito adiectiuo ſignificat principialiori modo, & trahit ad ſe ſignificationem adiectiui, atque adeo ſignificat, quidquid poteſt ſignificare.

An attributa negatiua plurificentur in diuinis.

SECTIO III.

12 LOquimur de attributis negatiuis, quæ fundantur in eſſentia, vt increabilitas, immutabilitas, & alia huiuſmodi. Communiter autem docent, non plurificari. Suarez autem 3. *de Trinit. cap.* 12. Ruiz *diſp.* 28. *de Trinit.* aſſerunt, illa attributa negatiua plurificari, quæ ex ſua ratione abſtrahunt ab abſoluto, & relatiuo, vt eſt infinitas, & ſequuntur plures Recentiores, quorum aliqui abſolute docent, omnia attributa negatiua plurificari.

13 Dico primo. *Non dari tres increabilitates relatiuas*, eſt de fide ex Symbolo Athanaſij; *Et tamen non tres increati, ſed vnus increatus.* Si autem darentur tres increabilitates, darentur etiam tres increati ſubſtantiuè. Prob. eſſe increatum, ſicuti opponitur creato, ita requirit perfectionem ſimpliciter infinitam, & eſt quid imparticipatum, perfectio autem ſimpliciter infinita non plurificatur in Deo.

14 Dico ſecūdò. *Non dari tres immutabilitates relatiuas.* Prob. Immutabilitas fundatur in ſumma neceſſitate

eſſendi, quæ in Deo non plurificatur, quia ipſe eſt vna tantum ſumma ratio entis. ergo

15 Dico tertio. *Neque dari tres immortalitates relatiuas.* Probatur: immortalitas opponitur mortalitati & ſicut mortalitas dicit capacitatem ad amittendam vitam, ita immortalitas fundatur in vita, quę non poſſit amitti. In Deo autem eſt vnica ratio vitæ.

16 Dico quartò. *Neque dari tres impaſſibilitates relatiuas.* Prob. Impaſſibilitas ſequitur ex immutabilitate, ergo ſi immutabilitas eſt vna, erit etiā vna impaſſibilitas.

17 Dico quinto. *Non multiplicari independentias in perſonalitatibus.* Prob. Non poteſt plurificari independentia, niſi plurificetur id, quod non dependet, ſed plurificatis perſonalitatibus nō plurificatur; quia infinitas ſimpliciter eſt illa, quę excludit dependentiam, & ſicuti eſſe independens eſt eſſe per eſſentiam, ita independentia fundatur in ente per eſſentiam.

18 Dico ſextò. *Neq; dari tres incorporeitates, ſeu immaterialitates relatiuas.* Prob. incorporeitas, & immaterialitas conuenit Deo, quia vt actus purus abſtrahit ab omni materia, ergo cū ratio actus puri non plurificetur in Deo, neque plurificabitur immaterialitas.

19 Dico ſeptimo. *Neque dari tres indiuiſibilitates relatiuas*: Prob. Indiuiſibilitas cum in Deo ſit ſumma, idē eſt ac ſimplicitas, ſimplicitas autem non plurificatur, quia fundatur in infinitate perfectionis.

20 Dico octauo. *Neque dari tres incomprehenſibilitates relatiuas, & conſequenter nec tres ineffabilitates.* Prob. ideo Deus eſt incomprehenſibilis, quia excedit infinito modo intellectum creatum, ergo cum incomprehēſibilitas proueniat ratione infinitatis ſimpliciter, non poteſt plurificari, ſicut non plurificatur infinitas.

21 Quod autem ſpectat ad infinitatem, dictum eſt in ſuperioribus, non poſſe plurificari, nam in Deo non poteſt reperiri aliquid infinitum, ſecundum quid, quia eſſet ſimpliciter, & abſolutè finitum.

22 Obijc. Plura ex his prædicatis ſe habent tranſcendētaliter, ergo poſſunt plurificari. Reſp. Quidquid ſit de antecedenti, negando conſeq. quia prædicata negatiua non poſſunt plurificari, niſi plurificato fundamento.

23 Obijc. ſecundo: quælibet perſona diuina eſt indepēdens, cum excludat cauſam, ergo tres independētiæ. Reſp. negando conſeq. quia independentia ſolum excluditur ratione entis imparticipati, atq. adeo ſolum ratione eſſentiæ. Vnde omnes perſonæ ſunt independentes eadem independentia eſſentiæ.

An plurificentur attributa poſitiua.

SECTIO IV.

24 NOn loquimur de attributis, quæ propria ſunt eſſentiæ, vt talis eſt, vt ſunt intelligere, omnipotentia, & alia huiuſmodi, quia cum non plurificetur eſſentia, nec etiam ipſa poſſunt plurificari, vt tanquam certum de fide docet Aug. 5. *de Trinit. c.* 8. Vnde ſolum difficultas eſt, de quibuſdam prædicatis, quæ ſe habent ad modum tranſcendentis, vt eſt æternitas &c.

25 Suarez 3. *de Trinit. c.* 11. Cuniga *diſp.* 5. *de Trinit. dub.* 11. Amicus 1. *p. diſp.* 19. *ſect.* 6. *num.* 183. aſſerunt, durationem plurificari, non vero æternitatem, & ſequuntur alij Recentiores.

26 Dico primo. *Non dari tres æternitates relatiuas*, eſt de fide ex Symbolo Athanaſij. *Non tres æterni, ſed vnus æternus*, & ex D. Aug. 1. de doctrina Chriſtiana c. 5. *Eadē omnibus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem maieſtas.* Prob. Aeternitas ex intrinſeca ſua ratione importat ens per eſſentiam, ergo non poteſt relatiuè plurificari, ſicut nec plurificatur ens. Antecedens prob. Aeternitas eſt formaliter duratio omnino indefectibilis, atq. adeo excludens cauſā, à qua dependeat, vnde eſt duratio per eſſentiā: duratio autē per eſſentiam, dicit ipſū eſſe per eſſentiam.

27 Dico ſecundo. Non dari tres immenſitates relatiuas

Digitized by Google

eſt de fide ex Symbolo Athanaſij. *Nec tres immenſi, ſed vnus immenſus*. Probatur: immenſitas importat actum eſſendi vbique per eſſentiam, atque adeo eſſe præſens ex vi ſuæ eſſentiæ, ergo importat perfectionem ſimpliciter infinitam, quia eſſe neceſſariò vbique præſens dicit actum eſſendi neceſſarium; perfectio autem ſimpliciter infinita non poteſt plurificari.

27 Dico tertiò. *Non dari tres durationes relatiuas*. Deſumitur ex Nazianz. *orat.* 17. vbi ponderans illud Ioã. 1. *Erat lux vera*, ait *Erat, & erat, & erat; ſed vnum erat. Lux, & lux, & lux; ſed lux vna, Deus vnus*. Prob. vel duratio relatiua eſſet participata; vel non. Si primum; ergo aliquid participatum eſſet in Deo. Si ſecundum; ergo eſt æternitas, quia duratio imparticipata importat formaliter æternitatem, quæ non poteſt plurificari.

28 Dico quarto. *Neque dari tres vbiquitates relatiuas*. Prob. Tum quia perſonalitates non ſunt vbique, niſi prout ſunt in eſsentia. Tum quia vbiquitas conſequitur tantum eſse infinitum ſimpliciter.

29 Obij. Duratio ſe habet vt prædicatum tranſcendens, ergo plurificatur. Reſpond. Quidquid ſit de antecedenti, negando conſequentiam. Quia in Deo non eſt alia ratio durationis, præter æternitatem, cui repugnat plurificari.

An tres Perſonæ diuinæ ſint tres entitates, & tria entia.

SECTIO V.

30 QVæſtio nõ procedit de ente adiectiuè ſumpto, quia certũ eſt, poſſe dici tria entia adiectiuè, cum nihil aliud ſignificet, niſi quod ſint tria habentia eſſe, ſed procedit de ente ſubſtantiuè ſumpto.

Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita *Ledeſma quæſt.* 3. *de diuin. perfectione art.* 3. Suarez 3. *de Trinit. cap.* 6. Ruiz *diſp.* 26. *de Trinit. ſect.* 2. Smiſing. *diſp.* 1. *quæſt.* 4. *num.* 69. Amicus 1. *part. diſp.* 19. *ſect.* 7. *num.* 184. & ferè communiter recentiores. Prob. important triplex eſſe perſonale, ergo triplex ens ſecundo. Sunt tres relationes reales ſecundum proprias rationes, ergo tria entia. Confirmatur. Plurificato inferiori plurificatur ſuperius, ergo ſi plurificantur relationes, plurificatur etiam ens.

31 Secunda ſententia eſt negatiua, ita D. Thomas *in* 1. *diſt.* 25. *q. vnica art.* 2. *ad* 4. D. Bonau. *diſt.* 23. *art.* 2. *q.* 2. *ad vltimum*. Alens. 1. *p. quæſt.* 49. *memb.* 3.

32 Dico primo. *Ens non plurificari relatiuè; nec diuinas perſonas eſſe tria entia, ſeu tres entitates*. Probatur. Si plurificaretur, ratio entis in diuinis perſonis, vel iſta ratio entis eſſet infinita in ratione entis; vel non. Si primum. Contra. Quia infinitum ſimpliciter non poteſt plurificari, quod autem eſt infinitum in ratione entis, eſt infinitum ſimpliciter. Si ſecundum; ergo eſt finitum, atque adeo aliquid finitum in Deo.

33 Dices præſcindere ab eſſe finito, & infinito. Contra. Eo ipſo, quod præſcindit, non includit id, à quo præſcindit, ergo limitatur, vt non ſit quælibet ratio entis, & finito modo ſe habet, ſi quidem limitatur, vt non ſit id, à quo præſcindit.

34 Dices ſecundo. Eſſe infinitum in genere, non autem ſimpliciter. Contra. Implicat infinitas entis in genere, nam infinitas in genere eſt ratio aliqua determinatiua generis, ens autem non eſt in aliquo genere determinato, & ideo ſi eſt infinitum in ratione entis, erit infinitum ſimpliciter. Rurſus infinitum in genere clauditur intra terminos generis, nec ſe extendit ad habendum, quod important alia genera. Quod autem clauditur intra terminos, eſt finitum.

35 Dico ſecundo. *Plurificari modus entis, ita vt vnum, & idem ens ſit cum tribus modus eſſendi, qui ſint ens, & aliquid vna, & eadem ratione entis*. Prob. perſonæ, inter ſe realiter diſtinguuntur, & quælibet habet proprium characterem perſonalem, ergo cum non poſſit plurificari ratio entis, plurificabitur modus eſsendi.

36 Dices. Hi modi eſsendi ſunt aliquid, atque adeo ens, ergo ſi plurificantur, plurificatur etiam ens. Reſpondetur. Eſſe ens, non propria ratione entis, ſed ea, qua ipſa eſſentia eſt ens; quæ cum ſit infinita, eſt ratio eſſendi cuilibet formalitati reali, quæ ſit in Deo.

37 Ad primum reſpondetur; Si per eſſe perſonale intelligatur terminus, & modus eſsendi, conceditur plurificari, ſi vero intelligatur ratio entis, negatur aſsumptum. Ad ſecundum. Relationes eſse tres ſecundum rationem relationis, & eſse reales vna, & eadem ratione entis, vnde per tres diuerſas rationes ſunt relationes, per eamdem autem ſunt reales. Ad Confirmationem. Relationem, & ens in diuinis non ſe habere vt ſuperius, & inferius, quia quidquid eſt ens in Deo, eſt ens per eſsentiam, quod eſt eſsentialiter ſingulare, non autem aliquid commune ſuperius, vnde cum non ſe habeat per modum ſuperioris, nec relationes determinant ens per eſsentiam, vt aliquid inferius, ſed vt termini perſonales.

38 Inſtabis. Ergo ſaltem ens vt ſic plurificabitur, quia non eſt infinitum, nec per eſsentiam. Reſpondetur neg. ſequel. Quia ens in Deo eſt determinatum, vt ſit imparticipatum, & per ipſum vt tale, omnia ſunt quid reale; vnde cum ipſi repugnet plurificatio, nec alia ratio entis ſit in Deo, nulla plurificatio erit in ipſo, ſecundum rationem entis. Neque enim in Deo eſt ratio entis, vt ſic vt alibi dictũ eſt, quia talis ratio entis, eſt diuiſibilis, & finita, ſed tota ratio entis, quæ eſt in Deo, eſt ſecundum ſe totam, & totaliter per eſsentiam.

An tres Perſonæ ſint tres res.

SECTIO VI.

39 SVpponendum eſt, Quamlibet perſonam diuinam eſse rem, quia in ſe habet ſuum eſse ratum, & ſtabile, vnde Auguſt. 1. *de doctrina Chriſtiana, cap.* 5. ait. *Res igitur, quibus fruendum eſt, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus eſt*. Vnde aſserere perſonas diuinas non eſse res, idem eſt, ac aſserere non eſse à parte rei.

40 Supponendum ſecundo. Rem ex vi ſuæ ſignificationis indifferenter ſe habere ad ſignificandum ſubſtantiuè, vel adiectiuè, quia ex ſe importat tantum illud ratum ſe habere in ſuo eſse ſiue reali, ſiue obiectiuo, quod conuenit tam ijs, quæ ſubſtantiuè ſignificantur, quam ijs, quæ ſignificantur adiectiuè, quia tam forma, quàm habens formam eſt aliquid ratum in ſuo eſse.

41 Prima ſententia eſt negatiua, ita Henricus 1. *p. ſum. art.* 34. *quæſt.* 2. Alens. 1. *p. q.* 68. *memb.* 4. *dub.* 7. Ariminen. *in* 1. *diſp.* 27. *q. vnica, art.* 2. *concluſione* 3.

42 Secunda ſententia aſserit, tres perſonas eſse tres res. Ita D. Thomas, 1. *part. quæſt.* 39. *art.* 3. *ad* 3. & cum eo communiter.

43 Dico primo. *Eſſe tres res adiectiuè; hoc eſt tres habentes formam realitatis*, & hoc intendũt Patres, quando dicunt, Perſonas diuinas eſse tres res, vt D. Anſelmus, *c.* 3. *de Incarnatione verbi* vbi ait. *Solemus vſu dicere rem, quidquid aliquo modo dicimus eſse aliquid: qui autem dicit de Deo Patrem, aut filium, aliquid de Deo dicit, & omnes ſciunt in Deo Patrem non eſse filium*. Prob. Sunt tres habentes eſse firmum & ratum à parte rei, ergo ſunt tres res adiectiuè.

44 Dico ſecundo. *Perſonas diuinas non eſse tres res ſubſtantiuè, ſed tantum vnam*. Prob. ex cap. *Damnamus. De ſum. Trinit.* vbi habetur. *Trinitas eſt vna ſumma res, quæ eſt veraciter Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, ergo ſi tres perſonæ diuinæ ſunt vna ſumma res, non ſunt tres res.

45 Dices. Eſse vnam rem ſecundum eſse abſolutum. Contra ſi ſolum, ſecundũ eſse abſolutũ eſset vna res, Deus tantum eſset vna res, non autem Trinitas, ſed Trinitas eſt vna res ex allata definitione, ergo ſecundo. Hæc vna res, nõ

ſolum

Digitized by Google

ſolum eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſeu tres perſonæ ſimul, ſed etiam vt ibi habetur, ſingillatim quælibet ipſarum; ſi autem eſſent tres res relatiuæ, vna res non eſſet quęlibet ipſarum ſingillatim, quia res, quæ eſſet vna perſona, non eſset alia, nec Pater eſſet omnino idem, ac filius, contra dictam definitionem. Confirmatur. Vbi definitur, Trinitatem eſſe vnam rem, quæ ſit ſingillatim quælibet perſona, itaut vna perſona ſit omnino idem, quod altera, vt excludatur quaternitas; non excluderetur autem, ſi perſonæ diuinæ eſsent tres res relatiuę, quia eſset in Deo vna res abſoluta, & tres relatiuę.

46 Dico tertiò. *Perſonas diuinas eſſe vnam rem cum tribus modis habendi realitatem.* Prob. Hæc res, quæ eſt Trinitas, eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, atque adeo dicit in ſe rationes characteriſticas ipſarum, ergo importat diuerſos modos habendi ratitudinem, quia ſicuti hæ rationes characteriſticę determinant naturam, ita etiam determinant rem ſubſtantiuè acceptam, quę eſt natura diuina, ad diuerſos modos ſe habendi, ſecundum ſuam ratitudinem.

47 Obij. Quælibet relatio importat ſuam formam relatiuam, quæ eſt aliquid reale, ergo ſunt res ſubſtantiuè. Reſp. negando antecedens. Quia relatio importat tantum modum habendi realitatem, vnde non eſt quid reale, niſi per realitatem eſſentiæ.

48 Obij. ſecundò; perſonę diuinæ diſtinguuntur realiter, ergo ſunt tres res. Reſpond. Non diſtingui realiter *in eſſe rei*; ſed tantum in modo habendi eandem rem, quia ſolum diſtinguuntur ratione originis, per quam eadem res communicatur; vnde debent importare tantum plures modos habendi ratitudinem.

49 Obij. tertiò. Res eſt tranſcendens, ergo plurificatur ad plurificationem eorum, in quibus eſt. Reſpond. Plurificari, quando ea, in quibus eſt important rationem talis rei, non autem quando important plures modos habendi eamdem rem; Deinde tranſcendentia ſolum plurificantur ad plurificationem eorum in quibus ſunt, quando ſe habent per modum ſuperioris. In diuinis autem res, non ſe habet per modum ſuperioris reſpectu inferiorum, cum ſit eſſentialiter ſingularis, vt dictum eſt ſupra etiam de ratione entis,

An plurificentur in Perſonis cætera tranſcendentia.

SECTIO VIII.

50 DE vnitate dictum eſt in ſuperioribus, ſicuti etiam de bonitate, ſeu perfectione, vnde reſtat ſolum difficultas de veritate.

Prima ſententia aſſerit, plurificari. Ita Vaſquez 1. *p. diſp.* 122. *c.* 7. Suarez 3. *de Trinit. cap.* 8. & ferè communiter recentiores.

Probatur. Relatio diuina habet propriam conformitatem cum intellectu, in quo conſiſtit veritas, ergo. Secundò. Perſonæ diuinæ nedum ſunt verus Deus, ſed etiam; talis perſona vera; vnde Patres docent, Patrem eſſe verè Patrem. Filium eſſe verè filium, ergo. Tertiò in Chriſto non eſt veritas perſonæ humanæ, ergo perſonalitas dicit propriam veritatem. Quartò in perſona libris poſſunt fundari aliquæ veritates enunciatiuę, vt quod Pater generet, filius non generet, ergo habent propriam veritatem tranſcendentalem.

51 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita D. Thomas *in* 1. *diſt.* 19. *quæſt.* 5. *art.* 3. Richar. *art.* 3. *quæſt.* 3.

52 Dico primò. *Perſonas diuinas eſſe tres veritates adiectiuè, hoc eſt tres veras perſonas, & hoc ſufficere vt ſingulæ dicantur veræ.* Prob. ſingulę perſonę habent in ſe diuinam eſſentiam, & eiuſdem veritatem, ergo ſunt tres verè adiectiue. hinc Damaſus Papa *in Anathemat. contra hæreſes Apollinaris, & Arij*, anathematizat eum, qui tres perſonas non dixerit veras.

53 Dico ſecundò. *Perſonas diuinas non importare tres veritates ſubſtantiuè.* Deſumitur ex D. Anſelmo *cap.* 23. Proſolog. ibi. *Verbum tuum ſic eſt verum, quomodo tu verax, & idcirco eſt ipſa veritas, ſicut tu, & non alia, quam tu.* Auguſt. 7. *de Trinit. cap.* 2. vbi inquit. *Pater igitur, & filius ſimul vna eſſentia, & magnitudo, & vna veritas, & vna ſapientia.* Prob. Tota veritas, quę eſt in Deo, eſt imparticipata, ita vt non ſit aliqua ratio veritatis, quæ non ſit veritas per eſſentiam, quia quidquid eſt in Deo, eſt tale per eſſentiam, ergo eſt tantum vna veritas, quia quod eſt tale per eſſentiam, infinito modo ſe habet, & non poteſt plurificari.

54 Dices. Relationes conuenire Deo per eſſentiam, & tamen plurificari; vnde ſic etiam poterit plurificari veritas. Contra. Ideo relationes plurificantur, quia ex ſua formali ratione importat cum plurificatiuam; nempe oppoſitionem; veritas autem non importat, imò cum ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, non poteſt plurificari.

55 Dico tertiò. *Dari tres modos eiuſdem veritatis, per quos determinatur in eſſe veritatis.* Prob. natura diuina ratione perſonalitatum determinatur, vt tali, & vt tali modo ſe habeat in eſsendo, ergo etiam veritas diuina, quę, cum ſequatur eſse, eodem pacto proportionaliter determinatur.

56 Ad primum reſpond. veritatem participatam conſiſtere in conformitate ad primum intellectum; non autem imparticipatam; ſunt autem relationes diuinæ intelligibiles, non ratione ſui præciſè, ſed ratione eſſentię determinatæ, in ratione veritatis, per modos perſonales; hęc autem determinatio non eſt veritas, ſed modus veritatis. Ad ſecundum. Patrem eſse verum Patrem, non aliud ſignificare, niſi quod ſit talis à parte rei; & veritas eſsendi conſiſtit in veritate diuinæ naturæ determinatæ per talem modum. Ad tertium. Perſonalitatem humanam dicere propriam veritatem, quia eſt quid diſtinctum ab ipſa natura, vnde non eſt eadem ratio, ac de diuina. Ad quartum. Illas veritates enunciatiuas perſonales fundari in veritate diuinę eſſentię conſideratæ cum tali determinatione in ratione veritatis, & ideo ſunt proprię ſingularum perſonarum; quod etiam valet, quãdo perſonalitates cõſiderantur in abſtracto, quia adhuc inadęquato modo concipitur veritas diuinæ naturæ, quatenus eſt neceſsaria pro fundandis illis rationibus.

DE NOTIONIBVS DIVINARVM Perſonarum.

DISPVTATIO LXIII.

An dentur Notiones.

SECTIO I.

1 NOtio ſumitur dupliciter formaliter, & obiectiue, primo modo dicit actũ intellectus, quo aliquid cognoſcitur, ſecundo modo dicit aliquam rationem ex parte obiecti, quę obiectiuo modo facit rem innoteſcere; vnde ſemper notio eſt aliquid proprium illius, cuius eſt notio, alioquin non faceret ipſum innoteſcere. Prout autem tribuitur perſonis diuinis definitur à D. Thoma 1. *p. q.* 32. *art.* 3. Eſſe propriam rationem agnoſcendi perſonã diuinam, quia videlicet importat rationem obiectiuam, qua vna perſona ſeorſim ab alia diſtinguitur.

2 Dico primo. *Eſſe in diuinis admittendas notiones.* Contra Valentinum hęreticum, & Tranſiluanos, & licet non ſit de fide oppoſitum tamen eſt proximum errori: vnde Patres communiter vtuntur nomine Notionis vt, Nazianzen. *oration.* 35. Cyril. 1. *Theſauri*

capitul. 5. *&* 6. Baſilius *epiſtol.* 43. Auguſtinus 5. *de Trinit. cap.* 6. Probatur: perſonæ diſtinguuntur inter ſe realiter ſecundum eſſe perſonale, ergo poteſt intellectus de ipſis formare proprios conceptus, quibus ſingulas intelligat, vt ſeorſim ſe habeat.

3 Dico ſecundò. *Notiones eſſe ſignificabiles etiam in abſtracto*. contra præpoſitiuum, vt docent communiter cum D.Thoma 1.*p. quæſt.* 32.*art.* 2.Prob. Tum quia patres vſi ſunt nominibus, quæ in abſtracto important notiones. Tum quia etiam attributa ſignificant in abſtracto. Tũ quia debemus poſſe aſſignare, per quid perſonæ formaliter diſtinguantur, quod fieri non poteſt, niſi aſſignentur notiones in abſtracto.

4 Obijciunt Tranſyluani. Scriptura non vtitur nomine Notionis, ergo. Reſp. Scripturam non fuiſſe vſam omnibus nominibus, quibus diuina explicari poſsunt, ſed ijs tantum, qu. fuerunt neceſſaria ad ea explicanda, quæ ab ipſa tradita ſunt; ſufficit autem, quod ex ſcriptura habeatur id, quod nomine notionis explicatur.

5 Quæres. Cur quædam prædicata, quæ dicũtur de perſonis, non poſſint dici de notionibus, ſic non valet, paternitas generat, intelligit, &c. Reſpond Non poſſe dici, quia in enunciatione connectuntur extrema, vt ſtant in repræſentatione noſtrorum conceptuum; prædicata autẽ, quæ in repræſentatione noſtrorum conceptuum, apta ſunt, vt tribuantur concreto, non ſunt aqua, vt tribuantur abſtracto; ſiquidem ratione modi ſignificandi, ſeparatim ſe habent reſpectu concreti.

6 Quæres ſecundò. An notio, & proprietas poſſint ſe ipſas denominare. Reſp. negatiue. Quia denominatio, quæ fit ſecundum notionem, ex vi modi ſignificandi, dicit ordinem ad ſuppoſitum, quia ſignificat concreto modo, non enim forma denominat niſi ratione effectus formalis; atque adeo ex eo tantum, quod eſt in ſubiecto; vnde non poteſt dici generatio generat.

Quot ſint Notiones.

SECTIO II.

7 QVinque communiter aſſignantur, nempe innaſcibilitas, paternitas, Filiatio, Spiratio, & proceſſio, duæ priores tribuuntur Patri, Tertia filio, quarta filio, & Patri, & quinta Spiritui Sancto; difficultas autẽ eſt, an omnes ſint notiones, & an ſint plures his quinque.

8 Prima ſententia negat, innaſcibilitatem eſſe notionem ita Gabriel *in* 1.*diſt.* 28. *q. vnica art.* 2. *&* 3. Prob. innaſcibilitas eſt aliquid negatiuũ, ergo non poteſt eſſe ratio, per quã perſona innoteſcat in ſe ipſam, nec ſignificat aliquam dignitatem perſonæ: Secundò. Non poteſt importare diſtinctam rationem à paternitate, vnde Patres ſumunt ingenitum pro paternitate.

9 Secunda ſententia addit ſextam notionem, nempe inſpirabilitatem, quæ cõueniat filio. Ita Scotus *in* 1. *diſt.* 28. *q.* 1. qui tamen non abſolutè determinat. Prob. inſpirabilitas eodem modo ſe habet ad filium, ſicuti innaſcibilitas ad Patrem. ergo

Tertia ſententia aſſerit notiones eſſe quinque, nec plures, nec pauciores. Ita communiter cum D. Thoma 1. *p. q.* 34. *art.* 3. *&* 4.

10 Dico primò. *Innaſcibilitatem ſecundum propriam rationem eſſe veram notionem Patris diſtinctam a paternitate*. Ita communiter Patres, & Concilia, præſertim Tolet. 11. *in profeſſ. fidei* & Sixtus Papa *epiſt.* 1. *decretalium.* Prob. innaſcibilitas eſt ratio cognoſcendi patrem ſecundum aliquam propriã rationem, ſecundũ quã non cognoſcitur ex vi Paternitatis, ergo eſt vera notio. Antecedens prob. Paternitas facit innoteſcere Patrem vt principium filij: Innaſcibilitas verò facit innoteſcere vt primam perſonam Trinitatis habentem naturam a ſe, & non ab alio communicatam, ergo facit innoteſcere ſecundum ſpecialem rationem hypoſtaticam, quam habet ex vi ſui termini perſonalis.

11 Dices. Spiritus Sanctus eſt vltima perſona Trinitatis, nec tamen ponitur aliqua notio, per quam innoteſcat ſecundum hanc rationem, ergo. Reſpondetur innoteſcere vt vltimam perſonam Trinitatis, per ſpirationem paſſiuam; nam eo ipſo, quod procedit per ſpirationem, procedit vt vltima perſona, ſpiratio eſt vltimus actus naturæ intellectualis.

12 Inſtabis. Productio per intellectum eſt prima in natura intellectuali, ergo intellecta paternitate intelligitur prima perſona abſque aliqua notione. Reſpond. negando conſequentiam, quia paternitas ex vi ſui conceptus nõ dicit primam productionem, neque adęquatè explicat rationem primæ ſententiæ, quia concipitur per conceptum paternitatis createz, quæ non dicit, quod Pater non habeat naturam communicatam ab alio.

13 Dico ſecundò. *Spirationem actiuam eſſe notionem communem Patri, & filio*. Prob. quia per ipſam Pater, & filius innoteſcunt vt principium Spiritus Sancti.

14 Dico tertiò. *Spirationem actiuam eſſe notionem vnius formaliter, ſed plurium materialiter*. Prob. Quia facit innoteſcere duas perſonas, ſecundum vnam rationem principij.

15 Dico 4. *Notiones eſſe tantũ quinque, nec plures nec pauciores*, quod non ſint pauciores conſtat ex dictis, quod verò non ſint plures. Probatur: Iſtæ quinque ſufficiunt ad exprimendum eſſe notionale omnium perſonarũ, ergo. Antecedens probatur: Quia cum perſonæ habeant totum ſuum eſſe notionale ex vi originis, per has quinque notiones ſufficienter explicatur quidquid aduenit ratione originis. Nam proceſſio adæquatè explicat eſſe notionale Spiritus Sancti, cum ratione originis ſolum habeat, quod procedat vt talis perſona. Vt autem explicetur eſſe notionale filij, requiritur duplex notio, vt explicetur eſſe producens, & productum, nec aliud eſt explicandum; vnde ſufficit filiatio, & ſpiratio actiua. Rurſus Pater ratione originis habet, quod producat filium, & Spiritum Sanctum, vnde debet habere notionem propriam producentis, quę eſt paternitas, & communem cum filio, quę eſt Spiratio actiua. Et quia originat vt prima perſona, debet habere aliam ſpecialem notionem innaſcibilitatis.

16 Ad primum primę ſententię reſpondetur innaſcibilitatem, licet explicetur negatiuo modo, ſignificare tamen aliquid poſitiuum, nempe primum terminum perſonalẽ. Ad ſecundum. Quomodo innaſcibilitas ſit diſtincta notio, conſtat ex dictis; ſumitur autem indifferenter à Patribus pro paternitate, quia per vtranque innoteſcit Pater, vt perſona diſtincta.

17 Ad Fundamentum ſecundę ſententię omiſſis varijs reſponſionibus. Reſpond. inſpirabilitatem habere pro fundamento modum, quo filius procedit; quia enim procedit per generationem excludit omnem alium modum procedendi, vnde cum ratio negatiua ponatur ad explicandum fundamentum, non eſt neceſſaria inſpirabilitas, quia iam fundamentum explicatur per generationem. Fundamentum autem innaſcibilitatis non explicatur per paternitatem.

18 Obij. Produci ab alio eſt communẽ filio, & Spiritui Sancto, & tamen non conſtituit ſpecialem notionem, ergo neque ſpiratio actiua, cum ſolum dicat, quod Spiritus Sanctus procedat ab vtroque. Reſpond. negando conſequentiam. Quia produci ab alio non dicit ſpecialem rationem ſupra filiationem, & proceſſionem paſſiuam, ſicut dicit eſſe principium Spiritus Sancti. Hinc neque eſt ſpecialis notio, quod filius ſit ab vno, & Spiritus Sanctus à duobus, quia hoc totum non aliud dicit, quàm proprias proceſſiones paſſiuas, & ſimiliter neque alia prędicata vt imago, verbum, amor, donum, & alia huiuſmodi non important ſpeciales notiones, quia includuntur in aſſignatis.

Quo-

Digitized by Google

Quomodo ſe habeat notio, proprietas, & relatio.

SECTIO III.

19 Omnes notiones dici poſſũt proprietates, prout proprietas importat aliquid incõmunicabile, licet enim ſpiratio actiua ſit cõmunis Patri, & filio, reſpectu tamen Spiritus Sancti, ſe habet incommunicabiliter. Si autem proprietas ſumatur pro conſtitutiuo perſonarum, tres tantum ſunt proprietates, quia conſtitutiuum non poteſt habere maiorem pluralitatem, quam habeat conſtitutum, & in hoc ſenſu loquuntur Patres, quando docent proprietates eſſe tres. Hinc communiter cum D. Thoma 1.p.q.32.art.3.docent. Notiones eſſe quinq; relationes quattuor, proprietates tres. Difficultas autem eſt, quomodo innaſcibilitas ſit propria Patris, & an dicat quid relatiuum. Rurſus quomodo innaſcibilitas, & ſpiratio actiua ſint notiones, & tamen non pertineant ad proprietates perſonales.

20 Dico primò. *Licet innaſcibilitas abſoluto modo ſignificetur, ratione tamen fundamenti eſt quid relatiuum.* Probatur. Facit innoteſcere Patrem, vt perſonam diſtinctam à filio, & Spiritu Sancto, ergo ſpectant ad eſſe relatiuum, cum perſonę diſtinguantur ſolum ratione relationis, Hinc Auguſt. 5. de Trinit. cap. 7. *Non ergo recedit à relatiuo, prædicamento, cum ingenitus dicitur.*

21 Dico ſecundò. *Innaſcibilitatem contineri in adæquata proprietate perſonali.* Prob. proprietas perſonalis dicit totum id, quo natura terminatur incommunicabiliter, in hoc autem imbibitur innaſcibilitas, quia terminus perſonalis ex intrinſeca ſua ratione reſpicit primam exigentiam naturæ.

22 Dico tertiò. Spirationem actiuam imbibi inadæquata proprietate perſonali Patris, & filij. Prob. Proprietas perſonalis fundat incommunicabilitatem, & adæquata proprietas adæquatam incommunicabilitatem, ergo totum id requiritur ad adæquationem proprietatis, quod requiritur ad fundandam adæquatam incommunicabilitatem; requiritur autem in Patre, & filio ſpiratio, quia ratione ipſius incommunicabiliter ſe habent reſpectu Spiritus Sancti, cum ratione ipſius opponantur.

23 Obij. Proprietas perſonalis debet eſſe propria cuiuslibet perſonæ; ſpiratio autem actiua non eſt propria. Reſpondetur, proprietatem perſonalem adæquatè ſumptam eſſe propriam; vnde licet ſpiratio ſit communis Patri, & Filio, non eſt tamen proprietas perſonalis Patris, quia hæc non dicit ſpirationem præcisè, ſed illud coniunctum ex paternitate, & ſpiratione, vt in prima perſona, & in filio proprietas perſonalis coaleſcit ex filiatione, et ſpiratione, vt communicata.

24 Quæres. Quã certa ſit doctrina de Notionibus. Reſpond. Id, quod explicatur per has quinque notiones, non poſſe negari, ſine hæreſi, quia negaretur id, quod eſt definitum de fide. Si quis autem hoc totum admitteret, nec admitteret tot notiones, ſolum temerariè loqueretur, quia ſine ſufficienti fundamento ſentiret contra communem ſenſum Theologorum fundatum in auctoritate Patrum.

DE ACTIBVS NOTIONALIBVS Diuinarum Perſonarum.

DISPVTATIO LXIV.

An detur potentia ad actus Notionales.

SECTIO I.

1 Actus notionales ſunt ij, qui ſunt proprij diuinarum Perſonarum: vnde important ipſas proceſſiones. Poſſunt autẽ conſiderari vel ſecundum terminum, ſeu perſonam productam, vel ſecundum originem actiuam, vt eſt in perſona producente, & vtroque modo quæritur, an detur potentia ad ipſos.

2 Prima ſententia eſt negatiua, aſſerens, quod potentia generandi, & ſpirandi non importat aliquod principium productiuum; ſed eſt ſicut potentia, qua Deus poteſt eſſe Deus, quę nihil aliud eſt, niſi ipſa poſſibilitas. Ita Aureol. *in* 1. *diſt.* 6. *part.* 1. *articul.* 2. *propoſit.* 1. & 2. Fundamentum eſt. Quia vbi non eſt aliquid elicitum, ibi non eſt potentia, productiones autem diuinæ non ſunt elicitæ.

3 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita D. Thomas 1.*p.* *quæſt.* 41. *art.* 4. Caiet. *ibid.* Torres Ban. Molin. *ibidem* Cumel *diſp.* 1. Capreol. *in* 1. *diſt.* 7. *q.* 5. Scotus *q. vnica.* Durandus *quæſt.* 1. Vaſquez 1. *p. diſp.* 163. Amicus *diſp.* 23. *ſect.* 1. Suarez 6. *de Trinit. cap.* 5. Ruiz *diſp.* 99. *de Trinit. ſect.* 2. & *ſequentibus*, & alij. Prob. In Deo datur realis productio, & realis terminus productus, ergo etiam potentia ad producendum. Secundò. Omne producẽs aliquid producit, id autem, quo producit, eſt potentia, tertiò patres concedunt eſſentiæ diuinæ potentiam generandi, ergo cum non poſſit eſſe principium, *quod*, erit principiũ, *quo*, ſeu potentia. Quartò in Deo non eſt neceſſaria diſtinctio inter potentiam, & productionem, ſicut nec inter productionem & principium, *quod*, ergo licet non ſit diſtincta. non obſtabit quo minùs ſit potentia. Quintò cauſa ideo habet potentiam phyſicam, quia eſt apta, vt ab ea procedat effectus. Sed vna perſona eſt apta, vt ab ea procedat alia: ergo

4 Notandum primo, certum eſſe, dari principium reſpectu actuum notionalium paſſiuorum, quia cum verè producantur, oportet, vt producens dicat veram rationem principij. Hæc autem ratio principij, eminentiori modo ſe habet, ac in creatis, quia tranſit ad eſſe infinitum.

5 Notandum ſecundò. Cum principium ſit illud, à quo aliquid progreditur, debet in ipſo includi vis aliqua, ratione cuius progrediatur terminus; & hoc ſufficit ad ſaluandas loquutiones Patrum, cum dicunt, Patrem habere potentiam ad generandum, & futurum impotentem, ſi non generaret, quia ſolum volunt declarare, quod Pater habeat vim generatiuam.

6 Notandum tertiò. Hoc eſſe diſcrimen inter productiones creatas, & diuinas; quod creatæ ſunt contingentes, & abſque ipſis ſaluatur totum eſſe producentis; diuinæ autem ſunt productiones per eſſentiam, quia illis conuenit exiſtere per eſſentiam, nec ſine ipſis ſaluatur eſſe producentis. Ex quo fit, quod termini quoque exiſtant per eſſentiam, & habeant æqualem neceſſitatem eſſendi, ſicut habet Deus, non ſolum materialiter, ſed etiam formaliter ex ſua intrinſeca ratione: quia licet producantur, productio tamen eſt exiſtens per eſſentiam.

7 Dico primò. *Non dari potentiam, ſiue realem, ſiue obiectiuam reſpectu originis, quæ eſt in perſona producẽte, itaut non poſſit intellectus concipere aliquam rationem, quæ ſe habeat per modum potentiæ.* Quod non detur potentia realis patet, quia alioquin debet realiter diſtingui ab ipſa origine. Probatur. Tunc poſſumus aliqua diſtinguere in Deo, quando ſecundum ſuam formalem rationem in ipſo reperiuntur: alioquin non eſſet diſtinguere, quæ in Deo ſunt idem, ſed aliquid concipere, quod in ipſo non eſt. Sed formalis ratio potentiæ non eſt in Deo reſpectu originis, ergo. Minor probatur. Quando aliquæ formalitates ita ſe habent, vt vna ex intrinſeca ſua ratione deſtruat aliam, ſi aliqua ipſarum reperitur in Deo, non poteſt reperiri appoſita, ratio autem potentiæ reſpectu eorum, quæ ſunt in ipſo producente, & ratio actus puri, ſe inuicem deſtruunt: nam vbi eſt ratio potentiæ, ibi non eſt totum, quod reperitur per modum actus puri, ſed eſt aliquid in potentia. ergo

8 Dices potentiam eſſe in Deo ſecluſis imperfectionibus. Cõtra: vel ſecluſis imperfectionibus remanet formalis ratio potentiæ; vel non. Si primum; ergo remanet id, quod

Digitized by Google

deſtruit actum purum. Si ſecundum, ergo neque ſecundum eſſe obiectiuum remanet potentia.

9 Dico ſecundò. *Neque reſpectu terminorum dari in perſona producente realem potentiam ſecundum formalem rationem potentiæ*. Probatur: Termini producti ſunt exiſtentes, per eſſentiam, ergo non datur potentia reſpectu ipſorum. Conſequentia probatur. Quia potentia, vt formaliter potentia, continet realiter in ſua virtute terminum productum, & per hoc conſtituitur in eſſe potentiæ, implicat autem vt id, quod eſt per eſſentiam in actu, potentiali modo contineatur in alio, quia tunc contineretur in illo ſecundum ſuum eſſe, & non ſecundum exercitium ſuæ actualitatis, & ideo tale exercitium non illi conueniret ex vi ſuæ quidditatis.

10 Dices. Id eſſe verum de potentia, quæ non eſt ex neceſſitate actu producens. Contra. Quod potentia ex neceſſitate, producens, non tollit, quin dicat rationem potentiæ, atque adeo quod terminus non contineatur potentiali modo in ipſa, ergo eſt contra rationem termini exiſtentis per eſſentiam, habere potentiam, à qua producatur. Vnde ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ, adhuc creaturæ eſsent ens potentiale.

11 Dico tertiò. *Principium producens in diuinis importare fœcũditatem diuinæ naturæ cum tali modo exercitij eiuſdem fœcunditatis*. Probatur. Perſonæ diuinæ productæ ideo ſunt in Deo, quia ex vi fœcunditatis adeſt actualis productio, ergo principium producens nihil aliud dicit, niſi exercitium fœcunditatis; nam per ipſum natura diuina communicatur, atque adeo producuntur perſonæ.

12 Ad primum ſecundæ ſententiæ reſpondetur. Dari potentiam reſpectu termini producti, quando eſt potentialis; non autem quando exiſtit per eſſentiam. Ad ſecundum. Omne producens aliquid producere per potentiam, quandò producit productione contingenti, & quæ non pertineat ad cõſtitutiuum ipſius, non autem quando producit per eſſentiam. Ad tertium. Quando Patres concedunt eſsentiæ diuinæ potentiam generandi, intelligere diuinam fœcunditatem. An autem ſe habeat per modum potentiæ, an verò per modum actualis exercitij, id nõ explicant. Ad Quartum negatur aſſumptum. Nam ſi ad productionem daretur potentia realis, eſſet neceſſaria diſtinctio realis, quæ non eſt neceſsaria inter productionem, & principium, quia præciſa productione non datur principium, nam in diuinis non eſt principium in actu primo, ſed in actu ſecundo. Ad ſecundum. Cauſam ideo habere potentiam, quia continet effectum potentiali modo; non autem quia ab ipſa præcisè proueniat. Quod non contingit in diuinis nam ſicuti terminus eſt per eſsentiam, ita etiam principium per eandem principiat.

13 Ex dictis colligitur. In principio productiuo diuinarum perſonarum, poſſe diſtingui ſecundum noſtrum modum concipiendi, vim productiuam ab ipſo principio; ita tamen vt non ſe habeat per modum potentiæ, ſed diſtinctio ſit in ratione concreti, & abſtracti; tunc enim concipitur vis aliqua, ex qua formaliter principium habet, vt producat.

Quid formaliter dicat vis productiua.

SECTIO II.

14 PRima ſententia aſſerit, de ſuo formali importare tantum relationem. Ita D. Bonau. *in* 1. *diſt*. 7. *art*. 1. *quæſt*. 1. Durand. *quæſt*. 2. Probatur. Actus qui conuenit vni ſuppoſito, & repugnat alteri, habet illi conuenire ratione propriorũ; ſed actus notionales ita conueniũt vni perſonæ, vt repugnent alteri, ergo; Secundò. Ratio eſſendi, eſt etiam ratio operandi, ergo cum paternitas ſit ratio eſſendi Patri, erit etiam ratio generandi.

15 Secunda ſententia aſſerit, importare tantum aliquid abſolutum, & eſsentiale, ita Ocham. *in* 1. *diſt*. 7. *quæſt*. 1. Gabriel *ibidem* & *quæſt*. 2. Probatur: natura præciſa ſuppoſitalitate habet ſuas potentias integras, vt patet in natura humana Chriſti, ergo principium conſiſtit tantum in aliquo abſoluto.

16 Tertia ſententia vult importare tum eſsentiam, tum etiam relationem, ita tamen, vt dicat eſſentiam in recto, relationem verò in obliquo, ſicut conditionem. Ita D. Thomas 1. *part. quæſt*. 45. *art*. 5. Caiet. *ibidem*. Bannes *dub. vnico*, Molina, *concluſ*. 1. *&* 2. Vaſquez *diſp*. 164. *cap*. 3. Scotus *in* 1. *diſt*. 7. *quæſt. vnica*. Capreol. *quæſt*. 1. Baſſol. *quæſt*. 3. Suarez 6. *de Trinit. cap*. 15. Ruiz *diſp*. 100. *de Trinit. ſect*. 5. Prob. nullum agens agit per ſuam ſuppoſitalitatem, ſed per id, in quo aſſimilat ſibi productum, ergo. Confirmatur ſubſiſtentia increata eſt tantum conditio, vt patet in natura humana Chriſti; neque enim perſonalitas diuina influit in operationes humanas Chriſti. ergo

17 Quarta ſententia aſserit importare ex ſe eſsentiam, & relationem, ita vt relatio ſit aliquid de ipſo principio, ita Henricus *Quodlibeto*, 3. *quæſt*. 3. Richardus *in* 1. *diſt*. 7. *art*. 1. *q*. 1. Cuniga *diſp*. 16. *de Trinit. dub*. 3.

18 Dico primò. *Solam eſsentiam non eſse principium quo*. Prob. *eſſentia*, nõ dum eſt in Patre, ſed etiam in Filio, & Spiritu Sancto, & tamen ipſis repugnat generare, ergo debet dari aliqua ratio repugnantiæ, quę non poteſt eſse alia, niſi quia in ipſis non reperitur principium, *quo*, formali modo.

19 Dices repugnantiam prouenire, quia virtus productiua impeditur, ne habeant ſuum exercitium. Cõtra. Hoc impedimentum non eſt contingens, ſed neceſsarium, & æternum, ergo non eſt impedimentum, ſed impoſſibilitas, cum ſit ex intrinſeca natura rei; vbi autem eſt impoſſibilitas, ibi non eſt potentia, pręſertim in ęternis, in quibus idem eſt poſse, & eſse.

20 Dico ſecundò. *Neque ſolam relationem importare vim productiuã*, & proinde Patres tribuunt etiam eſsẽtię vim producẽdi. Prob. Principiũ, *quo*, debet importare fœcũditatẽ, ergo in diuinis debet importare etiã eſsẽtiã, quia fœcũditas cõſiſtit in intellectu, & volũtate, vnde vna proceſſio eſt ſecũdũ intellectũ, & altera ſecundũ voluntatem.

21 Dices. Intellectum, & voluntatem eſse fundamentum principij *quo*, quia principium, *quo*, eſt illud, quo immediate elicitur actus. Contra Principium *quo*, & *quod*, cõparantur vt virtus elicitiua, & id, quod eſt tali virtute elicitiuum; virtus autem elicitiua eſt ipſa fœcunditas, quæ in diuinis eſt in intellectu, & voluntate, ſi quidem verbũ ex intrinſeca ſua ratione non reſpicit fœcunditatem intellectiuam, & amor fœcunditatem voluntatis.

22 Dico tertiò. *Relationes non eſſe ſolas conditiones, ſed pertinere ad formalem rationem principij*. Prob. vbi eſt principium *quo*, ſecundum integram, & ſufficientem virtutem, ibi eſt etiam actus ipſius, ergo ſi eſsentia diceret integrum principium, *quo*, cum ſit in omnibus perſonis, eſset etiam in ipſis actualis productio.

23 Reſpond. Bannes. In Filio eſse potentiam generandi, ſed non generare, quia repugnat ex parte termini, nam non poteſt eſse alius Filius. Contra. Tum quia in æternis actus non ſeparatur à potentia, ſed ſunt idem realiter. Tũ quia, quando actus eſt impoſſibilis, eſt etiam impoſſibilis potẽtia. Tum quia etiã in Spiritu S. eſſet potentia generatiua, vnde ſimul cum Patre deberet generare Filium.

24 Reſpond. alij potentiam non habere ſuum actum in omnibus perſonis defectu conditionis. Contra. In Deo idem eſt poſse, & eſse, ergo ſi in alijs perſonis eſt potẽtia, erit etiam actus, Confirmat. Ideo deficeret conditio, quia terminaretur diuerſa perſonalitate; hoc autẽ nõ ponit impedimẽtum nã etiã in Chriſto natura humana terminatur diuerſiſſima perſonalitate, & tamẽ operatur eaſdẽ operationes, quas operaretur, ſi haberet propriã perſonalitatẽ.

25 Dico quartò. *Principium*, quo, *ſeu vim productiuã importare eſſẽtiam, & notionale itaut vna & eadẽ ratio principij, includat vtramque, ſed diuerſo modo nempe eſſen-*

Digitized by Google

eſſentiam, vt quid materiale, ſeu vt id, ex quo habetur vis producendi. Notionale verò, vt formale determinatiuum. Determinatio autem in hoc conſiſtit, quod eſſentia ſit communicabilis; Notionale verò determinet hanc communicabilitatem, vt tali modo exerceatur. Prob. Ratio principij in Deo, eſt ratio principij per eſſentiam, ergo ita dicit eſſentiam, & notionale, vt hoc formali modo ſe habeat, illa verò materialiter. Conſequentia probatur. Quæ ſunt talia per eſſentiam, non ſunt talia potentiali modo, ſed habent omnem rationem actus, ergo etiam ratio principij debet importare actum ſui generis; hic autem actus habetur tantum per eſſe notionale.

26 Dices. In Spiritu Sancto nulla eſt ratio principiandi ergo eſſentia nullo modo pertinet ad rationem principij. Reſpond. negando conſequentiam. Nam in Spiritu Sancto non eſt natura ſub determinatione fœcunditatis, ſed tantum eſt in ipſo, quod in alijs perſonis eſt fœcunditas ratione determinationis perſonalis; vnde hic tantum fit, vt eſſentia materiali modo ſe habeat ad rationem principij.

27 Inſtabis. Si natura Diuina pertinet ad principium *Quo*, importabit aliquam fœcunditatem, ergo in Spiritu Sancto exiget habere complementum talis fœcunditatis. Reſpond. negando conſequentia. Tunc enim requiritur complementum, quando in aliqua perſona reperitur ratio principij ſecundum propriam rationem formalem, eſſentia autem Diuina præciſe non ſe habet per modum fœcūditatis, ſed ſolum vt dicit intellectū, & voluntatem, ſecundum autem has rationes exigit complemētum, & quia habet, ideo conſurgunt duæ primæ perſonæ; in Spiritu Sancto autem nullam dicit rationem, qua determinetur ad aliquem modum fœcūditatis, & ideo nec etiam in ipſo debet habere complementum. Imo ex vi eſſe notionali Spiritus Sancti, excluditur tale complementum, quia vt terminus productus per voluntatem eſt vltimus, & proinde ita terminat productionem, vt excludat à ſe vim producendi.

28 Ad primum primæ ſententiæ. Quomodo actus notionalis conueniat perſonæ ratione proprietatum, patet ex dictis. Ad ſecundum reſpond. Paternitatem eſſe rationem principiandi, quia tamen ſola non eſt ratio eſſendi, ſed ratione eſſentiæ, ideo neque etiam ſola eſt ratio principij.

29 Ad fundamentum ſecundæ Sententiæ. Eſſe diſparem rationem, quia in creatis producere non conſtituit in eſſe ſuppoſita creata, ſicut conſtituit Diuinas perſonas.

30 Ad fundamentum tertię ſententiæ reſpond. Relationem, & ſuppoſitalitatem non eſſe actiuam in creatis; ſecus autem in Diuinis, nam importat rationem originis, quæ pertinet ad formalem rationem principij; quia cum ſit eſſentialiter producens, dicit intrinſecè ipſum exercitium producendi; Hinc patet ad confirmationem.

31 Ex dictis colligitur. Vim productiuam eſſe in omnibus perſonis ſecundum eſſe materiale, quia tota ratio eſſendi, quæ eſt in vna perſona, eſt etiam in alia; non autem formaliter, quia tali pacto importat eſſe notionale, & exercitium producendi. Non hic tamen fit, quod aliqua perfectio ſit in vna perſona, quæ non ſit in alia, quia vis productiua formaliter importat tantum eſſe notionale; vnde ſolum ſequitur, quod infinita perfectio, quæ in vna perſona eſt ſub determinatione productionis, ſit in alia ſub alia determinatione, vnde D. Thomas 1.*p.q.*42.*art.*6. *ad* 3.ait; Quod potentia productiua in vna perſona, in alia perſona tranſit in aliam potentiam; vnde potentia, per quā Pater generat, in Filio eſt potentia, per quam generatur; quod fit ratione diuerſi modi eſſendi, quo determinatur eſſentia.

32 Colligitur ſecundò. Potentiam Notionalem non pertinere ad omnipotentiam, vt docet Aureol. *in* 1. *diſt.* 20.*art.*3. Scotus *q. vnica.* Suarez 4. *de Trinit. cap.* 10. & alij. Tum quia omnipotentia reſpicit res creatas ſub ratione factibilis. Tum quia ex intrinſeca ſua ratione non eſt actu operans, ſed operatiua. Tum quia ſecundum ſuam formalem rationem eſt communis omnibus perſonis.

33 Colligitur tertiò. Quomodo Patres ex omnipotentia arguant, quod Pater produxerit Filium ſibi æqualem arguunt enim ad hominem contra Arrianos qui ponebant Patrem omnipotentem, & volebant, quod per ſuam omnipotentiam genuiſſet ſibi filium inæqualem, vnde Patres ita arguunt. Quod Pater non eſſet omnipotens, niſi filium ſibi æqualem generaret: Nam illi tribueretur proportionaliter minor potentia, quam generanti creato, nam hic poteſt generare ſibi æqualem.

An actus notionales ſint de aliquo.

SECTIO III.

34 INter Hæreticos Arriani negabant actus notionales eſſe de aliquo, aſſerentes Perſonas Diuinas produci ex nihilo, vt refert Epiphanius. *Hæres.* 69. Eſt autem certum de fide. Actus notionales eſſe de aliquo, nempe de ſubſtantia producentis, quatenus ipſa communicatur perſonæ productę, & ita definitum eſt in Concilio Nicæno, *lib.* 2.& in Tolet. 11. *in Confeſſ. fidei*, & in Lateran. vt in cap. *Damnamus. De ſum. Trin.* Ratio eſt: Quia cum Perſonæ Diuinæ ſint conſubſtantiales, natura producentis debet communicari producto, vnde non producitur ex nihilo, ſed de ſubſtantia producentis. Inter catholicos autem difficultas eſt, quam habitudinem principij importet hoc eſſe de aliquo.

35 Prima ſententia vult, importare habitudinem quaſi cauſæ materialis, ita vt ſubſtantia Diuina ſe habeat proportionaliter vt Materia. Ita Henricus *quol.* 8. *q.* 9. Durand. *in* 1. *diſt.* 5. *q.* 2. Prob. Eſſentia Diuina præexiſtit Filio, & ipſi inexiſtit, ergo; ſecundò. Filius conſtituitur ex natura Diuina, & proprietate perſonali, quæ ſe habet vt determinatiuus, ergo; tertiò. Particula, *De*, importat principium intrinſecum materiale iuxta illud Geneſis 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ.* ergo

36 Communis ſententia cum D. Thoma 1.*p.q.*41.*art.* 3.*ad* 2. aſſerit, importare habitudinem principij formalis, ita vt ſignificetur Diuina eſſentia, vt forma totius.

37 Dico 1. *Hæc particula non importat aliquam habitudinem cauſæ materialis.* Prob. ſecundum communem vſurpationem Sanctorum Patrum importat conſubſtantialitatem, ergo non importat habitudinem alicuius conditionis materialis. Conſequentia prob. Quia materia, cum ſit tantum pars conſtituti, non poteſt ſecundum aliquam propriam conditionem, ponere conſubſtantialitatem; nam conſubſtantialitas eſt ſecundum totum eſſe ſubſtantiale.

38 Dico ſecundò. *Neque importare habitudinem formæ totius.* Probatur. Forma totius non habet rationem formæ, niſi reſpectu alicuius materialitatis, in Diuinis autem nulla reperitur materialitas, ſed in ijs tantum, in quibus aliud eſt concretum, & aliud abſtractum. Rurſus cum forma non ſit totum ſubſtantiale eſſe rei, non poteſt ponere conſubſtantialitatem.

39 Dico tertiò. *Hanc particulam ſignificare, quod illa eſſentialitas quæ eſt ratio eſſendi vni perſonæ, ſit etiam ratio eſſendi alteri perſonæ, cum ordine originis, quo ſignificetur cōmunicatio eiuſdē eſſētialitatis eſſendi.* Prob. Significatur principaliter conſubſtantialitas, quàm habet vna perſona cum alia, ex vi originis. ergo

40 Ad primum negatur aſſumptum. Nam Eſſentia Diuina neque præexiſtit Filio, neque inexiſtit, quia præexiſtentia dicit ſaltem prioritatem naturæ, inexiſtentia verò dicit rationem partis. Ad ſecundum. Conſtitutionem Perſonæ, ex eſſentia, & proprietate eſſe tantum ſecundum noſtrum modum concipiendi, non autem ſecundum diuerſas formalitates, quæ ſe habeant vt actus, & potentia, vnde hæc particula non poteſt importare aliquam conditionem materialem, præſertim quia in Deo non eſt formalis ratio potentiæ, hæc autem particula ſignificat independenter à noſtro modo concipiendi, & exprimit modum realem com-

Digitized by Google

communicationis, prout eſt à parte rei. Ad tertium. Particulam, *De*, ſignificare conſtitutiuum intrinſecum, ſed ſecundum ſubiectam materiam, & ideo diuerſo modo ſignificat in Diuinis, ac in creatis; nam ratione ſubiectæ materiæ in Diuinis ſignificat conſubſtantialitatem.

An actus notionales ſint voluntarij.

SECTIO IV.

41 Actus notionales in ratione voluntarij, & neceſſarij habent aliquid commune, quatenus ambo ſunt obiectum voluntatis, & ex Diuina fœcunditate proueniunt, & aliquid particulare, quatenus vnus eſt per intellectum, & alter per voluntatem. Voluntarium autem eſt duplex, alterum purè obiectiuum, quod correſpõdet cognitioni ſpeculatiuæ, & aliud eſt voluntarium, efficiens, quod tanquam effectus dependet a voluntate, quatenus operatur dependenter à cognitione practica. Rurſus voluntarium vtroque modo acceptum, aliud eſt cum indifferentia, quod fundatur in aliquo contingenti, quod poteſt eſſe, & nõ eſſe, & dicitur voluntarium cõtingens, & aliud abſq; indifferẽtia, & dicitur volũtariũ ſpontaneum, quia voluntas ita tendit in obiectum, vt non poſſit non tendere, & tamẽ ab intrinſeco principio ſe mouet, & cum dominio proprij actus.

42 Dico primò *Actus notionales non eſſe voluntarios cum indifferentia*, eſt de fide ex Concilio Sirmienſi, vt refert Hilarius *lib. 6. de Synodis. Anathematis* 24. Probatur Actus notionalis eſt idem cum Deo, atq; adeo ens per eſſentiam, ergo excludit omnem contingentiam.

43 Dico ſecundò. *Actus notionales non eſſe voluntarios voluntate deliberatiua*, eſt de fide, ex Concilio Toletano 11. *in Profeſs. fidei.* Prob. vbi eſt deliberatio, ibi eſt aliquid contingens, nam deliberatio eſt de ijs, quæ poſſunt eſſe, & non eſſe, vt docet Ariſtoteles 7. *Ethicorum, c.* 1. & 2. In Deo autem nihil eſt contingens.

44 Dico tertiò. *Actus notionales eſſe neceſſarios, neceſſitate intrinſeca*, vnde excluditur quælibet neceſſitas, quæ ab extrinſeco proueniat, ſiue ſit coactionis, ſiue indigentiæ, ſiue ex alia imperfectione. Prob. Fæcunditas Diuina habet ex ſua ratione intrinſecam neceſſitatem eſſendi, cum ſit ipſum ens per eſſentiam, ergo etiam actus notionales, quia non eſt fæcunditas potentialis; ſed in actu 2. vnde dicit actus notionales, quibus exerceatur.

45 Dico quartò. *Actus notionales eſſe voluntarios voluntate concomitanti, ſeu obiectiuè* eſt de fide Matthæi 8. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*, ita docent communiter Patres. Prob. Deus complacet ſibi de ſe ipſo, & de omnibus, quæ ipſi ex intrinſeca neceſſitate conueniunt, vt de ijs, quæ pertinent ad proprium eſſe, ergo etiam de actibus notionalibus.

46 Dico quintò. *Actus notionales eſſe naturales, quatenus ſunt ſecundum exigentiam naturæ Diuinæ, ita tamẽ vt relinquantur in proprio modo tendendi, & cũ ijs proprietatibus quæ ipſis conueniunt ex proprio modo tendẽdi*, & hoc intelligunt Patres, quando tribuunt aliquã naturalitatem, his actibus. Prob. Actus notionales radicantur in infinitate, & fæcunditate Diuinæ naturæ, ergo ſunt naturales, quia ſicuti infinitas, & fæcunditas eſt naturalis Diuinæ naturæ, ita etiam quæ radicantur in ipſis.

47 Obiicitur. Conuenit Deo perfectiſſimus modus, operandi; perfectius autem eſt operari cum deliberatione, ergo. Reſp. Eſt perfectius, quando materia, circa quam verſatur operatio, eſt capax deliberationis, atq; adeo operatio eſt contingens, actus autem notionales, quia ſunt neceſſarij, non ſunt capaces deliberationis.

48 Colligitur ex dictis. Quomodo intelligendi ſint Patres, quando docent, Filium natum eſſe ex voluntate, & conſilio Patris. Volunt enim oſtendere, Patrem non genuiſſe ex aliqua paſſione, aut coactione, ſed cum complacentia, quæ enim facimus cum conſilio, libenter facimus; ideo ad declarandam complacentiam vtuntur nomine cõſilij, intelligentes nomine conſilij illud iudicium practicũ, in quo Pater iudicat, bonum eſſe producere.

An voluntas generandi ſit prior generatione.

SECTIO V.

49 Quæſtio procedit de prioritate non reali, ſed ſecundum noſtrum modum concipiendi. Prima ſententia aſſerit voluntatem generandi præcedere generationem. Ita Scotus *in* 1. *d.* 6. *q. vnica.* Caiet. 1. *p. q.* 41. *art.* 2. Ruiz *diſp.* 94. *de Trinit. ſect.* 2. Amicus 1. *p. diſp.* 22. *ſect.* 3. *nu.* 56. Fundamentum eſt. Quia pater cognoſcens ſuam eſſentiam communicabilem, per generationem, tendit per voluntatem in ipſam vt actu communicetur, atque adeo vult generare.

50 Secunda ſententia aſſerit, voluntatem generandi eſſe tantum concomitantem, non autem priorem. Ita Arimin. *in* 1. *diſt.* 6. *q. vnica.* Capreolus, & Baſſol. *ibidem.* Molina 1. *p. q.* 41. *art.* 2. *diſp.* 2. Vaſquez *diſp.* 160. *cap.* 3. Suarez *lib.* 6. *de Trin. cap.* 4. Cuniga *diſp.* 10. *de Trin. dub.* 2. Horum fundamentum eſt. Quia actus voluntatis eſt ex natura ſua poſterior cognitione, & ideo Pater prius cognoſcit generationem, atque adeo generat, quam velit generare.

51 Dico primò. *Voluntas generandi non eſt prior generatione.* Deſumitur ex Patribus, quatenus docent, voluntatem generandi non antecedere generationem, quamuis enim agant contra hæreticos, qui volebant; Filium genitum fuiſſe in tempore, & ita prius tempore præceſſiſſe voluntatem generandi, adhuc tamen ſequitur, quod volũtas generandi à parte rei, nec tempore, nec natura poſſit eſſe prior generatione, quia ſi eſſet prior, etiam ſolum natura, generatio eſſet dependens, atque adeo non eſſet generatio æterna, & per eſſentiam, vt volebant hæretici. Quod ſi non eſt prior vllo modo à parte rei, quia neque eſt principium, aliàs verbum procederet etiam per voluntatem, nec etiam erit prior ſecundum noſtrum modum concipiendi, quia cum conciperetur prior, tribueretur prioritas, quę illi repugnat.

52 Probatur. Primus actus intellectus eſt prior quocũque actu voluntatis, ergo etiam generatio eſt prior quocunque actu voluntatis; atque adeo nullus actus voluntatis poteſt præcedere generationem. Antecedens probatur. Quia actus voluntatis ex natura ſua eſt poſterior actu intellectus, & ideo debet dari aliquis actus intellectus, qui vt primus præcedat omnem actum voluntatis. Conſeq. prob. Actus intellectus, prout dicit ipſum intelligere, vel eſt poſterior generatione, vt dicemus infra ſuo loco, quia generatio eſt ipſum dicere, quod prouenit à memoria fæcunda Patris, & per productionem verbi conſurgit intelligere, vel ſaltem ita exigit verbum tanquam terminum, vt non poſſit concipi ſine ipſo Verbo terminante, ergo cum intelligere, quod vel conſurgit ex Verbo, vel ipſum exigit tanquam terminum, ſit primus actus Diuini intellectus, quia primus actus eſt ille, qui vel conſurgit ex productione Verbi, vel ad ipſum primò terminatur, Verbum, atque adeo generatio erit prior, quocunque actu voluntatis, atq; adeo nullus actus voluntatis præcedet generationem. Conf. Actus volũtatis, qui præcedit actum intellectus, eſt prior ipſa cauſalitate, quia habet ipſum pro obiecto in ordine ad exiſtentiam, ergo cum cauſalitas in Diuinis tranſeat in principiationem, ſi aliquis actus voluntatis, præcederet generationem, haberet reſpectu ipſius aliquam rationem principiationis, atque adeo voluntas eſſet aliquo modo principium Verbi.

53 Dicendum ſecundò. *Voluntatem Diuinam non verſari circa Diuinam generationem, niſi per actum complacentiæ.* Quod generatio ſit obiectum complacentiæ voluntatis Diuinę, de ſe conſtat, quia eſt obiectum ſummè bonum. Vnde Matthæi 3. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* Quod autem non ſit obiectũ alterius

Digitized by Google

alterius actus. Prob. Voluntas verſatur tantum circa bonum duplici modo, vel illum ſupponẽdo, & amando amore veluti ſpeculatiuo, & per complacentiam, & tendendo in ipſum in ordine ad fruitionem; vel non ſupponẽdo, ſed cauſando bonum, atque adeo amore veluti practico, voluntas Diuina non poteſt hoc poſteriori modo verſari circa Diuinam generationem, quia non ſolum non poteſt habere circa ipſum aliquam cauſalitatem, ſed nec aliquam principiationem, alioquin voluntas eſſet principium generandi, ergo verſatur tantum priori modo, atque adeo per ſolam complacentiam.

54 Ad fundamentum primæ ſententiæ negatur aſſumptum. Nam ſicuti eſſentia Diuina non eſt communicabilis per generationem, quaſi illi conueniat communicabilitas in actu primo, ſed actu, & per eſſentiam communicatur, ita Diuina cognitio, & voluntas non attingunt eſſentiam, vt communicabilem, ita vt poſſit talis actus voluntatis præcedere communicationem, ſed ſolum attingit vt actualiter communicatam per generationem; vnde in eodem ſigno attingit etiam generationem ſiquidem; tàm cognitio, quàm voluntas attingunt Diuinam eſſentiam, vt in ſe eſt, atque adeo non ſecundum communicabilitatem; ſed ſecundum actualem communicationem.

An proceſſio Spiritus Sancti ſit libera.

SECTIO VI.

55 PRima ſententia eſt negatiua; aſſerens eſſe tantum ſpontaneam, & voluntariã, ita tamen, vt ſit naturalis, quatenus procedit à principio determinato ad vnum. Deſumitur ex D. Thoma 1. *p. q.* 41. *art.* 2. & eam tradit. Caiet. *ibidem.* Bannes *dub.* 2. Molina *diſp.* 2. Vaſquez *diſp.* 162. *cap.* 3. Capreolus *in* 1. *diſt.* 10. *q.* 1. *art.* 1. Ariminen. *art.* 2. Ruiz *diſp.* 91. *de Trinit. ſect.* 2. & alij. Prob. Actus liber non eſt ex principio determinato ad vnum, ſed indifferenti, ergo; ſecundò. Neceſſitas antecedens, quam voluntas non poteſt tollere, repugnat libertati. Huiuſmodi autem eſt neceſſitas ſpirandi; tertiò. Niſi ad libertatem eſſet neceſſaria indifferentia, motus primò primi eſſent liberi, & imputarent ad peccatum, ergo; quartò. Si ad libertatem ſufficeret agere ex ſola cognitione, etiam bruta agerent liberè. ergo

57 Secunda ſententia, licet concedat productionem Spiritus Sancti eſſe neceſſariam, vult tamẽ libero modo procedere. Ita Scotus *in* 1. *diſt.* 20. *q. vnica* §. *Aliter dico.* Lichet. *ibidem.* Baſſol. *art.* 3. Maior *q.* 1. Rubio *q.* 2. Ocham, & Gabriel *ibidem.* Marſil. *in* 1. *q.* 23. Rada 1. *p. controuer.* 13. Smiſing. *diſp.* 3. *de Deo Trino, q.* 6. *n.* 311. & communiter Scotiſtæ.

57 Notandum primò. Aliud eſſe conſiderare libertatẽ ſecundum ſubiectam materiam, ſeu in ordine ad obiectum & aliud ſecundum ſe præciſè. Primo modo importat illas conditiones, quæ radicantur in obiecto ex eo, quod ab ipſo determinatur, vt tendat tali, vel tali modo; vnde quod voluntas feratur in obiectum cum indifferentia, prouenit ex conditione obiecti, quia proponitur cum indifferentia obiectiua; ſecundo autem modo illud tantum importat, quod fundatur in eius præciſa virtute.

58 Notandum ſecundò. Quando Patres docent, libertatem conſiſtere in indifferentia, illam conſiderant ſecundum conditionem, quam habet ratione obiecti, formalis tamen ratio potentiæ liberæ ſaluatur ſine indifferentia, quia ſaluatur totum illud poſitiuum, quo voluntas libero modo ſe mouet, vt docet D. Aug. *c.* 105. *Enchiridij*, vbi loquẽs de ſtatu beatitudinis, ait. *Poſtea verò ſic erit, vt mala velle non poſſit, nec ideo libero carebit arbitrio; multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit ſeruire peccato, &* D. Anſel. *Dialog. de libero arbitrio, cap.* 1. ait. *Libertatem arbitrij non eſſe potentiam peccandi, & non peccandi, quippe ſi hoc eius eſſet definitio, nec Deus, nec Angelus, qui peccare nequeunt liberum haberent arbitrium, quod nefas eſt dicere.*

59 Notandum tertiò. Libertatem, vt ſe tenet præciſè ex parte potentiæ in eo conſiſtere, quod voluntas habet dominium ſupra proprium actum; exercet autem hoc dominium, quatenus vtens menſura, & regula rationis, quam ſibi format mouendo intellectum ad formandum propriũ dictamen rationis, determinat propriam operationem, vt ſit ſecundum talem vel talem menſuram.

60 Notandum quartò. Libertatem poſſe ſtare cum determinatione ad vnum, quando obiectum non poteſt proponi cum indifferentia obiectiua; adhuc enim voluntas exercet dominium ſupra propriam operationem, quatenus eam determinat, ſecundum menſuram rationis, & proinde procedit cum iudicio menſuratiuo, & approbatiuo intellectus.

61 Notandum quintò. Libertatem poſſe conſiderari ſecundum ſuam formalem rationem, & ſecundum exiſtẽtiam. Primo modo dicit modum attingendi obiectum. ſecundo modo dicit propriam actualitatem. Hinc neceſſitas ſecundum rationem exiſtendi non opponitur libertati, quia non deſtruit modum attingendi obiectum; ſed tantum facit, quod neceſſario exiſtat.

62 Dicendum eſt. *Proceſſionem Spiritus Sancti eſſe liberam libertate perfectiſſima.* Prob. Proceſſio Spiritus Sancti eſt ex fœcunditate ſummi boni, quod ita proponitur amandum, vt ſimul intellectus iudicet, voluntatem debere amare, & voluntas Diuina ex intrinſeca ſua ratione determinatur ſecundum menſuram cognitionis ad tendendum in obiectum, ita vt ex ſe habeat illam determinationem, & per eſſentiam, quam in ſe cauſaret, ſi produceret proprium actum, ergo procedit libero modo, quia habet eminentiſſimo modo, & ex ſe illum modum tendendi, quem habet voluntas creata ex eo, quod tendat cum Dominio, ſupra propriam operationem.

63 Dices. Ex hoc tantum ſequi, quod proceſſio ſit voluntaria; non autem libera. Contra. Etiam actus, qui non ſunt ex perfecta cognitione intellectus, ſunt voluntarij, vt motus primi, ergo quando actus eſt ex perfecta cognitione, ita vt ſit menſura formata ab ipſo intellectu pro determinando actum voluntatis, & voluntas ſe ipſam mouens ea vtatur, non ſolum actus erit voluntarius, ſed etiam liber.

64 Ad primum reſpondetur. Actum liberum non requirere neceſſariò indifferentiam, vt patet ex dictis. Ad ſecundum negatur minor. Quia ſpiratio non eſt neceſſaria neceſſitate antecedenti, quæ tollit libertatem; ſed tantum neceſſitate ſibi intrinſeca non ſecundum modum tendendi, ſed ſecundum exiſtentiam.

Ad tertium neg. ſequel. Nam motus primi non ſunt liberi, quia per ipſos voluntas mouetur ex impreſſione obiecti, non autẽ ſe ipſam mouet: vnde nec habet dominiũ ſupra ipſos. Ad quartum negatur ſequel. Nam Bruta non agunt liberè, quia non habent menſuram rationis, ſecundum quam ab intrinſeco determinent proprias operationes.

Quiſnam ſit terminus actuum notionalium.

SECTIO VII.

65 TErminus totalis eſt ipſa perſona, ſufficit enim, ſi ſecundum aliquid producatur, vt poſſit eſſe terminus; ſic etiam in creatis producitur ſola forma, & non materia, & tamen terminus totalis eſt compoſitum, difficultas ergo tantum eſt de termino formali.

66 Prima ſententia vult, eſſe ipſam eſſentiam, ita Scotus *in* 1. *diſt.* 5. *q.* 2. Capreolus *q.* 1. Vaſquez 1. *p. diſput.* 162. *cap.* 3. Suarez 6. *de Trinit. cap.* 6. Cuniga *diſp.* 16. *de Trin. dub.* 9. Ruiz *diſp.* 97. *ſect.* 7. & communiter Recentiores. Prob. Terminus formalis, *Quo*, eſt ille, per quem terminus, *Quod*, accipit eſſe, hoc autem eſt eſſentia Diuina, ergo.

go. Secundò. In productione vniuoca producens aſſimilat ſibi productum ſecundum formam, & forma eſt terminus, *quo*, vnde in generatione terminus *quo*, eſt natura ſecundum quā genitum aſſimilatur genitori, ergo. Tertiò. In Reſurrectione terminus formalis eſt anima, licet non producatur, ergo etiam eſſentia Diuina, licet non producatur, erit terminus *Quo*.

67 Secunda ſententia vult, terminum formalem eſſe perſonam productam, quæ tamen eſt terminus formalis totalis; negat autem, dari in Diuinis terminum formalem contradiſtinctum à totali. Ita Ocham. *in* 1. *diſt*. 5. *quæſt*. 3. Gabr. *art*. 2. Arimin. *q*. 2. *art*. 2. Aureol. *art*. 2.

68 Dico primò. *Eſſentia præcisè accepta ſecundum rationem eſſentiæ non eſt terminus formalis*. Probatur. Si eſſentia eſſet terminus formalis, cum in perſona producta nihil aliud ſit, quam eſſentia, & relatio, ſequeretur, quod eſſentia ex ſe diceret rationem termini formalis, ergo cum conueniat omnibus perſonis, quod conuenit vni, ratione eſſentiæ, ratio termini formalis eſſet in qualibet perſona, quod eſt falſum.

69 Dices. Eſſentiam importare rationem termini, prout coniungitur cum relatione perſonę productæ. Contra, ſi ex ſe formaliter diceret rationem termini, eſſet id, quo formaliter terminus totalis conſtitueretur in eſſe termini, ergo vbicumque eſſet eſſentia, ibi eſſet terminus, quia poſita ratione formali, ponitur etiam effectus.

70 Dico ſecundò. *Eſſentiam ſub ratione communicati eſſe terminum formalem, ita vt ratio communicati, formaliter conſtituat eſſentiam, in eſſe termini*. Probatur. Ex vi productionis formaliter habetur Diuina eſſentia ſpeciali modo communicata, ergo. Conſequentia probatur. Quia ille eſt terminus formalis, ad quē tendit productio, & eſt ratio, cur productum ſub ſpeciali ratione proueniat à producente, & correſpondeat fœcunditati principij; hoc autem habet terminus in Diuinis ratione eſſe communicati.

71 Dico tertiò. *Eſſentiam ſub ratione communicati importare eſſe notionale perſonæ productæ; vnde terminus formalis, vt, quo, importabit eſſentiam, cum determinatione notionali, ſeu totum eſſe perſonæ conſideratum per modum abſtracti*. Probatur. Terminus formalis vt, *quo*, correſpondet principio, vt, *quo*, principium autem vt, *quo*, eſt vis communicatiua determinata à tali eſſe notionali, ergo terminus vt, *quo*, erit eſſentia communicata, vt determinata per tale eſſe notionale. Confirmatur. Ratione eſſe notionalis perſonæ productæ diſtinguuntur in ratione geniti, & ſpirati, ergo etiam in ratione termini formalis, quia ratione termini formalis habent proprium modum productionis, ergo eſſe notionale eſt etiam conſtitutiuum termini formalis.

72 Ad primum reſpondetur. Terminum formalem, *quo*, non ſolum eſſe id, per quod res accipit eſſe; ſed etiam, per quod accipit diſtinctionem à producente, & in ſuo eſſe ſpecifico conſtituitur, & per quem terminat productionē, prout tali modo tēdit, hæc autem non ſaluantur in Diuinis ratione ſolius eſſentiæ, ſed requiritur etiam eſſe notionale, vt patet ex dictis. Ad ſecundum. In creatis ſolum formam eſſe terminum formalem, quia poteſt fundare omnes conditiones, quas non poteſt fundare ſola eſſentia Diuina, & quia ad productionem vniuocam requiritur ſimilitudo ſecundum eſſe, ideo in Diuinis eſſentia ingreditur terminum formalem, & proinde in creatis natura eſt terminus formalis generationis, quia habet omnes conditiones termini formalis, nam producitur, & diſtinguitur à producente, quod non conuenit eſſentiæ Diuinæ præciſè. Ad tertium. In reſurrectione terminum formalem non eſſe animam præciſè, ſed vt denouo informantem corpus, ita vt informatio cōſtituat ipſam in eſſe termini, vnde etiam in Diuinis eſſentia Diuina non præciſe, ſed ſub ratione communicati erit terminus formalis.

DE DISTINCTIONE, ET qualitate actuum notionalium.

DISPVTATIO LXV.

In quo diſtinguantur actus notionales.

SECTIO I.

1 Dico primò. *Proceſſionem verbi eſſe generationem*. Eſt de fide contra Arrianos, qui negabant, Filium eſſe genitum, ne concederent eſſe conſubſtantialem Patri. Probat. Pſalm. 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te*. Intelligitur autem de ſecunda perſona Trinitatis incarnata, vt explicatur ad Hebręos quinto, & Chriſtus Matthæi 22. affert hunc locum ad probandam propriam Diuinitatem; Matthęi 3. *Hic eſt filius meus dilectus & cap*. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Marci 14. *Filius Dei benedictus*, & definitum eſt in Symbolo Nicæno, & in Symbolo D. Athanaſij.

2 Dico ſecundò. *Solum proceſſionem verbi eſſe generationem, non autem proceſſionem Spiritus Sancti, & in hoc vna diſtinguitur ab alia*. Eſt de fide. Prob. In Scripturis Filius vocatur frequenter vnigenitus, Ioan 1. *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris*, 1. Ioan. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum vnigenitum miſit Deus*. Vnde Patres communiter colligunt. In Diuinis eſſe vnicam tantum generationem, & definitum eſt in Symbolo Apoſtolorum. *Et in vnum dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum*, & in Symb. Athanaſij *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus nec genitus, ſed procedens*. Ratio autem eſt. Quia, ſi eſſent plures generationes; ſicuti diſtinguerentur in ratione generationis, ita etiam limitato modo ſe haberent, nam omnis diſtinctio, quæ non eſt ex oppoſitione relatiua, eſt ex limitatione.

3 Dico tertiò. *Proceſſionem verbi eſſe propriè generationem abſque metaphora*, eſt de fide contra Arrianos. Prob. 1. Ioann. 5. *Vt ſimus in vero filio eius*. Præterea Filius eſt conſubſtantialis Patri, vt ſuo loco oſtenſum eſt, & ideo ita generatur, vt ſit eiuſdem naturæ cum ipſo, ergo Filius abſque metaphora.

4 Dico quartò. *Generationem Diuinam eſſe eminentioris rationis, quàm ſit creata, atque adeo ratione perfectionis longè diuerſam*. Deſumitur ex D. Thoma, 1. *p. q.* 33. *art*. 2. *ad* 4. *& lib*. 4. *contra Gentes cap*. 11. & ex D. Baſilio *lib*. 5. *contra Eunomium*, vbi ait. *Neq. enim Filius, neque generatio proprium Deitatis eſt, ſed ex humana ſimilitudine adductum*, ex Nazian. orat. 17, num. 18. *Non enim, quia ſecundum excelſiorem quandam relationem filius eſt filius, quod videlicet aliter, quàm hoc modo, indicatur, negaremus id, quod ex Deo eſt eſſentiale idem cum ipſo, idcirco terrena quoque omnia, cognitioniſque noſtræ nomina ad eum neceſſariò transferenda, putandum eſt*. Et idem etiam docet D. Dionyſius *c*. 5. *de myſtica Theologia*. Prob. Vt ſeruetur idem conceptus ſecundum eſſe formale vniuoco modo, debet ſeruari etiam eadem ratio obiectiua formalis; hæc autem non ſeruatur, quotieſcumque adeſt diuerſitas perfectionis formalis, vt contingit in generatione creata, & Diuina, ergo

5 Dico quintò. *Licet generatio Diuina ſecundum ſuam formalem rationem infinitè diſtet à creata, rectè tamen explicatur per conceptum creatum detractis imperfectionibus*. Probatur. Ad explicanda Diuina non habemus alios conceptus, quàm rerum creatarum, ergo.

6 Obijcitur. Vnigenitus dicitur etiam de eo, qui habet

Digitized by Google

bet alios Patres; vnde Prouerbio. 4. Salomon dicitur vnigenitus, ergo non ex eo, quod in Diuinis filius dicitur vnigenitus, ſequitur, Spiritum Sanctum non eſſe filium. Reſpondetur. Nomen vnigeniti propriè dici de eo, qui non habet fratres; metaphoricè autem etiam de eo, qui habet fratres ad ſignificandam ſpecialitatem amoris, quo amantur vnigeniti, ſecundum hanc autem ſignificationem non habet locum in Diuinis, quia cum in filio, & Spiritu Sancto ſit eadem ratio amabilitatis, non poteſt vnius magis ſpecialiter amari, quam alter.

7 Obijcitur ſecundò. Filius eſt primogenitus ad Hebræos 1. Ad Romanos 8. Ad Coloſſ. 1. ergo Spiritus Sanctus eſt ſecundogenitus. Reſpondetur. Dici primogenitum in ordine ad creaturas, vt colligitur ex contextu, & intelligitur de Filio, vt homo, eſt quatenus Chriſtus eſt primus prædeſtinatorum, & primus ex ijs, qui reſurrexerunt.

Quid requiratur ad formalem rationem generationis.

SECTIO II.

8 VT aſſignetur ratio, cur proceſſio Spiritus Sancti non ſit generatio, videndum eſt, quid requiratur ad formalem rationem generationis. Sumitur autem generatio pro ea, quæ exercetur inter viuentes, & definitur; *origo viuentis a viuente per principium vitæ, coniunctum in ſimilitudinem naturæ*. Dicitur *Origo* loco generis. Dicitur *Viuentis à viuente* vt determinetur ad ſolam generationem, viuētium, & ſignificetur eſſe actionem vitalem: vndè nomen viuentis ſumitur formaliter, quia iſta origo debet exerceri inter viuentia, quatenus talia. Addit. à *Principio vitæ coniuncta*, vt ſignificetur, debere genitum accipere ſubſtantiam, quæ ſit propria generantis, ita vt in virtute ipſius, incipiat viuere ex eo, quod vita in ipſo contineatur, vt in radice. Denique debet eſſe. *In ſimilitudinem naturæ*: Quia viuens communicando ſubſtantiam genito, debet miniſtrare principium, quo genitum viuat eadem vita, qua viuit generans. Difficultas, ergò eſt, an iſta ſimilitudo in natura debeat haberi ex vi modi formaliſſimi tendendi generationis, an verò ſufficiat, ſi quocunque modo habeatur.

9 Recentiores ferè communiter cum Caiet. Ferrarien. Capreol. & cæteris Thomiſtis, vt ſoluent, quomodo Verbum ſit genitum, & non Spiritus Sāctus, docent, Genitum debere procedere ſimile in natura ex vi formaliſſimi modi tendendi generationis. Prob. Si homo eleuaretur, vt per creationem, aut tranſubſtantiationem produceret aliū hominem, non generaret; quia productio ex proprio modo tendendi, non produceret ſimile in natura, ergo; ſecundò. Idem terminus poteſt produci per generationem, & creationem, ergo productio diſtinguitur tantum ex modo tēdendi; tertiò. Quod ex generatione producitur ſimile, debet eſſe intra eandem lineam ſpecificam generationis, ergo generatio ex formaliſsimo modo tendendi, debet producere ſimilem.

10 Dico primò. *Similitudinem in natura debet haberi ratione generationis, ita vt generatio ex natura ſua ponat ſimilitudinem*. Prob. ſimilitudo in natura nōn ſe habet per accidens, ſed per ſe ad generationem, ergo generatio ex natura ſua eſt illatiua ſimilitudinis, alioquin non ſe haberet per ſe.

11 Dico ſecūdò. *Vt ſimilitudo habeatur ex natura generationis, ſufficit ſi ex intrinſeca ſua ratione communicet eandem naturam, quam habet generans, nec requiritur quod ex formaliſſimo modo tendendi ſit aſſimilatiua*. Probatur. In creatis ſaluatur vera ratio generationis, & tamen ex formali modo tendendi non aſsimilat, ergo talis aſsimilatio non requiritur. Antecedens probatur. Generatio in creatis procedit tantum communicatiuo modo, & tendit ſolum ad conſubſtantialitatem ſpecificam; non autem modus tendendi eſt aſsimilatiuus exprimendo ſimilitudinem repræſentatiuam generantis, in ratione obiecti, vt contingit in generatione Diuina, ergo. Confirmatur. Quando productio ex vi modi tendendi ponit aliquid in termino, illud importat in ſe formaliter, vt eſt in fieri, generatio autem hominis non importat in fieri ſimilitudinē; nam ſimilitudo habetur ratione Animæ, quæ non importatur, vt in fieri, per generationem.

12 Ad primum Reſpondetur. Illas productiones non futuras generationes, quia homo ſic eleuatus non produceret, quatenus viuens, neque actione vitali, neq; per principium vitæ coniunctum. Ad ſecundum. Productiones poſſe quidem ſpecie diſtingui ex ſolo modo tendendi, ſolum tamen ſequitur, quod ſi tenderet aſsimilatiuo modo, eſſet formale conſtitutiuum generationis, & poſſet illam diſtinguere ab omnibus alijs productionibus, ſed non eſt eius formale conſtitutiuum, vt patet ex dictis. Ad tertium negatur conſeq. Nam per generationem producitur ſimile intra eandem lineam ſpecificam, quia generatio ex intrinſecis ſuis principijs, eſt communicatiua eiuſdem naturæ; abſque eo, quod procedat aſsimilatiuo modo.

Cur prima proceſſio ſit generatio, & non ſecunda.

SECTIO III.

13 RAtio dubitandi, eſt. Quia etiam Spiritus S. procedit viuens à viuente per principium vitæ coniunctum, quia illi communicatur Diuina ſubſtantia, & in ſimilitudinem naturæ; nam habet eandem naturam, quam habet Pater, & filius, & eſt omnino ſimilis. Vt autem hanc difficultatem reſoluamus, nonnullæ explicationes examinandæ ſunt.

14 Prima eſt Canariens. *q. 27. de Trinit. art. 2. p. 3. Comentar.* Vaſquez 1. *p. diſp.* 113. *cap.* 6. Ruiz *diſp. 7. de Trinit. ſect.* 1. & aliorum, qui volunt, Verbum ideo eſſe genitum, & non Spiritum Sanctum, quia Verbum procedit vt Imago expreſſa Diuinæ eſſentiæ ex eo, quod producitur per cognitionem, de cuius ratione eſt exprimere imaginē obiecti. Nec tamen ſententia impugnatur a Suarez 11. *de Trinitat. cap.* 5. Cuniga *diſput.* 2. *de Trinit. dub.* 20. & alijs.

15 Dico primò. *Filius ex eo, quod eſt filius, eſt etiam imago Patris*, ita communiter Patres præſertim Nazian; *orat.* 36. Clemens rom. *Epiſtola 1. ad Iacobum*. Prob. De ratione generationis eſt, vt viuens procedat à viuente in ſimilitudinem naturæ, ſtante autem hac ſimilitudine genitum repræſentat genitorem in eſſe naturę.

16 Dico ſecundò. *Quando Patres docent, Filium eſſe Filium, quia eſt imago Patris, procedunt à poſteriori, ita vt ex ratione imaginis colligant eſſe filium*. Probat. Ratio imaginis conſequitur ex eo, quod in generatione communicatur eadem natura, & fundatur in ipſa, ergo à poſteriori ſe habet.

17 Dico tertiò. *Rationem imaginis, quæ eſt propria filij, eſſe imaginem naturalem, non autem illam, quam dicit præciſè Verbum, vt Verbum eſt, & ideo non rectè aſſignari rationem, quod Filius ſit genitus, ex eo, quod procedit vt Verbum*. Deſumitur ex Patribus, qui quando dicunt, Filium eſſe genitum ex eo, quod eſt imago, intelligunt de imagine naturali, quæ importat conſubſtantialitatem. Ita Athanas. *orat. 2. contra Arrianos*. Baſilius 2. *contra Eunom.* Hilarius *lib. de Synodis ad can. 3. orientalium*. Vbi ait. *Hoc verè eſt eſſe filium, Paternæ ſcilicet formæ veritatem coimaginatæ in ſe naturæ, perfecta ſimilitudine retuliſſe*.

Prob. In creatis Filius verè generatur, & tamen non habet aliquām rationem imaginis per modum ſpeciei expreſſæ, ergo in Diuinis ratio imaginis, per modum ſpeciei expreſſę non dat formaliter eſſe filij, quia filiatio, & generatio proportionaliter reperiuntur in Diuinis, & creatis.

18 Di-

eſt de fide ex Symbolo Athanaſij. *Nec tres immenſi, ſed vnus immenſus*. Probatur: immenſitas importat actum eſſendi vbique per eſſentiam, atque adeo eſſe præſens ex vi ſuæ eſſentiæ, ergo importat perfectionem ſimpliciter infinitam, quia eſſe neceſſariò vbique præſens dicit actum eſſendi neceſſarium; perfectio autem ſimpliciter infinita non poteſt plurificari.

27 Dico tertiò. *Non dari tres durationes relatiuas*. Deſumitur ex Nazianz. *orat.* 17. vbi ponderans illud Ioã. 1. *Erat lux vera*, ait *Erat, & erat, & erat; ſed vnum erat. Lux, & lux, & lux; ſed lux vna, Deus vnus*. Prob. vel duratio relatiua eſſet participata; vel non. Si primum; ergo aliquid participatum eſſet in Deo. Si ſecundum; ergo eſt ęternitas, quia duratio imparticipata importat formaliter æternitatem, quæ non poteſt plurificari.

28 Dico quarto. *Neque dari tres vbiquitates relatiuas*. Prob. Tum quia perſonalitates non ſunt vbique, niſi prout ſunt in eſſentia: Tum quia vbiquitas conſequitur tantum eſſe infinitum ſimpliciter.

29 Obij. Duratio ſe habet vt prędicatum tranſcendens, ergo plurificatur. Reſpond. Quidquid ſit de antecedenti, negando conſequentiam. Quia in Deo non eſt alia ratio durationis, pręter æternitatem, cui repugnat plurificari.

An tres Perſonæ diuinæ ſint tres entitates, & tria entia.

SECTIO V.

30 QVæſtio nõ procedit de ente adiectiuè ſumpto, quia certũ eſt, poſſe dici tria entia adiectiuè, cum nihil aliud ſignificet, niſi quod ſint tria habentia eſſe, ſed procedit de ente ſubſtantiue ſumpto.

Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita *Ledeſma quæſt. 3. de diuin. perfectione art. 3.* Suarez 3. *de Trinit. cap. 6.* Ruiz *diſp. 26. de Trinit. ſect. 2.* Smiling. *diſp. 1. quæſt. 4. num. 69.* Amicus 1. *part. diſp. 19. ſect. 7. num.* 184. & ferè communiter recentiores. Prob. important triplex eſſe perſonale, ergo triplex ens ſecundo. Sunt tres relationes reales ſecundum proprias rationes, ergo tria entia. Confirmatur. Plurificato inferiori plurificatur ſuperius, ergo ſi plurificantur relationes, plurificatur etiam ens.

31 Secunda ſententia eſt negatiua, ita D. Thomas *in 1. diſt. 25. q. vnica art. 2. ad 4.* D. Bonau. *diſt. 23. art. 2. q. 2. ad vltimum*. Alens. 1. *p. quæſt. 49. memb. 3.*

32 Dico primo. *Ens non plurificari relatiuè; nec diuinas perſonas eſſe tria entia, ſeu tres entitates*. Probatur. Si plurificaretur, ratio entis in diuinis perſonis, vel iſta ratio entis eſſet infinita in ratione entis; vel non. Si primum. Contra. Quia infinitum ſimpliciter non poteſt plurificari, quod autem eſt infinitum in ratione entis, eſt infinitum ſimpliciter. Si ſecundum; ergo eſt finitum, atque adeo aliquid finitum in Deo.

33 Dices pręſcindere ab eſſe finito, & infinito. Contra. Eo ipſo, quod pręſcindit, non includit id, à quo præſcindit, ergo limitatur, vt non ſit quælibet ratio entis, & finito modo ſe habet, ſi quidem limitatur, vt non ſit id, à quo præſcindit.

34 Dices ſecundo. Eſſe infinitum in genere, non autem ſimpliciter. Contra. Implicat infinitas entis in genere, nam infinitas in genere eſt ratio aliqua determinatiuà generis, ens autem non eſt in aliquo genere determinato, & ideo ſi eſt infinitum in ratione entis, erit infinitum ſimpliciter. Rurſus infinitum in genere clauditur intra terminos generis, nec ſe extendit ad habendum, quod important alia genera. Quod autem clauditur intra terminos, eſt finitum.

35 Dico ſecundo. *Plurificari modus entis, ita vt vnum, & idem ens ſit cum tribus modus eſſendi, qui ſint ens, & aliquid vna, & eadem ratione entis.* Prob. perſonæ, inter ſe realiter diſtinguuntur, & quælibet habet proprium characterem perſonalem, ergo cum non poſſit plurificari ratio entis, plurificabitur modus eſſendi.

36 Dices. Hi modi eſſendi ſunt aliquid, atque adeo ens, ergo ſi plurificantur, plurificatur etiam ens. Reſpondetur. Eſſe ens, non propria ratione entis, ſed ea, qua ipſa eſſentia eſt ens; quæ cum ſit infinita, eſt ratio eſſendi cuilibet formalitati reali, quæ ſit in Deo.

37 Ad primum reſpondetur; Si per eſſe perſonale intelligatur terminus, & modus eſſendi, conceditur plurificari, ſi vero intelligatur ratio entis, negatur aſſumptum. Ad ſecundum. Relationes eſſe tres ſecundum rationem relationis, & eſſe reales vna, & eadem ratione entis, vnde per tres diuerſas rationes ſunt relationes, per eamdem autem ſunt reales. Ad Confirmationem. Relationem, & ens in diuinis non ſe habere vt ſuperius, & inferius, quia quidquid eſt ens in Deo, eſt ens per eſſentiam, quod eſt eſſentialiter ſingulare, non autem aliquid commune, ſuperius, vnde cum non ſe habeat per modum ſuperioris, nec relationes determinant ens per eſſentiam, vt aliquid inferius, ſed vt termini perſonales.

38 Inſtabis. Ergo ſaltem ens vt ſic plurificabitur, quia non eſt infinitum, nec per eſſentiam. Reſpondetur neg. ſequel. Quia ens in Deo eſt determinatum, vt ſit imparticipatum, & per ipſum vt tale, omnia ſunt quid reale; vnde cum ipſi repugnet plurificatio, nec alia ratio entis ſit in Deo, nulla plurificatio erit in ipſo, ſecundum rationem entis. Neque enim in Deo eſt ratio entis, vt ſic vt alibi dictũ eſt, quia talis ratio entis, eſt diuiſibilis, & finita, ſed tota ratio entis, quæ eſt in Deo, eſt ſecundum ſe totam, & totaliter per eſſentiam.

An tres Perſonæ ſint tres res.

SECTIO VI.

39 SVpponendum eſt. Quamlibet perſonam diuinam eſſe rem, quia in ſe habet ſuum eſſe ratum, & ſtabile, vnde Auguſt. 1. *de doctrina Chriſtiana, cap. 5.* ait. *Res igitur, quibus fruendum eſt, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus eſt*. Vnde aſſerere perſonas diuinas non eſſe res, idem eſt, ac aſſerere non eſſe à parte rei.

40 Supponendum ſecundo. Rem ex vi ſuę ſignificationis indifferenter ſe habere ad ſignificandum ſubſtantiuè, vel adiectiue, quia ex ſe importat tantum illud ratum ſe habere in ſuo eſſe ſiue reali, ſiue obiectiuo, quod conuenit tam ijs, quæ ſubſtantiuè ſignificantur, quam ijs, quæ ſignificantur adiectiuè, quia tam forma, quàm habens formam eſt aliquid ratum in ſuo eſſe.

41 Prima ſententia eſt negatiua, ita Henricus 1. *p. ſum. art. 34. quæſt. 2.* Alens. 1. *p. q. 68. memb. 4. dub. 7.* Arimin. *in 1. diſp. 27. q. vnica, art. 2. concluſione 3.*

42 Secunda ſententia aſſerit, tres perſonas eſſe tres res. Ita D. Thomas, 1. *part. quæſt. 39. art. 3. ad 3.* & cum eo communiter.

43 Dico primo. *Eſſe tres res adiectiuè: hoc eſt tres habentes formam realitatis*, & hoc intendũ Patres, quando dicunt, Perſonas diuinas eſſe tres res, vt D. Anſelmus, c. 3. *de Incarnatione verbi* vbi ait. *Solemus vſu dicere rem, quidquid aliquo modo dicimus eſſe aliquid: qui autem dicit de Deo Patrem, aut filium, aliquid de Deo dicit, & omnes ſciunt in Deo Patrem non eſſe filium*. Prob. Sunt tres habentes eſſe firmum & ratum à parte rei, ergo ſunt tres res adiectiuè.

44 Dico ſecundo. *Perſonas diuinas non eſſe tres res ſubſtantiuè, ſed tantum vnam*. Prob. ex cap. *Damnamus. De ſum. Trinit.* vbi habetur. *Trinitas eſt vna ſumma res, quæ eſt veraciter Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, ergo ſi tres perſonę diuinę ſunt vna ſumma res, non ſunt tres res.

45 Dices. Eſſe vnam rem ſecundum eſſe abſolutum. Contra ſi ſolum, ſecundũ eſſe abſolutũ eſſet vna res, Deus tantum eſſet vna res, non autem Trinitas, ſed Trinitas eſt vna res ex allata definitione, ergo ſecundo. Hęc vna res, nõ

ſolum

Digitized by Google

ſolum eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſeu tres perſonæ ſimul, ſed etiam vt ibi habetur, ſingillatim quælibet ipſarum; ſi autem eſſent tres res relatiuæ, vna res non eſſet quęlibet ipſarum ſingillatim, quia res, quæ eſſet vna perſona, non eſſet alia, nec Pater eſſet omnino idem, ac filius, contra dictam definitionem. Confirmatur. Vbi definitur; Trinitatem eſſe vnam rem, quæ ſit ſingillatim quælibet perſona, itaut vna perſona ſit omnino idem, quod altera, vt excludatur quaternitas; non excluderetur autem, ſi perſonæ diuinæ eſſent tres res relatiuę, quia eſſet in Deo vna res abſoluta, & tres relatiuę.

46 Dico tertiò. *Perſonas diuinas eſſe vnam rem cum tribus modis habendi realitatem.* Prob. Hæc res, quæ eſt Trinitas, eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, atque adeo dicit in ſe rationes characteriſticas ipſarum, ergo importat diuerſos modos habendi ratitudinem, quia ſicuti hæ rationes characteriſticę determinant naturam, ita etiam determinant rem ſubſtantiuè acceptam, quę eſt natura diuina, ad diuerſos modos ſe habendi, ſecundum ſuam ratitudinem.

47 Obij. Quælibet relatio importat ſuam formam relatiuam, quæ eſt aliquid reale, ergo ſunt res ſubſtantiuè. Reſp. negando antecedens. Quia relatio importat tantum modum habendi realitatem, vnde non eſt quid reale, niſi per realitatem eſſentiæ.

48 Obij. ſecundò; perſonę diuinæ diſtinguuntur realiter, ergo ſunt tres res. Reſpond. Non diſtingui realiter in eſſe rei; ſed tantum in modo habendi eandem rem, quia ſolum diſtinguuntur ratione originis, per quam eadem res communicatur; vnde debent importare tantum plures modos habendi ratitudinem.

49 Obij. tertiò. Res eſt tranſcendens, ergo plurificatur ad plurificationem eorum, in quibus eſt. Reſpond. Plurificari, quando ea, in quibus eſt important rationem talis rei, non autem quando important plures modos habendi eamdem rem; Deinde tranſcendentia ſolum plurificantur ad plurificationem eorum in quibus ſunt, quando ſe habent per modum ſuperioris. In diuinis autem res, non ſe habet per modum ſuperioris reſpectu inferiorum, cum ſit eſſentialiter ſingularis, vt dictum eſt ſupra etiam de ratione entis.

An plurificentur in Perſonis cætera tranſcendentia.

SECTIO VIII.

50 DE vnitate dictum eſt in ſuperioribus, ſicuti etiam de bonitate, ſeu perfectione, vnde reſtat ſolum difficultas de veritate.

Prima ſententia aſſerit, plurificari. Ita Vaſquez 1. *p. diſp.* 122. *c.* 7. Suarez 3. *de Trinit. cap.* 8. & ferè communiter recentiores.

Probatur. Relatio diuina habet propriam conformitatem cum intellectu, in quo conſiſtit veritas, ergo. Secundò. Perſonæ diuinæ nedum ſunt verus Deus, ſed etiam; talis perſona vera; vnde Patres docent, Patrem eſſe verè Patrem. Filium eſſe verè filium, ergo. Tertiò in Chriſto non eſt veritas perſonæ humanæ, ergo perſonalitas dicit propriam veritatem. Quartò in perſona libris poſſunt fundari aliquæ veritates enunciatiuę, vt quod Pater generet, filius non generet, ergo habent propriam veritatem tranſcendentalem.

51 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita D. Thomas *in* 1. *diſt.* 19. *quæſt.* 5. *art.* 3. Richar. *art.* 3. *quæſt.* 3.

52 Dico primò. *Perſonas diuinas eſſe tres veritates adiectiuè, hoc eſt tres veras perſonas, & hoc ſufficere vt ſingulæ dicantur veræ.* Prob. ſingulę perſonę habent in ſe diuinam eſſentiam, & eiuſdem veritatem, ergo ſunt tres verè adiectiuè, hinc Damaſus Papa *in Anathemat. contra hæreſes Apollinaris, & Arij*, anathematizat eum, qui tres perſonas non dixerit veras.

53 Dico ſecundò. *Perſonas diuinas non importare tres veritates ſubſtantiuè.* Deſumitur ex D. Anſelmo *cap.* 23. Proſolog. ibi. *Verbum tuum ſic eſt verum, quomodo tu verax, & idcirco eſt ipſa veritas, ſicut tu, & non alia, quam tu.* Auguſt. 7. *de Trinit. cap.* 2. vbi inquit. *Pater igitur, & filius ſimul vna eſſentia, & magnitudo, & vna veritas, & vna ſapientia.* Prob. Tota veritas, quę eſt in Deo, eſt imparticipata, ita vt non ſit aliqua ratio veritatis, quæ non ſit veritas per eſſentiam, quia quidquid eſt in Deo, eſt tale per eſſentiam, ergo eſt tantum vna veritas, quia quod eſt tale per eſſentiam, infinito modo ſe habet, & non poteſt plurificari.

54 Dices. Relationes conuenire Deo per eſſentiam, & tamen plurificari; vnde ſic etiam poterit plurificari veritas. Contra. Ideo relationes plurificantur, quia ex ſua formali ratione importat cum plurificatiuam, nempe oppoſitionem; veritas autem non importat, imò cum ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, non poteſt plurificari.

55 Dico tertiò. *Dari tres modos eiuſdem veritatis, per quos determinatur in eſſe veritatis.* Prob. natura diuina ratione perſonalitatum determinatur, vt tali, & vt tali modo ſe habeat in eſſendo, ergo etiam veritas diuina, quę, cum ſequatur eſſe, eodem pacto proportionaliter determinatur.

56 Ad primum reſpond. veritatem participatam conſiſtere in conformitate ad primum intellectum; non autem imparticipatam; ſunt autem relationes diuinæ intelligibiles, non ratione ſui præcisè, ſed ratione eſſentię determinatæ, in ratione veritatis, per modos perſonales; hęc autem determinatio non eſt veritas, ſed modus veritatis. Ad ſecundum. Patrem eſſe verum Patrem, non aliud ſignificare, niſi quod ſit talis à parte rei; & veritàs eſſendi conſiſtit in veritate diuinæ naturæ determinatæ per talem modum. Ad tertium. Perſonalitatem humanam dicere propriam veritatem, quia eſt quid diſtinctum ab ipſa natura, vnde non eſt eadem ratio, ac de diuina. Ad quartum. Illas veritates enunciatiuas perſonales fundari in veritate diuinę eſſentię conſideratæ cum tali determinatione in ratione veritatis, & ideo ſunt proprię ſingularum perſonarum; quod etiam valet, quãdo perſonalitates cõſiderantur in abſtracto, quia adhuc inadequato modo concipitur veritas diuinæ naturæ, quatenus eſt neceſſaria pro fundandis illis rationibus.

DE NOTIONIBVS DIVINARVM Perſonarum.

DISPVTATIO LXIII.

An dentur Notiones.

SECTIO I.

1 NOtio ſumitur dupliciter formaliter, & obiectiue, primo modo dicit actũ intellectus, quo aliquid cognoſcitur, ſecundo modo dicit aliquam rationem ex parte obiecti, quę obiectiuo modo facit rem innoteſcere; vnde ſemper notio eſt aliquid proprium illius, cuius eſt notio, alioquin non faceret ipſum innoteſcere. Prout autem tribuitur perſonis diuinis definitur à D. Thoma 1. *p. q.* 32. *art.* 3. Eſſe propriam rationem agnoſcendi perſonã diuinam, quia videlicet importat rationem obiectiuam, qua vna perſona ſeorſim ab alia diſtinguitur.

2 Dico primo. *Eſſe in diuinis admittendas notiones.* Contra Valentinum hęreticum, & Tranſiluanos, & licet non ſit de fide oppoſitum tamen eſt proximum errori: vnde Patres communiter vtuntur nomine Notionis vt, Nazianzen. *oration.* 35. Cyril. 1. *Theſauri cap.* 5.

*capitul.*5. & 6. Baſilius *epiſtol.* 43. Auguſtinus 5. *de Trinit. cap.* 6. Probatur: perſonæ diſtinguuntur inter ſe realiter ſecundum eſſe perſonale, ergo poteſt intellectus de ipſis formare proprios conceptus, quibus ſingulas intelligat, vt ſeorſim ſe habeat.

3 Dico ſecundò. *Notiones eſſe ſignificabiles etiam in abſtracto*. contra præpoſitiuum, vt docent communiter cum D.Thoma 1.*p. quæſt.*32.*art.*2.Prob. Tum quia patres vſi ſunt nominibus, quæ in abſtracto important notiones. Tum quia etiam attributa ſignificant in abſtracto. Tũ quia debemus poſſe aſſignare, per quid perſonæ formaliter diſtinguantur, quod fieri non poteſt, niſi aſſignentur notiones in abſtracto.

4 Obijciunt Tranſyluani. Scriptura non vtitur nomine Notionis, ergo. Reſp. Scripturam non fuiſſe vſam omnibus nominibus, quibus diuina explicari poſſunt, ſed ijs tantum, quæ fuerunt neceſſaria ad ea explicanda, quæ ab ipſa tradita ſunt; ſufficit autem, quod ex ſcriptura habeatur id, quod nomine notionis explicatur.

5 Quæres. Cur quædam prædicata, quæ dicũtur de perſonis, non poſſint dici de notionibus, ſic non valet, paternitas generat, intelligit, &c. Reſpond. Non poſſe dici, quia in enunciatione connectuntur extrema, vt ſtant in repræſentatione noſtrorum conceptuum; prædicata autẽ, quæ in repræſentatione noſtrorum conceptuum, apta ſunt, vt tribuantur concreto, non ſunt apta, vt tribuantur abſtracto; ſiquidem ratione modi ſignificandi, ſeparatim ſe habent reſpectu concreti.

6 Quæres ſecundò. An notio, & proprietas poſſint ſe ipſas denominare. Reſp. negatiue. Quia denominatio, quæ fit ſecundum notionem, ex vi modi ſignificandi, dicit ordinem ad ſuppoſitum, quia ſignificat concreto modo, non enim forma denominat niſi ratione effectus formalis; atque adeo ex eo tantum, quod eſt in ſubiecto; vnde non poteſt dici generatio generat.

Quot ſint Notiones.

SECTIO II.

7 QVinque communiter aſſignantur, nempe innaſcibilitas, paternitas, Filiatio, Spiratio, & proceſſio, duæ priores tribuuntur Patri, Tertia filio, quarta filio, & Patri, & quinta Spiritui Sancto; difficultas autẽ eſt, an omnes ſint notiones, & an ſint plures his quinque.

8 Prima ſententia negat, innaſcibilitatem eſſe notionem Ita Gabriel *in* 1.*diſt.*28. *q. vnica art.*2. & 3. Prob. innaſcibilitas eſt aliquid negatiuũ, ergo non poteſt eſſe ratio, per quã perſona innoteſcat in ſe ipſam, nec ſignificat aliquam dignitatem perſonæ: Secundò. Non poteſt importare diſtinctam rationem à paternitate, vnde Patres ſumunt ingenitum pro paternitate.

9 Secunda ſententia addit ſextam notionem, nempe inſpirabilitatem, quæ cõueniat filio. Ita Scotus *in* 1. *diſt.*28. *q.*1. qui tamen non abſolutè determinat. Prob. inſpirabilitas eodem modo ſe habet ad filium, ſicuti innaſcibilitas ad Patrem. ergo

Tertia ſententia aſſerit notiones eſſe quinque, nec plures, nec pauciores. Ita communiter cum D. Thoma 1. *p. q.* 34. *art.* 3. & 4.

10 Dico primò. *Innaſcibilitatem ſecundum propriam rationem eſſe veram notionem Patris diſtinctam a paternitate*. Ita communiter Patres, & Concilia, præſertim Tolet.11. *in profeſſ. fidei* & Sixtus Papa *epiſt.*1. *decretalium*. Prob. innaſcibilitas eſt ratio cognoſcendi patrem, ſecundum aliquam propriã rationem, ſecundũ quã non cognoſcitur ex vi Paternitatis, ergo eſt vera notio. Antecedens prob. Paternitas facit innoteſcere Patrem vt principium filij: Innaſcibilitas verò facit innoteſcere vt primam perſonam Trinitatis habentem naturam a ſe, & non ab alio communicatam, ergo facit innoteſcere ſecundum ſpecialem rationem hypoſtaticam, quam habet ex vi ſui termini perſonalis.

11 Dices. Spiritus Sanctus eſt vltima perſona Trinitatis, nec tamen ponitur aliqua notio, per quam innoteſcat ſecundum hanc rationem, ergo. Reſpondetur innoteſcere vt vltimam perſonam Trinitatis, per ſpirationem paſſiuam; nam eo ipſo, quod procedit per ſpirationem, procedit vt vltima perſona, ſpiratio eſt vltimus actus naturæ intellectualis.

12 Inſtabis. Productio per intellectum eſt prima in natura intellectuali, ergo intellecta paternitate intelligitur prima perſona abſque aliqua notione. Reſpond. negando conſequentiam, quia paternitas ex vi ſui conceptus nõ dicit primam productionem, neque adęquatè explicat rationem primæ ſententiæ, quia concipitur per conceptum paternitatis creatę, quæ non dicit, quod Pater non habeat naturam communicatam ab alio.

13 Dico ſecundò. *Spirationem actiuam eſſe notionem communem Patri, & filio*. Prob. quia per ipſam Pater, & filius innoteſcunt vt principium Spiritus Sancti.

14 Dico tertiò. *Spirationem actiuam eſſe notionem vnius formaliter, ſed plurium materialiter*, Prob. Quia facit innoteſcere duas perſonas, ſecundum vnam rationem principij.

15 Dico 4. *Notiones eſſe tantũ quinque, nec plures nec pauciores*, quod non ſint pauciores conſtat ex dictis, quod verò non ſint plures. Probatur: Iſtæ quinque ſufficiunt ad exprimendum eſſe notionale omnium perſonarũ, ergo. Antecedens probatur: Quia cum perſonæ habeant totum ſuum eſſe notionale ex vi originis, per has quinque notiones ſufficienter explicatur quidquid aduenit ratione originis. Nam proceſſio adæquatè explicat eſſe notionale Spiritus Sancti, cum ratione originis ſolum habeat, quod procedat vt talis perſona. Vt autem explicetur eſſe notionale filij, requiritur duplex notio, vt explicetur eſſe producens, & productum, nec aliud eſt explicandum; vnde ſufficit filiatio, & ſpiratio actiua. Rurſus Pater ratione originis habet, quod producat filium, & Spiritum Sanctum, vnde debet habere notionem propriam producentis, quę eſt paternitas, & communem cum filio, quę eſt Spiratio actiua. Et quia originat vt prima perſona, debet habere aliam ſpecialem notionem innaſcibilitatis.

16 Ad primum primę ſententię reſpondetur innaſcibilitatem, licet explicetur negatiuo modo, ſignificare tamen aliquid poſitiuum, nempe primum terminum perſonalẽ. Ad ſecundum. Quomodo innaſcibilitas ſit diſtincta notio, conſtat ex dictis; ſumitur autem indifferenter à Patribus pro paternitate, quia per vtranque innoteſcit Pater, vt perſona diſtincta.

17 Ad Fundamentum ſecundę ſententię omiſſis varijs reſponſionibus. Reſpond. inſpirabilitatem habere pro fundamento modum, quo filius procedit; quia enim procedit per generationem excludit omnem alium modum procedendi, vnde cum ratio negatiua ponatur ad explicandum fundamentum, non eſt neceſſaria inſpirabilitas, quia iam fundamentum explicatur per generationem. Fundamentum autem innaſcibilitatis non explicatur per paternitatem.

18 Obij. Produci ab alio eſt communẽ filio, & Spiritui Sancto, & tamen non conſtituit ſpecialem notionem, ergo neque ſpiratio actiua, cum ſolum dicat, quod Spiritus Sanctus procedat ab vtroque. Reſpond. negando conſequentiam. Quia produci ab alio non dicit ſpecialem rationem ſupra filiationem, & proceſſionem paſſiuam, ſicut dicit eſſe principium Spiritus Sancti. Hinc neque eſt ſpecialis notio, quod filius ſit ab vno, & Spiritus Sanctus à duobus, quia hoc totum non aliud dicit, quàm proprias proceſſiones paſſiuas, & ſimiliter neque alia prædicata vt imago, verbum, amor, donum, & alia huiuſmodi non important ſpeciales notiones, quia includuntur in aſſignatis.

Quo-

Digitized by Google

Quomodo ſe habeat notio, proprietas, & relatio.

SECTIO III.

19 Omnes notiones dici poſsũt proprietates, prout proprietas importat aliquid incõmunicabile, licet enim ſpiratio actiua ſit cõmunis Patri, & filio, reſpectu tamen Spiritus Sancti, ſe habet incommunicabiliter. Si autem proprietas ſumatur pro conſtitutiuo perſonarum, tres tantum ſunt proprietates, quia conſtitutiuum non poteſt habere maiorem pluralitatem, quam habeat conſtitutum, & in hoc ſenſu loquuntur Patres, quando docent proprietates eſse tres. Hinc communiter cum D. Thoma 1.p.q.32.art.3.docent. Notiones eſſe quinq; relationes quatuor, proprietates tres. Difficultas autem eſt, quomodo innaſcibilitas ſit propria Patris, & an dicat quid relatiuum. Rurſus quomodo innaſcibilitas, & ſpiratio actiua ſint notiones, & tamen non pertineant ad proprietates perſonales.

20 Dico primò. *Licet innaſcibilitas abſoluto modo ſignificetur, ratione tamen fundamenti eſt quid relatiuum.* Probatur. Facit innoteſcere Patrem, vt perſonam diſtinctam à filio, & Spiritu Sancto, ergo ſpectant ad eſſe relatiuum, cum perſonę diſtinguantur ſolum ratione relationis, Hinc Auguſt. 5. de Trinit. cap. 7. *Non ergo recedit à relatiuo prædicamento, cum ingenitus dicitur.*

21 Dico ſecundò. *Innaſcibilitatem contineri in adæquata proprietate perſonali.* Prob. proprietas perſonalis dicit totum id, quo natura terminatur incommunicabiliter, in hoc autem imbibitur innaſcibilitas, quia terminus perſonalis ex intrinſeca ſua ratione reſpicit primam exigentiam naturæ.

22 Dico tertiò. Spirationem actiuam imbibi inadæquata proprietate perſonali Patris, & filij. Prob. Proprietas perſonalis fundat incommunicabilitatem, & adæquata proprietas adæquatam incommunicabilitatem, ergo totum id requiritur ad adæquationem proprietatis, quod requiritur ad fundandam adæquatam incommunicabilitatem; requiritur autem in Patre, & filio ſpiratio, quia ratione ipſius incommunicabiliter ſe habent reſpectu Spiritus Sancti, cum ratione ipſius opponantur.

23 Obij. Proprietas perſonalis debet eſſe propria cuiuslibet perſonæ; ſpiratio autem actiua non eſt propria. Reſpondetur, proprietatem perſonalem adæquatè ſumptam eſſe propriam; vnde licet ſpiratio ſit communis Patri, & Filio, non eſt tamen proprietas perſonalis Patris, quia hæc non dicit ſpirationem præciſè, ſed illud coniunctum ex paternitate, & ſpiratione, vt in prima perſona; & in filio proprietas perſonalis coaleſcit ex filiatione, et ſpiratione, vt communicata.

24 Quæres. Quã certa ſit doctrina de Notionibus. Reſpond. Id, quod explicatur per has quinque notiones, non poſſe negari, ſine hæreſi, quia negaretur id, quod eſt definitum de fide. Si quis autem hoc totum admitteret, nec admitteret tot notiones, ſolum temerariè loqueretur, quia ſine ſufficienti fundamento ſentiret contra communem ſenſum Theologorum fundatum in auctoritate Patrum.

DE ACTIBVS NOTIONALIBVS Diuinarum Perſonarum.

DISPVTATIO LXIV.

An detur potentia ad actus Notionales.

SECTIO I.

1 Actus notionales ſunt ij, qui ſunt proprij diuinarum Perſonarum: vnde important ipſas proceſſiones. Poſſunt autẽ conſiderari vel ſecundum terminum, ſeu perſonam productam, vel ſecundum originem actiuam, vt eſt in perſona producente, & vtroque modo quæritur, an detur potentia ad ipſos.

2 Prima ſententia eſt negatiua, aſſerens, quod potentia generandi, & ſpirandi non importat aliquod principium productiuum; ſed eſt ſicut potentia, qua Deus poteſt eſſe Deus, quę nihil aliud eſt, niſi ipſa poſſibilitas. Ita Aureol. *in 1. diſt. 6. part. 1. articul. 2. propoſit. 1. & 2.* Fundamentum eſt, Quia vbi non eſt aliquid elicitum, ibi non eſt potentia, productiones autem diuinæ non ſunt elicitæ.

3 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita D. Thomas *1. p. quæſt. 41. art. 4.* Caiet. *ibid.* Torres Ban. Molin. *ibidem* Cumel *diſp. 1.* Capreol. *in 1. diſt. 7. q. 5.* Scotus *q. vnica* Durandus *quæſt. 1.* Vaſquez *1. p. diſp. 163.* Amicus *diſp. 23. ſect. 1.* Suarez *6. de Trinit. cap. 5.* Ruiz *diſp. 99. de Trinit. ſect. 2. & ſequentibus*, & alij. Prob. In Deo datur realis productio, & realis terminus productus, ergo etiam potentia ad producendum. Secundò. Omne producẽs aliquid producit, id autem, quo producit, eſt potentia, tertiò. patres concedunt eſſentiæ diuinæ potentiam generandi, ergo cum non poſſit eſſe principium, *quod*, erit principiũ, *quo*, ſeu potentia. Quartò in Deo non eſt neceſſaria diſtinctio inter potentiam, & productionem, ſicut nec inter productionem & principium, *quod*, ergo licet non ſit diſtincta. non obſtabit quo minus ſit potentia. Quintò cauſa ideo habet potentiam phyſicam, quia eſt apta, vt ab ea procedat effectus. Sed vna perſona eſt apta, vt ab ea procedat alia: ergo

4 Notandum primò, certum eſſe, dari principium reſpectu actuum notionalium paſſiuorum, quia cum verè producantur, oportet, vt producens dicat veram rationem principij. Hæc autem ratio principij, eminentiori modo ſe habet; ac in creatis, quia tranſit ad eſſe infinitum.

5 Notandum ſecundò. Cum principium ſit illud, à quo aliquid progreditur, debet in ipſo includi vis aliqua, ratione cuius progrediatur terminus; & hoc ſufficit ad ſaluandas loquutiones Patrum, cum dicunt, Patrem habere potentiam ad generandum, & futurum impotentem, ſi non generaret, quia ſolum volunt declarare, quod Pater habeat vim generatiuam.

6 Notandum tertiò. Hoc eſſe diſcrimen inter productiones creatas; & diuinas; quod creatæ ſunt contingentes, & abſque ipſis ſaluatur totum eſſe producentis; diuinæ autem ſunt productiones per eſſentiam, quia illis conuenit exiſtere per eſſentiam, nec ſine ipſis ſaluatur eſſe producentis. Ex quo fit, quod termini quoque exiſtant per eſſentiam, & habeant æqualem neceſſitatem eſſendi, ſicut habet Deus, non ſolum materialiter, ſed etiam formaliter ex ſua intrinſeca ratione: quia licet producantur, productio tamen eſt exiſtens per eſſentiam.

7 Dico primò. *Non dari potentiam, ſiue realem, ſiue obiectiuam reſpectu originis, quæ eſt in perſona producẽte, itaut non poſſit intellectus concipere aliquam rationem, quæ ſe habeat per modum potentiæ.* Quod non detur potentia realis patet, quia alioquin debet realiter diſtingui ab ipſa origine. Probatur. Tunc poſſumus aliqua diſtinguere in Deo, quando ſecundum ſuam formalem rationem in ipſo reperiuntur: alioquin non eſſet diſtinguere, quæ in Deo ſunt idem, ſed aliquid concipere, quod in ipſo non eſt. Sed formalis ratio potentiæ non eſt in Deo reſpectu originis, ergo. Minor probatur. Quando aliquæ formalitates ita ſe habent, vt vna ex intrinſeca ſua ratione deſtruat aliam, ſi aliqua ipſarum reperitur in Deo, non poteſt reperiri appoſita, ratio autem potentiæ reſpectu eorum, quæ ſunt in ipſo producente, & ratio actus puri, ſe inuicem deſtruunt: nam vbi eſt ratio potentiæ, ibi non eſt totum, quod reperitur per modum actus puri, ſed eſt aliquid in potentia. ergo

8 Dices potentiam eſſe in Deo ſecluſis imperfectionibus. Cõtra: vel ſecluſis imperfectionibus remanet formalis ratio potentiæ; vel non. Si primum; ergo remanet id, quod

deſtruit actum purum. Si ſecundum, ergo neque ſecundum eſſe obiectiuum remanet potentia.

9 Dico ſecundò. *Neque reſpectu terminorum dari in perſona producente realem potentiam ſecundum formalem rationem potentiæ*. Probatur: Termini producti ſunt exiſtentes, per eſſentiam, ergo non datur potentia reſpectu ipſorum. Conſequentia probatur. Quia potentia, vt formaliter potentia, continet realiter in ſua virtute terminum productum, & per hoc conſtituitur in eſſe potentiæ, implicat autem vt id, quod eſt per eſſentiam in actu, potentiali modo contineatur in alio, quia tunc contineretur in illo ſecundum ſuum eſſe, & non ſecundum exercitium ſuæ actualitatis, & ideo tale exercitium non illi conueniret ex vi ſuæ quidditatis.

10 Dices. Id eſſe verum de potentia, quæ non eſt ex neceſſitate actu producens. Contra. Quod potentia ex neceſſitate, producens, non tollit, quin dicat rationem potentiæ, atque adeo quod terminus non contineatur potentiali modo in ipſa, ergo eſt contra rationem termini exiſtentis per eſſentiam, habere potentiam, à qua producatur. Vnde ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ, adhuc creaturæ eſſent ens potentiale.

11 Dico tertiò. *Principium producens in diuinis importare fæcũditatem diuinæ naturæ cum tali modo exercitij eiuſdem fæcunditatis*. Probatur. Perſonæ diuinæ productæ ideo ſunt in Deo, quia ex vi fæcunditatis adeſt actualis productio, ergo principium producens nihil aliud dicit, niſi exercitium fæcunditatis; nam per ipſum natura diuina communicatur, atque adeo producuntur perſonæ.

12 Ad primum ſecundæ ſententiæ reſpondetur. Dari potentiam reſpectu termini producti, quando eſt potentialis; non autem quando exiſtit per eſſentiam. Ad ſecundum. Omne producens aliquid producere per potentiam, quando producit productione contingenti, & quæ non pertineat ad cõſtitutiuum ipſius, non autem quando producit per eſſentiam. Ad tertium. Quando Patres concedunt eſſentiæ diuinæ potentiam generandi, intelligere diuinam fæcunditatem. An autem ſe habeat per modum potentiæ, an verò per modum actualis exercitij, id nõ explicant. Ad Quartum negatur aſſumptum. Nam ſi ad productionem daretur potentia realis, eſſet neceſſaria diſtinctio realis, quæ non eſt neceſſaria inter productionem, & principium, quia præciſa productione non datur principium, nam in diuinis non eſt principium in actu primo, ſed in actu ſecundo. Ad ſecundum. Cauſam ideo habere potentiam, quia continet effectum potentiali modo; non autem quia ab ipſa præciſè proueniat. Quod non contingit in diuinis nam ſicut terminus eſt per eſſentiam, ita etiam principium per eandem principiat.

13 Ex dictis colligitur. In principio productiuo diuinarum perſonarum, poſſe diſtingui ſecundum noſtrum modum concipiendi, vim productiuam ab ipſo principio; ita tamen vt non ſe habeat per modum potentiæ, ſed diſtinctio ſit in ratione concreti, & abſtracti; tunc enim concipitur vis aliqua, ex qua formaliter principium habet, vt producat.

Quid formaliter dicat vis productiua.

SECTIO II.

14 PRima ſententia aſſerit, de ſuo formali importare tantum relationem. Ita D. Bonau. *in* 1. *diſt*. 7. *art*. 1. *quæſt*. 1. Durand. *quæſt*. 2. Probatur. Actus qui conuenit vni ſuppoſito, & repugnat alteri, habet illi conuenire ratione propriorũ, ſed actus notionales ita conueniũt vni perſonæ, vt repugnent alteri, ergo; Secundò. Ratio eſſendi, eſt etiam ratio operandi, ergo cum paternitas ſit ratio eſſendi Patri, erit etiam ratio generandi.

15 Secunda ſententia aſſerit, importare tantum aliquid abſolutum, & eſſentiale, ita Ocham. *in* 1. *diſt*. 7. *quæſt*. 1. Gabriel *ibidem* & *quæſt*. 2. Probatur: natura præciſa ſuppoſitalitate habet ſuas potentias integras, vt patet in natura humana Chriſti, ergo principium conſiſtit tantum in aliquo abſoluto.

16 Tertia ſententia vult importare tum eſſentiam, tum etiam relationem, ita tamen, vt dicat eſſentiam in recto, relationem verò in obliquo, ſicut conditionem. Ita D. Thomas 1. *part*. *quæſt*. 45. *art*. 5. Caiet. *ibidem*. Bannes *dub*. *vnico*, Molina, *concluſ*. 1. & 2. Vaſquez *diſp*. 164. *cap*. 3. Scotus *in* 1. *diſt*. 7. *quæſt*. *vnica*. Capreol. *quæſt*. 1. Baſſol. *quæſt*. 3. Suarez 6. *de Trinit*. *cap*. 15. Ruiz *diſp*. 100. *de Trinit*. *ſect*. 5. Prob. nullum agens agit per ſuam ſuppoſitalitatem, ſed per id, in quo aſſimilat ſibi productum, ergo. Confirmatur ſubſiſtentia increata eſt tantum conditio, vt patet in natura humana Chriſti; neque enim perſonalitas diuina influit in operationes humanas Chriſti. ergo

17 Quarta ſententia aſſerit importare ex ſe eſſentiam, & relationem, ita vt relatio ſit aliquid de ipſo principio, ita Henricus *Quodlibeto*, 3. *quæſt*. 3. Richardus *in* 1. *diſt*. 7. *art*. 1. *q*. 1. Cuniga *diſp*. 16. *de Trinit*. *dub*. 3.

18 Dico primò. *Solam eſſentiam non eſſe principium quo*. Prob. *eſſentia*, nõ dum eſt in Patre, ſed etiam in filio, & Spiritu Sancto, & tamen ipſis repugnat generare, ergo debet dari aliqua ratio repugnantiæ, quę non poteſt eſſe alia, niſi quia in ipſis non reperitur principium, *quo*, formali modo.

19 Dices repugnantiam prouenire, quia virtus productiua impeditur, ne habeant ſuum exercitium. Cõtra. Hoc impedimentum non eſt contingens, ſed neceſſarium, & æternum, ergo non eſt impedimentum, ſed impoſſibilitas, cum ſit ex intrinſeca natura rei; vbi autem eſt impoſſibilitas, ibi non eſt potentia, pręſertim in ęternis, in quibus idem eſt poſſe, & eſſe.

20 Dico ſecundò. *Neque ſolam relationem importare vim productiuã*, & proinde Patres tribuunt etiam eſſẽtię vim producẽdi. Prob. Principiũ, *quo*, debet importare fæcũditatẽ, ergo in diuinis debet importare etiã eſſẽtiã, quia fæcũditas cõſiſtit in intellectu, & volũtate, vnde vna proceſſio eſt ſecũdũ intellectũ, & altera ſecundũ voluntatem.

21 Dices. Intellectum, & voluntatem eſſe fundamentum principij *quo*, quia principium, *quo*, eſt illud, quo immediate elicitur actus. Contra Principium *quo*, & *quod*, cõparantur vt virtus elicitiua, & id, quod eſt tali virtute elicitiuum; virtus autem elicitiua eſt ipſa fæcunditas, quæ in diuinis eſt in intellectu, & voluntate, ſi quidem verbũ ex intrinſeca ſua ratione non reſpicit fæcunditatem intellectiuam, & amor fæcunditatem voluntatis.

22 Dico tertiò. *Relationes non eſſe ſolas conditiones, ſed pertinere ad formalem rationem principij*. Prob. vbi eſt principium *quo*, ſecundum integram, & ſufficientem virtutem, ibi eſt etiam actus ipſius, ergo ſi eſſentia diceret integrum principium, *quo*, cum ſit in omnibus perſonis, eſſet etiam in ipſis actualis productio.

23 Reſpond. Bannes. In Filio eſſe potentiam generandi, ſed non generare, quia repugnat ex parte termini, nam non poteſt eſſe alius Filius. Contra. Tum quia in æternis actus non ſeparatur à potentia, ſed ſunt idem realiter. Tũ quia, quando actus eſt impoſſibilis, eſt etiam impoſſibilis potẽtia. Tum quia etiã in Spiritu S. eſſet potentia generatiua, vnde ſimul cum Patre deberet generare Filium.

24 Reſpond. alij potentiam non habere ſuum actum in omnibus perſonis defectu conditionis. Contra. In Deo idem eſt poſſe, & eſſe, ergo ſi in alijs perſonis eſt potẽtia, erit etiam actus, Confirmat. Ideo deficeret conditio, quia terminaretur diuerſa perſonalitate; hoc autẽ nõ ponit impedimẽtum nã etiã in Chriſto natura humana terminatur diuerſiſſima perſonalitate, & tamẽ operatur eaſdẽ operationes, quas operaretur, ſi haberet propriã perſonalitatẽ.

25 Dico quartò. *Principium*, quo, *ſeu vim productiuã importare eſſẽtiam, & notionale itaut vna & eadẽ ratio principij, includat vtramque, ſed diuerſo modo nempe eſſen-*

Digitized by Google

eſſentiam, vt quid materiale, ſeu vt id, ex quo habetur vis producendi. Notionale verò, vt formale determinatiuum. Determinatio autem in hoc conſiſtit, quod eſſentia ſit communicabilis; Notionale verò determinet hanc communicabilitatem, vt tali modo exerceatur. Prob. Ratio principij in Deo, eſt ratio principij per eſſentiam, ergo ita dicit eſſentiam, & notionale, vt hoc formali modo ſe habeat, illa verò materialiter. Conſequentia probatur. Quæ ſunt talia per eſſentiam, non ſunt talia potentiali modo, ſed habent omnem rationem actus, ergo etiam ratio principij debet importare actum ſui generis; hic autem actus habetur tantum per eſſe notionale.

26 Dices. In Spiritu Sancto nulla eſt ratio principiandi ergo eſſentia nullo modo pertinet ad rationem principij. Reſpond. negando conſequentiam. Nam in Spiritu Sancto non eſt natura ſub determinatione fæcunditatis, ſed tantum eſt in ipſo, quod in alijs perſonis eſt fæcunditas ratione determinationis perſonalis; vnde hic tantum fit, vt eſſentia materiali modo ſe habeat ad rationem principij.

27 Inſtabis. Si natura Diuina pertinet ad principium *Quo*, importabit aliquam fæcunditatem, ergo in Spiritu Sancto exiget habere complementum talis fæcunditatis. Reſpond. negando conſequentia. Tunc enim requiritur complementum, quando in aliqua perſona reperitur ratio principij ſecundum propriam rationem formalem, eſſentia autem Diuina præciſe non ſe habet per modum fæcūditatis, ſed ſolum vt dicit intellectū, & voluntatem, ſecundum autem has rationes exigit complemētum, & quia habet, ideo conſurgunt duæ primæ perſonæ; in Spiritu Sancto autem nullam dicit rationem, qua determinetur ad aliquem modum fæcūditatis, & ideo nec etiam in ipſo debet habere complementum. Imo ex vi eſſe notionali Spiritus Sancti, excluditur tale complementum, quia vt terminus productus per voluntatem eſt vltimus, & proinde ita terminat productionem, vt excludat à ſe vim producendi.

28 Ad primum primæ ſententiæ. Quomodo actus notionalis conueniat perſonæ ratione proprietatum, patet ex dictis. Ad ſecundum reſpond. Paternitatem eſſe rationem principiandi, quia tamen ſola non eſt ratio eſſendi, ſed ratione eſſentiæ, ideo neque etiam ſola eſt ratio principij.

29 Ad fundamentum ſecundæ Sententiæ. Eſſe diſparem rationem, quia in creatis producere non conſtituit in eſſe ſuppoſita creata, ſicut conſtituit Diuinas perſonas.

30 Ad fundamentum tertię ſententiæ reſpond. Relationem, & ſuppoſitalitatem non eſſe actiuam in creatis; ſecus autem in Diuinis, nam importat rationem originis, quæ pertinet ad formalem rationem principij; quia cum ſit eſſentialiter producens, dicit intrinſecè ipſum exercitium producendi; Hinc patet ad confirmationem.

31 Ex dictis colligitur. Vim productiuam eſſe in omnibus perſonis ſecundum eſſe materiale, quia tota ratio eſſendi, quæ eſt in vna perſona, eſt etiam in alia; non autem formaliter, quia tali pacto importat eſſe notionale, & exercitium producendi. Non hic tamen fit, quod aliqua perfectio ſit in vna perſona, quæ non ſit in alia, quia vis productiua formaliter importat tantum eſſe notionale; vnde ſolum ſequitur, quod infinita perfectio, quæ in vna perſona eſt ſub determinatione productionis, ſit in alia ſub alia determinatione, vnde D. Thomas *1.p.q.42.art.6. ad 3.* ait; Quod potentia productiua in vna perſona, in alia perſona tranſit in aliam potentiam; vnde potentia, per quā Pater generat, in Filio eſt potentia, per quam generatur; quod fit ratione diuerſi modi eſſendi, quo determinatur eſſentia.

32 Colligitur ſecundò. Potentiam Notionalem non pertinere ad omnipotentiam, vt docet Aureol. *in 1. diſt. 20. art. 3.* Scotus *q. vnica.* Suarez 4. *de Trinit. cap. 10.* & alij. Tum quia omnipotentia reſpicit res creatas ſub ratione factibilis. Tum quia ex intrinſeca ſua ratione non eſt actu operans, ſed operatiua. Tum quia ſecundum ſuam formalem rationem eſt communis omnibus perſonis.

33 Colligitur tertiò. Quomodo Patres ex omnipotentia arguant, quod Pater produxerit Filium ſibi æqualem arguunt enim ad hominem contra Arrianos qui ponebant Patrem omnipotentem, & volebant, quod per ſuam omnipotentiam genuiſſet ſibi filium inæqualem, vnde Patres ita arguunt. Quod Pater non eſſet omnipotens, niſi filium ſibi æqualem generaret: Nam illi tribueretur proportionaliter minor potentia, quam generanti creato, nam hic poteſt generare ſibi æqualem.

An actus notionales ſint de aliquo.

SECTIO III.

34 INter Hæreticos Arriani negabant actus notionales eſſe de aliquo, aſſerentes Perſonas Diuinas produci ex nihilo, vt refert Epiphanius. *Hæreſ. 69.* Eſt autem certum de fide. Actus notionales eſſe de aliquo, nempe de ſubſtantia producentis, quatenus ipſa communicatur perſonæ productę, & ita definitum eſt in Concilio Nicæno, *lib. 2.* & in Tolet. 11. *in Confeſſ. fidei*, & in Lateran. vt in cap. *Damnamus. De ſum. Trin.* Ratio eſt: Quia cum Perſonæ Diuinæ ſint conſubſtantiales, natura producentis debet communicari producto, vnde non producitur ex nihilo, ſed de ſubſtantia producentis. Inter catholicos autem difficultas eſt, quam habitudinem principij importet hoc eſſe de aliquo.

35 Prima ſententia vult, importare habitudinem quaſi cauſæ materialis, ita vt ſubſtantia Diuina ſe habeat proportionaliter vt Materia. Ita Henricus *quod. 8. q. 9.* Durand. *in 1. diſt. 5. q. 2.* Prob. Eſſentia Diuina præexiſtit Filio, & ipſi inexiſtit, ergo; ſecundò. Filius conſtituitur ex natura Diuina, & proprietate perſonali, quæ ſe habet vt determinatiuus, ergo; tertiò. Particula, *De*, importat principium intrinſecum materiale iuxta illud Geneſis 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ*, ergo

36 Communis ſententia cum D. Thoma *1. p. q. 41. art. 3. ad 2.* aſſerit, importare habitudinem principij formalis, ita vt ſignificetur Diuina eſſentia, vt forma totius.

37 Dico 1. *Hæc particula non importat aliquam habitudinem cauſæ materialis*. Prob. ſecundum communem vſurpationem Sanctorum Patrum importat conſubſtantialitatem, ergo non importat habitudinem alicuius conditionis materialis. Conſequentia prob. Quia materia, cum ſit tantum pars conſtituti, non poteſt ſecundum aliquam propriam conditionem, ponere conſubſtantialitatem: nam conſubſtantialitas eſt ſecundum totum eſſe ſubſtantiale.

38 Dico ſecundò. *Neque importare habitudinem formæ totius*. Probatur. Forma totius non habet rationem formæ, niſi reſpectu alicuius materialitatis, in Diuinis autem nulla reperitur materialitas, ſed in iis tantum, in quibus aliud eſt concretum, & aliud abſtractum. Rurſus cum forma non ſit totum ſubſtantiale eſſe rei, non poteſt ponere conſubſtantialitatem.

39 Dico tertiò. *Hanc particulam ſignificare, quod illa eſſentialitas quæ eſt ratio eſſendi vni perſonæ, ſit etiam ratio eſſendi alteri perſonæ, cum ordine originis, quo ſignificetur cōmunicatio eiuſdē eſſētialitatis eſſendi.* Prob. Significatur principaliter conſubſtantialitas, quàm habet vna perſona cum alia, ex vi originis. ergo

40 Ad primum negatur aſſumptum. Nam Eſſentia Diuina neque præexiſtit Filio, neque inexiſtit, quia præexiſtentia dicit ſaltem prioritatem naturæ, inexiſtentia verò dicit rationem partis. Ad ſecundum. Conſtitutionem Perſonæ, ex eſſentia, & proprietate eſſe tantum ſecundum noſtrum modum concipiendi, non autem ſecundum diuerſas formalitates, quæ ſe habeant vt actus, & potentia, vnde hæc particula non poteſt importare aliquam conditionem materialem, præſertim quia in Deo non eſt formalis ratio potentiæ, hæc autem particula ſignificat independenter à noſtro modo concipiendi, & exprimit modum realem com-

Digitized by Google

communicationis, prout eſt à parte rei. Ad tertium. Particulam, *De*, ſignificare conſtitutiuum intrinſecum, ſed ſecundum ſubiectam materiam, & ideo diuerſo modo ſignificat in Diuinis, ac in creatis; nam ratione ſubiectæ materiæ in Diuinis ſignificat conſubſtantialitatem.

An actus notionales ſint voluntarij.

SECTIO IV.

41 Actus notionales in ratione voluntarij, & neceſſarij habent aliquid commune, quatenus ambo ſunt obiectum voluntatis, & ex Diuina fœcunditate proueniunt, & aliquid particulare, quatenus vnus eſt per intellectum, & alter per voluntatem. Voluntarium autem eſt duplex, alterum purè obiectiuum, quod correſpõdet cognitioni ſpeculatiuæ, & aliud eſt voluntarium, efficiens, quod tanquam effectus dependet a voluntate, quatenus operatur dependenter à cognitione practica. Rurſus voluntarium vtroque modo acceptum, aliud eſt cum indifferentia, quod fundatur in aliquo contingenti, quod poteſt eſſe, & nõ eſſe, & dicitur voluntarium cõtingens, & aliud abſq; indifferẽtia, & dicitur volũtariũ ſpontaneum, quia voluntas ita tendit in obiectum, vt non poſſit non tendere, & tamẽ ab intrinſeco principio ſe mouet, & cum dominio proprij actus.

42 Dico primo *Actus notionales non eſſe voluntarios cum indifferentia*, eſt de fide ex Concilio Sirmienſi, vt refert Hilarius *lib. 6. de Synodis. Anathematis* 24. Probatur Actus notionalis eſt idem cum Deo, atq; adeo ens per eſſentiam, ergo excludit omnem contingentiam.

43 Dico ſecundò. *Actus notionales non eſſe voluntarios voluntate deliberatiua*, eſt de fide, ex Concilio Toletano 11. *in Profeſs. fidei*. Prob. vbi eſt deliberatio, ibi eſt aliquid contingens, nam deliberatio eſt de ijs, quæ poſſunt eſſe, & non eſſe, vt docet Ariſtoteles 7. *Ethicorum, c.* 1. & 2. In Deo autem nihil eſt contingens.

44 Dico tertiò. *Actus notionales eſſe neceſſarios, neceſſitate intrinſeca*, vnde excluditur qualibet neceſſitas, quæ ab extrinſeco proueniat, ſiue ſit coactionis, ſiue indigentiæ, ſiue ex alia imperfectione. Prob. Fœcunditas Diuina habet ex ſua ratione intrinſecam neceſſitatem eſſendi, cum ſit ipſum ens per eſſentiam, ergo etiam actus notionales, quia non eſt fœcunditas potentialis; ſed in actu 2. vnde dicit actus notionales, quibus exercetur.

45 Dico quartò. *Actus notionales eſſe voluntarios voluntate concomitanti, ſeu obiectiuè* eſt de fide Matthęi 8. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*, ita docent communiter Patres. Prob. Deus complacet ſibi de ſe ipſo, & de omnibus, quæ ipſi ex intrinſeca neceſſitate conueniunt, vt de iis, quæ pertinent ad proprium eſſe, ergo etiam de actibus notionalibus.

46 Dico quintò. *Actus notionales eſſe naturales, quatenus ſunt ſecundum exigentiam naturæ Diuinæ, ita tamẽ vt relinquantur in proprio modo tendendi, & cũ ijs proprietatibus quæ ipſis conueniunt ex proprio modo tendẽdi*, & hoc intelligunt Patres, quando tribuunt aliquã naturalitatem, his actibus. Prob. Actus notionales radicantur in infinitate, & fœcunditate Diuinæ naturæ, ergo ſunt naturales, quia ſicuti infinitas, & fœcunditas eſt naturalis Diuinæ naturæ, ita etiam quæ radicantur in ipſis.

47 Obiicitur. Conuenit Deo perfectiſſimus modus, operandi; perfectius autem eſt operari cum deliberatione, ergo. Reſp. Eſt perfectius, quando materia, circa quam verſatur operatio, eſt capax deliberationis, atq; adeo operatio eſt contingens, actus autem notionales, quia ſunt neceſſarij, non ſunt capaces deliberationis.

48 Colligitur ex dictis. Quomodo intelligendi ſint Patres, quando docent, Filium natum eſſe ex voluntate, & conſilio Patris. Volunt enim oſtendere, Patrem non genuiſſe ex aliqua paſſione, aut coactione, ſed cum complacentia, quæ enim facimus cum conſilio, libenter facimus; ideo ad declarandam complacentiam vtuntur nomine cõſilij, intelligentes nomine conſilij illud iudicium practicũ, in quo Pater iudicat, bonum eſſe producere.

An voluntas generandi ſit prior generatione.

SECTIO V.

49 Quæſtio procedit de prioritate non reali, ſed ſecundum noſtrum modum concipiendi. Prima ſententia aſſerit voluntatem generandi præcedere generationem. Ita Scotus *in 1. d. 6. q. vnica*. Caiet. 1. *p. q.* 41. *art.* 2. Ruiz *diſp. 94. de Trinit. ſect.* 2. Amicus 1. *p. diſp.* 22. *ſect. 3. nu.* 56. Fundamentum eſt. Quia pater cognoſcens ſuam eſſentiam communicabilem, per generationem, tendit per voluntatem in ipſam vt actu communicetur, atque adeo vult generare.

50 Secunda ſententia aſſerit, voluntatem generandi eſſe tantum concomitantem, non autem priorem. Ita Arimin. *in 1. diſt. 6. q. vnica*. Capreolus, & Baſſol. *ibidem*. Molina 1. *p. q. 41. art. 2. diſp.* 2. Vaſquez *diſp. 160. cap. 3.* Suarez *lib. 6. de Trin. cap.* 4. Cuniga *diſp. 10. de Trin. dub.* 2. Horum fundamentum eſt. Quia actus voluntatis eſt ex natura ſua poſterior cognitione, & ideo Pater prius cognoſcit generationem, atque adeo generat, quam velit generare.

51 Dico primò. *Voluntas generandi non eſt prior generatione*. Deſumitur ex Patribus, quatenus docent, voluntatem generandi non antecedere generationem, quamuis enim agant contra hæreticos, qui volebant; Filium genitum fuiſſe in tempore, & ita prius tempore præceſſiſſe voluntatem generandi, adhuc tamen ſequitur, quod volũtas generandi à parte rei, nec tempore, nec natura poſſit eſſe prior generatione, quia ſi eſſet prior, etiam ſolum natura, generatio eſſet dependens, atque adeo non eſſet generatio æterna, & per eſſentiam, vt volebant hæretici. Quod ſi non eſt prior vllo modo à parte rei, quia neque eſt principium, aliàs verbum procederet etiam per voluntatem, nec etiam erit prior ſecundum noſtrum modum concipiendi, quia cum conciperetur prior, tribueretur prioritas, quę illi repugnat.

52 Probatur. Primus actus intellectus eſt prior quocũque actu voluntatis, ergo etiam generatio eſt prior quocunque actu voluntatis; atque adeo nullus actus voluntatis poteſt præcedere generationem. Antecedens probatur. Quia actus voluntatis ex natura ſua eſt poſterior actu intellectus, & ideo debet dari aliquis actus intellectus, qui vt primus præcedat omnem actum voluntatis. Conſeq. prob. Actus intellectus, prout dicit ipſum intelligere, vel eſt poſterior generatione, vt dicemus infra ſuo loco, quia generatio eſt ipſum dicere, quod prouenit à memoria fœcunda Patris, & per productionem verbi conſurgit intelligere, vel ſaltem ita exigit verbum tanquam terminum, vt non poſſit concipi ſine ipſo Verbo terminante, ergo cum intelligere, quod vel conſurgit ex Verbo, vel ipſum exigit tanquam terminum, ſit primus actus Diuini intellectus, quia primus actus eſt ille, qui vel conſurgit ex productione Verbi, vel ad ipſum primò terminatur, Verbum, atque adeo generatio erit prior, quocunque actu voluntatis, atq; adeo nullus actus voluntatis præcedet generationem. Conf. Actus volũtatis, qui præcedit actum intellectus, eſt prior ipſa cauſalitate, quia habet ipſum pro obiecto in ordine ad exiſtentiam, ergo cum cauſalitas in Diuinis tranſeat in principiationem, ſi aliquis actus voluntatis, præcederet generationem, haberet reſpectu ipſius aliquam rationem principiationis, atque adeo voluntas eſſet aliquo modo principium Verbi.

53 Dicendum ſecundò. *Voluntatem Diuinam non verſari circa Diuinam generationem, niſi per actum complacentiæ*. Quod generatio ſit obiectum complacentiæ voluntatis Diuinę, de ſe conſtat, quia eſt obiectum ſummè bonum. Vnde Matthæi 3. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*. Quod autem non ſit obiectũ

Digitized by Google

alterius actus. Prob. Voluntas verſatur tantum circa bonum duplici modo, vel illum ſupponẽdo, & amando amore veluti ſpeculatiuo, & per complacentiam, & tendendo in ipſum in ordine ad fruitionem; vel non ſupponẽdo, ſed cauſando bonum, atque adeo amore veluti practico, voluntas Diuina non poteſt hoc poſteriori modo verſari circa Diuinam generationem, quia non ſolum non poteſt habere circa ipſum aliquam cauſalitatem, ſed nec aliquam principiationem, alioquin voluntas eſſet principium generandi, ergo verſatur tantum priori modo, atque adeo per ſolam complacentiam.

54 Ad fundamentum primæ ſententiæ negatur aſſumptum. Nam ſicut eſſentia Diuina non eſt communicabilis per generationem, quaſi illi conueniat communicabilitas in actu primo, ſed actu, & per eſſentiam communicatur, ita Diuina cognitio, & voluntas non attingunt eſſentiam, vt communicabilem, ita vt poſſit talis actus voluntatis præcedere communicationem, ſed ſolum attingit vt actualiter communicatam per generationem; vnde in eodem ſigno attingit etiam generationem ſi quidem; tàm cognitio, quàm voluntas attingunt Diuinam eſſentiam, vt in ſe eſt, atque adeo non ſecundum communicabilitatem; ſed ſecundum actualem communicationem.

An proceſſio Spiritus Sancti ſit libera.

SECTIO VI.

55 PRima ſententia eſt negatiua; aſſerens eſſe tantum ſpontaneam, & voluntariã, ita tamen, vt ſit naturalis, quatenus procedit à principio determinato ad vnum. Deſumitur ex D. Thoma 1. *p.q.*41. *art.*2. & eam tradit. Caiet. *ibidem*. Bannes *dub.*2. Molina *diſp.*2. Vaſquez *diſp.* 162. *cap.*3. Capreolus *in* 1. *diſt.* 10. *q.*1. *art.*1. Ariminen. *art.*2. Ruiz *diſp.*92. *de Trinit. ſect.*2. & alij. Prob. Actus liber non eſt ex principio determinato ad vnum, ſed indifferenti, ergo; ſecundò. Neceſſitas antecedens, quam voluntas non poteſt tollere, repugnat libertati. Huiuſmodi autem eſt neceſſitas ſpirandi; tertiò. Niſi ad libertatem eſſet neceſſaria indifferentia, motus primò primi eſſent liberi, & imputarent ad peccatum, ergo; quartò. Si ad libertatem ſufficeret agere ex ſola cognitione, etiam bruta agerent liberè. ergo

57 Secunda ſententia, licet concedat productionem Spiritus Sancti eſſe neceſſariam, vult tamẽ libero modo procedere. Ita Scotus *in* 1. *diſt.* 20. *q. vnica* §. *Aliter dico*. Lichet. *ibidem*. Baſſol. *art.* 3. Maior *q.* 1. Rubio *q.* 2. Ocham, & Gabriel *ibidem*. Marſil. *in* 1. *q.* 23. Rada 1. *p. controuer.*13. Smiling. *diſp.*3. *de Deo Trino*, *q.*6. *n.*311. & communiter Scotiſtæ.

57 Notandum primò. Aliud eſſe conſiderare libertatẽ ſecundum ſubiectam materiam, ſeu in ordine ad obiectum & aliud ſecundum ſe præcisè. Primo modo importat illas conditiones, quæ radicantur in obiecto ex eo, quod ab ipſo determinatur, vt tendat tali, vel tali modo; vnde quod voluntas feratur in obiectum cum indifferentia, prouenit ex conditione obiecti, quia proponitur cum indifferentia obiectiua; ſecundo autem modo illud tantum importat, quod fundatur in eius præciſa virtute.

58 Notandum ſecundò. Quando Patres docent, libertatem conſiſtere in indifferentia, illam conſiderant ſecundum conditionem, quam habet ratione obiecti, formalis tamen ratio potentiæ liberæ ſaluatur ſine indifferentia, quia ſaluatur totum illud poſitiuum, quo voluntas libero modo ſe mouet, vt docet D. Aug. *c.*105. *Enchiridij*, vbi loquẽs de ſtatu beatitudinis, ait. *Poſtea verò ſic erit, vt mala velle non poſſit, nec ideo libero carebit arbitrio; multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit ſeruire peccato*, & D. Anſel. *Dialog. de libero arbitrio*, *cap.*1. ait. *Libertatem arbitrij non eſſe potentiam peccandi, & non peccandi, quippe ſi hoc eius eſſet definitio, nec Deus, nec Angelus, qui peccare nequeunt liberum haberent arbitrium, quod nefas eſt dicere.*

59 Notandum tertiò. Libertatem, vt ſe tenet præcisè ex parte potentiæ in eo conſiſtere, quod voluntas habet dominium ſupra proprium actum; exercet autem hoc dominium, quatenus vtens menſura, & regula rationis, quam ſibi format mouendo intellectum ad formandum propriũ dictamen rationis, determinat propriam operationem, vt ſit ſecundum talem vel talem menſuram.

60 Notandum quartò. Libertatem poſſe ſtare cum determinatione ad vnum, quando obiectum non poteſt proponi cum indifferentia obiectiua; adhuc enim voluntas exercet dominium ſupra propriam operationem, quatenus eam determinat, ſecundum menſuram rationis, & proinde procedit cum iudicio menſuratiuo, & approbatiuo intellectus.

61 Notandum quintò. Libertatem poſſe conſiderari ſecundum ſuam formalem rationem, & ſecundum exiſtẽtiam. Primo modo dicit modum attingendi obiectum. ſecundo modo dicit propriam actualitatem. Hinc neceſſitas ſecundum rationem exiſtendi non opponitur libertati, quia non deſtruit modum attingendi obiectum; ſed tantum facit, quod neceſſario exiſtat.

62 Dicendum eſt. *Proceſſionem Spiritus Sancti eſſe liberam libertate perfectiſſima*. Prob. Proceſſio Spiritus Sancti eſt ex fæcunditate ſummi boni, quod ita proponitur amandum, vt ſimul intellectus iudicet, voluntatem debere amare, & voluntas Diuina ex intrinſeca ſua ratione determinatur ſecundum menſuram cognitionis ad tendendum in obiectum, ita vt ex ſe habeat illam determinationem, & per eſſentiam, quam in ſe cauſaret, ſi produceret proprium actum, ergo procedit libero modo, quia habet eminentiſſimo modo, & ex ſe illum modum tendendi, quem habet voluntas creata ex eo, quod tendat cum Dominio, ſupra propriam operationem.

63 Dices. Ex hoc tantum ſequi, quod proceſſio ſit voluntaria; non autem libera. Contra. Etiam actus, qui non ſunt ex perfecta cognitione intellectus, ſunt voluntarij, vt motus primi, ergo quando actus eſt ex perfecta cognitione, ita vt ſit menſura formata ab ipſo intellectu pro determinando actum voluntatis, & voluntas ſe ipſam mouens ea vtatur, non ſolum actus erit voluntarius, ſed etiam liber.

64 Ad primum reſpondetur. Actum liberum non requirere neceſſariò indifferentiam, vt patet ex dictis. Ad ſecundum negatur minor. Quia ſpiratio non eſt neceſſaria neceſſitate antecedenti, quæ tollit libertatem; ſed tantum neceſſitate ſibi intrinſeca non ſecundum modum tendendi, ſed ſecundum exiſtentiam.

Ad tertium neg. ſequel. Nam motus primi non ſunt liberi, quia per ipſos voluntas mouetur ex impreſſione obiecti, non autẽ ſe ipſam mouet; vnde nec habet dominiũ ſupra ipſos. Ad quartum negatur ſequel. Nam Bruta non agunt liberè, quia non habent menſuram rationis, ſecundum quam ab intrinſeco determinent proprias operationes.

Quiſnam ſit terminus actuum notionalium.

SECTIO VII.

65 TErminus totalis eſt ipſa perſona, ſufficit enim, ſi ſecundum aliquid producatur, vt poſſit eſſe terminus; ſic etiam in creatis producitur ſola forma, & non materia, & tamen terminus totalis eſt compoſitum, difficultas ergo tantum eſt de termino formali.

66 Prima ſententia vult, eſſe ipſam eſſentiam, ita Scotus *in* 1. *diſt.*5. *q.*2. Capreolus *q.*1. Vaſquez 1. *p. diſput.*162. *cap.*3. Suarez 6. *de Trinit. cap.*6. Cuniga *diſp.*16. *de Trin. dub.*9. Ruiz *diſp.*97. *ſect.*7. & communiter Recentiores. Prob. Terminus formalis, *Quo*, eſt ille, per quem terminus, *Quod*, accipit eſſe, hoc autem eſt eſſentia Diuina, ergo.

go. Secundò. In productione vniuoca producens aſsimilat ſibi productum ſecundum formam, & forma eſt terminus, *quo*, vnde in generatione terminus *quo*, eſt natura ſecundum quã genitum aſſimilatur genitori, ergo. Tertiò. In Reſurrectione terminus formalis eſt anima, licet non producatur, ergo etiam eſſentia Diuina, licet non producatur, erit terminus *Quo*.

67 Secunda ſententia vult, terminum formalem eſſe perſonam productam, quæ tamen eſt terminus formalis totalis; negat autem, dari in Diuinis terminum formalem contradiſtinctum à totali. Ita Ocham. *in* 1. *diſt*. 5. *quæſt*. 3. Gabr. *art*. 2. Arimin. *q*. 2. *art*. 2. Aureol. *art*. 2.

68 Dico primò. *Eſſentia præcisè accepta ſecundum rationem eſſentiæ non eſt terminus formalis*. Probatur, Si eſſentia eſſet terminus formalis, cum in perſona producta nihil aliud ſit, quam eſſentia, & relatio, ſequeretur, quod eſſentia ex ſe diceret rationem termini formalis, ergo cum conueniat omnibus perſonis, quod conuenit vni, ratione eſſentiæ, ratio termini formalis eſſet in qualibet perſona, quod eſt falſum.

69 Dices. Eſſentiam importare rationem termini, prout coniungitur cum relatione perſonę productæ. Contra, ſi ex ſe formaliter diceret rationem termini, eſſet id, quo formaliter terminus totalis conſtitueretur in eſſe termini, ergo vbicumque eſſet eſſentia, ibi eſſet terminus, quia poſita ratione formali, ponitur etiam effectus.

70 Dico ſecundò. *Eſſentiam ſub ratione communicati eſſe terminum formalem, ita vt ratio communicati, formaliter conſtituat eſsentiam, in eſſe termini*. Probatur. Ex vi productionis formaliter habetur Diuina eſſentia, ſpeciali modo communicata, ergo. Conſequentia probatur. Quia ille eſt terminus formalis, ad quẽ tendit productio, & eſt ratio, cur productum ſub ſpeciali ratione proueniat à producente, & correſpondeat fæcunditati principij; hoc autem habet terminus in Diuinis ratione eſſe communicati.

71 Dico tertiò. *Eſſentiam ſub ratione communicati importare eſse notionale perſonæ productæ; vnde terminus formalis, vt, quo, importabit eſsentiam, cum determinatione notionali, ſeu totum eſse perſonæ conſideratum per modum abſtracti*. Probatur. Terminus formalis vt, *quo*, correſpondet principio, vt, *quo*, principium autem vt, *quo*, eſt vis communicatiua determinata à tali eſſe notionali, ergo terminus vt, *quo*, erit eſſentia communicata, vt determinata per tale eſſe notionale. Confirmatur. Ratione eſſe notionalis perſonæ productæ diſtinguuntur in ratione geniti, & ſpirati, ergo etiam in ratione termini formalis, quia ratione termini formalis habent proprium modum productionis, ergo eſſe notionale eſt etiam conſtitutiuum termini formalis.

72 Ad primum reſpondetur. Terminum formalem, *quo*, non ſolum eſſe id, per quod res accipit eſſe; ſed etiam, per quod accipit diſtinctionem à producente, & in ſuo eſſe ſpecifico conſtituitur, & per quem terminat productionẽ, prout tali modo tẽdit, hæc autem non ſaluantur in Diuinis ratione ſolius eſſentiæ, ſed requiritur etiam eſſe notionale, vt patet ex dictis. Ad ſecundum. In creatis ſolum formam eſſe terminum formalem, quia poteſt fundare omnes conditiones, quas non poteſt fundare ſola eſſentia Diuina, & quia ad productionem vniuocam requiritur ſimilitudo ſecundum eſſe, ideo in Diuinis eſſentia ingreditur terminum formalem, & proinde in creatis natura eſt terminus formalis generationis, quia habet omnes conditiones termini formalis, nam producitur, & diſtinguitur à producente, quod non conuenit eſſentiæ Diuinæ præcisè. Ad tertium. In reſurrectione terminum formalem non eſſe animam præcisè, ſed vt denouo informantem corpus, ita vt informatio cõſtituat ipſam in eſſe termini, vnde etiam in Diuinis eſſentia Diuina non præciſe, ſed ſub ratione communicati erit terminus formalis.

DE DISTINCTIONE, ET qualitate actuum notionalium.

DISPVTATIO LXV.

In quo diſtinguantur actus notionales.

SECTIO I.

1 Dico primò. *Proceſſionem verbi eſſe generationem*. Eſt de fide contra Arrianos, qui negabant, Filium eſse genitum, ne concederent eſse conſubſtantialem Patri. Probat. Pſalm. 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te*. Intelligitur autem de ſecunda perſona Trinitatis incarnata, vt explicatur ad Hebręos quinto, & Chriſtus Matthæi 22. affert hunc locum ad probandam propriam Diuinitatem; Matthęi 3. *Hic eſt filius meus dilectus & cap. 16. Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Marci 14. *Filius Dei benedictus*, & definitum eſt in Symbolo Nicæno, & in Symbolo D. Athanaſij.

2 Dico ſecundò. *Solum proceſſionem verbi eſſe generationem, non autem proceſſionem Spiritus Sancti, & in hoc vna diſtinguitur ab alia*. Eſt de fide. Prob. In Scripturis Filius vocatur frequenter vnigenitus, Ioan 1. *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris*, 1. Ioan. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum vnigenitum miſit Deus*. Vnde Patres communiter colligunt. In Diuinis eſse vnicam tantum generationem, & definitum eſt in Symbolo Apoſtolorum. *Et in vnum dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum*, & in Symb. Athanaſij *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus nec genitus, ſed procedens*. Ratio autem eſt. Quia, ſi eſsent plures generationes; ſicuti diſtinguerentur in ratione generationis, ita etiam limitato modo ſe haberent, nam omnis diſtinctio, quæ non eſt ex oppoſitione relatiua, eſt ex limitatione.

3 Dico tertiò. *Proceſſionem verbi eſſe propriè generationem abſque metaphora*, eſt de fide contra Arrianos. Prob. 1. Ioann. 5. *Vt ſimus in vero filio eius*. Præterea Filius eſt conſubſtantialis Patri, vt ſuo loco oſtenſum eſt, & ideo ita generatur, vt ſit eiuſdem naturæ cum ipſo, ergo Filius abſque metaphora.

4 Dico quartò. *Generationem Diuinam eſse eminentioris rationis, quàm ſit creata, atque adeo ratione perfectionis longè diuerſam*. Deſumitur ex D. Thoma, 1. *p. q.* 33. *art.* 2. *ad* 4. *& lib.* 4. *contra Gentes cap.* 11. & ex D. Baſilio *lib.* 5. *contra Eunomium*, vbi ait. *Neq. enim Filius, neque generatio proprium Deitatis eſt, ſed ex humana ſimilitudine adductum*, ex Nazian. orat. 37. num. 18. *Non enim, quia ſecundum excelſiorem quandam relationem filius eſt filius, quod videlicet aliter, quàm hoc modo, indicatur, negaremus id, quod ex Deo eſt eſsentiale idem cum ipſo, idcirco terrena quoque omnia, cognitioniſque noſtræ nomina ad eum neceſſariò transferenda, putandum eſt*. Et idem etiam docet D. Dionyſius *c.* 5. *de myſtica Theologia*. Prob. Vt ſeruetur idem conceptus ſecundum eſse formale vniuoco modo, debet ſeruari etiam eadem ratio obiectiua formalis; hæc autem non ſeruatur, quotieſcumque adeſt diuerſitas perfectionis formalis, vt contingit in generatione creata, & Diuina, ergo

5 Dico quintò. *Licet generatio Diuina ſecundum ſuam formalem rationem infinitè diſtet à creata, rectè tamen explicatur per conceptum creatum detractis imperfectionibus*. Probatur. Ad explicanda Diuina non habemus alios conceptus, quàm rerum creatarum, ergo.

6 Obijcitur. Vnigenitus dicitur etiam de eo, qui habet

Digitized by Google

bet alios Patres; vnde Prouerbio. 4. Salomon dicitur vnigenitus, ergo non ex eo, quod in Diuinis filius dicitur vnigenitus, ſequitur, Spiritum Sanctum non eſſe filium. Reſpondetur. Nomen vnigeniti propriè dici de eo, qui non habet fratres; metaphoricè autem etiam de eo, qui habet fratres ad ſignificandam ſpecialitatem amoris, quo amantur vnigeniti, ſecundum hanc autem ſignificationem non habet locum in Diuinis, quia cum in filio, & Spiritu Sancto ſit eadem ratio amabilitatis, non poteſt vnius magis ſpecialiter amari, quam alter.

7 Obijcitur ſecundò. Filius eſt primogenitus ad Hebręos 1. Ad Romanos 8. Ad Coloſſ. 1. ergo Spiritus Sanctus eſt ſecundogenitus. Reſpondetur. Dici primogenitum in ordine ad creaturas, vt colligitur ex contextu, & intelligitur de Filio, vt homo, eſt quatenus Chriſtus eſt primus prædeſtinatorum, & primus ex ijs, qui reſurrexerunt.

Quid requiratur ad formalem rationem generationis.

SECTIO II.

8 VT aſſignetur ratio, cur proceſſio Spiritus Sancti non ſit generatio, videndum eſt, quid requiratur ad formalem rationem generationis. Sumitur autem generatio pro ea, quæ exercetur inter viuentes, & definitur; *origo viuentis a viuente per principium vitę coniunctum in ſimilitudinem naturæ*. Dicitur *Origo* loco generis. Dicitur *Viuentis à viuente* vt determinetur ad ſolam generationem, viuētium, & ſignificetur eſſe actionem vitalem: vndè nomen viuentis ſumitur formaliter, quia iſta origo debet exerceri inter viuentia, quatenus talia. Addit, à *Principio vitæ coniuncta*, vt ſignificetur, debere genitum accipere ſubſtantiam, quæ ſit propria generantis, ita vt in virtute ipſius, incipiat viuere ex eo, quod vita in ipſo contineatur, vt in radice. Denique debet eſſe. *In ſimilitudinem naturæ*. Quia viuens communicando ſubſtantiam genito, debet miniſtrare principium, quo genitum viuat eadem vita, qua viuit generans. Difficultas, ergo eſt, an iſta ſimilitudo in natura debeat haberi ex vi modi formaliſſimi tendendi generationis, an verò ſufficiat, ſi quocunque modo habeatur.

9 Recentiores ferè communiter cum Caiet. Ferrarien. Capreol. & cæteris Thomiſtis, vt ſaluent, quomodo Verbum ſit genitum, & non Spiritus Sāctus, docent, Genitum debere procedere ſimile in natura ex vi formaliſſimi modi tendendi generationis. Prob. Si homo eleuaretur, vt per creationem, aut tranſubſtantiationem produceret aliū hominem, non generaret; quia productio ex proprio modo tendendi, non produceret ſimile in natura, ergo; ſecundò. Idem terminus poteſt produci per generationem, & creationem, ergo productio diſtinguitur tantum ex modo tēdendi; tertiò. Quod ex generatione producitur ſimile, debet eſſe intra eandem lineam ſpecificam generationis, ergo generatio ex formaliſsimo modo tendendi, debet producere ſimilem.

10 Dico primò. *Similitudinem in natura debet haberi ratione generationis, ita vt generatio ex natura ſua ponat ſimilitudinem*. Prob. ſimilitudo in natura non ſe habet per accidens, ſed per ſe ad generationem, ergo generatio ex natura ſua eſt illatiua ſimilitudinis, alioquin non ſe haberet per ſe.

11 Dico ſecūdò. *Vt ſimilitudo habeatur ex natura generationis, ſufficit ſi ex intrinſeca ſua ratione communicet eandem naturam, quam habet generans, nec requiritur quod ex formaliſſimo modo tendendi ſit aſſimilatiua*. Probatur. In creatis ſaluatur vera ratio generationis, & tamen ex formali modo tendendi non aſsimilat, ergo talis aſsimilatio non requiritur. Antecedens probatur. Generatio in creatis procedit tantum communicatiuo modo, & tendit ſolum ad conſubſtantialitatem ſpecificam; non autem modus tendendi eſt aſsimilatiuus exprimendo ſimilitudinem repræſentatiuam generantis, in ratione obiecti, vt contingit in generatione Diuina, ergo. Confirmatur. Quando productio ex vi modi tendendi ponit aliquid in termino, illud importat in ſe formaliter, vt eſt in fieri, generatio autem hominis non importat in fieri ſimilitudinē; nam ſimilitudo habetur ratione Animæ, quæ non importatur, vt in fieri, per generationem.

12 Ad primum Reſpondetur. Illas productiones non futuras generationes, quia homo ſic eleuatus non produceret, quatenus viuens, neque actione vitali, neq; per principium vitæ coniunctum. Ad ſecundum. Productiones poſſe quidem ſpecie diſtingui ex ſolo modo tendendi, ſolum tamen ſequitur, quod ſi tenderet aſsimilatiuo modo, eſſet formale conſtitutiuum generationis, & poſſet illam diſtinguere ab omnibus alijs productionibus, ſed non eſt eius formale conſtituriuum, vt patet ex dictis. Ad tertium negatur conſeq. Nam per generationem producitur ſimile intra eandem lineam ſpecificam, quia generatio ex intrinſecis ſuis principijs, eſt communicatiua eiuſdem naturæ; abſque eo, quod procedat aſsimilatiuo modo.

Cur prima proceſſio ſit generatio, & non ſecunda.

SECTIO III.

13 RAtio dubitandi, eſt. Quia etiam Spiritus S. procedit viuens à viuente per principium vitę coniunctum, quia illi communicatur Diuina ſubſtantia, & in ſimilitudinem naturæ; nam habet eandem naturam, quam habet Pater, & filius, & eſt omnino ſimilis. Vt autem hanc difficultatem reſoluamus, nonnullæ explicationes examinandæ ſunt.

14 Prima eſt Canariens. *q. 27. de Trinit. art. 2. p. 3. Comentar.* Vaſquez *1. p. diſp. 113. cap. 6.* Ruiz *diſp. 7. de Trinit. ſect. 1.* & aliorum, qui volunt, Verbum ideo eſſe genitum, & non Spiritum Sanctum, quia Verbum procedit vt Imago expreſſa Diuinæ eſſentiæ ex eo, quod producitur per cognitionem, de cuius ratione eſt exprimere imaginē obiecti. Nec tamen ſententia impugnatur a Suarez 11. *de Trinitat. cap. 5.* Cuniga *diſput. 2. de Trinit. dub. 20.* & alijs.

15 Dico primò. *Filius ex eo, quod eſt filius, eſt etiam imago Patris*, ita communiter Patres præſertim Nazian. *orat. 36.* Clemens rom. *Epiſtola 1. ad Iacobum*. Prob. De ratione generationis eſt, vt viuens procedat à viuente in ſimilitudinem naturæ, ſtante autem hac ſimilitudine genitum repræſentat genitorem in eſſe naturę.

16 Dico ſecundò. *Quando Patres docent, Filium eſſe Filium, quia eſt imago Patris, procedunt à poſteriori, ita vt ex ratione imaginis colligant eſſe filium*. Probat. Ratio imaginis conſequitur ex eo, quod in generatione communicatur eadem natura, & fundatur in ipſa, ergo à poſteriori ſe habet.

17 Dico tertiò. *Rationem imaginis, quæ eſt propria filij, eſſe imaginem naturalem, non autem illam, quam dicit præcisè Verbum, vt Verbum eſt, & ideo non rectè aſſignari rationem, quod Filius ſit genitus, ex eo, quod procedit vt Verbum*. Deſumitur ex Patribus, qui quando dicunt, Filium eſſe genitum ex eo, quod eſt imago, intelligunt de imagine naturali, quæ importat conſubſtantialitatem. Ita Athanas. *orat. 2. contra Arrianos*. Baſilius 2. *contra Eunom.* Hilarius *lib. de Synodis ad can. 3. orientalium*. Vbi ait. *Hoc verè eſt eſſe filium, Paternæ ſcilicet formæ veritatem coimaginata in ſe natura, perfecta ſimilitudine retuliſſe*.

Prob. In creatis Filius verè generatur, & tamen non habet aliquam rationem imaginis per modum ſpeciei expreſſæ, ergo in Diuinis ratio imaginis, per modum ſpeciei expreſſę non dat formaliter eſſe filij, quia filiatio, & generatio proportionaliter reperiuntur in Diuinis, & creatis.

18 Di-

Digitized by Google

18 Dices. In humanis ſufficere ſolam identitatem naturæ ad fundandam repræſentationem, non autem in Diuinis. Contra. Cum ſit eadem ratio formalis in Diuinis, & creatis proportionaliter, debet etiam proportionaliter fundari in eodem. Secundò. Si natura, vt natura, non fundaret rationem imaginis filius non eſſet imago naturalis. Tertiò. In definitione generationis ponitur ſola ſimilitudo naturæ, non autem imaginis intenſionalis ergo.

19 Probat. 2. Hæc ratio imaginis non fundatur per ſe in identitate naturæ, ergo per ſe non confert ad rationem filij. Antec. prob. Verbum Diuinum non importat ratione Verbi, quia illi communicetur natura Patris, ſed quia exprimitur ex cognitione Diuinæ eſſentiæ, & eſt quædam repræſentatio obiecti. Conſequentia probatur. Quia imago per ſe concernens ad eſſe filij, debet illi conuenire ex eo, quod conuenit natura Genitoris.

20 Dico quartò. Neque ex ratione imaginis naturalis, rectè aſſignari diſcrimen, vt Filius ſit genitus, & non Spiritus Sanctus. Prob. Imago naturalis vel conſequitur ad rationem filij, & tunc non eſt formale conſtitutiuum, Vel idem eſt, ac ratio filij, & tunc erit idem, ac ſi dicatur, Filium eſſe genitum, quia eſt filius, & erit petitio principij. Deinde debet aſſignari ratio, cur Spiritus Sanctus non ſit imago naturalis.

Expenditur alia reſponſio.

SECTIO IV.

21 Secunda reſponſio eſt D. Tho. 1. *p. q.* 37. *artic.* 4. Caiet. *ibidem.* Molina *ibidem.* Ferrar. 4. *contra Gentes c.* 11. Capr. *in* 1. *diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 1. Ocham. & Gab. *diſt.* 13. *q. vnica*, & communiter Thomiſtar. & aliorum Recentiorum. Volunt autem, verbum eſſe genitum, quia procedit ſimile ex vi ſuæ proceſſionis formaliter; non autem Spiritum Sanctum, quia procedit tãtum ſimilis identicè, hoc autem prouenire, quia intellectus ex genere ſuo procedit aſſimilatiuo modo, & in Diuinis iſta aſſimilatio, quæ in creatis eſt tantum intentionalis, tranſit in naturalem ratione infinitatis, & Diuinitatis, à quibus ita perficitur, vt perfectiſſimo modo ſe habeat, perfectiſſima autem aſſimilatio euadit naturalis.

22 Dicendum eſt. *Proceſſionem verbi non eſſe generationem ex eo, quod tendat aſſimilatiuo modo.* Prob. In creatis nulla generatio procedit aſſimilatiuo modo, ſed tãtum modo communicatiuo, & ſimilitudo habetur ex eo, quod communicetur eadem natura, ergo etiam in Diuinis.

23 Dices. Requiri hanc conditionem, quia generatio Diuina eſt ſecundum intellectum. Contra. Quod tendat aſſimilatiuo modo, habet ex modo tendendi intellectus vt ſic, non autem ex peculiari ratione, ex qua habeatur vera, & conſubſtantialis generatio per intellectum. Deinde. Conditio propria, per quam aliquid intrinſecè conſtituitur, non poteſt alteri conuenire, ergo cum procedere aſſimilatiuo modo reperiatur, vbi non eſt generatio, non poteſt pertinere ad formale conſtitutiuum generationis. vt ſic. Tum quia neque poteſt reperiri, niſi conſtituat talem generantem. Confirmatur. Ideo ſimilitudo conſtituit filium in eſſe filij, quia tranſit in naturalem; quia identificatur cum natura Diuina ratione infinitatis, ergo filius, tantum identicè procederet ſimilis naturaliter, quod etiam conuenit Spiritui Sancto.

24 Probatur ſecundò. Sequeretur, quod Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis formaliter procederet ſimilis in Natura, atque adeo eſſet genitus. Sequela probatur. Ex vi ſuæ proceſſionis formaliter procedit vt vnio affectiua, & hæc vnio ratione Diuinitatis ita perficitur in ratione vnionis, vt tranſeat in vnionem naturalem, ergo Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis formalis procedit vt vnum in natura cum Patre, & non tantum identicè ergo vt ſimilis, quia vnitas naturæ ponit ſimilitudinem.

An verbum ſit Genitum, quia formaliter ipſi communicetur intelligere.

SECTIO V.

25 Reſpondetur affirmatiuè Suarez *lib.* 11. *de Trinit. cap.* 5. *&* 6. & alij Recentiores, qui tenent intelligere eſſe formale conſtitutiuum Diuinæ naturæ; cum enim communicetur ex vi proceſſionis formaliter hoc formale conſtitutiuum, ſequitur, quod Filius accipiat à Patre naturam ſub ratione naturę, atque adeo ſit filius; Spiritũ autem Sanctum non eſſe genitum, quia cum non communicetur formaliter intelligere, nec etiam formaliter communicatur natura, ſed tantum identicè.

26 Dicendum eſt. *Proceſſionem Verbi, non eſſe generationem ex eo, quod per ipſam formaliter communicetur intelligere, vt formale conſtitutiuum Diuinæ naturæ;* ſequitur ex dictis in ſuperioribus vbi oſtendimus ex vi proceſsionis formaliter non communicari aliquid ſpeciale attributum.

Probatur; debet aſsignari diſcrimen inter vtramque proceſsionem independenter à noſtro intellectu, quia ſicut à parte rei vna proceſsio eſt generatio, alia ſpiratio, ita debent id habere ratione alicuius, quod ſit tale à parte rei. Natura autem à parte rei non dicit ſolum intelligere. Tum quia in ratione naturæ eſt infinita ſimpliciter, & eſt natura per eſſentiam, atque adeo infinita in ratione entis. Tum quia quidquid pertinet ad eſſentiale Conſtitutiuum realiter, & phyſicè, pertinet etiam ad realem, & phyſicam naturam; omnes autem perfectiones ſunt de eſſentia Dei. Tum quia natura Diuina à parte rei conſiſtit in ratione Deitatis; Deitas autem dicit omnẽ perfectionem, ita vt vna ablata non ſaluetur ratio Deitatis. Confirmatur. De ratione geniti eſt, vt procedat talis in natura realiter, & phyſicè, qualis eſt genitor, ergo Filius in Diuinis debet procedere vt Deus, hoc autem non ſaluatur per id, quod formaliter communicetur intelligere, quia vt procedat vt Deus, debet procedere vt conſubſtantialis in tota natura.

27 Probatur ſecundò. Quia natura intellectualis, quatenus eſt radicaliter vita intellectualis, in Diuinis tranſit ad eſſe actualiſsimum, debet in ſuo eſſe actualiſsimo, dicere, quod dicit in creatis in eſſe radicali, ſed in creatis non dum dicit in eſſe radicali intellectionem, ſed etiam volitionem, ergo in Diuinis ne dum dicet intelligere, ſed etiam velle, ergo per id, quod præciſè communicatur intelligere, non communicatur adæquata vita Dei. Confirmatur. Amare in creatis eſt vita accidentalis, ergo in Deo tranſit ad vitam ſubſtantialem. Vnde Aug. 13. de *Trin. cap.* 20. ait *ſecundum hoc viuit quiſque, quod diligit*, ergo ſi communicatur tantum intelligere, non communicatur vita Diuina adæquata.

An Verbum ſit genitum quia procedat ſimile principio quo *totali.*

SECTIO VI.

28 Prima ſententia eſt affirmatiua: vult enim, quod de ratione geniti ſit, quod procedat ſimilis principio *quo* totali, quod conuenit ſoli Verbo, quia natura, ſeu intellectus eſt principium radicale, & veluti genericum, fit autem proprium ratione fœcunditatis ſecundum intellectum, vnde natura cum intellectu fœcundo, eſt principium *Quo* totale; Fœcunditas autem conſiſtit in eo,

Digitized by Google

eo, quod eſſentia ſe habeat per modum ſpeciei impreſſæ, & ideo cum ſolum verbum procedat ſimile ſpeciei impreſſæ, procedit ſimile ſuo principio *quo* totali. Ita Amicus 1. *part. diſput. 38. ſect. 7. num. 16.* & alij Recentiores.

29 Dicendum eſt. *Verbum non eſſe genitum ex eo, quod procedat ſimile principio, quo, totali, prout ſe habet ad modum ſpeciei impreſſæ.* Probatur eſſentia, vt ſe habet ad modum ſpeciei impreſſæ, non ſe habet ad modum naturæ, ſed eſt in genere obiecti, ergo aſſimilatio cum ipſo non concernit ad formalem rationem generationis, quia generatio tendit ad ſimilitudinem geniti cum natura genitoris in ratione naturæ. Confirmatur ex hoc ſequitur, quod procedat ſimile obiecto, non autem principio generandi; nam aſſimilatur ipſi vt obiectum eſt, non verò, vt eſt principium. Confirmatur ſecundò. Sine tali modo aſſimilationis, adeſt ſimilitudo naturalis, quæ ex genere ſuo ſufficit ad ſaluandam rationem filiationis, ergo. Probatur ſecundò fæcunditas voluntatis eſt fæcunditas inclinatiua per modum principij, & terminus eſt ipſa inclinatio, ergo terminus procedit vt ſimilis principio totali, prout ſecundo, & tamen non eſt filius.

An Verbum ſit genitum, quia ipſi communicetur natura ſub ratione naturæ.

SECTIO VII.

30 PRima ſententia eſt affirmatiua. Aſſerit enim, quod ſimilitudo geniti ad genitorem debet attendi inter principium formale, & terminum formalem; non autem inter principium materiale, & terminum materialem, & vuult, quod principium formale Verbi, ſit communicatiuum formaliter naturæ, ſub ratione naturæ, quia eſt virtus productiua, quæ accipit determinationem in agendo à natura, & exprimit adæquatam efficaciam ipſius in ratione naturæ; quod non conuenit ſecundariè virtuti, & ideo eſt etiam communicatiua naturæ, ſub ratione naturæ, vt termini formalis. Ita Richard. *in* 1. *diſtinction.* 3. *quæſt.* 3. Scot. *quæſt. vnica* §. *Ad quæſtionem reſpondeo*, Smiſing. *diſp.* 3. *de Deo Trino. quæſt.* 2. *num.* 125.

31 Dicendum eſt. *Verbum non eſſe genitum ex eo, quod procedat per primariam virtutem communicatiuam naturæ ſub ratione naturæ.* Probatur, Non minus filius procedit conſubſtantialis Patri, quàm Spiritus Sanctus, ergo procedit vt habens eamdem naturam, ita vt terminus proceſſionis ſit eadem natura ſecundum eſſentialia.

32 Dices, Eſſe eandem naturam, ſed ſub diuerſa ratione formali. Contra. Conſubſtantialitas eſt communis, vtrique termino, ergo non poteſt in aliquo ipſorum eſſe formalis ratio, quia formalis ratio debet eſſe propria cuiuslibet proceſſionis. Confirmatur. Eodem modo, & ex eadem radice vterque terminus requirit conſubſtantialitatem, nimirum quia proceſſio eſt diuina, & infinita, ergo in nullo poteſt eſſe formalis ratio termini, & conſequenter neque ratio naturæ, quia ratio naturæ importat conſubſtantialitatem. Confirmatur ſecundò. Vbicunque eſt illud, in quo conſiſtit ratio formalis, ibi eſt etiam conſtitutum, quia non poteſt poni cauſa formalis ſine effectu formali, etiamſi non ſe habeat formali modo, ſed materialiter. Sic quia ratio ſenſitiua eſt conſtitutiua animalis, tam in brutis, quam in homine adeſt ratio animalis, licet in brutis ſe habeat formali modo, in homine verò materialiter, ergo ſi ratio naturæ in filio conſtituit ipſum in ratione geniti, conſtituet etiam Spiritum Sanctum ſaltem materiali modo, cum in ipſo quoque reperiatur.

33 Probatur ſecundò. Vel intellectus ponit in filio naturam ſub ratione naturæ, vt virtus intellectiua. Vel vt diuina, & infinita; Non primum quia ex genere ſuo virtus intellectiua neque materialiter communicat naturam, ſed tantum ponit in termino repræſentationem obiecti per modum ſpeciei expreſſæ. Si ſecundum; ergo conueniet etiam voluntati, quia eſt ſimiliter infinita virtus diuina. Confirmatur natura diuina non communicatur per proceſſiones, vt eadem numero, cum producente, niſi quatenus proceſſiones ſunt infinitæ ad terminum infinitum, ergo quod in filio ſit eadem cum producente, non prouenit ex aliqua peculiari determinatione, virtutis intellectiuæ, quæ ſit à natura, atque adeo, non poteſt ratio naturæ ſe habere in filio, vt terminus formalis.

Aſſignatur ratio, cur tantum prima proceſſio ſit generatio.

SECTIO VIII.

34 NOtandum primò. Quod ſicut generatio contracta ad generationem viuentium, acquirit aliquam ſpecialem rationem, qua determinetur ad talem generationem, ita etiam contracta ad generationem viuentium cognoſcitiuorum, acquirit aliquam aliam ſpecialem determinationem. Cum enim vita communicata ſit cognoſcitiua, habet aliquid ſpeciale genitum in ratione ſimilitudinis, non ſolum materialiter, ſed etiam formaliter, quod in eo conſiſtit, quod genitor, & genitus agnoſcant inter ſe hanc ſimilitudinem, vnde ſimilitudo non eſt pura ſimilitudo, quia hæc quoque reperitur inter inanimata, ſed eſt etiam imago, nam exercet rationem imaginis inter genitum, & genitorem ille enim cognoſcit in ſe Patrem ſecundum ſimilitudinem naturalem, & Pater ſe cognoſcit in filio, vt in naturali imagine.

35 Notandum ſecundò. Ex hoc ſequi mutuum amorem; cum enim quodlibet cognoſcens ſit ex natura ſua inclinatū ad ſe amandum pater cognoſcens ſe repræſentari in filio, amat filium naturali amore tanquam aliquid ſui, & filius amat patrem, quia cognoſcit patrem tanquam illum, cuius ipſe eſt naturalis imago, vt docet Ariſtoteles 8. *Ethicorum capit.* 12. Hinc tantum genito, & genitori cognoſcentibus tribuuntur, cum proprietate nomina Patris, & filij, quia ſunt nomina amoris, & important illam mutuam conuerſionem, qua genitor, & genitus in ſe inuicem per amorem conuertuntur, vt etiam ait D. Thom. *lect.* 4. *in cap.* 3. *Epiſtol. ad Epheſ.*

36 Notandum tertiò. Hoc eſſe diſcrimen inter modum operandi intellectus, & voluntatis; quod voluntas non præconcipit in ſe, neque format terminum, ſed fundatio ipſius conſiſtit ſolum in virtute inclinatiua; Intellectus, vero ita fæcundatur, vt veluti concipiendo, quod eſt emiſſurus, formet in ſe ſimilitudinem obiecti, vt docet D. Auguſt. *lib.* 14. *de Trinit. cap.* 7.

37 Notandum quartò. Diſcrimen generationis, & ſpirationis non poſſe deſumi ex natura, vt etiam docet D. Thom. *quæſt.* 10. *de potentia art.* 2. Quia natura, & eſſentialia ſunt eadem omnino in omnibus perſonis; & ideo non poſſunt ponere inter ipſas aliquam diſtinctionem. Deinde filius eſt genitus ex vi ſui eſſe notionalis, vnde ratio generationis debet fundari in eſſe notionali.

38 Notandum quintò. Cum generatio non poſſit ſaluari, niſi terminus ſit ſimilis in natura ipſi producenti; hinc fit, vt ad rationem generationis, & geniti in diuinis debeat etiam natura concurrere; quia tamen non poteſt ex ſe ipſa conſtituere diſcrimen generationis, conſtituet vt determinatam per eſſe notionale. Ita

Digitized by Google

vt ipſa importet ſimilitudinem; eſſe verò notionale determinet ſimilitudinem, vt ſit illa, quæ requiratur ad generationem.

39 Dico 1. *Filium eſſe genitum, quia producitur, vt præconceptus, & præformatus in memoria paterna per modum fœtus, et conſequenter procedit per modum partus, & hoc eſt primum diſcrimen, vtriuſq. proceſſionis.* Prob. ex proprio modo tendendi generationis filius in creatis procedit vt fœtus præconceptus, ita vt hoc ſit proprium ipſius, ſed in Diuinis Filius procedit, vt præconceptus in mente Patris, quia procedit vt Verbū, de cuius ratione eſt vt præconcipiatur, ergo. Maior probatur. Quia talis modus procedendi nulli alteri competit, quam generationi, & ideo illi conuenit, vt generatio eſt. Præterea ex eo illi conuenit, quod eſt quædam vitalis communicatio ſubſtantiæ eiuſdem genitoris: illa enim præconceptio fœtus fit de ſubſtantia genitoris, & infra ipſum fœtus vitali modo formatur.

40 Dices. In purè vegetatiuis ſaluatur ratio generationis, & tamen non adeſt præconceptio fœtus. Reſpond. negando ſecundam partem aſſumpti. Quia etiam in purè vegetatiuis præformatur ſemen, vnde in omni generatione præconcipitur fœtus, magis vel minus, perfecto modo.

41 Confirmatur. Mens paterna æquiualet vtero, vt habetur Pſalm. 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te*, & proportionaliter præſtat id, quod præſtat vterus, quatenus in ipſo preformatur Verbum exprimendum tanquam fœtus, ergo ex ſuo modo tendendi, habet, quod ſit genitus, cum habeat illum modum procedendi, qui eſt proprius filiorum, vnde Nazian. orat. 49. ait. *Vides, ergo hoc Verbū bonum filium Dei eſſe, quem non aliunde, quam de paterno pectore, & de vtero cordis Dei credimus extitiſſe*, & Hilarius lib. 12. de Trinitat. *Non ne ſignificatio, qua ex vtero Deus Deum genuit, vera natiuitatis oſtenſio eſt.* Et Athanaſ. *Dial. 1. de Trinit. contra Anomeos*, docet, differentiam inter filium, & Spiritum Sanctum eſſe ex eo, quod vnus ex vtero ſit, alter ex ore.

42 Dico ſecundò. *Filium eſſe genitum, quia procedit vt notionaliter, viuens, & Spiritum Sanctum non eſſe genitum, quia non procedit vt notionaliter viuens.* Cum enim de ratione geniti ſit, vt quatenus viuens terminet generationem, quia in Deo vita ſe habet per modum actus, & importat exercitium vitæ, quod in creatis conſiſtit in operationibus vitalibus, & operationes vitales ſunt in duplici genere, ita vt aliæ dicant attingentiam obiecti, aliæ vero productionem termini vitalis, & primæ important in Deo vitam eſſentialem, quia attingere obiectum eſt commune omnibus perſonis, poſteriores verò vitam notionalem; ideo Filius procedit vt viuens, quia procedit vt producens; atque adeo vt habens vitam notionali modo. Prob. Ad ſaluandam rationem geniti in Diuinis non ſufficit vita eſſentialis, ſed requiritur etiam notionalis, ſed hæc eſt in ſolo filio, ergo. Maior prob. De ratione geniti eſt, quod procedat vt viuens à viuente, ergo eo modo debet illi conuenire ratio viuentis, quo conuenit ratio geniti, ſed ratio geniti conuenit, vt quid notionale, ergo. Minor etiā patet. Quia licet vita eſſentialis ſit communis omnibus perſonis, exercitium tamē virtutis vitalis productiuæ, quod importat aliquam rationem vitæ, non eſt commune, quia importat ipſum producere, quod non conuenit Spiritui Sancto.

43 Dices. Ratio vitæ eſt quid abſolutum, cum ſit vita per eſſentiam importans ſummam perfectionem, ergo non poteſt plurificari. Reſp. Vitam poſſe conſiderari, & ſecundum eſſe, & ſecundum modum illum habendi. Primo modo non plurificatur: ſecundo autem modo plurificatur, & modus determinat ipſam vitam ad exercitium productionis vitalis, & hoc pacto reperitur in Patre, & Filio.

44 Dices 2. Spiritus Sanctus procedit vt viuens etiam notionaliter, quia procedit vt amor qui cum in creatis ſit vitalis, in Deo eſt vita. Reſ. eo pacto, quo aliquid in creatis eſt vitale, in Diuinis eſſe vitam. In creatis autem aliquid eſt vitale per modum exercitij vitæ, quod importat productiones, & hoc tranſit in Diuinis in vitam formalem, actu exercitam. Aliud vero in creatis eſt vitale, vt terminus talis exercitij, & hoc in Diuinis tranſit in vitam, prout habet rationem termini, quod non eſt aliud, quàm vita eſſentialis, vt perſonaliter terminata; ſicut enim ratio termini in creatis non importat formaliter vitalitatem, ſed tantum identicè: ita nec in Diuinis importat vitam. Ratio autem exercitij in creatis formaliter importat vitalitatem, & ideo in Diuinis importat formaliter aliquam rationem vitæ.

45 Dico tertiò. *Filium eſſe genitum, quia eſt ex principio vitæ coniuncto, non autem Spiritum Sanctum, quia non eſt ex tali principio.* Prob. Ex vi generationis debet genitum habere tale principium vitæ coniunctum, vt ex vi ipſius, tanquam ex radice habeat illum actum vitæ, quo conſtituitur in eſſe viuentis: hoc autē præſtat eſſentia diuina reſpectu Filij, & non reſpectu Spiritus Sancti, ergo. Minor prob. Quia vita, qua viuit genitum, debet eſſe propria illius, alioquin non erit vita genita, & ideo in Diuinis debet eſſe notionalis. Eſſentia autem Diuina ſolum in filio determinatur ad vitam notionalem, & ideo in ipſo eſt principium vitæ coniunctum.

46 Dico quartò. *Ex eo quoque filium eſſe genitum, quia ratione generationis habet illam ſimilitudinem, quæ eſt propria filiorum.* Prob. Similitudo naturæ in filio non dicit habere tantum eamdem naturam cum Patre vitali modo communicatam: ſed inſuper dicit ſimilitudinem, quæ exigat habere annexum principium cognoſcitiuum, quo filius ſe cognoſcat vt imaginem Patris, & etiam aliud principium, quo per amorem ſe conuertat in Patrē, ſed tātum filius habet annexum tale principium, ergo. Minor patet. Quia cum Spiritus Sanctus non ſpiret non ſe conuertit per amorem in Patrem.

47 Dices. Spiritus Sanctus amat Patrem, & Filium, ergo Reſp. Amare amore eſſentiali, qui modus amandi non importat conuerſionem naturalem in rem amatam, nec habet talem amorem ex eo, quod in ſe cognoſcat ſimilitudinem Patris, nec eſt ipſe amor notionalis, quo filius conuertitur in Patrem, & Pater in filium, & ideo non habet producere ratione ſui eſſe notionalis aliquem nexum, quo ſe connectat cum Patre, & Filio, ſicut connectuntur Pater, & Filius ſpirando Spiritum Sanctum, vnde non eſt amans notionaliter, ſed eſt amor notionalis, quo cæteræ perſonæ ſe amant.

Soluuntur nonnullæ difficultates.

SECTIO IX.

48 PRima difficultas eſt. Quomodo Filius eo ſit filius, quo eſt Verbū, & è cōtra vt ait Aug. 7. *de Tri. c. 2.* & tamen ratio filij non conſiſtat in ratione imaginis intentionalis. Reſp. Filiū eſſe Filiū per id, quod eſt Verbū non ſub quocunq: conceptu Verbi; ſed tantū per id, quod Verbū eſt terminus vitalis habens vitā notionalē, non autē prout repræſentat obiectū. Et ratio eſt, quia ratio imaginis intentionalis in Diuinis tranſit in naturalem, ſiquidē Verbum eſt naturalis imago: vnde non eſt in Deo ſecundum hanc rationem. Imago autem naturalis determinata per alias notiones explicatas conſtituit in eſſe filij.

49 Secunda difficultas. Quomodo cum terminus productus ex ſuo modo tendendi debeat correſpondere principio ſpecifice conſiderato, filius vt genitus non debeat eſſe imago intētionalis, ſiquidē principiū ipſius eſt intellectus, qui ex ſua ratione ſpecifica tendit ad imaginem intentionalem. Reſp. Verbum vt terminum correſpondere quidem ſuo principio, non tamen ſequitur, quod ſit imago intentionalis. Nam ſicuti in creatis Verbum eſt imago intentionalis, quia exprimitur ex principio, cuius fæcun-

fæcunditas eſt aliquid intentionale, nempe ſpecies impreſſa. Ita in Diuinis cum exprimatur in memoria Patris, cuius fæcunditas non eſt aliquid intentionale, cum non ſit ſpecies impreſſa obiecti, ſed ipſamet natura obiecti, vnde eſt fæcunditas naturalis, & ideo, vt Verbum correſpondeat, debet eſſe imago naturalis, in qua tamen ſaluatur expreſſio obiecti, quia expreſſio, quæ in creatis fit intentionali modo, in Diuinis fit naturali modo.

50 Tertia difficultas. Quomodo ſecundum eſſe notionale ſaluetur, quod Filius ingenitus, cum debeat eſſe eiuſdem rationis cum genitore, & eſſe notionale Filij, non ſit eiuſdem rationis cum eſſe notionali Patris. Reſp. Debere procedere eiuſdem rationis, quò ad naturam, & ideo ſufficit, ſi eadem natura ſit in Filio cum tali determinatione, qua determinetur ad eſſe geniti; ita tamen, vt ſaluetur diſcrimen Patris, & Filij; hæc autem determinatio, fit per eſſe notionale.

51 Quarta difficultas. An Spiritus Sanctus procedat vt Deus, ex vi ſuæ proceſſionis formaliter. Reſp. affirmatiuè Quia procedit vt conſubſtantialis, & vt amor infinitus diuinus; vnde debet habere ex vi proceſſionis formaliter totum id, quo eleuatur ad eſſe Diuinum infinitum, quod nō eſt aliud, quàm infinitas eſſendi.

DE PERSONA PATRIS.

DISPVTATIO LXVI.

Quomodo nomen Patris dicatur de prima Perſona.

SECTIO I.

1 NOmen Patris in Diuinis dicitur notionaliter, ſeu ad intra, & eſſentialiter, ſeu ad extra in ordine ad creaturas, iuxta illud Deuter. 32. *Nonne ipſe eſt Pater ſuus?* Difficultas autem eſt, quomodo dicatur de prima perſona.

2 Dico primò. *Nomen Patris dicitur de prima perſona propriè.* Proprietas autem conſiſtit in hoc, quod excludatur metaphora, & appropriatio: eſt de fide. Tum quia de fide eſt in Diuinis dari verum filium ad intra conſubſtantialem, vt habetur ex ſymbolo Niceno. Tum quia vna tantum ex tribus perſonis eſt Pater, vt habetur ex ſymbolo Athanaſij, Tum quia id eſt definitum in Cap. *Damnamus De ſum. Trin.* vbi habet Trinitatem eſſe vnam ſummam rem, quæ eſt veraciter Pater. &c.

3 Dico ſecundo. *Hoc nomen Patris non explicare adæquate eſſe notionale primæ perſonæ.* Prob. Quia non explicat ipſum, in quātū ſpirat; nec ſecundū rationē ingeniti.

4 Dico tertiò. *Nomen Patris excellentiori modo conuenire primæ perſonæ quam conueniat creatis, & ratione ſupereminentiæ tranſire ad diuerſum conceptum in perfectione.* Prob. Tranſit in Paternitatem, per eſſentiam, & infinitam, ergo infinito modo eleuatur ſupra paternitatem creatam.

5 Dico quartò. *Nomen Patris quo ad rem ſignificatam conuenire primæ perſonæ cū maiori veritate, & proprietate, quàm conueniat creatis.* Prob. Quæ ſunt participata, ſunt talia per ordinem ad ea, quæ ſunt per eſſentiam, & habent ſuam veritatem ex participatione, paternitas autem in Diuinis eſt paternitas per eſſentiam; in creatis autem participata. ergo

6 Dico quinto. *Paternitatem notionalem prius conuenire primæ perſonæ, quam conueniat Deo paternitas in ordine ad creaturas,* ita communiter cùm D. Thoma 1. *p. q.* 33. artic. 2. Prob. Per prius Deo conuenit, quod dicitur de ipſo propriè, quam quod dicitur metaphoricè, quia metaphoricum ex natura ſua eſt poſterius proprio. Nomen autem Patris in ordine ad creaturas eſt metaphoricum, quia creaturæ non habent naturalem ſimilitudinē, cū Deo. ergo

7 Obijcitur. Deum eſſe Patrem reſpectu creaturarum, & eſt quid eſſentiale; eſſentialia autem ſunt priora notionalibus, ergo. Reſp. Deum eſſe Patrem reſpectu creaturarum conuenire quidem ratione eſſentialium, ſed ſuppoſita operatione ad extra, quæ ſicuti eſt poſterior omnibus notionalibus; ita etiam ratio Patris.

An eſſe ingenitum conueniat Patri.

SECTIO II.

8 SVpponendum eſt. Patres aliquando reſpuiſſe nomen *ingeniti*, quia heretici in prauo ſenſu illud accipiebant, nempe pro eo, quod non eſt Pater, vnde inferebant, Filium eſſe Patrem, quia eſt genitus, & in hoc ſenſu fuit reiectum à Patribus.

9 Supponendum ſecundo. Nomen *ingeniti* ſignificare excluſionem cuiuſcunque productionis, vnde multipliciter accipitur. Primo pro eo, quod non eſt factum per generationem, poteſt tamen fieri. Sic Adam dicitur ingenitus. 2. pro eo, cui repugnat fieri per generationē, ſic Angeli dicūtur ingeniti; tertio pro eo, quod nullo modo eſt factū, ſed habet eſſe per eſſentiā, ſic Deus dicitur ingenitus; quarto pro eo, cui repugnat omnis productio, etiam quæ non ſit factio, & hoc pacto dicitur tātū de 1. perſona Trinitatis.

10 Dicendū eſt. *Nomen ingeniti eſſe proprium Patris, ita vt nulli alteri conueniat, ſi ſumatur vt importat excluſionem cuiuſcumq; productionis.* Deſumitur ex Concilio Niceno *lib. 2. §. Sæpe numero* vbi hæc tanquā credēda proponuntur. *Vnus ingenitus Deus Pater, Vnus ex eo genitus vnigenitus Filius Deus.* Et ex Concilio Tolet. 11. *in confeſs. fidei* Prob. In Patre Diuino reperitur, quod explicatur per nomen, *ingeniti*, ergo debet illi conuenire vt proprium. Antec. prob. Pater ſecundū ſuū peculiarē modū ſubſiſtendi in hoc diſtinguitur ab alijs perſonis quod excludat omnem productionem, & principium. ergo

11 Colligitur ex dictis. Spiritum Sanctum, non poſſe dici ingenitum, quia licet excludat productionem per generationem, non tamen excludit omnem productionem.

Quid dicat ratio ingeniti.

SECTIO III.

12 SVpponendum eſt. Nomen, *ingeniti*, nō importare poſitiuā relationē ſupra Paternitatē, & ſpirationē; nā nō poteſt eſſe relatio ad terminū prędictū, quia hęc eſt relatio principij, nec relatio ad principium, vt patet. Nulla autem alia relatio poteſt in Diuinis reperiri.

13 Supponendum ſecundo. Neque importare illam auctoritatem vniuerſalem, qua Pater eſt fontalis plenitudo diuinitatis, quia hæc fontalis plenitudo importatur per Paternitatem, & ſpirationem, & licet ex eo, quod Pater ſit ingenitus, ſit etiam fontalis plenitudo; non tamen formaliter, ſed veluti conſequutiuè.

14 Communis ſententia docet, de ſuo formali importare aliquid negatiuum, quod habeat fundamentum poſitiuum. Ita D. Thomas. 1. *p. q.* 33. *art.* 4. *ad* 1.

15 Dico 1. *Nomen ingeniti, quò ad modū ſignificandi ſe habere negatiuo modo,* & hoc Patres intelligūt, quādo docēt ſignificare aliquid negat. Probat. Quia per hoc nomen concipimus excluſionem cuiuſcunq; productionis.

16 Dico 2. *Nomen ingeniti quò ad rem ſignificatā, importare aliquid poſitiuū.* Deſumitur ex Conc. Tol. 11. *in prof. fidei vbi habetur, ſi modū, quo Pater conſiſtit, queras cū eum à nullo alio ortū videas, ingenitum appellamus;* Et D. Auguſt. in explicatione fidei, de Trinitat. *Si verò ingeniti vocabulum conſiderans, ſubſiſtentiæ modū ſignificare ad inuenies,* Prob. Habere eſſentiam communicatā

Digitized by Google

ab alio importat modum poſitiuum ſubſiſtendi, ergo habere, & non communicatam ab alio, importabit alium modum ſubſiſtenti. Hinc Nyſſen. *lib. Quod non tres Dij* ait. *Si quis dicet aliquid ita eſſe, quaſi non genitum ſit, quomodo ſit, ponit.*

17 Dices. Significare modum ſubſiſtendi materialiter, non autem formaliter. Contra. Modus ſubſiſtendi poſitiuus eſt ratio, cur Perſona Patris ſubſternatur ſignificationi ingeniti. ergo

18 Dico tertiò. *Hoc poſitiuum importare eſſe notionale Patris, quatènus dicit rationem primi termini perſonalis.* Prob. Pater eſt Pater ex ſe, & non ex vi productionis, ergo hypoſtaſis ipſius importat rationem primi termini, quæ per rationem ingeniti explicetur.

19 Obijcitur: in Deo nihil poſitiuum poteſt ſignificari niſi natura, & relatio, ergo. Reſpondet. negando conſequentiam; Nam nomen ingeniti ſignificat relationem, non ſub conceptu referendi, ſed primi termini perſonalis; quia relatio patris ex eo, quod eſt paternitas, eſt etiam in natura Diuina primus terminus perſonalis.

An, & quomodo Pater ſit principium,

SECTIO IV.

20 De fide eſt, Patrem eſſe principium Filij, & Spiritus Sancti, vt habetur in 6. Synodo *act.* 11. *in Epiſt. Sophron.* & *cap.* 1. *de ſumma Trinit. in* 6. Ratio eſt, quia Pater eſt id, à quo Procedunt aliæ Perſonæ per veram originem. Difficultas autem eſt, an cum etiam filius ſit principium, conueniat Patri aliquo peculiari modo eſſe principium.

21 Dico primò. *Patrem ſpeciali modo eſſe principium ex eo, quod eſt principium omnino à ſe, & Filius eſt principium de principio.* Ita D. Auguſt. *lib.* 3. *contra Maximum cap.* 17. Prob. Tota ratio principij, quam habet Pater, non eſt ab alio, ſicuti eſt in filio cur communicatur à Patre. ergo

22 Dico ſecundò, *Patrem ex eo ſpeciali modo eſſe principium, quia eſt principium totius Deitatis* ita in Concil. 6. Tolet. *cap.* 1. & in Tolet. 11. *in profeſs. fidei*. Prob. Hypoſtaſis Patris ita terminat naturam, vt illam ſpeciali modo reddat conſpicuam in Patre. Rurſus eſt ratio, cur eſſentia communicetur alijs perſonis, ergo eſt ratio cum in ipſis conſpicua fiat ſecundum proprios modos hypoſtaſis, ergo hoc pacto eſt principium totius Deitatis.

23 Obijcitur: ſequeretur, Patrem eſſe principium ſui, quia habet in ſe Deitatem. Reſpon. negando ſequelam. Quia eſt ratio, per ſuum eſſe notionale, cum Deitas habeat ſpeciales modos hypoſtaſis, vnde ſequitur tantum, quod ſit principium faciens terminari deitatem proprijs characteribus; non autem, quod ſit principium productiuum ſui ipſius.

24 Obijcitur ſecundò. Sequeretur, etiam Filium eſſe principium Deitatis, quia ratione ſuæ hypoſtaſis etiam terminat, & facit, vt communicetur Spiritui Sancto. Reſpond. negando ſequellam. Quia non eſt prima ratio, principij, ſicuti eſt Pater.

25 Dico tertiò. *Patrem ex eo etiam ſpeciali modo eſſe principium quia eſt principium Trinitatis*, Deſumitur ex Concilio Tornac. *in profeſs. fidei*. Probat. Pater eſt prima perſona Trinitatis, ergo erit principium Trinitatis, ſicuti vnitas eſt principium numeri, quia ab ipſa incipit numerus.

26 Quæres. An Pater poſſit dici initium. Reſpond. negatiuè; Quia initium ſignificat principium durationis, vt notat Athanaſius *orat.* 3. *contra Arrianos*.

27 Quæres ſecundo. An poſſit dici Filium habere principium, Reſpond. Licet poſſit dici Filium eſſe à principio, non tamen poteſt dici habere principium, nam habere principium ſignificat incipere.

28 Quæres tertio, An filius poſſit dici principiatus. Reſpond. negatiuè cum D. Thoma *opuſc.* 1. *contra Grecorum errores cap.* 1. Quia licet principiatum ſit correlatiuum principij; non tamen dicit ſolam rationem correlatiui, ſed importat etiam quandam dependentiam, & inferioritatem,

Quomodo ſe habeat ratio principij in Deo.

SECTIO V.

29 Principium in Deo dicitur notionaliter, & eſſentialiter quæritur; ergo quomodo ratio principij ſe habeat ad vtrumque. Communiter aſſerunt, ſe habere analogicè: ita vt per prius dicatur de notionali, quàm de eſſentiali; Durand. tamen *in* 1. *diſt.* 29. *q.* 1. *n.* 9. aſſerit, per prius dici de eſſentiali, quia per omnipotentiam terminus producitur ſimpliciter. Gabriel vero *in* 1. *diſt.* 29. *q.* 1. vult dici æquiuocè.

30 Dico primo. *Principium eſſentiale, & notionale importare diuerſas rationes principij, quæ in ratione principij ſint diuerſæ.* Probat. Tota ratio principij notionalis eſt per modum actualis productionis, & ex prima ſua ratione eſt actu principians; principium vero eſſentiale, ſecundum ſe totum eſt per modum potentiæ, & illi repugnat ex intrinſeca ſua ratione, eſſe actu principians, ergo ſunt rationes principij ſe totis diuerſæ,

31 Dico ſecundo, *A parte rei nullam eſſe analogiam, aut æquiuocationem*. Prob. A parte rei nulla eſt diſtinctio inter has rationes principij; ad analogiam autem, aut æquiuocationem requiritur aliqua diſtinctio,

32 Dico tertio, In eſſe obiectiuo ſe habere equiuoce æquiuocatione incompleta, hoc eſt, quæ non ſit ſecundum aliquam integram eſſentiam. Probatur. In eſſe obiectiuo, ſunt rationes principij omnino diuerſæ, & habent nomen commune. ergo

33 Quæres. An Pater poſſit dici cauſa filij. Reſpondet. A Græcis poſſe dici, quia apud ipſos principium, & cauſa, nullo modo diſtinguuntur, vnde in Concilio Florentino definitur Patrem, & filium ſecundum Græcos eſſe cauſam Spiritus Sancti; ſecundum latinos vero principium. Hinc apud latinos non poteſt dici, quia diſtinguuntur inter principium, & cauſam in eo, quod principium ſolam originem; cauſa vero connotat etiam dependentiam in termino.

34 Quæres ſecundo. An Pater ſit auctor filij. Reſpond. affirmatiuè, & hunc modum loquendi vſurpant Patres, vt Dyonyſius *cap.* 1. *de Cæleſti hierarchia*. Athanaſius *dialogo* 1. *contra Macedonium*. Aug. *lib.* 3. *contra Maximū cap.* 14. Nomen enim Auctoris ſignificat tantum originem vnde etiam filius poteſt dici Auctor Spiritus Sancti, vt loquuntur Patres, vt Athanaſius *Epiſtola ad Serapien.* Hilarius *lib.* 2. *de Trinit.* & alii. Dicitur tamen auctor de auctore, ſicuti eſt principium de principio.

DE SECVNDA PERSONA Trinitatis,

DISPVTATIO LXVII.

An ſit propriè Verbum.

SECTIO I.

1 Svmitur Verbum prout eſt conceptus mentis, expreſſiuus obiecti cogniti, per modum imaginis. Dicendum eſt. *De fide eſſe Filiū Dei eſſe propriè Verbū ſine metaphora.* Probatur. Ioan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat*

Vir-

Digitized by Google

Verbum. Et rurſus. *Et Verbum Caro factum eſt*. Non poterat autem metaphoricè loqui, quia ordinauit narrationem ad explicandum, quomodo incarnatio ſit facta in perſona Filij Dei.

2 Dico ſecundò. *Hoc Verbum, non eſſe prolatiuum, ſed ſubſtantiale, viuens, & Aeternum*, eſt de fide. Prob. Ioan. 1. *Deus erat Verbum*, ergo ſi Deus eſt Verbum, oportet, vt ſit ſubſtantiale, viuens, æternum; hinc Athanaſius orat. 2. contra Gregal. Sabel. *Si Deus Verbum in mente habet, non autem re vera, ex ipſo genitum, vt Deum de Deo, quomodo poterit eſſe apud Deum, Verbum, aut quomodo Deus fuerit? Non enim Verbum in mente hominis conceptum homo eſt apud hominem, cum nec viuat, nec ſubſiſtat*.

3 Dico tertiò. *Verbum in Diuinis dici ſecundum rationem longe diuerſam, ac dicatur in creatis ratione perfectionis*. Prob. Verbum in creatis ſignificat conceptum mentis accidentalem; in Diuinis autem importat Verbum viuens, & eiuſdem naturæ cum producente, ita vt in ijs omnibus, in quibus proportionaliter conueniunt, infinitè diſtent, ergo

An Verbum dicatur eſſentialiter, an verò Notionaliter.

SECTIO II.

4 PRima ſententia eſt Durandi *in 1. diſt. 7. q. 2.* qui vult, Verbum dici eſſentialiter, ſicuti etiam dicitur intelligere, & ſolum per appropriationem conuenire ſecúdę perſonæ. Prob. Verbum non eſt aliud, quàm actus intelligendi, nam per ipſum conſtituitur formaliter intelligens, ergo; ſecundò. Intelligere non eſt aliud, quàm concipere Verbum; omnes autem perſonę intelligunt; tertiò. Si Deus non eſſet Trinus, haberet Verbum ſibi eſſentialiter conueniens, ergo; quartò. Actus notionalis non tranſit ad creaturas, nec reflectitur ſupra perſonam producẽtem, ſed dicere tranſit ad creaturas, & reflectitur; nam Pater dicit creaturas, & etiam ſe ipſum, ergo dicere non eſt notionale, ergo nec etiam Verbum; quintò. Pater loquitur ad Filium, ergo Filius non eſt Verbum, ſed audiens Verbum.

5 Secunda ſententia ait, Verbum dici perſonaliter, & ita accipi à ſcripturis, & à Patribus, & ideo ita loquendum eſſe, quantum tamen eſt ex vi ſignificationis, poſſe accipi etiam eſſentialiter. Ita D. Tho. *in 1. diſt. 27. q. 2. art. 2.* Capreolus *art. 1. concluſ.* 4. Ferrar. 4. *contra Gentes cap.* 13. Valentia *in controuerſijs lib. 1. de Trinitat. cap. 3.* Prob. Verbum correſpondet ipſi dicere, quod nedum eſt notionale, ſed etiam eſſentiale, ergo dicitur eſſentialiter, & notionaliter, ſicuti etiam dicitur amor.

6 Tertia ſententia aſſerit, Verbum dici tantum notionaliter, ita Alens. *1. p. q. 62. mem. 2.* D. Bonau. *in 1. diſt. 27. p. 2. art. 1. q. 1. & 2.* Scotus *q. 2. & 3.* Gabriel *q. 7.* Caiet. *1. p. q. 34. art. 2.* Vaſquez *diſput. 141. cap. 3.* Suarez *lib. 9. de Trinit. cap. 3.* D. Thomas *1. p. q. 34. art. 2.* vbi præcedentem ſententiam retractauit.

7 Dico primò. *De fide eſſe Verbum in Diuinis accipi notionaliter*, deſumitur ex Concil. Nicæno *lib. 2. §. Sancta, & magna, & in profeſſ. fidei*, & Concil. Calced. *act. 5. in def. 2.* Conſtantinop. *2. act. 8. can. 4. & ſequent.* Probat. Ioan. 1. *Verbum Caro factum eſt*. Loquitur autem de Verbo, quod erat apud Deum. Tum quia de ipſo ſubdit, *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti*, ergo cum ſit ſermo de Perſona, vt contradiſtincta ab alijs quæ ſit Verbum, non poteſt Verbum importare aliquid eſſentiale.

8 Reſpondet Durandus. Dici Verbum per appropriationem. Contra. Quia perſonæ Diuinæ non contradiſtinguuntur ad inuicem, per appropriationem. Deinde intendebat Ioan. declarare myſterium Incarnationis, & quomodo ſecunda perſona Trinitatis ſit incarnata, vt autem ſtatueret fundamentum huius declarationis, docet exiſtentiam talis perſonæ ſub nomine Verbi, ergo Verbum importat eſſe perſonale ipſius, nam opus erat exprimere perſonam ſecundum proprium eſſe.

9 Dico ſecundò. *Verbum ſecundum propriam rationem non poſſe accipi eſſentialiter*. Probatur. Implicat, quod eadem ratio, quæ dicitur eſſentialiter, dicatur notionaliter, & è contra, ergo. Antecedens probatur. Quod ſemel dicitur eſſentialiter ex intrinſeca ſua ratione eſt communicabile, & exigit eſſe in pluribus, quod verò dicitur notionaliter, non poteſt eſſe in omnibus perſonis, ergo. Rurſus, quod dicitur notionaliter, eſt quid relatiuum; relatiua autem non poſſunt eſſe eſſentialia. Confirmatur. Quod dicitur notionaliter, eſt aliquid productum per eſſentiam, quod autem dicitur eſſentialiter, non poteſt eſſe productum.

10 Ad primam primæ ſententiæ negatur aſſumptum. Nam Verbum non eſt formaliter actus intelligendi, nec per ipſum formaliter conſtituitur intelligens, alioquin Pater in Diuinis intelligeret Verbo, quod negat Auguſt. *lib. 15. de Trinit. cap. 7.* ſed eſt tamen ratio repræſentatiua obiecti. Ad ſecundum. Omne intelligens concipere Verbum, non vt formaliter intelligens, ſed vt habet intellectum fœcundum; iſta autem fœcunditas formali modo reperitur tantum in Patre, vt ſupra explicauimus, & ideo ſolus Pater exprimit Verbum.

Ad tertium. Si Deus non eſſet Trinus, nec etiam eſſet intelligens, quia ſicuti tunc tolleretur Verbum ita conſequutiuè tolleretur intelligere. Ad quartum. Actum notionalem poſſe conſiderari, & ſecundum rationem productionis, & ſecundum rationem Termini. Primo modo neque tranſit ad creaturas, neque reflectitur ſupra producẽtem, quia tantum terminus eſt ille, qui producitur; ſecundò modo tranſit ad creaturas, & reflectitur ſupra producentem, & ſic Pater per Verbum dicit ſe ipſum vt obiectũ, & etiam creaturas. Ad quintum. Patrem loqui ad Filium communicando illi ſuam ſcientiam, loquitur autem per ipſum Filium, quia Filius non eſt purè Verbum, *vt quo*, ſed eſt Verbum ſubſiſtens, & ideo poteſt habere ſimul rationem loquutionis, & eſſe audiens.

11 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ negatur ſecunda pars antecedentis. Nam dicere ſe habet tantum notionaliter; Amor autem dicitur notionaliter, & eſſentialiter ſecundum diuerſas rationes.

12 Ex dictis colligitur. Intelligere eſſentiale habere Verbum ſibi correſpondens, non tamen eſſentiale, ſed notionale, quia ex intrinſeca ſua ratione debet exprimi tanquam partus memoriæ Paternæ, ſufficit autem, quod Verbum notionale correſpondeat intelligere eſſentialiter: nam ſolum exigitur Verbum, vt intellectus coniungatur cum ipſo, ſufficit autem ſi in aliqua perſona coniungatur.

Quid dicat Verbum de ſuo formali.

SECTIO III.

13 IN Verbo Diuino duo conſiderantur eſſentia, & Notionale, & vtrumque concurrit ad eius conſtitutionem: non enim eſſet infinitum, niſi diceret naturam, nec eſſet Verbum, niſi diceret notionale, difficultas autem eſt, quid de formali dicat.

14 Prima ſententia aſſerit, importare formaliter, & in recto eſſentiam, relationem verò in obliquo. Ita Diuus Thomas *in prima diſtinction. 27. quæſtion. 2. artic. 2.* Capreol. *art. primo.* Ferrarien. *libr. 4. contra Gentes cap. 13. ad ſecundum dubium.* Suarez *lib. 9. de Trinit. cap. 3. n. 4.* & Alij. Prob. verbum eſt ſapientia genita, ſapientia autem dicit eſſentiam: ſecundò. verbum in creatis dicit qualitatem abſolutam, expreſſiuam obiecti, ergo etiam in Diuinis dicit aliquid abſolutum: tertiò. verbum, & Filius non ſunt ſynonyma, ergo cum Filius dicat formaliter relationem, verbum dicet formaliter eſſentiam.

Digitized by Google

15 Secunda ſententia vult, formaliter importare relationem, & eſſentiā in obliquo, ita D. Thom. 1. p. quæſt. 34. art. 1. & 2. Caiet. ibidem. D. Bonauent. in 1. diſt. 27. p. 2. art. 1. q. 1. & 2. Sc. q. 3. Gabriel art. 2. Molina 1. p. q. 27. art. 1. diſp. 7. & 8. Vaſquez diſp. 144. cap. 1. Amicus diſp. 26. ſect. 3. Ruiz diſp. 50. de Trinit. ſect. 1. Probatur. Quia nomina perſonarum primariò ſignificant relationem, Verbum autem eſt aliquid perſonale.

16 Notandum primò. Verbum Diuinum importare proportionaliter, quod importat creatum detractis imperfectionibus. Creatum autem non eſt aliud, niſi quædam ratio, quæ per modum puræ repræſentationis intentionalis continet obiectum cognitum, & ideo conſtituit obiectum præſens intellectui intentionali modo, vt docet Aug. *lib. 11. de Trin. cap. 4.* Vnde nihil aliud eſt niſi obiectum exiſtens in intellectu intentionali modo.

17 Notandum ſecundò. Imperfectionem Verbi creati in eo conſiſtere, quod tantum intentionali modo dicat eſſe obiecti; in hoc enim deficit ab eſſe obiecti, vt importet tantum quandam repræſentationem ipſius. Hoc autem in Verbo Diuino non habet locum, quia nihil, quod ſit in ipſo, poteſt deficere ab eſſe Diuino, alioquin aliquid eſſet in Deo, quod non eſſet Deus: vnde Verbum Diuinum ita debet eſſe repræſentatio intentionalis obiecti, vt ſimul etiam dicat eſſe Diuinum, quod eſt in obiecto.

18 Dico primò. *Verbum Diuinum de ſuo formali importare eſſe Diuinum, poſitum per communicationem in eſſe obiectiuo fundato in realitate eiuſdem eſſe, ita vt non dicat intentionali modo eſſe Diuinum, ſed modo reali per realem expreſſionem.* Probat. Verbum non eſt aliud, quàm terminus productionis intellectualis, per quam trahitur obiectum ad exiſtendum in intellectu intentionali modo, ergo Verbum Diuinum importat eſſe Diuinum conſtitutum in eſſe obiectiuo, non intentionali, quia hoc dicit imperfectionem, ſed reali expreſſo intellectualiter. Antecedens patet: Quia Verbum eſt imago obiecti, continens ipſum repræſentatiuo modo. Conſequentia prob. Quia Verbū Diuinū producitur ex notitia eſſe Diuini, & ideo eſſe diuinū debet poni per Verbū in eſſe obiectiuo.

19 Dico ſecundò. *Hoc eſſe Diuinum ſic conſtitutum nō importare eſſentiam in recto, & relationem in obliquo.* Prob. Si Verbum Diuinum diceret eſſentiam in recto, conſtitueretur, & determinaretur in eſſe Verbi per eſſentiam, ergo eſſentia conſtitueret omnes perſonas in eſſe Verbi, quia vt talis eſſet determinatiua Verbi.

20 Dico tertiò. *Neque in recto importare ſolam relationem.* Probatur. De ratione Verbi eſt, quod ſit expreſſa imago obiecti, atq; adeo quod repræſentatiuo modo ipſum contineat, ergo debet dicere in recto hanc repræſentationem, hæc autem repræſentatio non ſaluatur per ſolam relationem, nam debet continere totum eſſe Diuinum, cum debeat fundari in aliquo eſſe, ex vi cuius reali modo ſequatur talis repræſentatio.

21 Dices; Ex hoc ſequitur, quod eſſe Diuinum, ſe habeat tantum materiali modo, non autem formali modo. Contra. Repræſentatio non ſe habet materiali modo, ergo nec etiam eſſe Diuinum, in quo ſubſiſtit, quia repræſentatio dicit formaliter ipſum eſſe repræſentatiuum.

22 Dico quartò. *Verbum de ſuo formali importare tum relationem, tum eſſentiam, quatenus ex ipſis ſecundum noſtrum modum concipiendi, conſurgit aliquid tertium, ita vt Verbum de ſuo formali importet hoc tertium, & ſecundario eſſentiam, & relationem, vt intrinſeca conſtitutiua.* Prob. De ratione perfectiſſimi Verbi, & Diuini eſt vt procedat tanquam imago adæquata obiecti cogniti, ergo dicit id, quod conſurgit ex eſſentia, & relatione. Conſequentia prob. Quia non poteſt eſſe imago perfectiſſima, niſi perfectiſſimè dicat repræſentationē, quā nō poteſt perfectiſſimè dicere, ſi ſit purè intentionalis; vnde debet dicere realiter, atq; adeo importare eſſentiam determinatam per modum repræſentationis per eſſe notionale.

23 Dico quintò. *Verbum relatiuè dici, ita vt importet totum, quod conſurgit ex eſſentia, & relatione ſub ratione relatiui*, ita communiter Patres, præſertim Auguſt. 5. *de Trinit. cap. 13.* Prob. Verbum eſt aliquid expreſſum ab intellectu per modum imaginis, ergo dicit relationem ad exprimentem, & ratione ipſius ad id, cuius eſt imago.

24 Dico ſextò. *Hanc relationem verbi eſſe ad Patrem, quatenus Pater eſt.* Prob. Verbum, vt tale, eſt alicuius dicentis Verbum, ergo in Diuinis dicit relationem ad Patrem, quatenus eſt producens, quia producit per dicere.

25 Dico ſeptimò. *Verbum in ratione verbi reſpicere etiam Spiritum Sanctum.* Probatur. De ratione verbi eſt, quod exprimat in ſe totum id, cuius eſt verbum, ergo cū in Diuinis Pater ſit ſpirator, & Verbum dicat per modū verbi totum id, quod dicit Pater, vt docet Auguſt. *lib. 15. de Trinit. cap. 14.* debet verbum in ratione verbi exprimere totum id, quod Pater dicit vt communicabile, ergo etiam rationem ſpirationis, atque adeo vt Verbum reſpicere Spiritum Sanctum.

26 Ad primum primę ſententiæ reſpond. Verbum non ſolum eſſe ſapientiā, ſed ſapientiā genitam, & ideo in recto dicit tū eſſētiā, tū relationē. Ad 2. In creatis quoq; verbum dicere ordinē intrinſecū ad exprimētē: vnde etiā in diuinis ita debet importare aliquid abſolutū, vt tamē dicat etiam ordinē ad exprimētē. Ad 3. Filiū, & Verbū in hoc differre, quod Filius importat naturam cōmunicatā ſub ratione viuentis, in ſimilitudinē naturæ. Verbum autem importat naturam cōmunicatam ſub ratione repręſentationis.

27 Ad fūdamētū 2. ſētētię reſp. Nomina perſonalia in abſtracto ſignificare primariò relationē, in concreto verò ſignificare illud totū, quod cōſurgit ex eſſētia, & relatione.

28 Quæres. Quomodo verbum ſit ſapientia, ita enim nominatur in ſcripturis vt 1. *ad Corinth.* Reſpond. Dici ſapientiam genitam per appropriationem, quod nihil aliud ſignificat, quàm ſapientiam, eſſentialem ipſi appropriatam ex eo, quod procedit vt Verbum, vt docet Auguſtin. *lib. 2. de Trinit. c. 2.*

29 Quæres 2. An Pater ſit ſapiens ſapientia genita, Reſpond. negatiuè cum D. Auguſtino *lib. 6. de Trinit. cap. 1. & 2.* & *lib. 1. Retractationum cap. 26.* vbi retractat doctrinam oppoſitam, quam tradiderat *q. 23. ex 83.* & ſequuntur communiter ſcholaſtici, quia cum Pater dicitur ſapiens ſapientia genita, ſenſus eſt, quod ſit ſapiens per filium, atque adeo quod non ſit ſapiens eſſentialiter eſt tamen ſapiens ſapientia genita ſpecificatiuè ſumpta, hoc eſt illa ſapientia, quæ in Filio habet annexam generationem.

30 Obijcitur. Pater amat Spiritu Sancto, ergo eſt etiam ſapiens ſapientia genita. Reſpond. negando conſeq. Quia cum dicitur ſapiens, ſignificatur aliquid eſſentiale; quod autem eſt eſſentiale, non poteſt eſſe genitum; quando verò dicitur amare Spiritu Sancto, ſignificatur aliquid notionale, nempe illam notionalem conuerſionem, qua Pater per amorem ſe conuertit in Filium.

An verbum ſit imago Patris.

SECTIO IV.

31 IMago alia eſt purè artificialis; & eſt ſimilitudo repręſentatiua expreſſa ab arte. Alia intentionalis, & eſt quędam ſpecialis imago, quæ tantum in intellectu reperitur; quando producitur verbum ad repræſentandum obiectum. Alia verò naturalis, quæ naturali modo repręſentat, vnde debet eſſe eiuſdem rationis cum repræſentato. Eſt autem de ratione imaginis, quod ſit ſimilitudo expreſſa ad repręſentandum id, cuius eſt imago vt docet D. Auguſt. *q. 74. ex 83.* Ex quo fit, quod debeat progredi ſaltem exemplariter ab eo, cuius eſt imago, vt *ibidē* docet D. Auguſt.; nam non poteſt eſſe repræſentatio, niſi ſit aliquid illius, cuius eſt repræſentatio, cum de ratione repręſentationis ſit, quod dicat eſſe repræſentatum per modum cuiuſdam repræſentationis.

32 Suppon. eſt. Ad rationem imaginis naturalis requiri ſimili-

Digitized by Google

ſimilitudinem in natura, per quam determinetur ad rationem talis imaginis. Hinc Patres communiter docent, Filium in diuinis eſſe imaginem naturalem Patris, quia habet eamdem naturam cum ipſo. Requirit autem imago naturalis, quod per generationem producatur ab eo, cuius eſt imago; cum enim debeat continere repræſentatiuo modo id, quod repræſentat, debet eſſe repræſentatum transfundi in imaginem, vt in ipſa reluceat ſecundum proprium eſſe; vnde quando imago eſt naturalis, debet transfundi non ſolum ſecundum ſimilitudinem, ſed etiam ſecundum realitatem, quod ſolum fieri poteſt per generationem, quia ſola eſt origo per principium vitæ coniunctum, per quod transfunditur natura generantis in genitum.

33 Supponendum ſecundò. Rationem imaginis naturalis reperiri ſolum in viuentibus cognoſcitiuus; quia de ratione ipſius eſt, quod ſit repræſentatiua reſpectu illius, à quo formatur; in formatione enim imaginis, debet formans procedere exemplariter, quod fieri non poteſt, niſi agnoſcat in ipſa rationem imaginis.

34 Prima ſententia aſſerit, imaginem reperiri in diuinis tantum impropriè, & dici eſſentialiter: conuenire autem filio per appropriationem, ita Durand. *in 1. diſt. 28. q. 3.* Probatur. Non ſequitur, filium in diuinis eſſe imaginem propriam ex eo, quod in Scriptura dicitur imago; nam etiam homo dicitur imago Dei, 1. Corinth. 2. 2. In diuinis non eſt realis ſimilitudo, ſed tantum per relationem rationis; de ratione autẽ imaginis eſt ſimilitudo. 3. ſimilitudo, quę concurrit ad imaginem, eſt ſecundum eſſentiã; eſſẽtia autem non importat ſimilitudinem, ſed identitatem.

35 Secunda ſententia aſſerit, imaginem dici notionaliter, & propriè conuenire filio: Ita communiter cum D. Thoma 1. *p. quæſt. 35. art. 1. & 2.*

36 Dico primò. *Imaginem dici perſonaliter, & conuenire filio*, ita communiter Patres, & deſumitur ex ſcript. Ad Hebræos primo. Filius dicitur figura ſubſtantiæ, ſecunda. Ad Corinth. 4. *qui eſt imago Dei*. Ad Coloſs. 1. *Imago Dei inuiſibilis*. Prob. Filius verè, & propriè generatur, & procedit vt Verbum, ergo eſt imago naturalis, & ſimilitudo expreſſa ad repræſentandum.

37 Dico ſecundò. *Filium eſſe imaginem reſpectu Patris, non autem reſpectu eſſentiæ*. Prob. Tum quia Filius eſt imago genitoris. Tum quia non diſtinguitur ab eſſentia; imago autem debet diſtingui ab eo, cuius eſt imago.

38 Dico tertiò. *In ratione imaginis includi etiam naturam diuinam* Probatur: Ad rationem imaginis naturalis requiritur ſimilitudo naturalis, quæ non habetur ſine natura, ergo cum filius ſit imago naturalis, debet in ratione imaginis importare naturam.

39 Ad primum negatur aſſumptum. Ad prob. quando homo dicitur imago Dei, non infertur eſſe propriè imaginem, quia non habet fundamentum imaginis propriè dictæ, ſicut habet verbum in diuinis. Ad ſecundum Diſtinguo minorem: ſimilitudinem imaginis non eſſe ſimilitudinem vnitatis, ſed repræſentationis, quæ in diuinis eſt realis, quia verbum realiter repræſentat Patrem. Ad tertium diſtinguo minorem. Similitudo imaginis habetur fundamentaliter à natura; formaliter autem, & determinatiuè ab eſſe notionali; & ideo non eſt identitas, ſed vna ſimilitudo repræſentatiua, quia per aliquid realiter diſtinctum a Patre determinatur ad eſſe repręſentatiuum.

40 Colligitur ex dictis Spiritum Sanctum non eſſe imaginem, quia non procedit vt verbum, & Filius. Vnde quando Patres docent eſſe imaginem Filij, non loquuntur de imagine propriè dicta, ſed ſolum ſignificant, quomodo ſit conſubſtantialis Filio, vel vtuntur figurata loquutione, vt ſignificent, quomodo in nobis per dona gratiæ cauſet imaginẽ Dei, qua cõſtituimur filij adoptiui ad imaginem Chriſti, qui eſt Filius naturalis, quod indica Ath. *Ep. ad Serap.* & Amb. 1. *de Spiritu Sancto cap. 6.*

Cur Spiritus Sanctus non ſit imago,

SECTIO V.

41 Ratio difficultatis eſt. Quia ipſe quoque habet eamdem naturam communicatam a Patre; nõ poteſt autem aſſignari diſcrimen ratione naturę præciſæ cum ſit eadem in omnibus, ſed debet aſſignari ex parte eſſe notionalis.

42 Dico primò. *Natura in Filio determinatur ad imaginem realem, quia determinatur ad vitam notionalem.*

Probatur: vt Filius ſit imago Patris, debet ſe habere vt viuens, eo modo, quo ſe habet Pater. Pater autem habet vitam eſſentialem determinatam ad vitam notionalem.

43 Dico ſecundò. *Habere rationem imaginis, quia eſſentia determinatur ad rationem verbi, quod ex ſui natura eſt expreſſiuum producentis, quando producitur ex potitia ipſius*. Prob. De ratione Verbi eſt, quod ſit expreſſa ſimilitudo obiecti, ergo.

44 Ex his colligitur. Cur Spiritus Sanctus non ſit imago, quia videlicet ſecundum ſuum eſſe notionale neque eſt viuens, neque expreſſa ſimilitudo obiecti.

45 Quæres. An verbum ſit imago creaturarum. Reſp. negatiuè. Tum quia non eſt ſimilitudo tranſumpta à Creaturis. Tum quia debet eſſe perfectiſſima imago, atq. adeo naturalis continens formali modo naturam illius, cuius eſt imago.

Quomodo ſe habeat verbum in ratione loquutionis, & dictionis.

SECTIO VI.

46 Pater in diuinis loquitur per Verbum, vt docet Athanaſ. *orat. 2. contra Arrianos*. Cyril. *libr.* 10. *Theſauri cap. 6.* Aug. *in Pſalm.* 44. Difficultas autem eſt, quomodo Verbum ſe habeat in ratione loquutionis.

47 Dico primo. *Patrem loqui ſibi ipſi, per Verbum*, eſt contra Amicum 1. *p. diſp. 26. ſect. 1. num.* 37. Probatur. Pater exprimendo Verbum loquitur ad intra, & percipit, quid loquatur, ergo etiam ſibi ipſi loquitur, quia loquutio mentalis eſt in ordine ad ipſum loquentem.

48 Obijc. Pater non producit verbum, vt ſe ipſum in illo cognoſcat, ſed vt ſe manifeſtet alteri, ergo non loquitur ſibi. Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Nam producit Verbum vt ſe ipſum in illo cognoſcat, tanquam in obiecto cognito, concedo: Tanquam in ratione manifeſtatiua, qua ponit ſuam eſſentiam in eſſe actualis manifeſtationis intelligibilis nego.

49 Dico ſecundò. *Pater per verbum loquitur etiam ad ipſum Filium*. Ita Aug. *tract. 34. in Ioann.* Cyril. 7. *Theſauri, cap. 3.* & deſumitur ex illo Ioann. 15. *Omnia, quæ audiui a Patre meo, nota feci vobis*. Prob. Filius intelligit, quod Pater loquitur, alioquin eſſet ignarus, ergo Pater loquitur ad ipſum, alioquin filius non perciperet loquutionem.

50 Obijc. Filius eſt id, quo Pater loquitur, ergo non poteſt loquutio eſſe ad ipſum. Reſpond. negando conſequentiam. Nam filius eſt ſimul Verbum, & audiens, cum ſit verbum ſubſiſtens in natura intellectuali: vnde eſt ratio loquendi, quatenus eſt manifeſtatiuum, & eſt audiens, quatenus eſt ſubſiſtens intellectualiter.

51 Dico tertiò. *Patrem per ſuum verbum loquitur etiam Spiritui Sancto*. Eſt contra Amicum *citatum*. Probatur. Spiritus Sanctus habet eandem naturam, quam habet filius; auditio autem habetur ratione naturæ, & proinde audit, quod loquitur Pater.

52 Dico quartò. *Patrem non loqui formaliter Verbo*

Digitized by Google

go. Secundò. In productione vniuoca producens aſſimilat ſibi productum ſecundum formam, & forma eſt terminus, *quo*, vnde in generatione terminus *quo*, eſt natura ſecundum quā genitum aſſimilatur genitori, ergo. Tertiò. In Reſurrectione terminus formalis eſt anima, licet non producatur, ergo etiam eſſentia Diuina, licet non producatur, erit terminus *Quo*.

67 Secunda ſententia vult, terminum formalem eſſe perſonam productam, quæ tamen eſt terminus formalis totalis; negat autem, dari in Diuinis terminum formalem contradiſtinctum à totali. Ita Ocham. *in* 1. *diſt*. 5. *quæſt*. 3. Gabr. *art*. 2. Arimin. *q*. 2. *art*. 2. Aureol. *art*. 2.

68 Dico primò. *Eſſentia præciſè accepta ſecundum rationem eſſentiæ non eſt terminus formalis*. Probatur. Si eſſentia eſſet terminus formalis, cum in perſona producta nihil aliud ſit, quam eſſentia, & relatio, ſequeretur, quod eſſentia ex ſe diceret rationem termini formalis, ergo cum conueniat omnibus perſonis, quod conuenit vni, ratione eſſentiæ, ratio termini formalis eſſet in qualibet perſona, quod eſt falſum.

69 Dices. Eſſentiam importare rationem termini, prout coniungitur cum relatione perſonę productæ. Contra, ſi ex ſe formaliter diceret rationem termini, eſſet id, quo formaliter terminus totalis conſtitueretur in eſſe termini, ergo vbicumque eſſet eſſentia, ibi eſſet terminus, quia poſita ratione formali, ponitur etiam effectus.

70 Dico ſecundò. *Eſſentiam ſub ratione communicati eſſe terminum formalem, ita vt ratio communicati, formaliter conſtituat eſſentiam, in eſſe termini*. Probatur. Ex vi productionis formaliter habetur Diuina eſſentia ſpeciali modo communicata, ergo. Conſequentia probatur. Quia ille eſt terminus formalis, ad quē tendit productio, & eſt ratio, cur productum ſub ſpeciali ratione proueniat à producente, & correſpondeat fœcunditati principij; hoc autem habet terminus in Diuinis ratione eſſe communicati.

71 Dico tertiò. *Eſſentiam ſub ratione communicati importare eſſe notionale perſonæ productæ; vnde terminus formalis, vt, quo, importabit eſſentiam, cum determinatione notionali, ſeu totum eſſe perſonæ conſideratum per modum abſtracti*. Probatur. Terminus formalis vt, *quo*, correſpondet principio, vt, *quo*, principium autem vt, *quo*, eſt vis communicatiua determinata à tali eſſe notionali, ergo terminus vt, *quo*, erit eſſentia communicata, vt determinata per tale eſſe notionale. Confirmatur. Ratione eſſe notionalis perſonæ productæ diſtinguuntur in ratione geniti, & ſpirati, ergo etiam in ratione termini formalis, quia ratione termini formalis habent proprium modum productionis, ergo eſſe notionale eſt etiam conſtitutiuum termini formalis.

72 Ad primum reſpondetur. Terminum formalem, *quo*, non ſolum eſſe id, per quod res accipit eſſe; ſed etiam, per quod accipit diſtinctionem à producente, & in ſuo eſſe ſpecifico conſtituitur, & per quem terminat productionē, prout tali modo tēdit, hæc autem non ſaluantur in Diuinis ratione ſolius eſſentiæ, ſed requiritur etiam eſſe notionale, vt patet ex dictis. Ad ſecundum. In creatis ſolum formam eſſe terminum formalem, quia poteſt fundare omnes conditiones, quas non poteſt fundare ſola eſſentia Diuina, & quia ad productionem vniuocam requiritur ſimilitudo ſecundum eſſe, ideo in Diuinis eſſentia ingreditur terminum formalem, & proinde in creatis natura eſt terminus formalis generationis, quia habet omnes conditiones termini formalis, nam producitur, & diſtinguitur à producente, quod non conuenit eſſentiæ Diuinæ præciſè. Ad tertium. In reſurrectione terminum formalem non eſſe animam præciſè, ſed vt denouo informantem corpus, ita vt informatio cōſtituat ipſam in eſſe termini, vnde etiam in Diuinis eſſentia Diuina non præciſe, ſed ſub ratione communicati erit terminus formalis.

DE DISTINCTIONE, ET qualitate actuum notionalium.

DISPVTATIO LXV.

In quo diſtinguantur actus notionales.

SECTIO I.

1 Dico primò. *Proceſſionem verbi eſſe generationem*. Eſt de fide contra Arrianos, qui negabant, Filium eſſe genitum, ne concederent eſſe conſubſtantialem Patri. Probat. Pſalm. 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te*. Intelligitur autem de ſecunda perſona Trinitatis incarnata, vt explicatur ad Hebręos quinto, & Chriſtus Matthæi 22. affert hunc locum ad probandam propriam Diuinitatem; Matthęi 3. *Hic eſt filius meus dilectus & cap. 16. Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Marci 14. *Filius Dei benedictus*, & definitum eſt in Symbolo Nicæno, & in Symbolo D. Athanaſij.

2 Dico ſecundò. *Solum proceſſionem verbi eſſe generationem, non autem proceſſionem Spiritus Sancti, & in hoc vna diſtinguitur ab alia*. Eſt de fide. Prob. In Scripturis Filius vocatur frequenter vnigenitus, Ioan 1. *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris*, 1. Ioan. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum vnigenitum miſit Deus*. Vnde Patres communiter colligunt. In Diuinis eſſe vnicam tantum generationem, & definitum eſt in Symbolo Apoſtolorum. *Et in vnum dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum*, & in Symb. Athanaſij *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus nec genitus, ſed procedens*. Ratio autem eſt. Quia, ſi eſſent plures generationes; ſicuti diſtinguerentur in ratione generationis, ita etiam limitato modo ſe haberent, nam omnis diſtinctio, quæ non eſt ex oppoſitione relatiua, eſt ex limitatione.

3 Dico tertiò. *Proceſſionem verbi eſſe propriè generationem abſque metaphora*, eſt de fide contra Arrianos. Prob. 1. Ioann. 5. *Vt ſimus in vero filio eius*. Præterea Filius eſt conſubſtantialis Patri, vt ſuo loco oſtenſum eſt, & ideo ita generatur, vt ſit eiuſdem naturæ cum ipſo, ergo Filius abſque metaphora.

4 Dico quartò. *Generationem Diuinam eſſe eminentioris rationis, quàm ſit creata, atque adeo ratione perfectionis longè diuerſam*. Deſumitur ex D. Thoma, 1. *p. q.* 33. *art.* 2. *ad* 4. *& lib.* 4. *contra Gentes cap.* 11. & ex D. Baſilio *lib.* 5. *contra Eunomium*, vbi ait. *Neq. enim Filius, neque generatio proprium Deitatis eſt, ſed ex humana ſimilitudine adductum*, ex Nazian. orat. 37. num. 18. *Non enim, quia ſecundum excelſiorem quandam relationem filius eſt filius, quod videlicet aliter, quàm hoc modo, indicatur, negaremus id, quod ex Deo eſt eſſentiale idem cum ipſo, idcirco terrena quoque omnia, cognitioniſque noſtræ nomina ad eum neceſſariò transferenda, putandum eſt*. Et idem etiam docet D. Dionyſius c. 5. *de myſtica Theologia*. Prob. Vt ſeruetur idem conceptus ſecundum eſſe formale vniuoco modo, debet ſeruari etiam eadem ratio obiectiua formalis; hæc autem non ſeruatur, quotieſcumque adeſt diuerſitas perfectionis formalis, vt contingit in generatione creata, & Diuina. ergo

5 Dico quintò. *Licet generatio Diuina ſecundum ſuam formalem rationem infinitè diſtet à creata, rectè tamen explicatur per conceptum creatum detractis imperfectionibus*. Probatur. Ad explicanda Diuina non habemus alios conceptus, quàm rerum creatarum. ergo.

6 Obijcitur. Vnigenitus dicitur etiam de eo, qui ha-
bet

Digitized by Google

bet alios Patres; vnde Prouerbio. 4. Salomon dicitur vnigenitus, ergo non ex eo, quod in Diuinis filius dicitur vnigenitus, ſequitur, Spiritum Sanctum non eſſe filium. Reſpondetur. Nomen vnigeniti propriè dici de eo, qui non habet fratres; metaphoricè autem etiam de eo, qui habet fratres ad ſignificandam ſpecialitatem amoris, quo amantur vnigeniti, ſecundum hanc autem ſignificationem non habet locum in Diuinis, quia cum in filio, & Spiritu Sancto ſit eadem ratio amabilitatis, non poteſt vnius magis ſpecialiter amari, quam alter.

7 Obijcitur ſecundò. Filius eſt primogenitus ad Hebręos 1. Ad Romanos 8. Ad Coloſſ. 1. ergo Spiritus Sanctus eſt ſecundogenitus. Reſpondetur. Dici primogenitum in ordine ad creaturas, vt colligitur ex contextu, & intelligitur de Filio, vt homo, eſt quatenus Chriſtus eſt primus prædeſtinatorum, & primus ex ijs, qui reſurrexerunt.

Quid requiratur ad formalem rationem generationis.

SECTIO II.

8 VT aſſignetur ratio, cur proceſſio Spiritus Sancti non ſit generatio, videndum eſt, quid requiratur ad formalem rationem generationis. Sumitur autem generatio pro ea, quæ exercetur inter viuentes, & definitur; *origo viuentis a viuente per principium vitę, coniunctum in ſimilitudinem naturæ*. Dicitur *Origo* loco generis. Dicitur *Viuentis à viuente* vt determinetur ad ſolam generationem, viuētium, & ſignificetur eſſe actionem vitalem: vndè nomen viuentis ſumitur formaliter, quia iſta origo debet exerceri inter viuentia, quatenus talia. Addit, à *Principio vitæ coniuncta*, vt ſignificetur, debere genitum accipere ſubſtantiam, quæ ſit propria generantis, ita vt in virtute ipſius, incipiat viuere ex eo, quod vita in ipſo contineatur, vt in radice. Denique debet eſſe. *In ſimilitudinem naturæ*. Quia viuens communicando ſubſtantiam genito, debet miniſtrare principium, quo genitum viuat eadem vita, qua viuit generans. Difficultas, ergo eſt, an iſta ſimilitudo in natura debeat haberi ex vi modi formaliſſimi tendendi generationis, an verò ſufficiat, ſi quocunque modo habeatur.

9 Recentiores ferè communiter cum Caiet. Ferrarien. Capreol. & cæteris Thomiſtis, vt ſaluent, quomodo Verbum ſit genitum, & non Spiritus Sāctus, docent, Genitum debere procedere ſimile in natura ex vi formaliſſimi modi tendendi generationis. Prob. Si homo eleuaretur, vt per creationem, aut tranſubſtantiationem produceret aliū hominem, non generaret; quia productio ex proprio modo tendendi, non produceret ſimile in natura, ergo; ſecundò. Idem terminus poteſt produci per generationem, & creationem, ergo productio diſtinguitur tantum ex modo tēdendi; tertiò. Quod ex generatione producitur ſimile, debet eſſe intra eandem lineam ſpecificam generationis, ergo generatio ex formaliſsimo modo tendendi, debet producere ſimilem.

10 Dico primò. *Similitudinem in natura debet haberi ratione generationis, ita vt generatio ex natura ſua ponat ſimilitudinem*. Prob. ſimilitudo in natura non ſe habet per accidens, ſed per ſe ad generationem, ergo generatio ex natura ſua eſt illatiua ſimilitudinis, alioquin non ſe haberet per ſe.

11 Dico ſecūdò. *Vt ſimilitudo habeatur ex natura generationis, ſufficit ſi ex intrinſeca ſua ratione communicet eandem naturam, quam habet generans, nec requiritur quod ex formaliſſimo modo tendendi ſit aſſimilatiua*. Probatur. In creatis ſaluatur vera ratio generationis, & tamen ex formali modo tendendi non aſsimilat, ergo talis aſsimilatio non requiritur. Antecedens probatur. Generatio in creatis procedit tantum communicatiuo modo, & tendit ſolum ad conſubſtantialitatem ſpecificam; non autem modus tendendi eſt aſsimilatiuus exprimendo ſimilitudinem repræſentatiuam generantis, in ratione obiecti, vt contingit in generatione Diuina, ergo. Confirmatur. Quando productio ex vi modi tendendi ponit aliquid in termino, illud importat in ſe formaliter, vt eſt in fieri, generatio autem hominis non importat in fieri ſimilitudinē; nam ſimilitudo habetur ratione Animæ, quæ non importatur, vt in fieri, per generationem.

12 Ad primum Reſpondetur. Illas productiones non futuras generationes, quia homo ſic eleuatus non produceret, quatenus viuens, neque actione vitali, neq; per principium vitæ coniunctum. Ad ſecundum. Productiones poſſe quidem ſpecie diſtingui ex ſolo modo tendendi, ſolum tamen ſequitur, quod ſi tenderet aſsimilatiuo modo, eſſet formale conſtitutiuum generationis, & poſſet illam diſtinguere ab omnibus alijs productionibus, ſed non eſt eius formale conſtitutiuum, vt patet ex dictis. Ad tertium negatur conſeq. Nam per generationem producitur ſimile intra eandem lineam ſpecificam, quia generatio ex intrinſecis ſuis principijs, eſt communicatiua eiuſdem naturæ; abſque eo, quod procedat aſsimilatiuo modo.

Cur prima proceſſio ſit generatio, & non ſecunda.

SECTIO III.

13 RAtio dubitandi, eſt. Quia etiam Spiritus S. procedit viuens à viuente per principium vitę coniunctum, quia illi communicatur Diuina ſubſtantia, & in ſimilitudinem naturæ; nam habet eandem naturam, quam habet Pater, & filius, & eſt omnino ſimilis. Vt autem hanc difficultatem reſoluamus, nonnullæ explicationes examinandæ ſunt.

14 Prima eſt Canariens. *q. 27. de Trinit. art. 2. p. 3. Comentar.* Vaſquez *1. p. diſp. 113. cap. 6.* Ruiz *diſp. 7. de Trinit. ſect. 1.* & aliorum, qui volunt, Verbum ideo eſſe genitum, & non Spiritum Sanctum, quia Verbum procedit vt Imago expreſſa Diuinæ eſſentiæ ex eo, quod producitur per cognitionem, de cuius ratione eſt exprimere imaginē obiecti. Nec tamen ſententia impugnatur a Suarez 11. *de Trinitat. cap. 5.* Cuniga *diſput. 2. de Trinit. dub. 20.* & alijs.

15 Dico primò. *Filius ex eo, quod eſt filius, eſt etiam imago Patris*, ita communiter Patres præſertim Nazian. *orat. 36.* Clemens rom. *Epiſtola 1. ad Iacobum*. Prob. De ratione generationis eſt, vt viuens procedat à viuente in ſimilitudinem naturæ, ſtante autem hac ſimilitudine genitum repræſentat genitorem in eſse naturę.

16 Dico ſecundò. *Quando Patres docent, Filium eſſe Filium, quia eſt imago Patris, procedunt à poſteriori, ita vt ex ratione imaginis colligant eſse filium*. Probat. Ratio imaginis conſequitur ex eo, quod in generatione communicatur eadem natura, & fundatur in ipſa, ergo à poſteriori ſe habet.

17 Dico tertiò. *Rationem imaginis, quæ eſt propria filij, eſse imaginem naturalem, non autem illam, quam dicit præcisè Verbum, vt Verbum eſt, & ideo non rectè aſſignari rationem, quod Filius ſit genitus, ex eo, quod procedit vt Verbum*. Deſumitur ex Patribus, qui quando dicunt, Filium eſse genitum ex eo, quod eſt imago, intelligunt de imagine naturali, quæ importat conſubſtantialitatem. Ita Athanas. *orat. 2. contra Arrianos*. Baſilius 2. *contra Eunom.* Hilarius *lib. de Synodis ad can. 3. orientalium*. Vbi ait. *Hoc verè eſt eße filium, Paternæ ſcilicet formæ veritatem coimaginatæ in ſe naturæ, perfecta ſimilitudine retuliſse*.

Prob. In creatis Filius verè generatur, & tamen non habet aliquam rationem imaginis per modum ſpeciei expreſſæ, ergo in Diuinis ratio imaginis, per modum ſpeciei expreſsę non dat formaliter eſse filij, quia filiatio, & generatio proportionaliter reperiuntur in Diuinis, & creatis.

18 Di-

Digitized by Google

18 Dices. In humanis ſufficere ſolam identitatem naturæ ad fundandam repræſentationem, non autem in Diuinis. Contra. Cum ſit eadem ratio formalis in Diuinis, & creatis proportionaliter, debet etiam proportionaliter fundari in eodem. Secundò. Si natura, vt natura, non fundaret rationem imaginis filius non eſſet imago naturalis. Tertiò. In definitione generationis ponitur ſola ſimilitudo naturæ, non autem imaginis intenſionalis ergo

19 Probat. 2. Hæc ratio imaginis non fundatur per ſe in identitate naturæ, ergo per ſe non confert ad rationem filij. Antec. prob. Verbum Diuinum non importat rationẽ Verbi, quia illi communicetur natura Patris, ſed quia exprimitur ex cognitione Diuinæ eſſentiæ, & eſt quædam repræſentatio obiecti. Conſequentia probatur. Quia imago per ſe concernens ad eſſe filij, debet illi conuenire ex eo, quod conuenit natura Genitoris.

20 Dico quartò. Neque ex ratione imaginis naturalis, rectè aſſignari diſcrimen, vt Filius ſit genitus, & non Spiritus Sanctus. Prob. Imago naturalis vel conſequitur ad rationem filij, & tunc non eſt formale conſtitutiuum, Vel idem eſt, ac ratio filij, & tunc erit idem, ac ſi dicatur, Filium eſſe genitum, quia eſt filius, & erit petitio principij. Deinde debet aſſignari ratio, cur Spiritus Sanctus non ſit imago naturalis.

Expenditur alia reſponſio.

SECTIO IV.

21 Secunda reſponſio eſt D. Tho. 1. *p. q.* 37. *artic.* 4. Caiet. *ibidem.* Molina *ibidem.* Ferrar. 4. *contra Gentes c.* 11. Capr. *in* 1. *diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 1. Ocham. & Gab. *diſt.* 13. *q. vnica*, & communiter Thomiſtar. & aliorum Recentiorum. Volunt autem, verbum eſſe genitum, quia procedit ſimile ex vi ſuæ proceſſionis formaliter; non autem Spiritum Sanctum, quia procedit tãtum ſimilis identicè, hoc autem prouenire, quia intellectus ex genere ſuo procedit aſſimilatiuo modo, & in Diuinis iſta aſſimilatio, quæ in creatis eſt tantum intentionalis, tranſit in naturalem ratione infinitatis, & Diuinitatis, à quibus ita perficitur, vt perfectiſſimo modo ſe habeat, perfectiſſima autem aſſimilatio euadit naturalis.

22 Dicendum eſt. *Proceſſionem verbi non eſſe generationem ex eo, quod tendat aſſimilatiuo modo.* Prob. In creatis nulla generatio procedit aſſimilatiuo modo, ſed tãtum modo communicatiuo, & ſimilitudo habetur ex eo, quod communicetur eadem natura, ergo etiam in Diuinis.

23 Dices. Requiri hanc conditionem, quia generatio Diuina eſt ſecundum intellectum. Contra. Quod tendat aſſimilatiuo modo, habet ex modo tendendi intellectus vt ſic, non autem ex peculiari ratione, ex qua habeatur vera, & conſubſtantialis generatio per intellectum. Deinde. Conditio propria, per quam aliquid intrinſecè conſtituitur, non poteſt alteri conuenire, ergo cum procedere aſſimilatiuo modo reperiatur, vbi non eſt generatio, non poteſt pertinere ad formale conſtitutiuum generationis. vt ſic. Tum quia neque poteſt reperiri, niſi conſtituat talem generantem. Confirmatur. Ideo ſimilitudo conſtituit filium in eſſe filij, quia tranſit in naturalem; quia identificatur cum natura Diuina ratione infinitatis, ergo filius, tantum identicè procederet ſimilis naturaliter, quod etiam conuenit Spiritui Sancto.

24 Probatur ſecundò. Sequeretur, quod Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis formaliter procederet ſimilis in Natura, atque adeo eſſet genitus. Sequela probatur. Ex vi ſuæ proceſſionis formaliter procedit vt vnio affectiua, & hæc vnio ratione Diuinitatis ita perficitur in ratione vnionis, vt tranſeat in vnionem naturalem, ergo Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis formalis procedit vt vnum in natura cum Patre, & non tantum identicè ergo vt ſimilis, quia vnitas naturæ ponit ſimilitudinem.

An verbum ſit Genitum, quia formaliter ipſi communicetur intelligere.

SECTIO V.

25 Reſpondetur affirmatiuè Suarez *lib.* 11. *de Trinit. cap.* 5. *&* 6. & alij Recentiores, qui tenent intelligere eſſe formale conſtitutiuum Diuinæ naturæ; cum enim communicetur ex vi proceſſionis formaliter hoc formale conſtitutiuum, ſequitur, quod Filius accipiat à Patre naturam ſub ratione naturę, atque adeo ſit filius; Spiritũ autem Sanctum non eſſe genitum, quia cum non communicetur formaliter intelligere, nec etiam formaliter communicatur natura, ſed tantum identicè.

26 Dicendum eſt. *Proceſſionem Verbi, non eſſe generationem ex eo, quod per ipſam formaliter communicetur intelligere, vt formale conſtitutiuum Diuinæ naturæ;* ſequitur ex dictis in ſuperioribus vbi oſtendimus ex vi proceſsionis formaliter non communicari aliquid ſpeciale attributum.

Probatur; debet aſsignari diſcrimen inter vtramque proceſsionem independenter à noſtro intellectu, quia ſicut à parte rei vna proceſsio eſt generatio, alia ſpiratio, ita debent id habere ratione alicuius, quod ſit tale à parte rei. Natura autem à parte rei non dicit ſolum intelligere. Tum quia in ratione naturæ eſt infinita ſimpliciter, & eſt natura per eſſentiam, atque adeo infinita *in* ratione entis. Tum quia quidquid pertinet ad eſſentiale Conſtitutiuum realiter, & phyſicè, pertinet etiam ad realem, & phyſicam naturam; omnes autem perfectiones ſunt de eſſentia Dei. Tum quia natura Diuina à parte rei conſiſtit in ratione Deitatis; Deitas autem dicit omnẽ perfectionem, ita vt vna ablata non ſaluetur ratio Deitatis. Confirmatur. De ratione geniti eſt, vt procedat talis in natura realiter, & phyſicè, qualis eſt genitor, ergo Filius in Diuinis debet procedere vt Deus, hoc autem non ſaluatur per id, quod formaliter communicetur *in*telligere, quia vt procedat vt Deus, debet procedere vt conſubſtantialis in tota natura.

27 Probatur ſecundò. Quia natura intellectualis, quatenus eſt radicaliter vita intellectualis, in Diuinis tranſit ad eſſe actualiſsimum, debet in ſuo eſſe actualiſsimo, dicere, quod dicit in creatis in eſſe radicali, ſed in creatis ne dum dicit in eſſe radicali intellectionem, ſed etiam volitionem, ergo in Diuinis ne dum dicet intelligere, ſed etiam velle, ergo per id, quod præcisè communicatur intelligere, non communicatur adæquata vita Dei. Confirmatur. Amare in creatis eſt vita accidentalis, ergo in Deo tranſit ad vitam ſubſtantialem. Vnde Aug. 13. de *Trin. cap.* 20. ait *ſecundum hoc viuit quiſque, quod diligit*, ergo ſi communicatur tantum intelligere, non communicatur vita Diuina adæquata.

An Verbum ſit genitum quia procedat ſimile principio quo *totali.*

SECTIO VI.

28 Prima ſententia eſt affirmatiua: vult enim, quod de ratione geniti ſit, quod procedat ſimilis principio *quo* totali, quod conuenit ſoli Verbo, quia natura, ſeu intellectus eſt principium radicale, & veluti genericum, ſit autem proprium ratione fæcunditatis ſecundum intellectum, vnde natura cum intellectu fæcundo, eſt principium *Quo* totale; Fæcunditas autem conſiſtit in eo,

Digitized by Google

eo, quod eſſentia ſe habeat per modum ſpeciei impreſſæ, & ideo cum ſolum verbum procedat ſimile ſpeciei impreſſæ, procedit ſimile ſuo principio quo totali. Ita Amicus 1. *part. diſput.* 18. *ſect.* 7. *num.* 16. & alij Recentiores.

29 Dicendum eſt. *Verbum non eſſe genitum ex eo, quod procedat ſimile principio, quo, totali, prout ſe habet ad modum ſpeciei impreſſæ.* Probatur eſſentia, vt ſe habet ad modum ſpeciei impreſſæ, non ſe habet ad modum naturæ, ſed eſt in genere obiecti, ergo aſſimilatio cum ipſo non concernit ad formalem rationem generationis, quia generatio tendit ad ſimilitudinem geniti cum natura genitoris in ratione naturæ. Confirmatur ex hoc ſequitur, quod procedat ſimile obiecto, non autem principio generandi; nam aſſimilatur ipſi vt obiectum eſt, non verò, vt eſt principium. Confirmatur ſecundò. Sine tali modo aſſimilationis, adeſt ſimilitudo naturalis, quæ ex genere ſuo ſufficit ad ſaluandam rationem filiationis, ergo. Probatur ſecundò fæcunditas voluntatis eſt fæcunditas inclinatiua per modum principij, & terminus eſt ipſa inclinatio, ergo terminus procedit vt ſimilis principio totali, prout ſecundo, & tamen non eſt filius.

An Verbum ſit genitum, quia ipſi communicetur natura ſub ratione naturæ.

SECTIO VII.

30 PRima ſententia eſt affirmatiua. Aſſerit enim, quod ſimilitudo geniti ad genitorem debet attendi inter principium formale, & terminum formalem; non autem inter principium materiale, & terminum materialem, & vuult, quod principium formale Verbi, ſit communicatiuum formaliter naturæ, ſub ratione naturæ, quia eſt virtus productiua, quæ accipit determinationem in agendo à natura, & exprimit adæquatam efficaciam ipſius in ratione naturæ; quod non conuenit ſecundariè virtuti, & ideo eſt etiam communicatiua naturæ, ſub ratione naturæ, vt termini formalis. Ita Richard. *in* 1. *diſtinction*, 3. *quæſt.* 3. Scot. *quæſt. vnica* §. *Ad quæſtionem reſpondeo*, Smiſing. *diſp.* 3, *de Deo Trino. quæſt.* 2. *num.* 125.

31 Dicendum eſt. *Verbum non eſſe genitum ex eo, quod procedat per primariam virtutem communicatiuam naturæ ſub ratione naturæ.* Probatur, Non minus filius procedit conſubſtantialis Patri, quàm Spiritus Sanctus, ergo procedit vt habens eamdem naturam, ita vt terminus proceſſionis ſit eadem natura ſecundum eſſentialia.

32 Dices, Eſſe eandem naturam, ſed ſub diuerſa ratione formali. Contra. Conſubſtantialitas eſt communis, vtrique termino, ergo non poteſt in aliquo ipſorum eſſe formalis ratio, quia formalis ratio debet eſſe propria cuiuſlibet proceſſionis. Confirmatur. Eodem modo, & ex eadem radice vterque terminus requirit conſubſtantialitatem, nimirum quia proceſſio eſt diuina, & infinita, ergo in nullo poteſt eſſe formalis ratio termini, & conſequenter neque ratio naturæ, quia ratio naturæ importat conſubſtantialitatem. Confirmatur ſecundò. Vbicunque eſt illud, in quo conſiſtit ratio formalis, ibi eſt etiam conſtitutum, quia non poteſt poni cauſa formalis ſine effectu formali, etiamſi non ſe habeat formali modo, ſed materialiter. Sic quia ratio ſenſitiua eſt conſtitutiua animalis, tam in brutis, quam in homine adeſt ratio animalis, licet in brutis ſe habeat formali modo, in homine verò materialiter, ergo ſi ratio naturæ in filio conſtituit ipſum in ratione geniti, conſtituet etiam Spiritum Sanctum ſaltem materiali modo, cum in ipſo quoque reperiatur.

33 Probatur ſecundò. Vel intellectus ponit in filio naturam ſub ratione naturæ, vt virtus intellectiua. Vel vt diuina, & infinita; Non primum quia ex genere ſuo virtus intellectiua neque materialiter communicat naturam, ſed tantum ponit in termino repræſentationem obiecti per modum ſpeciei expreſſæ. Si ſecundum; ergo conueniet etiam voluntati, quia eſt ſimiliter infinita virtus diuina. Confirmatur natura diuina non communicatur per proceſſiones, vt eadem numero, cum producente, niſi quatenus proceſſiones ſunt infinitæ ad terminum infinitum, ergo quod in filio ſit eadem cum producente, non prouenit ex aliqua peculiari determinatione, virtutis intellectiuæ, quæ ſit à natura, atque adeo, non poteſt ratio naturæ ſe habere in filio, vt terminus formalis.

Aſſignatur ratio, cur tantum prima proceſſio ſit generatio.

SECTIO VIII.

34 NOtandum primò. Quod ſicut generatio contracta ad generationem viuentium, acquirit aliquam ſpecialem rationem, qua determinetur ad talem generationem, ita etiam contracta ad generationem viuentium cognoſcitiuorum, acquirit aliquam aliam ſpecialem determinationem. Cum enim vita communicata ſit cognoſcitiua, habet aliquid ſpeciale genitum in ratione ſimilitudinis, non ſolum materialiter, ſed etiam formaliter, quod in eo conſiſtit, quod genitor, & genitus agnoſcant inter ſe hanc ſimilitudinem, vnde ſimilitudo non eſt pura ſimilitudo, quia hæc quoque reperitur inter inanimata, ſed eſt etiam imago, nam exercet rationem imaginis inter genitum, & genitorem ille enim cognoſcit in ſe Patrem ſecundum ſimilitudinem naturalem, & Pater ſe cognoſcit in filio, vt in naturali imagine.

35 Notandum ſecundò. Ex hoc ſequi mutuum amorem; cum enim quodlibet cognoſcens ſit ex natura ſua inclinatū ad ſe amandum pater cognoſcens ſe repræſentari in filio, amat filium naturali amore tanquam aliquid ſui, & filius amat patrem, quia cognoſcit patrem tanquam illum, cuius ipſe eſt naturalis imago, vt docet Ariſtoteles 8. *Ethicorum capit.* 12. Hinc tantum genito, & genitori cognoſcentibus tribuuntur, cum proprietate nomina Patris, & filij, quia ſunt nomina amoris, & important illam mutuam conuerſionem, qua genitor, & genitus in ſe inuicem per amorem conuertuntur, vt etiam ait D. Thom. *lect.* 4. *in cap.* 3. *Epiſtol. ad Epheſ.*

36 Notandum tertiò. Hoc eſſe diſcrimen inter modum operandi intellectus, & voluntatis; quod voluntas non præconcipit in ſe, neque format terminum, ſed fundatio ipſius conſiſtit ſolum in virtute inclinatiua; Intellectus, vero ita fæcundatur, vt veluti concipiendo, quod eſt emiſſurus, formet in ſe ſimilitudinem obiecti, vt docet D. Auguſt. *lib.* 14. *de Trinit. cap.* 7.

37 Notandum quartò. Diſcrimen generationis, & ſpirationis non poſſe deſumi ex natura, vt etiam docet D. Thom. *quæſt.* 10. *de potentia art.* 2. Quia natura, & eſſentialia ſunt eadem omnino in omnibus perſonis; & ideo non poſſunt ponere inter ipſas aliquam diſtinctionem. Deinde filius eſt genitus ex vi ſui eſſe notionalis, vnde ratio generationis debet fundari in eſſe notionali.

38 Notandum quintò. Cum generatio non poſſit ſaluari, niſi terminus ſit ſimilis in natura ipſi producenti; hinc fit, vt ad rationem generationis, & geniti in diuinis debeat etiam natura concurrere; quia tamen non poteſt ex ſe ipſa conſtituere diſcrimen generationis, conſtituet vt determinatam per eſſe notionale. Ita

Digitized by Google

vt ipſa importet ſimilitudinem; eſſe verò notionale determinet ſimilitudinem, vt ſit illa, quæ requiratur ad generationem.

39 Dico 1. *Filium eſſe genitum, quia producitur, vt præconceptus, & præformatus in memoria paterna per modum fœtus, et conſequenter procedit per modum partus, & hoc eſt primum diſcrimen, vtriuſq. proceſſionis.* Prob. ex proprio modo tendendi generationis filius in creatis procedit vt fœtus præconceptus, ita vt hoc ſit proprium ipſius, ſed in Diuinis Filius procedit, vt præconceptus in mente Patris; quia procedit vt Verbũ, de cuius ratione eſt vt præconcipiatur, ergo. Maior probatur. Quia talis modus procedendi nulli alteri competit, quam generationi, & ideo illi conuenit, vt generatio eſt. Præterea ex eo illi conuenit, quod eſt quædam vitalis communicatio ſubſtantiæ eiuſdem genitoris: illa enim præconceptio fœtus fit de ſubſtantia genitoris, & infra ipſum fœtus vitali modo formatur.

40 Dices. In purè vegetatiuis ſaluatur ratio generationis, & tamen non adeſt præconceptio fœtus. Reſpond. negando ſecundam partem aſſumpti. Quia etiam in purè vegetatiuis præformatur ſemen, vnde in omni generatione præconcipitur fœtus, magis vel minus, perfecto modo.

41 Confirmatur. Mens paterna æquiualet vtero, vt habetur Pſalm. 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te*, & proportionaliter præſtat id, quod præſtat vterus, quatenus in ipſo preformatur Verbum exprimendum tanquam fœtus, ergo ex ſuo modo tendendi, habet, quod ſit genitus, cum habeat illum modum procedendi, qui eſt proprius filiorum, vnde Nazian. orat. 49. ait. *Vides, ergo hoc Verbũ bonum filium Dei eſſe, quem non aliunde, quam de paterno pectore, & de vtero cordis Dei credimus extitiſſe*, & Hilarius lib. 12. de Trinitat. *Non ne ſignificatio, qua ex vtero Deus Deum genuit, veræ natiuitatis oſtenſio eſt.* Et Athanaſ. *Dial. 1. de Trinit. contra Anomeos*, docet, differentiam inter filium, & Spiritum Sanctum eſſe ex eo, quod vnus ex vtero ſit, alter ex ore.

42 Dico ſecundò. *Filium eſſe genitum, quia procedit vt notionaliter, viuens, & Spiritum Sanctum non eſſe genitum, quia non procedit vt notionaliter viuens.* Cum enim de ratione geniti ſit, vt quatenus viuens terminet generationem, quia in Deo vita ſe habet per modum actus, & importat exercitium vitæ, quod in creatis conſiſtit in operationibus vitalibus, & operationes vitales ſunt in duplici genere, ita vt aliæ dicant attingentiam obiecti, aliæ vero productionem termini vitalis, & primæ important in Deo vitam eſſentialem, quia attingere obiectum eſt commune omnibus perſonis, poſteriores verò vitam notionalem; ideo Filius procedit vt viuens, quia procedit vt producens; atque adeo vt habens vitam notionali modo. Prob. Ad ſaluandam rationem geniti in Diuinis non ſufficit vita eſſentialis, ſed requiritur etiam notionalis, ſed hæc eſt in ſolo filio, ergo. Maior prob. De ratione geniti eſt, quod procedat vt viuens à viuente, ergo eo modo debet illi conuenire ratio viuentis, quo conuenit ratio geniti, ſed ratio geniti conuenit, vt quid notionale, ergo. Minor etiã patet. Quia licet vita eſſentialis ſit communis omnibus perſonis, exercitium tamẽ virtutis vitalis productiuæ, quod importat aliquam rationem vitæ, non eſt commune, quia importat ipſum producere, quod non conuenit Spiritui Sancto.

43 Dices. Ratio vitæ eſt quid abſolutum, cum ſit vita per eſſentiam importans ſummam perfectionem, ergo non poteſt plurificari. Reſp. Vitam poſſe conſiderari, & ſecundum eſſe, & ſecundum modum illum habendi. Primo modo non plurificatur: ſecundo autem modo plurificatur, & modus determinat ipſam vitam ad exercitium productionis vitalis, & hoc pacto reperitur in Patre, & Filio.

44 Dices 2. Spiritus Sanctus procedit vt viuens etiam notionaliter, quia procedit vt amor qui cum in creatis ſit vitalis, in Deo eſt vita. Reſ. eo pacto, quo aliquid in creatis eſt vitale, in Diuinis eſſe vitam. In creatis autem aliquid eſt vitale per modum exercitij vitæ, quod importat productiones, & hoc tranſit in Diuinis in vitam formalem, actu exercitam. Aliud vero in creatis eſt vitale, vt terminus talis exercitij, & hoc in Diuinis tranſit in vitam, prout habet rationem termini, quod non eſt aliud, quàm vita eſſentialis, vt perſonaliter terminata; ſicut enim ratio termini in creatis non importat formaliter vitalitatem, ſed tantum identicè: ita nec in Diuinis importat vitam. Ratio autem exercitij in creatis formaliter importat vitalitatem, & ideo in Diuinis importat formaliter aliquam rationem vitæ.

45 Dico tertiò. *Filium eſſe genitum, quia eſt ex principio vitæ coniuncto, non autem Spiritum Sanctum, quia non eſt ex tali principio.* Prob. Ex vi generationis debet genitum habere tale principium vitæ coniunctum, vt ex vi ipſius, tanquam ex radice habeat illum actum vitæ, quo conſtituitur in eſſe viuentis: hoc autẽ præſtat eſſentia diuina reſpectu Filij, & non reſpectu Spiritus Sancti, ergo. Minor prob. Quia vita, qua viuit genitum, debet eſſe propria illius, alioquin non erit vita genita, & ideo in Diuinis debet eſſe notionalis. Eſſentia autem Diuina ſolum in filio determinatur ad vitam notionalem, & ideo in ipſo eſt principium vitæ coniunctum.

46 Dico quartò. *Ex eo quoque filium eſſe genitum, quia ratione generationis habet illam ſimilitudinem, quæ eſt propria filiorum.* Prob. Similitudo naturæ in filio non dicit habere tantum eamdem naturam cum Patre vitali modo communicatam: ſed inſuper dicit ſimilitudinem, quæ exigat habere annexum principium cognoſcitiuum, quo filius ſe cognoſcat vt imaginem Patris, & etiam aliud principium, quo per amorem ſe conuertat in Patrẽ, ſed tãtum filius habet annexum tale principium, ergo. Minor patet. Quia cum Spiritus Sanctus non ſpiret non ſe conuertit per amorem in Patrem.

47 Dices. Spiritus Sanctus amat Patrem, & Filium, ergo Reſp. Amare amore eſſentiali, qui modus amandi non importat conuerſionem naturalem in rem amatam, nec habet talem amorem ex eo, quod in ſe cognoſcat ſimilitudinem Patris, nec eſt ipſe amor notionalis, quo filius conuertitur in Patrem, & Pater in filium, & ideo non habet producere ratione ſui eſſe notionalis aliquem nexum, quo ſe connectat cum Patre, & Filio, ſicut connectuntur Pater, & Filius ſpirando Spiritum Sanctum, vnde non eſt amans notionaliter, ſed eſt amor notionalis, quo cæteræ perſonæ ſe amant.

Soluuntur nonnullæ difficultates.

SECTIO IX.

48 Prima difficultas eſt. Quomodo Filius eo ſit filius, quo eſt Verbũ, & è cõtra vt ait Aug. 7. *de Tri. c. 2.* & tamen ratio filij non conſiſtat in ratione imaginis intentionalis. Reſp. Filiũ eſſe Filiũ per id, quod eſt Verbũ non ſub quocunq: conceptu Verbi; ſed tantũ per id, quod Verbũ eſt terminus vitalis habens vitã notionalẽ, non autẽ prout repræſentat obiectũ. Et ratio eſt, quia ratio imaginis intentionalis in Diuinis tranſit in naturalem, ſiquidẽ Verbum eſt naturalis imago: vnde non eſt in Deo ſecundum hanc rationem. Imago autem naturalis determinata per alias notiones explicatas conſtituit in eſſe filij.

49 Secunda difficultas. Quomodo cum terminus productus ex ſuo modo tendendi debeat correſpondere principio ſpecifice conſiderato, filius vt genitus non debeat eſſe imago intẽtionalis, ſiquidẽ principiũ ipſius eſt intellectus, qui ex ſua ratione ſpecifica tendit ad imaginem intentionalem. Reſp. Verbum vt terminum correſpondere quidem ſuo principio, non tamen ſequitur, quod ſit imago intentionalis. Nam ſicuti in creatis Verbum eſt imago intentionalis, quia exprimitur ex principio, cuius fœcun-

Digitized by Google

fæcunditas eſt aliquid intentionale, nempe ſpecies impreſſa. Ita in Diuinis cum exprimatur in memoria Patris, cuius fæcunditas non eſt aliquid intentionale, cum non ſit ſpecies impreſſa obiecti, ſed ipſamet natura obiecti, vnde eſt fæcunditas naturalis, & ideò, vt Verbum correſpondeat, debet eſſe imago naturalis, in qua tamen ſaluatur expreſſio obiecti, quia expreſſio, quæ in creatis fit intentionali modo, in Diuinis fit naturali modo.

50 Tertia difficultas. Quomodo ſecundum eſſe notionale ſaluetur, quod Filius ingenitus, cum debeat eſſe eiuſdem rationis cum genitore, & eſſe notionale Filij, non ſit eiuſdem rationis cum eſſe notionali Patris. Reſp. Debere procedere eiuſdem rationis, quò ad naturam, & ideo ſufficit, ſi eadem natura ſit in Filio cum tali determinatione, qua determinetur ad eſſe geniti; ita tamen, vt ſaluetur diſcrimen Patris, & Filij; hæc autem determinatio, fit per eſſe notionale.

51 Quarta difficultas. An Spiritus Sanctus procedat vt Deus, ex vi ſuæ proceſſionis formaliter. Reſp. affirmatiuè Quia procedit vt conſubſtantialis, & vt amor infinitus diuinus; vnde debet habere ex vi proceſſionis formaliter totum id, quo eleuatur ad eſſe Diuinum infinitum, quod nō eſt aliud, quàm infinitas eſſendi.

DE PERSONA PATRIS,

DISPVTATIO LXVI.

Quomodo nomen Patris dicatur de prima Perſona.

SECTIO I.

1 NOmen Patris in Diuinis dicitur notionaliter, ſeu ad intra, & eſſentialiter, ſeu ad extra in ordine ad creaturas, iuxta illud Deuter. 32. *Nonne ipſe eſt Pater ſuus?* Difficultas autem eſt, quomodo dicatur de prima perſona.

2 Dico primò. *Nomen Patris dicitur de prima perſona propriè.* Proprietas autem conſiſtit in hoc, quod excludatur metaphora, & appropriatio: eſt de fide. Tum quia de fide eſt in Diuinis dari verum filium ad intra conſubſtantialem, vt habetur ex ſymbolo Niceno. Tum quia vna tantum ex tribus perſonis eſt Pater, vt habetur ex ſymbolo Athanaſij, Tum quia id eſt definitum in Cap. *Damnamus* De *ſum. Trin.* vbi habet Trinitatem eſſe vnam ſummam rem, quæ eſt veraciter Pater. &c.

3 Dico ſecundo. *Hoc nomen Patris non explicare adæquate eſſe notionale primæ perſonæ.* Prob. Quia non explicat ipſum, in quātū ſpirat; nec ſecundū rationē ingeniti.

4 Dico tertiò. *Nomen Patris excellentiori modo conuenire primæ perſonæ quam conueniat creatis, & ratione ſupereminentiæ tranſire ad diuerſum conceptum in perfectione.* Prob. Tranſit in Paternitatem, per eſſentiam, & infinitam, ergo infinito modo eleuatur ſupra paternitatem creatam.

5 Dico quartò. *Nomen Patris quo ad rem ſignificatam conuenire primæ perſonæ cū maiori veritate, & proprietate, quàm conueniat creatis.* Prob. Quæ ſunt participata, ſunt talia per ordinem ad ea, quæ ſunt per eſſentiam, & habent ſuam veritatem ex participatione, paternitas autem in Diuinis eſt paternitas per eſſentiam; in creatis autem participata. ergo

6 Dico quinto. *Paternitatem notionalem prius conuenire primę perſonæ, quam conueniat Deo paternitas in ordine ad creaturas,* ita communiter cum D. Thoma 1. *p. q.* 33. artic. 2. Prob. Per prius Deo conuenit, quod dicitur de ipſo propriè, quam quod dicitur metaphoricè, quia metaphoricum ex natura ſua eſt poſterius proprio. Nomen autem Patris in ordine ad creaturas eſt metaphoricum, quia creaturæ non habent naturalem ſimilitudinē, cū Deo. ergo

7 Obijcitur. Deum eſſe Patrem reſpectu creaturarum, & eſt quid eſſentiale; eſſentialia autem ſunt priora notionalibus, ergo. Reſp. Deum eſſe Patrem reſpectu creaturarum conuenire quidem ratione eſſentialium, ſed ſuppoſita operatione ad extra, quæ ſicuti eſt poſterior omnibus notionalibus; ita etiam ratio Patris.

An eſſe ingenitum conueniat Patri.

SECTIO II.

8 SVpponendum eſt. Patres aliquando reſpuiſſe nomen *ingeniti*, quia heretici in prauo ſenſu illud accipiebant, nempe pro eo, quod non eſt Pater, vnde inferebant, Filium eſſe Patrem, quia eſt genitus, & in hoc ſenſu fuit reiectum à Patribus.

9 Supponendum ſecundo. Nomen *ingeniti* ſignificare excluſionem cuiuſcunque productionis, vnde multipliciter accipitur. Primo pro eo, quod non eſt factum per generationem, poteſt tamen fieri. Sic Adam dicitur ingenitus. 2. pro eo, cui repugnat fieri per generationē, ſic Angeli dicūtur ingeniti; tertio pro eo, quod nullo modo eſt factū, ſed habet eſſe per eſſentiā, ſic Deus dicitur ingenitus; quarto pro eo, cui repugnat omnis productio, etiam quæ non ſit factio, & hoc pacto dicitur tātū de 1. perſona Trinitatis.

10 Dicendū eſt. *Nomen ingeniti eſſe proprium Patris, ita vt nulli alteri conueniat, ſi ſumatur vt importat excluſionem cuiuſcumq; productionis.* Deſumitur ex Concilio Niceno *lib. 2. §. Sæpe numero* vbi hæc tanquā credēda proponuntur. *Vnus ingenitus Deus Pater, Vnus ex eo genitus vnigenitus Filius Deus.* Et ex Concilio Tolet. 11. *in confeſſ. fidei* Prob. In Patre Diuino reperitur, quod explicatur per nomen, *ingeniti*, ergo debet illi conuenire vt proprium. Antec. prob. Pater ſecundū ſuū peculiarē modū ſubſiſtendi in hoc diſtinguitur ab alijs perſonis quod excludat omnem productionem, & principium. ergo

11 Colligitur ex dictis. Spiritum Sanctum, non poſſe dici ingenitum, quia licet excludat productionem per generationem, non tamen excludit omnem productionem.

Quid dicat ratio ingeniti.

SECTIO III.

12 SVpponendum eſt. Nomen, *ingeniti*, nō importare poſitiuā relationē ſupra Paternitatē, & ſpirationē; nā nō poteſt eſſe relatio ad terminū prędictū, quia hęc eſt relatio principij, nec relatio ad principium, vt patet. Nulla autem alia relatio poteſt in Diuinis reperiri.

13 Supponendum ſecundo. Neque importare illam auctoritatem vniuerſalem, qua Pater eſt fontalis plenitudo diuinitatis, quia hæc fontalis plenitudo importatur per Paternitatem, & ſpirationem, & licet ex eo, quod Pater ſit ingenitus, ſit etiam fontalis plenitudo; non tamen formaliter, ſed veluti conſequutiuè.

14 Communis ſententia docet, de ſuo formali importare aliquid negatiuum, quod habeat fundamentum poſitiuum. Ita D. Thomas. 1. *p. q.* 33. *art.* 4. *ad* 1.

15 Dico 1. *Nomen ingeniti, quò ad modū ſignificandi ſe habere negatiuo modo,* & hoc Patres intelligūt, quādo docēt ſignificare aliquid negat. Probat. Quia per hoc nomen concipimus excluſionem cuiuſcunq; productionis.

16 Dico 2. *Nomen ingeniti quò ad rem ſignificatā, importare aliquid poſitiuū.* Deſumitur ex Conc. Tol. 11. *in prof. fidei vbi habetur, ſi modū, quo Pater conſiſtit, quæras cū eum à nullo alio ortū videas, ingenitum appellamus;* Et D. Auguſt. in explicatione fidei, de Trinitat. *Si verò ingeniti vocabulum conſiderans, ſubſiſtentiæ modū ſignificare ad inuenies,* Prob. Habere eſſentiam communicatā

Digitized by Google

ab alio importat modum poſitiuum ſubſiſtendi, ergo habere, & non communicatam ab alio, importabit alium modum ſubſiſtenti. Hinc Nyſſen. *lib. Quod non tres Dij ait. Si quis dicet aliquid ita eſſe, quaſi non genitum ſit, quomodo ſit, ponit.*

17 Dices. Significare modum ſubſiſtendi materialiter, non autem formaliter. Contra. Modus ſubſiſtendi poſitiuus eſt ratio, cur Perſona Patris ſubſternatur ſignificationi ingeniti. ergo

18 Dico tertiò. *Hoc poſitiuum importare eſſe notionale Patris, quatènus dicit rationem primi termini perſonalis.* Prob. Pater eſt Pater ex ſe, & non ex vi productionis, ergo hypoſtaſis ipſius importat rationem primi termini, quæ per rationem ingeniti explicetur.

19 Obijcitur: in Deo nihil poſitiuum poteſt ſignificari niſi natura, & relatio, ergo. Reſpondet. negando conſequentiam; Nam nomen ingeniti ſignificat relationem, non ſub conceptu referendi, ſed primi termini perſonalis; quia relatio patris ex eo, quod eſt paternitas, eſt etiam in natura Diuina primus terminus perſonalis.

An, & quomodo Pater ſit principium.

SECTIO IV.

20 De fide eſt, Patrem eſſe principium Filij, & Spiritus Sancti, vt habetur in 6. Synodo *act. 11. in Epiſt. Sophron.* & cap. 1. *de ſumma Trinit. in 6.* Ratio eſt, quia Pater eſt id, à quo Procedunt aliæ Perſonæ per veram originem. Difficultas autem eſt, an cum etiam filius ſit principium, conueniat Patri aliquo peculiari modo eſſe principium.

21 Dico primò. *Patrem ſpeciali modo eſſe principium ex eo, quod eſt principium omnino à ſe, & Filius eſt principium de principio.* Ita D. Auguſt. *lib. 3. contra Maximum cap. 17.* Prob. Tota ratio principij, quam habet Pater, non eſt ab alio, ſicuti eſt in filio cui communicatur à Patre. ergo

22 Dico ſecundò. *Patrem ex eo ſpeciali modo eſſe principium, quia eſt principium totius Deitatis* ita in Concil. 6. Tolet. *cap.* 1. & in Tolet. 11. *in profeſs. fidei.* Prob. Hypoſtaſis Patris ita terminat naturam, vt illam ſpeciali modo reddat conſpicuam in Patre. Rurſus eſt ratio, cur eſſentia communicetur alijs perſonis, ergo eſt ratio cum in ipſis conſpicua fiat ſecundum proprios modos hypoſtaſis, ergo hoc pacto eſt principium totius Deitatis.

23 Obijcitur: ſequeretur, Patrem eſſe principium ſui, quia habet in ſe Deitatem. Reſpon. negando ſequelam. Quia eſt ratio, per ſuum eſſe notionale, cum Deitas habeat ſpeciales modos hypoſtaſis, vnde ſequitur tantum, quod ſit principium faciens terminari deitatem proprijs characteribus; non autem, quod ſit principium productiuum ſuiipſius.

24 Obijcitur ſecundò. Sequeretur, etiam Filium eſſe principium Deitatis, quia ratione ſuæ hypoſtaſis etiam terminat, & facit, vt communicetur Spiritui Sancto. Reſpond. negando ſequellam. Quia non eſt prima ratio, principij, ſicuti eſt Pater.

25 Dico tertiò. *Patrem ex eo etiam ſpeciali modo eſſe principium quia eſt principium Trinitatis.* Deſumitur ex Concilio Tornac. *in profeſs. fidei.* Probat. Pater eſt prima perſona Trinitatis, ergo erit principium Trinitatis, ſicuti vnitas eſt principium numeri, quia ab ipſa incipit numerus.

26 Quæres. An Pater poſſit dici initium. Reſpond. negatiuè; Quia initium ſignificat principium durationis, vt notat Athanaſius *orat. 3. contra Arrianos.*

27 Quæres ſecundo. An poſſit dici Filium habere principium, Reſpond. Licet poſſit dici Filium eſſe à principio, non tamen poteſt dici habere principium, nam habere principium ſignificat incipere.

28 Quęres tertio. An filius poſſit dici principiatus. Reſpond. negatiuè cum D. Thoma *opuſc. 1. contra Grecorum errores cap. 1.* Quia licet principiatum ſit correlatiuum principij; non tamen dicit ſolam rationem correlatiui, ſed importat etiam quandam dependentiam, & inferioritatem.

Quomodo ſe habeat ratio principij in Deo.

SECTIO V.

29 Principium in Deo dicitur notionaliter, & eſſentialiter quæritur; ergo quomodo ratio principij ſe habeat ad vtrumque. Communiter aſſerunt, ſe habere analogicè; ita vt per prius dicatur de notionali, quàm de eſſentiali; Durand. tamen *in 1. diſt. 29. q. 1. n. 9.* aſſerit, per prius dici de eſſentiali, quia per omnipotentiam terminus producitur ſimpliciter. Gabriel vero *in 1. diſt. 29. q. 1,* vult dici æquiuocè.

30 Dico primo. *Principium eſſentiale, & notionale importare diuerſas rationes principij, quæ in ratione principij ſint diuerſæ.* Probat. Tota ratio principij notionalis eſt per modum actualis productionis, & ex prima ſua ratione eſt actu principians; principium vero eſſentiale, ſecundum ſe totum eſt per modum potentiæ, & illi repugnat ex intrinſeca ſua ratione, eſſe actu principians, ergo ſunt rationes principij ſe totis diuerſæ.

31 Dico ſecundo, *A parte rei nullam eſſe analogiam, aut æquiuocationem.* Prob. A parte rei nulla eſt diſtinctio inter has rationes principij; ad analogiam autem, aut æquiuocationem requiritur aliqua diſtinctio,

32 Dico tertio, In eſſe obiectiuo ſe habere æquiuocè æquiuocatione incompleta, hoc eſt, quæ non ſit ſecundum aliquam integram eſſentiam. Probatur. In eſſe obiectiuo, ſunt rationes principij omnino diuerſæ, & habent nomen commune. ergo

33 Quæres. An Pater poſſit dici cauſa filij. Reſpondet. A Græcis poſse dici, quia apud ipſos principium, & cauſa, nullo modo diſtinguuntur, vnde in Concilio Florentino definitur Patrem, & filium ſecundum Grecos eſse cauſam Spiritus Sancti; ſecundum latinos vero principium. *Hinc* apud latinos non poteſt dici, quia diſtinguuntur inter principium, & cauſam in eo, quod principium ſolam originem; cauſa vero connotat etiam dependentiam in termino.

34 Quæres ſecundo. An Pater ſit auctor filij. Reſpond. affirmatiuè, & hunc modum loquendi vſurpant Patres, vt Dyonyſius *cap. 1. de Cæleſti hierarchia.* Athanaſius *dialogo 1, contra Macedonium.* Aug. *lib. 3, contra Maximū cap. 14.* Nomen enim Auctoris ſignificat tantum originem vnde etiam filius poteſt dici Auctor Spiritus Sancti, vt loquuntur Patres, vt Athanaſius *Epiſtola ad Serapien.* Hilarius *lib. 2. de Trinit.* & alii. Dicitur tamen auctor de auctore, ſicuti eſt principium de principio.

DE SECVNDA PERSONA Trinitatis.

DISPVTATIO LXVII.

An ſit propriè Verbum.

SECTIO I.

1 Svmitur Verbum prout eſt conceptus mentis, expreſſiuus obiecti cogniti, per modum imaginis. Dicendum eſt. *De fide eſſe Filiū Dei eſſe propriè Verbū ſine metaphora.* Probatur. Ioan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat*

Ver-

Digitized by Google

Verbum. Et rurſus. *Et Verbum Caro factum eſt*. Non poterat autem metaphoricè loqui, quia ordinauit narrationem ad explicandum, quomodo incarnatio ſit facta in perſona Filij Dei.

2 Dico ſecundò. *Hoc Verbum, non eſſe prolatiuum, ſed ſubſtantiale, viuens, & Aeternum*, eſt de fide. Prob. Ioan. 1. *Deus erat Verbum*, ergo ſi Deus eſt Verbum, oportet, vt ſit ſubſtantiale, viuens, æternum; hinc Athanaſius orat. 2. contra Gregal. Sabel. *Si Deus Verbum in mente habet, non autem re vera, ex ipſo genitum, vt Deum de Deo, quomodo poterit eſſe apud Deum, Verbum, aut quomodo Deus fuerit? Non enim Verbum in mente hominis conceptum homo eſt apud hominem, cum nec viuat, nec ſubſiſtat*.

3 Dico tertiò. *Verbum in Diuinis dici ſecundum rationem longe diuerſam, ac dicatur in creatis ratione perfectionis*. Prob. Verbum in creatis ſignificat conceptum mentis accidentalem; in Diuinis autem importat Verbum viuens, & eiuſdem naturæ cum producente, ita vt in ijs omnibus, in quibus proportionaliter conueniunt, infinitè diſtent, ergo

An Verbum dicatur eſſentialiter, an verò Notionaliter.

SECTIO II.

4 PRima ſententia eſt Durandi *in 1. diſt. 7. q. 2.* qui vult, Verbum dici eſſentialiter, ſicuti etiam dicitur intelligere, & ſolum per appropriationem conuenire ſecūdę perſonæ. Prob. Verbum non eſt aliud, quàm actus intelligendi, nam per ipſum conſtituitur formaliter intelligens, ergo; ſecundò. Intelligere non eſt aliud, quàm concipere Verbum; omnes autem perſonę intelligunt; tertiò. Si Deus non eſſet Trinus, haberet Verbum ſibi eſſentialiter conueniens, ergo; quartò. Actus notionalis non tranſit ad creaturas, nec reflectitur ſupra perſonam producētem, ſed dicere tranſit ad creaturas, & reflectitur; nam Pater dicit creaturas, & etiam ſe ipſum, ergo dicere non eſt notionale, ergo nec etiam Verbum; quintò. Pater loquitur ad Filium, ergo Filius non eſt Verbum, ſed audiens Verbum.

5 Secunda ſententia ait, Verbum dici perſonaliter, & ita accipi à ſcripturis, & à Patribus, & ideo ita loquendum eſſe, quantum tamen eſt ex vi ſignificationis, poſſe accipi etiam eſſentialiter. Ita D. Tho. *in 1. diſt. 27. q. 2. art. 2.* Capreolus *art. 1. concluſ.* 4. Ferrar. 4. *contra Gentes cap.* 13. Valentia *in controuerſijs lib. 1. de Trinitat. cap. 3.* Prob. Verbum correſpondet ipſi dicere, quod nedum eſt notionale, ſed etiam eſſentiale, ergo dicitur eſſentialiter, & notionaliter, ſicuti etiam dicitur amor.

6 Tertia ſententia aſſerit, Verbum dici tantum notionaliter, ita Alens. 1. *p. q. 62. mem. 2.* D. Bonau. *in 1. diſt. 27. p. 2. art. 1. q. 1. & 2.* Scotus *q. 2. & 3.* Gabriel *q. 7.* Caiet. 1. *p. q. 34. art. 2.* Vaſquez *diſput. 141. cap. 3.* Suarez *lib. 9. de Trinit. cap. 3.* D. Thomas 1. *p. q. 34. art. 2.* vbi præcedentem ſententiam retractauit.

7 Dico primò. *De fide eſſe Verbum in Diuinis accipi notionaliter*, deſumitur ex Concil. Nicæno *lib. 2. §. Sancta, & magna, & in profeſſ. fidei*, & Concil. Calced. *act. 5. in def. 2.* Conſtantinop. *2. act. 8. can. 4. & ſequent.* Probat. Ioan. 1. *Verbum Caro factum eſt*. Loquitur autem de Verbo, quod erat apud Deum. Tum quia de ipſo ſubdit, *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti*, ergo cum ſit ſermo de Perſona, vt contradiſtincta ab alijs quæ ſit Verbum, non poteſt Verbum importare aliquid eſſentiale.

8 Reſpondet Durandus. Dici Verbum per appropriationem. Contra. Quia perſonæ Diuinæ non contradiſtinguuntur ad inuicem, per appropriationem. Deinde intendebat Ioan. declarare myſterium Incarnationis, & quomodo ſecunda perſona Trinitatis ſit incarnata, vt autem ſtatueret fundamentum huius declarationis, docet exiſtentiam talis perſonæ ſub nomine Verbi, ergo Verbum importat eſſe perſonale ipſius, nam opus erat exprimere perſonam ſecundum proprium eſſe.

9 Dico ſecundò. *Verbum ſecundum propriam rationem non poſſe accipi eſſentialiter*. Probatur. Implicat, quod eadem ratio, quæ dicitur eſſentialiter, dicatur notionaliter, & è contra, ergo. Antecedens probatur. Quod ſemel dicitur eſſentialiter ex intrinſeca ſua ratione eſt communicabile, & exigit eſſe in pluribus, quod verò dicitur notionaliter, non poteſt eſſe in omnibus perſonis, ergo. Rurſus, quod dicitur notionaliter, eſt quid relatiuum; relatiua autem non poſſunt eſſe eſſentialia. Confirmatur. Quod dicitur notionaliter, eſt aliquid productum per eſſentiam, quod autem dicitur eſſentialiter, non poteſt eſſe productum.

10 Ad primam primæ ſententiæ negatur aſſumptum. Nam Verbum non eſt formaliter actus intelligendi, nec per ipſum formaliter conſtituitur intelligens, alioquin Pater in Diuinis intelligeret Verbo, quod negat Auguſt. *lib. 15. de Trinit. cap. 7.* ſed eſt tamen ratio repræſentatiua obiecti. Ad ſecundum. Omne intelligens concipere Verbum, non vt formaliter intelligens, ſed vt habet intellectum fœcundum; iſta autem fœcunditas formali modo reperitur tantum in Patre, vt ſupra explicauimus, & ideo ſolus Pater exprimit Verbum.

Ad tertium. Si Deus non eſſet Trinus, nec etiam eſſet intelligens, quia ſicuti tunc tolleretur Verbum ita conſequutiuè tolleretur intelligere. Ad quartum. Actum notionalem poſſe conſiderari, & ſecundum rationem productionis, & ſecundum rationem Termini. Primo modo neque tranſit ad creaturas, neque reflectitur ſupra producētem, quia tantum terminus eſt ille, qui producitur; ſecundò modo tranſit ad creaturas, & reflectitur ſupra producentem, & ſic Pater per Verbum dicit ſe ipſum vt obiectū, & etiam creaturas. Ad quintum. Patrem loqui ad Filium communicando illi ſuam ſcientiam, loquitur autem per ipſum Filium, quia Filius non eſt purè Verbum, *vt quo*, ſed eſt Verbum ſubſiſtens, & ideo poteſt habere ſimul rationem loquutionis, & eſſe audiens.

11 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ negatur ſecunda pars antecedentis. Nam dicere ſe habet tantum notionaliter; Amor autem dicitur notionaliter, & eſſentialiter ſecundum diuerſas rationes.

12 Ex dictis colligitur. Intelligere eſſentiale habere Verbum ſibi correſpondens, non tamen eſſentiale, ſed notionale, quia ex intrinſeca ſua ratione debet exprimi tanquam partus memoriæ Paternæ, ſufficit autem, quod Verbum notionale correſpondeat intelligere eſſentialiter: nam ſolum exigitur Verbum, vt intellectus coniungatur cum ipſo, ſufficit autem ſi in aliqua perſona coniungatur.

Quid dicat Verbum de ſuo formali.

SECTIO III.

13 IN Verbo Diuino duo conſiderantur eſſentia, & Notionale, & vtrumque concurrit ad eius conſtitutionem: non enim eſſet infinitum, niſi diceret naturam, nec eſſet Verbum, niſi diceret notionale, difficultas autem eſt, quid de formali dicat.

14 Prima ſententia aſſerit, importare formaliter, & in recto eſſentiam, relationem verò in obliquo. Ita Diuus Thomas *in prima diſtinction. 27. quæſtion. 2. artic. 2.* Capreol. *art. primo.* Ferrarien. *libr. 4. contra Gentes cap. 13. ad ſecundum dubium.* Suarez *lib. 9. de Trinit. cap. 3. n. 4.* & Alij. Prob. verbum eſt ſapientia genita, ſapientia autem dicit eſſentiam: ſecundò. verbum in creatis dicit qualitatem abſolutam, expreſſiuam obiecti, ergo etiam in Diuinis dicit aliquid abſolutum: tertiò. verbum, & Filius non ſunt ſynonyma, ergo cum Filius dicat formaliter relationem, verbum dicet formaliter eſſentiam.

Digitized by Google

15 Secunda ſententia vult, formaliter importare relationem, & eſſentiã in obliquo, ita D. Thom. *1.p.quæſt. 34. art. 1. & 2.* Caiet. *ibidem*. D. Bonauent. *in 1. diſt. 27. p. 2. art. 1. q. 1. & 2.* Sc. *q. 3.* Gabriel *art. 2.* Molina *1.p. q. 27. art. 1. diſp. 7. & 8.* Vaſquez *diſp. 144. cap. 1.* Amicus *diſp. 26. ſect. 1.* Ruiz *diſp. 50. de Trinit. ſect. 1.* Probatur. Quia nomina perſonarum primariò ſignificant relationem, Verbum autem eſt aliquid perſonale.

16 Notandum primò. Verbum Diuinum importare proportionaliter, quod importat creatum detractis imperfectionibus, Creatum autem non eſt aliud, niſi quædam ratio, quæ per modum puræ repræſentationis intentionalis continet obiectum cognitum, & ideo conſtituit obiectum præſens intellectui intentionali modo, vt docet Aug. *lib. 11. de Trin. cap. 4.* Vnde nihil aliud eſt niſi obiectum exiſtens in intellectu intentionali modo.

17 Notandum ſecundò. Imperfectionem Verbi creati in eo conſiſtere, quod tantum intentionali modo dicat eſſe obiecti; in hoc enim deficit ab eſſe obiecti, vt importet tantum quandam repræſentationem ipſius. Hoc autem in Verbo Diuino non habet locum, quia nihil, quod ſit in ipſo, poteſt deficere ab eſſe Diuino, alioquin aliquid eſſet in Deo, quod non eſſet Deus: vnde Verbum Diuinum ita debet eſſe repræſentatio intentionalis obiecti, vt ſimul etiam dicat eſſe Diuinum, quod eſt in obiecto.

18 Dico primò. *Verbum Diuinum de ſuo formali importare eſſe Diuinum, poſitum per communicationem in eſſe obiectiuo fundato in realitate einſdem eße, ita vt non dicat intentionali modo eße Diuinum, ſed modo reali per realem expreſſionem.* Probat. Verbum non eſt aliud, quàm terminus productionis intellectualis, per quam trahitur obiectum ad exiſtendum in intellectu intentionali modo, ergo Verbum Diuinum importat eſſe Diuinum conſtitutum in eſſe obiectiuo, non intentionali, quia hoc dicit imperf. ctionem, ſed reali expreſſo intellectualiter. Antecedens patet: Quia Verbum eſt imago obiecti, continens ipſum repræſentatiuo modo. Conſequentia prob. Quia Verbũ Diuinũ producitur ex notitia eſſe Diuini, & ideo eſſe diuinũ debet poni per Verbũ in eſſe obiectiuo.

19 Dico ſecundò. *Hoc eſse Diuinum ſic conſtitutum nõ importare eſsentiam in recto, & relationem in obliquo.* Prob. Si Verbum Diuinum diceret eſſentiam in recto, conſtitueretur, & determinaretur in eſſe Verbi per eſſentiam, ergo eſſentia conſtitueret omnes perſonas in eſſe Verbi, quia vt talis eſſet determinatiua Verbi.

20 Dico tertiò. *Neque in recto importare ſolam relationem.* Probatur. De ratione Verbi eſt, quod ſit expreſſa imago obiecti, atq; adeo quod repræſentatiuo modo ipſum contineat, ergo debet dicere in recto hanc repræſentationem, hæc autem repræſentatio non ſaluatur per ſolam relationem, nam debet continere totum eſſe Diuinum, cum debeat fundari in aliquo eſſe, ex vi cuius reali modo ſequatur talis repræſentatio.

21 Dices. Ex hoc ſequitur, quod eſſe Diuinum, ſe habeat tantum materiali modo; non autem formali modo. Contra. Repræſentatio non ſe habet materiali modo, ergo nec etiam eſſe Diuinum, in quo ſubſiſtit, quia repræſentatio dicit formaliter ipſum eſse repræſentatiuum.

22 Dico quartò. *Verbum de ſuo formali importare tum relationem, tum eſsentiam, quatenus ex ipſis ſecundum noſtrum modum concipiendi, conſurgit aliquid tertium, ita vt Verbum de ſuo formali importet hoc tertium, & ſecundario eſsentiam, & relationem, vt intrinſeca conſtitutiua.* Prob. De ratione perfectiſſimi Verbi, & Diuini eſt vt procedat tanquam imago adequata obiecti cogniti, ergo dicit id, quod conſurgit ex eſsentia, & relatione. Conſequentia prob. Quia non poteſt eſse imago perfectiſſima, niſi perfectiſſimè dicat repræſentationẽ, quã nõ poteſt perfectiſſimè dicere, ſi ſit purè intentionalis; vnde debet dicere realiter, atq; adeo importare eſsentiam determinatam per modum repræſentationis per eſse notionale.

23 Dico quintò. *Verbum relatiuè dici, ita vt importet totum, quod conſurgit ex eſſentia, & relatione ſub ratione relatiui*, ita communiter Patres, præſertim Auguſt. *5. de Trinit. cap. 13.* Prob. Verbum eſt aliquid expreſsum ab intellectu per modum imaginis, ergo dicit relationem ad exprimentem, & ratione ipſius ad id, cuius eſt imago.

24 Dico ſextò. *Hanc relationem verbi eſſe ad Patrem, quatenus Pater eſt.* Prob. Verbum, vt tale, eſt alicuius dicentis Verbum, ergo in Diuinis dicit relationem ad Patrem, quatenus eſt producens, quia producit per dicere.

25 Dico ſeptimò. *Verbum in ratione verbi reſpicere etiam Spiritum Sanctum.* Probatur. De ratione verbi eſt, quod exprimat in ſe totum id, cuius eſt verbum, ergo cũ in Diuinis Pater ſit ſpirator, & Verbum dicat per modũ verbi totum id, quod dicit Pater, vt docet Auguſt. *lib. 15. de Trinit. cap. 14.* debet verbum in ratione verbi exprimere totum id, quod Pater dicit vt communicabile, ergo etiam rationem ſpirationis, atque adeo vt Verbum reſpicere Spiritum Sanctum.

26 Ad primum primę ſententiæ reſpond. Verbum non ſolum eſse ſapientiã, ſed ſapiẽtiã genitam, & ideo in recto dicit tũ eſsẽtiã, tũ relationẽ. Ad 2. In creatis quoq; verbum dicere ordinẽ intrinſecũ ad exprimẽtẽ: vnde etiã in diuinis ita debet importare aliquid abſolutũ, vt tamẽ dicat etiam ordinẽ, ad exprimẽtẽ. Ad 3. Filiũ, & Verbũ in hoc differre, quod Filius importat naturam cõmunicatã ſub ratione viuentis, in ſimilitudinẽ naturæ. Verbum autem importat naturam cõmunicatam ſub ratione repręſentationis.

27 Ad fũdamẽtũ 2. Sẽtẽtię reſp. Nomina perſonalia in abſtracto ſignificare primariò relationẽ, in concreto verò ſignificare illud totũ, quod cõſurgit ex eſsẽtia, & relatione.

28 Quæres. Quomodo verbum ſit ſapientia, ita enim nominatur in ſcripturis vt 1. *ad Corinth.* Reſpond. Dici ſapientiam genitam per appropriationem, quod nihil aliud ſignificat, quàm ſapientiam, eſsentialem ipſi appropriatam ex eo, quod procedit vt Verbum, vt docet Auguſtin. *lib. 2. de Trinit. c. 2.*

29 Quæres 2. An Pater ſit ſapiens ſapientia genita, Reſpond. negatiuè cum D. Auguſtino *lib. 6. de Trinit. cap. 1. & 2.* & *lib. 1. Retractationum cap. 26.* vbi retractat doctrinam oppoſitam, quam tradiderat *q. 23. ex 83.* & ſequuntur communiter ſcholaſtici, quia cum Pater dicitur ſapiens ſapientia genita, ſenſus eſt, quod ſit ſapiens per filium, atque adeo quod non ſit ſapiens eſsentialiter eſt tamen ſapiens ſapientia genita ſpecificatiuè ſumpta, hoc eſt illa ſapientia, quæ in Filio habet annexam generationem.

30 Obijcitur. Pater amat Spiritu Sancto, ergo eſt etiam ſapiens ſapientia genita. Reſpond. negando conſeq. Quia cum dicitur ſapiens, ſignificatur aliquid eſsentiale; quod autem eſt eſsentiale, non poteſt eſse genitum; quando verò dicitur amare Spiritu Sancto, ſignificatur aliquid notionale, nempe illam notionalem conuerſionem, qua Pater per amorem ſe conuertit in Filium.

An verbum ſit imago Patris.

SECTIO IV.

31 IMago alia eſt purè artificialis; & eſt ſimilitudo repręſentatiua expreſsa ab arte. Alia intentionalis, & eſt quędam ſpecialis imago, quæ tantum in intellectu reperitur; quando producitur verbum ad repræſentandum obiectum. Alia verò naturalis, quæ naturali modo repręſentat, vnde debet eſse eiuſdem rationis cum repræſentato. Eſt autem de ratione imaginis, quod ſit ſimilitudo expreſsa ad repręſentandum id, cuius eſt imago vt docet D. Auguſt. *q. 74. ex 83.* Ex quo fit, quod debeat progredi ſaltem exemplariter ab eo, cuius eſt imago, vt *ibidẽ* docet D. Auguſt.; nam non poteſt eſse repræſentatio, niſi ſit aliquid illius, cuius eſt repræſentatio, cum de ratione repręſentationis ſit, quod dicat eſse repræſentatum per modum cuiuſdam repræſentationis.

32 Suppon. eſt. Ad rationem imaginis naturalis requiri ſimili-

Digitized by Google

ſimilitudinem in natura, per quam determinetur ad rationem talis imaginis. Hinc Patres communiter docent, Filium in diuinis eſſe imaginem naturalem Patris, quia habet eamdem naturam cum ipſo. Requirit autem imago naturalis, quod per generationem producatur ab eo, cuius eſt imago; cum enim debeat continere repræſentatiuo modo id, quod repræſentat, debet eſſe repræſentatum transfundi in imaginem, vt in ipſa reluceat ſecundum proprium eſſe; vnde quando imago eſt naturalis, debet transfundi non ſolum ſecundum ſimilitudinem, ſed etiam ſecundum realitatem, quod ſolum fieri poteſt per generationem, quia ſola eſt origo per principium vitæ coniunctum, per quod transfunditur natura generantis in genitum.

33 Supponendum ſecundò. Rationem imaginis naturalis reperiri ſolum in viuentibus cognoſcitiuis; quia de ratione ipſius eſt, quod ſit repræſentatiua reſpectu illius, à quo formatur; in formatione enim imaginis, debet formans procedere exemplariter, quod fieri non poteſt, niſi agnoſcat in ipſa rationem imaginis.

34 Prima ſententia aſſerit, imaginem reperiri in diuinis tantum impropriè, & dici eſſentialiter: conuenire autem Filio per appropriationem, ita Durand. *in 1. diſt. 28. q. 3.* Probatur. Non ſequitur, filium in diuinis eſſe imaginem propriam ex eo, quod in Scriptura dicitur imago; nam etiam homo dicitur imago Dei, 1. Corinth. 2. 2. In diuinis non eſt realis ſimilitudo, ſed tantum per relationem rationis; de ratione autē imaginis eſt ſimilitudo. 3. ſimilitudo, quę concurrit ad imaginem, eſt ſecundum eſſentiā; eſſētia autem non importat ſimilitudinem, ſed identitatem.

35 Secunda ſententia aſſerit, imaginem dici notionaliter, & propriè conuenire filio: Ita communiter cum D. Thoma *1. p. quæſt. 35. art. 1. & 2.*

36 Dico primò. *Imaginem dici perſonaliter, & conuenire filio*, ita communiter Patres, & deſumitur ex ſcript. Ad Hebræos primo. Filius dicitur figura ſubſtantiæ, ſecunda. Ad Corinth. 4. *qui eſt imago Dei*. Ad Coloſs. 1. *Imago Dei inuiſibilis*. Prob. Filius verè, & propriè generatur, & procedit vt Verbum, ergo eſt imago naturalis, & ſimilitudo expreſſa ad repræſentandum.

37 Dico ſecundò. *Filium eſſe imaginem reſpectu Patris, non autem reſpectu eſſentiæ*. Prob. Tum quia Filius eſt imago genitoris. Tum quia non diſtinguitur ab eſſentia; imago autem debet diſtingui ab eo, cuius eſt imago.

38 Dico tertiò. *In ratione imaginis includi etiam naturam diuinam* Probatur: Ad rationem imaginis naturalis requiritur ſimilitudo naturalis, quæ non habetur ſine natura, ergo cum filius ſit imago naturalis, debet in ratione imaginis importare naturam.

39 Ad primum negatur aſſumptum. Ad prob. quando homo dicitur imago Dei, non infertur eſſe propriè imaginem, quia non habet fundamentum imaginis propriè dictæ, ſicut habet verbum in diuinis. Ad ſecundum Diſtinguo minorem: ſimilitudinem imaginis non eſſe ſimilitudinem vnitatis, ſed repræſentationis, quæ in diuinis eſt realis, quia verbum realiter repræſentat Patrem. Ad tertium diſtinguo minorem. Similitudo imaginis habetur fundamentaliter à natura; formaliter autem, & determinatiuè ab eſſe notionali; & ideo non eſt identitas, ſed vna ſimilitudo repræſentatiua, quia per aliquid realiter diſtinctum a Patre determinatur ad eſſe repræſentatiuum.

40 Colligitur ex dictis Spiritum Sanctum non eſſe imaginem, quia non procedit vt verbum, & Filius. Vnde quando Patres docent eſſe imaginem Filij, non loquuntur de imagine propriè dicta, ſed ſolum ſignificant, quomodo ſit conſubſtantialis Filio, vel vtuntur figurata loquutione, vt ſignificent, quomodo in nobis per dona gratiæ cauſet imaginē Dei, qua cōſtituimur filij adoptiui ad imaginem Chriſti, qui eſt Filius naturalis, quod indica Ath. *Ep. ad Serap.* & Amb. *1. de Spiritu Sancto cap. 6.*

Cur Spiritus Sanctus non ſit imago.

SECTIO V.

41 Ratio difficultatis eſt. Quia ipſe quoque habet eamdem naturam communicatam a Patre; nō poteſt autem aſſignari diſcrimen ratione naturę præciſæ cum ſit eadem in omnibus, ſed debet aſſignari ex parte eſſe notionalis.

42 Dico primò. *Natura in Filio determinatur ad imaginem realem, quia determinatur ad vitam notionalem.* Probatur: vt Filius ſit imago Patris, debet ſe habere vt viuens, eo modo, quo ſe habet Pater. Pater autem habet vitam eſſentialem determinatam ad vitam notionalem.

43 Dico ſecundò. *Habere rationem imaginis, quia eſſentia determinatur ad rationem verbi, quod ex ſui natura eſt expreſſiuum producentis, quando producitur ex potitia ipſius.* Prob. De ratione Verbi eſt, quod ſit expreſſa ſimilitudo obiecti, ergo.

44 Ex his colligitur. Cur Spiritus Sanctus non ſit imago, quia videlicet ſecundum ſuum eſſe notionale neque eſt viuens, neque expreſſa ſimilitudo obiecti.

45 Quæres. An verbum ſit imago creaturarum. Reſp. negatiue. Tum quia non eſt ſimilitudo tranſſumpta à Creaturis. Tum quia debet eſſe perfectiſſima imago, atq. adeo naturalis continens formali modo naturam illius, cuius eſt imago.

Quomodo ſe habeat verbum in ratione loquutionis, & dictionis.

SECTIO VI.

46 Pater in diuinis loquitur per Verbum, vt docet Athanaſ. *orat. 2. contra Arrianos*. Cyril. *libr. 10. Theſauri cap. 6.* Aug. *in Pſalm. 44.* Difficultas autem eſt, quomodo Verbum ſe habeat in ratione loquutionis.

47 Dico primo. *Patrem loqui ſibi ipſi, per Verbum*, eſt contra Amicum *1. p. diſp. 26. ſect. 1. num. 37.* Probatur. Pater exprimendo Verbum loquitur ad intra, & percipit, quid loquatur, ergo etiam ſibi ipſi loquitur, quia loquutio mentalis eſt in ordine ad ipſum loquentem.

48 Obijc. Pater non producit verbum, vt ſe ipſum in illo cognoſcat, ſed vt ſe manifeſtet alteri, ergo non loquitur ſibi. Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Nam producit Verbum vt ſe ipſum in illo cognoſcat, tanquam in obiecto cognito, concedo: Tanquam in ratione manifeſtatiua, qua ponit ſuam eſſentiam in eſſe actualis manifeſtationis intelligibilis nego.

49 Dico ſecundò. *Pater per verbum loquitur etiam ad ipſum Filium*. Ita Aug. *tract. 34. in Ioann.* Cyril. *7. Theſauri, cap. 3.* & deſumitur ex illo Ioann. 15. *Omnia, quæ audiui a Patre meo, nota feci vobis*. Prob. Filius intelligit, quod Pater loquitur, alioquin eſſet ignarus, ergo Pater loquitur ad ipſum, alioquin filius non perciperet loquutionem.

50 Obijc. Filius eſt id, quo Pater loquitur, ergo non poteſt loquutio eſſe ad ipſum. Reſpond. negando conſequentiam. Nam filius eſt ſimul Verbum, & audiens, cum ſit verbum ſubſiſtens in natura intellectuali: vnde eſt ratio loquendi, quatenus eſt manifeſtatiuum, & eſt audiens, quatenus eſt ſubſiſtens intellectualiter.

51 Dico tertiò. *Patrem per ſuum verbum loquitur etiam Spiritui Sancto*. Eſt contra Amicum *citatum*. Probatur. Spiritus Sanctus habet eandem naturam, quam habet filius; auditio autem habetur ratione naturæ, & proinde audit, quod loquitur Pater.

52 Dico quartò. *Patrem non loqui formaliter Verbo*

Digitized by Google

ad creaturas. Probatur Verbum diuinum non eſt manifeſtatiuum, niſi ad intra, cum de ratione verbi ſit, quod tantum manifeſtat intellectu exprimenti. ergo

53 Dico quintò: *Patrem dicere ſuo Verbo ſe ipſum, prout dicere ſignificat manifeſtare.* Ita Anſelm, *in Proſolog. cap. 23.* Auguſt. *lib. 15. de Trinit. cap. 21.* Prob. verbum eſt expreſſiuum loquutiuo modo ipſius Patris: id autem dicitur per verbum, quod per ipſum exprimitur.

54 Dico ſextò. *Patrem non dicere verbum, vt verbum eſt, tanquam obiectum, ſed ſolum tanquam terminum ſuæ loquutionis.* Probatur: verbum, vt Verbum, non eſt formaliter obiectum, ſed loquutio, & expreſſio obiecti: idem autem ſecundum eandem rationem non poteſt eſſe loquutio, & obiectum eiuſdem loquutionis.

55 Dico ſeptimò. *Neque Patrem dicere Spiritum Sanctum,* eſt contra Smiſing. *diſp. 3. de Trinit. num. 230.* & alios Recentiores. Probatur. Quod dicitur tanquam obiectum, communicatur ſecundum eſſe ipſi Verbo. Sed eſſe Spiritus Sancti communicatur verbo à Patre, vt de fide eſt, ergo. Maior probatur: ideo filius habet ſubſtantiam Patris, quia illam Pater dicit tanquam obiectum, vt docet Auguſt. *lib. 15. de Trinit. cap. 14. & 21.* ergo

56 Obijc. Pater intelligit Spiritum Sanctum, ergo ipſum dicit, vt obiectum, quia debet repræſentari, vt obiectum. Respond. negando conſequentiam. Quia, vt Spiritus Sanctus repræſentetur, ſufficit ſi repræſentetur ens per eſſentiam; quia ſicuti in hoc continetur, quidquid eſt in Deo, ita etiam in ipſiſſ repræſentatione repræſentatur, quidquid eſt in Deo.

57 Dico octauò. *Si dicere largè ſumatur, prout dicit cogitare, & percipere obiectum; etiam practico modo, conuenit Deo eſſentialiter ratione Verbi.* Ita Cyril. 1. *cap. Iulian. poſt med.* Anſelm. *in Monolog. cap. 60. & 61.* Probatur. Omnes Perſonę habent intellectionem eſſentialem, ergo dicere ſumptum pro attingentia obiecti, conuenit omnibus perſonis.

58 Dico nonò. *Patrem producendo Verbum dicere creaturas ad intra tanquam obiectum.* Ita D. Thomas 1. *part. quæſt. 34. articul. 1. ad 3.* & deſumitur ex D. Auguſt. *libr. 15. de Trinit. capitul. 3.* Probatur: Pater producens Verbum dicit ſuam omnipotentiam, in qua continentur creaturæ, vt in cauſa, ergo illas dicit, dum dicit ipſam cauſam, ergo creaturæ ſunt in Verbo, vt in loquutiua expreſſione.

59 Dico decimò. *Patrem, & omnes alias Perſonas dicere creaturas ad extra vt obiectum communi dictione eſſentiali, ita tamen vt hæc dictio habeatur ratione verbi.* Ita D. Thomas 1. *part. quæſt. 34. art. 1. & 3.* & communiter, & traditur à Patribus. Auguſt. 1. *de geneſi ad litteram, capitul. 3.* & *tract. 21. in Ioannem*; Athanaſio *oration. 5. contra Arrianos*. Nazianz. *orat. 49.* Anſelm. *in Monolog. capitul. 23.* Probatur: Deus eſt operans intellectualis, ergo debet præconcipere, quod facit, ergo quando exequitur, debet exprimere ad extra, quod expreſſit ad intra per Verbum.

60 Dico vndecimò. Verbum in loquutione ad extra ſe habere vt *quod*, ita D. Thom. *in 1. diſt. 27. quæſt. 2. Art. 3.* & alij contra Smiſing. *diſp. 3. de Trinit. num. 222.* & deſumitur ex D. Auguſt. *libr. 7. de Trinit. cap. 3.* Probatur Verbum eſt ſubſiſtens in natura intellectuali, ergo non ſolum ſe habet vt *quo*, ſed etiam vt *quod*, ergo non ſolum eſt ratio loquendi ad extra, ſed etiam loquens, ſeu dicens.

DE PRODVCTIONE VERBI.

DISPVTATIO LXVIII.

An Verbum procedat ex notitia contingentium.

SECTIO I.

1 PRima ſententia eſt affirmatiua, ita Valent. *tom. 1. diſp. 2. quæſt. 8. puncto 2.* Cuniga *diſp. 9. de Trinit. dub. 7.* Ruiz *diſput. 60. de Trinit. ſect. 4.* Probatur. Quia D. Auguſtinus, & Anſelm. docent creaturas futuras dici, & exprimi Verbo ſecundo. Pater loquitur cum filio de rebus contingentibus, nec ſufficit ad talem loquutionem ſcientia ſimplicis intelligentię, ergo requiritur ſcientia viſionis. Tertiò. Verbum debet procedere de notitia eorum omnium, quę in ipſo dicuntur, ergo. Quartò procedit ex ſcientia perfectiſſimè comprehenſiua, hęc autem attingit etiam futura: Quintò. Verbum habet actus liberos ſibi à Patre communicatos, ergo etiam notitiam liberam, per quam communicentur, ergo procedit ex notitia libera.

2 Oppoſita ſententia traditur à Caiet. 1. *p. quæſt. 34. art. 3.* Molin. *diſp. vnica.* Vaſquez *diſp. 143.* Suarez *9. de Trinit. c. 7.* Smiſing. *diſp. 3.* & alijs.

3 Notandum primò. Verbum procedere ex notitia alicuius obiecti importare quandam rationem originis dependenter ab illo obiecto. Dependentia autem in eo conſiſtit, quod obiectum fęcundet intellectum, & ex vi talis fęcundet intellectum, & ex vi talis fęcundationis producatur verbum, vnde procedere ex cognitione obiecti, non debet intelligi de formali attingentia, qua attingitur obiectum, ſed de fæcundatione cognoſcitiua, vt patet in creatis, in quibus certum eſt cognitionem formalem non eſſe principium productiuum verbi. Hinc Verbum procedit tantum ex notitia illius obiecti, quod per ſe formaliter eſt fęcundatio talis obiecti, & eſt per ſe neceſſaria, vt verbum tale procedat, quale eſt.

4 Notandum ſecundò. Fęcunditatem, ex qua producitur verbum, & verbū vt tale eſt, & ipſum intelligere proportionaliter, ſibi correſpondere, itaut quodlibet in ſuo genere dicat id, quod dicit alterum in ſuo: fęcunditas enim eſt expreſſiua verbi: vnde ponit in ipſo per modum repræſentationis, quod ipſa continet per modum fęcunditatis.

5 Notandum tertiò. Diuinum intellectum eſſe ex intrinſeco ſuo fæcundum ratione diuinæ eſſentię, quę importat fęcunditatem infinitam, vnde non accipit fęcunditatem ab obiectis. Hęc autem fęcunditas correſpondet vt obiecto tantum diuinę eſſentię, itaut ipſam non excedat; quia enim diuina eſſentia eſt infinitum intelligibile, exigit infinitam fęcunditatem: in diuino autem intellectu non eſt niſi fęcunditas infinita, & ideo non excedit intelligibilitatem obiecti. Rurſus hęc fęcunditas habetur tantum à diuina eſſentia, quia ſola intelligitur vnita cum intellectu diuino per modum ſpeciei impreſſę.

6 Notandum quartò. Diuinam eſſentiam importare intelligibilitatem, per eſſentiam, & infinitam, & ideo extra ipſam non eſſe aliquam intelligibilitatem, quę non ſit ab ipſa participata, quia extra infinitum per eſſentiam, non eſt aliud, quod non ſit participatum ab ipſo: & cum fęcunditas correſpondeat intelligibilitatis, datur in Deo vna tantum fęcunditas infinita, & per eſſentiam, itaut extra ipſam non ſit alia fęcunditas, niſi participata, ex quo fit, quod cum concipimus aliqua à Deo cognoſci, quę ſint extra hanc intelligibilitatem, cognoſcuntur ratione intelligi-

Digitized by Google

telligibilitatis eiuſdem eſſentię, quia ſicuti ipſarum intelligibilitas participatur ab intelligibilitate eſſentię: ita etiã in ipſa continetur; & ideo ſufficit intelligibilitas eſſentię, quod proportionaliter dicendum eſt etiam de fęcunditate.

7 Dicendum eſt. *Licet notitia, ſeu fæcunditas, ex qua procedit verbum, ſit etiam in ordine ad cognoſcenda futura, non tamen verbum procedit ex notitia futurorum, vt talia ſunt*. Probatur: Verbum procedit tantum ex notitia illius obiecti, de cuius propria fæcunditate per ſe exprimitur, ſed nõ exprimitur per ſe de fæcũditate futurorũ, ergo. Maior patet quia, fęcunditas eſt principium, in cuius virtute exprimitur verbũ, & ſolũ procedit de notitia obiecti, ratione fæcunditatis, ergo ſi fæcunditas per ſe non cõcurrit, neque etiam concurrit obiectum. Minor probatur: Quia tota fæcunditas, quæ eſt in diuino intellectu, eſt propria diuinæ eſſentiæ, non autem futurorum vt patet ex dictis. Confirmatur. Si verbum procederet ex notitia futurorum, eſſet in ipſo aliqua intrinſeca ratio verbi, quæ poſſet non eſſe; hoc autem implicat, ergo: ſequella probatur. Vel ratione futurorum haberet ſpecialem rationem repræſentationis ſupra repræſentationem, quam habet in ordine ad tale obiectum; vel non. Si primum; ergo, cum futura potuerint non eſſe, potuit non eſſe in verbo hæc ratio repræſentationis. Si ſecundum; ergo non procedit ex notitia futurorum, quia Verbum procedit tantum ex notitia illius obiecti, ex cuius fæcunditatem habet aliquam rationem repræſentationis.

8 Dices. In Verbo ad eſſe aliquid contingens, nempe reſpectum ad creaturas. Contra. Vel hic reſpectus dicit aliquid reale intrinſecum; vel non. Si primum, ergo aliquid intrinſecum potuit non eſſe in Verbo. Si ſecundum; ergo non procedit ex notitia futurorum, quia procedere ex notitia obiecti, ponit aliquid intrinſecum in verbo.

9 Ad primum reſpondetur. D. Auguſt. & Anſelm. docere tantum, quod futura exprimantur verbo, quod non eſt aliud, quam quòd ratione verbi repræſententur, quod ratione ſuæ infinitæ repræſentationis extenditur ad illa repræſentanda. Ad ſecundum, Patrem loqui ad filium de contingentibus, quatenus illi communicat propriam ſciẽtiam, quæ ſicut in Patre extenditur ad futura, ita etiam in Filio; non autem quia ex notitia futurorum procedat. Ad tertiũ. Verbum procedere ex notitia omnium, quæ in ipſo dicuntur formaliter, & per ſe primò non autem, quæ ſecundario dicuntur. Nec autem ſunt tantum ea, quæ formaliter exprimuntur per infinitam repræſentationem; futura autem non repræſentantur per ſe primò, ſed ratione extenſionis eiuſdem repræſentationis. Ad quartum. Verbum non procedere ex ſcientia comprehenſiua, ſed ex fęcunditate in ordine ad ſcientiam comprehenſiuam. Deinde ſcientia comprehenſiua non requirit per ſe terminari ad futura; ſed ſufficit, quod attingat Deum, quantum cognoſcibilis eſt, et poſtea extenditur ad futura in eo ſigno, in quo ſunt futura abſque eo, quod acquirat aliquam intrinſecam perfectionem, vt ſuo loco dictum eſt. Ad quintũ, verbum habere actus liberos communicatos a Patre ſicut habent cætera, quæ circa creaturas exercentur, quæ ſolum communicantur per productionem veluti in radice, videlicet in omnipotentia, ſic etiam actus liberi communicantur, quatenus communicatur actus neceſſarius, qui ratione infinitatis ſe extendit etiam ad contingentia. Vnde eſt ſolum communicatio quædam conſequutiua, per quam nil intrinſecum ſupra actum neceſſarium, communicatur; ſed ſolum extrinſeca terminatio; & ideo non fundatur in aliqua intrinſeca fæcunditate ſuper addita, ex qua exprimatur verbum; & ideo nec procedit ex notitia futurorum.

An verbum procedat ex notitia poſſibilium.

SECTIO II.

10 Prima ſententia eſt affirmatiua ita Caiet. 1. *part. quæſt.* 34. *artic.* 3. Bann. *ibidem.* Torres *quæſt.* 27. *de Trinit. art.* 5. *diſp. vnica.* Suarez *lib.* 9. *de Trinit. cap.* 6. Ruiz *diſp.* 65. *ſect.* 1. Perez *diſp.* 14. *ſect.* 8. & ferè communiter, exceptis Scotiſtis. Probatur: verbum eſt eſſentialiter expreſſiuum creaturarum poſſibilium, & ea tãtum exprimit, ex quorum notitia procedit, ergo: Secundo comprehenſiua cognitio importat etiam cognitionem poſſibilium; Verbum autem procedit vt terminus cognitionis compræhẽſiuę: Tertiò, poſſibilia ſunt per ſe connexa cum obiecto, primario, nempe diuina eſſentia. ergo

11 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Scot. *in* 1. *diſt.* 10. *quæſt. vnica*, & *in* 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 2. Baſſol. *q.* 1. Rada 1. *p. controu.* 11. Smiſing. *diſp.* 3. *de Trinit. n.* 283. & Scotiſtæ.

12 Notandum eſt poſſibilia poſſe conſiderari ſecundũ ſe præcisè, vt ſunt aliquid contradiſtinctum ab eſſentia diuina, & prout ſunt aliquid in ipſa contentum, vt in cauſa. Primo modo dicunt ſuum eſſe præciſum, quod eſt aliquid finitum, ſecundo modo, ſicut non ſunt aliquid contradiſtinctum ab eſſentia diuina, ita etiam nihil aliud ſunt niſi ipſamet omnipotentia; vnde ex eo, quod verbum procedat ex notitia poſſibilium, vt continentur in omnipotentia, non fit, quod procedat ex notitia poſſibilium, ſed tantum eſſentiæ.

13 Dico primò. *Verbum procedere ex notitia omnipotentiæ, quatenus eſt cauſa poſſibilium, & ea in ſe continet.* Probatur. Verbum procedit ex fæcunditate diuinæ eſſentiæ infinito modo ſe habente; & illi correſpondente, quatenus intelligibilis eſt ſecundum omnem rationem intelligibilitatis, ergo procedit ex notitia omnipotentiæ, vt continet poſſibilia, quia poſſibilia, vt contenta in cauſa, dicunt perfectionem cauſæ, atque adeo aliquid intelligibile.

14 Dico ſecundò. *Verbum non procedere ex notitia, ſeu fæcunditate poſſibilium, prout ſunt quid contradiſtinctum ab omni potentia.* Probatur. Verbum non procedit, niſi ex illa notitia, qua fæcundatur intellectus diuinus, quia verbum adæquatur fæcũditati diuini intellectus, & tantũ eſt, quanta eſt fæcunditas, ergo non poteſt procedere ex notitia, ſeu fęcunditate poſſibilium. Conſequentia probatur. Poſſibilia non habent propriam fæcunditatem ſupra fæcunditatem, quæ correſpondet diuinę eſſentię, quia eſſentia, vt infinitum intelligibile, exigit omnem rationem fęcunditatis, ita vt nulla ſit ratio fęcunditatis, quę non ſit propria eſſentię, ergo. Confirmatur. Si poſſibilia haberent in intellectu diuino propriam fęcunditatem, intellectus diuinus perciperet fęcunditatem ab obiecto finito, nec eſſet ſuamet fęcunditas, quod implicat.

15 Dices. Fęcunditatem correſpondentem diuinę eſſẽtiæ ob ſuam infinitatem eſſe etiam fæcunditatem omniũ poſſibilium. Contra. Fæcunditas ſecundum totam ſuam infinitatem correſpondet diuinæ eſſentiæ vt infinito intelligibili, ergo non poteſt importare aliquam rationem fæcunditatis, quæ vt propria correſpondeat poſſibilibus, præſertim quia eſt idem realiter cum obiecto.

16 Dices ſecundò. Poſſibilia non eſſe obiectum motiuum, & ideo non concurrere in genere obiecti, quamuis cognitio ipſorum ſit neceſſaria ad productionem verbi. Contra: ideo obiectum concurrit in ratione obiecti ad productionem verbi, quia concurrit fæcunditas, & notitia ipſius, ergo ſi fæcunditas poſſibilium, & notitia ipſorum per ſe requiritur, obiectum quoque per ſe concurret, atque adeo vt motiuum.

17 Probatur ſecundò. Sequeretur, verbum eſſe imaginem poſſibilium; quia de ratione verbi eſt, quod ſit ſimi-

litudo

Digitized by Google

ad creaturas . Probatur Verbum diuinum non eſt manifeſtatiuum , niſi ad intra , cum de ratione verbi ſit, quod tantum manifeſtat intellectu exprimenti . ergo

53 Dico quintò : *Patrem dicere ſuo Verbo ſe ipſum , prout dicere ſignificat manifeſtare.* Ita Anſelm, *in Proſolog. cap.* 23. Auguſt. *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 21. Prob. verbum eſt expreſſiuum loquutiuo modo ipſius Patris : id autem dicitur per verbum, quod per ipſum exprimitur.

54 Dico ſextò. *Patrem non dicere verbum, vt verbum eſt, tanquam obiectum, ſed ſolum tanquam terminum ſuæ loquutionis.* Probatur: verbum, vt Verbum, non eſt formaliter obiectum, ſed loquutio, & expreſſio obiecti : idem autem ſecundum eandem rationem non poteſt eſſe loquutio , & obiectum eiuſdem loquutionis.

55 Dico ſeptimo. *Neque Patrem dicere Spiritum Sanctum*, eſt contra Smiſing. *diſp.* 3. *de Trinit. num.* 230. & alios Recentiores. Probatur. Quod dicitur tanquam obiectum, communicatur ſecundum eſſe ipſi Verbo . Sed eſſe Spiritus Sancti communicatur verbo à Patre , vt de fide eſt, ergo . Maior probatur : ideo filius habet ſubſtantiam Patris, quia illam Pater dicit tanquam obiectum , vt docet Auguſt. *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 14. *&* 21. ergo

56 Obiic. Pater intelligit Spiritum Sanctum , ergo ipſum dicit, vt obiectum, quia debet repræſentari , vt obiectum. Reſpond. negando conſequentiam . Quia, vt Spiritus Sanctus repræſentetur, ſufficit ſi repræſentetur ens per eſſentiam ; quia ſicuti in hoc continetur , quidquid eſt in Deo, ita etiam in ipſius repræſentatione repræſentatur , quidquid eſt in Deo .

57 Dico octauò . *Si dicere largè ſumatur , prout dicit cogitare , & percipere obiectum , etiam practico modo, conuenit Deo eſſentialiter ratione Verbi* . Ita Cyril. 1. *cap. Iulian. poſt med.* Anſelm. *in Monolog. cap.* 60. *&* 61. Probatur . Omnes Perſonę habent intellectionem eſſentialem, ergo dicere ſumptum pro attingentia obiecti , conuenit omnibus perſonis .

58 Dico nonò : *Patrem producendo Verbum dicere creaturas ad intra tanquam obiectum* . Ita D. Thomas 1. *part. quæſt.* 34. *articul.* 1. *ad* 3. & deſumitur ex D. Auguſt. *libr.* 15. *de Trinit. capitul.* 3. Probatur : Pater producens Verbum dicit ſuam omnipotentiam , in qua continentur creaturæ, vt in cauſa, ergo illas dicit, dum dicit ipſam cauſam , ergo creaturæ ſunt in Verbo , vt in loquutiua expreſſione.

59 Dico decimò . *Patrem , & omnes alias Perſonas dicere creaturas ad extra vt obiectum communi dictione eſſentiali , ita tamen vt hæc dictio habeatur ratione verbi* . Ita D. Thomas 1. *part. quæſt.* 34. *art.* 1. *&* 3. & communiter , & traditur à Patribus. Auguſt. 1. *de geneſi ad litteram , capitul.* 3. & *tract.* 21. *in Ioannem* ; Athanaſio *oration.* 5. *contra Arrianos* . Nazianz. *orat.* 49. Anſelm. *in Monolog. capitul.* 23. Probatur : Deus eſt operans intellectualis , ergo debet præconcipere , quod facit , ergo quando exequitur , debet exprimere ad extra , quod expreſſit ad intra per Verbum .

60 Dico vndecimo . Verbum in loquutione ad extra ſe habere vt *quod* , ita D. Thom. *in* 1. *diſt.* 27. *quæſt.* 2. *Art.* 3. & alij contra Smiſing. *diſp.* 3. *de Trinit. num.* 223. & deſumitur ex D. Auguſt. *libr.* 7. *de Trinit. cap.* 3. Probatur Verbum eſt ſubſiſtens in natura intellectuali , ergo non ſolum ſe habet vt *quo* , ſed etiam vt *quod* , ergo non ſolum eſt ratio loquendi ad extra, ſed etiam loquens , ſeu dicens .

DE PRODVCTIONE VERBI.

DISPVTATIO LXVIII.

An Verbum procedat ex notitia contingentium .

SECTIO I.

1 PRima ſententia eſt affirmatiua, ita Valent. *tom.* 1. *diſp.* 2. *quæſt.* 8. *puncto* 2. Cuniga *diſp.* 9. *de Trinit. dub.* 7. Ruiz *diſput.* 60. *de Trinit. ſect.* 4. Probatur . Quia D. Auguſtinus, & Anſelm. docent creaturas futuras dici , & exprimi Verbo ſecundo . Pater loquitur cum filio de rebus contingentibus , nec ſufficit ad talem loquutionem ſcientia ſimplicis intelligentię , ergo requiritur ſcientia viſionis. Tertiò. Verbum debet procedere de notitia eorum omnium, quę in ipſo dicuntur, ergo. Quartò procedit ex ſcientia perfectiſſimè comprehenſiua, hęc autem attingit etiam futura. Quintò . Verbum habet actus liberos ſibi à Patre communicatos , ergo etiam notitiam liberam, per quam communicentur, ergo procedit ex notitia libera .

2 Oppoſita ſententia traditur à Caiet. 1. *p. quæſt.* 34. *art.* 3. Molin. *diſp. vnica*. Vaſquez *diſp.* 143. Suarez 9. *de Trinit. c.* 7. Smiſing. *diſp.* 3. & alijs .

3 Notandum primò . Verbum procedere ex notitia alicuius obiecti importare quandam rationem originis dependenter ab illo obiecto. Dependentia autem in eo conſiſtit, quod obiectum fęcundet intellectum , & ex vi talis fęcundet intellectum, & ex vi talis fęcundationis producatur verbum, vnde procedere ex cognitione obiecti, non debet intelligi de formali attingentia , qua attingitur obiectum, ſed de fæcundatione cognoſcitiua , vt patet in creatis, in quibus certum eſt cognitionem formalem non eſſe principium productiuum verbi . Hinc Verbum procedit tantum ex notitia illius obiecti , quod per ſe formaliter eſt fęcundatio talis obiecti , & eſt per ſe neceſſaria , vt verbum tale procedat, quale eſt .

4 Notandum ſecundò . Fęcunditatem, ex qua producitur verbum, & verbũ vt tale eſt , & ipſum intelligere proportionaliter, ſibi correſpondere , itaut quodlibet in ſuo genere dicat id , quod dicit alterum in ſuo : fęcunditas enim eſt expreſſiua verbi : vnde ponit in ipſo per modum repræſentationis , quod ipſa continet per modum fęcunditatis .

5 Notandum tertiò . Diuinum intellectum eſſe ex intrinſeco ſuo fæcundum ratione diuinæ eſſentię , quę importat fęcunditatem infinitam , vnde non accipit fęcunditatem ab obiectis. Hęc autem fęcunditas correſpondet vt obiecto tantum diuinę eſſentię, itaut ipſam non excedat : quia enim diuina eſſentia eſt infinitum intelligibile , exigit infinitam fęcunditatem : in diuino autem intellectu non eſt niſi fęcunditas infinita, & ideo non excedit intelligibilitatem obiecti. Rurſus hęc fęcunditas habetur tantum à diuina eſſentia , quia ſola intelligitur vnita cum intellectu diuino per modum ſpeciei impreſſę .

6 Notandum quartò . Diuinam eſſentiam importare intelligibilitatem, per eſſentiam , & infinitam, & ideo extra ipſam non eſſe aliquam intelligibilitatem , quę non ſit ab ipſa participata , quia extra infinitum per eſſentiam , non eſt aliud, quod non ſit participatum ab ipſo : & cum fęcunditas correſpondeat intelligibilitatis , datur in Deo vna tantum fęcunditas infinita, & per eſſentiam, itaut extra ipſam non ſit alia fęcunditas , niſi participata , ex quo fit, quod cum concipimus aliqua à Deo cognoſci, quę ſint extra hanc intelligibilitatem , cognoſcuntur ratione intelligi-

Digitized by Google

telligibilitatis eiuſdem eſſentię, quia ſicuti ipſarum intelligibilitas participatur ab intelligibilitate eſſentię: ita etiã in ipſa continetur; & ideo ſufficit intelligibilitas eſſentię, quod proportionaliter dicendum eſt etiam de fęcunditate.

7 Dicendum eſt. *Licet notitia, ſeu fæcunditas, ex qua procedit verbum, ſit etiam in ordine ad cognoſcenda futura, non tamen verbum procedit ex notitia futurorum, vt talia ſunt*. Probatur: Verbum procedit tantum ex notitia illius obiecti, de cuius propria fæcunditate per ſe exprimitur, ſed nõ exprimitur per ſe de fæcũditate futurorũ, ergo. Maior patet quia, fęcunditas eſt principium, in cuius virtute exprimitur verbũ, & ſolũ procedit de notitia obiecti, ratione fæcunditatis, ergo ſi fæcunditas per ſe non cõcurrit, neque etiam concurrit obiectum. Minor probatur: Quia tota fæcunditas, quæ eſt in diuino intellectu, eſt propria diuinæ eſſentiæ, non autem futurorum vt patet ex dictis. Confirmatur. Si verbum procederet ex notitia futurorum, eſſet in ipſo aliqua intrinſeca ratio verbi, quæ poſſet non eſſe; hoc autem implicat, ergo: ſequella probatur. Vel ratione futurorum haberet ſpecialem rationem repræſentationis ſupra repræſentationem, quam habet in ordine ad tale obiectum; vel non. Si primum; ergo, cum futura potuerint non eſſe, potuit non eſſe in verbo hæc ratio repræſentationis. Si ſecundum; ergo non procedit ex notitia futurorum, quia Verbum procedit tantum ex notitia illius obiecti, ex cuius fæcunditatem habet aliquam rationem repræſentationis.

8 Dices. In Verbo ad eſſe aliquid contingens, nempe reſpectum ad creaturas. Contra. Vel hic reſpectus dicit aliquid reale intrinſecum; vel non. Si primum, ergo aliquid intrinſecum potuit non eſſe in Verbo. Si ſecundum; ergo non procedit ex notitia futurorum, quia procedere ex notitia obiecti, ponit aliquid intrinſecum in verbo.

9 Ad primum reſpondetur. D. Auguſt. & Anſelm. docere tantum, quod futura exprimantur verbo, quod non eſt aliud, quam quòd ratione verbi repræſententur, quod ratione ſuæ infinitæ repræſentationis extenditur ad illa repræſentanda. Ad ſecundum, Patrem loqui ad filium de contingentibus, quatenus illi communicat propriam ſciẽtiam, quæ ſicut in Patre extenditur ad futura, ita etiam in Filio; non autem quia ex notitia futurorum procedat. Ad tertiũ. Verbum procedere ex notitia omnium, quæ in ipſo dicuntur formaliter, & per ſe primò non autem, quæ ſecundario dicuntur. Nec autem ſunt tantum ea, quæ formaliter exprimuntur per infinitam repræſentationem; futura autem non repræſentantur per ſe primò, ſed ratione extenſionis eiuſdem repræſentationis. Ad quartum. Verbum non procedere ex ſcientia comprehenſiua, ſed ex fęcunditate in ordine ad ſcientiam comprehenſiuam. Deinde ſcientia comprehenſiua non requirit per ſe terminari ad futura; ſed ſufficit, quod attingat Deum, quantum cognoſcibilis eſt, et poſtea extenditur ad futura in eo ſigno, in quo ſunt futura abſque eo, quod acquirat aliquam intrinſecam perfectionem, vt ſuo loco dictum eſt. Ad quintũ, verbum habere actus liberos communicatos a Patre ſicut habent cætera, quæ circa creaturas exercentur, quæ ſolum communicantur per productionem veluti in radice, videlicet in omnipotentia, ſic etiam actus liberi communicantur, quatenus communicatur actus neceſſarius, qui ratione infinitatis ſe extendit etiam ad contingentia. Vnde eſt ſolum communicatio quædam conſequutiua, per quam nil intrinſecum ſupra actum neceſſarium, communicatur; ſed ſolum extrinſeca terminatio; & ideo non fundatur in aliqua intrinſeca fæcunditate ſuper addita, ex qua exprimatur verbum; & ideo nec procedit ex notitia futurorum.

An verbum procedat ex notitia poſſibilium.

SECTIO II.

10 Prima ſententia eſt affirmatiua ita Caiet. 1. *part. quæſt.* 34. *artic.* 3. Bann. *ibidem.* Torres *quæſt.* 27. *de Trinit. art.* 5. *diſp. vnica.* Suarez *lib.* 9. *de Trinit. cap.* 6. Ruiz *diſp.* 65. *ſect.* 1. Perez *diſp.* 14. *ſect.* 8. & ferè communiter, exceptis Scotiſtis. Probatur: verbum eſt eſſentialiter expreſſiuum creaturarum poſſibilium, & ea tãtum exprimit, ex quorum notitia procedit, ergo: Secundo comprehenſiua cognitio importat etiam cognitionem poſſibilium; Verbum autem procedit vt terminus cognitionis compræhẽſiuę: Tertiò, poſſibilia ſunt per ſe connexa cum obiecto, primario, nempe diuina eſſentia. ergo

11 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Scot. *in* 1. *diſt.* 10. *quæſt. vnica*, & *in* 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 2. Baſſol. *q.* 3. Rada 1. *p. controu.* 11. Smiſing. *diſp.* 3. *de Trinit. n.* 283. & Scotiſtæ.

12 Notandum eſt poſſibilia poſſe conſiderari ſecundũ ſe præciſè, vt ſunt aliquid contradiſtinctum ab eſſentia diuina, & prout ſunt aliquid in ipſa contentum, vt in cauſa. Primo modo dicunt ſuum eſſe præciſum, quod eſt aliquid finitum, ſecundo modo, ſicut non ſunt aliquid contradiſtinctum ab eſſentia diuina, ita etiam nihil aliud ſunt niſi ipſamet omnipotentia; vnde ex eo, quod verbum procedat ex notitia poſſibilium, vt continentur in omnipotentia, non fit, quod procedat ex notitia poſſibilium, ſed tantum eſſentiæ.

13 Dico primò. *Verbum procedere ex notitia omnipotentiæ, quatenus eſt cauſa poſſibilium, & ea in ſe continet.* Probatur. Verbum procedit ex fæcunditate diuinæ eſſentiæ infinito modo ſe habente; & illi correſpondente, quatenus intelligibilis eſt ſecundum omnem rationem intelligibilitatis, ergo procedit ex notitia omnipotentiæ, vt continet poſſibilia, quia poſſibilia, vt contenta in cauſa, dicunt perfectionem cauſæ, atque adeo aliquid intelligibile.

14 Dico ſecundò. *Verbum non procedere ex notitia, ſeu fæcunditate poſſibilium, prout ſunt quid contradiſtinctum ab omni potentia.* Probatur. Verbum non procedit, niſi ex illa notitia, qua fæcundatur intellectus diuinus, quia verbum adæquatur fæcũditati diuini intellectus, & tantũ eſt, quanta eſt fæcunditas, ergo non poteſt procedere ex notitia, ſeu fęcunditate poſſibilium. Conſequentia probatur. Poſſibilia non habent propriam fæcunditatem ſupra fæcunditatem, quæ correſpondet diuinę eſſentię, quia eſſentia, vt infinitum intelligibile, exigit omnem rationem fęcunditatis, ita vt nulla ſit ratio fęcunditatis, quę non ſit propria eſſentię, ergo. Confirmatur. Si poſſibilia haberent in intellectu diuino propriam fęcunditatem, intellectus diuinus perciperet fęcunditatem ab obiecto finito, nec eſſet ſuamet fęcunditas, quod implicat.

15 Dices. Fęcunditatem correſpondentem diuinę eſſẽtiæ ob ſuam infinitatem eſſe etiam fæcunditatem omniũ poſſibilium. Contra. Fæcunditas ſecundum totam ſuam infinitatem correſpondet diuinæ eſſentiæ vt infinito intelligibili, ergo non poteſt importare aliquam rationem fæcunditatis, quæ vt propria correſpondeat poſſibilibus, præſertim quia eſt idem realiter cum obiecto.

16 Dices ſecundò. Poſſibilia non eſſe obiectum motiuum, & ideo non concurrere in genere obiecti, quamuis cognitio ipſorum ſit neceſſaria ad productionem verbi. Contra: ideo obiectum concurrit in ratione obiecti ad productionem verbi, quia concurrit fæcunditas, & notitia ipſius, ergo ſi fæcunditas poſſibilium, & notitia ipſorum per ſe requiritur, obiectum quoque per ſe concurret, atque adeo vt motiuum.

17 Probatur ſecundò. Sequeretur, verbum eſſe imaginem poſſibilium; quia de ratione verbi eſt, quod ſit ſimilitudo

Digitized by Google

litudo expreſſa obiecti, ex cuius notitia producitur; hoc autem eſt falſum, vt docet Anſel. *in monolog. cap. 29. & 30.* & communiter Patres.

18 Dices. Ad rationem imaginis non ſufficere, quod procedat ex cognitione obiecti, ſed requiri, vt ab ipſo obiecto, cognito procedat tanquam à principio. Contra. Obiectum non ſe habet vt principium immediatè influens in Verbum, ſed tantum mediante fæcunditate; & hoc pacto influit etiam diuina eſſentia, ergo ſi fæcunditas poſſibilium per ſe concurrit ad productionem Verbi, concurrent, & poſſibilia vt obiectum, & verbum erit imago ipſorum.

19 Ad primum reſpondetur. Vt verbum exprimat poſſibilia, ſufficere, ſi procedat ex notitia omnipotentiæ: exprimit enim poſſibilia, per modum entis intentionalis ex eo, quod exprimit omnipotentiam, atque adeo quidquid in ipſa continetur. Ad ſecundum. Notitiam compræhenſiuam importare cognitionem, poſſibilium, prout continentur in omnipotentia, quia ſolum dicit, quod obiectum attingatur, quantum eſt attingibile, vnde Verbum ex eo, quod procedit ex notitia compræhenſiua, procedit tantum ex notitia omnipotentiæ vt continet poſſibilia. Ad tertium negatur aſſumptum: Quia poſſibilia non ſunt aliquid extra omnipotentiam, & ſi eſſent, neque Verbum procederet ex notitia ipſorum, quia non habent in diuino intellectu aliquam ſpecialem fæcunditatem ſibi propriam.

An Verbum procedat ex notitia diuinarum Perſonarum.

SECTIO III.

20 SVpponendum eſt tamquam certum: Verbum procedere ex notitia eorum omnium, quæ cõmunia ſunt omnibus perſonis, quia de ratione verbi eſt, quod procedat, vt expreſſio alicuius obiecti: vnde per ſe procedit ex notitia illius obiecti, cuius eſt imago; Verbum autem diuinum eſt imago Patris, ſecundum quod Deus eſt, & cum ſit imago, perfectiſſima debet exprimere omnia attributa. Difficultas eſt, an etiam procedat ex notitia Perſonarum.

21 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Bannes. *1. part. quæſt. 34. art. 3.* Molin. *ibidem*. Torres *quæſt. 27. art. 5. diſp. vnica part. 3.* Suarez *lib. 9. de Trinit, cap. 4.* Smiſing. *diſp. 3. num. 263.* Perez *diſp. 14. ſect. 5.* & communiter recentiores. Probatur. Verbum procedit ex notitia compræhenſiua, quę eſt etiam notitia perſonarum, ergo: Secundo. Verbum debet adæquari in ratione verbi cum notitia, ex qua procedit, ergo cum de ratione verbi ſit exprimere omnes veritates diuinas, debent omnes veritates diuinę per ſe contineri in notitia, ex qua procedit. Tertiò. Perſonæ, vt tales ſunt, pertinent ad integritatem Dei, & ſunt cognoſcibiles in 1. ſigno, verbum autem procedit ex integra notitia Dei.

22 Secunda ſententia vult, verbum procedere per ſe ex notitia Patris, & ſui ipſius, non autem Spiritus Sancti: ita Vaſquez *1. part. diſp. 142. cap. 3. & 4.* Turrian. *diſp. 2. de proceſ. verbi dub. 2.*

23 Tertia ſententia aſſerit, verbum non procedere ex notitia perſonarum, ſed ſolius eſſentię: ita Scotus *in 1. diſt. 10. q. vnica, & in n. diſt. 1. quæſt. 1.* & communiter Scotiſtæ, præſertim Rada *1. part. controuerſ. 11.* quia nimirum ſola eſſentia eſt obiectum primarium.

24 Notandum primò. Aliud eſſe procedere ex notitia comprehenſiua, & aliud ex notitia eorum, quæ attinguntur cognitione comprahenſiua. Primum dicit, quod notitia, ex qua procedit Verbum, compręhenſiuo modo ſe habeat circa obiectum. Secundum. Quod ea, quæ cognitione compræhenſiua attinguntur, habeant correſpondentem fæcunditatem, ex vi cuius exprimatur verbum.

25 Notandum ſecundò, Verbum non procedere ex notitia alicuius obiecti, niſi concurrat fæcunditas ipſius tãquam virtus expreſſiua verbi. Ex quo fit, vt omne obiectum, ex cuius notitia procedit, ſe habeat vt motiuum, quia in tantum ſe habet vt motiuum, in quantum concurrit fęcunditas ipſius; vnde ſi Deus infunderet ſpeciem ad aliquid obiectum intelligendum, adhuc illud obiectum ſe haberet vt motiuum, licet non influeret in verbum, nec efficeret ſpeciẽ. Quod ſpecialiter dicendum eſt in diuinis, in quibus fęcunditas identificatur cum obiecto, & ſicut motiuè concurrit eſſentia, quia fæcunditas cum ipſa identificatur, ita etiam concurrent perſonæ, ſi habeant propriam fæcunditatem.

26 Dicendum. *Non procedere ex notitia perſonarum, vt tales ſunt, ſed tantum eſſentiæ*, deſumitur ex D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 21.* vbi explicans, quod Pater per verbum exprimat, ait. *Omnia, quæ ſubſtantialiter habet, in coæterno Verbo ſuo dicit; & Verbum nec plus, nec minus aliquid habet ſubſtantialiter, quàm quod eſt in illo*, & D. Anſelm. in Monolog. cap. 6. *Hinc illud quoque liquidò cognoſci poteſt, quia cum hi tres dicuntur, vel à ſe ipſis, vel ad inuicem, non ſunt plura, quæ dicuntur. Quid namque ibi dicitur, niſi eorum eſſentiam, ſi ergo illa ſola eſt, vnum ſolum eſt, quod dicitur.*

27 Probatur: Perſonæ diuinæ, vt tales, non habent in diuino intellectu, aliquam ſpecialem rationem fæcunditatis, ergo Verbum non procedit ex notitia ipſarum. Antecedens probatur: fæcunditas commenſuratur intelligibilitati obiecti, nec adeſt ratio fęcunditatis, cui non correſpondeat ſpecialis intelligibilitas; diuinę autem perſonę, vt tales, non habent propriam intelligibilitatem, ſed ſunt intelligibiles intelligibilitate eſſentię, vt diximus ſuo loco. Confirmatur: fęcunditas in diuinis identificatur cum obiecto, & ex intrinſeca ſua ratione eſt in actuali exercitio, quod dicit ipſum actuale exprimere. Rurſus: fęcunditas eſt in Patre determinata, per generare actiuum ad exprimendum verbum, ergo ſi Filiatio, & ſpiratio paſſiua haberent propriam fęcunditatem, eſſent in Patre per modum termini perſonalis determinati per generare actiuum ad producendum Verbum, quod dici non poteſt.

28 Dices. Perſonas, vt tales, eſſe ex ſe intelligibiles ſecundum proprias rationes perſonales, & ideo habere propriam fęcunditatem. Contra. Rationes perſonales ſunt ens per eſſentiam, ergo intelligibiles intelligibilitate entis per eſſentiam, ergo eſt intelligibilitas eſſentię.

29 Probatur ſecundò. Si Verbum procederet ex notitia perſonarum, eſſet formaliter Pater, & Spiritus Sanctus, quod dici non poteſt: ſequella probatur. De ratione verbi eſt, quod ſit expreſſio obiecti, ex cuius notitia procedit: & in hoc conſiſtit ratio formalis verbi. Rurſus de ratione verbi diuini eſt, quod non ſit pura reprę ſentatio intentionalis, ſed dicat reali modo, quod repręſentat, quia repręſentatio ratione infinitatis tranſit in eſſe reale, ergo ſi procedit ex notitia Patris, & Spiritus Sancti, vt tales ſunt, continebit reali modo, & formaliter rationem Patris, & Spiritus Sancti; quia debet continere id, ex cuius notitia procedit, non intentionaliter vt Verbum creatum; ſed realiter, & naturaliter. Confirmatur. In productione verbi debet communicari id, ex cuius notitia procedit, quia proceſſio ex genere ſuo cõmunicat verbo eſſe intentionale obiecti, & in diuinis eſſe reale, vt patet in eſſentia, ergo ſi verbum procederet ex notitia perſonarum; illi communicaretur eſſe Patris, & Spiritus Sancti, vnde eſſet formaliter Pater, & Spiritus Sanctus.

30 Ad primum. Reſpond. Verbum procedere ex notitia compręhenſiua, non prout dicit attingentiam obiecti, ſed fæcunditatem, atque adeo prout eſt eorum omnium, quę habent propriam fęcunditatem; vnde eſt fęcunditas compręhẽſiua, quatenus eſt in ordine ad attingentiã compræhenſiuam. Inſtabis. Verbum debet adęquari cognitioni, vt compręhenſiua eſt, ergo debet procedere ex notitia omnium, quę per ipſam attinguntur. Reſpondetur negando

Digitized by Google

do conſequentiam, quia adæquatio in eo conſiſtit, quod Verbum repræſentet quidquid per cognitionem comprehenſiuam attingitur, hoc autem habet ex eo, quod procedit vt infinita repræſentatio eſſentiæ, atque adeo vt dicens omnem rationem repræſentationis.

31 Ad ſecundum. Quomodo Verbum adæquetur cum notitia, ex qua procedit, conſtat ex dictis. Exprimit autem omnes veritates diuinas, quia exprimit vnam veritatem infinitam, quæ dicit omnem rationem veritatis, atq; adeo etiam perſonarum, quia perſonæ habent totam ſuam veritatem ratione eſſentiæ, vt ſuo loco, diximus. Ad tertium. Verbum procedere ex notitia integri Dei, quatenus habet rationem obiecti, fœcundationi. Hoc autem pacto dicit tantum eſſentiam, quia perſonæ non habent propriam fœcunditatem, vt patet ex dictis.

DE TERTIA PERSONA Trinitatis.

DISPVTATIO LXIX.

An, & quomodo tertia perſona ſit Spiritus Sanctus.

SECTIO I.

1 TErtia perſona appellatur Spiritus Sanctus. Difficultas autem eſt, quomodo hoc nomen illi conueniat, ſiquidem etiam Pater, & Filius ſunt Spiritus, & ſunt Sancti; vnde eſſe Spiritum Sanctum, eſt quid commune omnibus perſonis, vt docent Cyril Hieroſol. *Cathecheſi* Baſil. *lib.* 1. *contra Eunomium*. Auguſt. *libr.* 5. *de Trinit. cap.* 11. Hilar. *lib.* 8. *de Trinit.* Hoc tamen non obſtante nomen Spiritus Sancti tribuitur vt proprium tertiæ Perſonæ, vt Matthæi vltimo. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*.

2 Dico primò. *Nomen Spiritus conuenire tertiæ perſonæ ex quadam accomodatione fundata in eſſe notionali ipſius*. Ita communiter cum D. Thoma 1. *part. quæſt.* 36. *artic.* 1. Probatur. Spiritus ſignificat impulſum; vnde ventus dicitur Spiritus. Tertia autem perſona procedit per modum impulſus amatiui, quo amans impellitur in amatum.

3 Dico ſecundo. *Tertiam perſonam dici etiam Spiritum ex quadam analogia, ad habitum corporalem*. Probatur. In ſcriptura ſignificatur ſub ſimilitudine halitus. Ioann. 20. *Inſufflauit, & dixit Accipite Spiritum Sanctum*. Pſalm. 32. *Verbo domini Cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Conſiſtit autem analogia in hoc, quod ſicuti per halitum corporalem formatur vox, quę manifeſtat conceptum mentis; ita etiam Spiritus Sanctus per internas illuſtrationes manifeſtat, quod Verbum loquitur; iuxta illud Ioann. 14. *Ille docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia*.

4 Dico tertiò. *Nomen Spiritus ſignificare tertiam Perſonam, etiam ſecundum proprium eſſe notionale*. Probatur. Spiritus de ſuo formali importat aliquid ſeſe agitans, penetrans, & mouens; vnde halitus dicitur Spiritus, quatenus vitali modo mouet viuens. Hinc Ezech. 1. *Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebatur*; hoc autem conuenit proportionaliter tertiæ perſonæ ratione ſui eſſe notionalis, ergo. Minor probatur; quia Spiritus Sanctus eſt inclinatio amantis in amatum, & quidam impulſus, quo Pater inclinatur in filium, & Filius in Patrem. Rurſus eſt ratio, cur Deus ſe communicet ad extra, & ideo veluti mouet ad ſe communicandum.

Quomodo Spiritui Sancto conueniat nomen Amoris.

SECTIO II.

5 AMor in diuinis dicitur eſſentialiter. Deus enim amat ſe ipſum, & creaturas amore eſſentiali; vnde D. Auguſt. *lib.* 15. *de Trinit. capit.* 18. docet, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt vna charitas, ſicuti vna ſapientia. Difficultas autem eſt, an dicatur etiam notionaliter.

6 Negat. Durand. *in* 1. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. inquiens, dici tantum eſſentialiter, & Spiritum Sanctum dici amorem per appropriationem. Probatur. Voluntas dicitur tantum eſſentialiter, ergo etiam amor, ſicuti etiam intelligere.

7 Communiter docent, dici etiam notionaliter. Ita communiter Patres, qui ſimul cum Concilijs hoc ſupponunt tamquam certum, quamuis non fuerit definitum.

8 Notandum primò. Ex ſcriptura poſſe difficile conuinci, nomen amoris, aut charitatis eſſe proprium Spiritus Sancti; quia omnia loca, quæ hoc inſinuant, poſſunt aut de amore eſſentiali, aut de charitate creata explicari, ſicut etiam explicantur à Patribus.

9 Notandum ſecundò. Amorem in diuinis non poſſe dici eſſentialiter, & notionaliter ſecundum eamdem rationem, quia non poteſt proprium vnius perſonæ eſſe commune omnibus. Quia tamen poteſt amor conſiderari, & prout dicit attingentiam obiecti, & prout dicit terminum productum à voluntate. Ideo primo modo eſt operatio vitę, qua natura intellectualis ſe exercet circa bonum; ſecundo modo eſt ratio, cur voluntas inclinatiuo modo ſe habeat erga obiectum.

10 Dicendum eſt, *Amorem dici notionaliter, & conuenire tantum Spiritui Sancto, ſi accipiatur, vt dicit terminum progredientem à voluntate*. Probatur: Spiritus S. procedit vt terminus voluntatis, ergo eſt aliquid intra rationem amoris, quia à voluntate, vt volitiua eſt, non poteſt aliquid prouenire, quod non ſit intra rationem volitionis, & amoris.

11 Ad fundamentum Durand. negatur conſequentia. Nam ex eo, quod voluntas dicitur eſſentialiter, ſequitur tantum, quod amor, vt dicit attingentiam obiecti, dicatur eſſentialiter, quo pacto dicitur etiam intelligere.

Quid dicat amor notionalis.

SECTIO III.

12 SVpponendum eſt. Intellectum, & voluntatem, eodem modo ſe habere proportione ſeruata, quatenus tendunt in ſuum obiectum, vt docet D. Thomas 1. *part. quæſt.* 27. *art.* 1. & communiter. Hinc autem fit, quod ſicut per intellectum producitur aliquis terminus, qui eſt repræſentatio obiecti; Ita etiam per voluntatem producitur proportionalis terminus: nec enim poteſt dari productio, qua virtus aliqua exeat in actum, niſi detur etiam aliquis influxus, atque adeo aliquis terminus. Difficultas autem eſt, quid de ſuo formali dicat iſtæ terminus: non enim poteſt dicere repræſentationem obiecti, ſicut dicit Verbum, quia voluntas non trahit ad ſe obiectum, ſicut trahit intellectus.

13 Dico primò. *Terminum voluntatis importare quēdam egreſſum intentionalem amantis in rem amatam*. Probatur: Voluntas, & intellectus oppoſito modo ſe habent in attingentia obiecti: itaut ſicut intellectus dicit vim qua anima trahit obiectum ad exiſtendum in mente intentionali modo. Ita voluntas eſt vis quadã, qua amans inclinatur, & impellitur in rem amatam, ergo ſicut verbum importat ingreſſum obiecti in mentem ad exiſtendum in ipſa intentionali modo, itaut obiectum quodammodo à

Digitized by Google

ſe ipſo egrediatur, vt ponatur in intellectu. Ita terminus voluntatis importabit egreſſum intentionalem amantis in rem amatam, quia termini debent ſe proportionaliter habere, ſicut ſe habent potentiæ.

14 Dico ſecundò. *Spiritum Sanctum, prout eſt amor notionalis, importare eſſe diuinum per modum cuiuſdam egreſſus affectiuis realis intentionalis, quo conſtituitur in eſſe dati, & doni.* Probatur. Spiritus Sanctus eſt Spiritus quidam amoris, quo Pater, & Filius ad ſe inuicem conuertuntur per amorem; vnde ex modo ſuo procedendi eſt vnio affectiua. Rurſus vnio iſta non eſt purè intentionalis, ſed etiam realis, ergo debet importare eſſe diuinum ſub ratione egreſſus affectiui, & doni. Conſequentia probatur: Quia vnio affectiua in eo conſiſtit, quod amans per affectum vniatur amato, & ipſi ſe exhibeat: hoc autem fieri non poteſt, niſi per egreſſum affectiuum.

15 Obijcitur. Spiritus Sanctus amat, & tamen non cõſtituitur in eſſe doni per modum egreſſus affectiui, ergo, Reſpondetur. Spiritum Sanctum amare eſſentialiter, non autem notionaliter, & ideo non debet cõſtitui in eſſe doni per egreſſum affectiuum realem intentionalem, ſed tantum debet eſſe donum, & ratio quædam, qua amans vniatur cum amato.

An Spiritus Sanctus ſit amor, quo perſonæ diuinæ diligunt.

SECTIO IV.

16 IDem eſt, ac ſi quæratur, an Pater, & filius diligat Spiritu Sancto, & an Spiritus Sanctus diligat ſe ipſo, Supponendum eſt Spiritum Sanctum eſſe amorem, quo Pater, & filius ſe diligant mutuò, vt docet D. Auguſt. *lib.* 6 *de Trinit. c.* 5. & *lib.* 15, *cap.* 19. & D. Hieronym. *in Pſal.* 17. Ex hoc autem colligitur alia propoſitio, quæ ſolet communiter vſurpari, videlicet Patrem, et filium diligere Spiritu Sancto.

17 Supponendum ſecundò. Certum eſſe, Patrem & filium non ſe diligere Spiritu Sancto, tanquam amore eſſentiali; amor enim eſſentialis, eſt communis omnibus perſonis, & pertinet ad naturam diuinam; & ita docet D. Auguſt. *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 7.

18 Prima ſententia aſſerit, propoſitionem in hoc ſenſu eſſe veram, quod videlicet Pater, & filius diligunt, Spiritu Sancto, quatenus Spiritus Sãctus eſt, amor eſſentialis per appropriationem. Ita Alens. 1. *p. q.* 67. *membr.* 3. *art.* 3. Albert. *quæſt.* 50. *memb.* 1. *q.* 3. incidenti Tores *de Trinit. quæſt.* 37. *art.* 2.

19 Secunda ſententia ſimpliciter admittit hanc propoſitionem in ſenſu proprio. Ita D. Thom. 1. *p. quæſt.* 37. *art.* 2. & communiter.

20 Dico primò. *Pater, & filius diligunt Spiritu Sancto quatenus Spiritus Sanctus eſt ratio formalis, per quã habetur formalis delectio.* Probatur. Spiritus Sanctus eſt vnio affectiua, qua amans coniungitur amato, ergo eſt illud formaliter, per quod habetur tanquam per formalem rationem inclinationis ipſum amare.

21 Dico ſecundò. *In hac propoſitione diligere ſignificare dilectionem eſſentialem.* Probatur: Dilectio eſſentialis eſt illa, quæ habetur ratione Spiritus Sancti; ergo illa ſignificatur. Antecedens eſt certum. Quia diligere eſſentiale eſt cauſa, quod amans vniatur cum amato, hæc autem vnio habetur formaliter ex vi formalis inclinationis, per quam amans inclinatur in amatum.

22 Dico tertiò. *Etiam Spiritum Sanctum diligere Spiritu Sancto, ſeu ſeipſo.* Prob. quia Spiritus Sanctus diligit eſſentialiter; diligere autem eſſentiali habetur, ex eo, quod natura diuina, quę eſt formaliter diligens, habet inclinationem affectiuam ex eo, quod terminetur eſſe notionali Spiritus Sancti.

23 Dico quartò. *Deum diligere creaturas Spiritu Sancto.* Probatur. Deus dicit creaturas Verbo ex eo, quod Verbum illas exprimit, ergo etiam amat Spiritu Sancto ex eo, quod per ipſum inclinatur erga illas.

24 Obijcitur. Actus notionalis non denominat principium; denominaret autem, ſi diceretur, Patrem diligere Spiritu Sancto. Reſpondetur. Actum notionalem non denominare principium ſub ratione productionis, denominat tamen ſub ratione termini, quia cum ſit immanẽs habet exhibere veluti ſuum effectum formalem ſuo principio, ratione naturæ, quam terminat; vnde principium poteſt recipere à termino omnes illas denominationes, quæ non ſunt oppoſitæ eſſe notionali ipſius.

An Spiritus Sanctus ſit propriè donum.

SECTIO V.

25 DOnum, vt deſumitur ex Ariſtotele 4. *Topicorum cap.* 4. *loco* 54. Eſt quędam datio irredibilis hoc eſt quæ non reuertitur ad datorem, liberaliter, & gratuito facta, & ideo excludit omnem obligationem. Difficultas, ergo eſt, an Spiritus Sanctus ſit donum propriè dictum.

26 Prima ſententia eſt Durandi *in* 1. *diſt.* 18. *quæſt.* 1. qui negat, Spiritum Sanctum eſſe propriè donum, quia non eſt donum, ad intra, cum nihil liberaliter detur, ſed ex neceſſitate naturæ. Sed neq; ad extra reſpectu creaturarum, quia hoc non magis competit Spiritui Sancto, quam toti Trinitati, nam tota Trinitas ſe donat vt fruenda.

27 Communis ſententia cum D. Thoma 1. *part. quæſt.* 38. *articul.* 2. docet, Spiritum Sanctum eſſe propriè donum.

28 Dicendum eſt. *Nomen doni conuenire propriè Spiritui Sancto.* Ita D. Auguſt. *lib.* 7. *de Trinit. cap.* 4. & 6. vbi docet, Spiritum Sanctum ſecundum ſuam propriam ſignificationem eſſe donum, & dici relatiuè, & *lib.* 13. *capit.* 17. habet. *Sic Pater genuit filium, vt etiam de illo donum omne procederet*; idem etiam docent cæteri Patres.

Probatur. Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, quatenus fertur amando in obiectum, ergo procedit vt donum. Conſequentia probatur. Quia ex vi proceſſionis formaliter habet illum modum procedendi, quo donum procedit à donante; procedit enim ex inclinatione amatiua in eum, cui fit donum. Confirmatur Spiritus Sanctus procedit vt amor notionalis, ſeu vt ipſa inclinatio amatiua in amatum, ergo procedit vt donum. Conſequentia probatur. Quia iſta inclinatio habet rationem primi doni, & facit, vt cætera omnia, quę dantur, ſint dona.

Quomodo Spiritus Sanctus ſit donum.

SECTIO VI.

29 DIfficultas eſt. An ad intra habeat completam rationem doni, an verò compleatur per aliquam habitudinem, ad extra; donum enim dicit ordinem tum ad donatorem, tum etiam ad eum, cui donatur. Communis ſententia docet, Spiritum Sanctum compleri in ratione doni per habitudinem ad creaturas: quatenus illis donatur, itaut ratio doni in eo conſiſtat, quod procedat à Patre, & à Filio vt donandus creaturis.

30 Ochamus tamen *in* 1. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. Gabriel *art.* 2. Aureol. *ibidem.* volunt Spiritum Sanctum etiam ad intra habere propriam rationem doni completi.

31 Notandum primò, Donum ſecundum eſſe materiale, prout dicit rem, quæ donatur, & ſecundum eſſe formale, prout dicit modum, quo res ad alterum transfertur, nempe ex liberalitate, & amore. Quod autem detur ex libertate, non prouenit ex formali ratione doni, ſed ex materiali, quia videlicet, quod datur, non eſt talis conditionis,

Digitized by Google

tionis,vt poſſit non dari; ratio enim formalis doni conſiſtit in modo,quo aliquid datur, quia ſi datur ex liberalitate,& ex amore erga illum,cui datur,ſaluatur ratio doni, quia habetur ſpecialis ratio dationis, quæ non poteſt eſſe aliud,quàm donatio.

32 Notandum ſecundò. Donum aliud eſſe reale, quod importat rem aliquam,quæ realiter alteri datur, & aliud intentionale, quod dicit dationem exhibitam amatiuo modo,ſeu per affectiuam vnionem cum amato,& hoc pacto amans dicitur ſe donare amato. Hæc autem donatio non exercetur realiter, ſed tantum intentionaliter; habet tamen veram rationem doni,quia eſt ex liberalitate & inclinatione amatiua.

33 Dico primò. *Diuinam eſsentiam, & Perſonas eſſe donum materialiter ad extra reſpectu creaturarum.* iuxta illud. Ad Rom.8. *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit,ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo nō etiam cum illo omnia nobis donauit?* Probatur. Tam diuina eſſentiæ, quam perſonæ communicantur fruendæ beatis ex liberalitate,& amore,quatenus nobis donatur gratia ad merita, quibus debetur fruitio, ergo.

34 Dico ſecundò. *Spiritum Sanctum eſſe donum ad extra formaliter ratione ſui eſſe notionalis, ita vt quæ ad extra habent rationem doni materialis,dicant ſpecialem ordinem ad ipſum tanquam ad eum, ratione cuius dicuntur dona.* Prob. Spiritus Sanctus procedit vt nexus, quo amans vnitur cum amato, ergo importat formalem rationem doni, quia donum ex eo formaliter eſt tale, quod ſubſternitur inclinationi affectiuę amantis; quæ autem nobis à Deo donatur procedunt ex affectiua inclinatione.

35 Dico tertiò. *Spiritum Sanctum eſſe proprie donum ad intra intentionali reali modo,quo Pater ſe tradit filio, & filius Patri.* Probatur. Spiritus Sanctus eſt vinculum amoris,quo amans inclinatur in amatum,ergo eſt donum intentionale reale, quia ratione vnionis affectiuæ importat amantem intentionali reali modo, per modum dati,& infuſi erga amatum.

36 Obiicitur. Perſona producta potius accipit, quàm det,& producens præhabet,quod dat, ergo Spiritus Sanctus non eſt donum ad intra. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia perſona producens, licet habeat totum eſſe diuinum, non tamen habet aliam perſonam comproducentem,vt ſibi exhibitam affectiuo modo; ſed hæc exhibitio fit per Spiritum Sanctum, qui licet accipiat realiter eſſe,eſt tamen ratio dandi, affectiuo modo.

37 Obijcitur ſecundò. In Patre nulla eſt relatio accipiētis ad filium,ergo filius non ſe illi donat. Reſp. negando conſequentiam. Quia Pater eo ipſo,quod reſpicit filium, vt filium,reſpicit ipſum, vt ſe dantē affectiuo modo,quia ex eo, quod eſt filius,conuertitur in Patrem per amorem.

38 Obijcitur tertiò. Bonitas conuenit Deo ratione eſſentiæ,ergo etiam ratio doni in ordine ad creaturas, cum ſe communicet ratione bonitatis. Reſpondetur: negando conſequentiam, quia bonitas non eſt ratio ſe communicandi ad extra, niſi vt determinata per eſſe notionale Spiritus Sancti.

39 Obijcitur quarto. Deus ab æterno nihil donat creaturis,ergo cum Spiritus Sanctus ſit donum ab æterno,non habet rationem doni in ordine ad creaturas. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia ſufficit, quod ſecundum ſuum eſſe æternum ſit donandum, vt docet Auguſt. *lib.5. de Trinit. cap.15.*

40 Quæres. Quid dicat Spiritus Sanctus,vt eſt donum. Reſpondet. Principalius importare habitudinem ad donatorem,nam habitudo ad eum,cui donatur, nō habet rationem doni, niſi vt determinatum ab habitudine ad donatorem. Si quidem de ratione doni eſt,quod procedat ex liberalitate,& amore.

41 Quæres ſecundo. An ratio doni conueniat Spiritui Sancto,ratione eſſentiæ,an verò ratione relationis. Reſp. conuenire ratione vtriuſque, quia dicit eſſe diuinum per modum affectiuæ vnionis amantis in amatum. Eſt enim prima ratio doni, & ideo importat formaliſſimam rationem, per quam omnia, quæ dantur induunt rationem doni.

42 Quæres tertiò. An Spiritus Sanctus poſſit dici bonum noſtrum. Reſp. affirmatiuè. Quia nomen doni ſignificat poſſeſſionem; de ratione autem doni eſt, quod poſſideatur ab eo, cui datur.

DE PRODVCTIONE SPIRITVS Sancti.

DISPVTATIO LXX.

An Spiritus Sanctus procedat à Filio.

SECTIO I.

1 NEſtoriani negant procedere, quorum error renouatus fuit à Totio Patriarcha,& poſt multos alios à Michaele Patian. contendente Romanum Pontificem fuiſſe excommunicatum, quia in Symbolo Niceno addidit, *Filioque procedit,* & ſequuntur Grȩci Schiſmatici,qui tamen in Concilio, Florentino veritate conuicti errorem agnouerunt,licet poſtea relapſi ſint.

2 Dicendum eſt. De fide eſſe Spiritum Sanctum ne dum procedere à Patre, ſed etiam à Filio, vt definitum eſt in Concilio Epheſino. *Tom. 1. cap.4.* Later. *ſub Innocentio III.* & Florent. *ſeſſ.25. in Litteris vnionis.* Probatur Ioannis 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet,* hoc autem importat originem, quia cum ſit Deus, non poteſt accipere ab alio ratione indigentiæ, & ideo debet accipere, quia communicetur eſſe diuinum, & ita arguit Athanaſius *dialog. 5. contra Macedonium,* Nazianzeno, *orat.49.* Cyrill. Hieroſolim. *catecheſi 16.*

3 Reſpondent Grȩci, De meo accipiet idem eſſe, ac de meo theſauro, qui eſt Pater. Contra. Filius eſt theſaurus Patris, Ad Coloſ. ſecundo, ergo ſecundo. Accipere de meo dicit habitudinem ad poſſidentem. ergo

4 Probatur ſecundo. Ioannis 16. *Omnia, quę habet Pater, mea ſunt,* & capitul.17. *Omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt,* & Matthæi 11. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo;* ergo etiam vis Spiratiua, quæ eſt in Patre, eſt etiam in Filio, & hinc deducunt proceſſionem Spiritus Sancti, etiam a Filio; Athanaſius *Dialogo 5. contra Maced.* & *Epiſtola priori ad Serapion.* Didimus *libr. 2. de Spiritu Sancto.* Cyrillus Alexand. *lib. 11. in Ioann. capit. 2.* Eugen. 4. *in Concilio Florentino in litteris vnionis.*

5 Probatur tertiò ex eodem cap. Ioannis. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos,* & cap.15. dixerat. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Miſſio autem in diuinis ſignificat originem,quia cum non poſſit ſignificare ſuperioritatem, ratione cuius perſona mittatur,nec collationem auctoritatis, ſignificat communicationem auctoritatis per communicationem naturæ. Hinc inferunt proceſſionem Nazianz. *orat.17.* Auguſt. *libr.1. de Trinit. cap.20. & 21.* Anſel. *epiſt. de proceſſione Spiritus Sancti, cap.7.*

6 Reſpondēt Grȩci. Spiritum Sanctum mitti à Filio meritorie,quia illum nobis meruit. Contra. Quia poſſet dici,quod etiam Pater mitteretur,quia nobis meruit, vt faceret manſionem apud nos ſecundo. Mereri Spiritum Sanctum eſt impetrare, non autem mittere.

7 Reſpondetur ſecundò. Mittere Spiritum Sanctum, quia mittit ipſius donum. Contra. Quia ſcriptura non loquitur de donis,ſed de ipſa perſona. Secundo. Quia

Digitized by Google

mitteret etiam Patrem, nã mittit ipſius dona, tertiò, quia mittit eodem pacto, & eadem miſſione, qua mittit Pater.

8 Arguunt Græci. Io. 13. *Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*; ergo non procedit a filio, quia ſi ab ipſo procederet, addidiſſet etiam a filio. Reſp. Explicaſſe tantũ proceſſionem à Patre, vt ſignificaret ſolum Patrem eſſe primum principium, qui non ſit ab alio principio. Ita D. Auguſt. *tractat. 93. in Ioannem*, & *lib. 15. de Trinit. cap. 27.* Adde etiam explicaſſe implicitè proceſſionem Spiritus Sancti, à ſe ipſo, dum dixit, *Quem ego mittã vobis*. Nam ſi mittit, etiam producit, & illi cõmunicat eſſe.

9 Arguunt ſecundò. Plures Patres Græci docent Spiritum Sanctum procedere à Patre, nulla facta mentione de proceſſione à filio, ergo. Reſpondetur. Eoſdem Patres alibi explicaſſe etiam proceſſionem a filio; quando autem exprimunt proceſſionem tantum à Patre, implicitè ponunt etiam proceſſionem a filio, cum filius omnia habeat, quæ Patris ſunt.

10 Arguunt tertiò. In Symbolo Nicæno exponitur fides, catholica de Trinitate, & nil dicitur de proceſſione, Spiritus Sancti à filio ergo. Reſp. Concilium fuiſſe congregatum ad decernendam conſubſtantialitatem perſonarum contra Macedonium; & quia ipſi dicebant Spiritum Sanctum procedere à ſolo filio, & non eſſe conſubſtantialem, ideo Concilium decreuit procedere etiam à Patre, & eſſe conſubſtantialem. Hinc in Symbolo expreſſit tantum proceſſionem à Patre, tamquam eam, quę ſola à Macedoniani negabatur.

11 Arguunt quartò. In Concilio Epheſino, cum Cyrillus protuliſſet ſuos anathematiſmos, quibus proceſſio Spiritus Sancti à filio continebatur. Theodoret. hoc impugnabat, & Concilium tacuit, & in fine Concilij prohibetur omnis alia fides, præter approbatam ab ipſo Concilio, ergo. Reſp. Patres Concilij tacuiſſe, quia non conuenerant vt de hoc decernerent; approbauerunt tamen ſummo conſenſu, doctrinam Cyrilli, & damnauit doctrinam Neſtorianorum; Prohibetur autem omnis alia fides, quæ ſit contraria approbatæ non autem explicatio eiuſdem fidei; explicatur autem per illam additionem Symbolo approbato factam, nempe *filioque procedit*.

An Pater, & filius ſint vnum principium Spiritus Sancti.

SECTIO II.

12 Ratio dubitandi eſt; quia hoc nomen principij poteſt ſupponere tantũ pro ſuppoſito; ſunt autem duo ſuppoſita ſecundò. Principiũ ſignificat proprietatem perſonæ, ergo plura principia, cum ſint plures Perſonæ. Durand. *in 1. diſt. 29. q. 2. & 3.* Arimin. *diſt. 12. q. 1.* Gabr. *q. 1. art. 1. concl. 2.* licet aſſerant, in Patre, & filio eſſe vnicam virtutem ſpiratiuam, volunt tamen, de rigore poſſe dici duo principia, licet hic modus loquendi non ſit vſurpandus, cum oppoſitum ſit ſecundum vſum Eccleſiæ.

13 Dico primò. *Pater, & filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti*. Ita communiter cum D. Thomas *1. p. q. 27. art. 4.* & eſt definitum in Conc. Lugdunenſi, *ſub Gregorio X.* et in Flor. *in Litteris vnionis*. Prob. Nomen ſubſtantiuũ, ſignificat fundamentũ, vnde non poteſt plurificari niſi plurificata forma. Pater autẽ, & filius dicũt vnã formam ſpirãtem, videlicet vnam fęcunditatẽ ſpiratiuam.

14 Dico 2. Pater, & filius ſunt idem principium. Ita D. Th. *1. p. q. 36. art. 4. ad 6.* & alij communiter contra Alenſ. *1. p. q. 50. memb. 3. art. 4.* Prob. quia ſunt Deus eadem Deitate, ſunt idem Deus, ergo quia ſunt principium eadem virtute ſpiratiua, ſunt idem principium. Cõfirmatur. Idem nomen ponit identitatem, ſupra quod cadit; cadit autem ſupra rationem principij, non autem ſupra ſuppoſitum.

15 Dico tertiò. *Pater, & filius ſunt vnus ſpirator*; Ita D. Tho. *1. p. q. 36. art. 4.* & alij, Probatur nomen ſpirator eſt ſubſtantiuum, & ſignificat formam, per quam ſpirant, quæ non plurificatur. ergo.

16 Dices. Spirator ſignificat principiũ *quod*, ergo ſuppoſitalitatem, quæ eſt forma principij *quod*. Reſp. ſignificare aliquid concretum ex virtute ſpiratiua, & ſuppoſitalitate, quia tamen formalius dicit virtutem ſpiratiuam ex eo, quod per ipſam ſpirat, ideo ſignificat principium, *quod*, ſecundum rationem principiatiuam, quę cum ſit vna erit etiam vnius ſpirator.

17 Ad primam rationem dubitandi reſpond. Nomen principij habere ſignificationem partim confuſã, partim determinatam; ratione ſignificati formalis habet determinatam ſignificationẽ, & ſignificat virtutem ſpiratiuam. Ratione materialis habet confuſã ſignificationem, & ſignificat ſuppoſitũ, in quo reperitur virtus ſpiratiua; quia autẽ eadẽ virtus reperitur in duobus ſuppoſitis ideo nomen principij ſignificat rationẽ vnius principij ſubſiſtẽtẽ in duobus ſuppoſitis. Ad 2. rationẽ. Principiũ ſignificare proprietatem, perſonalem materialiter, formaliter verò virtutem ſpiratiuam, & ideo eſt vnum principium.

18 Ex dictis colligitur. Patrem, & filium eſſe duos ſpirantes, quia licet ſit vnum principium, ſunt tamen duo ſuppoſita, in quibus eadem ratio principiandi reperitur, & ideo habetur adiectiua plurificatio.

19 Colligitur ſecundò. In Patre, & filio eſſe eamdem virtutem ſpiratiuam; hæc autem vnitas non importat ſolã vnitatẽ voluntatis, ſed etiã vnitatem ſpirationis actiuę, quę ingreditur conceptũ formalẽ virtutis ſpiratiuæ. Tum quia eſt virtus per modũ actualis exercitij, & actus puriſſimi, & ideo dicit formaliter ipſum ſpirare. Tum quia voluntas eſt etiam in Spiritu Sancto; vnde Pater & filius debent habere aliquid ſpeciale, per quod ſint vnum principium, quod non poteſt præſtare ſola voluntas, cum hæc ponat eamdem virtutem inter perſonas.

An Pater, & filius vt vnum principium, ſint vnum ſubſiſtens.

SECTIO III.

20 Cum Pater, & filius ſint vnum principium Spiritus Sancti, difficultas eſt, an ſint vnũ ſubſiſtẽs realiter, & incõmunicabiliter, quod conſtituitur ex eſſentia, & ſpiratione actiua, quod tamen non ſit perſona.

Prima ſententia eſt affirmatiua Ita Ocham *in 1. diſt. 12. q. 1.* Gabriel *art. 2. & 3.* Mol. *1. p. q. 36. art. 2. diſp. 2.* Prob. quia principium *quod* Spiritus Sancti eſt realiter vnum, hoc autem dicit aliquid per ſe ſubſiſtens ſecundò. Spirator importat eſſentiam diuinam, et relationem oppoſitam Spiritui Sancto, & ex vtroque fit vnum per ſe, ergo.

21 Secunda ſententia eſt negatiua ita D. Th. *1. p. q. 36. art. 4.* D. Bonauẽ. *in 1. diſt. 11. ar. 2. q. 2.* Richar. *q. 1.* Caiet. *loco cit. primę partis*, Suarez *lib. 10. de Trin. c. 8.* & alij.

22 Dico primò. *Principium productiuũ Spiritus Sancti importare ſolum vnitatem in ratione principij*. Prob. Tota vnitas, quæ habetur, non eſt ratione eſſentię præciſę, quia ipſa non eſt principium, ſed ratione relationis, ergo eſt tantum vnitas in ratione principij. Conſeq. prob. quia tota vnitas, quæ habetur ratione relationis, fundat diſtinctionem reſpectu alterius perſonæ, ergo cum omnis diſtinctio ſit in ratione producentis, & producti, omnis etiam vnitas eſt in ratione principij, & termini.

23 Dico 2. *Hoc vnum in ratione principij exprimere in recto duas perſonas ſecundũ eſſe perſonale inadæquatum*. Prob. Exprimit ſecundum aliquam rationem actualis productionis: hęc autem ſicut importat oppoſitionem relatiuã, ita ẽt eſt ratio diſtinguẽdi, et conſequẽter cõſtituẽdi, quia diſtinctiuũ cõſtituit. Nõ eſt autẽ ratio perſonalis adæquata, quia hæc in Patre dicit etiam generare.

24 Dico 3. *Hoc vnum in ratione principij dicere in obliquo pluralitatem ſuppoſitorum*. Prob. importat vnitatem in ratione principij ſpirantis, ergo connotat pluralitatem, ſuppoſitorum. Conſeq. probatur quia dicit in obliquo id, in quo ſubſiſtit virtus ſpiratiua.

25 Dico 4. *Hoc vnum non importare aliquod 4. conſtitutum, ſubſiſtens*. Probat. Spiritus Sanctus ex intrinſeca

ſua

Digitized by Google

ſua ratione eſt mutuus nexus amoris, duorum, ergo non poteſt prouenire ab vno conſtituto, quia ex vi ſuæ proceſſionis debet amatiuè connectere, à quibus prouenit, ergo debet prouenire a pluribus, quos connectat, & non ab vno conſtituto.

26 Ad primum reſpond. Principium, *quod*, eſſe realiter vnum in ratione principij, non tamen in ratione incommunicabilitatis, aut vnius conſtituti. Ad ſecundum neg. conſequentia, quia licet ſe habeat incommunicabiliter reſpectu Spiritus Sancti; non tamen adæquatè; vnde fit ſolū, vt dicat eſſe perſonale inadæquato modo, & quod exprimat in recto duas perſonas inadequato modo, & connotet vt duas in obliquo.

Quomodo ſe habeat relatio ſpirationis actiuæ ad Paternitatem, & filiationem.

SECTIO IV.

27 Prima ſententia aſſerit, diſtingui realiter realitate relatiua. Ita Duran. *in* 1. *diſt*. 12. *q*. 2. Baſſol. *art*. 5. Baccon. *diſt*. 10. *ar*. 1. §. 4. Prob. Termini adæquati paternitatis, & ſpirationis diſtinguuntur realiter, ergo. ſecundo, ſicut ſe habet generare ad generari, ita ſpirare ad ſpirari, ergo commutata proportione ita ſe habet generare, & ſpirari, ſicut ſe habet generari, & ſpirari. Sed generari, & ſpirare diſtinguūtur realiter, ergo 3. Vna actio infert tantū vnā paſſionē, ergo cum generari, & ſpirari ſint quaſi duæ paſſiones, requirūt duas actiones, ſeu relationes originis. quartò, Non poteſt eadem relatio eſſe producentis, & producti, ergo filiatio, & ſpiratio ſunt diſtinctæ relationes. Quintò, eſſentia diuina non poteſt eſſe idem cū abſolutis realiter diſtinctis, ergo nec eadē relatio poteſt eſſe idē cum relationibus realiter diſtinctis.

28 Secunda ſententia aſſerit, diſtingui ex natura rei. Ita Scotus *in* 1. *diſt*. 2. *quæſt*. 7. Gabriel *diſt*. 27. *q*. 1. Marſil. *quæſt*. 6. *art*. 2. & communiter Scotiſtæ.

29 Tertia ſententia aſſerit, nullo pacto diſtingui ante operationem intellectus. Ita D. Tho. 1. *p*. *q*. 32. *art*. 3. *ad* 3. Caiet. *ibid*. Molin. *diſp*. 3. Bannes *dub*. 2. Vaſquez *diſp*. 138. Amicus *diſp*. 19. *ſect*. 2. Suarez *lib*. 5. *de Trinit*. *cap*. 5. Ruiz *diſp*. 17. *de Trinit*. *ſect*. 2.

30 Dico primò. *Spirationem actiuā non diſtingui realiter à paternitate, & filiatione.* Prob. ſi diſtingueretur, daretur quartū conſtitutū ex eſſentia, & relatione realiter diſtinctū, quod eſt contra definitionem cap. *Damnamus*. De *ſumma Trin*. ergo. Confirmatur. Poſita diſtinctione in eodem ſuppoſito, aliquid eſſet communicabile, & aliquid non, ratione diſtinctionis realis, & ſuppoſitum non eſſet ſummē ſimplex, quod eſt contra definitionem eiuſdem capitis, vbi definitur, Patrem communicare totam ſuam ſubſtantiam, quia ſimplex eſt, & indiuiſibilis.

31 Reſp Durand. Damnari quaternitatem rerum, quarum tres ſint perſonæ, & vna eſſentia. Contra. Ita damnat quaternitatem, vt ponat tantum Trinitatem; tunc autem non eſſet tantum trinitas, ſed quaternitas conſtitutorum, quæ realiter diſtinguerentur. Deinde totum quod communicat Pater, eſt ſimplex, & indiuiſibile ex eodem cap. Communicat autem etiam ſpirationem.

32 Dico ſecundo. *Neq; diſtingui ex natura rei.* Probatur. Iſta diſtinctio prouenit ratione limitationis, ſecundum eſſe formale; in Deo autem nulla ratio formalis ſe habet limitato modo.

33 Dico tertiò. *Diſtingui ſecundum conceptus inadæquatos.* Prob. Aliud intelligimus, quando concipimus Paternitatem, & aliud, quando ſpirationem. Rurſus habetur terminus diſtinctus. ergo

34 *Dico quartò. Spirationē actiuam eſſe eamdem n. in Patre, & filio*, eſt de fide ex Conc. Lugdunēſi, vt habetur à *c. vlt.* De *ſumma Trin. in* 6. & ex Conc. Flor. *in litteris vnionis*. Prob. De fide eſt, Patrē, & filiū eſſe vnicū principiū Spir. Sācti, quod nō poteſt eſſe niſi ratione ſpirationis actiuæ; nā volūtas nō ponit vnitatē, cū ſit etiā in Spir. S.

35 Ad primum negatur conſequentia. Quia relatio non ſumit diſtinctionem realem ex termino, ſic calor dicit relationem, vt vis calefactiua ad calorem, & vt accidens ad ſubiectum. Ad ſecundum commutationem proportionis valere, quando ſeruatur eadem ratio proportionis: ſecus autem, quando variatur, vt in caſu noſtro, quia generare comparatur ad generari ſecundum rationē originis; quando verò generare comparatur ad ſpirare, non comparatur ſecundū rationem originis, quorū vna inferat aliā. Ad tertiū vnā actionē inferre vnā paſſionē in creatis, quia inuicē identificantur; origo autem actiua, vt eſt in producente, realiter diſtinguitur à paſſiua. Ad 4. Eādem relationem nō poſſe eſſe producentis, & producti in ordine ad eamdem productionē, ſecus autē in ordine ad diuerſā: nam producēs, & productū ſicuti diſtinguuntur, ita ratione eiuſdem productionis habeāt relationes oppoſitas; at quādo conſiderantur in ordine ad aliā productionē, relatio poteſt eſſe eadē, ſi habeant eamdē formā, & principiationē, per quod producāt, quia relatio ſequitur rationem principiationis. Ad. 5. neg. conſeq. quia abſoluta non afferunt ſecū diſtinctionē, ſicuti poſsūt afferre relatiua ratione oppoſitionis.

An Spiritus Sanctus requirat per ſe duas perſonas, vt principium.

SECTIO V.

36 Prima ſententia eſt negatiua. Ita Scot. *in* 1. *diſt*. 12. *q*. 1. Durand. *diſt*. 11. *q*. 3. *& diſt*. 12. *quæſt*. 1. Ocham. *quæſt*. 1. *&* 2. Gabriel *quæſt*. 2. *art*. 1. Aureol. *art*. 1. *&* 3. Baſſol. *art*. 1. Smiſing. *diſp*. 4. *de Trinit*. *n*. 16. Prob. virtus ſpiratiua eſt perfecta, & integra in vno ſuppoſito, ergo Pater non indiget auxilio filij ad ſpirandū. Secundò. Si Deus eſſet vna tantū perſona, adhuc crearet, ſicut modo creat, ergo etiam ſi non eſſet Verbum, adhuc ſpiraret. Tertiò. Voluntas eſt principiū Spiritus Sancti, non quatenus communicabilis filio, ſed quatenus voluntas. ergo

37 Secunda ſententia aſſerit Spiritum Sanctum, vt de facto eſt, exigere eſſe a duobus; poſſe tamen cum alia cōditione perſonali procedere tantum ab vno. Ita Molin. 1. *p*. *q*. 36. *art*. 4. *diſp*. 5. Suarez *lib*. 10. *de Trinit*. *c*. 6. Perez *diſp*. 10. *de Trinit*. *ſect*. 3. & alij Recentiores.

38 Tertia ſententia vult, abſolutè exigere eſſe à duobus ita D. Thomas 1. *p*. *quæſt*. 36. *art*. 4. *ad* 1. Alenſ. *quæſt*. 43. *memb*. 3. *art*. 3. Arimin *in* 1. *diſt*. 11. *quæſt*. *vnica*. Capreolus *concluſ*. 4. Vaſquez 1. *p*. *diſp*. 150. *cap*. 1. Ruiz *diſp*. 71. *de Trinit*. *ſect*. 1.

39 Dico primo. *Spiritum Sanctum, prout de facto eſt, ex vi ſui eſſe notionalis petere eſſe à duobus ſuppoſitis.* Probat: ex vi ſui eſſe notionalis procedit vt nexus, & vnio affectiua, qua Pater per amorem coniungitur filio, & Filius Patri, vt docet D. Auguſt. *lib*. 6. *de Trinit*. *cap*. 5. & *lib*. 7. *c*. 9. ergo ex intrinſeca ſua ratione petit eſſe à duobus, quia non poteſt eſſe vinculum affectiuum amborum, niſi ab vtroque procedat; amor enim coniungit cum amato in quantum procedit ab amante. Hinc Concilium Toletanum 11. *in Confeſsione fidei*. ait. *Simul proceſsiſſe ab vtroque monſtratur, quia charitas, ſiue Sanctitas amborum agnoſcitur.*

40 Dico ſecundò. *Suppoſito Verbo diuino tanquam ſecunda perſona Trinitatis, ex neceſsitate Spiritus Sanctus procedit ab ipſo, itaut impoſsibile ſit, quod non procedat ab vtroque.* Probatur. Poſito verbo ex intrinſeca ratione ſpirationis amor ſpiratus eſt poſterior origine, & ſupponit verbū, ergo ex intrinſeca ſua ratione petit eſſe à verbo. Antecedēs patet. Quia actus productiuus voluntatis ſupponit productionem ſecundū intellectum; & habetur ratione illius. Conſequentia probatur, quia voluntas perſonaliter terminata eſt actu producens, ſi quidem productio pertinet ad terminationē, et eſt quid perſonale, ergo ſi amor ſpiratus ſupponit verbum, ſupponit etiā vo-

Digitized by Google

luntatem perſonaliter terminatam in ipſo Verbo, atque adeo producentem.

41 Dico tertiò. *Impoſsibile eße abſolute amorem ſpiratum diuinum prouenire ab vnico tantum ſuppoſito.* Probatur: De ratione voluntatis eſt, vt tendat in obiectum inclinatiuo modo ex allectione eiuſdem obiecti, ergo de ratione termini ipſius eſt, vt ſit inclinatio, ergo de ratione ipſius eſt, vt procedat etiam à Verbo. Conſequentia vltima probatur. Quia debet procedere à voluntate quatenus allicitur, atque adeo ratione illius, quo formaliter allicitur, ergo cum obiectum non attrahat voluntatem per ſuum eſſe reale formaliter, ſed per aliquid exiſtens in ipſa, & per nihil aliud exiſtat, quam per ſuum eſſe intentionale, quod continetur in verbo, ipſum Verbum erit ratio, qua obiectum formaliter alliciet voluntatem, atque adeo ratione Verbi producet ſuum terminum.

42 Ad primum diſting. antecedens. Tota vis ſpiratiua eſt, in vno ſuppoſito, non tamen cum omnibus requiſitis, & in ſtatu proximo, nam, vt ſpiret, requiritur eſſe notionale verbi, vt patet ex dictis; vnde Pater non indiget filio vt auxiliante, quaſi ipſe non habeat ſufficientem virtutem; ſed quia vis ſpiratiua exigit terminari duobus ſuppoſitis, vt ſit in ſtatu proximo. Ad ſecundum, quidquid ſit de antecedenti, negatur conſequentia. Quia vis ſpiratiua non eſt determinata ad ſpirare niſi terminata per eſſe notionale filij. Ad tertium voluntatem eſſe principium Spiritus Sancti, non quatenus præcisè voluntas eſt, ſed quatenus terminata notionaliter in Patre, & filio; quia eſt principium ratione fœcunditatis; fit autem proximè fœcunda ratione verbi, cum ratione ipſius alliciatur ab obiecto.

An, & quomodo Pater per Filium ſpiret.

SECTIO VI.

43 SVpponendum eſt tanquam certum. Spiritum Sanctum procedere à Patre, & filio æqualiter, nec magis perfectè ab vno, quam ab alio, quia procedit ab vtroque per eandem indiuiſibilem vim ſpiratiuam, vt docet D. Anſelm. *capit. 16. de proceſs. Spiritus Sancti*, vnde procedit ab vtroque immediatione virtutis, & ſuppoſiti, nec prius origine ab vno, quam ab alio: nam ſunt vnum, & idem principium, & ſpirant vna, & eadem ſpiratione.

44 Dico primò. *Poſſe dici Spiritum Sanctum magis principaliter procedere à Patre ſignificando, quod Pater habeat à ſe, quod ſpiret.* Ita loquitur D. Auguſt. *lib. 15. de Trinit. cap. 17.* Ratio eſt, Quia Pater eſt principium, & fons totius diuinitatis.

45 Dico ſecundò. *Poſſe dici Spiritum Sanctum procedere a Patre, per Filium.* Ita communiter Patres Græci, & nonnulli etiam ex Latinis præſertim Anſel. *de proceſs. Spiritus Sancti*, circa finem, & hic modus loquendi receptus fuit a Latinis in Concilio Florentino, & declaratus *in litteris vnionis*, ita vt ſignificet Filium eſse principium Spiritus Sancti per virtutem ſibi communicatam à Patre. Probatur: quia particula per, nil aliud ſignificat, niſi conſortium filij, in eadem ratione principij.

46 Dico tertiò. *Poße etiam dici Spiritum Sanctum procedere mediate à Patre, ſignificando ſolum ordinem perſonalem.* Ita D. Thomas *1. par. q. 36. art. 3. ad 1.* & deſumitur ex Nyſſeno *lib. Quod non tres dij.* circa finem. Probatur: quia ſecundum ordinem perſonarum Filius mediat inter Patrem, & Spiritum Sanctum,

An ſi Spiritus Sanctus non procedat à Filio, diſtingueretur ab ipſo.

SECTIO VII.

47 QVæſtio procedit ſupponendo, quod tam filius, quàm Spiritus S. exiſtãt, & procedant à Patre; & quia Spiritus S. non procederet à Filio, deberet concipi filius abſq; ſpiratione actiua, itaut Spiritus S. procedat per voluntatem à Patre, & Filius per intellectum, quia autem ex hoc ſequerentur plura impoſſibilia, ideo non ſunt attendenda, ſed tantum conſideratur, an præciſa proceſſione à Filio tollatur etiam diſtinctio.

48 Prima ſententia aſſerit, quod adhuc diſtingueretur; Ita Scot. *in 1. diſt. 11. q. 2.* Maior *ibid.* Anton. Andr. & Rubio *ibid.* Baſſolis *diſt. 19. q. 2.* Rada *1. p. controu. 15.* & communiter Scotiſtæ. Prob. Adhuc manerent in filio, & Spiritu Sancto diuerſi, & incompoſſibiles modi productionis paſſiuæ, ergo. 2. Manerent eadẽ conſtitutiua formalia, ergo etiã eadẽ diſtinctiua, quia generatio, & ſpiratio ex intrinſeca ſua ratione diſtinguuntur 3. ſi Spiritus S. procederet à ſolo Filio, diſtingueretur etiam à Patre, ergo

49 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita D. Thomas *1. p. q. 36. art. 2.* Caiet, *ibid.* Bannes *dub. 3.* Tores *2. p. commẽtarij*, Molina *diſp. 3.* Vaſquez *diſp. 147. c. 4.* D. Bonau. *in 1. diſt. 11. art. 1. q. 1.* Durand. *q. 2.* Aegydius *q. 3.* Capreol. *q. 1.* Suarez *li, 10. de Trin. c. 2.* Ruiz *diſp. 68. de Trinit. ſect. 4.* Cuniga *diſp. 11. dub. 3.*

50 Dicendum eſt. *Si Spiritus Sanctus non procederet à filio, non diſtingueretur ab ipſo.* Prob. In diuinis nulla eſt diſtinctio, niſi ratione relatiuæ appoſitionis. Sed data tali hypotheſi, nulla eſſet oppoſitio relatiua inter filium, & Spiritum Sanctum, quia appoſitio relatiua fundatur in origine, ergo. Maior eſt axioma commune, & deſumitur ex Concilio Toletano 11. *In Confeß. fidei*, & ex Florẽtino *ſeſſ. 18.* vbi tacitè approbante Concilio, & conſentiẽtibus Græcis docebant, ſolum relatiuam oppoſitionem reperiri in diuinis. Et traditur, à D. Anſel. *c. 2. & 3. de proceſs. Spiritus Sancti*, & cõmuniter Patres docent, perſonas ex eo tantũ diſtingui, quod ad inuicẽ ſunt. Et ratio eſt quia diſtinctio, quæ non eſt ex relatiua oppoſitione, debet eſſe ex incompoſſibilitate extremorum intrinſeca; hoc autem importat limitationem, quia vnum extremum ex intrinſeco limitatur, vt non importet eſſe alterius.

51 Reſpondet Scotus? Filium, & Spiritum Sanctum diſtingui in tali caſu per relationes diſparatas. Contra. Tũc deeſſet ratio formalis diſtinctiua, nempe oppoſitio; vnde ſpiratio actiua, & paternitas non diſtinguunt, licet ſint relationes diſparatæ, quia non opponuntur.

52 Reſpondet ſecundò, Scot. Paternitatem, & ſpirationem actiuam non diſtinguere, quia ſunt origines actiuæ, relationes autem diſparatæ in terminis productis diſtinguũt, quia repugnat eundem terminũ bis produci. Contra Tum quia hæc reſponſio petit principium, quia in tãtum bis produceretur, in quantũ ſupponuntur proceſſiones diſtinctæ; ſublata autem oppoſitione non eſſent diſtinctæ. Tum quia infinitas omnia vnit, quod non habent repugnantiam ad vniri; proceſſio autẽ paſſiua ex eo, quod paſſiua eſt, non habet repugnantiam ad vniri cum alia paſſiua. Tum quia eſsentia diuina bis cõmunicatur per duplicẽ cõmunicationem, nec tamen in ipſa ponitur diſtinctio. Tũ quia, ſi relationes diſparatæ diſtinguerent, etiã in perſonis producentibus diſtinguerent, quia, quæ ex natura ſua ſũt diſtinctiua, ſemper ſunt talia in quocunque ponantur.

53 Reſpondent alij 3. Spirationẽ actiuam non eſſe proprietatẽ perſonalem, & ideo non diſtinguere. Cõtra. Ideo non eſt proprietas perſonalis, quia ſe ſola non conſtituit perſonã, & tamen eſt relatio diſparata reſpectu paternitatis. ergo, ſi Spiritus S. non procederet à filio, non haberet propriã perſonalitatẽ, ex vi relationis diſparatæ, quia tunc ſpiratio paſſiua eſſet abſque oppoſitione relatiua.

54 Dices. Pater non opponitur Spiritui Sancto ratione paternitatis, nec Filius ratione filiationis, et tamen ratione ipſarũ diſtinguuntur, ergo diſtinctio non ſemper habetur

ratione

Digitized by Google

ratione oppoſitionis. Reſpondetur. Oppoſitionem debere attendi ſecundum relationem adęquatè conſideratam, Paternitas autem, & filiatio adęquatè conſideratæ opponuntur relatiuè Spiritui Sancto; nam Spiritus Sanctus vt perſona ſpirata dicit eſse vltimam perſonam claudentem totam communicabilitatem diuinę naturę. Pater autem ratione talis Paternitatis non ſolum habet, quod generet, ſed etiam, quod ſit prima perſona, & ideo ſub ratione primæ perſonæ reſpicit Spiritum Sanctum ſub ratione vltimæ perſonæ. Filiatio autem dicit rationem ſecundę perſonæ. Rurſus ex eo, quod eſt Filius, eſt notionaliter viuens, atque adeo dicens ſpirationem, & ideo tum ratione ſpirationis, tum ratione ſecundę perſonæ dicit ordinem ad Spiritum Sanctum.

55 Ad primum. Reſp. negando aſſumptum. Quia modi productionis filij, & Spiritus Sancti non ſunt incompoſſibiles, niſi ratione oppoſitionis; generatio enim paſſiua ideo diſtinguitur à ſpiratione paſſiua, ratione oppoſitionis, quatenus de ratione filij eſt, quod procedat vt ſpirator. Ad ſecundum negatur aſſumptum. Quia conſtitutiuum filij eſt quid coaleſcens ex filiatione, & ſpiratione, ſicut conſtitutiuum Spiritus Sancti eſt relatio ad Patrem, & filium. Inſtabis: filius adhuc procederet per intellectũ, & Spiritus Sanctus per voluntatem, ergo. Reſpond. Procederet diuerſo modo, quia tunc intellectus, & voluntas non eſsent principia duplicis proceſſionis paſſiuæ, ſed tãtum vnius, quæ æquiualeret vtrique. Ad tertium. Hypotheſim implicare in ſe ipſa; nam implicat, quod filius procedat à Patre, & habeat virtutem ſpiratiuam, & illam non accipiat à Patre, atque adeo, quod Pater non ſpiret; ea tamen data Pater diſtingueretur à Spiritu Sancto ratione oppoſitionis relatiuæ, quia, dum produceret filium, qui eſset principium Spiritus Sancti, referretur ad Spiritum Sanctum vt prima perſona ad vltimam.

56 Obijcitur ex D. Anſelm. *cap. 2. de Spiritu Sancto*, vbi habet. *Quomodo filius exiſtit de Deo, naſcendo, & Spiritus Sanctus procedendo ipſa diuerſitate natiuitatis, & proceſsionis, referuntur ad inuicem vt diuerſi, & alij ab inuicem*, & ſimilia habet etiam *c. 4.* Reſpond. D. Anſelmus tantum velle, quod ſtante formali ratione natiuitatis, & proceſsionis adhuc filius, & Spiritus Sanctus debent diſtingui, ea tamen ſtare non poteſt, niſi Spiritus Sanctus procedat a filio, vt patet ex dictis.

57 Quæres. Quid ſit appropriatio, & quomodo fiat. Reſpond. eſse attributionem eorum, quę communia ſunt determinatis perſonis; vnde Patri tribuitur omnipotentia, filio Sapientia, & bonitas Spiritui Sancto; & habet fundamentum in ipſa Scriptura, & Concilijs, & Patribus, & eſt apta ad manifeſtandas diuinas perſonas, quia attributa eſsentialia notiora ſunt perſonalibus. Fundatur autem in correſpondentia, & proportione attributorum ad eſse perſonale, & ideo potẽtia appropriatur Patri, quia eſt primum principium; ſapientia filio, quia eſt Verbum, bonitas Spiritui Sancto, quia eſt amor.

DE AEQVALITATE Diuinarum Perſonarum.

DISPVTATIO LXXI.

Quid importet æqualitas diuinarum Perſonarum.

SECTIO I.

1 CErtum eſt de fide. Diuinas Perſonas eſse omnino ęquales, cum ſint eiuſdem naturæ, vt ſuo loco oſtendimus; hæc autem æqualitas non eſt commenſurationis, quia hęc conuenit ſolum rebus finitis, quæ poſsunt claudi aliqua menſura: ſed eſt eminentioris ordinis. Difficultas autem eſt, an importet aliquam relationẽ, & quænam ſit iſta relatio: eadem autem eſt ratio de identitate, & ſimilitudine, & ideo ſolum agemus de æqualitate.

2 Prima ſententia aſserit, importare relationem rationis. Ita D. Thomas *1. part. q. 42. art. 1. ad 4.* Caiet. & Ban. *ibid.* Molina *diſp. 2.* Vaſquez *diſp. 166. c. 2.* Durand. *in 1. diſt. 31. q. 1.* Capreolus *art. 1.* Richar. *q. 2.* Suarez *lib. 4. de Trinit. c. 15.* Ruiz *diſp. 103. ſect. 4.* Cuniga *diſp. 19. dub. 3.* & alij. Probatur: Perſonæ diuinæ non diſtinguuntur in eo, in quo ſunt ęquales, nempe in natura, relatio autem realis requirit diſtinctionem realem inter extrema, prout dicunt illam rationem, ſecundum quam referuntur.

3 Secunda ſententia aſserit importare relationem realem. Ita D. Bonau. *in 1. diſt. 31. art. 1. quæſt. 1. & 2.* Scotus *qu. 1.* Maior *ibidem.* Ocham *q. vnica.* Gabriel *art. 3.*

4 Notandum primò. Aliud eſse id, quod immediate refertur, & aliud id, ratione cuius refertur, primum ſe habet vt, *quod*, & connectitur per habitudinem cum alio extremo, ſecundum ſe habet vt, *quo*, & eſt ratio, ex vi cuius habetur connexio.

5 Notandum ſecundò. In relationibus, quæ fundantur in vnitate extrema connecti ſecundũ habitudinem vnionis, vnde ratio, per quam extrema referuntur, exercet hanc vnionem, & eſt communis vtrique extremo: ſic quando duę albedines referuntur relatione ſimilitudinis, non referuntur ex vi eſse indiuidualis, in quo diſtinguuntur, ſed ex vi eſse ſpecifici, in quo ſunt vnum, & ideo hæ relationes dicuntur fundatæ in vnitate.

6 Dico primò. *Relationem æqualitatis inter diuinas perſonas eſse realem*. Probatur: Perſonæ diuinæ poſsunt ſecundum eſse perſonale relatiuè connecti ex vi illius rationis, quæ ponit æqualitatem, ergo relatio eſt realis, quia relatio realis conſiſtit in reali habitudine extremorum. Antecedens probatur. Perfectio eſsentialis, quæ eſt ratio æqualitatis in omnibus perſonis ponit vnitatem inter ipſas, ergo eſt ratio connexionis ſecundum vnitatem perfectionis. Confirmatur. Non eſt de ratione vnionis, vt diſtinguatur in ſe ipſa, ſed quod ea tantum diſtinguantur, quæ per ipſam vniuntur. Ratio autem, ex vi cuius habetur æqualitas, eſt ratio vnitatis inter extrema. Confirmatur ſecundò. Relationes diſquiparantiæ important in extremis quamdam ſeparationem, quæ fit ſecundum diuerſas rationes, per quas referuntur, ergo relationes æquiparantiæ, quæ fundantur in vnitate, important extrema, prout accedunt ad vnitatem ex vi rationis, per quam referuntur, ergo ratio fundans relationem non requirit diſtinctionem in ſe ipſa.

7 Probatur ſecundò. Relatio æqualitatis fundatur in vnitate perfectionis, ergo ex vi ipſius non requiritur diſtinctio in perfectione: imo quo maior eſt vnitas, eo maior eſt ęqualitas, quia perfectio fundat relationẽ ęqualitatis, ratione vnitatis, non autem ratione diſtinctionis.

8 Dices. Summam vnitatem obſtare realitati relationis, quia perfectio ita eſt fundamentum referendi, vt ſit etiam extremum. Contra. Quia perfectio non refertur vt extremum, ſed id, in quo eſt perfectio. Confirmatur. Relatio æqualitatis fundatur in vnitate, vt vnitas eſt, ergo ſumma vnitas non deſtruit, ſed perficit relationem.

9 Dico ſecundò. *Relationem æqualitatis imbibi intrinſecè in alijs relationibus, itaut vna, & eadem relatio referat perſonam vt æqualem, & vt producentem, ſeu productã.* Prob. Relationes diuinæ ſunt infinitę in ratione relationis, ergo eadẽ relatio refert perſonã, quantũ eſt referibilis. Vt autẽ eſt producens, eſt referibilis vt æqualis, cum producat vt ęqualis, nam producit vt communicatiua eſsentiæ diuinæ, & ſimiliter etiam vt producta, quia vt talis dicit eſsentiam diuinam ſibi communicatam.

10 Dico tertiò. *Aequalitatem eſse tantum ſecundum eſsentiam, non autem ſecundum relationem.* Ita D. Tho. *1. par. quæſt. 42. art. 4.* & communiter contra Arimenẽs.

Digitized by Google

in 1. *diſt.* 19. *quæſt.* 1. *art.* 1. Maiorem *quæſt.* 3. Cuniga *diſput.* 17. *de Trinit. dub.* 3. Et deſumitur ex D. Athanaſio *ſerm. de Deipara*, & D. Auguſtin. *lib.* 5. *de Trinit. cap.* 6.

Probatur Aequalitas attenditur ſecundum perfectionem; hæc autem habetur tantum ratione eſſentiæ, vt ſuo loco dictum eſt. Deinde Relationes faciunt diſtingui perſonas, æqualitas autem facit conuenire.

11 Ad fundamentum primę ſententiæ reſpondetur. In relationibus, quę fundantur in vnitate, debere diſtingui realiter ſola extrema; non autem illam rationem, ex vi cuius referuntur, cum fundet relationem ratione vnitatis.

DE CIRCVMINSESSIONE Diuinarum Perſonarum.

DISPVTATIO LXXII.

An detur Circuminſeſſio.

SECTIO I.

1 Circuminſeſſio in eo conſiſtit, quod vna perſona ſit in alia, vnde dicendum eſt. *De fide eſſe, dari Circuminſeſſionem*, Probatur Ioan. 10. *Pater in me eſt, & ego in Patre*, & c. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?*

2 Dicendū ſecundò. *Perſonas diuinas eſſe in ſe inuicem ſecundum ſe totas, itaut non ſolum vna ſit in alia ſecundum eſſentiam, ſed etiam ſecundum hypoſtaſim.* Ita communiter Patres, Fulgent. *cap.* 7. *de fide ad Petrum. Totus Pater in filio, & Spiritu Sancto eſt, Totus filius in Patre, & Spiritu Sancto eſt. Totus quoque Spiritus Sanctus in Patre, & filio eſt.* Nyſſen. *orat. de Deitate filij:* Anſelm. *c.* 17. *Monolog.* Aug. *lib.* 6. *de Trinit. c.* 10. Athanaſius *orat.* 4. *contra Arrianos*, Cyril. Alexandr. *lib.* 3. *Theſauri c.* 1. Prob. idem non poteſt eſſe in ſe ipſo, ſed tantum in alio, ergo perſonæ diuinę non poſſunt eſſe in ſe inuicē, niſi ſecundum quod à ſe inuicem diſtinguuntur.

3 Obijcitur. Quod egreditur ab alio, non poteſt eſſe in ipſo. Filius autem egreditur à Patre, ergo. Ioan. 16. *Exiui a Patre.* Reſpond. id eſſe verum de egreſſu per productionem tranſeuntem; non autem de egreſſu per immanētē productionē, qualis eſt productio diuinarū perſonarū.

4 Obijcitur ſecundò; perſonę diuinę inuicem opponuntur; vnum autem oppoſitum non poteſt eſſe in alio Reſp. Id eſſe verum, de oppoſitis, quæ ſe inuicem deſtruunt; non autem de relatiuis.

5 Obijcitur tertiò. Si Pater eſſet in filio, & filius in Patre, Pater eſſet in ſe ipſo; quia quod eſt in filio, eſt etiā in Patre. Reſpond. negando ſequelam. Quia, cum Pater nō diſtinguatur à ſe ipſo, deeſt neceſſaria conditio ad circuminſeſſionem; vnde Pater non ſeruat eamdem habitudinem ad ſe ipſum, quam ſeruat filius ad Patrem.

In quo conſiſtat Circuminſeſſio.

SECTIO II.

6 Supponendum eſt. Perſonas diuinas eſſe in ſe inuicem modo quodam ſpeciali proprio ipſarum, vnde erit modus diuerſus eſſendi in alio, ab ijs omnibus, quos enumerat Ariſtoteles 4. *Phyſicorum textu* 23.

7 Prima ſententia aſſerit, conſiſtere in identitate naturæ. Ita Ferrarien. *lib.* 4. *contra gentes cap.* 9. Aureol. *in* 1. *diſt.* 19. 1. *p. art.* 3. & alij.

8 Secunda ſententia aſſerit, conſiſtere formaliter in intima præſentia inſeparabili. Ita Scotus *in* 1. *diſt.* 19. *quæſt.* 2. *art.* 3. Ocham. *quæſt.* 2. Gabriel *art.* 2. Suarez *lib.* 4. *de Trin. cap.* 16. Ruiz *diſp.* 107. *de Trinit. ſect.* 7.

9 Dico primò. *Vnitatem ſubſtantiæ diuinæ eſſe radicem Circuminſeſſionis diuinarum perſonarum*, deſumitur ex *cap.* 10. Ioan. vbi Chriſtus aſſignans rationem, cur Pater ſit in filio, & filius in Patre, ait. Quia Pater, & filius vnum ſunt. Probatur. Pater communicat filio totam ſuam ſubſtantiam ſimpliciſſimam, vt habetur ex cap. *Damnamus.* De *ſum. Trinit.* ergo Pater eſt in filio, quia in ipſo eſt ſubſtantia Patris, cum ipſe Pater ſit ſuamet ſubſtantia, itaut etiam Paternitas ſit ſubſtantia Patris.

10 Obijcitur. Pater eſt in filio vt ſubſiſtens in ſubſiſtente, natura autem non eſt in Filio, vt ſubſiſtens in ſubſiſtente, ergo. Reſpondetur. Ex hoc tantum ſequi, quod circuminſeſſio non ſit ſecundum naturam; non autem, quod natura non ſit radix, vnde vna perſona ſit in alia, vt ſubſiſtens in ſubſiſtente.

11 Dico ſecundò. *Circuminſeſſionem non importare formaliter identitatem naturæ, ſed ſolum fundamentaliter.* Probatur: eſſe vnum formaliter excludit diſtinctionem; Circuminſeſſio autem illam requirit in ſuo conceptu, quia in tantum vnum concipitur eſſe in alio, in quantum concipitur diſtingui ab ipſo. ergo

12 Dico tertiò. *Circuminſeſſionem importare formaliter quamdam rationem præſentiæ, qua vna perſona eſt præſens alteri inſeparabiliter.* Ita Damaſc. *lib.* 1. *de fide cap.* 11. Probatur. Circuminſeſſio habetur ex eo, quod vna perſona ſit in alia, ex hoc autem conſurgit ratio quędam præſentiæ. ergo

An ſola vnitas naturæ ſit ratio Circuminſeſſionis.

SECTIO III.

13 Dico primò. *Perſonas diuinas eſſe in ſe inuicem, etiam ratione relationis*, hoc autem ita intelligi debet, nō quod relatio præciſe faciat vnam eſſe in alia; ſed quod poſita identitate naturæ, ex vi quoque relationis habeatur aliquis ſpecialis modus, quo vna perſona ſit in alia.

Probatur: de ratione relationis eſt connectere vnum extremum cum alio, ergo ſtante identitate naturæ relatio facit vnum eſſe in alio, quia connectit extrema, prout exigunt connecti, ſtante autem identitate naturæ exigunt connecti, vt in ſe inuicem exiſtentia.

14 Dico ſecundò. *Originem quoque facere, vt vna perſona ſit in alia.* Prob. origo in diuinis importat proceſſionem immanentem, de ratione autem productionis immanentis eſt, quod terminus ſit in producente, & quod producens non ſeparetur à termino. ergo

15 Dico tertiò. *Ex ratione communicationis naturæ haberi circuminſeſſionem.* Probatur: Dum perſona producens communicat ſuam naturam, communicat quidquid eſt idem cum ipſo ob ſummam ſimplicitatem, ergo communicat etiam relationem; quia tamen adhuc diſtinguit à perſona producta, cum ipſi opponatur, ideo ſolum facit producentem eſſe in producto.

16 Obijcitur. Relatio, vt talis, dicit *Eſſe ad*, Circuminſeſſio verò dicit *Eſſe In*, ergo. Reſpondetur. Ex hoc tantum ſequi, quod relatio præciſè non dicat circuminſeſſionem, quia tamen poſita identitate Naturæ connectit extrema, vt ſibi inuicem præſentia, ideo importat ſpecialem modum determinatiuum inexiſtentiæ vnius in alio.

17 Quæres. An vna perſona ſit in alia ratione relationis primò, & per ſe formaliter; an verò per accidens. Reſp. eſſe in alio primò, & per ſe. Ita Scot. *in* 1. *diſt.* 19. *quæſt.* 2. & alij. Ratio eſt; Quia eſt in alia vt ſubſiſtens incommunicabiliter in ſubſiſtenti incommunicabili, quod non eſt aliquid merè abſolutum, cum non poſſit concipi, niſi conci-

Digitized by Google

concipiatur eſſe perſonale. Hinc etiam vna perſona contineat aliam ſecundum ſe totam formaliter, ita vt etiam relatio, ſit ratio continendi; non enim eſt neceſſe, quod continens excedat contentum, quia non eſt continentia quantitatiua, ſed per intimam præſentiam.

DE MISSIONE DIVINARVM Perſonarum.

DISPVTATIO LXXIII.

Quid ſit Miſſio.

SECTIO I.

1 MIſſio in præſenti ſumitur, prout dicit deſtinationem alicuius perſonæ ad aliquid exequendũ. Eſt autem de fide, Dari in Diuinis miſſionem detractis imperfectionibus præſertim inæqualitatis inter mittentem, & miſſum. Ioan. 3. *Miſit Deus Filium ſuum in mundum*, & cap. 14. *Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo*. Vnde non ſolum mittuntur dona, quæ appropriantur Perſonis, ſed etiam ipſe Perſonę. Perſona enim miſſa dicitur nobis, vt patet in Verbo Incarnato, & ita docent communiter Patres.

2 Dicendum eſt. *Proceſsionem æternam eſſe de conceptu miſſionis, itaut ratione tantum proceſſionis conueniat Perſonæ mitti*: Ita communiter cum D. Thoma 1. *p. q.* 43. *art.* 2. contra Magiſtrum *in* 1. *diſt.* 15. *cap.* 1. *&* 2. & deſumitur ex Patribus Auguſt. *lib.* 2. *de Trinitat. cap.* 12. Hilario *lib.* 6. *de Trinit. poſt medium.* Nazianz. *orat.* 37. Athanaſ. *Dial.* 3. *de Trinit. contra Macedonium*. Prob. De ratione miſſionis eſt, vt perſona miſſa accipiat aliquid à mittente, vt mandatum, aut auctoritatem, aut quid ſimile, ergo in Diuinis de ratione miſſionis eſt proceſſio, quia debet eſſe miſſio excludens omnem imperfectionem. Perſona autem miſſa non poteſt aliquid accipere à mittente, niſi per proceſſionem.

3 Dico ſecundò. *Miſſionem importare proceſſionem ſub ratione communicationis Diuinæ eſſentiæ ſecundum illam rationem formalem, ad quam terminus miſſionis dicit ordinem*. Probatur. Miſſio formaliter eſt deſtinatio perſonæ ad aliquid exequendum, ergo id, quod accipit perſona miſſa à mittente, debet eſſe formaliter in ordine ad terminum miſſionis, ergo cum in Diuinis accipiat eſſentiam, debet eſſentia importari cum ordine ad terminum miſſionis. Conſequentia prima probat. Miſſio eſt in ordine ad terminum formaliter, ergo non poteſt intelligi, niſi ſub ea ratione, quæ formaliter reſpicit terminum.

4 Dico tertiò. *Operationem alicuius effectus ad extra eſſe de conceptu miſsionis.* Ita communiter. Patres Prob. De ratione miſſionis eſt ordinari ad aliquid præſtandum, ergo de conceptu ipſius eſt aliquis effectus ad extra, quia nulla exequutio reſpectu Diuinarum Perſonarum excogitari poteſt, niſi ſit effectus ad extra.

Quid de formali dicat Miſsio.

SECTIO II.

5 PRima ſententia vult, de materiali dicere proceſſionem de formali vero effectum ad extra, ſeu ordinem ad ipſum. Ita Richard. *in* 1. *diſt.* 15. *art.* 1. *q.* 1. Scotus *ibidem*. Durand. *q.* 2. Capreol. *q.* 2. *art.* 1. Ruiz *diſp.* 108. *de Trinit. ſect.* 6. Prob. Quia ordo, ſeu effectus ad extra determinat proceſſionem ad rationem miſſionis.

6 Secunda ſententia aſſerit, importare in recto proceſſionem, connotare verò effectum temporalem. Ita Albert. 1. *p. q.* 32. *memb.* 2. *art.* 1. Alenſis *q.* 71. *memb.* 2. *& ſequentibus*. Suarez *lib.* 12. *de Trinit. cap.* 1. Vaſquez 1. *p. diſp.* 170. *cap.* 2. Probat. Quia miſſio de ſuo formali importat exitum miſſi à mittente, qui in Diuinis conſiſtit in proceſſione.

7 Tertia ſententia vult, importare in recto tam proceſſionem æternam, quam temporalem alicuius effectus ad extra. Ita D. Bonau. *in* 1. *diſt.* 13. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 1. *&* 2. Ferrar. *lib.* 4. *contra Gentes cap.* 23. Caiet. 1. *p. q.* 43. *art.* 1. *&* 2. Molina *ibidem*.

8 Dico primò. *Miſsionem importare in recto proceſſionem æternam*. Prob. Miſſio dicit, quod Perſona miſſa accipiat aliquid à mittente, quod in Diuinis habetur tantum ratione proceſſionis.

9 Dico ſecundò. *Proceſsionem æternam compleri in ratione miſsionis per communicationem decreti liberi de aliqua exequutione facienda*. Prob. Miſſio formaliter exercetur inter Perſonam mittentem, & miſſam, quatenus deſtinatur ad aliquid liberè exequendum, ergo formaliter completur per communicationem decreti liberi, quia ſola iſta communicatio, exercetur inter perſonam mittentem, & miſſam in ordine ad effectus liberos.

10 Dico tertiò. *Proceſsionem effectus ad extra pertinere tantum in obliquo ad miſsionem*. Prob. Exequutio miſſionis ſupponit miſsionem ſecũdum ſuum eſſe formale, quia cauſatiuè prouenit ab ipſa, ergo proceſsio ad extra non pertinet ad formalem rationem miſsionis, quia importat ipſam exequutionem.

11 Ad fundamentum primę ſententiæ reſp. Aſſumptum eſſe verum, ſi intelligatur de ordine, qui habetur rationę decreti liberi.

12 Ad fundamentum ſecundę. Miſsionem in creatis importare exitum, quia fit cum motu locali; formaliter autem dicit tantum deſtinationem perſonæ ad aliquid exequendum, quod in Diuinis conſiſtit in communicationę decreti liberi.

13 Ex dictis colligitur. Miſsionem importare aliquid notionale, quia perſona eſt illa, quæ mittit, & mittitur; & ſimul etiam aliquid eſſentiale, quia dicit decretum liberum. Abſolutè tamen dicenda eſt notionalis cum Diuuo Thoma *in* 1. *diſt.* 15. *q.* 1. *art.* 2. & communiter, quia conuenit tantum determinatis perſonis.

14 Colligitur ſecundò. Miſsionem eſſe partim æternã, quatenus dicit proceſsionem, & communicationem decreti liberi, & partim temporalem quatenus dicit exequutionem, quæ conſiſtit in progreſsione alicuius effectus ad extra.

15 Colligitur tertiò. Filium mitti à Patre, & Spiritum S. à Patre, & Filio, vt patet ex ſcripturis allatis. Patrẽ autem non mitti, quod eſt certum apud omnes, & tradit D. Auguſt. *lib.* 4. *de Trinit. cap.* 21. quia videlicet non procedit ab alio, vnde cum ſimpliciter non mittatur, nec etiam poteſt mittere ſe ipſum.

16 Colligitur quartò. Perſonas, quæ mittuntur, non mittere ſe ipſas miſsione propriè dicta, quia miſsio fundatur in proceſsione: impropriè tamen mittere, quatenus eadem virtus, ex vi cuius fit miſsio, eſt in omnibus, & in hoc ſenſu intelligendi ſunt Patres, quando dicunt Filium miſiſſe ſe ipſum; vel quod miſerit ſe ipſum, ſecundum humanitatem, quam aſſumpſit.

17 Colligitur quintò. Spiritum Sanctum non mittere Filium, quia non eſt principium ipſius: vnde quando apud Patres reperitur, quod ipſum miſerit, vt etiam habetur in Concilio Tolet. 11. *in Profeſsione fidei, &* Iſaię 48. *Dominus miſit me, & Spiritus eius*. Debet intelligi de Chriſto, qui ratione humanitatis fuit miſſus à Spiritu Sancto.

Digitized by Google

De Miſsione Viſibili, & Inuiſibili.

SECTIO III.

18 Miſsio viſibilis eſt illa, qua perſona Diuina mittitur ſub aliquo ſenſibili ſigno. Inuiſibilis verò, qua mittitur ſine ſenſibili ſigno, vt cum perſona mittitur per dona gratiæ.

19 Quæres primò. An viſibilitas ſupponat inuiſibilem. Reſpond. Supponere aut antea factam, aut quod ſimul fiat. Ita D. Thomas *1.p.q.43.art.7.* Quia viſibilis eſt quædam repræſentatio inuiſibilis.

20 Quæres ſecundò. An inuiſibilis pertineat ad conſtitutionem viſibilis. Reſpond. negatiuè. Quia viſibilis poteſt fieri ſine inuiſibili, vt cum Spiritus Sanctus miſſus eſt in baptiſmate Chriſti; tunc enim non fuit facta inuiſibilis miſsio, quia Chriſtus non accepit aliquid donum gratiæ.

21 Quæres tertiò. An corpora, per quæ fuit facta viſibilis miſsio Spiritus Sancti, fuerint ipſi vnita hypoſtaticè. Reſpond. negatiuè, vt docent communiter Patres contra Tertullianum, *cap.3.de carne Chriſti*; Quia talis vnio non habet aliquid fundamentum.

22 Quæres quartò. Quando fiat inuiſibilis miſsio. Reſpond. Fieri quando infunditur gratia ſanctificans, Ioan. 14. *Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & ad eum veniemus, &c.*

23 Quæres quintò. An poſsit fieri miſsio inuiſibilis abſque gratia ſanctificante. Reſpond. Adæquatam miſsionem non poſſe fieri, quia miſsio Diuinæ perſonæ dicit, quod ipſa ſpeciali modo inhabitet in anima, quæ inhabitatio nequit fieri ſine gratia iuxta illud ſapientiæ 1. *Nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Inadæquata autem poteſt fieri per alia dona ſupernaturalia, ſic in conſecratione ſacerdotis mittitur Spiritus Sanctus iuxta illud. Ioan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum*, & tamen aliquando contingit, non dari gratiam ſanctificantem.

24 Quæres ſextò. An per augmentum gratiæ fiat inuiſibilis miſsio. Reſpond. Negatiuè, ſi ſit eiuſdem ordinis, quia augmentum non eſt nouus effectus, ſed perfectio præcedentis, ſi vero ſit alterius ordinis, tunc fit miſsio, vt in Sacramento confirmationis.

25 Quæres ſeptimò. An vna perſona poſsit mitti viſibiliter ſine alia. Reſpond. affirmatiuè. Sic Filius eſt miſſus in Incarnatione ſine Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus ſine Filio in die Pentecoſtes.

26 Quæres octauò. An vna perſona poſsit mitti ſine alia in miſsione inuiſibili. Reſpond. cum D. Thoma *1.p.q.43. art.5.* Non poſſe mitti miſsione adæquata, quia hæc miſſio fit per dona gratiæ in ordine ad finem ſupernaturalem, vnde important ea, quæ concernunt cognitionem, & amorem ipſius, vnde debet per ipſum tribui dona, quæ appropriantur Filio, & Spiritui Sancto, atque adeo vtraque perſona mitti.

SACRA

Digitized by Google

SACRA SPECVLATIVA DOCTRINA AD

Scholaſticæ Lecturę Methodum.

DE DEO HOMINE REDEMPTORE.

CHriſtus eſt ſpeciale obiectum theologico modo cognoſcibile; nempe ea reuelatio, & notis lumine naturali, cum enim dicat vnionem humanæ, & Diuinæ naturæ in vna perſona, habet ſpecialia prędicata, quæ de ipſo poſſunt oſtendi, vt habere operationes theandricas, ſummi valoris, & alia huiuſmodi. Nec obſtat, quod ſit aliquid ſingulare, quia adhuc ſe habet immutabiliter, & neceſſario modo quò ad ſua prędicata, nec quod ſit aliquid cōtingēs, quia non eſt tale quò ad eſſentiā, ſed quò ad exiſtētiam, & ideò fundat ſpecialem partem Theologiæ tanquam ſpeciale obiectum; cuius ratio formalis eſt ille peculiaris modus cognoſcibilitatis, qui conſurgit ex ſpeciali modo eſſendi, in quo natura Diuina, & humana communicant; hæc enim ſpecialis cognoſcibilitas determinat obiectum ad ſpecialem conſiderationem theologicam; de ipſo igitur agemus in præſenti tractatu.

DE EXISTENTIA, ET CONuenientia Incarnationis.

DISPVTATIO LXXIV.

An Incarnatio ſit facta.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt. Pręcipuum myſterium noſtrę fidei eſſe, quod Incarnatio ſit facta, ita vt exiſtat Chriſtus homo Deus. Ioan. 1. *Et Verbum Caro factum eſt*. Matth. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei Viui, qui in hunc mundum veniſti*; vnde ſolum exiſtentia incarnationis contra Hebręos probanda eſt.

2 Dicendum eſt. *Meſſiam veniſſe conuinci contra Hebręos ex veteri teſtamento*; nomine autem Meſsiæ intelligitur ille, qui fuit promiſſus Iudęis, vt Rex liberator, &c. Probatur Genes. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de fæmore eius, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*; textus hebręus habet: *Non recedit ſceptrum de Iuda, & Legiſlator de medio pedum eius, donec veniat Silhò*. Non poteſt autem dici, quod licet ſit ablatum ſceptrum, non ſit tamen traslatum ad aliam Tribum; quia ſcriptura ſolum dicit, quod auferetur à Iuda, nec conſtat, quod in Babylonia aut alia Prouincia teneant ſceptrum.

3 Reſpond. hunc locum eſſe intelligendum de Samuele, qui in Silhò eſt vnctus. Contra. Quia tunc non eſt ablatum ſceptrum à Iuda.

4 Reſpondent, ſecundam Prophetiam eſſe impletam tempore Ieroboam, quia tunc eſt diuiſum Regnum. Contra. Licet tunc Regnum fuerit diminutum, non tamen fuit ablatum.

5 Reſpondent tertiò. Fuiſſe impletum, quando Nabuchdonoſor tempore Sedechiæ duxit Populū in captiuitatem. Contra. Quia Nabuchdonoſor non dicitur Silhò, nec fuit expectatio gentium, ſicut nec quiſquam alius.

6 Probatur ſecundò. Daniel. 9. *Scito ergo, & animaduerte ad exitus ſermonis, vt iterum ædificetur Hieruſalem vſq. ad Chriſtum Ducem, hebdomadæ ſeptem, & hebdomadæ ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum, & poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & nō erit eius corpus, qui eum negaturus eſt, & Ciuitatem, & Sanctuarium diſſipabit Populus cum duce venturo, & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in Templo abbominatio deſolationis, & vſq. ad conſummationem, & finem perſeuerabit deſolatio*. Per hebdomadas autem non intelliguntur hebdomadæ dierum, ſed annorum. Certum eſt autem, has hebdomadas eſſe tranſactas, ſiue incipiant numerari à tempore, quo Angelus loquutus eſt Danieli, ſiue à tempore, quo fuit conceſſum Hebręis ædificare Templum.

7 Reſpondent, per has hebdomadas intelligi hebdomadas Iubilęorum. Contra. Quia in hoc ſenſu nunquam ſumuntur in ſcriptura. Deinde deſtructio Hieruſalem congruit hebdomadis annorum, non Iubilęorum.

8 Reſpondent ſecundò. Hanc prophetiam non eſſe de Meſsia, quia tunc Daniel non poſtulabat aduentum Meſſiæ, ſed liberationem Populi. Contra. Quia Angelus antea dixerat; *Vt adducatur iuſtitia ſempiterna, & vngatur Sanctus Sanctorum*; ſolus autem Chriſtus eſt Sanctus Sanctorum, & ſolum per ipſum poteſt adduci iuſtitia ſempiterna.

9 Reſpondent tertiò. Intelligi de Agrippa filio Herodis, aut de Hircano ſummo Sacerdote. Contra. Quia Agrippa nec fuit occiſus à Iudęis, nec negatus ab ipſis; & Hircanus fuit occiſus ante ſeptuageſimam hebdomadam ab Herode; non autem à Iudęis.

10 Obijcitur. Meſsia debet eſſe Dominus vniuerſi. Pſal. 71. *Et dominabitur à Mari vſq. ad Mare*. Reſpon. Intelligi de regno ſpirituali, iuxtà illud Zacch. 9. *Ecce rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator, & ipſe pauper.*

11 Obij-

Digitized by Google

11 Obijcitur ſecundò. Pſalm. 17. & 40. Chriſti aduentus debet eſſe cum gloria, & Maieſtate. Reſp. Intelligi de ſecundo aduentu.

12 Obijcitur tertiò. Meſsias veniet tantum in nouiſsimis diebus iuxtà illud Iſaiæ 2. *Et erit in nouiſsimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium*. Reſp. Per nouiſsimos dies intelligi tempus legis euangelicæ, quia ipſa erat futura vltima, quam Deus erat daturus.

13 Obijcitur quartò. In aduentu Meſsiæ promittitur liberatio Populi Hebræi à captiuitate; non ſunt autem liberati. Reſpond. Intelligi de captiuitate ſpirituali. Deinde etiam à temporali ſunt ſufficienter liberati; quia in tantum ſunt captiui Chriſtianorum, in quantum nolunt vti liberatione conceſſa ſequendo ſuum ducem Chriſtum.

An Chriſtus ſit verus Homo, & verus Deus.

SECTIO II.

14 DIco primo: *Chriſtum eſſe verum hominem.* Probatur. Sæpe in veteri teſtamento dicitur futurus filius Dauid, ex ſemine Abrahæ. Ioan. 8. *Quæritis me interficere hominem, qui veritatem loquutus ſum vobis.* Marci 15. *Verè hic homo filius Dei erat.*

15 Dico ſecundo. *Fuiſſe etiam verum Deum.* Probatur Pſalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quo teſtimonio vtitur Paulus ad Heb. 1. Iſaiæ 9. *Paruulus datus eſt nobis, & vocabitur nomen eius Deus fortis*; in textu autem hebræo ponitur nomen proprium ſolius Dei. Probatur ſecundò. Ex nouo teſtamento contra Hæreticos negantes diuinitatem Chriſti, vt Carpopratium, Corinthum, & alios, quos refert Irenæus *lib. 1. cap. 24.* Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret ego ſum, & cap. 20.* Thomas adorans Chriſtum dixit, *Dominus meus, & Deus meus*, & Chriſtus approbauit hanc Confeſſionem. Ad Coloſſ. 2. *In quo habitat plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Ad Rom. 9. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt Deus ſuper omnia benedictus*, & Apoſtolus *cap. 1. & 2.* ad Heb. confirmat hanc veritatem.

16 Obijcitur. Deuter. 19. *Prophetam de gente tua, & fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus*, quod de Chriſto explicatur. Act. 4. & 7. Confirmatur; ibi dicitur, quod iſte Propheta ſit futurus ſimilis Magi, ergo purus homo. Reſp. Illum Prophetam futurum de fratribus, & ſimilem Magi, quia erat futurus verus homo, & legislator, non autem negat, quod ſit futurus Deus, licet hoc non explicet.

An ſuppoſita exiſtentia Incarnationis poſsit naturàliter cognoſci.

SECTIO III.

17 CErtum eſt de fide; Ante exiſtentiam non potuiſſe abſq; Diuina reuelatione aliquem cognoſcere, quod aliquando eſſet futura. Iſaiæ 64. *A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deus abſq. te, quæ præparaſti expectantibus te*, qui locus 1. *Corint.* 2. explicatur de myſterio Incarnationis, & ad Rom. *vltimo* dicitur myſterium tacitum ſæculis æternis, & ſoli Deo notum, ſuppoſita autem exiſtentia.

18 Prima ſententia eſt affirmatiua: ita Scotus in 4. *diſt.* 10. *q.* 8. 9. & 10. & cōmuniter Scotiſtæ, qui volunt, Dæmones non cognouiſſe ex ſpeciali Prouidentia Dei. Probant. Angelus conprehendit naturam humanam, & cognoſcit, quando habeat, vel non habeat propriam ſubſiſtentiam, ergo cum viderit humanitatem Chriſti abſq; propria ſubſiſtentia, potuit inferre, quod ſubſiſteret ſubſiſtentia Diuina. Secundò. Non repugnat naturæ humanæ ſubſiſtere aliena ſubſiſtentia; nec implicat, quod ſubſiſtat Diuina, ergo. Tertiò. In veteri teſtamento fuit reuelatum, quod Chriſtus erat futurus Deus homo, & etiam tempus incarnationis, quæ omnia facta reuelatione poterat naturaliter Angelus cognoſcere. ergo

19 Secunda ſententia eſt negatiua: ita Suarez *diſp. 3. de Incarn. ſect.* 2. Cabrera 3. *parte quæſt. 1. art. 1. diſp.* 4. §. 2. & communiter.

20 Dicendum eſt. *Non poſſe naturaliter cognoſci*. Probatur. Nō poteſt cognoſci Incarnatio, niſi cognoſcatur perſonalitas Diuina terminās naturam humanam. Hæc autem non poteſt cognoſci intuitiuè, quia excedit naturalem facultatem; nec arguitiuè, quia non adeſt medium, cum quo connectatur; nam ſupernaturale non habet neceſſariam connexionem cum naturali. ergo

21 Ad primum negatur conſeq. Nam ex carentia propriæ ſubſiſtentiæ non poteſt cognoſci, quod ſubſiſtat ſubſiſtentia Diuina, quia vel poteſt conſeruare ſine ſubſiſtentia, vel poteſt propria occultari.

Ad ſecundū. Non poteſt naturaliter cognoſci, quod nō repugnet perſonæ Diuinæ terminare naturam humanam; & ex eo, quod natura humana comprehenditur, cognoſcitur tantum, quod poſitiuè exigit, non autem, quod non repugnet. Ad tertium neg. conſeq. Nam ex vi reuelationis poteſt tantum cognoſci, quod illo tempore determinato fuerit Chriſtus: non autem, quod fuerit hic, vel ille. Deinde cognoſceretur ex vi reuelationis, non autem naturaliter.

An poſsibilitas Incarnationis poſsit naturaliter cognoſci.

SECTIO IV.

22 SVpponendum eſt. Certum eſſe, non poſſe euidenter demonſtrari, Incarnationem eſſe impoſſibilem, quia demonſtratio eſt tantum de obiecto vero, nō eſt autem verum, Incarnationem eſſe impoſſibilem.

23 Dicendum eſt. *Licet Angelus cognoſcat compræhenſiuè humanam naturam, & quamlibet aliam, atq. adeò quod ſubſiſtentia ab ipſa diſtinguatur, non poſſe tamen naturaliter cognoſcere, quod poſsit ſuppleri modo ſupernaturali*. Probatur. In natura humana non eſt aliquod principium huius poſſibilitatis, ergo ex vi comprehenſionis non poteſt attingi, cum non faciat innoteſcere aliquid, quod cognitum ducat in cognitionem ipſius. Antecedens probatur. Non adeſt principium actiuum, quia cum talis modus ſit ſupernaturalis, non poteſt fieri naturali virtute, nec etiam paſſiuum, quia non habet potentiam paſſiuam exigitiuam ipſius.

24 Dices ſufficere ſi cognoſcatur, quod poſſit ſubſiſtere aliena ſubſiſtentia.

Contra. Subſiſtere aliena ſubſiſtentia non eſt debitum naturæ, atq. adeo natura non importat ad ipſam aliquem ordinem, ergo ex vi comprehēſionis non poteſt cognoſci.

25 Dices ſecundo. Ex vi comprehenſionis attingi potentiam obedientialem, quam habet natura ad ſubſiſtentiā Diuinam. Contra. Potentia obedientialis dicit tantum, quod creatura ſubijciatur voluntati Dei in ordine ad id, quod non repugnat, ergo ex eo, quod creatura comprehendatur, non attingitur determinatè id, ad quod eſt potentia, ſed tantum in confuſo id, quod non repugnat.

26 Dices tertio. Angelum cognoſcere ſubſiſtentiam diſtingui à natura, atq; adeo Deum poſſe ponere aliam loco ipſius, & multo magis Diuinam, cum non ſit minus ſufficiens. Contra. Ideo poſſet cognoſcere, poſſe Deum ponere aliam ſubſiſtentiam creatam, quia eſt intra adæquatum actum naturæ, hoc autem non cognoſcit de Diuina.

27 Dicendum ſecundo. *Non poſſe intellectum angelicum naturaliter cognoſcere, quod ſubſiſtentia Diuina poſſit ſupplere pro creata, vnde abſolutè non poteſt cognoſcere poſsibilitatem incarnationis*: ità communiter Patres, dum docent Incarnationem eſſe myſterium ineffabile, ſuperans omnem intelligentiam, & alia huiuſmodi.

Probatur. Quod ſubſiſtentia Diuina ſe exhibeat natu-

ra-

ræ creatę, ita vt fiat communicatio naturarum in eadem perſona, importat obiectum ſupernaturale, quoad ſubſtãtiam inuoluens eſſe Diuinum, ergo non eſt cognoſcibile naturali modo. Conſeq. probatur. Non poteſt cognoſci per propriam ſpeciem, quia talis ſpecies non eſt debita intellectui naturali, & eſſet ſpecies perſonæ Diuinæ, quæ non poſſit reſeruire virtuti naturali, nec etiam poteſt cognoſci arguitiuè, quia ſupernaturale non habet connexionem cum naturali, itaut hoc cognito veniamus in cognitionem ipſius.

28 Dices. Ex cognitione naturali Diuinæ omnipotentiæ colligimus, Deum poſſit aliquid facere ſupra vires totius naturæ, & ſuper exigentiam ipſius, & ideo poſſumus etiam colligere poſſibilitatem Incarnationis.

Contra. Non poteſt colligi aliquid poſſibile ex vi omnipotentiæ, niſi cognoſcatur contineri in virtute ipſius, non poſſumus autem cognoſcere, quod contineatur, niſi à poſteriori, ergo non poſſumus cognoſcere, contineri aliquid ſupernaturale, niſi ex eo, quod videmus facere aliquid ſupernaturale, ex hoc autem ſolum colligitur, quod poſſit facere alia, & alia ſupernaturalia in confuſo, non autem hoc, vel illud determinatum.

29 Obijcit, Angelus cognoſcit naturaliter, Deum habere perſonalitatẽ infinitã, ergo poſſe ſupplere pro creata. Reſp. nego conſequentiam. Quia non cognoſcit, quod habeat correſpondentiam cum natura creata.

30 Obijcitur ſecundò. Poteſt naturaliter cognoſcere, quod Deus poſſit ſupplere efficientiam cauſarum ſecundarum, ergo etiam, quod ſubſiſtentia Diuina poſſit ſupplere creatam. Reſp. nego conſeq. Quia cognoſcit quidem, quod Deus habeat infinitam virtutem ordinatam ad operandum ad extra, atq. adeò continere omnem effectũ: non autem cognoſcit ſubſiſtentiam Diuinam ordinari ad operandum ad extra.

31 Obijcitur tertiò. Incarnatio eſt obiectum naturale, nam extrema ſunt Deus, & natura humana, quæ ſunt naturaliter cognoſcibilia, ergo. Reſp. nego aſſumptum. Quia licet Deus cognoſcatur lumine naturali, non tamen lumine naturali cognoſcitur, vt vnibilis perſonaliter cum natura creata.

32 Inſtabis. Talis vnio fundatur in proprietatibus naturalibus extremorum, nam poſſe ſuppoſitare naturam humanam eſt attributum naturale Dei, & poſſe ſuppoſitari aliena ſubſiſtentia eſt proprietas naturalis creaturæ, ergo eſt naturaliter cognoſcibilis. Reſ. nego aſſumptum. Quia non eſt naturalis proprietas naturæ poſſe ſuppoſitari aliena ſubſiſtẽtia, alioquin illam naturaliter exigeret. Deinde non omnia attributa connaturalia Dei poſſunt naturaliter cognoſci, ſed ſolum illa, quæ ſunt connexa cum rebus creatis.

33 Obijcitur quartò. Poſſunt ab Angelo ſolui euidenter argumenta contra Incarnationem, ergo poteſt oſtendi ipſius poſsibilitas, cum non poſſit oſtẽdi quod falſum aſſumant, niſi per principia contraria, per quæ poſſit oſtendi poſsibilitas. Reſp. Non poſſe oſtendi poſitiuo modo falſitatem ipſorum, ſed tantum negatiuè, quatenus non appareat veritas, quæ conuincat, & ideò poſſunt ſolui tantum negatiuè.

34 Obijcitur quintò. Vel intellectus relictus ſuis viribus iudicat hoc myſterium eſſe poſsibile, vel impoſsibile. Non ſecundum, ergo primum. Reſp. Hoc myſterium non poſſe naturaliter occurrere; quod ſi occurreret intellectus ſuſpenderet iudicium, & ſi vellet iudicare, iudicaret potius, eſſe impoſsibile, & falleretur.

35 Obijcitur ſextò. Poteſt Deus loqui alicui loquutione naturali manifeſtando hoc myſterium, tunc autem poſſet alius audiens naturaliter cognoſcere myſterium. ergo Reſp. Nõ poſſe dari loquutionem naturalem de myſterijs ſupernaturalibus, niſi ſub aliquo naturali, quia ſpecificatur ab obiectis. Deinde cognoſceretur myſterium non in ſe, ſed in ipſa loquutione, vt cognoſcit Hæreticus miſteria in reuelatione naturali: Vnde adhuc myſterium non cognoſceretur abſque reuelatione.

An Incarnatio fuerit conueniens.

SECTIO V.

36 Dicendum eſt. *Incarnationem fuiſſe conuenientem ſecundum ſe, quia reſultat ſuppoſitum hominis, maximè nobilem, cum ſubſiſtat ſubſiſtentia Diuina, fuiſſe etiam conuenientem Deo, quia manifeſtat Diuinas perfectiones.* Nempe amorem erga genus humanum 1. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Sapientiam, quia ineffabili modo redemptionem noſtram eſt operatus. Iuſtitiam; quia redimit hominum cum perfecta ſatisfactione; fuiſſe etiam conuenientem naturæ humanæ, quatenus ratione ipſius acquiſiuit maximam dignitatem toti generi humano, quia ex ipſo eſt deſumptum caput omnium creaturarum, ratione cuius obtinuit plurima dona, iuxtà illud. Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus*, & toti Vniuerſo, quia fuit maximè conueniens toti Vniuerſo in ordine gratiæ habere perfectiſſimum gradum.

37 Obijcitur. Quæ infinitè diſtant, non poſſunt conuenienter vniri, natura autem Diuina, & humana infinitè diſtant, ergo. Reſp. nego aſſumptum. Nam diſtantia non impedit vnionem, vnde quæ minus diſtant, aliquando non poſſunt vniri, vt duo contraria, & quæ magis diſtant, poſſunt vniri vt anima, & corpus, ſolum infinita diſtantia facit, vt non poſſint vniri per modum actus, & potentiæ.

38 Obijcitur ſecundò. Quod eſt contra exigentiam naturæ, non eſt ipſi conueniens, eſt autem contra exigentiam quod duæ naturæ habeant eandem ſubſiſtentiam, ergo. Reſpond. Non eſſe contra exigentiam, quando ſubſiſtentia poteſt vtraq. adæquare.

39 Obijcitur tertiò. Ratione Incarnationis Deus fit in ſimilitudinem carnis peccati, poſsibilis, mortalis, quæ maximè repugnant Deo, ergo. Reſp. repugnare Deo ſecundum eſſe intrinſecum: non autem ratione naturæ aſſumptæ.

40 Obijcitur quartò. Deus per Incarnationem mutaretur, quia de non homine fieret homo vnient ſibi naturam, quam prius non habebat, ſicut mutaretur ſuppoſitum creatum, ſi aſſumeret aliquam naturam de nouo, & anima rationalis, dum in reſurrectione reunitur corpori, & ipſe Deus, ſi fieret præſens loco, in quo antea non fuiſſet, ergo. Reſpond. nego ſequellam. Nam Deus per Incarnationem non mutaretur, quia non vnitur naturæ humanæ ſecundum aliquam rationem potentialitatis ex eo, quod infinito modo ſe habeat, mutatio autem fit tantum cum aliquid per modum ſubiecti accipit aliquam actuationem, ſicut reciperet ſuppoſitum, ſi vniretur cum alia natura, nam eſſet determinabile per talem aſſumptionem & anima dum vnitur corpori, quia cum ſit pars, potentialiter ſe habet ad totum, & Deus ſi fieret præſens de nouo alicui loco, quia potentialiter ſe haberet reſpectu illius loci, & careret immenſitate.

Inſtabis. Si non habet rationem potentialitatis, ergo non eſt vnibilis. Reſpond. Non eſſe vnibilem vt perfectibile, ſed tantum vt perficiens.

41 Obiicitur quintò. Natura humana habet potentiam naturalem ad propriam ſubſiſtentiam, ergo non eſt conueniens ipſi ſubſiſtere ſubſiſtentia Diuina, quia hæc non explet naturalem appetitum, & facit eſſe in ſtatu violento.

Reſpond. nego conſeq. Quia naturalis appetitus ſatiatur, vel per terminum connaturalem, vel per aliquid nobilius ipſi æquiualens, nec natura eſt in ſtatu violento, ſed eleuatur ad ſtatum ſupernaturalem, qui perficit naturalia, non autem ipſius contrariatur.

An

Digitized by Google

An Incarnatio fuerit conueniens pro redimendo genere humano.

SECTIO VI.

42 Redemptio generis humani fuit conueniens. Tũ quia oſtendit diuinam bonitatem. Tum quia liberat ipſum à ſeruitute Diaboli. Potuit autem fieri diuerſis modis, vel per liberalem condonationem iniuriæ, quam poterat Deus condonare vt ſupremus Dominus; vel cum aliqua ſatisfactione imperfecta, vt illa quę poſſet eſſe ab homine, vel cum ſatisfactione æquiualenti.

43 Dico primo. *Redemptionem generis humani cum æquiualenti ſatisfactione fuiſſe magis conuenientem, quam alio modo.* Probatur. Quia tali modo fuit ex miſericordia, & iuſtitia iuxtà illud Pſal. 84. *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi.*

44 Obijc. maioris virtutis gratis condonare iniuriam, ergo. Reſpondetur: Id eſſe verum, quando læſus non dat, vnde fiat ſatisfactio; læſus autem dedit.

54 Dico ſecundo. *Incarnationem fuiſſe maximè conuenientem ad redimendum hoc pacto genus humanum.* Probatur. Ad Heb. 2. *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſumare.* Ratio eſt, quia non poterat aliunde, quam à Chriſto haberi ſatisfactio æquiualens, vt videbimus infra.

46 Ob. Vbi interuenit rigor iuſtitię, minuitur miſericordia. Eſt autem magis conueniens miſericordia, ergo. Reſpondetur. Tunc minui, quando iuſtitia ipſam excludit; in caſu autem noſtro non excludit, ſed ſupponit.

47 Quæres. Cur Deus homines potius redemerit, quam Angelos. Reſpondetur: quia ita ipſi placuit, adſunt autem diuerſæ conuenientiæ, primo, quia homo ex imbecillitate peccauit, Angelus ex malitia, ita Auguſt. *cap.* 29. *Enchir.* 2. quia tota natura humana ceciderat, non autem Angelica, ita Auguſt. *ibid.* 3. Quia ſinguli Angeli propria voluntate peccauerunt, homines autem in ſola voluntate Adæ, vt ait Græg. 4. *Moral. capit.* 9. 4. ne Diabolus gloriaretur, ſe compleuiſſe deſiderium ſuum. Ita Leo Papa *ſect. 2. de Natiu.* & aliæ afferuntur à Patribus.

DE NECESSITATE Incarnationis.

DISPVTATIO LXXV.

An Incarnatio fuerit neceſſaria ſecundum ſe.

SECTIO I.

1 Raymundus Lullus operabat, quod ſuppoſito, quod Deus voluerit creare Mundum, neceſſaria fuerit Incarnatio, etiam ſi non fuiſſet homo redimendus.

2 Dicendum eſt. *Suppoſita creatione Mundi, Deum ex nulla neceſſitate ſiue phyſica, ſiue morali voluiſſe Incarnationem, ſed merè ex libertate ſua.* Ex oppoſita ad minus eſt temerarium, & ab aliquibus cenſetur error in fide. Probatur Deus, vt de fide eſt, operatur liberè ad extra, ità vt poſſit non facere, quod facit, niſi ſit neceſſaria connexio cum aliquo antecedente. Sed incarnatio non habet neceſſariam connexionem cum exiſtentia Mundi, cum nihil ſupernaturale neceſſariò exigatur à naturali. ergo

3 Ob. Lullus. Deus eſt optimus artificium, ergo debuit eligere, quod optimum eſt, alioquin imperfectè operatus fuiſſet, ergo. Reſpondetur: eſſe optimum artificium, ſed liberum; & ideò ſufficit, quod faciat optimo modo, quod facit.

4 Obijc. ſecundò. Deus ex infinita ſua bonitate habet infinitam inclinationem ad bonum; quò autem eſt maior inclinatio ad bonum, eò minor eſt libertas ad oppoſitum, ergo cum Deus habuerit infinitam inclinationem ad Incarnationem, non habuit libertatem ad oppoſitum. Reſp. nego anteced. nam Deus non ſupponit bonum, ſed facit, & ideo non habet aliquam inclinationem antecedentem, qua neceſſitetur, aut moueatur neceſſariò ad operandum, ſed tantum amat bonum, dum facit.

5 Dicendum ſecundò. *Neque Deum ex notitia ſua bonitate neceſſitari moraliter ad faciendum, quod optimum eſt in ijs rebus, in quibus poteſt aſſignari optimum, atq; adeo nec ex hoc capite neceſſitari ad Incarnationem.* Eſt contra nonnullos Recentiores, qui volunt, in ijs rebus poſſe aſſignari optimum, in quibus non eſt poſſibile aliud, & aliud melius in infinitum, vt eſt Incarnatio in ordine gratiæ. Probatur: non adeſt à quo Deus determinetur, vt velit neceſſario moraliter, quod optimum eſt, ergo. Anteced. probatur. Quia vt determinaretur à ſua bonitate, deberet ante decretum præſupponi in obiecto ratio optimi; non præſupponitur autem, quia non habet aliquod eſſe, niſi dependenter à voluntate Dei. Confirmatur. Aſſignato quocumque optimo, adeſt motiuum, ratione cuius intellectus diuino iudicat non eſſe faciendum, ergo poteſt non facere.

6 Obijc. Ex eo, quod Deus communicat bonum, laudabiliter operatur, ergo ſi non communicat, quod eſt optimum, minus laudabiliter operatur, quod dicit carentiam maioris perfectionis. Reſpondetur diſting. laudabiliter operatur laudabilitate extrinſeca; non intrinſeca, quia actus diuinus non ſumit bonitatem ab obiectis extrinſecis, ſicut ſumit creatus, ſed eſt per eſſentiam ſumma rectitudo, & ideo non ſequitur, quod minus laudabiliter ſe habeat.

7 Obijc. ſecundò. Qui amat aliquem efficaciter, vult omne bonum ipſius, ergo cum Deus amet ſe ipſum perfectiſſimè, vult omnes creaturas, quæ magis conducunt ad gloriam ipſius. Reſpondetur negando conſeq. quia amicus vult alteri amico bonum ex eo, quod ipſum amat, quia per tale bonum perficitur. Deus autem non perficitur per aliquod bonum creatum.

8 Obij. 3. Ex clara viſione Dei Beatus neceſſitatur ad volendum obiecta ſecundaria, quę ſunt in gloriam Dei, ergo etiam Deus neceſſitatur ex clara viſione ſui ad volendum eadem obiecta. Reſpondetur nego conſeq. Quia Beatus ſe debet conformare voluntati diuinæ; Deus autem non tenetur ſe conformare alterius voluntati.

9 Obijc. quartò. Qui poteſt facere meliora in obſequiũ Dei, & non facit, conuincitur non amare Deum perfectè, ergo idem dicendum de Deo reſpectu Sui ipſius. Reſpondetur nego conſeq. Quia homo ex amore vltimi finis tenetur ſe dirigere in ipſum per ſuas operationes; & quia amor eſt menſura dilectionis, vbi eſt minor dilectio, eſt minor amor; adeſt autem minor dilectio, quando prætermittuntur meliora; Deus autem non tenetur ſe dirigere in aliquem finem.

10 Obijcitur quintò. Patres docent, Deum ſemper facere quod melius eſt, ergo. Reſpondetur: Aliquando loqui abſolutè, & velle, quod quidquid facit, optimum ſit, non comparatiuè, ſed abſolutè, quatenus ſecundum proprium eſſe eſt omnino perfectum; aliquando verò loqui cum habitudine ad finem, quem Deus intendit, & volunt, quod eligat res illas, quę meliori modo hic, & nunc conducunt ad finem; aliquando etiam loquuntur comparatiuè ad ordinem, & diſpoſitionem vniuerſi, vt videlicet faciat, quod optimè congruit tali ordini, & diſpoſitioni. Non autem, quod faciat, quod in comparatione omnium melius eſt.

An

Digitized by Google

An ſuppoſito peccato fuerit neceſſaria Incarnatio.

SECTIO II.

11 Dico primò. *Suppoſito peccato reparationem generis humani non fuiße neceſſariam, ſed tantum conuenientem, atq. adeò nec Incarnationem fuiſſe neceſſariam:* ita D.Thom. 3. *part.q.* 1.*art.*2. Et communiter, & oppoſitum eſt temerarium. Probatur. Sapient.12. *Quis tibi imputabit ſi perierint nationes, quas tu fuiſti*, & ſubditur ratio, quia Deus eſt liber ad reparandum ratione ſupremi dominij.

12 Dico ſecundò. *Neq. Incarnationem fuiſſe neceſſariam, ſuppoſito quod Deus voluerit reparare genus humanum*: ità communiter Patres. Athan. *ſerm. 3. contra Arrian.*Aug.13.*de Trin.cap.*10.Leo *ſerm.*1.*de Natiuit.* & alij.

Probatur. Incarnatio non fuit neceſſaria, vt peccatum remitteretur, quia cum Deus ſit ſupremus Iudex, & Dominus, potuit gratis condonare offenſam, aut acceptare inæqualem ſatisfactionem, qualis eſſet actus contritionis. ergo

13 Dico tertiò. *Neceſſariam fuiſſe vnionem hypoſtaticam ad redimendum hominem ex iuſtitia.* Dixi vnionem hypoſtaticam, non Incarnationem, quia non erat neceſſe, quod homo ſatisfaceret pro genere humano, ſed poterat aſſumi alia natura rationalis ad ſatisfaciendum: ità communiter Patres Leo Papa *ſerm.4.& 10.de Natiu.* Anacletus Papa *epiſt.2.decret.*Cyril.Alex.*lib.2.Theſauri cap.2.* Ambroſ.*lib.8.in Lucam initio.* Auguſt. *cap.* 108. *Enchir.* Probatur. Nulla creatura pura poterat ſatisfacere Deo ad æqualitatem pro iniuria, vt videbimus, ergo cum ad redemptionem ex iuſtitia fuerit neceſſaria æquiualens ſatisfactio, fuit etiam neceſſaria vnio hypoſtatica.

14 Obijcies. Eſt contra iuſtitiam exigere ſatisfactionem ab innocente pro nocente; Chriſtus autem fuit innocens, & homo nocens, ergo. Reſpond. Non eſſe contra iuſtitiam, ſi innocens voluntariè ſuſcipiat obligationē ſatisfaciēdi, ſicuti ſuſcepit Chriſtus, vt habetur ad Heb.10

15 Obijcitur ſecundò ex D.Anſel. *lib.*1.*cur Deus homo cap.* 16.*&* 17. vbi docet, fuiſſe neceſſarium, quod homo redimeretur, & Athan. *lib.de Incarn. Verbi* ait fuiſſe indignum bonitate Diuina, quod homo perderetur ex Diaboli impoſtura. Reſpond. Diuus Anſelm. loqui de quadam neceſſitate conuenientiæ. Athanaſ. autem loquitur cum quadam exageratione; nec vult aliud, niſi, quod fuiſſet minus conueniens, ſi natura humana non fuiſſet reparata: vnde *ſerm.3.contra Arrian.* concedit Deum ſolo verbo potuiſſe ſoluere maledictum peccati, ſi voluiſſet, & eodem modo intelligendi ſunt alij Patres, quando habent ſimilia.

DE CAVSA FINALI INCARNATIONIS.

DISPVTATIO LXXVI.

Quænam fuerit cauſa finalis Incarnationis.

SECTIO I.

1 Sub alio etiam titulo proponitur quæſtio, videlicet, An ſi homo non peccaſſet, Verbum fuiſſet Incarnatum, & quia certum eſt, quod poterat incarnari etiā non exiſtente peccato, & nobis non poteſt innoteſcere, quid in tali caſu futurum fuiſſet, cum ſit caſus conditionatus, nam tota determinatio fuiſſet dependens ex libertate Dei, ideò ſolum quæritur, an ex vi præſentis decreti, quo de facto eſt facta incarnatio, ſequuta fuiſſet adhuc peccato non exiſtente, & difficultas in hoc conſiſtit, an Incarnatio fuerit determinata ante, vel poſt præuiſionem peccati.

2 Supponendum primò. Certum eſſe de fide. Finem principalem, & vltimum fuiſſe ipſum Deum, & gloriam ipſius. Prouerb. 16. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt. Dominus*, & cum Deus non moueatur ab obiectis creatis non poteſt aſſignari motiuum ex parte ipſorum in ordine ad voluntatem Diuinam. Vnde difficultas procedit de cauſa finali ex parte obiectorum, ratione cuius vnum eſt propter aliud.

3 Supponendum ſecundò. Certum eſſe de fide. Verbum incarnatum fuiſſe non ſolum pro redimendo genere humano ad Rom.3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorum per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ*, ſed etiam, vt eſſet caput, à quo proueniret influxus gratiæ, vnde ad Epheſ. 1. dicitur Deus nos benedixiſſe omni benedictione cæleſti in Chriſto, & Ioan.14. *Sine me nihil poteſtis facere*, vbi etiam habetur ſimilitudo de vite, & palmite, & in Trid.*ſeſ.6.c.6.* definitur, Chriſtum iugiter influere ſuam virtutem in iuſtificatis, ſicut influit vitis in palmites, & caput in membra. Difficultas ergo eſt, an ex parte obiectorum redemptio fuerit primariò intenta, ità vt ipſa non exiſtente, neq; etiam fuiſſet Incarnatio.

4 Prima ſententia aſſerit, decretum de Incarnatione fuiſſe ante præuiſionem peccati, atq; adeò etiam ſi homo non peccaſſet, Verbum fuiſſet incarnatum: ità Alenſ. *p.* 3.*q.*2.*memb.*17. Albert. Magnus *in* 3.*diſt.*10.*art.*4. Scotus *diſt.7.q.3.* Suar. *diſp.* 5.*de Incar. ſec.* 2. & communiter Scotiſtæ, qui tamen diuerſimodè explicant ſuam ſententiam. Alij enim volunt, Deum decreuiſſe incarnationem, vt Chriſto communicaret ſummam gloriam. Alij vt exaltaret humanam naturam. Alij in primo ſigno prędeſtinaſſe Chriſtum ſecundum ſubſtantiam propter excellentiam myſterij; poſt præuiſionem verò peccati decreuiſſe paſſibilitatem. Probant 1.Corinth. 2. Chriſtus dicitur prędeſtinatus in gloriam noſtram; nec fit mentio de præuiſione peccati, & Ioan. 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*, ergo.2. Ioan.15. Chriſtus rogabat Patrem, vt ipſum clarificaret claritate, quam habuit, prius quam Mundus fieret, non autem claritate Diuinitatis, quia iam illam ex ſe habebat, ſed humanitatis, quam cum non habuerit in ſe priuſquam Mundus fieret, fit quod habuerit in intentione Dei, atq; adeò, quod fuerit prędeſtinatus independenter à paſſibilitate. Tertiò. Ad Philip.2. Chriſtus exinaniuit ſemetipſum non ſecundum Diuinitatem, ergo ſecundum humanitatem; quatenus in primo ſigno non fuit prędeſtinatus ſecundum formam ſerui, ſed tantum poſt pręuiſum peccatum. Quartò. Chriſtus eſt medium magis propinquum glorię Diuinę, & gloria Chriſti eſt maius bonum, quam gloria hominum, qui autem vult ordinatè prius vult medium magis propinquum. Quintò. Sequeretur, incarnationem fuiſſe bonum occaſionatum occaſione peccati.

Sextò. Chriſtus non fuiſſet primus prędeſtinatus, quia fuiſſet prędeſtinatus ex intentione efficaci dandi gloriam hominibus. Septimò. Amor Chriſti fuiſſet dependens ab amore Peccatorum; vnde potius Chriſtus eſſet electus in nobis, quam nos in Chriſto, contra illud. Ad Epheſ.1. *Elegit nos in ipſo.*

5 Secunda ſententia aſſerit, Incarnationem futuram, etiam ſi homo non peccaſſet, ſed diſcrepat à pręcedenti, quia vult, Deum in primo ſigno antequam decerneret producere aliquam creaturam, prędeſtinaſſe Chriſtum, in ſecundo prędeſtinaſſe Angelos, & homines, & in tertio decreuiſſe creationem omnium rerum. Ita Chaterinus *lib.*1.*de præd.Chriſti.* Pighius *lib.*8.*de liber. arbitr.* cap.1.

Digitized by Google

cap.1.art.8. Viguer capit.20. Inſtit.§.1.verſ.3. Mendoza quodlib.1.quæſt.1. Scholaſt. Rada parte 3. controu.5. artic. 3.

Probant. Prouerb. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio*, & explicatur à pluribus Patribus de ſapientia incarnata, ergo 2. Ad Corint.3. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti: Chriſtus verò Dei*, & ad Coloſſens.1. Chriſtus dicitur primogenitus omnis creaturæ, & in ipſo omnia eſſe condita, ergo. Chriſtus erit primum volitum, cum omnia alia ſint volita propter ipſum. Tertio. Nihil magis conducit ad gloriam Dei, quàm Incarnatio, ergo cum finis, propter quem omnia ſunt volita, ſit gloria Dei, illud eſt prius volitum, quod magis conducit. Quartò. Si prædeſtinatio Chriſti non fuiſſet facta ante præuiſionem originalis, Deus præuidiſſet ante ipſum omnes poſteros Adæ infectos, & etiam B. Virginem; nam in illo ſigno non fuiſſent merita Chriſti, quorum intuitu præſeruaretur, quod tamen eſt falſum.

6 Tertia ſententia aſſerit, Incarnationem non fuiſſe determinatam, niſi poſt abſolutam præuiſionem originalis, atque adeò non fuiſſe futuram, ſi homo non peccaſſet: ità D. Thom. 3.p.q.1.art.3. Caiet. Medina *ibidem*. Peſant. *diſput*.1.& 2. Cheliſſon. *dub*.1. Vaſquez *diſp*.10.*cap*.4. Raguſa *diſp*.18.§.9.& communiter Thomiſtæ.

7 Notandum primò. Certum eſſe, quod à parte rei nulla datur prioritas, aut poſterioritas in actibus Diuinis, ſed tantum ſecundum noſtrum modum concipiendi in ordine ad obiecta; in hac autem diſtinctione actuum non debet tribui Deo aliquid repugnans, quia ex habitudine ad diſpoſitionem obiectorum, non conſequitur alia implicantia.

8 Notandum ſecundò. Tunc haberi vnum actum, etiam ſi obiecta ſint plura, quando ſunt ita connexa, vt vnum non poſſit eſſe ſinè alio; quia tunc ſe habent per modum vnius, & ideò idem decretum terminatur ad ſubſtantiam rei, & ad ordinem, quem habet in diſpoſitione Vniuerſi. Quia tamē obiecta ſunt diuerſa, poſſumus idem decretum concipere inadæquatè in ordine ad vnum, & non in ordine ad aliud; inadæquatio autem in eo conſiſtit, quod decretum præciſiuè concipiatur abſq; terminatione ad aliud obiectum, ità tamen vt non habeat efficaciam expeditam ad ponendum obiectum in actu ex eo, quod ſit inadæquatum.

9 Notandum tertiò. Cum Deus velit omnia ex motiuo propriæ bonitatis; atq; adeò ea ordinando ad ſe ipſum vt vltimum finem, non poteſt habere decretum adæquatum de aliqua re, niſi terminetur ad hunc ordinem.

10 Notandum quartò. Aliud eſſe ordinare aliquid vt medium ad finem, & aliud vt efficiens ad operationem; Primum dicit eſſe tantum expetibile propter finem; ſecundum dicit dignitatem, quia facit cætera ſubordinari operanti, vt ea, quæ ab ipſo participant eſſe, vnde non eſt propter operationem, ſed eſt tanquam pars conſtitutiua ordinis cauſarum adminiſtrantium prouidentiam Diuinam.

11 Notandum quintò. Quandò operans mediante ſua operatione ordinatur in finem, non ſequi quod operatio ſit nobilior, quia ſit immediatior reſpectu finis: nam cum ſe habeat vt, *quo*, eſt tantum ratio ordinatiua inſeruiens operanti, & ideò operans nobiliori modo ſe habet.

12 Notandum ſextò. Chriſtum dupliciter fuiſſe ordinatum ad vltimum finem nempe, ſubſtantialiter ratione fruitionis beatæ, quam habuit ab inſtanti conceptionis, & accidentaliter mediante paſſione, quatenus per ipſam acquiſiuit gloriam accidentalem, iuxtà illud, Lucæ 24. Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.

13 Notandum ſeptimò. De fide eſſe, Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum, vt caput totius Eccleſiæ. Ad Coloſs. 1. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium primogenitus ex mortuis*. Ex hoc autem fit, vt debeat producere homines per influxum gratiæ ad finem ſupernaturalem, atque adeò ſuppoſito peccato eos redimere, cum redemptio ſit neceſſaria pro aſſequutione talis finis. Ex hoc tamen non fit, vt ſit medium reſpectu ſalutis humanæ, quia non ordinatur per modum medij, ſed per modum capitis ad ſuas operationes, & ideo ſalus humana eſt in gloriam Chriſti, & conſequitur ex eo, quod Chriſtus eo modo ſe ordinet in vltimum finem, quo vt caput ſe debet ordinare.

14 Notandum octauo. Si Adam non peccaſſet, non ſolum fuiſſet diuerſa diſpoſitio ab ea, quæ fuit poſt peccatum, ſed etiam ab ea, quæ fuit ante peccatum: nam in principio Mundi fuiſſet talis diſpoſitio, ex qua infallibiliter fuiſſet ſequuta perſeuerantia primi Parentis, vnde Adam non habuiſſet conſumationem gratiæ dependentem ab aliqua ſubleuatione.

15 Notandum nono. Non eſſe incompoſſibile, quod Chriſtus ſit prædeſtinatus ante præuiſionem peccati, & quod Incarnatio non fuiſſet futura, ſi homo non peccaſſet. Ratio eſt, quia cum Chriſtus habuerit duplicem ordinem ad vltimum finem, nempe ſubſtantialem, & accidentalem, potuit ſecundum vnum prædeſtinari ante præuiſionem peccati, & ſecundum aliud poſt præuiſionem: ità tamen, vt prior prædeſtinatio ſe habeat tantum præciſiuè à poſteriori, non negatiuè, & dicat inadæquatum decretum. Ex hoc autem fit, quod valeat arguere a negatione poſterioris prædeſtinationis ad negationem prioris ob connexionem, quam habent inter ſe ratione inadæquationis, & quia decretum antecedens non habet efficaciam expeditam.

16 Dico primo. *Vnionem hypoſtaticam cum natura humana fuiſſe determinatam à Deo in primo ſigno, in quo inſtituit ordinem gratiæ, atque adeò ante præuiſionem cuiuſcunq. peccati*. Probatur. Deus, vt homo, eſt primogenitus, vt habetur. Ad Rom. 8. Ad Coloſs.1, & in Conc. Sard. *Ep. ad omnes fideles*, & in Conc. Eph. *t.1.c.* 4.& 5. & vt docent communiter Patres, & ità eſt primogenitus, vt ſit caput corporis Eccleſiæ in omnibus primatum tenens, ergo Chriſtus vt homo, fuit prædeſtinatus in primo ſigno gratiæ ante præuiſionem peccati. Conſequentia probatur. Ante præuiſionem peccati fuit inſtitutus ſtatus adoptionis filiorum Dei, ergo vt Chriſtus fuerit primogenitus inter tot filios, debuit ipſi primo decerni filiatio Dei.

17 Dices Illum. Locum ad Coloſs. Intelligi de Chriſto quoad Diuinitatem, & dici primogenitum omnis creaturæ, quia eſt cauſa, cur creaturæ producantur ex nihilo, vt explicant plures Patres. Contra. Quia ab iiſdem Patribus explicatur etiam de Chriſto ſecundum humanitatem, & alio in loco non admittunt hanc explicationem, & locus ad Rom. & Concil. loquuntur de Chriſto, vt homine.

18 Dices ſecundo. Dici primogenitum inter homines, vt redemptos. Contra homines per redemptionem non generantur, ſed regenerantur, vnde baptiſmus dicitur regeneratio, ergo non eſſet verè primogenitus, quia ante ipſum ſupponeretur generatio per gratiam.

19 Dices tertio. Dici primogenitum ſolùm ratione dignitatis. Contra. Dignitas, licet faciat nobiliorem, non tamen facit primogenitum, ergo.

20 Dices quarto. Eſſe primogenitum, quia eſt filius Dei naturalis. Contra. Chriſtus eſt primogenitus ratione filiationis Diuinæ, ergo debet primum ipſi prædeſtinari filiatio Diuina, quàm deſtinaretur alteri gratia, alioquin non eſſet primogenitus.

21 Dico ſecundo. *Ante præuiſionem peccati Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum ſecundum ſubſtantiam, atque adeò ſecundum hanc humero humanitatem, non autem ſecundum rationem Redemptoris, nec ſecundum paſſibilitatem*.

Pro-

Digitized by Google

Probatur. Illud tantum debemus concipere volitum ante præuiſionem peccati, à quo dependet id, quod fuit determinatum ante eandem præuiſionem; quæ autem fuerunt determinata dependent tantum ad ſubſtātiam Incarnationis, repugnat enim Chriſtum poni vt Redemptorem ante præuiſionem peccati.

22 Dices. Hoc decretum repugnare Deo, quia terminaretur ad aliquid confuſum. Reſpond. nego anteced. Nam terminaretur ad Chriſtum, vt ex quo Eccleſiæ, & ad omnes circumſtantias, quæ pro illo ſigno ſunt neceſſariæ; vnde non terminatur ad aliquod confuſum.

Inſtabis. Perfecta prouidentia reſpicit media, finem, & omnes circumſtantias, ergo ex vi prouidentiæ, qua Chriſtus fuit prædeſtinatus, erat futurus in Mundo in tali tempore, in ordine ad talem finem, cum talibus circunſtātijs, atq; adeo paſſibilis; vel impaſſibilis. Reſpond. Id eſſe verum id prouidentia adæquatè conſiderata, vt eſt à parte rei, & hoc pacto nec præcedit, nec ſubſequitur præuiſionem peccati, ſed eſt ſimul; in ipſa poſſumus tamen diſtinguere diuerſa decreta inadæquata, vt iam diximus.

23 Dico tertiò. Si homo non peccaſſet, Verbum non fuiſſet incarnatum ex vi præſentis decreti. Probarur. Non poteſt ſciri, quid agens liberum ſit facturum circa ea, quæ ſunt in poteſtate ipſius, niſi eius voluntas manifeſtatur. Deus autem erat liber circa incarnationem, & ex manifeſtatione voluntatis illius habemus, quod incarnatio ſit facta ad tollendum peccatum, ergo. Minor probatur. Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat*. Marci 8. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis*. 1. Ad Thimot. 1. *Venit Ieſus peccatores ſaluos facere*. Et frequenter habetur incarnationem eſſe factam pro redimendis hominibus. Confirmatur. Patres docent quod verbum non fuiſſet incarnatum, ſi homo non peccaſſet. Aug. *ſerm*. 8. de verb. Chriſti. *Si homo non periſſet, filius hominis non veniſſet*, & ſerm. 9. *Nulla cauſa veniendi fuit, niſi peccatores ſaluos facere*. Ireneus 1. contra hæreſ. & 14. *Si non deberet caro ſaluari nequaquam Verbum Dei caro factum eſſet*. Athan. ſer. 3. contra Arrianos. *Non igitur propter ſe ipſum, ſed propter noſtram ſalutem aduenit*. Leo magnus in lib. 4. Rurſum cap. 1. *Si peccata deeſſent, Deum venire non oporteret*. Cyril. dialog. 5. de Trinitat. *Si non peccaſſemus, neque factus eſſet nobis ſimilis*. Et alij Patres ſimilia docent.

24 Dices. Incarnationem habuiſſe plura motiua adæquata, atque adeò ſublato vno remedio peccati, adhuc fuiſſet facta ex alio motiuo. Contra. Quia Patres docent, ſublata occaſione peccati non fuiſſe faciendam.

25 Dices aſſignari motiuum incarnationis in carne paſſibili. Contra. Patres abſolutè docent, Chriſtum non fuiſſe venturum, niſi fuiſſet peccatum.

26 Dices tertiò. Scripturam aſſignare finem extrinſecum, non autem intrinſecum; qui eſt intrinſeca bonitas incarnationis. Contra. Aſſignat id, ad quod fuit ordinata, ergo decretum incarnationis fuit cum ordine ad redemptionem, ergo non fuiſſet facta, niſi opus fuiſſet redemptione.

27 Dices quartò. Ordine intentionis fuiſſe intentam ante præuiſionem peccati, ordine verò exequutionis fuiſſe volitam poſt præuiſionem peccati in ordine ad remedium. Contra. Quia Patres aſſignant ſolum remedium peccati, ſine quo non fuiſſet incarnatio. Deinde ſemper eſt idem finis intentionis, & exequutionis.

28 Dico quartò. *Chriſtum, prædeſtinatum ſecundum ſubſtantiam, vt caput hominum, fuiſſe ordinatum per modum capitis ad influendum in membra poſt præuiſionem peccati influxu ſubleuatiuo, itaut ordinatio iſta fundetur in natura capitis ex eo, quod ad ipſum pertinet ſubleuare genus humanum*. Probatur. Chriſtus in ordine gratiæ habet rationem capitis, à quo eſt omnis influxus gratiæ. Ad Ephes. 1. ergo ità fuit ordinatus ad ſubleuanda membra, vt non habeat rationem medij, quia eſt contra rationem capitis eſſe medium ad ea, quæ pertinent ad membra.

29 Ad primum primæ ſententiæ negan. conſeq. Nam Chriſtus dicitur prædeſtinatus in gloriam noſtram, non vt finem, ſed quia ab ipſo prouenit vt à capite.

Ad ſecundum. Chriſtum petere clarificationem humanitatis, quæ ipſi conuenit ex eo, quod eſt Filius Dei, quatenus talis claritas debeat redundare etiam in humanitatem, vt explicant Patres, apud Toletum, in illum locum.

Ad tertium. Intelligi de vna viſione Diuinitatis quoad extrinſecam æſtimationem: ità Baſil. 4. *contra Eunom.* & alij Patres.

Ad quartum. Valere de medio magis propinquo, quando eſt ratio volendi media remotiora; reſpectu autem Dei ſola bonitas ipſius eſt ratio volendi.

Ad quintum negatur ſequela. Quia bonum occaſionale eſt illud, quod non habet propriam expetibilitatem, ſed tantum ex aliqua occaſione præſuppoſita. Ad ſextum Non procedere contra noſtram ſententiam, neq; abſolutè aliquid probat, quia prædeſtinatio eſt facta poſt præuiſionem peccati. Ad ſeptimum. Procedere, ſi Chriſtus fuiſſet volitus poſt peccatum præuiſum.

30 Ad primum ſecundæ ſententiæ, ſignificari tantum, quod prædeſtinatio Chriſti ſit facta ab æterno, non enim dicit antequam quidquam intenderet facere; ſed antequam faceret. Ad ſecundum. Chriſtum dici primogenitum omnis creaturæ, nempe illius, qua eſt capax filiationis, atq; adeò tantum in ordine gratiæ. Ad tertium. Supponi quod in Deo ſit duplex ordo intentionis, & exequutionis, quod tamen eſt falſum, vt ſuo loco oſtendimus. Ad quartum negatur ſequela. Quia prædeſtinatio Chriſti ſecundum ſubſtantiam fuit facta ante præuiſionem originalis peccati, & ſtatim poſt præuiſionem ipſius Chriſtus fuit prædeſtinatus vt Redemptor, antequam præuideretur peccatum originale actu contractum à poſteris, vnde quia præuidebatur ſolum vt contrahendum potuit Beata Virgo in virtute redemptionis præſeruari ab ipſo.

An Incarnatio ſit facta principalius propter remedium originalis.

SECTIO II.

31 Dicendum eſt. *Chriſtum veniſſe principalius in remedium originalis*, ita communiter cum D. Thoma. 3. *parte q. 1. art. 4.* & traditur à Caio Papa. *Epiſt. ad Felicem Epiſc.* & Leone Papa *epiſt.* 82. *ad epiſcopos Paleſtinæ cap.* 3. Probatur. Ad Roman. 5. & 1. Corinth. 15. Chriſtus vt Redemptor generis humani opponitur Adæ vt corruptori totius naturæ, ergo. Chriſtus principaliter venit ob remedium originalis.

32 Obijcitur. Peccatum actuale eſt grauius, cum plus habeat voluntarij, ergo. Reſpond. Peccatum actuale eſſe maius intenſiuè; non autem extenſiuè, neq; eſt malum naturæ, ſicut eſt originale, ſed perſonale.

Inſtabis. Peccata actualia ſunt plura, & extenduntur ad omnes, niſi aliquis ex ſpeciali priuilegio præſeruetur, ergo etiam extenſiuè ſunt quid maius. Reſpondetur. Eſſe plura, & extendi ad omne per accidens, nempe ratione liberi conſenſus; originale autem extenditur per ſe ratione propagationis, & eſt radix omnium peccatorum.

Digitized by Google

An Chriſtus veniſſet, ſi fuiſset originale ſine actuali, aut econtra.

SECTIO III.

33 QVæſtio procedit, quantum eſt ex vi præſentis decreti; non enim poſſumus ſcire, quid futurum fuiſſet ex vi alterius decreti, cum adſint congruentiæ pro vtraq; parte.

Prima ſententia aſſerit, quod ſi exſtitiſſet aut ſolum originale, aut ſolum actuale, Chriſtus non veniſſet: itá Cabrera 3.*p.q.*1.*art*.4. Probat cum ſolo remedio originalis pauci ſaluarentur, ergo cum Chriſtus venerit, vt omnes ſaluaret, non veniſset, ſi tantum extitiſſet originale.

Secundum. In Adultis non remittitur originale, niſi etiam remittatur actuale, ergo eo ipſo, quod Deus voluit remedium pro vno, voluit etiam pro altero.

Tertium. In eo ſigno, in quo eſt prædeſtinata redemptio, eſt etiam prædeſtinata paſſio Chriſti, ergo cum paſſio non potuerit prædeſtinari, niſi præuiſo peccato actuali Iudæorum, prædeſtinata eſt etiam in remedium actualis, nec potuit aliter prædeſtinari. Confirmatur. Peccatum originale non potuit præuideri, niſi cum dependentia ab actuali, vt in ijs, qui naſcuntur ex fornicatione, ergo non potuit prædeſtinatio redemptionis terminari ad originale independenter ab actuali.

34 Secunda ſententia aſserit, quod ſi extitiſset ſolum originale, Chriſtus adhuc veniſset; ſecus autem, ſi fuiſset ſolum actuale. itá Suar. *diſp.*5.*de Incarn. ſec.*6. Vaſquez *diſput.*13.*cap.*2. Raguſa *diſput.*33. Merat. *diſput.*9.*ſec.*3. & alij.

35 Dico primó. *Exiſtente ſolo originali Chriſtus adhuc veniſset ex vi præſentis decreti*. Probatur. Chriſtus fuit prædeſtinatus vt caput, ergo cum teneatur producere membra ad finem ſupernaturalem, debuit venire exiſtente ſolo originali. Hinc prima Corint. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, itá & in Chriſto omnes viuificantur*.

36 Dico ſecundó. *Redemptionem ab actuali peccato fuiſse virtualiter volitam in redemptione ab originali, & præuiſo actuali fuiſse ſimpliciter extenſam ad ipſum.* Probatur. Chriſtus ex vi præſentis decreti fuit prædeſtinatus vt caput, & redemptor ad perfecté ſubleuandum genus humanum, ergo cum non poſſit perfecté ſubleuari, ſi ſubleuetur á ſolo originali, debuit decretum redemptionis itá ad ipſum terminari, vt etiam terminaretur virtualiter ad actuale.

37 Dices. Quando eſt decreta redemptio, non præuidebantur actualia peccata, ergo non præuidebantur propagationes hominũ, quæ fuerunt dependenter á voluntate Adæ generandi, & hæc voluntas á meritis Chriſti, quia fuit bona voluntas, ergo non potuit decretum redemptionis terminari ad ipſa. Reſpondetur. Potuiſse terminari eo pacto, quo præuidebantur; præuidebantur autem vt virtualiter futura, quatenus fuit generaliter determinata propagatio hominum ex ipſo Adam.

38 Dico tertió. *Exiſtente ſolo actuali Chriſtus adhuc veniſset vt redemptor*. Probatur. Decretum Incarnationis eſt de Chriſto vt capite, atq; adeó de omni eo, quod pertinebat ad rationem capitis pertinet autem ad rationem capitis ſubleuare membra quocunq; modo indigeant. Exiſtente autem ſolo actuali, adhuc homo indiguiſset ſubleuatione.

39 Dices. Redemptio fuit decreta cum ordine ad tale peccatum, ergo. Reſpondetur nego anteced. Nam fuit tantum determinata pro indigentia generis humani; vnde cum adſit indigentia ex quocunq; peccato, ſiue actuali, ſiue originali; ex vi præſentis decreti haberetur redemptio exiſtente ſolo actuali.

Inſtabis redemptio terminet cum habitudine ad peccatum decretum Diuinum, ergo poſita diuerſitate in peccato ponitur etiam diuerſa habitudo in redemptione, atq; adeó terminat diuerſum decretum. Reſpondetur. Redemptionem terminare decretum cum habitudine ad indigentiam generis humani, quæ de facto fundatur in vtroque peccato; quocunq; tamen ablato remanet indigentia, & ideó habet ſuum motiuum redemptio.

40 Dico quartó. Si fuiſſent ſola venialia, Chriſtus non veniſſet ex vi præſentis decreti. Probatur. Præſens decretum habet pro obiecto Chriſtum vt reparatorem generis humani; tunc autem non habuiſſet locum reparatio, quia homo non receſſiſſet ab vltimo fine.

41 Ad primum negat. conſeq. Nam ſi fuiſſet ſolum originale omnes ſoluerentur cum remedio ſolius originalis, vnde argumentum ſupponit, quod exiſtẽte peccato actuali, Chriſtus non veniſſet ex vi præſentis decreti pro ſolo originali.

Ad 2. diſt. conſ. Eo ipſo, quod voluit remediũ pro vno voluit ẽt pro altero ratione ſubiectæ materiæ cócedo; ratione decreti, & nego; quia decretũ voluit ſubleuationem, quæ fuit tam ab originali, quam ab actuali, quia tunc vtraq; indigebat.

Ad 3. diſtin. conſeq; Redemptio prædeſtinata eſt in remedium, etiam actualis materialiter ratione ſubiectæ materiæ, concedo formaliter, nego, quia formaliter eſt prædeſtinata in ſubleuamentum generis humani, & conſequenter pro tota illa ſubleuatione, qua indigebat. Ad confirmationem diſt. anteced. Non potuit originale præuideri, niſi cum dependentia ab actuali vt contractum á particulari perſona; potuit tamen præuideri vt contrahendum in communi á ſingulis ſine tali dependentia; Deinde negatur conſeq. Quia hæc dependentia ſe tenet ex parte motiui materialis, non veró ex parte formalis, quod fuit vnicum nempe ſubleuatio á peccato, quodcunque illud ſit, & ideo ſiue hoc extitiſſet, ſiue illud, ſemper extitiſſet incarnatio.

DE CAVSA FORMALI Incarnationis, ſeu vnionis hypoſtaticæ.

DISPVTATIO LXXVII.

An vnio ſit facta in natura.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt. Cauſam materialem incarnationis fuiſſe naturam humanam, quia ipſa fuit eleuata ad ſubſiſtendum Diuino modo in perſona Verbi, non fuit autem neceſſaria aliqua gratia habitualis, vt communiter docent contra Alens. 3.*p.q.*7.*memb.*2.*ar.*1. quia natura redderetur capax, nam ſequeretur, quod fuiſset vnita mediante aliquo accidentali, atq. adeo non ſubſtantiali modo. Nec item fuit neceſsaria per modum ornamenti, vt voluerunt Gabriel *in* 3.*diſt.*2.*q.*3.*art.*1. D. Bonau. *q.*2. quia gratia non potuit præcedere vnionem hypoſtaticam: nam ſubſiſtentia Diuina perficit naturam humanã eo modo, & ordine, quo perficeret propria, natura autem perficitur prius per ſubſiſtentiam tanquam per complementum ſubſtantiale, quàm perficiatur aliqua accidentali cóplemẽto, cũ ſubſiſtentia ſit prior natura accidentibus.

2 Supponendum ſecundó. Euthychetam, vt vitaret errorem Neſtorij ponentis duas perſonas in Chriſto, poſuiſse tantum vnicam naturam, diſcrepant autem Auctores, quomodo voluerit, quod ex natura Diuina, & humana ſit facta vna natura, certum tamen eſt, quod in hoc errauerit quod poſuerit vnicam tantum naturã in Chriſto.

3 Di-

Digitized by Google

3 Dicendum eſt. Vnionē non eſſe factam in natura, ſed permanſiſſe in Chriſto naturam Diuinam, & humanam integras, & diſtinctas. Eſt de fide, & definitur in Concil. Epheſ. primo in Calced. *act. 3. præſertim in definit. fidei* in 5. Synodo *artic.* 1. *& collat.* 8. *& cantic.* 8. in 6. Synodo *artic.* 11. 13. *&* 18. in Lateranenſ *ſub Martino primo à canone* 4. *vſque ad* 9. in Florent. *in Litteris vnionis*, & in alijs. Deſumitur etiam ex Patribus ante hanc hæreſim exortam. Eutichiano Papa *Epiſt.* 1. Caio Papa *in Epiſt. quæ habetur tom.* 1. Concilior. Leone primo *Epiſt. ad Leonem Auguſtum* Gregor. Nyſſeno *contra Eunomium*. Baſil. *lib.* 1. *contra Eunom.* Athan. *hom. de ſantiſs. Deipara*. Dyoniſio *cap.* 7. *de cæleſti hierar.* & alijs.

4 Probatur. Ex ſcriptura habetur, Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem, vt ſuo loco vidimus; hoc autem ſaluari non poteſt niſi perſeueret natura Diuina, & humana. Confirmatur. Deus eſt immutabilis, ergo non poteſt fieri vnum cum natura humana ſiue per compoſitionem, ſiue per mixtionem, ſiue per conuerſionem in ipſam.

5 Obijcitur. Ioan. 1. Verbum Caro factum eſt, ergo. Reſpondetur ly *factum* non ſignificare conuerſionem, ſed vnionem cum carne.

6 Obiicitur ſecundò. Hæc vnio eſt ſimilis vnioni animæ, & corporis ex ſymbolo Athanaſ. ergo, & hac vnione fit tertia natura. Reſpondetur. Eſſe ſimilem, quatenus facit, quod extrema diſtincta coaleſcant in vnum ſuppoſitum; eſſe autem diſſimilem, quatenus non eſt per modum compoſitionis.

7 Obiicitur tertiò. Cyril. & Athanaſ. relati in Concil. Chalcedon. *act.* 1. aſſerebant, poſt vnionem non debere dici duas naturas, ſed vnam naturam Verbi incarnatam, ergo. Reſpond. ità fuiſſe loquutos, vt explicarent veram vnionem, qua natura Diuina, & humana vniebantur in vna perſona, vnde non dicebant ſimpliciter vnam naturam, ad vnam naturam incarnatam, quia Deus eſt incarnatus: hoc eſt vnitus carni in perſona Verbi.

8 Obiicitur 4. ex Damaſceno ca. 65. Dialect. *Illud ſcire attinet hypoſtaticam vnionem vnam rerum coniunctarum compoſitam naturam efficere*. Reſpondetur in græco non adeſſe nomen Vſiam, ſed Hypoſtaſim, & proinde non debuit transferri vnam naturam, ſed vnam perſonam, ſeù hypoſtaſim.

9 Quæres. An poſſit dici natura Diuina incarnata. Negant Damaſcenus 3. *fidei capit.* 3. & Nicetas 3. *Theſauri cap.* 11.

Affirmant autem Bernard. *ſerm.* 1. *de paſſione*. Aug. 1. *de Trinit. cap.* 7. *&* 34. Nazian. *orat.* 1. Leo Papa *Epiſt.* 10. & plures ſcholaſtici cum D. Thom. 3. *parte quæſt.* 2. *art.* 2. *ad* 3. quia ad verificandam hanc propoſitionem ſufficit, ſi Deitas communicet aliquo pacto cum carne.

An vnio ſit facta in Perſona.

SECTIO II.

10 NEgant hæretici Carpocrates, Gnoſtici, & Tonitæ, Theodotus, Biſantius, Samoſatinus, & Neſtorius, qui hanc hæreſim propugnauit; ponebant enim in Chriſto duplicem perſonam Diuinam, & humanam, atq; adeò Deum ſe communicaſſe illi homini tantum ſecundum ſpecialem affectum. Hunc errorem ſequutus eſt etiam Theodoretus, vnde damnatus fuit in 5. Synodo; ſed poſtea retractauit errorem.

11 Dicendum eſt. *Chriſtum eſſe vnam tantum perſonam, atq. adeo vnionem factā eſſe in perſona*. Eſt de fide ex Symbolo Apoſtolor. Nicæno, Athanaſij, Concil. Epheſ. *cantic.* 2. *&* 4. Chalced. *articol.* 1. Sexta Synodo *act.* 9. & paſſim in alijs Concil. definitum, & traditur communiter à Patribus. Dyon. *Epiſt. ad Caium* Cyril. Hieroſolim. *cathech.* 11. Athanaſ. *orat. contra Arrianos.* Baſil. *Epiſt.* 65. Hilario 9. *de Trin.* Amb. 2. *de fide cap.* 4. Auguſt. 13. *de Trin. cap.* 17. & alijs.

Probatur. In ſcriptura, quando fit mentio de Chriſto vt homine, de eodem dicitur, quod ſit Deus, quod non eſſet verum, niſi eſſet vna perſona. Ioan. 9. *Tu credis in filium Dei, quis eſt domine, vt credam in eum, dixit ei Ieſus, & vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt*. Lucæ 1. *Quod, ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei*.

12 Obiicitur. Ioan. 2. *ſoluite templum hoc*, ergo perſona Diuina, & homo poſſunt inuicem ſolui. Reſpond. Nomine templi intelligi humanitatem, quę eſt ſolubilis per ſeparationem animę à corpore.

13 Obiicitur ſecundò. Act. 10. Deus dicitur fuiſſe cum Chriſto, ergo Chriſtus erat perſona diſtincta. Reſpondetur; quando dicitur, Deus eſſe cum Chriſto homine, intelligi de Deo Patre, iuxtà illud Ioan. 7. *Ego non ſum ſolus, ſed Pater mecum eſt*.

14 Obiicitur tertiò. Ad Philip. 2. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, ergo induit hominem extrinſeco modo ad modum veſtimenti. Reſpondetur. Nomine ſimilitudinis intelligi ſpeciem humanam; dicitur autem habitu inuentus vt homo, quia extrinſecè apparebat tantum homo.

15 Obiicitur quartò. Act. 2. *Certiſſimè ſciat omnis domus Iſrael, quia & Dominum meum, & Chriſtum fecit Deus hunc, quem vos crucifixiſtis*, ergo ſi factus eſt Deus, & Dominus, non erat filius Dei.

Reſpondetur. Id dici ratione humanitatis, quatenus aſſumpta eſt ad communicandum in Dominio cum filio Dei naturali.

16 Obiicitur quintò. Vnio non eſt facta realiter in natura, ergo nec etiam in perſona, quia natura, & perſona non diſtinguuntur realiter in Deo.

Reſpondetur. Eſſe factam in Diuina entitate, quæ eſt realiter natura, & perſona, quia tamen ratio vniendi eſt ratio perſonæ, ideò dicitur facta in perſona, non in natura.

17 Ex dictis colligitur. Vnionem non ſolum factam fuiſſe in perſona, ſed etiam in ſuppoſito, vt communiter docent cum D. Thom. 3. *p. q.* 2. *art* 3. & eſt de fide definitum in quinta Synodo *can.* 5. vbi Damnantur ponentes in Chriſto duas ſubſiſtentias.

18 Colligitur ſecundò. Terminum vnionis hypoſtaticæ eſſe perſonam, vt docent communiter contra Durand. *in* 3. *diſt.* 5. *q.* 2. Quia Incarnatio eſt ordinata ad vniendum Verbum cum natura humana; vnde id, in quo facta eſt vnio, eſt terminus.

19 Colligitur tertiò. Chriſtum poſſe dici perſonam humanam; vt docent Damaſcen. 3. *fidei cap.* 11. Ambroſ. *Epiſt.* 40. Diuus Thoma 4. *contra Gentes cap.* 49. Ratio eſt, quia perſona eſt ipſa natura incōmunicabiliter ſubſiſtens, natura autem humana ſubſiſtit in Chriſto incommunicabiliter.

An vnio naturarum in Chriſto ſit ſubſtantialis.

SECTIO III.

20 DIcendum eſt. *Eſſe ſubſtantialem*; ita communiter contra Durand. *in* 3. *diſt.* 6. *q.* 4.

Probatur ex Concil. Alexand. in Epiſt. quæ eſt 10. inter Epiſt. Diuo Cyril. Alex. Anathematis 2. *Si quis non confitetur carni ſecundum ſubſtantiā vnitum Dei Patris Verbū, anathema ſit*, & hic canon approb. etiam in concil.

Ephæſ. & in Concil. *Lateran. ſub Martino primo Conſul. 5. can. 6.* Si quis *ſecundum Sanctos Patres non confitetur propriè, & ſecundum veritatem in duabus, & ex duabus naturis ſubſtantialiter vnitis, &c.* Ratio eſt. Quia extrema, quæ vniuntur, ſubſtantialia ſunt, & ſubſtantiali modo ſibi inuicem communicant; nam perſonalitas Diuina perficit ſubſtantiali modo naturam humanam. ergo

21 Obijcitur. Quod aduenit enti in actu completo, non poteſt ipſi vniri ſubſtantialiter; humanitas autem aduenit Verbo, quod eſt ens ſummè completum. Reſpondetur. Quod aduenit enti in actu, non poteſt vniri ſubſtantialiter, ſi vtrumq; ſe habeat per modum actus; ſecus autem ſi vnum ſe habeat per modum potentiæ, vt in caſu noſtro: nam humanitas ſe habet potentiali modo.

22 Inſtabis. Humanitas eſt omnino extra rationem Verbi, ità vt poſſit adeſſe, & ab eſſe præter illius corruptionem, ergo accidentali modo vnitur.

Reſpondetur negando conſequentiã. Quia cum dicitur, accidens poſſe adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem, per ſubiectum intelligitur eſſe primarium, quia, cum accidens ſit entis ens, importat tantum eſſe ſecundarium, humanitas autem licet ſit extra Verbum, non tamen eſt extra eſſe primarium illius ſuppoſiti, quod eſt Chriſtus; nam pertinet ad conſtitutionem ſubſtantialem ipſius, & per abſentiam ipſius deſtruitur ille modus ſubſiſtendi, quo vna perſona ſubſiſtit in duabus naturis.

23 Quæres. An hæc vnio poſſit dici naturalis. Reſpondetur affirmatiuè, quatenus naturale contradiſtinguitur ab artificiali, & morali, ad ſignificandum eſſe vnionem phyſicam, & realem, & ità dicitur in Epiſt. *ad Concil. Alex. Anathem.* 3. quæ eſt approbata à Concil. Epheſ. & à 6. Synodo *in Epiſt. ad Sophron.*

24 Quæres ſecundò. An poſſit dici eſſentialis. Reſpondetur affirmatiuè, non quia ſit vnio eſſentiarum, ſed quia eſt vnio per ſe in genere ſubſtantiali, & quia facit eſſentias inuicem communicare in eodem modo ſubſtantiali, & ità appellatur à Nazianzeno *Epiſt. 1. ad Cletum*, & Damaſ. 3. *fidei c. 3.* non eſt tamen dicenda ſimpliciter naturalis, & eſſentialis, niſi ex circumſtantiis conſtet, in quo ſenſu dicatur.

An hæc vnio ſit omnium maxima.

SECTIO IV.

25 QVeſtio procedit de hac vnione comparata ad alias vniones, quę fiunt per compoſitionem; vnde non comparatur ad vnitatem Diuinarum perſonarum in vna eſſentia, quia hæc eſt vnitas per identitatem. Certum eſt autem excedere alias vniones, quatenus eſt magis admirabilis, vt loquitur Cyril. *in Scholijs de Incarn. cap. 7.*

26 Prima ſententia aſſerit, ſecundum rationem vnionis non eſſe omnium maximam; ſed tantum ſecundum dignitatem: ità Durandi *in 3. diſt. 5. quæſt. 3. numer. 7.* Probatur. In vnione materiæ, & formæ non ſolum fit vnum in ſuppoſito, ſed etiam in natura, ergo iſta eſt maior.

27 Secunda ſententia aſſerit, eſſe omnium maximam, non ſolum in ratione illius, in quo fit vnio, ſed etiam ratione extremorum, ità Paludanus *in 3. diſt. 5. quæſt. 3. art. 3.* Caiet. *3. part. quæſt. 2. art. 9.* Probant. Vnio hypoſtatica difficilius ſoluitur, cum ex natura ſua ſit æterna, vt ait Leo Papa *ſerm. 17. de paſſione*, ergo eſt maior.

Secundò. In hac vnione alterum extremum eſt perſona Diuina, quæ eſt ſimpliciſſima, atq. adeò magis vnibilis alteri extremo. ergo

Tertiò. In nulla alia vnione extrema de ſe inuicem prædicantur, ſicut in iſta; nam Deus eſt homo, & homo eſt Deus, ergo. Quartò. Hæc vnio eſt ex natura, & ſubſiſtentia, quæ etiam reperitur in Angelis, in quibus non reperitur vnio ex materia, & forma, ergo eſt maior, cum magis accidat ad ſimplicitatem.

28 Tertia ſententia aſſerit, eſſe omnium maximam non ratione extremorum, ſed ratione illius, in quo facta eſt vnio, ità Diuus Thomas 3. *parte quæſtione 2. art. 8. &* communiter.

29 Dico primò. *Extrema vnionis hypoſtaticæ, videlicet naturam Diuinam, & humanam, non maximè vniuntur.* Probatur. Non maximè communicant in eſſendo, cum remaneant impermixta, nec componant tertiam naturam; vt materia, & forma. ergo

30 Dico ſecundò. *Si conſiderentur extrema, quæ immediatè vniuntur, videlicet perſona Diuina, & natura humana, neque eſt maxima vnio.*

Probatur. Perſona ſupereſcludit capacitatem naturæ, in aliis autem vnionibus extrema ſunt inuicem commenſurata, quæ autem vniuntur vt ſibi inuicem commenſurata, magis vniuntur. Tum quia adæquatè vniuntur. Tum quia vniuntur ſecundum poſitiuam aptitudinem, quam habent ad vniri.

31 Dico tertiò. *Eſſe omnium maximam, ſi conſideretur id, in quo vniuntur natura Diuina, & humana.*

Probatur. Quando aliqua vniuntur in tertiò, eadem vnitate vniuntur, quam importat illud tertium, ergo cum hæ naturæ vniantur in perſona Diuina, quæ eſt ſimpliciſſima, vniuntur maximâ vnitate.

32 Dices. Etiam accidentia vniuntur cum Chriſto in eadem vnitate ſuppoſiti, ergo. Reſpond. Non vniri, niſi mediante ſubiecto, vnde vnio ipſorum eſt ſecundum menſuram ſubiecti.

33 Ad fundamentum primæ ſententiæ negatur aſſumptum. Nam ex vi vnionis materiæ, & formæ fit tantum vnum in natura, non in ſuppoſito.

34 Ad primum ſecundæ ſententiæ. Hanc vnionem eſſe æternam, & difficilius ſolui, non ex natura ſua, ſed ex Chriſti voluntate, & ideò ex hoc capite non excedit.

Ad ſecundum negat. conſequent. Nam ſimplicitas extremorum non confert ad vnionem, quæ menſuratur tantum ex modo, quo extrema ſibi inuicem communicant. Ad tertiũ. Ideò extrema de ſe inuicem prædicantur, quia vniuntur in vnitate ſuppoſiti, & ideò eſt maxima in ratione illius, in quo fit. Ad quartũ. Licet vnio hæc ſit vnio ex natura, & ſubſiſtentia, quia tamen ſubſiſtentia eſt aliena, & infinita, habet minorem vnibilitatem.

35 Quæres. An ſit omnium maxima in ratione beneficii, & boni. Reſpondent communiter affirmatiuè cum Diuo Thoma 3. *parte quæſt. 2. artic. 10. ad 1. & artic. 11.* Ratio eſt. Quia, cum vnio ſit quædam communicatio, attenditur, quod per ipſam communicatur, in hac autem vnione communicatur id, quod eſt omnium maximum, nempe eſſe Diuinum ſecundum eſſe reale, & non ſecundum eſſe intentionale vt in beatitudine, vnde hoc donum trahit ſecum ex natura rei omnia alia dona iuxtà id. Ad Rom. 8. *Qui proprio filio non pepercit, quomodo non omnia cum illo nobis donantur.*

Quid dicat vnio hypoſtatica.

SECTIO V.

36 PRima Sententia vult, eſſe modum ſubſtantialem ſuperadditum naturæ, & ab ipſa diſtinctum, qui ſubiectetur in ipſa natura, & terminetur ad Verbum: ità Vaſquez *diſputation. 18. de Incarnat. capit. tertiò* Suarez *diſputat. 8. ſection. 2.* Raguſa *diſputation. 39. §. 6.* Hurtad. *diſp. 21. ſect. 2. & ſequentibus*, & ferè communiter Recentiores. Probant. Incarnatio eſt actio communis toti Trinitati, vt habetur in cap. *Firmiter De ſum. Trinit.*

Digitized by Google

nit. Ergo cum omnis actio debeat habere ſuum terminũ, nec poſſit eſſe in hac actione, niſi modus vnionis, debet dari talis modus; vnde in V. Synodo *act. vlt. can.* 5. *&* 8. definitur, factam fuiſſe vnionem. Secundò. Non poteſt humanitas de non vnita fieri vnita ſine aliqua mutatione intrinſeca, cum non poſſit dari denominatio de nouo ſine forma de nouo, ergo ſine nouo modo vnionis non poteſt fieri vnita.

Tertiò poteſt exiſtere humanitas, & non vnita verbo, ergo quod ſit vnita, dicit aliquid ſuperadditum. Quartò. Humanitas, & Verbum poſſunt ſeparari realiter ab vnione, ergo vnio eſt aliquid realiter ab ipſis diſtinctum.

37 Secunda ſententia aſſerit, humanitatem vniri Verbo ſe ipſa ſine nouo modo vnionis ſuperaddito, & deinde reſultare relationem, qua humanitas refertur vt vnita ad Verbum, ita Scotus *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. Ocham. *ibidem.* Durand. *diſt.* 5. *quæſt.* 2. Baccon. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 1. Capreol. *art.* 5. Arim. *in* 4. *diſt.* 28. *quæſt.* 2. Caiet. 3. *p. quæſt.* 2. *art.* 7. Aluar. *diſp.* 13. *de Incarn.* & deſumi ex D. Th. 3. *part. quæſt.* 2. *art.* 7. dum ponit ſupra extrema vnita ſolam relationem.

38 Notandum primo. Cum de fide ſit, humanam naturam eſſe verè vnitam Verbo, oportet etiam concedere veram rationem vnius, qua Chriſtus conſtituatur in eſſe vno, & ideo debet dari eſſe vnitum; cum hoc vſum non ſit tale per ſimplicitatem. Cum autem non poſſit dari effectus formalis ſine cauſa formali, non poteſt dari hoc eſſe vnitum ſine vnione, cum vnio ſit ratio formalis, ex qua conſurgit vnitum.

39 Notandum ſecundò. Extrema, quę vniuntur vnione, per ſe habere intrinſecam vnibilitatem, qua inuicem poſſunt coaptari per modum actus, & potentiæ, vel alio modo; hæc autem vnibilitas importat communicabilitatem, qua viciſſim poteſt vnum alteri ſe communicare; quia autem ſecundum determinatas rationes ſibi inuicem communicant, ideo hæ rationes ſunt communicabilitas extremorum.

40 Notandum tertiò. Licet natura humana, & Verbum non ſint extrema ex natura ſua ordinata ad vnionem, adhuc tamen proportionaliter requiritur in ipſis vnibilitas; natura enim ratione potentiæ obedientialis ſub ratione naturę eſt terminabilis à Verbo, & Verbum poteſt exercere reſpectu ipſius rationem termini, & ſe illi communicare ſub ratione perſonalitatis.

41 Notandum quartò. Quando aliquid conuenit in genere formali, non indigere aliquo ſuperaddito, vt ponat aliquid de nouo à parte rei, ſed ſufficit, ſi ſe ipſum exhibeat, quia cum ſit formaliter tale, ex vi communicationis ſui ipſius facit aliquid conſurgere, vt eſt effectus formalis reſpectu cauſæ formalis; hæc autem communicatio non eſt aliquid ſuperadditum rei communicatę, ſed ſolum dicit, quod ſe exhibeat vt perfectiuum perfectibili.

42 Dicendum eſt. *Vnionem hypoſtaticam non eſſe modum ſubſtantialem ſuperadditum naturæ, ſed extrema ſe ipſis formaliter vniri ex vi communicationis, qua ſibi inuicem communicant in ratione naturæ, & termini perſonalis*. Probatur: Extrema ſe ipſis formaliter ſunt rationes vniendi, ergo, ſe ipſis vniuntur. Anteced. probatur. Vnio non eſt aliud, quàm communicatio extremorum, qua ſibi inuicem communicant, ergo illud eſt ratio vniendi, quod eſt ratio communicandi; in vnione autem hypoſtatica, quæ eſt ratio naturæ, & termini perſonalis, extrema ſunt rationes communicandi, nam natura ex intrinſeco ſuo eſt communicatiua ſui ipſius ſub ratione naturæ, & perſonalitas ſub ratione perſonalitatis. Conſeq. probatur. Nam quæ ſunt talia vt, *quo*, ſe ipſis habent ſuum actum, ſic quia actio eſt ratio agendi, ſe ipſa ſit ab agente. Confirmatur eſſe vnum per ſe ex vi vnitionis, eſt habere vnum eſt, quia vnum eſt paſſio entis; vnde conſurgit ex eo, quod ponatur vna ratio eſſendi. Sed extrema, quę per ſe vniuntur, ſiunt vna ratio eſſendi per id formaliter, quod communicant in eſſendo, & per id communicant, quod vnum perficiat aliud, ergo cum vnum perficiat aliud ſe ipſo formaliter, etiam ſe ipſo vnitur, & communicatur.

43 Secundò probatur. Vnio iſta, ſi eſſet modus ſuperadditus, non poſſet vnire Verbum, quia vnit vt cauſa formalis: quæ non tribuit ſuum effectum, niſi illi, in quo ſubiectatur. ergo

44 Dices vnire Verbum terminatiuè. Contra Non poteſt vnire, niſi in genere cauſæ formalis, atque adeo niſi ſe ipſum exhibeat per modum actus.

45 Dices ſecundò. Eſſe cauſam formalem extrinſecam. Contra. Vnire eſt effectus vniuocus vnionis; effectus autem vniuocus cauſæ formalis, non poteſt eſſe à cauſa formali extrinſeca, quia identificatur cum ipſo.

46 Dices tertiò. Verbum vniri eſſe effectum ſecundarium vnionis. Contra. Effectus formalis ſecundarius cauſæ formalis non poteſt eſſe vniuocus. Deinde eſſet idem cum effectu, quam exhiberet humanitati, qui eſt effectus primarius.

47 Ad primũ. Incarnationem eſſe actionem communicatiuam; non autem productiuam, quia per ipſam ſolum Verbum communicatur naturæ humanæ, quę nõ eſt propropriè actio, quia eſt tantum communicatio termini exiſtentis; dicitur autem eſſe à tota Trinitate, quia eſt à voluntate totius Trinitatis; dicitur autem Verbum factum caro, quia per illam actionem, qua producta eſt humanitas, non eſt producta quomodocumque, ſed ad ſubſiſtendum in verbũ, & ob hanc cauſam dicitur vnio fieri. Ad ſecundo nego conſeq. Nam quod humanitas de non vnita fiat vnita, recipit mutationem ſubſiſtentiæ, quia ex non habente ſubſiſtentiam diuinam fit habens. Ad tertium. diſting. conſeq. humanitatem eſſe vnitam Verbo, dicit aliquid amplius, quàm exiſtere hoc tempore, &c. non quia dicat aliquem modum ſuperadditum; ſed quia dicit, quod perficiatur ſubſiſtentia Verbi, & ab ipſo ſubſtentetur quod ſit perſonalem exhibitionem ſubſiſtentię. Ad quartũ. Ea realiter diſtingui, quæ ſunt ſeparabilia ſeparatione immediata ſeu ratione ſui; ſecus autem, ſi ſeparatione mediata, & ratione alterius; vnio autem ſeparatur ab humanitate, & Verbo non ratione ſui, ſed quia Verbum, & humanitas ſeparantur ad inuicem.

48 Ex his colligitur. In humanitate reſultare relationem prædicamentalem, qua vt vnita refertur ad Verbum, cuius fundamentum proximum eſt communicatio humanitatis in ſubſiſtentia Verbi, ratione cuius humanitas habet ſpecialem ordinem ad Verbum.

DE ASSVMPTIONE.

DISPVTATIO LXXVIII.

Quid de humana natura aſſumpſit.

SECTIO I.

1 DIco primò. *Aſſumpſiſſe verum corpus humanum*. Eſt de fide contra Cerdonem aſſerentem aſſumpſiſſe corpus phantaſticum, quem ſecuti ſunt Marcion, & Priſcillianiſtæ. Definitur autem in Concil. Epheſ. *can.* 2. *&* 5. in Toletano 1. *in confeſſ. fidei*, & in Later. vt refertur in Cap. *Firmiter*. Probatur: Ioann. 1. *Verbum caro factum eſt*. Ad Hebr. 7. *Semen Abraæ apprehendit*.

2 Obijcitur ſecundò Corint. 5. *Et ſi cognouimus ſecundum carnem, ſed iam non nouimus*: hoc eſt, vt explicat Fauſtus Manicheus, exiſtimauimus Chriſtum habere veram carnem, ſed iam mutauimus ſententiam. Reſpondetur.

Digitized by Google

tur. Intelligi de cognitione,quam habuit de Chriſto ante conuerſionem,qua putabat eſſe purum hominem, iudicans ſecundum carnem, hoc eſt ſecundum ſenſum. Deinde ait, *ſed iam non nouimus*,quia non amplius iudicabat ſecundum ſenſum.

3 Dico ſecundò. *Corpus aſſumptum Verbo fuiſſe terrenum, formatum ex Virgine*. Eſt de fide contra Valentinum, qui voluit fuiſſe corpus aereum,definitum in Cõcil. Chalcid. *in confeſ.* 2. *fidei*.

Prob. Lucæ 1. *Quod enim ex te naſcetur Sanctum*, & Ad Rom. 1. *Qui factus eſt ei, ex ſemine Dauid ſecundum carnem*.

4 Obijcitur 1. Corinth. 15. *Primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cælo cæleſtis*. ergo Reſpondetur dici de cælo cæleſtem ratione diuinitatis, vt explicat Nazian. Epiſt. 1. ad Petr. & Aug. 13. *de Trin. cap.* 23. Vel etiam ratione conceptionis ſuper naturalis.

5 Dico tertiò. *Verbum aſſumpſiſſe veram animam rationalem, ſeu mentem*. Eſt de fide contra Arrianos dicentes, Verbum fuiſſe in Chriſto loco mentis, & Apollinarem,qui licet concederet animam,negauit omnem mentem. Probatur Ioann. 3. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi*. Deinde eſt de fide, quod fuerit Deus homo. ergo

6 Obijcitur. Eſſet in Chriſto quaternitas, quia eſſet in ipſo Corpus, Anima, Natura diuina, & Perſona. Reſp. neg. ſequel. Quia numerus attenditur ſecundum perſonam, quę eſt vna.

7 Dico quartò. *Chriſtum aſſumpſiſſe corpus, & animam, prout conſtituebant vnam naturam*. Eſt de fide ex Conc. Epheſ. *can.* 13. & vj. Synodo *in Epiſt. ad Sophron.* vbi definitur, Verbum aſſumpſiſſe carnem animatam anima rationali. Probatur: ſine vnione partium non adeſt vera natura humana, ergo cum ſit de fide aſſumpſiſſe veram naturam humanam, debuit aſſumere partes vnitas.

8 Dico quintò. *Naturam humanam aſſumptam à Verbo fuiſſe ſingularem*. Eſt de fide, quatenus eſt de fide, Chriſtum fuiſſe hunc hominem ſingularem genitum ex Virgine. Probatur: Quia Chriſtus fuit homo diſtinctus à cæteris.

9 Dico ſextò. *Non fuiſſe conueniens, quod aſſumeret naturam in omnibus indiuiduis*. Ita D. Thom. 3. *part. quæſt.* 4. *art.* 5.

Probatur; quia tolleretur ordo gratiæ adoptionis, nam omnes eſſent filij Dei naturales; & multitudo quoq; ſuppoſitorum.

10 Dico ſeptimò. *Fuiſſe conueniens, quod aſſumeret naturam ex ſtirpe Adæ*. ità D. Thom. 3. *p. quæſt.* 4. *art.* 6. Probatur: Quia pertinet ad iuſtitiam, vt qui peccauit, etiam ſatisfaciat.

11 Obijcitur. Si non aſſumpſiſſet de ſtirpe Adæ, eſſet magis ſegregatus a peccatoribus, quod eſt magis conueniens. Ad Heb. 7. *Talis decebat, vt eſſet nobis Pontifex, ſegregatus à peccatoribus*. Reſpondetur debuiſſe eſſe ſegregatum quoad culpam,non quò ad naturam,in qua debuit aſſimilari. Ad Heb. 2.

12 Dico octauò. *Verbum non aſſumpſiſſe perſonam*, Ita communiter cum D. Thom. 3. *p. q.* 4. *ar.* 2. Probatur: perſona humana nec permanſit, nec præceſſit in humanitate Chriſti, ergo non potuit aſſumi.

13 Obijcitur ex Innoc. in quadam decretali. Perſona Dei conſumpſit perſonam hominis, ergo. Reſpondetur. Conſumpſiſſe non deſtruendo, ſed impediendo, ne reſultaret.

14 Quæres. An poſſit dici, Verbum aſſumpſiſſe hominem. Reſpondetur negatiuè, cum ita decernat Concil. *Epheſ. can.* 8. Homo enim ſignificat naturam vt ſubſiſtẽtem in ſuppoſito; ſi tamen nomine hominis ſignificetur natura,vt completa,poteſt vſurpari iſta propoſitio, ſicut vſurpauit Concil. *Tolet.* 6. *can.* 1. & Tolet. 11. *in Confeſſ. fidei*.

15 Quæres ſecundò. An poſſit dici, quod in Chriſto ſint tres ſubſtantiæ; nempe natura diuina, corpus, & anima. Reſpondetur poſſe abſolutè dici, quia licet corpus, & anima vniantur, retinẽt tamen ſuã ethereogeneitatem; vnde vſurpatur hæc propoſitio à Concil. *Tolet.* 11. ab Aug. 13. *de Trin. cap.* 17. Gelaſio *lib. de duabus naturis*, oppoſitum tamen ſentit Damaſcenus 3. *fidei cap.* 16.

An Verbum aſſumpſerit hypoſtaticè ſanguinem.

SECTIO II.

16 Certum eſt. Verbum aſſumpſiſſe corpus integrum, atque adeo omnes partes, quæ pertinent ad integritatem,cum ſit perfectus homo ex Symbolo Athan. Concil. Chalcid. *act.* 1. v. Synodo *act.* 8. *can.* 4. & 11.

17 Supponendum eſt. Dari duplicem modum aſſumptionis; videlicet. In hypoſtaſi; & ſecundum hypoſtaſim. Primus dicit,quod id, quod aſſumitur, non vniatur immediatè cũ hypoſtaſi Verbi, ſed tantũ cũ eo quod immediatè vnitur. Secundus quod id, quod aſſumitur, terminetur immediatè hypoſtaſi Verbi. Certum eſt autem. Verbum aſſumpſiſſe ſecundum hypoſtaſim omnes partes, quæ informantur anima rationali, cum aſſumpſerit ſecundum hypoſtaſim naturam humanam,atq; adeo corpus humanum; vnde difficultas eſt de nonnullis alijs partibus.

18 Prima ſententia aſſerit, ſanguinem non fuiſſe aſſumptum ſecundum hypoſtaſim, ſed tantum in hypoſtaſi. Ita Durand. *in* 4. *diſt.* 10. *quæſt.* 1. Gabriel. *lect.* 53. *in canonem miſſæ*. Probant: ſanguis non eſt pars animalis ex Ariſt. 2. *de partibus animalium cap.* 10. nec eſt animatus, ſed eſt tantum in venis ſicuti in vaſe. ergo. Secundò. Sanguis eſt vltimum alimentum: vnde nondum eſt conuerſus in ſubſtantiam viuentis, ergo non eſt aſſumptus. Tertiò. Si fuiſſet aſſumptus, ratione communicationis idiomatum Verbum eſſet ſanguis, eſſet effectum in paſſione, &c.

19 Secunda ſententia ait, alium eſſe ſanguinem nutrimentalem,qui nondum eſt benè concoctus, nec eſt pars animalis, & hunc non fuiſſe aſſumptum: alium verò eſſe ſanguinem vitalem,qui eſt perfectus, & animatus, & hunc fuiſſe aſſumptum. Ita Caiet. 3. *part. quæſt.* 54. *artic.* 2. Aluar. *diſput.* 28. *de Incarnat.* Syluester in *Roſa aurea quæſt.* 35.

20 Tertia ſententia aſſerit, ſanguinem fuiſſe vnitum ſecundum hypoſtaſim,quando erat intra corpus,non autem quando in triduo mortis manſit effuſus, quia tunc definit eſſe pars. Ita Mayronius *in* 4. *diſt.* 43. *q.* 1. Richardus *in* 3. *diſt.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1.

21 Quarta ſententia ait, totum ſanguinem fuiſſe vnitum ſecundum hypoſtaſim, etiam in triduo mortis, ita D. Th. 3. *part. quæſt.* 38. *art.* 1. Capreol. *in* 4. *diſt.* 10. *quæſt.* 1. *art.* 3. Maior. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. Sotus *in* 4. *diſt.* 10. *quæſt.* 1. *art.* 2. Suar. *diſp.* 15. *de Incar. ſect.* 6. Vaſq. *diſp.* 37. c. 4. Raguſa *diſp.* 60. & alij.

22 Dico primò. *Totum ſanguinem Chriſti fuiſſe vnitum Verbo ſecundum hypoſtaſim*. Probatur: ſanguis ſecundum ſe totum eſt pars humanæ naturæ, & de neceſſitate ipſius, non ſolum vt proximum nutrimentum, ſed etiam ob alia munera animaſtica exercenda, vnde in Trid. *ſeſſ.* 13. *can.* 3. definitur, ſanguinem eſſe ſub ſpeciebus panis ob naturalem connexionem, & concomitantiam, qua partes Chriſti domini inter ſe copulantur, ergo fuit aſſumptus ſecundum hypoſtaſim, quia Verbum aſſumpſit ſecundum hypoſtaſim humanam naturam ſecundum totam integritatem ipſius.

23 Dico ſecundò. *Sanguinem Chriſti remanſiſſe vnitũ hypoſtaticè in triduo mortis*.

Probatur: Tota humana natura in triduo mortis manſit vnita hypoſtaticè ſecundum ſuas partes, ergo etiam ſanguis,cum antea fuerit vnitus.

24 Dico ſecundò. *Suppoſito, quod remanſerit apud nos*

Digitized by Google

nos aliquid de ſanguine Chriſti, non remanet hypoſtaticè vnitus. Eſt contra Valentiam 3. *part. diſput.* 1. *quæſt.* 5. *punct.* 1. Probatur: Ille ſanguis non eſt amplius pars corporis Chriſti, ergo nec vnitus hypoſtaticè, quia in tantum conuenit vniri, in quantum eſt pars.

25 Dices. Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit, ergo. Reſpondetur id eſſe intelligendum de partibus, quæ vt totalis pertinent ad integritatem naturæ: certum eſt enim illas partes fuiſſe dimiſſas, quæ continuo reſoluebantur à calore naturali.

26 Ad primũ. Ariſtotelem tantum velle, quod ſanguis non ſit pars organica, non autem, quod non ſit pars integralis. Nec obſtat quod ſit in venis, vt in vaſe, quia adhuc eſt inſeparabilis à corpore ſecundum exigentiam dictam, cum vita dependeat in conſeruari à ſanguine.

Ad ſecundũ. Sanguinem ita eſſe vltimum alimentum, vt tamen ſit conſtitutus in illo ſtatu per actionem vitalem, atque adeo factus pars viuentis. Ad 3. negatur ſequela. Quia communicatio idiomatum non fit, niſi ſecundum ea, quæ poſſunt repræſentare totaliter ipſam naturam, quia fundatur in communicatione naturarum in eodem ſuppoſito, & ideò non poteſt prædicatum vnius naturæ tranſire ad aliam, niſi fundetur in aliquo, quod repræſentet totam naturam, vt eſt corpus, quod ſenſibiliter repræſentat totum hominem, & anima, quæ cum ſit tota intellectualis repræſentat totum eſſe formale hominis.

An cæteri humores fuerint aſſumpti ſecundum hypoſtaſim.

SECTIO III.

27 Dico primò. Flegma, atram, & flauam bilem non fuiſſe aſſumptas ſecundum hypoſtaſim. Eſt contra Suar. *diſp.* 15. *de Incar. ſect.* 6. Ragulam diſp. 61. Probatur hi humores producuntur præter intentionem naturæ ex eo, quod deficit, nec poteſt conuertere cibum totaliter in alimentum, vnde ſunt excrementa naturæ, vt ait Ariſt. 4. *de partibus animal. cap.* 2. ergo cum non ſint partes de integritate naturæ, nec etiam vniuntur hypoſtaticè.

28 Obijcies ex Innocentio 3. Cap. *In quadam* de *celebratione Miſſarum*. Qui ait, quatuor eſſe humores de compoſitione humani corporis. Reſpond. Hos humores dici impropriè concurrere ad conſtitutionem humani corporis, quatenus videlicet homo conſideratur vt mundus paruus, & hi quatuor humores aſſimilantur elementis.

29 Obijcies quartò. In Euchariſtia ponuntur ſub ſpeciebus hi humores, ergo debent eſſe partes. Reſpondetur. De facto non poni quia vt excrementa non ſunt in corpore Chriſti glorioſo, dum autem Chriſtus erat paſſibilis, probabile eſt non fuiſſe ponendos, ſi autem fuiſſent poſiti, hoc fuiſſet factum, quia vt in mixti ſanguini cenſebantur moraliter ſanguis.

30 Dico ſecundò. Nos, & cambium fuerunt aſſumpta ſecundum hypoſtaſim. Probatur. Quia non differunt ſubſtantialiter à ſanguine, ſed important illas mutationes accidentales, quas habet ſanguis antequam conuertatur in ſubſtantiam viuentis.

31 Quæres. An ſpiritus fuerint aſſumpti ſecundum hypoſtaſim. Reſpond. affirmatiuè quia ſunt de integritate humanæ naturæ, & neceſſarij tum ad ſubſtentationem vitę, tum ad operationes vitales.

An dentes, vngues, & pili ſint aſſumpti ſecundum hypoſtaſim.

SECTIO IV.

32 Dico primò. *Dentes fuiſſe aſſumptos ſecundum hypoſtaſim.* Probatur quia ſunt partes animatæ, ſaltim anima vegetatiua, & de integritate organizationis humani corporis, deſeruiunt vt inſtrumenta operationis animaſticæ.

33 Dico ſecundò. *Vngues fuiſſe aſſumptas ſecundum hypoſtaſim.* Prob. quia pertinent ad integritatem organizationis, & contrariæ ſunt ad perfectum ſtatum humani corporis.

34 Dico tertiò. *Capillos, & alios pilos non fuiſſe aſſũptos ſecundum hypoſtaſim*. Eſt contra Suar. *diſp.* 15. *de Incarn. ſect.* 7. & alios. Prob. non pertinent ad integritatem humanæ naturæ, ſed ſunt partes excrementitię. ergo

35 Obijcies ex Athanaſ. *Epiſt. ad Epitet.* & Amb. *lib. de Incar. cap.* 6. qui inferunt ſecundum hæreticos dicentes, diuinitatem fuiſſe conuerſam in naturam humanam, fuiſſe etiam conuertendam in capillos, hæc autem illatio non valeret, niſi eſſent pars humanæ naturæ. Reſp. Hos Patres deducere hanc conſequentiam, quia capilli ſunt de integritate accidentali: ſi autem diuinitas conuerſa eſſet in humanam naturam, etiam integritas accidentalis fuiſſet terminus conuerſionis.

36 Obijcies ſecundò. Corpus Chriſti continetur in Euchariſtia cum capillis, ergo debent poni vt partes ſub ſpeciebus: ſi autem ſunt partes debuerunt aſſumi. Reſpond. poni ſub Euchariſtia, quia nomine corporis ſignificatur corpus ſecundum omnem integritatem: non tamen fit, quod ſint aſſumptę ſecundum hypoſtaſim, nam etiam accidentia ponuntur ſub ſpeciebus, & tamen non ſunt aſſumpta ſecundum hypoſtaſim.

37 Quæres. An accidentia poſſint aſſumi ſecundum hypoſtaſim. Reſp. negatiuè quia non poſſunt terminari termino ſuppoſitali, tum hoc conueniat tantum naturæ ſubſtantiali.

An in aſſumptione fuerit aliquis ordo temporis.

SECTIO V.

38 Dico primò. *Humanitatem Chriſti non prius extitiſſe, quam fuerit aſſumpta.* Eſt de fide ex Concil. Epheſ. can. 13. Chalced. *act.* 1. V. Synodo, *act.* 8. *can.* 6. & vj. Synodo *in epiſt. ſophron. contra Neſtorianos.* Probat. Lucæ 1. Quod enim ex te naſcetur Sanctum vocabitur Filius Dei, ergo cum ſit natus filius Dei, ab initio fuit facta vnio.

39 Dico ſecundò. *Neque animam praextitiſſe aſſumptioni, nec prius aſſumptam fuiſſe, quàm corpus*. Eſt de fide ex vj. Synodo *in Epiſt. Sophron.* & Leone Papa *epiſt.* 11. contra Euthic. & Originem. Probat. Anima Chriſti eſt eiuſdem rationis cum cęteris, & vt forma corporis exigit produci in ipſo: nec adeſt fundamentum aſſerendi oppoſitum. ergo

40 Dico tertiò. *Neque corpus prius extitiſſe, quam fuerit aſſumptum, atque adeò non prius fuiſſe conceptum quam aſſumptum.* Eſt de fide ex Concil. Epheſ. *can.* 15. Probat. ſi prius fuiſſet conceptum, quam aſſumptum, Beata Virgo non concepiſſet Deum, quod eſt contra fidem.

41 Dico quartò. *Neque prius animam fuiſſe aſſumptam, quàm vnitam corpori*. Eſt de fide ex ijſdem Concil. Probat. B. Virgo concepit hominem Deum, ergo in inſtanti conceptionis ad fuit homo, atque adeo mutua vnio animæ, & corporis.

An interueniat aliquis ordo naturæ.

SECTIO VI.

42 Dico primò. *Animam non fuiſſe medium vt, quo, aſſumptionis reſpectu corporis.*

Probat. ſequeretur, quod corpus non vniretur hypoſtaticè, quia tantum vniretur parti, quę eſt medium vt *quod*.

43 Dico

Digitized by Google

An Incarnatio fuerit conueniens pro redimendo genere humano.

SECTIO VI.

42 REdemptio generis humani fuit conueniens. Tũ quia oſtendit diuinam bonitatem. Tum quia liberat ipſum á ſeruitute Diaboli. Potuit autem fieri diuerſis modis, vel per liberalem condonationem iniuriæ, quam poterat Deus condonare vt ſupremus Dominus; vel cum aliqua ſatisfactione imperfecta, vt illa quę poſſet eſſe ab homine, vel cum ſatisfactione æquiualenti.

43 Dico primo. *Redemptionem generis humani cum æquiualenti ſatisfactione fuiße magis conuenientem, quam alio modo.* Probatur. Quia tali modo fuit ex miſericordia, & iuſtitia iuxtà illud Pſal. 84. *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi.*

44 Obijc. maioris virtutis gratis condonare iniuriam, ergo. Reſpondetur: Id eſſe verum, quando læſus non dat, vnde fiat ſatisfactio; læſus autem dedit.

54 Dico ſecundo. *Incarnationem fuiſse maximè conuenientem ad redimendum hoc pacto genus humanum.* Probatur. Ad Heb. 2. *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſumare.* Ratio eſt, quia non poterat aliunde, quam à Chriſto haberi ſatisfactio æquiualens, vt videbimus infra.

46 Ob. Vbi interuenit rigor iuſtitię, minuitur miſericordia. Eſt autem magis conueniens miſericordia, ergo. Reſpondetur. Tunc minui, quando iuſtitia ipſam excludit; in caſu autem noſtro non excludit, ſed ſupponit.

47 Quæres. Cur Deus homines potius redemerit, quam Angelos. Reſpondetur: quia ita ipſi placuit, adſunt autem diuerſæ conuenientiæ, primo, quia homo ex imbecillitate peccauit, Angelus ex malitia, ita Auguſt. *cap. 29. Enchir.* 2. quia tota natura humana ceciderat, non autem Angelica, ita Auguſt. *ibid.* 3. Quia ſinguli Angeli propria voluntate peccauerunt, homines autem in ſola voluntate Adæ, vt ait Græg. 4. *Moral. capit. 9.* 4. ne Diabolus gloriaretur, ſe compleuiſſe deſiderium ſuum. Ita Leo Papa *ſect. 2. de Natiu.* & aliæ afferuntur à Patribus.

DE NECESSITATE Incarnationis.

DISPVTATIO LXXV.

An Incarnatio fuerit neceſſaria ſecundum ſe.

SECTIO I.

1 RAymundus Lullus operabat, quod ſuppoſito, quod Deus voluerit creare Mundum, neceſſaria fuerit Incarnatio, etiam ſi non fuiſſet homo redimendus.

2 Dicendum eſt. *Suppoſita creatione Mundi, Deum ex nulla neceſſitate ſiue phyſica, ſiue morali voluiſſe Incarnationem, ſed merè ex libertate ſua.* Ex oppoſita ad minus eſt temerarium, & ab aliquibus cenſetur error in fide. Probatur Deus, vt de fide eſt, operatur liberè ad extra, ità vt poſſit non facere, quod facit, niſi ſit neceſſaria connexio cum aliquo antecedente. Sed incarnatio non habet neceſſariam connexionem cum exiſtentia Mundi, cum nihil ſupernaturale neceſſariò exigatur à naturali. ergo

3 Ob. Lullus. Deus eſt optimus artificium, ergo debuit eligere, quod optimum eſt, alioquin imperfectè operatus fuiſſet, ergo. Reſpondetur: eſſe optimum artificium, ſed liberum; & ideò ſufficit, quod faciat optimo modo, quod facit.

4 Obijc. ſecundô. Deus ex infinita ſua bonitate habet infinitam inclinationem ad bonum; quò autem eſt maior inclinatio ad bonum, eò minor eſt libertas ad oppoſitum, ergo cum Deus habuerit infinitam inclinationem ad Incarnationem, non habuit libertatem ad oppoſitum. Reſp. nego anteced. nam Deus non ſupponit bonum, ſed facit, & ideo non habet aliquam inclinationem antecedentem, qua neceſſitetur, aut moueatur neceſſariò ad operandum, ſed tantum amat bonum, dum facit.

5 Dicendum ſecundò. *Neque Deum ex notitia ſua bonitate neceſſitari moraliter ad faciendum, quod optimum eſt in ijs rebus, in quibus poteſt aſſignari optimum, atq; adeo nec ex hoc capite neceſſitari ad Incarnationem.* Eſt contra nonnullos Recentiores, qui volunt, in ijs rebus poſſe aſſignari optimum, in quibus non eſt poſſibile aliud, & aliud melius in infinitum, vt eſt Incarnatio in ordine gratiæ. Probatur: non adeſt à quo Deus determinetur, vt velit neceſſario moraliter, quod optimum eſt, ergo. Anteced. probatur. Quia vt determinaretur à ſua bonitate, deberet ante decretum præſupponi in obiecto ratio optimi; non præſupponitur autem, quia non habet aliquod eſſe, niſi dependenter à voluntate Dei. Confirmatur. Aſſignato quocumque optimo, adeſt motiuum, ratione cuius intellectus diuino iridicat non eſſe faciendum, ergo poteſt non facere.

6 Obijc. Ex eo, quod Deus communicat bonum, laudabiliter operatur, ergo ſi non communicat, quod eſt optimum, minus laudabiliter operatur, quod dicit carentiam maioris perfectionis. Reſpondetur diſting. laudabiliter operatur laudabilitate extrinſeca; non intrinſeca, quia actus diuinus non ſumit bonitatem ab obiectis extrinſecis, ſicut ſumit creatus, ſed eſt per eſſentiam ſumma rectitudo, & ideo non ſequitur, quod minus laudabiliter ſe habeat.

7 Obijc. ſecundò. Qui amat aliquem efficaciter, vult omne bonum ipſius, ergo cum Deus amet ſe ipſum perfectiſſimè, vult omnes creaturas, quæ magis conducunt ad gloriam ipſius. Reſpondetur negando conſeq. quia amicus vult alteri amico bonum ex eo, quod ipſum amat, quia per tale bonum perficitur. Deus autem non perficitur per aliquod bonum creatum.

8 Obij. 3. Ex clara viſione Dei Beatus neceſſitatur ad volendum obiecta ſecundaria, quę ſunt in gloriam Dei, ergo etiam Deus neceſſitatur ex clara viſione ſui ad volendum eadem obiecta. Reſpondetur nego conſeq. Quia Beatus ſe debet conformare voluntati diuinæ; Deus autem non tenetur ſe conformare alterius voluntati.

9 Obijc. quartò. Qui poteſt facere meliora in obſequiũ Dei, & non facit, conuincitur non amare Deum perfectè, ergo idem dicendum de Deo reſpectu Sui ipſius. Reſpondetur nego conſeq. Quia homo ex amore vltimi finis tenetur ſe dirigere in ipſum per ſuas operationes; & quia amor eſt menſura dilectionis, vbi eſt minor dilectio, eſt minor amor; adeſt autem minor dilectio, quando prætermittuntur meliora; Deus autem non tenetur ſe dirigere in aliquem finem.

10 Obijcitur quintò. Patres docent, Deum ſemper facere quod melius eſt, ergo. Reſpondetur: Aliquando loqui abſolutè, & velle, quod quidquid facit, optimum ſit, non comparatiuè, ſed abſolutè, quatenus ſecundum proprium eſſe eſt omnino perfectum; aliquando verò loqui cum habitudine ad finem, quem Deus intendit, & volunt, quod eligat res illas, quę meliori modo hic, & nunc conducunt ad finem; aliquando etiam loquuntur comparatiuè ad ordinem, & diſpoſitionem vniuerſi, vt videlicet faciat, quod optimè congruit tali ordini, & diſpoſitioni. Non autem, quod faciat, quod in comparatione omnium melius eſt.

An

Digitized by Google

An ſuppoſito peccato fuerit neceſſaria Incarnatio.

SECTIO II.

11 DIco primò. *Suppoſito peccato reparationem generis humani non fuiſſe neceſſariam, ſed tantum conuenientem, atq. adeò nec Incarnationem fuiſſe neceſſariam:* ita D.Thom. 3. *part.q.* 1.*art.*2. Et communiter, & oppoſitum eſt temerarium. Probatur. Sapient.12. *Quis tibi imputabit ſi perierint nationes, quas tu feciſti*, & ſubditur ratio, quia Deus eſt liber ad reparandum ratione ſupremi dominij.

12 Dico ſecundò. *Neq. Incarnationem fuiſſe neceſſariam, ſuppoſito quod Deus voluerit reparare genus humanum:* ità communiter Patres. Athan. *ſerm.* 3. *contra Arrian.*Aug.13.*de Trin.cap.*10.Leo *ſerm.*1.*de Natiuit.* & alij.

Probatur. Incarnatio non fuit neceſſaria, vt peccatum remitteretur, quia cum Deus ſit ſupremus Iudex, & Dominus, potuit gratis condonare offenſam, aut acceptare inæqualem ſatisfactionem, qualis eſſet actus contritionis. ergo

13 Dico tertiò. *Neceſſariam fuiſſe vnionem hypoſtaticam ad redimendum hominem ex iuſtitia.* Dixi vnionem hypoſtaticam, non Incarnationem, quia non erat neceſſe, quod homo ſatisfaceret pro genere humano, ſed poterat aſſumi alia natura rationalis ad ſatisfaciendum: ità communiter Patres Leo Papa *ſerm.*4.& 10.*de Natiu.* Anacletus Papa *epiſt.*2.*decret.*Cyril. Alex.*lib.*2.*Theſauri cap.*2. Ambroſ.*lib.*8.*in Lucam initio.* Auguſt. *cap.* 108. *Enchir.* Probatur. Nulla creatura pura poterat ſatisfacere Deo ad æqualitatem pro iniuria, vt videbimus, ergo cum ad redemptionem ex iuſtitia fuerit neceſſaria æquiualens ſatisfactio, fuit etiam neceſſaria vnio hypoſtatica.

14 Obijcies. Eſt contra iuſtitiam exigere ſatisfactionem ab innocente pro nocente; Chriſtus autem fuit innocens, & homo nocens, ergo. Reſpond. Non eſſe contra iuſtitiam, ſi innocens voluntariè ſuſcipiat obligationē ſatisfaciēdi, ſicuti ſuſcepit Chriſtus, vt habetur ad Heb.10

15 Obijcitur ſecundò ex D.Anſel. *lib.*1.*cur Deus homo cap.*16.& 17. vbi docet, fuiſſe neceſſarium, quod homo redimeretur, & Athan.*lib.de Incarn. Verbi* ait fuiſſe indignum bonitate Diuina, quod homo perderetur ex Diaboli impoſtura. Reſpond. Diuus Anſelm. loqui de quadam neceſſitate conuenientiæ. Athanaſ. autem loquitur cum quadam exageratione; nec vult aliud, niſi, quod fuiſſet minus conueniens, ſi natura humana non fuiſſet reparata: vnde *ſerm.*3.*contra Arrian.* concedit Deum ſolo verbo potuiſſe ſoluere maledictum peccati, ſi voluiſſet, & eodem modo intelligendi ſunt alij Patres, quando habent ſimilia.

DE CAVSA FINALI INCARNATIONIS.

DISPVTATIO LXXVI.

Quænam fuerit cauſa finalis Incarnationis.

SECTIO I.

1 SVb alio etiam titulo proponitur quæſtio, videlicet, An ſi homo non peccaſſet, Verbum fuiſſet Incarnatum, & quia certum eſt, quod poterat incarnari etiā non exiſtente peccato, & nobis non poteſt innoteſcere, quid in tali caſu futurum fuiſſet, cum ſit caſus conditionatus, nam tota determinatio fuiſſet dependens ex libertate Dei, ideò ſolum quæritur, an ex vi præſentis decreti, quo de facto eſt facta incarnatio, ſequuta fuiſſet adhuc peccato non exiſtente, & difficultas in hoc conſiſtit, an Incarnatio fuerit determinata ante, vel poſt præuiſionem peccati.

2 Supponendum primò. Certum eſſe de fide. Finem principalem, & vltimum fuiſſe ipſum Deum, & gloriam ipſius. Prouerb. 16. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt. Dominus*, & cum Deus non moueatur ab obiectis creatis non poteſt aſſignari motiuum ex parte ipſorum in ordine ad voluntatem Diuinam. Vnde difficultas procedit de cauſa finali ex parte obiectorum, ratione cuius vnum eſt propter aliud.

3 Supponendum ſecundò. Certum eſſe de fide. Verbum incarnatum fuiſſe non ſolum pro redimendo genere humano ad Rom.3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorum per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ*, ſed etiam, vt eſſet caput, à quo proueniret influxus gratiæ, vnde ad Epheſ. 1. dicitur Deus nos benedixiſſe omni benedictione cæleſti in Chriſto, & Ioan.14. *Sine me nihil poteſtis facere*, vbi etiam habetur ſimilitudo de vite, & palmite, & in Trid.*ſeſ.*6.*c.*6. definitur, Chriſtum iugiter influere ſuam virtutem in iuſtificatis, ſicut influit vitis in palmites, & caput in membra. Difficultas ergo eſt, an ex parte obiectorum redemptio fuerit primariò intenta, ità vt ipſa non exiſtente, neq; etiam fuiſſet Incarnatio.

4 Prima ſententia aſſerit, decretum de Incarnatione fuiſſe ante præuiſionem peccati, atq; adeò etiam ſi homo non peccaſſet, Verbum fuiſſet incarnatum: ità Alenſ. *p.* 3.*q.*2.*memb.*17. Albert. Magnus *in* 3.*diſt.*10.*art.*4. Scotus *diſt.*7.*q.*3. Suar. *diſp.* 5.*de Incar. ſec.* 2. & communiter Scotiſtæ, qui tamen diuerſimodè explicant ſuam ſententiam. Alij enim volunt, Deum decreuiſſe incarnationem, vt Chriſto communicaret ſummam gloriam. Alij vt exaltaret humanam naturam. Alij in primo ſigno prędeſtinaſſe Chriſtum ſecundum ſubſtantiam propter excellentiam myſterij; poſt præuiſionem verò peccati decreuiſſe paſſibilitatem. Probant 1. Corinth. 2. Chriſtus dicitur prędeſtinatus in gloriam noſtram; nec fit mentio de præuiſione peccati, & Ioan. 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*, ergo. 2. Ioan.15. Chriſtus rogabat Patrem, vt ipſum clarificaret claritate, quam habuit, prius quam Mundus fieret, non autem claritate Diuinitatis, quia iam illam ex ſe habebat, ſed humanitatis, quam cum non habuerit in ſe priuſquam Mundus fieret, fit quod habuerit in intentione Dei, atq; adeò, quod fuerit prędeſtinatus independenter à paſſibilitate. Tertiò. Ad Philip.2. Chriſtus exinaniuit ſemetipſum non ſecundum Diuinitatem, ergo ſecundum humanitatem; quatenus in primo ſigno non fuit prędeſtinatus ſecundum formam ſerui, ſed tantum poſt pręuiſum peccatum. Quartò. Chriſtus eſt medium magis propinquum glorię Diuinę, & gloria Chriſti eſt maius bonum, quam gloria hominum, qui autem vult ordinatè prius vult medium magis propinquum. Quintò. Sequeretur, incarnationem fuiſſe bonum occaſionatum occaſione peccati.

Sextò. Chriſtus non fuiſſet primus prędeſtinatus, quia fuiſſet prędeſtinatus ex intentione efficaci dandi gloriam hominibus. Septimò. Amor Chriſti fuiſſet dependens ab amore Peccatorum; vnde potius Chriſtus eſſet electus in nobis, quam nos in Chriſto, contra illud. Ad Epheſ.1. *Elegit nos in ipſo.*

5 Secunda ſententia aſſerit, Incarnationem futuram, etiam ſi homo non peccaſſet, ſed diſcrepat à pręcedenti, quia vult, Deum in primo ſigno antequam decerneret producere aliquam creaturam, prędeſtinaſſe Chriſtum, in ſecundo prędeſtinaſſe Angelos, & homines, & in tertio decreuiſſe creationem omnium rerum. Ita Chaterinus *lib.*1.*de præd.Chriſti.* Pighius *lib.*8.*de liber. arbitr. cap.*1.

Digitized by Google

cap.1.art.8. Viguer *capit.20. Inſtit.§.1.verſ.3.* Mendoza *quodlib,1.quæſt.1.* Scholaſt. Rada parte 3. controu. 5. artic. 3.

Probant. Prouerb. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio*, & explicatur à pluribus Patribus de ſapientia incarnata, ergo 2. Ad Corint. 3. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti: Chriſtus verò Dei*, & ad Coloſſens. 1. Chriſtus dicitur primogenitus omnis creaturæ, & in ipſo omnia eſſe condita, ergo. Chriſtus erit primum volitum, cum omnia alia ſint volita propter ipſum. Tertiò. Nihil magis conducit ad gloriam Dei, quàm Incarnatio, ergo cum finis, propter quem omnia ſunt volita, ſit gloria Dei, illud eſt prius volitum, quod magis conducit. Quartò. Si prædeſtinatio Chriſti non fuiſſet facta ante præuiſionem originalis, Deus præuidiſſet ante ipſum omnes poſteros Adæ infectos, & etiam B. Virginem; nam in illo ſigno non fuiſſent merita Chriſti, quorum intuitu præſeruaretur, quod tamen eſt falſum.

6 Tertia ſententia aſſerit, Incarnationem non fuiſſe determinatam, niſi poſt abſolutam præuiſionem originalis, atque adeò non fuiſſe futuram, ſi homo non peccaſſet: ità D. Thom. *3.p.q.1.art.3.* Caiet. Medina *ibidem*. Peſant. *diſput.1.& 2.* Cheliſſon. *dub.1.* Vaſquez *diſp.10.cap.4.* Raguſa *diſp.18.§.9.*& communiter Thomiſtæ.

7 Notandum primò. Certum eſſe, quod à parte rei nulla datur prioritas, aut poſterioritas in actibus Diuinis, ſed tantum ſecundum noſtrum modum concipiendi in ordine ad obiecta; in hac autem diſtinctione actuum non debet tribui Deo aliquid repugnans, quia ex habitudine ad diſpoſitionem obiectorum, non conſequitur alia implicantia.

8 Notandum ſecundò. Tunc haberi vnum actum, etiam ſi obiecta ſint plura, quando ſunt ita connexa, vt vnum non poſſit eſſe ſine alio; quia tunc ſe habent per modum vnius, & ideò idem decretum terminatur ad ſubſtantiam rei, & ad ordinem, quem habet in diſpoſitione Vniuerſi. Quia tamē obiecta ſunt diuerſa, poſſumus idem decretum concipere inadæquatè in ordine ad vnum, & non in ordine ad aliud; inadæquatio autem in eo conſiſtit, quod decretum præciſiuè concipiatur abſq; terminatione ad aliud obiectum, ità tamen vt non habeat efficaciam expeditam ad ponendum obiectum in actu ex eo, quod ſit inadæquatum.

9 Notandum tertiò. Cum Deus velit omnia ex motiuo propriæ bonitatis; atq; adeò ea ordinando ad ſe ipſum vt vltimum finem, non poteſt habere decretum adæquatum de aliqua re, niſi terminetur ad hunc ordinem.

10 Notandum quartò. Aliud eſſe ordinare aliquid vt medium ad finem, & aliud vt efficiens ad operationem; Primum dicit eſſe tantum expetibile propter finem; ſecundum dicit dignitatem, quia facit cætera ſubordinari operanti, vt ea, quæ ab ipſo participant eſſe, vnde non eſt propter operationem, ſed eſt tanquam pars conſtitutiua ordinis cauſarum adminiſtrantium prouidentiam Diuinam.

11 Notandum quintò. Quandò operans mediante ſua operatione ordinatur in finem, non ſequi quod operatio ſit nobilior, quia ſit immediatior reſpectu finis: nam cum ſe habeat vt, *quo*, eſt tantum ratio ordinatiua inſeruiens operanti, & ideò operans nobiliori modo ſe habet.

12 Notandum ſextò. Chriſtum dupliciter fuiſſe ordinatum ad vltimum finem nempe, ſubſtantialiter ratione fruitionis beatæ, quam habuit ab inſtanti conceptionis, & accidentaliter mediante paſſione, quatenus per ipſam acquiſiuit gloriam accidentalem, iuxtà illud, Lucæ 24. Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.

13 Notandum ſeptimò. De fide eſſe, Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum, vt caput totius Eccleſiæ. Ad Coloſſ. 1. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium primogenitus ex mortuis*. Ex hoc autem fit, vt debeat producere homines per influxum gratiæ ad finem ſupernaturalem, atque adeò ſuppoſito peccato eos redimere, cum redemptio ſit neceſſaria pro aſſequutione talis finis, Ex hoc tamen non fit, vt ſit medium reſpectu ſalutis humanæ, quia non ordinatur per modum medij, ſed per modum capitis ad ſuas operationes, & ideo ſalus humana eſt in gloriam Chriſti, & conſequitur ex eo, quod Chriſtus eo modo ſe ordinet in vltimum finem, quo vt caput ſe debet ordinare.

14 Notandum octauo. Si Adam non peccaſſet, non ſolum fuiſſet diuerſa diſpoſitio ab ea, quæ fuit poſt peccatum, ſed etiam ab ea, quæ fuit ante peccatum; nam in principio Mundi fuiſſet talis diſpoſitio, ex qua infallibiliter fuiſſet ſequuta perſeuerantia primi Parentis, vnde Adam non habuiſſet conſumationem gratiæ dependentem ab aliqua ſubleuatione.

15 Notandum nono. Non eſſe incompoſſibile, quod Chriſtus ſit prædeſtinatus ante præuiſionem peccati, & quod Incarnatio non fuiſſet futura, ſi homo non peccaſſet. Ratio eſt, quia cum Chriſtus habuerit duplicem ordinem ad vltimum finem, nempe ſubſtantialem, & accidentalem, potuit ſecundum vnum prædeſtinari ante præuiſionem peccati, & ſecundum aliud poſt præuiſionem; ità tamen, vt prior prædeſtinatio ſe habeat tantum præciſiuè à poſteriori, non negatiuè, & dicat inadæquatum decretum. Ex hoc autem fit, quod valeat arguere a negatione poſterioris prædeſtinationis ad negationem prioris ob connexionem, quam habent inter ſe ratione inadæquationis, & quia decretum antecedens non habet efficaciam expeditam.

16 Dico primò. *Vnionem hypoſtaticam cum natura humana fuiſſe determinatam à Deo in primo ſigno, in quo inſtituit ordinem gratiæ, atque adeò ante præuiſionem cuiuſcunq. peccati*. Probatur. Deus, vt homo, eſt primogenitus, vt habetur. Ad Rom. 8. Ad Coloſſ. 1. & in Conc. Sard. *Ep. ad omnes fideles*, & in Conc. Eph. *t.1.c.4.& 5.* & vt docent communiter Patres, & ità eſt primogenitus, vt ſit caput corporis Eccleſiæ in omnibus primatum tenens, ergo Chriſtus vt homo, fuit prædeſtinatus in primo ſigno gratiæ ante præuiſionem peccati. Conſequentia probatur. Ante præuiſionem peccati fuit inſtitutus ſtatus adoptionis filiorum Dei, ergo vt Chriſtus fuerit primogenitus inter tot filios, debuit ipſi primo decerni filiatio Dei.

17 Dices primò. Locum ad Coloſſ. Intelligi de Chriſto quoad Diuinitatem, & dici primogenitum omnis creaturæ, quia eſt cauſa, cur creaturæ producantur ex nihilo, vt explicant plures Patres. Contra. Quia ab iiſdem Patribus explicatur etiam de Chriſto ſecundum humanitatem, & alio in loco non admittunt hanc explicationem, & locus ad Rom. & Concil. loquuntur de Chriſto, vt homine.

18 Dices ſecundo. Dici primogenitum inter homines, vt redemptos. Contra homines per redemptionem non generantur, ſed regenerantur, vnde baptiſmus dicitur regeneratio, ergo non eſſet verè primogenitus, quia ante ipſum ſupponeretur generatio per gratiam.

19 Dices tertio. Dici primogenitum ſolum ratione dignitatis. Contra. Dignitas, licet faciat nobiliorem, non tamen facit primogenitum, ergo

20 Dices quarto. Eſſe primogenitum, quia eſt filius Dei naturalis. Contra. Chriſtus eſt primogenitus ratione filiationis Diuinæ, ergo debet primum ipſi prædeſtinari filiatio Diuina, quàm deſtinaretur alteri gratia, alioquin non eſſet primogenitus.

21 Dico ſecundo. *Ante præuiſionem peccati Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum ſecundum ſubſtantiam, atque adeò ſecundum hanc numero humanitatem, non autem ſecundum rationem Redemptoris, nec ſecundum paſſibilitatem.*

Pro-

Digitized by Google

Probatur. Illud tantum debemus concipere volitum ante præuiſionem peccati, à quo dependet id, quod fuit determinatum ante eandem præuiſionem; quæ autem fuerunt determinata dependent tantum ad ſubſtãtiam Incarnationis, repugnat enim Chriſtum poni vt Redemptorem ante præuiſionem peccati.

22 Dices. Hoc decretum repugnare Deo, quia terminaretur ad aliquid confuſum. Reſpond. nego anteced. Nam terminaretur ad Chriſtum, vt ex quo Eccleſiæ, & ad omnes circumſtantias, quæ pro illo ſigno ſunt neceſſariæ; vnde non terminatur ad aliquod confuſum.

Inſtabis. Perfecta prouidentia reſpicit media, finem, & omnes circumſtantias, ergo ex vi prouidentiæ, qua Chriſtus fuit prædeſtinatus, erat futurus in Mundo in tali tempore, in ordine ad talem finem, cum talibus circunſtãtijs, atq; adeo paſſibilis; vel impaſſibilis. Reſpond. Id eſſe verum id prouidentia adæquatè conſiderata, vt eſt à parte rei, & hoc pacto nec præcedit, nec ſubſequitur præuiſionem peccati, ſed eſt ſimul; in ipſa poſſumus tamen diſtinguere diuerſa decreta inadæquata, vt iam diximus.

23 Dico tertiò. Si homo non peccaſſet, Verbum non fuiſſet incarnatum ex vi præſentis decreti. Probatur. Non poteſt ſciri, quid agens liberum ſit facturum circa ea, quæ ſunt in poteſtate ipſius, niſi eius voluntas manifeſtatur. Deus autem erat liber circa incarnationem, & ex manifeſtatione voluntatis illius habemus, quod incarnatio ſit facta ad tollendum peccatum, ergo. Minor probatur. Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat.* Marci 8. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.* 1. Ad Thimot. 1. *Venit Ieſus peccatores ſaluos facere.* Et frequenter habetur incarnationem eſſe factam pro redimendis hominibus. Confirmatur. Patres docent quod verbum non fuiſſet incarnatum, ſi homo non peccaſſet. Aug. *ſerm.* 8. de verb. Chriſti. *Si homo non periſſet, filius hominis non veniſset*, & ſerm. 9. *Nulla cauſa veniendi fuit, niſi peccatores ſaluos facere.* Ireneus 1. contra hæreſ. & 14. *Si non deberet caro ſaluari nequaquam Verbum Dei caro factum eſset*, Athan. ſer. 3. contra Arrianos. *Non igitur propter ſe ipſum, ſed propter noſtram ſalutem aduenit.* Leo magnus in lib. 4. Rurſum cap. 1. *Si peccata deeſſent, Deum venire non oporteret.* Cyril. dialog. 5. de Trinitat. *Si non peccaſsemus, neque factus eſset nobis ſimilis.* Et alij Patres ſimilia docent.

24 Dices. Incarnationem habuiſſe plura motiua adæquata, atque adeò ſublato vno remedio peccati, adhuc fuiſſet facta ex alio motiuo. Contra. Quia Patres docent, ſublata occaſione peccati non fuiſſe faciendam.

25 Dices aſſignari motiuum incarnationis in carne paſſibili. Contra. Patres abſolutè docent, Chriſtum non fuiſſe venturum, niſi fuiſſet peccatum.

26 Dices tertiò. Scripturam aſſignare finem extrinſecum, non autem intrinſecum; qui eſt intrinſeca bonitas incarnationis. Contra. Aſſignat id, ad quod fuit ordinata, ergo decretum incarnationis fuit cum ordine ad redemptionem, ergo non fuiſſet facta, niſi opus fuiſset redemptione.

27 Dices quartò. Ordine intentionis fuiſse intentam ante præuiſionem peccati, ordine verò exequutionis fuiſſe volitam poſt præuiſionem peccati in ordine ad remedium. Contra. Quia Patres aſſignant ſolum remedium peccati, ſine quo non fuiſset incarnatio. Deinde ſemper eſt idem finis intentionis, & exequutionis.

28 Dico quartò. *Chriſtum, prædeſtinatum ſecundum ſubſtantiam, vt caput hominum, fuiſse ordinatum per modum capitis ad influendum in membra poſt præuiſionem peccati influxu ſubleuatiuo, itaut ordinatio iſta fundetur in natura capitis ex eo, quod ad ipſum pertinet ſubleuare genus humanum.* Probatur. Chriſtus in ordine gratiæ habet rationem capitis, à quo eſt omnis influxus gratiæ. Ad Ephes. 1. ergo ità fuit ordinatus ad ſubleuanda membra, vt non habeat rationem medij, quia eſt contra rationem capitis eſſe medium ad ea, quæ pertinent ad membra.

29 Ad primum primæ ſententiæ negan. conſeq. Nam Chriſtus dicitur prædeſtinatus in gloriam noſtram, non vt finem, ſed quia ab ipſo prouenit vt à capite.

Ad ſecundum. Chriſtum petere clarificationem humanitatis, quæ ipſi conuenit ex eo, quod eſt Filius Dei, quatenus talis claritas debeat redundare etiam in humanitatem, vt explicant Patres, apud Toletum, in illum locum.

Ad tertium. Intelligi de vna viſione Diuinitatis quoad extrinſecam æſtimationem: ità Baſil. 4. *contra Eunom.* & alij Patres.

Ad quartum. Valere de medio magis propinquo, quando eſt ratio volendi media remotiora; reſpectu autem Dei ſola bonitas ipſius eſt ratio volendi.

Ad quintum negatur ſequela. Quia bonum occaſionale eſt illud, quod non habet propriam expetibilitatem, ſed tantum ex aliqua occaſione præſuppoſita. Ad ſextum Non procedere contra noſtram ſententiam, neq; abſolutè aliquid probat, quia prædeſtinatio eſt facta poſt præuiſionem peccati. Ad ſeptimum. Procedere, ſi Chriſtus fuiſset volitus poſt peccatum præuiſum.

30 Ad primum ſecundæ ſententiæ, ſignificari tantum, quod prædeſtinatio Chriſti ſit facta ab æterno, non enim dicit antequam quidquam intenderet facere; ſed antequam faceret. Ad ſecundum. Chriſtum dici primogenitum omnis creaturæ, nempe illius, qua eſt capax filiationis, atq; adeò tantum in ordine gratiæ. Ad tertium. Supponi quod in Deo ſit duplex ordo intentionis, & exequutionis, quod tamen eſt falſum, vt ſuo loco oſtendimus. Ad quartum negatur ſequela. Quia prædeſtinatio Chriſti ſecundum ſubſtantiam fuit facta ante præuiſionem originalis peccati, & ſtatim poſt præuiſionem ipſius Chriſtus fuit prædeſtinatus vt Redemptor, antequam præuideretur peccatum originale actu contractum à poſteris, vnde quia præuidebatur ſolum vt contrahendum potuit Beata Virgo in virtute redemptionis præſeruari ab ipſo.

An Incarnatio ſit facta principalius propter remedium originalis.

SECTIO II.

31 Dicendum eſt. *Chriſtum veniſſe principalius in remedium originalis*, ita communiter cum D. Thoma. 3. *parte q.* 1. *art.* 4. & traditur à Caio Papa. *Epiſt. ad Felicem Epiſc.* & Leone Papa *epiſt.* 82. *ad epiſcopos Paleſtinæ cap.* 3. Probatur. Ad Roman. 5. & 1. Corinth. 15. Chriſtus vt Redemptor generis humani opponitur Adæ vt corruptori totius naturæ, ergo. Chriſtus principaliter venit ob remedium originalis.

32 Obijcitur. Peccatum actuale eſt grauius, cum plus habeat voluntarij, ergo. Reſpond. Peccatum actuale eſſe maius intenſiuè; non autem extenſiuè, neq; eſt malum naturæ, ſicut eſt originale, ſed perſonale.

Inſtabis. Peccata actualia ſunt plura, & extenduntur ad omnes, niſi aliquis ex ſpeciali priuilegio præſeruetur, ergo etiam extenſiuè ſunt quid maius. Reſpondetur. Eſſe plura, & extendi ad omne per accidens, nempe ratione liberi conſenſus; originale autem extenditur per ſe ratione propagationis, & eſt radix omnium peccatorum.

An Chriſtus veniſſet, ſi fuiſset originale ſine actuali, aut econtra.

SECTIO III.

33 QVæſtio procedit, quantum eſt ex vi præſentis decreti; non enim poſſumus ſcire, quid futurum fuiſſet ex vi alterius decreti, cum adſint congruentiæ pro vtraq; parte.

Prima ſententia aſſerit, quod ſi extitiſſet aut ſolum originale, aut ſolum actuale, Chriſtus non veniſſet: ità Cabrera *3.p.q.1.art.4.* Probat cum ſolo remedio originalis pauci ſaluarentur, ergo cum Chriſtus venerit, vt omnes ſaluaret, non veniſſet, ſi tantum extitiſſet originale.

Secundum. In Adultis non remittitur originale, niſi etiam remittatur actuale, ergo eo ipſo, quod Deus voluit remedium pro vno, voluit etiam pro altero.

Tertium. In eo ſigno, in quo eſt prædeſtinata redemptio, eſt etiam prædeſtinata paſſio Chriſti, ergo cum paſſio non potuerit prædeſtinari, niſi præuiſo peccato actuali Iudæorum, prædeſtinata eſt etiam in remedium actualis, nec potuit aliter prædeſtinari. Confirmatur. Peccatum originale non potuit præuideri, niſi cum dependentia ab actuali, vt in ijs, qui naſcuntur ex fornicatione, ergo non potuit prædeſtinatio redemptionis terminari ad originale independenter ab actuali.

34 Secunda ſententia aſſerit, quod ſi extitiſset ſolum originale, Chriſtus adhuc veniſset; ſecus autem, ſi fuiſset ſolum actuale. ità Suar. *diſp.5.de Incarn. ſec.6.* Vaſquez *diſput.13.cap.2.* Raguſa *diſput.33.* Merar. *diſput.9.ſec.3.* & alij.

35 Dico primò. *Exiſtente ſolo originali Chriſtus adhuc veniſset ex vi præſentis decreti.* Probatur. Chriſtus fuit prædeſtinatus vt caput, ergo cum teneatur producere membra ad finem ſupernaturalem, debuit venire exiſtente ſolo originali. Hinc prima Corint. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Chriſto omnes viuificantur.*

36 Dico ſecundò. *Redemptionem ab actuali peccato fuiſse virtualiter volitam in redemptione ab originali, & præuiſo actuali fuiſse ſimpliciter extenſam ad ipſum.* Probatur. Chriſtus ex vi præſentis decreti fuit prædeſtinatus vt caput, & redemptor ad perfectè ſubleuandum genus humanum, ergo cum non poſſit perfectè ſubleuari, ſi ſubleuetur à ſolo originali, debuit decretum redemptionis ità ad ipſum terminari, vt etiam terminaretur virtualiter ad actuale.

37 Dices. Quando eſt decreta redemptio, non præuidebantur actualia peccata, ergo non præuidebantur propagationes hominũ, quæ fuerunt dependenter à voluntate Adæ generandi, & hæc voluntas à meritis Chriſti, quia fuit bona voluntas, ergo non potuit decretum redemptionis terminari ad ipſa. Reſpondetur. Potuiſse terminari eo pacto, quo præuidebantur; præuidebantur autem vt virtualiter futura, quatenus fuit generaliter determinata propagatio hominum ex ipſo Adam.

38 Dico tertiò. *Exiſtente ſolo actuali Chriſtus adhuc veniſset vt redemptor.* Probatur. Decretum Incarnationis eſt de Chriſto vt capite, atq; adeò de omni eo, quod pertinebat ad rationem capitis pertinet autem ad rationem capitis ſubleuare membra quocunq; modo indigeant. Exiſtente autem ſolo actuali, adhuc homo indiguiſset ſubleuatione.

39 Dices. Redemptio fuit decreta cum ordine ad tale peccatum, ergo. Reſpondetur nego anteced. Nam fuit tantum determinata pro indigentia generis humani; vnde cum adſit indigentia ex quocunq; peccato, ſiue actuali, ſiue originali; ex vi præſentis decreti haberetur redemptio exiſtente ſolo actuali.

Inſtabis redemptio terminet cum habitudine ad peccatum decretum Diuinum, ergo poſita diuerſitate in peccato ponitur etiam diuerſa habitudo in redemptione, atq. adeò terminat diuerſum decretum. Reſpondetur. Redemptionem terminare decretum cum habitudine ad indigentiam generis humani, quæ de facto fundatur in vtroque peccato; quocunq; tamen ablato remanet indigentia, & ideò habet ſuum motiuum redemptio.

40 Dico quartò. Si fuiſſent ſola venialia, Chriſtus non veniſſet ex vi præſentis decreti. Probatur. Præſens decretum habet pro obiecto Chriſtum vt reparatorem generis humani; tunc autem non habuiſſet locum reparatio, quia homo non receſſiſſet ab vltimo fine.

41 Ad primum negat. conſeq. Nam ſi fuiſſet ſolum originale omnes ſoluerentur cum remedio ſolius originalis, vnde argumentum ſupponit, quod exiſtẽte peccato actuali, Chriſtus non veniſſet ex vi præſentis decreti pro ſolo originali.

Ad 2. diſt. conſ. Eo ipſo, quod voluit remediũ pro vno voluit ẽt pro altero ratione ſubiectæ materiæ cõcedo; ratione decreti, & nego; quia decretũ voluit ſubleuationem, quæ fuit tam ab originali, quam ab actuali, quia tunc vtraq; indigebat.

Ad 3. diſtin. conſeq; Redemptio prædeſtinata eſt in remedium, etiam actualis materialiter ratione ſubiectæ materiæ, concedo formaliter, nego, quia formaliter eſt prædeſtinata in ſubleuamentum generis humani, & conſequenter pro tota illa ſubleuatione, qua indigebat. Ad confirmationem diſt. anteced. Non potuit originale præuideri, niſi cum dependentia ab actuali vt contractum à particulari perſona; potuit tamen præuideri vt contrahendum in communi à ſingulis ſine tali dependentia; Deinde negatur conſeq. Quia hæc dependentia ſe tenet ex parte motiui materialis, non verò ex parte formalis, quod fuit vnicum nempe ſubleuatio à peccato, quodcunque illud ſit, & ideo ſiuè hoc extitiſſet, ſiue illud, ſemper extitiſſet incarnatio.

DE CAVSA FORMALI Incarnationis, ſeu vnionis hypoſtaticæ.

DISPVTATIO LXXVII.

An vnio ſit facta in natura.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt. Cauſam materialem incarnationis fuiſſe naturam humanam, quia ipſa fuit eleuata ad ſubſiſtendum Diuino modo in perſona Verbi, non fuit autem neceſſaria aliqua gratia habitualis, vt communiter docent contra Alens. *3.p.q.7.memb.2.ar.1.* quia natura redderetur capax, nam ſequeretur, quod fuiſset vnita mediante aliquo accidentali, atq. adeo non ſubſtantiali modo. Nec item fuit neceſſaria per modum ornamenti, vt voluerunt Gabriel *in 3.diſt.2.q.3.art.1.* D. Bonau. *q.2.* quia gratia non potuit præcedere vnionem hypoſtaticam: nam ſubſiſtentia Diuina perficit naturam humanã eo modo, & ordine, quo perficeret propria, natura autem perficitur prius per ſubſiſtentiam tanquam per complementum ſubſtantiale, quàm perficiatur aliqua accidentali cõplemẽto, cũ ſubſiſtentia ſit prior natura accidentibus.

2 Supponendum ſecundò. Euthychetam, vt vitaret errorem Neſtorij ponentis duas perſonas in Chriſto, poſuiſse tantum vnicam naturam, diſcrepant autem Auctores, quomodo voluerit, quod ex natura Diuina, & humana ſit facta vna natura, certum tamen eſt, quod in hoc errauerit quod poſuerit vnicam tantum naturã in Chriſto.

3 Di-

Digitized by Google

3 Dicendum eſt. Vnionẽ non eſſe factam in natura, ſed permanſiſſe in Chriſto naturam Diuinam, & humanam integras, & diſtinctas. Eſt de fide, & definitur in Concil. Epheſ. primo in Calced. *act. 3. præſertim in definit. fidei* in 5. Synodo *artic. 1. & collet.* 8. *& cantic.* 8. in 6. Synodo *artic.* 11. 13. *&* 18. in Lateranenſ. *ſub Martino primo à canone* 4. *vſque ad* 9. in Florent. *in Litteris vnionis*, & in alijs. Deſumitur etiam ex Patribus ante hanc hæreſim exortam. Eutichiano Papa *Epiſt.* 1. Caio Papa *in Epiſt. quæ habetur tom.* 1. Concilior. Leone primo *Epiſt. ad Leonem Auguſtum* Gregor. Nyſſeno *contra Eunomium*. Baſil. *lib.* 1. *contra Eunom.* Athan. *hom. de ſantiſſ. Deipara*. Dyonilio *cap.* 7. *de cæleſti hierar.* & alijs.

4 Probatur. Ex ſcriptura habetur, Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem, vt ſuo loco vidimus; hoc autem ſaluari non poteſt niſi perſeueret natura Diuina, & humana. Confirmatur. Deus eſt immutabilis, ergo non poteſt fieri vnum cum natura humana ſiue per compoſitionem, ſiue per mixtionem, ſiue per conuerſionem in ipſam.

5 Obijcitur. Ioan. 1. Verbum Caro factum eſt, ergo. Reſpondetur ly *factum* non ſignificare conuerſionem, ſed vnionem cum carne.

6 Obiicitur ſecundò. Hæc vnio eſt ſimilis vnioni animæ, & corporis ex ſymbolo Athanaſ. ergo, & hac vnione fit tertia natura. Reſpondetur Eſſe ſimilem, quatenus facit, quod extrema diſtincta coaleſcant in vnum ſuppoſitum; eſſe autem diſſimilem, quatenus non eſt per modum compoſitionis.

7 Obiicitur tertiò. Cyril. & Athanaſ. relati in Concil. Chalcedon. *act.* 1. aſſerebant, poſt vnionem non debere dici duas naturas, ſed vnam naturam Verbi incarnatam, ergo. Reſpond. ità fuiſſe loquutos, vt explicarent veram vnionem, qua natura Diuina, & humana vniebantur in vna perſona, vnde non dicebant ſimpliciter vnam naturam, ad vnam naturam incarnatam, quia Deus eſt incarnatus: hoc eſt vnitus carni in perſona Verbi.

8 Obiicitur 4. ex Damaſceno ca. 65. Dialect. *Illud ſcire attinet hypoſtaticam vnionem vnam rerum coniunctarum compoſitam naturam efficere*. Reſpondetur in græco non adeſſe nomen Vſiam, ſed Hypoſtaſim, & proinde non debuit transferri vnam naturam, ſed vnam perſonam, ſeù hypoſtaſim.

9 Quæres. An poſſit dici natura Diuina incarnata. Negant Damaſcenus 3. *fidei capit.* 3. & Nicetas 3. *Theſauri cap.* 11.

Affirmant autem Bernard. *ſerm.* 1. *de paſſione*. Aug. 1. *de Trinit. cap.* 7. *&* 34. Nazian. *orat.* 1. Leo Papa *Epiſt.* 10. & plures ſcholaſtici cum D. Thom. 3. *parte quæſt.* 2. *art.* 2. *ad* 3. quia ad verificandam hanc propoſitionem ſufficit, ſi Deitas communicet aliquo pacto cum carne.

An vnio ſit facta in Perſona.

SECTIO II.

10 NEgant hæretici Carpocrates, Gnoſtici, & Tonitæ, Theodotus, Biſantius, Samoſatinus, & Neſtorius, qui hanc hæreſim propugnauit; ponebant enim in Chriſto duplicem perſonam Diuinam, & humanam, atq; adeò Deum ſe communicaſſe illi homini tantum ſecundum ſpecialem affectum. Hunc errorem ſequutus eſt etiam Theodoretus, vnde damnatus fuit in 5. Synodo; ſed poſtea retractauit errorem.

11 Dicendum eſt. *Chriſtum eſſe vnam tantum perſonam, atq. adeo vnionem factã eſſe in perſona*. Eſt de fide ex Symbolo Apoſtolor. Nicæno, Athanaſij, Concil. Epheſ. *cantic.* 2. *&* 4. Chalced. *articol.* 1. Sexta Synodo *act.* 9. & paſſion in alijs Concil. definitum, & traditur communiter à Patribus. Dyon. *Epiſt. ad Caium* Cyril. Hieroſolim. *cathech.* 11. Athanaſ. *orat. contra Arrianos*. Baſil. *Epiſt.* 65. Hilario 9. *de Trin.* Amb. 2. *de fide cap.* 4. Auguſt. 13. *de Trin. cap.* 17. & alijs.

Probatur. In ſcriptura, quando fit mentio de Chriſto vt homine, de eodem dicitur, quod ſit Deus, quod non eſſet verum, niſi eſſet vna perſona. Ioan. 9. *Tu credis in filium Dei, quis eſt domine, vt credam in eum, dixit ei Ieſus, & vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt*. Lucæ 1. *Quod, ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei*.

12 Obiicitur. Ioan. 2. *ſoluite templum hoc*, ergo perſona Diuina, & homo poſſunt inuicem ſolui. Reſpond. Nomine templi intelligi humanitatem, quę eſt ſolubilis per ſeparationem animę à corpore.

13 Obiicitur ſecundò. Act. 10. Deus dicitur fuiſſe cum Chriſto, ergo Chriſtus erat perſona diſtincta. Reſpondetur; quando dicitur, Deus eſſe cum Chriſto homine, intelligi de Deo Patre, iuxtà illud Ioan. 7. *Ego non ſum ſolus, ſed Pater mecum eſt*.

14 Obiicitur tertiò. Ad Philip. 2. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, ergo induit hominem extrinſeco modo ad modum veſtimenti. Reſpondetur. Nomine ſimilitudinis intelligi ſpeciem humanam; dicitur autem habitu inuentus vt homo, quia extrinſecè apparebat tantum homo.

15 Obiicitur quartò. Act. 2. *Certiſſimè ſciat omnis domus Iſrael, quia & Dominum meum, & Chriſtum fecit Deus hunc, quem vos crucifixiſtis*, ergo ſi factus eſt Deus, & Dominus, non erat filius Dei.

Reſpondetur. Id dici ratione humanitatis, quatenus aſſumpta eſt ad communicandum in Dominio cum filio Dei naturali.

16 Obiicitur quintò. Vnio non eſt facta realiter in natura, ergo nec etiam in perſona, quia natura, & perſona non diſtinguntur realiter in Deo.

Reſpondetur. Eſſe factam in Diuina entitate, quæ eſt realiter natura, & perſona, quia tamen ratio vniendi eſt ratio perſonæ, ideò dicitur facta in perſona, non in natura.

17 Ex dictis colligitur. Vnionem non ſolum factam fuiſſe in perſona, ſed etiam in ſuppoſito, vt communiter docent cum D. Thom. 3. *p. q.* 2. *art* 3. & eſt de fide definitum in quinta Synodo *can.* 5. vbi Damnantur ponentes in Chriſto duas ſubſiſtentias.

18 Colligitur ſecundò. Terminum vnionis hypoſtaticæ eſſe perſonam, vt docent communiter contra Durand. *in* 3. *diſt.* 5. *q.* 2. Quia Incarnatio eſt ordinata ad vniendum Verbum cum natura humana; vnde id, in quo facta eſt vnio, eſt terminus.

19 Colligitur tertiò. Chriſtum poſſe dici perſonam humanam; vt docent Damaſcen. 3. *fidei cap.* 11. Ambroſ. *Epiſt.* 40. Diuus Thoma 4. *contra Gentes cap.* 49. Ratio eſt, quia perſona eſt ipſa natura incõmunicabiliter ſubſiſtens, natura autem humana ſubſiſtit in Chriſto incommunicabiliter.

An vnio naturarum in Chriſto ſit ſubſtantialis.

SECTIO III.

20 DIcendum eſt. *Eſſe ſubſtantialem*; ita communiter contra Durand. *in* 3. *diſt.* 6. *q.* 4.

Probatur ex Concil. Alexand. in Epiſt. quæ eſt 10. inter Epiſt. Diuo Cyril. Alex. Anathematis 2. *Si quis non confitetur carni ſecundum ſubſtantiã vnitum Dei Patris Verbũ, anathema ſit*, & hic canon approb. etiam in concil.

Digitized by Google

Epheſ. & in Concil. *Lateran. ſub Martino primo Conſul. 5. cant. 6.* Si quis *ſecundum Sanctos Patres non confitetur propriè, & ſecundum veritatem in duabus, & ex duabus naturis ſubſtantialiter vnitis, &c.* Ratio eſt. Quia extrema, quæ vniuntur, ſubſtantialia ſunt, & ſubſtantiali modo ſibi inuicem communicant; nam perſonalitas Diuina perficit ſubſtantiali modo naturam humanam. ergo

21 Obijcitur. Quod aduenit enti in actu completo, non poteſt ipſi vniri ſubſtantialiter; humanitas autem aduenit Verbo, quod eſt ens ſummè completum. Reſpondetur. Quod aduenit enti in actu, non poteſt vniri ſubſtantialiter, ſi vtrumq; ſe habeat per modum actus; ſecus autem ſi vnum ſe habeat per modum potentiæ, vt in caſu noſtro: nam humanitas ſe habet potentiali modo.

22 Inſtabis. Humanitas eſt omnino extra rationem Verbi, ità vt poſſit adeſſe, & ab eſſe præter illius corruptionem, ergo accidentali modo vnitur.

Reſpondetur negando conſequentiā. Quia cum dicitur, accidens poſſe adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem, per ſubiectum intelligitur eſſe primarium, quia, cum accidens ſit entis ens, importat tantum eſſe ſecundarium, humanitas autem licet ſit extra Verbum, non tamen eſt extra eſſe primarium illius ſuppoſiti, quod eſt Chriſtus; nam pertinet ad conſtitutionem ſubſtantialem ipſius, & per abſentiam ipſius deſtruitur ille modus ſubſiſtendi, quo vna perſona ſubſiſtit in duabus naturis.

23 Quæres. An hæc vnio poſſit dici naturalis. Reſpondetur affirmatiuè, quatenus naturale contradiſtinguitur ab artificiali, & morali, ad ſignificandum eſſe vnionem phyſicam, & realem, & ità dicitur in Epiſt. *ad Concil. Alex. Anathem.* 3. quæ eſt approbata à Concil. Epheſ. & à 6. Synodo *in Epiſt. ad Sophron.*

24 Quæres ſecundò. An poſſit dici eſſentialis. Reſpondetur affirmatiuè, non quia ſit vnio eſſentiarum, ſed quia eſt vnio per ſe in genere ſubſtantiali, & quia facit eſſentias inuicem communicare in eodem modo ſubſtantiali, & ità appellatur à Nazianzeno *Epiſt. 1. ad Cletum*, & Damaſ. 3. *fidei c. 3.* non eſt tamen dicenda ſimpliciter naturalis, & eſſentialis, niſi ex circumſtantiis conſtet, in quo ſenſu dicatur.

An hæc vnio ſit omnium maxima.

SECTIO IV.

25 QVæſtio procedit de hac vnione comparata ad alias vniones, quę fiunt per compoſitionem; vnde non comparatur ad vnitatem Diuinarum perſonarum in vna eſſentia, quia hæc eſt vnitas per identitatem. Certum eſt autem excedere alias vniones, quatenus eſt magis admirabilis, vt loquitur Cyril. *in Scholijs de Incarn. cap. 7.*

26 Prima ſententia aſſerit, ſecundum rationem vnionis non eſſe omnium maximam; ſed tantum ſecundum dignitatem; ità Durand. *in 3. diſt. 5. quæſt. 3. numer. 7.* Probatur. In vnione materiæ, & formæ non ſolum fit vnum in ſuppoſito, ſed etiam in natura, ergo iſta eſt maior.

27 Secunda ſententia aſſerit, eſſe omnium maximam, non ſolum in ratione illius, in quo fit vnio, ſed etiam ratione extremorum, ità Paludanus *in 3. diſt. 5. quæſt. 3. art. 3.* Caiet. 3. *part. quæſt. 2. art. 9.* Probant. Vnio hypoſtatica difficilius ſoluitur, cum ex natura ſua ſit æterna, vt ait Leo Papa *ſerm. 17. de paſſione*, ergo eſt maior.

Secundò. In hac vnione alterum extremum eſt perſona Diuina, quæ eſt ſimpliciſſima, atq; adeò magis vnibilis alteri extremo. ergo

Tertiò. In nulla alia vnione extrema de ſe inuicem prædicantur, ſicut in iſta; nam Deus eſt homo, & homo eſt Deus, ergo. Quartò. Hæc vnio eſt ex natura, & ſubſiſtentia, quæ etiam reperitur in Angelis, in quibus non reperitur vnio ex materia, & forma, ergo eſt maior, cum magis accidat ad ſimplicitatem.

28 Tertia ſententia aſſerit, eſſe omnium maximam non ratione extremorum, ſed ratione illius, in quo facta eſt vnio, ità Diuus Thomas 3. *parte quæſtione 2. art. 8. & communiter.*

29 Dico primò. *Extrema vnionis hypoſtaticæ, videlicet naturam Diuinam, & humanam, non maximè vniuntur.* Probatur, Non maximè communicant in eſſendo, cum remaneant impermixta, nec componant tertiam naturam; vt materia, & forma. ergo

30 Dico ſecundò. *Si conſiderentur extrema, quæ immediatè vniuntur, videlicet perſona Diuina, & natura humana, neque eſt maxima vnio.*

Probatur. Perſona ſuperexcludit capacitatem naturæ, in aliis autem vnionibus extrema ſunt inuicem commenſurata, quæ autem vniuntur vt ſibi inuicem commenſurata, magis vniuntur. Tum quia adæquatè vniuntur. Tum quia vniuntur ſecundum poſitiuam aptitudinem, quam habent ad vniri.

31 Dico tertiò. *Eſſe omnium maximam, ſi conſideretur id, in quo vniuntur natura Diuina, & humana.*

Probatur. Quando aliqua vniuntur in tertiò, eadem vnitate vniuntur, quam importat illud tertium, ergo cum hæ naturæ vniantur in perſona Diuina, quæ eſt ſimpliciſſima, vniuntur maximâ vnitate.

32 Dices. Etiam accidentia vniuntur cum Chriſto in eadem vnitate ſuppoſiti, ergo. Reſpond. Non vniri, niſi mediante ſubiecto, vnde vnio ipſorum eſt ſecundum menſuram ſubiecti.

33 Ad fundamentum primæ ſententiæ negatur aſſumptum. Nam ex vi vnionis materiæ, & formæ fit tantum vnum in natura, non in ſuppoſito.

34 Ad primum ſecundæ ſententiæ. Hanc vnionem eſſe æternam, & difficilius ſolui, non ex natura ſua, ſed ex Chriſti voluntate, & ideò ex hoc capite non excedit.

Ad ſecundum negat. conſequent. Nam ſimplicitas extremorum non confert ad vnionem, quæ menſuratur tantum ex modo, quo extrema ſibi inuicem communicant. Ad tertiū. Ideò extrema de ſe inuicem prædicantur, quia vniuntur in vnitate ſuppoſiti, & ideò eſt maxima in ratione illius, in quo fit. Ad quartū. Licet vnio hæc ſit vnio ex natura, & ſubſiſtentia, quia tamen ſubſiſtentia eſt aliena, & infinita, habet minorem vnibilitatem.

35 Quæres. An ſit omnium maxima in ratione beneficii, & boni. Reſpondent communiter affirmatiuè cum Diuo Thoma 3. *parte quæſt. 2. artic. 10. ad 1. & artic. 11.* Ratio eſt. Quia, cum vnio ſit quædam communicatio, attenditur, quod per ipſam communicatur, in hac autem vnione communicatur id, quod eſt omnium maximum, nempe eſſe Diuinum ſecundum eſſe reale, & non ſecundum eſſe intentionale vt in beatitudine, vnde hoc donum trahit ſecum ex natura rei omnia alia dona iuxtà id. Ad Rom. 8. *Qui proprio filio non pepercit, quomodo non omnia cum illo nobis donantur.*

Quid dicat vnio hypoſtatica.

SECTIO V.

36 PRima Sententia vult, eſſe modum ſubſtantialem ſuperadditum naturæ, & ab ipſa diſtinctum, qui ſubiectetur in ipſa natura, & terminetur ad Verbum: ità Vaſquez *diſputation. 18. de Incarnat. capit. tertiò* Suarez *diſputat. 8. ſection. 2.* Raguſa *diſputation. 39. §. 6.* Hurtad. *diſp. 21. ſect. 2. & ſequentibus*, & ferè communiter Recentiores. Probant. Incarnatio eſt actio communis toti Trinitati, vt habetur in cap. *Firmiter De ſum. Trinit.*

Digitized by Google

nit. Ergo cum omnis actio debeat habere ſuum terminũ, nec poſſit eſſe in hac actione, niſi modus vnionis, debet dari talis modus; vnde in V. Synodo *act. vlt. can.* 5. & 8. definitur, factam fuiſſe vnionem. Secundò. Non poteſt humanitas de non vnita fieri vnita ſine aliqua mutatione intrinſeca, cum non poſſit dari denominatio de nouo ſine forma de nouo, ergo ſine nouo modo vnionis non poteſt fieri vnita.

Tertiò poteſt exiſtere humanitas, & non vnita verbo, ergo quod ſit vnita, dicit aliquid ſuperadditum. Quartò. Humanitas, & Verbum poſſunt ſeparari realiter ab vnione, ergo vnio eſt aliquid realiter ab ipſis diſtinctum.

37 Secunda ſententia aſſerit, humanitatem vniri Verbo ſe ipſa ſine nouo modo vnionis ſuperaddito, & deinde reſultare relationem, qua humanitas refertur vt vnita ad Verbum, ita Scotus *in* 3. *diſt*. 1. *quæſt*. 2. Ocham. *ibidem*. Durand. *diſt*. 5. *quæſt*. 2. Baccon. *diſt*. 1. *quæſt*. 1. *art*. 1. Capreol. *art*. 5. Arim. *in* 4. *diſt*. 28. *quæſt*. 2. Caiet. 3. *p. quæſt*. 2. *art*. 7. Aluar. *diſp*. 13. *de Incarn.* & deſumi ex D. Th. 3. *part. quæſt*. 2. *art*. 7. dum ponit ſupra extrema vnita ſolam relationem.

38 Notandum primo. Cum de fide ſit, humanam naturam eſſe verè vnitam Verbo, oportet etiam concedere veram rationem vnius, qua Chriſtus conſtituatur in eſſe vno, & ideo debet dari eſſe vnitum; cum hoc vſum non ſit tale per ſimplicitatem. Cum autem non poſſit dari effectus formalis ſine cauſa formali, non poteſt dari hoc eſſe vnitum ſine vnione, cum vnio ſit ratio formalis, ex qua conſurgit vnitum.

39 Notandum ſecundò. Extrema, quę vniuntur vnione, per ſe habere intrinſecam vnibilitatem, qua inuicem poſſunt coaptari per modum actus, & potentiæ, vel alio modo; hæc autem vnibilitas importat communicabilitatem, qua viciſſim poteſt vnum alteri ſe communicare; quia autem ſecundum determinatas rationes ſibi inuicem communicant, ideo hæ rationes ſunt communicabilitas extremorum.

40 Notandum tertiò. Licet natura humana, & Verbum non ſint extrema ex natura ſua ordinata ad vnionem, adhuc tamen proportionaliter requiritur in ipſis vnibilitas; natura enim ratione potentiæ obedientialis ſub ratione naturę eſt terminabilis à Verbo, & Verbum poteſt exercere reſpectu ipſius rationem termini, & ſe illi communicare ſub ratione perſonalitatis.

41 Notandum quartò. Quando aliquid conuenit in genere formali, non indigere aliquo ſuperaddito, vt ponat aliquid de nouo à parte rei, ſed ſufficit, ſi ſe ipſum exhibeat, quia cum ſit formaliter tale, ex vi communicationis ſui ipſius facit aliquid conſurgere, vt eſt effectus formalis reſpectu cauſæ formalis; hæc autem communicatio non eſt aliquid ſuperadditum rei communicatę, ſed ſolum dicit, quod ſe exhibeat vt perfectiuum perfectibili.

42 Dicendum eſt. *Vnionem hypoſtaticam non eſſe modum ſubſtantialem ſuperadditum natura, ſed extrema ſe ipſis formaliter vniri ex vi communicationis, qua ſibi inuicem communicant in ratione naturæ, & termini perſonalis*. Probatur: Extrema ſe ipſis formaliter ſunt rationes vniendi, ergo, ſe ipſis vniuntur. Antecedens probatur. Vnio non eſt aliud, quàm communicatio extremorum, qua ſibi inuicem communicant, ergo illud eſt ratio vniendi, quod eſt ratio communicandi; in vnione autem hypoſtatica, quæ eſt ratio naturæ, & termini perſonalis, extrema ſunt rationes communicandi, nam natura ex intrinſeco ſuo eſt communicatiua ſui ipſius ſub ratione naturæ, & perſonalitas ſub ratione perſonalitatis. Conſeq. probatur. Nam quæ ſunt talia vt, *quo*, ſe ipſis habent ſuum actum, ſic quia actio eſt ratio agendi, ſe ipſa ſit ab agente. Confirmatur eſſe vnum per ſe ex vi vnitionis, eſt habere vnum eſſe, qui a vnum eſt paſſio entis; vnde conſurgit ex eo, quod ponatur vna ratio eſſendi. Sed extrema, quę per ſe vniuntur, fiunt vna ratio eſſendi per id formaliter, quod communicant in eſſendo, & per id communicant, quod vnum perficiat aliud, ergo cum vnum perficiat aliud ſe ipſo formaliter, etiam ſe ipſo vnitur, & communicatur.

43 Secundò probatur. Vnio iſta, ſi eſſet modus ſuperadditus, non poſſet vnire Verbum, quia vnit vt cauſa formalis: quæ non tribuit ſuum effectum, niſi illi, in quo ſubiectatur. ergo

44 Dices vnire Verbum terminatiuè. Contra Non poteſt vnire, niſi in genere cauſæ formalis, atque adeo niſi ſe ipſum exhibeat per modum actus.

45 Dices ſecundò. Eſſe cauſam formalem extrinſecam. Contra. Vnire eſt effectus vniuocus vnionis; effectus autem vniuocus cauſæ formalis, non poteſt eſſe à cauſa formali extrinſeca, quia identificatur cum ipſo.

46 Dices tertiò. Verbum vniri eſſe effectum ſecundarium vnionis. Contra. Effectus formalis ſecundarius cauſæ formalis non poteſt eſſe vniuocus. Deinde eſſet idem cum effectu, quam exhiberet humanitati, qui eſt effectus primarius.

47 Ad primũ. Incarnationem eſſe actionem communicatiuam; non autem productiuam, quia per ipſam ſolum Verbum communicatur naturæ humanæ, qua nõ eſt propriè actio, quia eſt tantum communicatio termini exiſtentis; dicitur autem eſſe à tota Trinitate, quia eſt à voluntate totius Trinitatis; dicitur autem Verbum factum caro, quia per illam actionem, qua producta eſt humanitas, non eſt producta quomodocumque, ſed ad ſubſiſtendum in verbũ, & ob hanc cauſam dicitur vnio fieri. Ad ſecundo nego conſeq. Nam quod humanitas de non vnita fiat vnita, recipit mutationem ſubſiſtentiæ, quia ex non habente ſubſiſtentiam diuinam fit habens. Ad tertium. diſting. conſeq. humanitatem eſſe vnitam Verbo, dicit aliquid amplius, quàm exiſtere hoc tempore, &c. non quia dicat aliquem modum ſuperadditum; ſed quia dicit, quod perficiatur ſubſiſtentia Verbi, & ab ipſo ſubſtentetur quod ſit perſonalem exhibitionem ſubſiſtentię. Ad quartũ. Ea realiter diſtingui, quæ ſunt ſeparabilia ſeparatione immediata ſeu ratione ſui; ſecus autem, ſi ſeparatione mediata, & ratione alterius; vnio autem ſeparatur ab humanitate, & Verbo non ratione ſui, ſed quia Verbum, & humanitas ſeparantur ad inuicem.

48 Ex his colligitur. In humanitate reſultare relationem prædicamentalem, qua vt vnita refertur ad Verbum, cuius fundamentum proximum eſt communicatio humanitatis in ſubſiſtentia Verbi, ratione cuius humanitas habet ſpecialem ordinem ad Verbum.

DE ASSVMPTIONE.

DISPVTATIO LXXVIII.

Quid de humana natura aſſumpſit.

SECTIO I.

1 DIco primò. *Aſſumpſiſſe verum corpus humanum*. Eſt de fide contra Cerdonem aſſerentem aſſumpſiſſe corpus phantaſticum, quem ſecuti ſunt Marcion, & Priſcillaniſtæ. Definitur autem in Concil. Epheſ. *can*. 2. & 5. in Toletano 1. *in confeſſ. fidei*, & in Later. vt refertur in Cap. *Firm. ter*. Probatur: Ioann. 1. *Verbum caro factum eſt*. Ad Hebr. 7. *Semen Abrææ apprehendit*.

2 Obiicitur ſecundò Corint. 5. *Et ſi cognouimus ſecundum carnem, ſed iam non nouimus*: hoc eſt, vt explicat Fauſtus Manicheus, exiſtimauimus Chriſtum habere veram carnem, ſed iam mutauimus ſententiam. Reſpondetur.

Digitized by Google

tur. Intelligi de cognitione, quam habuit de Chriſto ante conuerſionem, qua putabat eſſe purum hominem, iudicans ſecundum carnem, hoc eſt ſecundum ſenſum. Deinde ait, *ſed iam non nouimus*, quia non amplius iudicabat ſecundum ſenſum.

3 Dico ſecundò. *Corpus aſſumptum Verbo fuiſſe terrenum, formatum ex Virgine*. Eſt de fide contra Valentinum, qui voluit fuiſſe corpus aereum, definitum in Côcil. Chalcid. *in confeſ. 2. fidei*.

Prob. Lucæ 1. *Quod enim ex te naſcetur Sanctum*, & Ad Rom. 1. *Qui factus eſt ei, ex ſemine Dauid ſecundum carnem*.

4 Obijcitur 1. Corinth. 15. *Primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cælo cæleſtis*. ergo Reſpondetur dici de cælo cæleſtem ratione diuinitatis, vt explicat Nazian. Epiſt. 1. ad Petr. & Aug. 13. *de Trin. cap. 23.* Vel etiam ratione conceptionis ſuper naturalis.

5 Dico tertiò. *Verbum aſſumpſiſſe veram animam rationalem, ſeu mentem*. Eſt de fide contra Arrianos dicentes, Verbum fuiſſe in Chriſto loco mentis, & Apollinarem, qui licet concederet animam, negauit omnem mentem. Probatur Ioann. 3. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi*. Deinde eſt de fide, quod fuerit Deus homo. ergo

6 Obijcitur. Eſſet in Chriſto quaternitas, quia eſſet in ipſo Corpus, Anima, Natura diuina, & Perſona. Reſp. neg. ſequel. Quia numerus attenditur ſecundum perſonam, quę eſt vna.

7 Dico quartò. *Chriſtum aſſumpſiſſe corpus, & animam, prout conſtituebant vnam naturam*. Eſt de fide ex Conc. Epheſ. *can.* 13. & vj. Synodo *in Epiſt. ad Sophron.* vbi definitur, Verbum aſſumpſiſſe carnem animatam anima rationali. Probatur: ſine vnione partium non adeſt vera natura humana, ergo cum ſit de fide aſſumpſiſſe veram naturam humanam, debuit aſſumere partes vnitas.

8 Dico quintò. *Naturam humanam aſſumptam à Verbo fuiſſe ſingularem*. Eſt de fide, quatenus eſt de fide, Chriſtum fuiſſe hunc hominem ſingularem genitum ex Virgine. Probatur: Quia Chriſtus fuit homo diſtinctus à cæteris.

9 Dico ſextò. *Non fuiſſe conueniens, quod aſſumeret naturam in omnibus indiuiduis*. Ita D. Thom. 3. *part. quæſt.* 4. *art.* 5.

Probatur; quia tolleretur ordo gratiæ adoptionis, nam omnes eſſent filij Dei naturales; & multitudo quoq; ſuppoſitorum.

10 Dico ſeptimò. *Fuiſſe conueniens, quod aſſumeret naturam ex ſtirpe Adæ*. ità D. Thom. 3. *p. quæſt.* 4. *art.* 6. Probatur: Quia pertinet ad iuſtitiam, vt qui peccauit, etiam ſatisfaciat.

11 Obijcitur. Si non aſſumpſiſſet de ſtirpe Adæ, eſſet magis ſegregatus a peccatoribus, quod eſt magis conueniens. Ad Heb. 7. *Talis decebat, vt eſſet nobis Pontifex, ſegregatus à peccatoribus*. Reſpondetur debuiſſe eſſe ſegregatum quoad culpam, non quò ad naturam, in qua debuit aſſimilari. Ad Heb. 2.

12 Dico octauò. *Verbum non aſſumpſiſſe perſonam*, Ita communiter cum D. Thom. 3. *p. q.* 4. *ar.* 2. Probatur: perſona humana nec permanſit, nec præceſſit in humanitate Chriſti, ergo non potuit aſſumi.

13 Obijcitur ex Innoc. in quadam decretali. Perſona Dei conſumpſit perſonam hominis, ergo. Reſpondetur. Conſumpſiſſe non deſtruendo, ſed impediendo, ne reſultaret.

14 Quæres. An poſſit dici, Verbum aſſumpſiſſe hominem. Reſpondetur negatiuè, cum ita decernat Concil. *Epheſ. can.* 8. Homo enim ſignificat naturam vt ſubſiſtêtem in ſuppoſito; ſi tamen nomine hominis ſignificetur natura, vt completa, poteſt vſurpari iſta propoſitio; ſicut vſurpauit Concil. *Tolet.* 6. *can.* 1. & Tolet. 11. *in Confeſſ. fidei*.

15 Quæres ſecundò. An poſſit dici, quod in Chriſto ſint tres ſubſtantiæ; nempe natura diuina, corpus, & anima. Reſpondetur poſſe abſolutè dici, quia licet corpus, & anima vniantur, retinêt tamen ſuã ethereogeneitatem; vnde vſurpatur hæc propoſitio à Concil. *Tolet.* 11. ab Aug. 13. *de Trin. cap.* 17. Gelaſio *lib. de duabus naturis*, oppoſitum tamen ſentit Damaſcenus 3. *fidei cap.* 16.

An Verbum aſſumpſerit hypoſtaticè ſanguinem.

SECTIO II.

16 Certum eſt. Verbum aſſumpſiſſe corpus integrum, atque adeo omnes partes, quæ pertinent ad integritatem, cum ſit perfectus homo ex Symbolo *Athan.* Concil. Chalcid. *act.* 1. v. Synodo *act.* 8. *can.* 4. & 11.

17 Supponendum eſt. Dari duplicem modum aſſumptionis; videlicet. In hypoſtaſi; & ſecundum hypoſtaſim. Primus dicit, quod id, quod aſſumitur, non vniatur immediatè cũ hypoſtaſi Verbi, ſed tantũ cũ eo quod immediatè vnitur. Secundus quod id, quod aſſumitur, terminetur immediatè hypoſtaſi Verbi. Certum eſt autem, Verbum aſſumpſiſſe ſecundum hypoſtaſim omnes partes, quæ informantur anima rationali, cum aſſumpſerit ſecundum hypoſtaſim naturam humanam, atq; adeo corpus humanum; vnde difficultas eſt de nonnullis alijs partibus.

18 Prima ſententia aſſerit, ſanguinem non fuiſſe aſſumptum ſecundum hypoſtaſim, ſed tantum in hypoſtaſi. Ita Durand. *in* 4. *diſt.* 10. *quæſt.* 1. Gabriel. *lect.* 53. *in canonem miſſæ*. Probant: ſanguis non eſt pars animalis ex Ariſt. 2. *de partibus animalium cap.* 10. nec eſt animatus, ſed eſt tantum in venis ſicuti in vaſe. ergo. Secundò. Sanguis eſt vltimum alimentum: vnde nondum eſt conuerſus in ſubſtantiam viuentis, ergo non eſt aſſumptus. Tertiò. Si fuiſſet aſſumptus, ratione communicationis idiomatum Verbum eſſet ſanguis, eſſet effectum in paſſione, &c.

19 Secunda ſententia ait, alium eſſe ſanguinem nutrimentalem, qui nondum eſt benè concoctus, nec eſt pars animalis, & hunc non fuiſſe aſſumptum: alium verò eſſe ſanguinem vitalem, qui eſt perfectus, & animatus, & hunc fuiſſe aſſumptum. Ita Caiet. 3. *part. quæſt.* 54. *artic.* 2. Aluar. *diſput.* 28. *de Incarnat.* Sylueſter in *Roſa aurea quæſt.* 35.

20 Tertia ſententia aſſerit, ſanguinem fuiſſe vnitum ſecundum hypoſtaſim, quando erat intra corpus, non autem quando in triduo mortis manſit effuſus, quia tunc deſinit eſſe pars. Ita Mayronius *in* 4. *diſt.* 43. *q.* 1. Richardus *in* 3. *diſt.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1.

21 Quarta ſententia ait, totum ſanguinem fuiſſe vnitum ſecundum hypoſtaſim, etiam in triduo mortis, ita D. Th. 3. *part. quæſt.* 58. *art.* 1. Capreol. *in* 4. *diſt.* 10. *quæſt.* 1. *art.* 3. Maior. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. Sotus *in* 4. *diſt.* 10. *quæſt.* 1. *art.* 2. Suar. *diſp.* 15. *de Incar. ſect.* 6. Vaſq. *diſp.* 37. c. 4. Raguſa *diſp.* 60. & alij.

22 Dico primò. *Totum ſanguinem Chriſti fuiſſe vnitum Verbo ſecundum hypoſtaſim*. Probatur: ſanguis ſecundum ſe totum eſt pars humanæ naturæ, & de neceſſitate ipſius, non ſolum vt proximum nutrimentum, ſed etiam ob alia munera animaſtica exercenda, vnde in Trid. *ſeſſ.* 13. *can.* 3. definitur, ſanguinem eſſe ſub ſpeciebus panis ob naturalem connexionem, & concomitantiam, qua partes Chriſti domini inter ſe copulantur, ergo fuit aſſumptus ſecundum hypoſtaſim, quia Verbum aſſumpſit ſecundum hypoſtaſim humanam naturam ſecundum totam integritatem ipſius.

23 Dico ſecundò. *Sanguinem Chriſti remanſiſſe vnitũ hypoſtaticè in triduo mortis*.

Probatur: Tota humana natura in triduo mortis manſit vnita hypoſtaticè ſecundum ſuas partes, ergo etiam ſanguis, cum antea fuerit vnitus.

24 Dico ſecundò. *Suppoſito, quod remanſerit apud nos*

Digitized by Google

nos aliquid de ſanguine Chriſti, non remanet hypoſtaticè vnitus. Eſt contra Valentiam 3. *part. diſput.* 1. *quæſt.* 5. *punct.* 1. Probatur: Ille ſanguis non eſt amplius pars corporis Chriſti, ergo nec vnitus hypoſtaticè, quia in tantum conuenit vniri, in quantum eſt pars.

25 Dices. Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit, ergo. Reſpondetur id eſſe intelligendum de partibus, quæ vt totalis pertinent ad integritatem naturæ: certum eſt enim illas partes fuiſſe dimiſſas, quæ continuo reſoluebantur à calore naturali.

26 Ad primũ. Ariſtotelem tantum velle, quod ſanguis non ſit pars organica, non autem, quod non ſit pars integralis. Nec obſtat quod ſit in venis, vt in vaſe, quia adhuc eſt inſeparabilis à corpore ſecundum exigentiam dictam, cum vita dependeat in conſeruari à ſanguine.

Ad ſecundũ. Sanguinem ita eſſe vltimum alimentum, vt tamen ſit conſtitutus in illo ſtatu per actionem vitalem, atque adeo factus pars viuentis. Ad 3. negatur ſequela. Quia communicatio idiomatum non fit, niſi ſecundum ea, quæ poſſunt repræſentare totaliter ipſam naturam, quia fundatur in communicatione naturarum in eodem ſuppoſito, & ideò non poteſt prædicatum vnius naturæ tranſire ad aliam, niſi fundetur in aliquo, quod repræſentet totam naturam, vt eſt corpus, quod ſenſibiliter repræſentat totum hominem, & anima, quæ cum ſit tota intellectualis repræſentat totum eſſe formale hominis.

An cæteri humores fuerint aſſumpti ſecundum hypoſtaſim.

SECTIO III.

27 DIco primò. Flegma, atram, & flauam bilem non fuiſſe aſſumptas ſecundum hypoſtaſim. Eſt contra Suar. *diſp.* 15. *de Incar. ſect.* 6. Raguſam diſp. 61. Probatur hi humores producuntur præter intentionem naturæ ex eo, quod deficit, nec poteſt conuertere cibum totaliter in alimentum, vnde ſunt excrementa naturæ, vt ait Ariſt. 4. *de partibus animal. cap.* 2. ergo cum non ſint partes de integritate naturæ, nec etiam vniuntur hypoſtaticè.

28 Obijcies ex Innocentio 3. Cap. *In quadam* de *celebratione Miſſarum*. Qui ait, quatuor eſſe humores de compoſitione humani corporis. Reſpond. Hos humores dici impropriè concurrere ad conſtitutionem humani corporis, quatenus videlicet homo conſideratur vt mundus paruus, & hi quatuor humores aſſimilantur elementis.

29 Obijcies quartò. In Euchariſtia ponuntur ſub ſpeciebus hi humores, ergo debent eſſe partes. Reſpondetur. De facto non poni quia vt excrementa non ſunt in corpore Chriſti glorioſo, dum autem Chriſtus erat paſſibilis, probabile eſt non fuiſſe ponendos, ſi autem fuiſſent politi, hoc fuiſſet factum, quia vt in mixti ſanguini cenſebantur moraliter ſanguis.

30 Dico ſecundò. Nos, & cambium fuerunt aſſumpta ſecundum hypoſtaſim. Probatur. Quia non differunt ſubſtantialiter à ſanguine, ſed important illas mutationes accidentales, quas habet ſanguis antequam conuertatur in ſubſtantiam viuentis.

31 Quæres. An ſpiritus fuerint aſſumpti ſecundum hypoſtaſim. Reſpond. affirmatiuè quia ſunt de integritate humanæ naturæ, & neceſſarij tum ad ſubſtentationem vitę, tum ad operationes vitales.

An dentes, vngues, & pili ſint aſſumpti ſecundum hypoſtaſim.

SECTIO IV.

32 DIco primò. *Dentes fuiſſe aſſumptos ſecundum hypoſtaſim.* Probatur quia ſunt partes animatæ, ſaltim anima vegetatiua, & de integritate organizationis humani corporis, deſeruiunt vt inſtrumenta operationis animaſticæ.

33 Dico ſecundò. *Vngues fuiſſe aſſumptas ſecundum hypoſtaſim.* Prob. quia pertinent ad integritatem organizationis, & contrariæ ſunt ad perfectum ſtatum humani corporis.

34 Dico tertiò. *Capillos, & alios pilos non fuiſſe aſſũptos ſecundum hypoſtaſim*. Eſt contra Suar. *diſp.* 15. *de Incarn. ſect.* 7. & alios. Prob. non pertinent ad integritatem humanæ naturæ, ſed ſunt partes excrementitię. ergo

35 Obijcies ex Athanaſ. *Epiſt. ad Epitet.* & Amb. *lib. de Incar. cap.* 6. qui inferunt ſecundum hæreticos dicentes, diuinitatem fuiſſe conuerſam in naturam humanam, fuiſſe etiam conuertendam in capillos, hæc autem illatio non valeret, niſi eſſent pars humanæ naturæ. Reſp. Hos Patres deducere hanc conſequentiam, quia capilli ſunt de integritate accidentali: ſi autem diuinitas conuerſa eſſet in humanam naturam, etiam integritas accidentalis fuiſſet terminus conuerſionis.

36 Obijcies ſecundò. Corpus Chriſti continetur in Euchariſtia cum capillis, ergo debent poni vt partes ſub ſpeciebus: ſi autem ſunt partes debuerunt aſſumi. Reſpond. poni ſub Euchariſtia, quia nomine corporis ſignificatur corpus ſecundum omnem integritatem: non tamen ſit, quod ſint aſſumptę ſecundum hypoſtaſim, nam etiam accidentia ponuntur ſub ſpeciebus, & tamen non ſunt aſſumpta ſecundum hypoſtaſim.

37 Quæres. An accidentia poſſint aſſumi ſecundum hypoſtaſim. Reſp. negatiuè quia non poſſunt terminari termino ſuppoſitali, tum hoc conueniat tantum naturæ ſubſtantiali.

An in aſſumptione fuerit aliquis ordo temporis.

SECTIO V.

38 DIco primò. *Humanitatem Chriſti non prius extitiſſe, quam fuerit aſſumpta.* Eſt de fide ex Concil. Epheſ. can. 13. Chalced. *act.* 1. V. Synodo, *act.* 8. *can.* 6. & vj. Synodo *in epiſt. ſophron. contra Neſtorianos.* Probat. Lucæ 1. Quod enim ex te naſcetur Sanctum vocabitur Filius Dei, ergo cum ſit natus filius Dei, ab initio fuit facta vnio.

39 Dico ſecundò. *Neque animam præextitiſſe aſſumptioni, nec prius aſſumptam fuiſſe, quàm corpus.* Eſt de fide ex vj. Synodo *in Epiſt. Sophron.* & Leone Papa *epiſt.* 11. contra Euthic. & Originem. Probat. Anima Chriſti eſt eiuſdem rationis cum cęteris, & vt forma corporis exigit produci in ipſo: nec adeſt fundamentum aſſerendi oppoſitum. ergo

40 Dico tertiò. *Neque corpus prius extitiſſe, quam fuerit aſſumptum, atque adeò non prius fuiſſe conceptum quam aſſumptum.* Eſt de fide ex Concil. Epheſ. *can.* 15. Probat. ſi prius fuiſſet conceptum, quam aſſumptum, Beata Virgo non concepiſſet Deum, quod eſt contra fidem.

41 Dico quartò. *Neque prius animam fuiſſe aſſumptam, quàm vnitam corpori.* Eſt de fide ex iiſdem Concil. Probat. B. Virgo concepit hominem Deum, ergo in inſtanti conceptionis ad fuit homo, atque adeo mutua vnio animæ, & corporis.

An interueniat aliquis ordo naturæ.

SECTIO VI.

42 DIco primò. *Animam non fuiſſe medium vt, quo, aſſumptionis reſpectu corporis.*

Probat. ſequeretur, quod corpus non vniretur hypoſtaticè, quia tantum vniretur parti, quę eſt medium vt *quod*.

43 Dico

Digitized by Google

43 Dico ſecundò. *Non prius natura animam fuiſſe aſſumptam, quàm ſit vnita corpori, aut econtra etiam ordine exequutionis*, eſt contra Suar. *diſp.* 17. *de Incarnat. ſec.* 1. 2. *&* 3.

Probatur. Per aſſumptionem aſſumitur natura humana ad ſubſiſtendum in perſona Diuina, ergo aſſumptio per ſe primò terminata eſt ad naturam, quia per ſe primò eſt terminata ad id, quod ſubſiſtit in perſona diuina.

44 Obijcit Suar. In morte Chriſti ſoluta eſt vnio animæ cum corpore, non autem vnio partium cum Verbo, ergo vnio hypoſtatica non dependebat ab vnione partium. Reſpondetur: Licet non dependeret, debuit tamen præcedere, vt eſſet conſtituta natura quæ erat aſſumenda. Nec hinc fit, quod ablata vnione animæ, & corporis debeat auferri vnio hypoſtatica, quia non terminatur ad ipſam, ſed ad partes, vt inuicem ſubordinatas, quàm ſubordinationem retinent etiam, quando ſunt ſeparatæ.

45 Dico tertiò. *Verbum aſſumpſiſſe carnem mediante anima, & animam mediante ſpiritu tanquam medio vt quo* deſum ex 6. Synod. *act.* 8. Vbi habetur *Verbum animam, & corpus per ſpiritum, & carnem mediante anima rationali ſibi compaginaſſe*. Probat. Anima eſt formale conſtitutiuum naturæ humanæ, ergo cum ſit aſſumpta natura ſub ratione naturæ humanæ, debuit Anima eſſe medium *quo* in ordine ad aſſumptionem.

46 Obijc. Si anima eſſet medium, *quo*, in morte Chriſti ſoluta fuiſſet vnio corporis cum Verbo. Reſpond. negando ſeq. quia Verbum vnitur immediatè etiam cum corpore, quia anima eſt tantum medium *quo*, quatenus ſubordinat ſibi corpus in ordine ad talem vnionem, quæ ſubordinatio remanet ablata etiam vnione.

47 Dico quintò, prius natura eſſe aſſumptum totum, quàm partes etiam quoad exequutionem. Probat. Illud primò fuit aſſumptum ordine exequutionis, quod primò debuit terminari à perſonalitate creata, cum diuina ſuppleat creatam: totum autem debuit primò terminari, quia ſubſiſtentia non reddit partes per ſe primò incommunicabiles, ſed totum.

48 Dices. Animam prius ſubſiſtere, quàm totum. Contra. Etiam ſi ſubſiſteret ſuppoſitaliter, non tamen ſubſiſtentia humana, quia hæc non eſt poſſibilis, niſi ſit natura humana.

49 Obijc. Patres docent, per carnem, & animam fuiſſe aſſumptam humanam naturam, ergo partes prius fuerunt aſſumptæ.

Reſpond. negando conſeq. quia tantum volunt, quod humana natura fuerit aſſumpta in ſuis partibus, vt in intrinſecis conſtitutiuis.

50 Obijc. ſecundò partes ſunt priores toto, ergo debuerunt prius aſſumi. Reſpond. eſſe priores toto in ratione principij conſtitutiui: non autem in ratione aſſumptibilitatis, vnde negatur conſeq.

An potuerit aſſumi natura cum propria perſonalitate,

SECTIO VII.

51 Certum eſt. Naturam non poſſe aſſumi cum propria perſonalitate, itaut aſſumatur perſonalitas, cum hæc non poſſit terminari alia perſonalitate eo, quod ſit incommunicabilis. Rurſus poſſe aſſumi naturam ſubſiſtentem in propria perſonalitate deſtructa ipſa perſonalitate. Vnde difficultas eſt, an poſſit aſſumi conſeruata propria perſonalitate.

52 Dicendum eſt. *Non poſſe aſſumi.* Ita communiter. Probat. ſubſiſtere in propria perſonalitate, & in aliena importat modos fundãtes contradictionem; nam ſubſiſtere in propria perſonalitate eſt ſubſiſtere in ſe incommunicabiliter, atque adeo non in alio; ſubſiſtere autem in aliena, eſt ſubſiſtere in alio communicabiliter, & non in ſe ſubſiſtere autem in ſe, & non ſubſiſtere in ſe ſunt contradictoria.

53 Dices. Natura humana verè ſubſiſtit in Verbo per ſe non ſecus, ac per propriam ſubſiſtentiam, ergo ſi haberet propriam perſonalitatem non ſequeretur, quod eſſet in ſe, & non in ſe.

Reſpondet. licet ſubſiſtat in Verbo per ſe, non tamen in ſe, ſed in alio; & ideo ſequitur contradictio, ſi habeat propriam perſonalitatem.

54 Dices ſecundò. In Diuinis eadem natura terminata perſonalitate Patris vt propria, poteſt terminari etiam perſonalitate Filij, & Spiritus Sancti, ergo terminata propria perſonalitate non redditur incommunicabilis alteri Perſonę. Reſpondetur. Eſſe diſparem rationem, quia in Diuinis terminus adæquatus perſonalis importat tres perſonalitates, quæ omnes faciunt naturam ſubſiſtere in ſe. In creatis autem quælibet perſonalitas ſe ſola eſt terminus adæquatus, & ideo natura terminata per ipſam non poteſt eſſe in alio. Adde, quod in Diuinis terminata ſecundum vnum modum terminabilitatis, non poteſt vlterius terminari ſecundum illum modum,

An vna Perſona poſſit aſſumere plures naturas,

SECTIO VIII.

55 Dicendum primò. *Poſſe aſſumere non ſolum ſucceſſiuè, ſed etiam ſimul*. Ita omnes cum D. Thom. 3. *part. quæſt.* 3. *art.* 3. Probatur. Perſona Diuina habet perſonalitatem infinitam, ergo ſi poteſt terminare vnam naturam, poterit etiam aliam, cum nullius terminatio exhauriat vim terminatiuam.

56 Dicendum ſecundò. *Poſſe etiam ſimul aſſumere, naturam humanam, & Angelicam*. Probatur: naturæ ſunt aſſumptibiles: & aſſumens habet vim terminatiuam infinitam, ergo poteſt omnes ſimul aſſumere: alioquin limitaretur virtus aſſumptiua.

57 Dices. Repugnare ex parte naturarum, quia non poſſunt vniri in eodem ſuppoſito. Contra. Poſſunt vniri in eodem ſuppoſito natura Diuina, & humana, quæ infinitè diſtant. Ergo etiam humana, & Angelica.

88 Quæres: An in tali caſu haberetur communicatio idiomatum inter naturas aſſumptas? Reſpondetur affirmatiuè cum D. Thoma *in* 3. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 2. *art.* 5. Ratio eſt, quia communicatio idiomatum fundatur in communicatione in eodem ſuppoſito.

59 Quæres ſecundò. An ſi Perſona aſſumeret plures naturas humanas eſſet vnus homo? Reſpondetur affirmatiuè cum D. Dhomas 3. *part. quæſt.* 3. *art.* 7. & alijs contra Scotiſtas *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 3. & alios. Ratio eſt, quia concretum ſubſtantiuum naturæ non ſignificat naturam quomodocunque, ſed cum modo ſubſiſtendi, illę autem plures naturæ haberent vnum, & eundem modum ſubſiſtendi, quia ſubſiſterent in eodem ſuppoſito.

60 Obijcies: Natura Diuina, licet ſubſiſtat in tribus perſonis, non ſunt tamen tres Dij, quia nomen Deus ſignificat explicitè naturam, ergo cum etiam homo ſignificet explicitè naturam, erunt plures homines, quando ſunt plures humanitates. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia nomen homo in creatis ſignificat in recto, & in obliquo perſonalitatem: ſicut etiam ſignificat nomen Deus in Diuinis. In Chriſto verò, quia natura humana non ſubſiſtit in ſe, ſed in Verbo ſignificat in recto ipſam perſonalitatem, in qua ſubſiſtit; in obliquo autem humanitatem; & ideo, quia plures humanitates ſubſiſterent in eodem ſuppoſito, ſe haberent per modum vnius hominis.

An Verbum potuerit aſſumere aliam naturam.

SECTIO IX.

61 Natura humana, vt ait D. Thomas 3. *par. quæſt.* 4. *art.* 1. fuit magis aſſumptibilis, quàm cæteræ, non ratione potẽtiæ poſitiuę, ſed ratione conueniẽtię.

62 Prima

Digitized by Google

62 Prima ſententia aſſerit, naturam Angelicam non fuiſſe aſſumptibilem. Ita Albertus *in 3. diſtinct. 2. artic. 7.* & alij. Quia videlicet ratio ſuppoſiti non diſtinguitur ab ipſa, quod tamen eſt falſum.

63 Secunda ſententia aſſerit, poſſe aſſumi quamlibet naturam, etiam irrationalem: ita Caietanus 3. *p. quæſt.* 4. *art.* 1. Medina *ibidem* Scotus *in* 3, *diſt.* 2. *quæſt.* 1. Durandus *ibidem*. Capreolus *art.* 1. Suarez diſp. 4. *de Incar. ſect.* 3. Vaſquez *diſput.* 17. *cap.* 2. Raguſa *diſput.* 56. & communiter Recentiores. Probant ex Tertulliano *cap.* 3. *de carne Chriſti*, vbi ait, quod ſi Verbum veniſſet prædicare regnum cælorum in corpore alicuius feræ, debuiſſemus credere, & ex Auguſtino *cap.* 16. *de vera religione* vbi habetur, quod poterat apparere in corpore æthereo, ſecundò. In triduo mortis corpus, quod erat natura irrationalis, fuit vnitum hypoſtaticè. ergo

64 Tertia ſententia aſſerit, poſſe aſſumi ſolam rationalem naturam, ita Alenſis 3. *part. quæſt.* 2. *memb.* 2. D. Bonauentura *in* 3. *diſtinct.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. Richard. *diſt.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 4. Carthuſ. *q.* 2. Gabriel *diſt.* 1. *quæſt.* 2, *art.* 1. *ad* 2.

65 Dico primo. *Naturam Angelicam potuiſſe aſſumi*. Deſumitur ex illo ad Hebræos 2. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*. Ratio eſt, quia natura Angelica non eſt capax perſonalitatis, & ſubſiſtentia Diuina, cum ſit infinita, poteſt proipſa ſupplere.

66 Dico ſecundò. *Verbum non potuiſſe aſſumere naturam irrationalem ex incapacitate eiuſdem naturæ*. Probatur. Non poteſt Perſona Diuina ſe communicare in ordine ad vnionem hypoſtaticam, niſi ſe communicet ſub ratione perſonæ, quia cum ſecundum ſe totam ſit ratio perſonalitatis, non poteſt ſe exhibere, niſi ſecundum rationem perſonalitatis, ergo cum natura irrationalis non ſit capax perſonalitatis, non poteſt terminari à Perſonalitate Diuina. Confirmatur. Natura Irrationalis non poteſt conſtitui in eſſe filij Dei naturalis, quia non eſt capax filiationis, nec Sanctitatis, nec beatitudinis, ergo non poteſt terminari perſonalitate verbi, quia in ipſa non eſt aliquid, quod non ſit formaliter filiatio, quia tota diſtinctio qua filius diſtinguitur à Patre, & Spiritu Sancto, eſt ſolum in ratione filij.

67 Ad primum reſpondetur Tertullianum loqui tantum ex ſuppoſitione; an autem fuerit poſſibile, vel impoſſibile, non decernit. Diuus autem Auguſt. ſolum dicit, quod Verbum poterat viſibiliter apparere ſub æthereo corpore, non autem quod potuerit ipſum ſibi vnire hypoſtaticè. Ad ſecundū Corpus fuiſſe vnitum in triduo, vt partem humanæ naturæ, atque adeo cum ſubordinatione ad animam, ratione autem talis ſubordinationis eſt capax perſonalitatis: quia tota humana natura eſt capax.

DE PERSONA ASSVMENTE.

DISPVTATIO LXXIX.

An ſola Perſona Filij carnem aſſumpſerit.

SECTIO I.

1 Dicendum eſt. *Solam Perſonam Filij eſſe incarnatam* eſt de fide contra Sabellianos, & Petrū Cinateum, qui volebant, totam Trinitatem fuiſſe incarnatam, & paſſam in Chriſto, & ab ipſo orti ſunt Theopaſchitæ, & Patripaſſiani. Definitur autem in 1. Synodo *act.* 8. *can.* 4. & 10. & in Lateran. *ſub Innocentio tertio*, vt habetur in cap. *firmiter. De ſumma Trinitate*. Ratio eſt, quia Scriptura tradit, Filium ſpecialiter eſſe incarnatum, nec aliquid dicit de cæteris Perſonis.

2 Obijcitur. Ex D. Auguſtino 1. *de Trinit. cap.* 7. & 11. vbi habet, Formam Dei aſſumpſiſſe formam hominis, & alij Patres ſimili modo loquuntur, ergo. Reſpondetur. Hos Patres ita loqui, quia Perſona incarnata identificat ſibi naturam Diuinam, quæ ratione identitatis communicauit cum carne.

3 Obijcitur ſecundo, Perſonalitas eſt omnino idem cum eſſentia, ergo ſi perſona eſt incarnata, etiam eſſentia, atque adeo etiam quicquid eſt idem cum eſſentia. Reſpondetur. Licet perſona ſit idem cum eſſentia, non tamen ſe exhibet naturę humanæ ſub ratione eſſentiæ; ſed perſonalitatis, atque adeo vt diſtincta à cæteris perſonis.

4 Quæres. An cæteræ Perſonæ ſint ſpeciali modo in Chriſto. Reſpondetur Affirmatiuè cum Gabriele *lectio* 4. *in Cano: miſſæ concl.* 2. & alijs Ratio eſt Quia; cum verbum ſit idem in eſſentia cum cæteris perſonis, ſicuti eſſentia eſt ſpeciali modo in Chriſto, ita etiam cęteræ perſonæ.

5 Obijcies Tridentinum *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. Enumerans ea, quæ ſunt in Sacramento Euchariſtiæ per concomitantiā, ponit Diuinitatem, non autem Patrem, & Spiritum Sanctum. Eſſent autem per concomitantiam, ſi ex vi vnionis hypoſtaticæ eſſent ſpeciali modo in Chriſto. Reſpondetur negando ſequelam minoris. Quia ſolum ponitur in Euchariſtia per concomitantiam quod pertinet ad conſtitutionem Chriſti, et non ſignificatur ex vi verborum: hinc neque pater, & Spiritus Sanctus dicuntur manducari etiam impropriè.

Per quod Verbum terminauerit naturam humanam.

SECTIO II.

6 Prima ſententia aſſerit, vnionem humanæ naturæ eſſe factam immediatè cum indiuiduo Deitatis, vt eſt commune tribus perſonis; deinde cum proprietate perſonali Verbi, ratione cuius verbum dicitur incarnatum. Fundamentum eſt. Quia perſona humana, quæ conſtituitur in hac vnione, eſt abſoluta, & ideo debet immediate terminari per aliquid abſolutum; ita Durand. *in* 3. *diſtinct.* 7. *quæſt.* 2.

7 Secunda ſententia aſſerit, naturam primariò vniri cum proprietate perſonali; ſecundario vero cum ſubſiſtentia abſoluta Deitatis, atque adeo interuenire duplicem vnionem, ita Capreol. *in* 3. *diſtinct.* 1. *quæſt. vnica, art.* 7. *Concluſ.* 4.

8 Tertia ſententia abſolutè aſſerit, verbum terminare naturam humanam per ſuam proprietatem perſonalem; ita Caietan. 3. *part. quæſt.* 3. *art.* 2. Medina *ibidem*. Scotus *in* 3. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. Gabriel *ibidem* Ocham. *art.* 3. Suar. *diſp.* 12. *de incarnatione ſect.* 2. Vaſquez *diſp.* 26. *cap.* 3. & communiter.

9 Dico primò. *Et ſi in Deo ſit vnica tantum ſubſiſtentia abſoluta, ratio tamen terminandi humanitatem fuit ſola proprietas perſonalis*. Deſumitur ex Concilijs, & Patribus quatenus docent, vnionem factam fuiſſe in ſola perſona. Probatur ex Concilio Toletano 6, capit. 1. *Cum tota Trinitas cooperata ſit formationem ſuſcepti hominis, ſolus tamen filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitate perſonæ, non in vnitate Diuinæ naturæ, ideſt in eo, quod eſt proprium filij, non quod commune eſt Trinitati*. Et eadem Verba repetit Concilium Tolet. 11. *in confeſſione fidei*. Ratio eſt, quia ſi vnio facta fuiſſet in ſubſiſtentia communi, fuiſſet facta in natura, ſicuti facta eſt in perſona ex eo, quod eſt facta in perſonalitate verbi.

10 Dico ſecundò. *Ex vi vnionis hypoſtaticæ naturam aſſumptam non dependere à Verbo, prout dicit ſubſiſtentiam abſolutam, ſed tantum, vt dicit ſuum terminum perſonalem*. Probatur natura aſſumpta indiget tantum termino perſonali, non autem ſubſiſtentia abſoluta, cum hęc pertineat ad naturam, & non det eſſe perſonale, ergo dependet tantum a termino perſonali, quia ab eo dependet, quo indiget.

11 Ad

Digitized by Google

11 Ad fundamentum primæ ſententiæ. Reſpondetur. Perſonam humanam eſſe perſonam abſolutam ratione naturæ humanæ, non autem ratione perſonalitatis.

An hic Deus communis tribus Perſonis poſſit aſſumere.

SECTIO III.

12 SVb alio titulo ſolet etiam proponi quæſtio, nempe an natura abſtractis perſonalitatibus poſſit aſſumere aliam naturam ad ſubſiſtendum in ſe ipſa.

Prima ſententia eſt affirmatiua, et vult, quod in tali caſu vnio non fieret in perſona, ſed in ratione ſubſiſtentis, vnde natura aſſumpta eſſet hic Deus ſubſiſtens, ita Richard. *in* 3. *diſtinct.* 5. *quæſt.* 1. *art.* 4. Durand. *quæſt.* 4. Scotus *quæſt.* 2. Caietanus 3. *part. quæſt.* 3. *artic.* 3. Medina, Aluarez *ibidem*. Raguſa *diſput.* 50. *de Incarnatione* Vadingus *Diſp.* 4. *dub.* 6. Suarez *diſput.* 13. *de Incarnat. ſect.* 1. Probant ſubſiſtentia abſoluta cum ſit infinita non eſt minus potens ad terminandum, quam perſonalitas, ergo 2. Hic Deus eſt, qui immediatè creat. Perſonæ autem ſecundariò, ergo poteſt etiam immediatè aſſumere.

13 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Alenſis 3. *part. quæſt.* 2. *memb.* 3. D. Bonauentura *in* 3. *diſp.* 1. *art.* 1. *q.* 3. Vaſquez *diſp.* 27. *de Incarnat. cap.* 2.

14 Dicendum eſt. *Poſita ſubſiſtentia abſoluta neque adhuc poteſt natura præciſis perſonalitatibus aſſumere*. Probatur. Natura humana non poteſt aſſumi, niſi ſuppleatur perſonalitas; nam ſi deberet ſuppleri aliquid naturę, iam non eſſet natura humana, quia conſiſtit in indiuiſibili: natura autem Diuina ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ non poteſt formali modo ſupplere perſonalitatem creatam, quia, quod non eſt tale formaliter, non poteſt formali modo ſupplere pro eo, quod eſt formaliter tale.

15 Ad primum. Reſpond. ſubſiſtentiam abſolutam non habere rationem termini ſuppoſitalis, & ideo non poſſe terminare naturam. Ad 2. negatur aſſumptum, quia perſonalitates requiruntur ad complendum in Deo principium operatiuum. Deinde negatur etiam conſequentia, quia hic Deus habet virtutem creatiuam non autem terminatiuam.

An plures perſonæ Diuinæ poſſint ſimul aſſumere eandem naturam.

SECTIO IV.

16 PRima ſententia eſt affirmatiua, ita D. Thomas 3. *part. quæſt.* 3. *artic.* 6. Caietanus Medina, Syluius, Aluarez *ibidem*. Durand. *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 4. Suarez *diſp.* 13. *de Incarnatione ſect.* 2. Vaſquez *diſputat.* 29. *cap.* 2. Raguſa *diſputat.* 53. & alij. Probant Perſonæ Diuinæ non ſe excludunt à communicatione in eadem natura, vt patet in Diuina, ergo neque etiam à communicatione in eadem natura creata. 2. natura aſſumitur ſecundum potentiam obedientialem quæ menſuratur ſecundum potentiam aſſumentem, ergo

17 Secunda ſententia eſt negatiua; ita Scotus *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. Lichetus, & Tartaretus *ibidem*, Richardus *art.* 7. *q.* 3. Albertus *q.* 1. *artic.* 10. & cæteri Scotiſtæ.

18 Dicendum eſt. Non poſſe plures perſonas Diuinas aſſumere ſimul eamdem numero naturam. Deſumitur ex D. Anſelmo *lib.* 2. *Cur Deus homo cap.* 9. vbi ſupponit tanquam impoſſibile plures perſonas eamdem naturam aſſumere. Probatur. Vna perſona implet totam capacitatem naturæ aſſumptæ, ita vt, ſi adhuc eſſet capax vlterioris perſonalitatis, adhuc impleret ratione ſuę infinitatis, ergo non poſſunt aliæ perſonę aſſumere, quia vbi non eſt capacitas, non poteſt fieri aſſumptio. Confirmatur. Potentia obedientialis non ponit capacitatem niſi proportionatam ſubiecto, ergo non ponit in natura, niſi capacitatem termini perſonalis finiti; atque adeo hac capacitate impleta, non remanet capacitas pro vlteriori perſonalitate.

19 Dices. Duo corpora poſſunt eſſe ſimul in eodem loco, etiamſi ſingula ipſum adęquatè repleant, ergo etiam plures perſonalitates in eadem natura. Reſpondetur negando conſequentiam. Nam duo corpora ſimul penetrata non habent maiorem vim repletiuam, quàm vnum, quia vis repletiua attenditur ſecundum extenſionem localem. Plures autem perſonalitates habent maiorem vim terminatiuam, quia terminant cum plurificatione, vt patet in Diuinis. Natura autem Diuina, quia eſt terminabilis ſecundum diuerſos modos, eſt capax plurium perſonalitatum.

Ad prim. Reſpondetur. Eſſe attendendam etiam capacitatem naturæ. Ad 2. potentiam obedientialem eſſe ſecundum menſuram potentiæ Diuinæ, ſed intra capacitatem ſubiecti, vnde cum ſubiectum non ſit capax, nec etiam perſonalitas poterit terminare.

DE CAVSA MERITORIA Incarnationis.

DISPVTATIO LXXX.

An humanitas Chriſti meruerit vnionem hypoſtaticam.

SECTIO I.

1 CErtum eſt de fide contra Origenem 2. *Periarch. cap.* 6. Animam Chriſti non præceſſiſſe tempore incarnationem, vt definitum eſt in V. Synodo. Similiter etiam contra Phoſin. Chriſtum, vt hominem, non prçceſſiſſe tempore, nec meruiſſe ſummam vnionem cum Deo: vnde difficultas eſt, An humanitas meruerit per actus, quos habuerit in aliquo priori naturæ, antequam ipſa verbo vniretur.

2 Dicendum eſt. *Humanitatem Chriſti non meruiſſe incarnationem per opera, quæ ipſi conueniunt in priori naturæ*. Ita D. Thomas 3. *part. quæſt.* 2. *art.* 11. D. Auguſt. *Sermon.* 8. *de verbis apoſt.* & *De prædeſtinatione ſanctorum cap.* 15. & communiter. Probatur: Meritum ſupponit eſſe merentis, quia fundatur in operatione, quæ ex ſua natura ſupponit eſſe completum: vnio autem hypoſtatica pertinet ad eſſe Chriſti, cum ipſum conſtituat in ratione ſuppoſiti. Confirmatur. Natura non reſpicit operationem, niſi mediante ſuppoſito, ergo operatio ex natura ſua ſupponit eſſe ſuppoſiti.

3 Dicendum 2. *Neque per opera ſubſequentia Chriſtum meruiſſe vnionem hypoſtaticam*. Ita communiter. Probatur meritum facit debitum prçmium, quod alias non eſt debitum, nec habetur propriè. omnia autem opera Chriſti ſupponunt vnionem iam habitam a Chriſto, & quando fuerunt præuiſa, fuerunt dependentia ab ipſa vnione.

4 Obijcitur. Apocalyp. 5. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & Diuinitatem*. ergo. Reſp. Intelligi de acceptione laudis, in qua manifeſtatur Diuinitas, ita Lyranus, Rupertus & alij hic.

5 Obijcitur 2. Pſalmo 44. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus*. Reſpondetur particulam, *propterea*, explicare ordinationem, quia vnctio fuit ordinata ad hoc, vt Chriſtus diligeret iuſtitiam; vnde eſt quidam Hebraiſmus, quia cum hæbrei careant præterito imperfecto, vtuntur pro ipſo præterito perfecto, vnde ſenſus eſt vt diligeret iuſtitiam, propterea vnxit te Deus.

6 Obij-

Digitized by Google

6 Obijcitur tertiò. Præmium poteſt antecedere meritum, vnde gratia collata ante aduentum Chriſti, fuit ex meritis Chriſti. Reſpondetur poſſe antecedere duratione, non autem cauſalitate; ſufficit enim, quod Deus præuideat meritum, vt det præmium, antequam meritum ponatur in actu.

An de potentia abſoluta potuerit Chriſtus mereri Incarnationem.

SECTIO II.

7 PRima ſententia aſſerit, nõ implicare, quod Chriſtus potuerit mereri de cõdigno exequutionẽ Incarnationis, ita Suar. *diſp.* 10. *de incar. ſect.* 4. Vadingus *dub.* 4. Probant. Potuit Deus conferre gratiam vnionis humanitati non abſolutè donando, ſed quaſi ſub conditione, per modum anticipatæ ſolutionis, vt videlicet ipſam poſtea per opera mereretur: ſicuti poteſt Rex tribuere militi arma, & ſtipendium futuri laboris.

8 Secunda ſententia eſt negatiua. ita D. Thom. 3. *par. quæſt.* 2. *artic.* 10. Caietanus *ibidem*. Aluarez *diſput.* 16. *de Incarnatione* Raguſa *diſput.* 42. Vaſquez *diſput.* 27. *capitul.* 2.

9 Dico primò. *Non potuiſse humanitatem Chriſti etiã de potentia abſoluta mereri incarnationem*. Probatur. Actiones ſunt ſuppoſitorum, & non poteſt natura operari, niſi ſit ſuppoſita, ergo non potuit humanitas habere aliquas operationes, per quas mereretur vnionem.

10 Dices. Actiones eſse ſuppoſitorum Denominatiuè; *non autem quia debeant præcedere ſuppoſita*. Contra licet Perſonalitas non ſit ratio agendi, eſt tamen complementum conſtituens naturam in ſtatu proximo operandi, ergo cum omne agens debeat prius habere ſuum eſſe completum, quam alteri ſe communicet, non poteſt aliqua actio prouenire ab ipſo niſi ſit ſuppoſitata: ſic in Diuinis eſſentia nec generat, nec ſpirat, ſed perſona.

11 Dices ſecundò. Licet ſubſiſtẽtia ſit prior operatione, non tamen prioritate cauſalitatis. Contra. Subſiſtentia conſtituit principium *quod*, principium autem *quod* eſt prius cauſalitate, quia operatio dependet ab ipſo.

12 Dico ſecundò. *Neque per opera ſubſequentia potuiſſe Chriſtum mereri vnionem hypoſtaticam*. Probatur. Principium meriti non cadit ſub meritum; & ideo antequam meritum habeat eſſe, præſupponitur principium in eo, qui meretur, ergo non poteſt accipere eſſe ab ipſo merito, ergo, cum de ratione meriti ſit, quod cauſet præmium, non poteſt principium meriti habere rationẽ præmij reſpectu eiuſdem meriti. Sed in Chriſto vnio hypoſtatica eſt principium omnis meriti. ergo

13 Dices. Vnionem eſse principium phyſicum meriti; meritum autem eſſe cauſam moralem incarnationis: non implicat autem, quod cauſæ diuerſi ordinis ſint ſibi inuicem cauſæ. Contra Adhuc in genere efficientis eſsent ſibi inuicem cauſæ; nam incarnatio cauſaret meritum vt meritum, & meritum vt meritum cauſaret incarnationem; vnde talis vnio eſset prior, & poſterior merito ſecundum exiſtentiam.

14 Dico tertiò. *Nec de potentia abſoluta potuiſse Chriſtum mereri per opera ſubſequentia exequutionem incarnationis*. Prob. Merita ſubſequentia in eſse præuiſo sũt poſteriora cauſalitate exequutione incarnationis, cum præuideantur, vt dependentia ab ipſa, ergo non poteſt exequutio eſſe ex meritis præuiſis.

15 Dices. Potuiſse Deum conferre Chriſto vnionem cum conditione alicuius operis exhibendi per modum compenſationis. Contra. Meritum non eſt ad compenſandum, ſed ad obtinendum, ergo hoc opus non habet rationem meriti.

16 Dices ſecundò. Potuiſse Deum decernere vnionem cum hac, vel illa perſona Diuina diſiunctim, & deinde præuidens merita illius hominis, decernere ſubſiſtentiam verbi intuitu ipſorum. Contra. In illo ſigno non præuiderentur merita perſonalia Chriſti; quia non eſſent dependentia à tali determinata perſona: immo nulla præuiderentur, quia meritum eſt eſsentialiter dependens à determinato principio, ergo. Confirmatur. Si præuiderentur merita, deberent præuideri vt procederent à tali perſona vnita humanitati, quia talis effectus eſsentialiter exigit cauſam ſingularem determinatam.

17 Dico quartò; *Neque potuiſse mereri continuationem Incarnationis*. Eſt contra Suarez *diſp.* 10. *de Incarnatio. ſectio.* 6. Probatur. Non potuit mereri, quod primò ipſi conferretur vnio hypoſtatica, ergo nec continuationem, quia Deus decernens vnionem, debuit ipſam decernere neceſsariò cum aliqua duratione, atque adeo ſimul etiam decernere perpetuitatem.

18 Dices. Potuiſse Deum decernere vnionem pro aliquo tempore, in quo Chriſtus mereretur: deinde præuidens merita decernere perpetuitatem. Contra. Deus non poteſt decernere durationem rei pluribus decretis, alioquin mutaretur, ergo. Antecedens probatur ex vi primi decreti vellet tantam durationem, atque adeò illam limitaret ad tantam menſuram, deinde ex vi ſecundi decreti ſupperadderet nouam durationem, ergo mutaretur: ſicut mutaretur, qui vellet ambulare per horam, deinde per aliud decretum vellet continuare vltra illam horam.

19 Ad Fundamentum Oppoſitæ ſententiæ negatur paritas. Quia in illo caſu ſolutio anticipata poteſt eſse obiectum meriti, nam is, cui fit, non acquirit ius, niſi poſito merito, & antecedit meritum ſolus vſus; vnio autem hypoſtatica fuit primò data Chriſto abſolutè, nec poterat aliter dari, quia pertinebat ad conſtitutionem ipſius.

20 Ex Dictis colligitur. Neque Chriſtum potuiſse mereri vnionem hypoſtaticam cum illis partibus carnis, oſſibus, &c. quæ de nouo acquirebantur ex vi nutritionis: quia cum Chriſtus fuerit decretus homo ſimul etiam fuit decretus cum ijs omnibus, quæ ipſi, vt homini conueniebant; atque adeo cum augmentatione: vnde etiam in illo ſigno fuit decreta vnio hypoſtatica cum illis partibus, & ideo erat debita ex natura rei, nec poterat habere rationem præmij.

21 Colligitur ſecundò: Chriſtum potuiſse mereri de condigno, & probabiliter meruiſſe illas circumſtantias incarnationis, quæ ſunt extrinſecæ productioni, & eſse eiuſdem Chriſti, nec per ſe connexæ, quia licet hæ circũſtantiæ, vt reuelatio incarnationis tempore præceſſerint, non tamen præceſſerũt cauſalitate merita Chriſti: & ideo potuerunt decerni intuitu ipſorum meritorum: ſecus autem de ijs, quæ præceſſerunt cauſalitate.

An antiqui Patres meruerint Incarnationem.

SECTIO III.

22 SVpponendum eſt. Certum eſſe, antiquos Patres non meruiſſe de condigno Incarnationem, vt docent communiter cum D. Thoma 3. *part. quæſt.* 2. *art.* 11. quia opera ipſorum ex natura ſua ordinabantur ad beatitudinem, in qua habebant adæquatum præmium condignum: imo nec potuiſse mereri etiam de potentia Dei abſoluta, quia etiamſi habuiſsent merita independentia à meritis Chriſti, adhuc tamen non fuiſsent tanti valoris, poſito etiam pacto Dei, vt adæquarent valorem vnionis, nec ex natura ſua ordinarentur ad ipſam obtinendam.

23 Supponendum ſecundò contra D. Bonauenturam *in* 3. *diſtinct.* 10. *artic.* 2. *quæſt.* 2. Neque de condigno potuiſse mereri effectum incarnationis, qui eſt apertio regni cælorum, talis enim apertio eſt aliquid de redemptione, & importat collationem primæ gratiæ, quæ eſt gratuita, nec poteſt condignè obtineri à pura creatura: vnde ad Tit. 3. *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam*.

Digitized by Google

24 Supponendum tertiò. Neque de condigno, neque de congruo potuiſse mereri prædeſtinationem Incarnationis. Quia omne meritum ipſorum fundabatur in fide Chriſti, & prædeſtinatio incarnationis fuit principium omnis gratię, atque adeo omnis meriti, vnde tota difficultas eſt de merito de congruo reſpectu Incarnationis, & circumſtantiarum.

25 Prima ſententia aſſerit, meruiſſe de congruo tàm ſubſtantiam Incarnationis, quam circumſtantias, præſertim accelerationem, ita Suarez *diſput.* 10. *de Incarnatione ſect.* 6. Raguſa *diſput.* 44. Aluarez *diſp.* 17. Caietanus 3. *part. quæſt.* 2. *artic.* 11. Medina *ibidem*. & communiter Thomiſtæ. Probant. Patres orabant, non ſolum pro circumſtantijs, ſed etiam pro ſubſtantia incarnationis, vt paſſim habetur in Scriptura, ergo cum oratio habuerit debitas conditiones, fuit meritoria de congruo, ſecundò. Patres ſe-ipſos diſponebant per actus amoris ad beneficiũ incarnationis, ergo. tertiò. Potuerunt impetrare Incarnationem, ergo etiam mereri de congruo, quia ſi impetrationi non obſtat, quod fundetur in meritis Chriſti, nec etiam obſtabit merito de congruo, quartò. Abraham meruit de congruo per obedientiam, vt Chriſtus naſceretur ex ſemine ipſius. Genes. 22. Simeon ob ſua merita obtinuit vt videret Chriſtum Lucæ 2. Daniel obtinuit, ne incarnatio differretur vltra 70. hebdomadas. Danielis 9.

26 Secunda ſententia docet, non meruiſſe de congruo incarnationem quoad ſubſtantiam, ſed tantum aliquas circumſtantias, ita Scotus *in* 4. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 7. Gabriel *diſtinct.* 4. *art.* 3. Richardus *art.* 3. *quęſt.* 1. Vaſquez *diſp.* 23. *de Incarnatione cap.* 2. Hurtadus *diſput.* 27. *ſect.* 2. §. 23. & *diſp.* 29. *& per totum*.

27 Dico primo. *Antiquos Patres etiam de potentia Dei abſoluta ſtante diſpoſitione, quæ de facto fuit, non potuiſse mereri Incarnationem*. Probatur. Quia merita ipſorum ſecundum præſentem diſpoſitionem fuerunt ex gratia Chriſti; vnde non potuit Deus illa præuidere, niſi cum dependentia à meritis Chriſti, ergo non potuerunt præuideri, niſi pręuiſa incarnatione, vt exequutio mandata, ergo non potuit exequutio incarnationis eſſe dependens à meritis Patrum.

28 Dico ſecundò. *Nec potuiſse de congruo mereri accelerationem, ſeu determinationem temporis, quo fieret incarnatio.* Deſumitur ex D. Auguſt. *quæſt.* 83. *ex nouo teſtamento.* Vbi habetur. *Idcirco non quæres, quando debuit venire, voluntatis ſuæ rationem ſequutus, non meritorum: nam ſi merita perpendas, venire non debuit*. Probatur. Totum meritum veterum Patrum fuit fundatum in meritis Chriſti, quæ de facto fuerunt; atque adeo non potuit præuideri, niſi cum dependentia ab ipſis vt futuris in tali differentia temporis, & conſequenter cum dependentia etiam à Chriſto vt futuro in tali differentia temporis, ergo quando præuiſum eſt, ex neceſſitate ſupponebat determinatum tempus incarnationis.

29 Dico tertiò. *Patres antiquos meruiſse de congruo aliquas circumſtantias incarnationis per accidens connexas cum ipſa, vt reuelationem, &c.* Probatur. Hæ circumſtantiæ ſunt perſonale beneficium, & non antecedunt cauſalitate merita Chriſti, ergo potuerunt cadere ſub merito de congruo.

30 Dico quartò. *Non potuiſse mereri de congruo circumſtantias per ſe connexas cum incarnatione*. Prob. Hæ circumſtantiæ debuerant decerni à Deo, antequã pręuideret merita Chriſti, vt per ſe cõnexæ cũ ipſa incarnatione, ergo antequam præuideret merita veterum Patrum.

31 Ad primum. Reſpondetur. Illas petitiones non fuiſſe merita, ſed tantum manifeſtationem deſiderij de exequutione incarnationis. Ad ſecundum. Illos actus non diſpoſuiſſe Patres poſitiuo modo, quia diſpoſitio ponit aliquam exigentiam, quę non poterat fundari reſpectu incarnationis in actibus puræ creaturę. Ad 3. negatur aſſumptum. Quia impetratio non poteſt tẽdere in id, quod iam intelligitur conceſſum. Ad quartum. Abraham tantum de congruo meruiſſe, quod ipſi reuelaretur benedictio, quam Deus decreuerat conferre. Ad illud Danielis reſpondetur eodem modo ſicut etiam ad illud Simeonis.

An Beata Virgo meruerit eſse Mater Dei.

SECTIO IV.

32 SVpponendum eſt. Aliquomodo meruiſſe, cum ita communiter Patres loquantur. Ambroſius *lib.* 2. *de virgine.* Epiphanius hęreſi 38. Aug. *cap.* 36. *de natura, & Gratia.* Certum eſt tamen, non potuiſse mereri eſſe matrem Dei antecedenter ad decretum incarnationis, vt docent communiter cum Diuo Thom. 3. *par. q.* 2. *art.* 11. *ad* 3. Quia cum non poſsit eſſe maternitas Dei ſine incarnatione, ſi illam meruiſſet antecedenter ad incarnationem, meruiſset etiam incarnationem. Vnde difficultas procedit, ſuppoſito iam decreto incarnationis.

33 Prima ſententia aſſerit, meruiſse de condigno, ita Gabriel *in* 3. *diſtinct.* 4. *quæſt.* 7. *dub.* 3. Almain. *ibidem.* Maior. *quæſt.* 4. & alij Recentiores Thomiſtæ. Probant, ſe diſpoſuit condigne ad hanc dignitatem ex diuina motione, & gratia, quę fuit ordinata ex Dei diſpoſitione ad maternitatem, ergo

34 Secunda ſententia aſserit, meruiſse de congruo. ita Richard. *in* 3. *diſtinct.* 4. *artic.* 3. *quæſt.* 1. Caietan. 3. *par. quæſt.* 2. *art.* 11. Medina *ibidem* Cabrera *diſput* 6. Suarez *diſp.* 10. *ſect.* 8. Vaſquez *diſp.* 23. *cap.* 4. Aluarez *diſp.* 17. Vadingus *diſp.* 10. *dub.* 8. & alij. Probant. Se diſpoſuit digniſſimè; diſpoſitio autem importat meritum de cõgruo, 2. Lucæ 1. *Beata, quæ credidiſti, quia perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino*, & in Cantico Magnificat. *Quia reſpexit humilitatem, &c.* ergo ratione fidei, et humilitatis meruit maternitatem.

35 Tertia ſententia aſſerit, nec de cóndigno, nec de congruo meruiſse ita Lorca. *diſp.* 23. *de incarnat.* Nazar. 3. *part. quæſt.* 2. *artic.* 11. *controu.* 3. *concluſ.* 11.

36 Notandum primò. Meritum ſumi propriè; & impropriè: primò modo fundatur in actione morali bona, et tendit aſſequutiuo modo reſpectu præmij; ſecundo modo non fundatur in actione, ſed in habituali excellentia perſonæ, & tendit dignificatiuo modo ponendo aliquam congruam capacitatem, vt cum quis ratione doctrinæ dicitur mereri cathedram.

37 Notandum ſecundò. Meritum impropriè dictũ poſſe habere fundamentum vel in perſona, quæ dicitur mereri; vel in acceptatione conferentis gratiã, quatenus ex ſua beneuolẽtia aliquẽ acceptat, vt ipſi conferat beneficium.

38 Notandũ tertiò, Quando Patres tribuunt meritum Beatæ Virgini reſpectu maternitatis, loquuntur de merito impropriè dicto; nam ipſum fundant in habituali dignitate perſonæ, vt pręſertim explicat Baſilius *homilia de humana Chriſti generatione*.

39 Dico primò. *Beata Virgo fuit digna mater Chriſti*. Probatur. Angelus illam ſalutans dixit, Aue gratia plena, & fuit pręſeruata ab Originali, ergo cum non potuerit alio pacto dignificari, quàm per gratiam, eo ipſo, quod erat plena gratia, erat digna.

40 Dico 2. *Non potuiſſe mereri de condigno maternitatem*. Prob. Non potuit de condigno mereri incarnationem, ergo nec maternitatem, quia eſse matrẽ Dei eſt idẽ realiter cum incarnatione, nam dicit concipere Deum hominem, quod non eſt aliud, quàm Deum incarnari.

41 Dico 3. *Nec de congruo potuiſse mereri maternitatẽ, merito propriè dicto*. Prob. quia merita Beatę V. fundantur in meritis Chriſti, ergo illa ſupponũtur vt exequutioni mandata, ergo etiam Chriſtum vt cauſam ipſorum, atque adeo generationem ipſius, & maternitatem.

42 Reſp. Vaſq. Potuiſse præuideri Chriſtũ independẽter à Virg. & poſtea Virg. habere ex meritis Chriſti gratiã, qua mereretur maternitatẽ. Cõtra. Chriſtus nõ potuit pręuideri, vt realiter futurus, in aliqua differẽtia tẽporis,

niſi

Digitized by Google

niſi cum ijs omnibus, quæ erant per ſe connexa cum ipſo, ergo cum in nulla differentia temporis fuerit ſine illa parte materiæ, ex qua eſt formatum corpus ipſius, atq; adeo ſine dependentia Beatę Virginis, non potuit prędiuideri, niſi prauiſa etiam maternitate.

43 Reſpondetur ſecundò. Principium eſſendi, & merendi immediate non poſſe cadere ſub merito; poſſe tamen mediatè, qualis fuit maternitas. Contra. Ideò non poteſt cadere ſub meritum principium immediatum merendi, quia ſecundum exiſtentiam præſupponitur ad meritum, ſed etiam præſupponitur mediatum. ergo

44 Reſpondent tertiò Recentiores aliqui. Non repugnare, quod illud, quod nunc eſt cauſa, ſit poſtea effectus pro alio tempore, dummodo non detur mutua dependentia in eodem inſtanti, & ideo potuiſſe Beatam Virginem ex meritis Chriſti, quæ habuit in paſſione, obtinere gratiam, per quam mereretur maternitatem, quia illa merita, & exiſtentia Chriſti tempore paſſionis non dependebant à maternitate. Contra. licet Chriſtus tempore paſſionis non dependeret à Virgine, erat tamen poſterior natura in ordine ad exiſtentiam maternitate Virginis; quia conſeruabatur vt genitus ex ſemine Abrahæ, quod eſsentialiter ſupponebat, eſſe genitum ex tali Virgine, ergo adhuc in ordine ad exiſtentiam fuiſſe prior maternitate, quatenus vt cauſa meritoria illam obtinuiſſet, & poſterior, quatenus exiſtentia ipſius atque merita præſupponebant prioritate cauſalitatis ipſam Virginem, & eius maternitatem.

45 Reſpondent quartò Alij. Chriſtum fuiſſe productum duplici actione adæquata, quarum vna fuit à ſolo Deo, & altera à Virgine: atque vt dependentem à prima fuiſse præuiſum habere merita, quibus obtineret gratiam Virgini, qua mereretur maternitatem. Contra ſequeretur, quod idem eſſet cauſa ſui ipſius in eodem inſtanti, atque adeò prius, & poſterius ſe ipſo. Quia Chriſtus in primo inſtanti per ſuum meritum obtinuiſſet gratiam, qua Virgo mereretur maternitatem, & productionem, qua in eodem inſtanti produceretur idem Chriſtus.

46 Probatur ſecundò ex Patribus, qui tale meritum excludunt Hieronim. dialog. 1. contra Pelag. *Aduerte, quod Beatam ſe ſic dicit, non proprio merito, atque virtute, ſed Dei in ſe habitantis clementia*. Fulgentio de Incarnatione capitul. 7. *Ipſum Deum hominem factum, non humanis meritis, ſed concepti naſcentiſque ex ea ſummi Dei dignitate promeruit*. Bernardo ſermone de Natiuitate Virginis. *Maria non prætendit meritum, ſed gratiam quærit*. Et idem habet D. Auguſt. *de prædeſtinatione Sanctorum, cap.* 15.

47 Dico quartò. *Meruiſſe maternitatem merito impropriè dicto*. Probatur. Hoc meritum conſiſtit in dignitate habituali: hæc autem fuit maxima in Beata Virgine.

48 Ad Fundamentum primæ ſententiæ Reſpondetur. Illam diſpoſitionem fuiſſe tantum præparationem per modum excellentię perſonalis, & ideo fundauit tantum meritum improprium.

49 Ad primum ſecundæ ſententiæ. Illam tantum diſpoſitionem importare meritum de congruo, quæ fundat aliquam connaturalitatem reſpectu præmij, quod non interuenit in diſpoſitione Virginis. Ad ſecundum Virginem ratione fidei, & humilitatis fuiſse diſpoſitam; non autem meruiſse de congruo; & illa particula cauſalis ſignificat non meritum, ſed ſolam dignitatem diſponentem.

DE TERMINO Incarnationis.

DISPVTATIO LXXXI.

Quinam ſit terminus Incarnationis.

SECTIO I.

1 INcarnatio ſolet explicari nomine vnionis, & aſsūptionis, quę licet ſint idem realiter, differunt tamē in modo ſignificandi ex D. Thoma *3.p.q.2.ar.*8. quia videlicet vnio nō magis determinat vnum extremum, quam aliud; aſſumptio verò determinat, nam facit, quod vnum ſit aſsumens, & alterum aſsumptum. Deinde vnio ſignificat inferri per modum actionis, aſsumptio verò per modum motus, nam aſsumere eſt ad ſe ſumere.

2 Supponendum eſt Terminum adæquatum in carnationis eſse ipſum Chriſtum, vt docent communiter cum D. Thom. *3.p.q.2. artic.6.* Vnde in iij. Synodo *act. viij. canone iij.* habetur, Incarnationem eſse terminatam ad vnitatem verbi Dei ſecundum compoſitionem ad corpus animarum; vnde difficultas eſt de termino formali.

3 Dico primò. *Terminum formalem non eſse humanitatem ſecundum ſe conſideratam*, eſt contra Vaſquez *diſp.19. de Incarnatio c.2.* Probatur. Humanitas ſecundum proprium eſse præſupponitur ordine naturæ ad incarnationem, nec eſt forma, qua conſtituatur terminus totalis, vt ſubſternitur actioni incarnatiuę, quia talis forma habetur ex vi incarnationis formaliter. ergo

4 Dico ſecundò. *Terminum formalem Incarnationis eſſe ipſam communicationem paſſiuam, qua extrema ſibi inuicem communicant.* Probatur. Hæc communicatio eſt ratio, per quam fit terminus totalis, & cui conuenit per ſe primò fieri, ergo eſt terminus formalis.

5 Dico tertiò. *Terminum formalem aſſumptionis non eſſe humanitatem*, eſt contra Recentiores quoſdam. Probatur. Humanitas in aſſumptione ſe habet materiali modo, cum ſit id, quod aſſumitur, ergo non eſt terminus formalis aſsumptionis.

6 Dico tertiò. *Terminum formalem aſſumptionis eſſe terminationem perſonalem, qua verbum terminat naturam.* Probatur? Ille eſt terminus formalis, quo perficitur natura vt aſsumptibilis; iſta autem terminatio eſt id, quo perficitur.

7 Quęres. An aſsūptio habeat terminū à quo poſitiuū. Reſpond. Affirmatiuè; & eſse ſtatum eſsendi naturalem, quem habet humanitas in priori naturæ, antequam aſsumatur, conſequentem proprium eſse humanitatis; non autem eſse ſuppoſiti, quia non præcedit naturam.

An Terminus ad quem ſit Perſona compoſita.

SECTIO II.

8 SVpponendum eſt. Eſse de fide, in Chriſto eſse extrema ita realiter diſtincta, vt tamen conſtituant vnum per ſe; vnde in Chriſto eſt compoſitio ſaltem impropria; & hoc tantum volunt Concilia, quando definiūt, in Chriſto eſse compoſitionē vt VIII. Synodus *can.*4. & vj. Synodus *act.* 4. & *in Epiſt. ad Sophron.* agebant enim contra Hæreticos, qui ponebant vnicam tantum naturam in Chriſto per confuſionem, eſt contra illos, qui negabāt veram vnionem: vnde vt ſignificarent impermixtionem naturarum, & veram vnionem, adhibuerunt nomen compoſitionis. Inter Catholicos autem difficultas eſt, an interueniat compoſitio propriè dicta.

9 Prima ſententia eſt affirmatiua. ita Caietanus 3.

part. quæſt. 2. *art.* 4. Medina *ibidem*. Suarez *diſp.* 7. *de Incarnatione ſection.* 4. Raguſa *diſp.* 37. Hurtadus *diſp.* 19. §. 3. & communiter Recentiores. Probant, Illud eſt compoſitum, quod eſt vnum ex pluribus. Talis autem eſt Chriſtus, cum conſtet ex duabus naturis: ſecundò. Chriſtus non eſt ſimplex, ergo compoſitus; quia inter ſimplex, & compoſitum non datur medium.

10 Secunda ſententia eſt negatiua, ita Magiſter *in* 3. *diſt.* 6. D. Thomas *quæſt.* 2. *artic.* 3. D. Bonauentura *art.* 1. *quæſt.* 2. Scotus *diſt.* 7. *quæſt.* 3. Durandus *ibid.* Gabriel. *quæſt.* 7. *artic.* 3. & alij.

11 Dicendum eſt. *Perſonam Chriſti non eſſe compoſitam compoſitione propriè dicta*. Probatur. Non poteſt fieri compoſitio, niſi extrema ſint inuicem componibilia compoſitione propriè dicta; verbum autem, ſeu natura diuina, & humanitas non ſunt talia, ergo. Minor Probatur. Tum quia componibile dicit ordinem ad aliud, cum quo poteſt componere, & ratione huius ordinis eſt commenſuratus exigentiæ ipſius, quod non poteſt conuenire verbo. Tum quia componibile ſe habet potentialiter, & poteſt perfici per actum compoſitionis. Tum quia componibile ordinatur ad compoſitũ, & eſt propter ipſum, quod repugnat verbo. Tũ quia componibile eſt pars compoſiti, verbum autẽ non poteſt eſſe pars, vt docet Auguſtinus 3. *contra Maximinum. cap.* 10.

12 Dices hæc eſſe vera, quando componentia ſunt finitæ perfectionis. Contra. Nam hæ conditiones ſunt eſſentiales componibili vt tale eſt, atque adeo inſeparabiles.

13 Dices 2. Id eſſe verum de componibili, quod ex natura ſua ordinatur ad compoſitionem. Contra. Componibile ex intrinſeco ſuo ordinatur ad compoſitionem, ergo quod nõ ordinatur nõ eſt componibile propriè dictũ.

14 Dices 3. Non eſſe de ratione compoſitionis, quod fiat ex partibus, ſed ſufficere, ſi fit ex pluribus realiter diſtinctis. Contra. Compoſitio propriè dicta eſt ex cõponibilibus propriè dictis, quæ ſunt eſſentialiter partes. ergo

15 Dices quartò. Verbum eſſe partem ſeclutis imperfectionibus. Contra. Pars eſſentialiter eſt minor toto, & potentialiter ſe habet ad ipſum ratione ordinis tranſcendentalis, quem dicit vt pars eſt.

16 Dicendum 2. *Hanc compoſitionem impropriè dictam non eſſe vnius ex duobus, ſed vnius ad alterum attendendo modum compoſitionis*. Prob. ſi eſſet vnius ex duobus reſultaret tertium, quod haberet modum eſſendi diuerſum à ſingulis, quod eſt falſum, quia tota vnitas eſt vnitas Perſonæ, nam humanitas trahitur ad participandum modum eſſendi perſonalem verbi.

17 Ad primum Reſpondetur. Chriſtum non conſtare ex pluribus componibilibus propriè dictis, & ideo non eſſe propriè compoſitum.

Ad 2. Inter ſimplex, & compoſitum non dari medium, ſi per compoſitum intelligatur omne id, quod fundat negationem ſimplicitatis, quæ fundatur etiam in compoſito impropriè dicto.

18 Ex his colligitur, quomodo in Chriſto nõ ſit duplex perſona, alia ſimplex, & alia compoſita. Quia videlicet, quæ erat ſimplex ante incarnationem, fit cõpoſita, nõ quia mutetur, ſed quia incipit ſubſiſtere in alia quoq; natura.

DE CHRISTI FILIATIONE,

DISPVTATIO LXXXII.

An Chriſtus ſit Filius adoptiuus Dei.

SECTIO I.

1 SVppoſito myſterio Incarnationis certũ eſt, Chriſtum eſſe filium Dei naturalem, quia habuit in ſe Diuinam ſubſiſtentiam Verbi, per quam conſtituitur filius naturalis: Quæritur autem, an ſit etiam filius adoptiuus.

2 Supponendum eſt. Deum mediante gratia adoptare ſibi filios. Ad Gal. 1. *Vt adoptionem filiorum reciperemus.* adoptare enim eſt admittere aliquem tãquam filium ad communicandum in proprijs bonis, tribuendo ius hæreditatis. Deus autem per gratiam tribuit ius hæreditatis ad communicandum in proprijs bonis beatitudinis.

3 Supponendum ſecundò. De ratione adoptionis eſſe, vt ſit aſſumptio alicuius, qui non eſt filius in locum filij, atque adeo quod ſit perſona extranea, vt docet Concilium Francofordienſe *circa finem*.

4 Dicendum eſt. *Chriſtum ita eſſe filium Dei naturalem, vt non ſit adoptiuus.* Eſt contra Felicem Epiſcopum Vrgelitanum, & Elipandum Archiepiſcopum Toletanum. Et definitum eſt in Concilio *citato*. in *Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ*, & ab Adriano 1. *in Epiſtola ad eoſdem Epiſcopos*, quæ habetur in eodem Concilio. Probatur; Chriſtus ſignificat, Deum eſſe ſibi patrem ſpeciali modo Joan. 12. *Pater clarifica filium tuum:* & cap. 20. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum:* non dixit autem ad Patrem noſtrum, ne faceret ſibi communem filiationem cum cæteris hominibus. Ad Romanos 8. *Proprio filio ſuo non pepercit*. Ad Hebr. 7. *Cui enim Angelorum aliquando dixit, filius meus es tu*. Ergo cum Chriſtus, ſecundum quod homo, ſit ſpeciali modo filius, non erit filius adoptiuus, ſicut cæteri.

5 Obijcitur: Chriſtus eſt ſimul ens imparticipatum, & participatum: ergo etiam ſimul filius naturalis, & adoptiuus. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia ratio participati, & imparticipati conuenit ratione diuerſæ naturæ, & ideo non ſe inuicem excludunt, ſicut filiatio naturalis, & adoptiua, quæ requirunt conditiones contradictoriè oppoſitas; nempe quod perſona ſit extranea adoptata, & non ſit extranea.

6 Obijcitur ſecundò: Chriſtus habuit formale conſtitutiuum filiationis adoptiuæ videlicet gratiam, ergo etiam habuit effectum formalem. Reſpondetur negando antecedens, quia gratia non eſt formale conſtitutiuum adoptionis, niſi prout connotat voluntatem Dei accipientis in filium, qui non eſt filius, & negationem filiationis naturalis.

An, & qua certitudine Chriſtus vt homo ſit Filius Dei naturalis.

SECTIO II.

7 PArticula reduplicatiua reduplicat ipſam humanitatem. Vnde ſenſus eſt, An Chriſtus ſecundum humanitatem ſit filius Dei naturalis, an verò poſſit dici adoptiuus.

Prima ſententia aſſerit, Chriſtum poſſe dici filium adoptiuum ratione humanitatis: hanc tamen propoſitionem non eſſe vſurpandam ſimpliciter, ne faueamus hæreticis, poſſe tamen vſurpari cum aliquo addito, quo ſignificemus filium adoptiuum tantum ſecundum humanitatem: ita Durandus *in* 3. *diſtinction.* 14. *quæſt.* 7. Scotus *diſtinctione* 10. *quæſt.* 11. Ballolis *articul.* 2. Probant ex Diuo Irenæo. 3. *contra hæreſ. c.* 1. Hilario 2. *de Trinit. poſt medium*, qui Chriſtò tribuunt adoptionẽ. 2. Chriſtus, in quantum homo, fuit filius Dei, non naturalis, quia nõ fuit naturaliter genitus, ergo adoptiuus. Tertiò. Chriſtus vt homo ex vi gratiæ habitualis eſt admiſſus ad hæreditatem cœleſtem, Ad Heb. 1. *Quem conſtituit hæredẽ vniuerſorũ*, ergo eſt filius adoptiuus, quia hæreditas non conuenit filio Dei naturali. 4. Si Spiritus Sanctus aſſumeret humanitatem cũ gratia habituali, illud ſuppoſitũ, quatenus homo eſſet filius Dei adoptiu⁹, quia nõ eſſet naturalis, ergo etiã de facto Chriſtus vt homo ratione gratiæ eſt adoptiuus.

8 Secunda ſententia aſſerit, nullo modo eſſe filium adoptiuum: ita Diuus Thomas 3. *part. quæſt.* 23. *art.* 4. Caietanus,

Digitized by Google

Caietanus, Medina, & alij ibidem Suarez *diſp.49.de Incarnat. ſect.2.* Vaſquez *diſp.89. cap.6.* Raguſa *tomo 2. diſp. 2.* & alij differunt tamen inter ſe Recentiores, nam aliqui negant eſſe de fide, vt Medina Suarez Raguſa, alij verò affirmant.

9 Dicendum eſt. *Concilium Francofordienſe damnaſſe errorem, quod in Chriſto fuerit filiatio ad optiua: & ſenſiſſe, quod ponere in Chriſto filiationem adoptiuam, eſſet ponere duos filios, atque adeo duas perſonas, et hoc pacto aſſeruiſſe felicem, & Elipandum excitaſſe errorem Neſtorij.* Probatur Adrianus Papa in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, cum protuliſſet plura loca ſcripturæ, quæ probant, Chriſtum non eſſe filium adoptiuum, ſed naturalem, ſubdit. *Quod ſi callida tergiuerſatione ea referantur ad Diuinitatem, ſeparari à communione Eccleſiæ,* & concludit. *Animaduertant, quia nihil nobis reſtat, vt ſecundum Diuinitatem tantum modo credatis dixiſſe Patrem, hic eſt filius meus dilectus, ſed potius ſecundum humanitatem.*

10 Probatur ſecundò: Concilium habet hęc verba. *Item vnitas perſonæ, quæ eſt in Dei filio, & filio Virginis adoptionis tollit iniuriam.* Ergo intentio Concilij eſt excludere à Chriſto, ratione vnitatis perſonæ adoptionem, vt quid iniurioſum. 3. Probatur Concilium in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpanię habet. *Quam adoptionem prauiſſimo ſenſu ad Chriſti volunt transferre humanitatem, in qua peruerſitate ſenſus vtrumque, & imperitia ſcribendi patet, & mala voluntas,* & poſtea concludit. In vtraque natura non eſſe adoptiuum.

11 Obijcitur. Concilium damnat tantum Elipandum, quatenus volebat in Chriſto duas perſonas, vt deſumitur ex *Epiſtola* Adriani, & ex alijs ſcriptoribus, qui agunt de errore Elipandi, ergo. Reſpondetur. Elipandum non ſenſiſſe explicitè cum Neſtorio, nam ponebat vnitatem perſonæ in Chriſto, vt patet ex confeſſione fidei, quam ipſe fecit; & quia alioquin non fuiſſet tam ſtultus, vt ſcriberet ad Carolum Magnum, ſe ſperare, quod ſua doctrina deffiniretur à Concilio; ſed ſolum in errore ipſius continebatur implicite error Neſtorij, quia dum ponebat Chriſtum filium naturalem, & adoptiuum ponebat implicitè duas perſonas, alteram extraneam, quæ eſſet adoptata, & alteram non extraneam.

12 Dicendum ſecundò. *Præciſa auctoritate Concilij non poſſe dici, Chriſtum eſſe adoptiuum ſecundum humanitatem.* Probatur ſcriptura vocat Chriſtum proprium filium Dei, etiam ſecundum humanitatem. Ad Roman. 8. *Proprio filio ſuo non pepercit:* non pepercit autem, ſecundum quod homo erat. ergo: Confirmatur. Ad Hebræos 5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum, filius meus es tu,* ergo cum hoc fuerit dictum Chriſto, debet eſſe filius meliori modo ſecundum humanitatem, quam ſint Angeli, atque adeo naturalis. Ratio eſt. Quia humanitas Chriſti perficitur filiatione Dei naturali, itaut ſubſiſtat in tali filiatione.

13 Ad primum, reſpondetur. Illos Patres eſſe intelligendos de adoptione impropria, quatenus Chriſtus ſecũdum humanitatem aſſumptus fuit ad filiationem Dei naturalem: Deinde, in textu D. Hilarij adeſt error, nam in alijs codicibus loco adoptati, legitur adorati. Ad ſecundum. Chriſtum vt hominem fuiſſe filium Dei naturalem: non quia ſecundum humanitatem ſit genitus à Deo, ſed quia ſecundum ipſam perficitur intrinſecè à filiatione Dei naturali. Ad tertium Chriſtum eſſe hæredem bonorum cæleſtium, ſed ratione filiationis Dei naturalis ſibi communicatam. Ad quartum ſi Spiritus Sanctus aſſumeret humanitatem, ille homo non eſſet filius Dei naturalis, quia non haberet in ſe filiationem naturalem; ſed nec etiã adoptiuus, quia non eſſet perſona extranea reſpectu Dei, ſed eſſet perſona naturalis Trinitatis, & vt talis haberet ius ad cæleſtia bona.

An Chriſtus dicat relationem filiationis ad Matrem.

SECTIO III.

14 SVpponendum eſt contra Henricũ *quodlib.4.q.3.* Chriſtum non referri ad matrem per relationem filiationis increatæ, quia hæc relatio poteſt eſſe tantum ad terminum increatum, cum terminus creatus non poſſit eſſe ſimul exiſtentia.

15 Prima ſententia eſt negatiua. ita D. Thomas *3.p. quæſt.35.art.1.* Caietanus, & Medina *ibidem*, & communiter Thomiſtæ. Probant. Relatio filiationis cadit tantum ſupra ſuppoſitum, ſicut etiam relatio Paternitatis, quia generari conuenit tantum ſuppoſito: in ſuppoſito autem Chriſti non poteſt eſſe relatio creata. Secundò Si verbum dimitteret humanitatem, & reſultaret in ipſa propria ſubſiſtentia: tunc ille homo eſſet filius Virginis; nam maneret in ipſo relatio filiationis, quod tamen eſt falſum.

16 Secunda ſententia eſt affirmatiua: ita Scotus *in 3. diſtin.8. quæſt. vnica.* Durandus *quæſt.3.* Richardus *art. 2. quæſt. 2.* Gabriel *Concluſ. 3.* Suarez *3.par.tom.2. diſp. 22.ſect. 2.*

17 Dico primò. *Non eſſe in humana natura Chriſti relationem filiationis eiuſdem rationis cum cæteris.* Probatur. Relatio filiationis in alijs hominibus, nedum eſt ad matrem, ſed etiam ad Patrem, vt ad cauſam adæquatam, ergo

18 Dico ſecundò. *In humanitate Chriſti fuiſſe relationem realem ad Virginem.* Probatur. Ex omni cauſalitate conſequitur relatio realis producti ad producens, ergo cum humanitas Chriſti per realem cauſalitatem dependeat à Virgine, dicet realem relationem ad ipſam.

19 Dico tertiò. Hanc relationem eſſe filiationem vt *quo*, itaut importet illam habitudinem; quam dicit natura in proprio ſuppoſito vt terminus formalis generationis, quæ dicitur filiatio *vt quo*, quia conſequitur ad naturam, quæ in eſſe filij ſe habet *vt quo*. Probatur. In Chriſto ſunt duæ natiuitates, altera æterna, & altera temporalis, vt docent communiter Patres, ergo etiam duę filiationes modo explicato, quia natiuitas eſt ratio fundandi filiationem, & eo ipſo, quod natura eſt capax natiuitatis, eſt etiam capax filiationis.

20 Dico quarto: Hanc relationem denominare Chriſtum, non tamen conſtituere duplicem filium, quia ratio filij non multiplicatur, niſi multiplicato ſuppoſito. Probatur. Forma, quæ eſt in aliquo ſuppoſito, denominat ipſum: vnde etiam humanitas denominat Chriſtum hominem. ergo

21 Ad primum reſpondetur. Filiationem, *vt quod*, poſſe eſſe tantum in ſuppoſito; Filiationem autem, *vt quo*, poſſe eſſe in ſola natura. Ad ſecundum conceditur ſequela. Quia vt aliquis ſit filius alterius, ſufficit ſi habeat ab ipſo naturam communicatam: nam ex vi talis communicationis ponitur in natura propria ſubſiſtentia, niſi impediatur: Si autem Spiritus Sanctus aſſumeret humanitatem à Verbo dimiſſam; tunc ille homo non eſſet filius Virginis, quia humanitas non ſubſiſteret in ipſo ex vi ſuę productionis: ſicuti de facto ſubſiſtit in Verbo.

Digitized by Google

DE PRAEDESTINATIONE Chriſti.

DISPVTATIO LXXXIII.

An Chriſtus poſſit dici prædeſtinatus.

SECTIO I.

1 PRima ſententia eſt negatiua ita Scotus *in 3. diſt. 7. quæſt. vnica* Marſil. *quæſt. 7. art.* 1. Durand. *quæſt.* 3. & alij; loquuntur autem de prædeſtinatione, quæ eſt in ordine ad aliquem finem. Probant. Quod non poteſt dici de Filio Dei, nec etiam dici poteſt de Chriſto, cum chriſtus ſit nomen ſuppoſiti, de Filio Dei autem non poteſt dici, quod ſit prædeſtinatus.

2 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita D. Thomas 3. *part. quæſt.* 24. *articul.* 1. Caietanus Medina *ibidem* & communiter.

3 Dico primò. *Chriſtum vt filium Dei, ſeu vt verbum non poſſe dici prædeſtinatum.* Probatur. Prædeſtinari eſt ſubijci prouidentię Diuinę, quod non poteſt conuenire verbo. ergo

4 Dico ſecundò. *Non poſſe dici filium Dei eſſe prædeſtinatum, vt fieret homo*, eſt contra Suarez *diſput.* 50. *de Incarnatione ſection.* 1. Probatur. Prædeſtinati eſt eſſe obiectum Diuinæ prouidentiæ, & eleuari ad participandum aliquid, quod non poſſit proprijs viribus obtineri. ergo

5 Obijcitur, verbum dicitur factum caro per ſolam mutationem factam in natura, ergo poterit etiam dici prædeſtinatum per prædeſtinationem humanæ naturæ. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia fieri caro ſignificat vniri carni, quod non repugnat verbo; prædeſtinari autem dicit aliquid ipſi repugnans, vt patet ex dictis.

6 Dico tertiò. *Chriſtum æterna Dei prædeſtinatione eſſe prædefinitum: vt eſset in tempore, atque adeo hoc pacto fuiſſe prædeſtinatum.* Probatur: Chriſtus in tempore extitit vt maximum donum gratiæ ratione vnionis, ergo cum omne id, quod eſt in tempore, ſit ab æterno à Deo prædefinitum, fuit etiam prædefinitum, quod Chriſtus exiſtat.

7 Dico quartò. *Chriſtum poſſe dici ſimpliciter prædeſtinatum abſque vllo addito ſiue ex parte ſubiecti; ſiue ex parte prædicati*, deſumitur ex D. Auguſt. *cap.* 15. *de prædeſtinatione Sanctorum*. Probatur 1. Petri 1. Chriſtus dicitur agnus immaculatus, præcognitus ante mundi conſtitutionem hoc eſt prædeſtinatus. Ratio eſt quia quod conuenit ſimpliciter Chriſto ratione humanitatis dicitur de ipſo ſimpliciter: prædeſtinatio autem conuenit ratione humanitatis.

8 Dico quintò. *Chriſtum vt hominem, eſſe prædeſtinatum ad gratiam, & gloriam.* Probatur. Prędeſtinatio eſt deſtinatio creaturæ ad ea, quæ ſunt ſupra ipſam: Chriſtus autem ratione humanitatis fuit ab æterno deſtinatur, ad gratiam, & gloriam.

9 Dices. Prædeſtinatio reſpicit ſummum bonum prædeſtinati. Gratia autem, & gloria non eſt ſummum bonum Chriſti, cum maius bonum ſit vnio hypoſtatica.

Reſpondetur. Prædeſtinationem reſpicere omnia bona ſupra naturalia, quæ ſimul ſumpta ſunt ſummum bonum: ſeorſim verò ſunt terminus inadequatus prædeſtinationis.

10 Ad Fundamentum primæ ſententiæ negatur aſſumptum. Nam nomen Chriſti non ſolum eſt nomen ſuppoſiti: ſed etiam naturarum, quia dicit duas naturas in vno ſuppoſito. Sic etiam dicitur Chriſtus paſſus, & mortuus: licet non poſſit dici formaliter de filio Dei.

11 Quæres. An humanitas poſſit dici prędeſtinata. Reſpondetur. Seorſim non fuiſſe prædeſtinatam, ſed tantum in Chriſto eo modo, quo partes alicuius ordinantur ad illos terminos, ad quos ordinatur totum: fuit tamen in Chriſto ratio prædeſtinabilitatis.

An Chriſtus vt hic homo ſit prædeſtinatus, vt ſit filius Dei.

SECTIO II.

12 PRima ſententia eſt negatiua. Ita Durand. *in* 3. *diſtinct.* 7. *quæſt.* 3. Paludanus *ibidem*. Scotus *quæſt.* 1. *vnica*. D. Bonauentura *artic.* 2. *quæſt.* 3. & alij. Probant. Vt Chriſtus vt hic homo eſſet prædeſtinatus, vt ſit filius Dei, deberet importare rationem huius hominis antequam eſset filius Dei, hoc autem eſt falſum, quia eo ipſo, quod eſt hic homo, eſt etiam filius Dei, cum hic homo dicat rationem ſuppoſiti. 2. Non poteſt dici, quod homo ſit prædeſtinatus, vt ſit Petrus, etiamſi poſſit reperiri homo, qui non ſit Petrus, ergo licet poſſit reperiri hic homo, qui non ſit filius Dei, non poteſt dici prædeſtinatus, vt ſit filius Dei. 3. Non poteſt dici, homo eſt factus filius Dei, ergo neque prædeſtinatus filius Dei, quia a factione ad prædeſtinationem valet conſequen. 4. Non poteſt dici homo eſt factus filius Dei, ergo neque prædeſtinatus filius Dei, ergo neque hic homo, cum ſupponat pro perſona.

13 Secunda ſententia eſt affirmatiua, ita D. Thomas 3. *part. quæſt.* 24. *artic.* 1. Caietanus, Medina *ibidem*. Suarez *diſp.* 50. *de Incarnatione ſect.* 2. & alij Recentiores.

14 Dicendum eſt. *Chriſtus, vt hic homo, eſt prædeſtinatus, vt ſit Filius Dei*. Probatur Ad Romanos 1. *Qui factus eſt ei in ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum gratiam ſanctificationis;* qui locus intelligitur de ipſa prædeſtinatione ab Auguſtino *c.* 15. *de prædeſtinatione Sanctorum*. Hilario 7. *de Trinit.* Hieronymo, Anſelmo, Lyrano in illum locum, & ab alijs. Ratio eſt. Quia verum eſt, quod hic homo participat filiationem Dei ex gratia ex vi ſpecialis decreti Diuini, hoc autem eſt prædeſtinari.

15 Ad primum Reſp. probare tantum, quod hic homo non ſit prędeſtinatus, vt ſit filius Dei diuerſo decręto, ab eo, quo eſt determinata ipſius exiſtentia; non autem, quod nō ſit prędeſtinatus eodem decreto, quia cum Chriſtus terminet hoc decretum ſecundum duplicem rationem, nempe ſub ratione huius hominis dicentis capacitatem ad dona ſupernaturalia, & ſub ratione filij Dei, potuit, prout dicit primam rationem, eſſe obiectum prędeſtinationis, & prout dicit ſecundam, eſſe terminus. Ad 2. Ideo hominem non prędeſtinari, vt ſit Petrus, quia ratio Petri eſt aliquid in ordine naturę; non autem in ordine gratię. Ad 3. negatur conſequentia. Quia, vt hic homo ſit factus filius Dei, debuiſſet pręcedere tempore. Ad Probationem valere conſequentiam à prędeſtinatione ad factionem, ſi loquamur de illa, quę inuoluitur in prędeſtinatione; hęc autē in caſu noſtro non eſt factio, qua aliquid fiat aliud, ſed qua fit, vt aliquid ſit tale, vnde per ipſam eſt factum, vt hic homo ſit filius Dei, Ad 2. negatur conſeq. Quia hęc perſona ſtat ſub determinatione perſonalitatis explicitò modo, quę eſt incapax prędeſtinationis, hic autem homo ſtat explicitè ſub determinatione humanitatis, quę dicit capacitatem ad prędeſtinationem.

16 Quęres. An Prędeſtinatio Chriſti ſit exemplar noſtrę. Reſpondetur; affirmatiuè cum Diuo Thoma 3. *p. quęſt.* 24. *art.* 3. Non tamen vniuocè, ſed ſecundum quandam proportionem, vnde ad Romanos 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui.*

DE

DE SVBIECTIONE, ET SERVITUTE Chriſti.

DISPVTATIO LXXXIV.

An Chriſtus fuerit ſubiectus Patri.

SECTIO I.

1 Dicendum eſt. *Chriſtum vt hominem fuiſſe ſubiectum Deo, ita vt poſſit dici ſimpliciter ſubiectus abſque addito*, ita communiter cum D. Thom. 3. *p.q.* 20. *art.* 1. Prob. Chriſto conueniunt ſimpliciter omnia, quæ per ſe conueniunt naturæ humanæ. Naturæ autem conuenit per ſe ſubiectio ad Deum.

2 Obiicitur primò. Corinth. 15. *Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei*, nempe Patri, ergo nondum eſt ſubiectus. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia tantum loquitur de aliqua ſubiectione, quam Chriſtus non habuit, quæ conſiſtet in eo, quod deſinet regnum Chriſto, quod nunc exercet in Eccleſia, exercendo rationem capitis, tunc enim deſinet Eccleſia militans, atque adeo regnum Chriſti ſuper ipſam.

3 Obijcitur ſecundò. Subiectio eſt prædicatum tranſcendentale, quod poteſt conuenire per ſe etiam ſuppoſito, ergo cum Chriſtus ſecundum eſſe ſuppoſiti non ſit ſubiectus, non poteſt dici ſimpliciter ſubiectus. Reſpondetur negando conſequentiam. Nam etiam eſſe factum non poteſt dici de ſuppoſito, & tamen dicitur ſimpliciter de Chriſto. Sufficit enim, quod verificetur ratione humanitatis.

An Chriſtus fuerit ſubiectus legibus.

SECTIO II.

4 Dicendum eſt. *Chriſtum fuiſſe ſubiectum legibus* ita communiter cum D. Thoma 3. *p.q.* 20. *art.* 1. & deſumitur ex vj. Synodo *act.* 17. *in definitione fidei*, vbi definitur, voluntatem Chriſti fuiſſe ſubiectam Diuinæ. Probatur. Humanitas Chriſti ſubordinatur Deo, vt ſuo auctori, & ſequitur eius voluntatem. Ioan. 5. *Non quæro voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me*, ergo tenebatur obedire, quia ſubordinatio erat in ordine ad regimen, quo Deus regit creaturas rationales.

5 Obijcitur. Eſſe capax præcepti eſt eſſe ſubiectum virtuti comminatiuę, & reatui culpæ. Chriſtus autem non erat ſubiectus. Reſpondetur negando aſſumptum. Quia per accidens ſe habet comminatio ad virtutem præceptiuam, & ſolum ponitur ad præponderandam inclinationem ad oppoſitum; reatus autem culpæ habet tantum locum, quando is, cui imponitur præceptum, poteſt deficere.

Quibus legibus Chriſtus fuerit ſubiectus?

SECTIO III.

6 Dico primò. *Chriſtum fuiſſe ſubiectum legi naturali*, ità communiter cum D. Thoma 1. 2. *q.* 93. *art.* 4. *ad* 2. Probatur. Voluntas humana Chriſti fuit voluntas rationalis, ergo debuit operari ſcundum regulam rationis, hoc autem eſt eſſe ſubiectum legi naturali, quia lex naturalis non eſt aliud, quam directio expreſſa in recta ratione.

7 Dico ſecundò. *Non fuiſſe ſubiectum humanis legibus*. Probatur. Chriſtus fuit caput totius generis humani; vnde habuit poteſtatem ſupra omnes homines, ergo non ſubijciebatur ipſorum legibus.

8 Obijcies. Filij ſubduntur parentibus iure naturali, ergo etiam Chriſtus: vnde Lucæ 2. *Et erat ſubditus illis.*

Reſpondetur. Filios ſubdi Parentibus iure naturali fundato in indigentia, quatenus indigent regimine; Chriſtus autem non indigebat, vnde ſpontaneè ſubdebatur.

9 Dico tertiò. *Chriſtum non fuiſſe ſubiectum legibus, quas condidit, pro Eccleſia, quam inſtituit.* Probatur. Tales leges erant pro dirigendo humano genere ad ſalutem. Chriſtus autem non indigebat tali directione.

10 Dico quartò. *Chriſtum non fuiſſe ſubiectum legibus poſitiuis Diuinis veteris teſtamenti*, ita communiter cum D. Thoma 3. *part. quæſt.* 37. *artic.* 3. & 4. Probatur. Lex fuit data populo Hebręo pro ſe, & ſua poſteritate, quæ ordinario modo deſcendebat ab ipſo, & fuit in ordine ad directionem vitæ æternæ, & ceſſauit in Chriſto, ergo non obligabat Chriſtum. Hinc Matth. 12. Chriſtus ait, ſe eſſe Dominum Sabbati.

11 Obiicitur. Matt. 5. *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Reſpondetur id dixiſſe, quia voluntariè ſe ſubiecit legibus.

12 Obiicitur ſecundò. Ad Galat. 5. *Teſtificor omni carni circumcidenti ſe, quia debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.* Chriſtus autem fuit circumciſus. Reſpondetur. Eſſe diſparem rationem de Chriſto, quia cum Chriſtus eſſet omnino liber à lege ex eo, quod voluntariè vni parti ſe ſubiiciebat, non ſequebatur, quod eſſet toti legi ſubiectus.

13 Dico quintò. *Chriſtum habuiſſe præceptum de morte*, ita D. Thom. 3. *part. q.* 47. *art.* 2. Caietanus, Medina *ibidem*. Suarez *diſp.* 44. *de Incarn. ſect.* 2. Hurtadus *diſp.* 77. *ſect.* 5. & alii contra Paluda. *in* 3. *diſt.* 12. *q.* 2. *artic.* 3. Albertum Magnum *cap.* 3. *de Virtutibus*. Lorcan. *diſpu.* 63. *de Incarn.* & nonnullos alios. Probatur Ioan. 10. *Hoc mandatum dedit mihi pater* loquitur autem de morte, & Ioannis 14. *vt cognoſcat mundus, quia diligo patrem, ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio.* Ratio eſt. Quia fuit conueniens tale præceptum, vt poſſet exercere obedientiam.

14 Obiicies. Ex Chryſoſtomo *hom.* 50. *in Ioannem.* Cyrillo Alex. *lib.* 4. *in Ioan. cap.* 7. & aliis Patribus negantibus huiuſmodi præceptum. Reſpondetur negare præceptum in eo ſenſu, in quo ponebant Arriani, qui volebant, Chriſtum eſſe puram creaturam, & abſolutè ſecundum omnem voluntatem accepiſſe præceptum.

15 Obijcitur ſecundò. Sufficiebat Chriſto manifeſtatio voluntatis Diuinæ, ergo non fuit neceſſarium præceptum. Reſpondetur negando conſequent. quia Deus egit cum Chriſto, vt cum ſubdito, & ideo compoſuit pręceptum.

An Chriſtus ſit ſeruus propriè dictus.

SECTIO IV.

16 Prima ſententia eſt affirmatiua. ita Palud. *in* 3. *diſtinct.* 12. *quæſt.* 2. Suar. *diſp.* 44. *de Incarnatione ſect.* 1. & 2. Lorca: *diſ.* 78. Aluarez *diſp.* 74. Vadingus *diſp.* 13. *dub.* 7. & alij Recentiores. Probant: ſcriptura vocat Chriſtum ſeruum, vt Iſaiæ 42. 45. & 63. Ezechiel. 34. Zachar. 4. & alibi. ſecundò. Plures Patres docent, Chriſtum eſſe ſeruum, vt Cyrillus *lib. ad Enotium in defenſio.* 6. *Anathemat.* Nazianzenus *tract.* 35. Ambroſius *lib.* 5. *de fide capitul.* 6. Auguſtinus *epiſtola* 178. & alij. 3. Creatura habet ſeruitutem ad Deum ex eo, quod eſt creatura; vnde ſeruitus eſt de iure naturali, Chriſtus autem habuit naturam creatam. Quartò Chriſtus eſt ſubiectus Deo vt Domino Depoſitiuò; vnde habet vis ad Chriſtum, vt hominem, vtendi ipſo ad bonum pro-

Digitized by Google

proprium, talis autem ſubiectio eſt ſeruilis.

17 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Vaſquez. *diſp. 80. de Incarnat. cap. 3.* Hurtadus *diſp. 78. ſect. 7. & ſequenti.*

18 Dico primò. *Chriſtum non fuiſse ſeruum illa ſeruitute, quæ radicatur in peccato,* Eſt de fide. Probatur. In Chriſto non fuit, nec potuit eſse peccatum, ergo, & ita definit Concilium Francofordienſe. *Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ.*

Dico ſecundo. Nec fuiſse ſeruum reſpectu alicuius creaturæ: eſt de fide ex eodem Concilio. Probatur. Chriſtus fuit caput hominum, & Angelorum, ergo non potuit eſse ſeruus.

19 Dico tertiò. *Chriſtum ratione humanitatis habuiſse illam ſeruitutem, qua creatura rationalis tenetur per ſuas operationes inſeruire Deo, vt vltimo fini, & ipſum agnoſcere, vt ſuum auctorem, quæ eſt quædam ſeruitus ciuilis.* Probatur. Chriſtus fuit ſubiectus Deo, & tenebatur exercere opera obſequioſa, ergo habebat ſeruitutem obſequij.

20 Dico quartò. *Chriſtum non fuiſse ſeruum propriè dictum ea ſeruitute, quæ ponit inæqualitatem in ſtatu, ita vt non ſinat ſeruum æquiparari Domino.* Probatur ex *epiſtola* Concilij Francofordienſis, vbi cum excluſiſſet à Chriſto diuerſas ſeruitutes, excludit etiam ſeruitutem reſpectu Dei, ex eo quod ſit filius naturalis, & Adrianus *in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ*, ait. *Tanta nimirum vos temeritatis dementia delludit, vt adoptiuum eum filium, quaſi purum hominem calamitati humanæ ſubiectum,* & quod pudet dicere, ſeruum *impij, & ingrati tantis beneficijs liberatorem noſtrum non pertimeſcitis venenoſa falce inſuſurrare.*

21 Dices. Adrianum loqui de ſeruitute orta ex peccato. Contra ſeruitus ex peccato non ſtat cum adoptione; Adrianus autem excludit ſeruitutem, quæ ſtat cum adoptione, & quam tribuit alijs Sanctis.

22 Dices ſecundò; cum Suarez negare tantum in Chriſto illam ſeruitutem, quam volebat Elipandus, qui ponebat in Chriſto duas perſonas, ita vt ratione ipſius eſſet ſeruus.

Contra. Si Pontifex excluderet ſeruitutem ſolum ſecundum duplicem hypoſthaſim, non explicaret loca Scripturæ, in quibus Chriſtus dicitur ſeruus, ſed diceret fuiſſe ſeruum ratione humanæ naturæ. Ergo cum abſolutè dicat fuiſse ſeruum tantum impropriè, excludit omnem ſeruitutem.

23 Probatur ſecundò. De ratione ſerui eſt, vt ſit ſub Dominio alterius, & non communicet cum ipſo in honore, & ſede ex Ariſtotele 1. *Politicorum c. 3.* Natura autem humana in Chriſto, ſicut communicat in ſubſiſtentia verbi, ità etiam communicat in honore, vnde adoratur cultu latriæ, & in ſede, iuxta illud. Pſalmi 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.*

24 Dices. Non omnem communicationem in bonis excludere ſeruitutem, ſed illam tantum, quæ ponit æqualitatem, Chriſtus autem ſemper remanet inferior ratione naturæ humanæ. Contra. Quia ſufficit æqualitas ſecundum dignitatem perſonalem; vnde ſeruus, & Dominus ſunt eiuſdem naturæ, & ſolum differunt ſecundum dignitatem perſonalem.

25 Dices ſecundo. Illam tantum communicationem in bonis excludere ſeruitutem, in qua non attenditur bonum communitati, ſed illius, cui fit communicatio: quicquid autem fuit communicatum Chriſto, fuit propter ipſum Deum. Contra. Seruitus eſſentialiter dicit, quod ſeruus ſit inferior Domino in exigentia honoris, ergo quocunque modo fiat communicatio in bonis, excluditur ſeruitus.

26 Ad primum reſpondet Adrianus Papa. Chriſtum dici tantum ſeruum in veteri teſtamento figuratè, ſicut dicitur agnus, Leo, &c. quod ex eo confirmat, quia in nouo teſtamento nunquam dicitur ſeruus, ſed Dominus. Ad ſecundum Patres eſſe intelligendos de ſeruitute obſequij, quæ ſtat ſimul cum ingenuitate. Ad tertium Chriſtum habuiſse naturam creatam, ſed humanitatem Chriſti fuiſſe extractam à ſtatu ſeruili, quia eleuata eſt ad ſubſiſtendum in ſubſiſtentia Diuina. Ad quartum Chriſtum ratione humanitatis ſubijci Deo ſubiectione Ciuili; non autem ſeruili: quia talis ſubiectio excludit communicationem in honore; poteſt autem Deus ad libitum diſponere de humanitate Chriſti, non ratione ſeruitutis, ſed ratione dependentiæ ſecundum eſse.

27 Ex Dictis colligitur contra Suarez *diſp. 44. de Incar. ſect. 2.* Nō poſse dici Chriſtum vt hominem eſse ſeruum, quia neque ſecundum naturam humanam illi conuenit ſeruitus; vnde Adrianus Papa *in Epiſtola citata* docet, Chriſtum non potuiſse vocare Deum Dominum ſuum eo modo, quo dixit ſe eſse minorem Patre, dixit autem ſe eſſe minorem Patre ſecundum humanitatem.

DE COMMVNICATIONE Idiomatum.

DISPVTATIO LXXXV.

An detur in Chriſto propria communicatio Idiomatum.

SECTIO I.

1 Communicatio idiomatum eſt cōmunicatio prædicatorum, quæ ſibi inuicem communicant naturæ in Chriſto, itaut prædicata vnius tribuantur alteri, & econtra: vnde non conſiſtit in eo, quod ea, quæ ſunt diuinitatis fiant propria humanitatis, aut econtra, vt volebant hæretici, alioquin ſequeretur permixtio naturarum.

2 Supponendum eſt. Dari communicationem idiomatū fundatam in vnitate perſonali, per quam ſicuti naturæ inuicem communicant in eodem ſuppoſito; ſic etiam ſibi inuicem communicant propria prædicata, vt de fide eſt ex Concilio Epheſino, vnde definit. Beatam Virginem eſse Deiparam, quia ille homo, cuius eſt mater, eſt vere Deus. Difficultas eſt, an cum dicitur, Deus eſt homo, & econtra, ſint propoſitiones propriæ.

3 Dicendum eſt. Eſſe propoſitiones proprias: ita communiter cum D. Thoma *3. p. quæſt. 16. art. 1. & 2.* contra Durandum *in 7. diſtinct. 4. q. 2.* Probatur. Beata Virgo eſt verè, & propriè mater Dei, vt definitur in Lateranenſi *ſub Martino 1. conſultatione 5. Canone v.* ergo ille homo, qui eſt genitus à Virgine, & propriè Deus. Ratio eſt. Quia illa propoſitio eſt propria, quæ fundatur in identitate prædicati cum ſubiecto. Cum autem dicitur, Deus eſt homo, adeſt identitas ratione ſuppoſiti, quia ſuppoſitum Dei identificatur cum Suppoſito hominis.

4 Obijcit Durandus Petrus non conſtituitur in eſſe Petri per aliam naturam, quam hominis. Deus autem conſtituitur in eſſe Dei per aliam naturam, quam hominis, ergo magis proprie dicitur Petrus eſt homo, quam Deus eſt homo. Reſpondetur negando conſequentiam. Nam tantum ſequitur, quod ſint diuerſæ prædicationes, quia homo prędicatur de Petro, vt ſuperius de inferiori; de Deo autem prædicatur homo, vt natura communicans in eadem ſubſiſtentia.

5 Obijcitur ſecundò. Prædicatum ſumptum a parte conſtitutiua ſuppoſiti non prædicatur, niſi adiectiuè, vnde homo non eſt corpus, ſed corporeus: humanitas autem eſt pars ſuppoſiti Chriſti. Reſpondetur. Prędicatum ſumptum

Digitized by Google

ſumptum à parte non dici ſubſtantiuè, quando ſignificat partem extra concretionem ſuppoſiti, quia tunc non ſtat ſub identitate ſuppoſitali; quando autem ſignificat partem in concretione ſuppoſiti, tunc poteſt dici ſubſtantiuè, vt cum homo dicitur de Deo.

6 Ex dictis colligitur. Communicationem idiomatum ſe extendere etiam ad proprietates naturales, vt deffinitur in Concilio Lateranenſi *citato*.

7 Colligitur ſecundò. Communicationem idiomatum non poſſe fieri ſecundum abſtracta, vnde in Cõcilio Chalcedonenſi *in Confeſſione fidei*, Damnantur, qui dicunt Deitatem eſſe paſſam, quia naturæ permanſerunt in Chriſto impermixtæ; quod non eſſet verum, ſi abſtracta de ſe inuicem prædicarentur.

8 Colligitur tertiò. Communicationem Idiomatum non poſſe fieri inter abſtracta ex vna parte, & concreta ex alia, quia abſtractum eſt extra concretionem ſuppoſiti; vnde quando dicitur apud aliquos Patres, Deitas eſt incarnata, ſenſus eſt, quod ſit vnita humanitati, & tales propoſitiones faciunt virtualiter ſenſum obliquum.

9 Colligitur quartò. Communicationem idiomatum fieri in ſenſu ſpecificatiuo, vt docet D. Thom. *3.p.q.16. art.11*, quia talia prædicata non ſe inuicem communicant naturis vt propria ipſarum, ſed tantum vt conuenientia ratione vnitatis in ſuppoſito.

10 Colligitur quinto. Communicationem idiomatum non fieri ſecundum ea prædicata, quæ fundantur in ſuppoſito, quia cum fundetur in vnitate ſuppoſiti, debet eſſe ſecundum ea, quæ vniuntur ratione ſuppoſiti.

11 Colligitur ſextò. Communicationem idiomatum non poſſe fieri ſecundum proprietates relatiuas, quæ conueniunt Deo; nam proprietates relatiuæ Patris, & Spiritus Sancti non communicantur ratione vnionis hypoſtaticæ; relatiua autem filij non dicuntur per communicationem idiomatum, ſed vt intrinſecè perficientia humanitatem.

12 Colligitur ſeptimò. Cum dicitur, hic homo eſt Deus, prædicatum Deus non ſupponere pro concreto naturæ, ſed pro perſona Verbi, determinatur enim ab identitate ſuppoſitali, in qua fundatur communicatio idiomatum, vt ſtet pro perſona Verbi.

13 Colligitur octauò. Non poſſe propriè dici, Deum humanatum, ſeu humanum, vt deſumitur ex Concilio Francofordienſi *epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ*, quia ſignificaretur, quod humanitas non eſſet vnita ſubſtantialiter verbo. Sed tantum accidentaliter, ſicut veſtis vnitur corpori.

14 Colligitur nonò. Chriſtum non poſſe dici hominem Dominicum, vt docet Auguſtinus *lib.1. Retractat. c.19.* Athanaſius *Epiſt. ad Epictet.* & alij Patres contra Apollinariſtas. Ratio eſt, quia Chriſtus non eſt aliquid Domini, ſed ipſe Dominus.

15 Colligitur decimò. Neq. Chriſtum poſſe dici, hominem Deificum, ſeu Deiferum, vt docet Damaſcenus *lib. 3. de fide cap.12.* contra Neſtorium, nam per talem loquutionem tolleretur vera vnitas ſuppoſitalis.

16 Colligitur vndecimò. Chriſtum poſſe dici hominem Diuinum, non enim per hoc excluditur, quod ſit Deus, nam etiam verbum dicitur verbum Diuinum ad ſignificandum, quòd conſtituitur ipſa Diuinitate.

17 Colligitur decimoſecundò. Poſſe dici de Chriſto, quod ſit Deus carnifer, vt docet Athanaſius *ſermone de ſanctiſſima Deipara*. Ratio eſt. Quia verbum ſubſtentat in ſe naturam humanam, quod nihil aliud eſt, quàm portare carnem, ſeu humanitatem; non tamen econtra poteſt dici de Chriſto, quod ſit Deifer, quia humanitas non ſubſtentat verbum.

18 Quæres. An hæc Propoſitio, Homo factus eſt Deus ſit vera? Reſpondetur negatiuè cum D. Thoma *3.par.q. 16.art. 7.* & Damaſceno *lib. 3. de fide cap. 2.* Quia cum dicitur, homo factus eſt Deus, ſubiectum ſupponit pro ſuppoſito, & ly factus dicit tranſitum de eſſe hominis ad eſſe Dei; vnde ſignificatur præexiſtentia ſuppoſiti humani. & ideò, quando Patres vtuntur hac propoſitione, debent intelligi vel de homine in genere, quatenus natura humana eſt eleuata, vt fieret Deus, vel debet ſumi concretum pro abſtracto.

19 Quæres ſecundò. An iſta propoſitio Deus factus eſt homo ſit vera. Reſpondetur affirmatiuè, & eſt de fide ex Symbolo Niceno. *Et homo factus eſt*. Ratio eſt, quia eſſe factum cadit tantum ſupra terminum ad quem.

Quales ſint hæ Propoſitiones, Deus eſt homo, & homo eſt Deus.

SECTIO II.

20 Dicendum eſt. *Iſtas Propoſitiones non eſſe per ſe, ſed contingentes;* ita D. Bonauentura in *3. diſtinct.7.art.1. q.1.* Scotus *q.1.* Durandus *ibidem*. Baſſolis *ibidem*. Vaſquez *diſput.68. de Incarn. cap.2.* contra Caietanum *3.p.q.16.artic.12.* Ferar.4. *contra Gent. cap. 45.* Raguſam *diſp.101.* & aliter. Probatur. Licet Diuina natura, & humana vniantur vnione per ſe in eodem ſuppoſito, non tamen talis vnio redundat in modum prædicationis, nam Deus ita eſt homo, vt poſſit non eſſe, ergo cum non ponat neceſſariam connexionem inter prædicatum, & ſubiectum, relinquit propoſitionem contingentem.

21 Dices. Prædicatum eſt de intrinſeca ratione ſubiecti, prout ſubiectum ſtat in concretione ſubſtantiali cum ipſo prædicato. Ergo eſt propoſitio per ſe. Reſpondetur negando antecedens. Nam ſequeretur, quod omnis propoſitio contingens eſſet per ſe, quia ſubiectum inuoluit intrinſece prædicatum, prout ſtat in concretione cum ipſo; ſic paries vt ſtat in concretione cum albedine, inuoluit intrinſece albedinem, & tamen cum dicitur, paries eſt albus, eſt propoſitio contingens.

22 Ex his colligitur. Has Propoſitiones, Chriſtus eſt Deus: Chriſtus eſt homo, eſſe propoſitiones per ſe, quia intrinſecum conſtitutiuum prædicatur de conſtituto. Chriſtus enim eſt quid ſubſiſtens in duplici natura.

An Chriſtus poſſit dici Creatura.

SECTIO III.

33 Prima ſententia eſt negatiua: ita D. Thomas *4. contra Gentes cap.48.* & *in 3. diſt. 11.q.1.art.2.* Palud. *q. vnica*. Capreolus *art. 5.* Durandus, & Scotus *q. 1.* Ragus. *diſp. 123. de Incarn.* Probatur eſſe Creaturam dicit eſſe ex nihilo, & dicitur de toto ratione ſingularum partium, ergo cum Chriſtus ratione ſuppoſiti non ſit quid creatum, non poteſt dici creatura. Secundò. Fieri communiſſimè ſumptum, prout cadit ſupra eſſe, determinat ſuppoſitum, ergo cum creare dicat fieri communiſſime ſumptum, ſi tribueretur Chriſto, caderet ſupra ſuppoſitum.

24 Secunda ſententia aſſerit, poſſe dici Creaturam ſecundum proprietatem ſermonis, licet talis propoſitio non ſit vſurpanda, ne faueamus hæreticis, ita D. Thoma *3.p. q.16.art.8.* Caietanus, Medina, Cheliſſon *ibidem*. Vaſquez *diſp.65. de Incarn.cap.2.* & alij.

25 Dicendum eſt. *Chriſtum in rigore poſſe dici creaturam, licet ob malum ſenſum, in quo poteſt accipi propoſitio, non ſit abſolutè vſurpanda*. Probatur. Ità loquuntur Patres, vt Sophronius *in Epiſtol. in vi. Synod.* Cyrillus *lib.10. Theſauri cap.4.* Nazianzenus *orat.38.* Damaſcenus *lib.3. de fide cap. 4.* Auguſtinus *in Enchiridio cap.30.* Fulgentius *de fide ad Petrum cap. 5.* Ambroſius *ſerm. 5. in Pſalmum* 118. vocant enim Chriſtum abſolute creaturam. Confirmatur. Creatura eſt prædicatum proprium naturæ humanæ, ergo cum conueniant Chriſto ſimpliciter prædicata vtriuſque naturæ, conuenit etiam hoc prædicatum.

Digitized by Google

vitam Spiritualem, nec principium per modum naturæ operationum ſupernaturalem. ergo

7 Dices, ergo non perfectè ſanctificat. Reſpondet negando conſequentiam. Nam ſolum ſequitur, quod non ſanctificet eodem modo; non autem, quod non ſanctificet perfectè quia ſanctificatio formaliter conſiſtit in conſortio ipſius Dei in ordine ad communicandum in bonis ipſius, quod perfectè habetur ratione vnionis hypoſtaticæ.

8 Ad primum. Effectum formalem, qui eſt connaturalis formæ, non poſſe haberi ſine ipſa: Sanctificatio autem quam humanitas habet à verbo, eſt diuerſa ab ea, quæ habetur à gratia habituali.

Ad ſecundum negatur aſſumptum. Nam Chriſtus vt homo eſt Filius Dei naturalis. Ad tertium negatur conſequentia. Ideò enim attributa non communicantur humanitati, quia non ſupplent aliquid ipſius. Subſiſtentia autem ſupplet, & ideo etiam ſanctificat, quia Sanctificatio dicit participationem eſſe Diuini, quæ formaliter habetur per communicationem Diuinæ ſubſiſtentiæ.

9 Obijcies. Si humanitas Chriſti poſſet perfici ſanctitate increata, poſſunt etiam ipſi communicari alia attributa Diuina. Sed hoc eſt falſum, ergo. Reſp. negando ſequel. Tum quia cætera attributa non habent ſecundum ſe rationem termini; vnde non poſſunt communicari ſub ratione termini ſicut communicatur perſonalitas, & ſanctitas ipſi annexa, ſed deberent communicari per modum formæ, quod ipſis repugnat. Tum quia attributa, quæ correſpondent perfectionibus accidentalibus creaturę, aut ſunt operationes vitales, aut in ipſis fundantur, aut ſunt modi. Si primo, aut ſecundo modo ſe habeant, non poſſunt communicari, quia operationes vitales, aut quæ in ipſis eſſentialiter fundantur, ex genere ſuo habent repugnantiam ad communicari alteri ſuppoſito. Si vero ſecundo modo ſe habeant adhuc habent repugnantiam ad communicari, quia modus, ſicut non poteſt ſubſiſtere ſine ſubiecto, ita nec communicari, vnde in Deo ſunt incōmunicabiles, quia ſi ſunt modi attributorum ſequuntur conditionem ipſorum. Si verò naturę, ſicut non poteſt communicari natura, cum nō poſſit tribuere aliquid affectum naturæ creatæ, ita nec modi naturæ.

Quomodo humanitas ratione hypoſtaticę vnionis ſanctificetur.

SECTIO II.

10 Dico primò. *Diuinitatem, vt virtualiter diſtinctam à perſonalitate, non ſanctificare per ſe primò humanitatem Chriſti*, eſt contra Vaſquez *diſpu.* 41. *de Incarn. cap.* 30. Probatur. Deitas non poteſt alio modo ſanctificare, quàm illo, quo communicatur, ergo cum non communicatur vt contra diſtincta à perſonalitate, neque vt talis ſanctificabit.

11 Dices effectum formalem poſſe prouenire à forma mediate vnita. Contra. Perſonalitas eſt ratio formalis, ſub qua Deitas communicatur, ergo eſt etiam ratio formalis ſub qua ſanctificat.

12 Dico ſecundò. *Humanitatem ſanctificari ab eſſe Diuino, prout ipſi communicatur ſub ratione perſonæ.* Probatur. Illud ſanctificat, quod dat participationem in eſſe Diuino. Hæc autem participatio formaliter habetur per communicationem Diuini eſſe perſonalis.

13 Obijcies. Patres docent humanitatem ſanctificari Deitate, & Deitatem eſſe vnctionem, quà vngitur humanitas, ergo Deitas ſanctificat. Reſpondetur. Patres eſſe intelligendos de Deitate, prout communicatur ſub ratione perſonæ.

14 Obijcies ſecundò. Deitas eſt ipſa Sanctitas, ergo vt contradiſtincta à perſonalitate ſanctificat. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia non communicatur vt contradiſtincta à Perſonalitate.

Quanta ſit Sanctitas humanitatis ex vnione.

SECTIO III.

15 Dico primò. *Humanitatem Chriſti non eſſe ſanctam infinitè ſimpliciter*, eſt contra Hurtad. *diſp.* 47. *de Incarn. ſect.* 6. Lorcam *diſp.* 42. Probatur. Licet ſanctificatiuum ſit infinitum ſimpliciter, communicatur tamē finito modo humanitati iuxta capacitatē ipſius ergo non ſanctificat infinito modo, quia effectus formalis commenſuratur cauſæ, vt ſtat ſub modo communicationis.

16 Dico ſecundò. *Neque eſſe infinitam in genere determinato.* Probatur. Quantitas huius ſanctificationis non eſt ſecundum gradus intenſionis, ſed ſecundum eſſentiam ſpecificam, omnis autem eſſentia ſpecifica eſt finita.

17 Dico tertiò. *Eſſe ſummam ſanctitatem excogitabilem in genere creato, atq. adeò habet infinitatem virtualem ſyncategorematicam quà ratione ſuæ eminentiæ æquiualet omni ſanctitati.* Probatur. Sanctificatiuum eſt ſummum æquiualens omnibus ſanctificatiuis, ergo etiam ſanctitas.

18 Obijcies. Verbum non eſt minus amabile vt terminat humanitatem, quàm ſecundum ſe, ergo humanitas, vt verbo terminata, eſt æqualiter ſancta, ac verbum. Reſpondetur negando aſſumptum. Quia verbum vt dicit terminationem humanitatis, dicit aliquid finitum, quia finito modo ipſum terminat.

19 Obijcies ſecundò. Humanitas adoratur adoratione latriæ qua adoratur Chriſtus, ergo eſt Sancta infinita Sanctitate. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia ideò adoratur latria ex eo, quod communicat in ſubſiſtentia verbi, & hæc adoratio per ſe primo ordinatur ad perſonam. Sanctitas autem conſideratur, vt ſe tenet ex parte humanitatis.

20 Obijcitur tertiò. Chriſtus vt homo eſt filius Dei naturalis, ergo infinitè Sanctus. Reſpondetur. Eſſe infinitè Sanctum, vt dicit filiationem naturalem, qua eſt Filius Dei æternus, non autem, vt eſt Filius Dei in tempore; quia tunc non dicit filiationem Dei naturalem ſimpliciter, ſed vt ſtat ſub communicatione, quæ finito modo fit.

An, & qua certitudine ponenda ſit in Chriſto gratia habitualis.

SECTIO IV.

21 Dico primò. *In Chriſto ponendam eſſe gratiam habitualem.* Ita communiter cum Diuo Thoma 3. *parte quæſt.* 7. *art.* 1. Probatur Ioann. 1. Chriſtus dicitur plenus gratia, non eſſet autem plenus, niſi omnis capacitas eſſet impleta, atque adeo etiam capacitas gratiæ habitualis.

22 Dico ſecundò. *Neceſſariam fuiſſe hanc gratiam, vt humanitas Chriſti eſſet principium connaturale operationum ſupernaturalium.* Probatur. Hypoſtaſis verbi perficit tantum ſecundum eſſe perſonale, ergo fuit neceſſaria gratia, vt daretur principium radicale ſupernaturale operandi.

23 Dico tertio: *Fuiſſe etiam neceſſariam, vt tribueret humanitati vitam ſupernaturalem.* Probatur. Humanitas Chriſti fuit ordinata ad finem ſupernaturalem, ergo debuit viuere vita ſpirituali ſupernaturali, vt poſſet ſe promouere vitali modo in talem finem. Gratiam autem eſt huiuſmodi vita, cum ſit participatio Diuinæ naturæ.

24 Dico quarto. *Negare in Chriſto gratiam habitualem non eſt contra fidem, ſed tantum temerarium*, ita communiter contra Suarez *diſput.* 18. *de Incarnatione*

ſect.

Digitized by Google

ſection. 2. Raguſ. diſputat.67. Probatur. Quia Patres, Concilia, & Scriptura, & ſi non loquantur expreſsè de gratia habituali, poſſunt exponi de gratia vnionis.

25 Dices. Eſt de fide dari hanc gratiam in alijs hominibus, ergo etiam in Chriſto. Reſpondetur negando conſequentiam, quia Chriſtus aliunde ſanctificatur.

26 Dices ſecundo. Eſt de fide, quod in Chriſto fuerit infuſa Charitas, ergo etiam gratia, quia vel non diſtinguitur à Charitate, vel ſaltem ſupponitur.

Reſpondetur negando antecedens. Quia Chriſtus potuit habere aliunde, quod cæteri habent ab habitu charitatis. Deinde negatur etiam conſequentia. Quia connexio gratiæ cum charitate habet locum in nobis, quia non conſtituimur aliunde filij, & amici Dei. Denique non eſt de fide, quod charitas non diſtinguatur à gratia, quomodo diſtinguitur, non poſſit ſeparari.

27 Dices tertio. Concilium Tridentinum vniuerſaliter definit, iuſtificationem fieri per gratiam habitualem, ergo compræhendit etiam Chriſtum.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia loquitur de Iuſtificatione à peccato.

28 Quæres. Quando Chriſtus habuerit gratiam habitualem? Reſpondetur. Habuiſſe in primo inſtanti conceptionis, vt docent communiter cum Diuo Thoma 3. *parte quæſtione 7. art.11. & 12.* quia erat debita ratione vnionis, atque adeò debuit conferri ſimul cum ipſa.

An Gratia habitualis fuerit Chriſto neceſſaria, vt mereretur.

SECTIO V.

29 Primà ſententia eſt negatiua, ita Scotus *in 4. diſtinction.19. quæſtion. 1.artic. 2.* Medina 3. *parte quæſtione 7. articulo 1.* Suarez *diſputation. 39. de Incarnatione ſect. 2.* & alij. Probatur. Præciſa gratia habituali Chriſtus fuit gratus Deo, & opera ipſius dignificata. ergo

Secundo. Præciſa Gratia opera Chriſti habuiſſent eundem valorem infinitum, quem modo habent, ergo fuiſſent meritoria.

30 Secunda ſententia eſt affirmatiua, ita Durandus *in 3. diſtinctione 19.* Cabrera 3. *parte quæſtione 7. artic. 1. diſputatio. 3.* Aluarez *ibidem*, & deſumitur ex D. Thoma *q.29. de veritate art.1.& 5.*

31 Dicendum eſt. Gratiam habitualem fuiſſe neceſſariam, vt Chriſtus condignè mereretur. Probatur. Fuit neceſſaria, vt viueret vita Spirituali in ordine ſupernaturali, ergo etiam vt mereretur, quia meritum eſt operatio vitali modo exercita intra ordinem vitæ ſupernaturalis; nam debet vitali modo promouere in finem ſupernaturalem, & ideo debet ſupponere in eodem ordine primam vitam radicalem.

32 Dices. Habere debitum ordinem ex eo, quod ſint opera ſuppoſiti Sancti. Contra. Per hoc præciſe non ſunt exercitium vitæ, ergo non poſſunt tendere vitali modo in finem ſupernaturalem.

33 Ad primum negatur Conſequentia. Nam licet Chriſtus ſine gratia habituali fuerit gratus, non tamen viuebat vita ſupernaturali; atque adeo nec in ordine ad finem ſupernaturalem; vnde non poterat vt viuens ad ipſum ſe promouere. Ad ſecundum negatur conſequentia: Nam ille valor præciſa gratia non erat determinatus, vt ſtet per modum meriti, & ideo vt determinaretur neceſſaria erat gratia.

An Gratia Chriſti fuerit infinita.

SECTIO VI.

34 Prima ſententia aſſerit; eſſe infinitam, non ſolum materialiter in ratione gratiæ, ſed etiam phyſicè: ita Durandus *in 3. diſtinction. 17. quæſt. 1.* Scotus *ibidem*. Albertus *artic. 7.* Maior. *diſtinct. 17. quæſt. 3.* Hurtadus *diſput. 48. de Incarnatione* §. & alij. Probant. Gratia Chriſti debuit eſſe ſecundum menſuram vnionis, ergo infinita.

Secundò. Niſi eſſet infinita, poſſet Chriſtus ſuperari in gratia à puro homine.

35 Secunda ſententia In eſſe phyſico vult eſſe finitam, & tantum eſſe infinitam ſecundum moralem dignitatem, ex eo, quod eſt coniuncta cum vnione hypoſtatica: ita Diuus Thomas 3. *parte quæſtione 7. articulo 11.* Caietanus, & Gabriel *ibidem*. Valquez *diſp. 26. cap. 3.* Suarez *diſp. 2. 2. ſect. 1.* & alii.

36 Dico primò. Gratiam Chriſti non eſſe infinitam Categorematicè ſecundum eſſe phyſicum ſub quacunque ratione conſideretur. Probatur. Secundum omnem rationem eſt quid participatum, ergo non poteſt habere aliquam infinitatem. Conſequentia probatur. Quia eo ipſo, quod eſt quid participatum, eſt pars virtualis ſanctitatis per eſſentiam; pars autem limitatur, vt ſit tanta, & non amplius, atque adeò vt finito modo ſe habeat.

37 Dico ſecundò. *Neque eſſe infinitam ex eo, quod ſit coniuncta cum vnione hypoſtatica.* Probatur. Infinitas eſt modus intrinſecus, cum ſit quantitas perfectionis, ergo nihil poteſt infinitari per aliquid à ſe diſtinctum.

38 Dico tertiò. *Neque eſſe infinitam ex eo, quod operetur omnes effectus gratiæ.* Probatur. Hi effectus ſecundum ſpeciem ſunt finiti, & ſecundum numerum ſunt tantum infiniti ſyncategorematicè, ergo non exigunt infinitatem in gratia, quia etiam finita poteſt habere effectus infinitos ſyncategorematicè.

39 Dico quartò. *Habere quandam infinitatem impropriè virtualem Syncategorematicè ex eo, quod ſit gratia vniuerſalis, & dignificata ratione vnionis hypoſtaticæ.*

Probatur. Omnes gratiæ deriuant ab ipſa; vnde ſe habet vt cauſa vniuerſalis in ordine ad omnes effectus gratiæ, quatenus dependent à merito Chriſti, & meritum à gratia, ergo

40 Ad primum reſpondetur. Gratiam Chriſti fuiſſe commenſuratiuè ad vnionem, non arithmeticè; ſed Geometricè, ſeu ſecundum quandam proportionem, quæ ſicuti non importat æqualitatem, ita nec infinitatem, ſicut nec vnio hypoſtatica fuit infinita. Ad ſecundum negatur ſequella, Quia gratia puri hominis eſt gratia particularis: gratia verò Chriſti eſt vniuerſalis; vnde nunquam poteſt æquiparari; præſertim, quia tota gratia puri hominis eſt dependens à gratia Chriſti.

(∴)

An Gratia Chriſti poſſit augeri.

SECTIO VII.

41 CErtum eſt, non poſſe augeri ſecundum moralem dignitatem, quam habet ex perſona verbi: neque etiam ſecundum vim ſanctificatiuam, quia ſanctificat cum ſubordinatione ad vnionem hypoſtaticam.

42 Dico primò. *Gratiam Chriſti ſecundum ſe non potuiſſe augeri de potentia ordinaria*. Ita communiter cum Diuo Thoma 3. *part.q.7.art.*12. Probatur. Deus dedit Chriſto totam gratiam, quæ erat ipſi neceſſaria vt capiti, ergo non poteſt conferre maiorem, quia non poteſt mutari.

43 Dico ſecundò. *Terminum gratiæ Chriſti fuiſſe determinatum ex natura rei ſecundum exigentiam finis*. Probatur. Deus non operatur ſine conſilio, ergo quando determinauit Chriſto talem menſuram gratiæ, determinauit in ordine ad finem, atque adeò ſecundum exigentiam ipſius.

44 Dico tertiò. *Nec de potentia abſoluta potuiße Chriſtum habere maiorem gratiam ſtante diſpoſitione, quæ de facto fuit*. Non quia Gratia ſecundum ſe non poſſit augeri, ſed quia Deus non poteſt facere contra regulas ſuæ ſapientiæ. Probatur. Non poteſt tribuere maiorem gratiam, quam exigat finis, pro quo tribuitur, alioquin faceret aliquid ſuperfluum contra regulas ſuæ ſapientiæ, quæ exigit omnia fieri in pondere, & menſura. Sed finis ad quem in Chriſto ordinatur gratia, non poteſt exigere maiorem gratiam, ergo. Minor probatur. Finis gratiæ eſt coniunctio cum Deo. Chriſtus autem ſecundum humanitatem non poteſt magis vniri; nam vnitur quantum exigit vniri ex eo, quod ſit ſubſiſtens in perſona Diuina.

45 Obiicies. In Chriſto eſt capacitas ad maiorem gratiam, ergo poteſt augeri. Reſpondetur negando conſequentiam, quia Gratia non debet commenſurari capacitati; ſed fini ad quem ordinatur.

46 Quæres. An, & quomodo Chriſtus fuerit plenus gratiæ? Reſpondetur. Eſſe de fide quod fuerit plenus gratia. Ad Coloſſens. 1. *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare*. Eſt autem plenus. Tum quia ratione vnionis hypoſtaticę eleuatur humanitas ad ſupremum gradum gratiæ. Tum quia habuit gratiam habitualem excellentiori modo, & in maiori menſura, quàm cæteri. Tum quia habuit omnia genera gratiarum veluti in fonte, à quo in cæteros deriuarent. Vnde hæc plenitudo eſt propria chriſti: nam cęteri fuerunt quidem pleni gratia, non autem habuerunt plenitudinem gratię. Nam gratia ipſorum fuit gratia particularis determinata ad ipſorum bonum; Gratia autem Chriſti fuit vniuerſalis ordinata ad influendum in homines.

(∵)

Thomus Primus.

DE VIRTVTIBVS Animę Chriſti.

DISPVTATIO LXXXVII.

An in Chriſto fuerint Virtutes Theologales.

SECTIO I.

1 CErtum eſt, vt docent communiter cum D. Thoma 3. *part.quæſt.7.art.*3. In Chriſto non fuiſſe fidem, quia non habuit locum prima veritas, vt obſcurè reuelans; nam de omnibus habebat euidentiam. Item fuiſſe in Chriſto habitum, & actum charitatis; nam ab inſtanti conceptionis fuit beatus, atque adeò habuit amorem beatificum. Similiter non fuiſſe in ipſo ſpem Theologicam, vt docet idem D. Thomas *articul.* 4. circa Deum, & beatitudinem iuxta illud. Ad Romanos 8. *Quod videtis, qui ſperat*, Chriſtus autem videbat eſſentiam Diuinam, & habebat præſentem ſuam beatitudinem. Vnde difficultas eſt, an habuerit ſpem circa alia bona, quæ nondum poſſidebat.

2 Prima ſententia aſſerit, habuiſse non ſolum actum, ſed etiam habitum ſpes Theologicæ, ita Suarez 3. *par.q.*7. *art.*4. Præpoſit. *ibidem*. Vadingus *diſp.* 5. *de Incarn. dub.*4.*num.*28. Probant. Quod obiectum ſit aſſequendum, vel aſsequutum, non variat rationem formalem obiecti ſpei, ergo habuit ſpem circa bonum conſequutum, atq; adeo eodem habitu potuit ſperare bona nondum conſequuta.

3 Secunda ſententia affirmat fuiſse in Chriſto actum ſpei Theologicæ, non autem habitum, ita Vaſquez *diſpu.*43. *de Incarn.cap.*2.. Probat. Obiectum formale ſpei non eſt id, quod ſperamus, ſed id, à quo ſperamus. Chriſtus autem ſperabat à Deo gloriam ſui corporis. ergo

4 Tertia ſententia, Fuiſse in Chriſto actum ſpei, ſed non Theologicæ, itâ D. Thomas 3.*p.q.7.art.* 4. Caietanus, Medina ibidem, & alij.

5 Dico primò, *Chriſtum habuiſſe actum ſpei circa gloriam ſui corporis*. Probatur. Talis gloria erat bonum expectatum dependenter à voluntate Dei, ergo erat obiectum ſufficiens ſpei, hinc Pſ. 15. *caro mea requieſcet in ſpe.*

6 Dices. Obiectum ſpei debere eſse dubium, Chriſtus autem erat certus de gloria futura ſui corporis. Reſpondetur. Per accidens eſse dubium, quatenus voluntas illius à quo dependet aut eſt ignota, aut mutabilis, non autem per ſe.

7 Dico ſecundò. *Non fuiſſe ſpem Theologicam*. Prob. obiectum primarium materiale ſpei theologicę eſt eſsentia Diuina, cætera autem ſunt obiecta ſecundaria, quæ eſſentialiter petunt attingi, cum ſubordinatione ad primarium, ergo nõ poſsũt attingi ſpe Theologica ſeorſim à primario, ergo cum Chriſtus non attingens primarium ſpe Theologica, nec etiam potuit attingere ſecundarium.

8 Dices. Reſpectu Chriſti, fuit obiectum formale ſpei Theologicæ, nempe Diuina voluntas reddens aſsequibilẽ talem gloriam, ergo. Reſpondetur negando aſsumptum. Quia obiectum formale ſpei Theologicæ non eſt Diuina voluntas quomodocumque, ſed cum ordine ad obiectum beatificatiuum.

Digitized by Google

9 Dico tertiò. *Hunc actum ſpei potuiſſe elici ab habitu charitatis, quatenus charitas inclinat ad amandos nos ipſos propter Deum, atque adeò ad deſiderium proprij boni.*

Probatur. Charitas habet pro obiecto Deum, & omnia amabilia propter ipſum: gloria autem corporis Chriſti, ita eſt bonum eiuſdem Chriſti, vt tamen ſit amabilis propter Deum. ergo

10 Ad Fundamentum primæ ſententiæ nego aſſumptum. Nam quod obiectum ſit aſſequutum, variat obiectum ſpei, quia non habet amplius locum voluntas Dei, vt promittens, & reddens aſſequibile bonum promiſſum.

11 Ad Fundamentum ſecundæ ſententiæ. Obiectum formale ſpei Theologicæ eſſe voluntatem Diuinam terminatam ad propriam bonitatem, vt ad obiectum beatificatiuum communicandum, quæ non habuit locum reſpectu Chriſti, quia hoc non ſperabat à Deo.

An in Chriſto fuerint Virtutes morales ſupernaturales.

SECTIO II.

12 Dico primò. *Fuiſſe in Chriſto has virtutes eo modo, quo ſunt in nobis:* ita communiter cum Diuo Thoma 3. *par. quæſt.* 7. *art.* 2. Probatur. Anima Chriſti debuit eſſe perfectè diſpoſita in ordine ad omne bonum ſupernaturale, ergo debuit habere habitus omnium virtutum.

13 Dices. Quædam obiecta virtutum non fuiſſe attingibilia à Chriſto. Vnde Chriſtus non exercuit liberalitatem, & magnificentiam, quia verſantur circa diuitias, quas Chriſtus non habuit, ergo. Reſpondetur negando aſſumptum. Nam obiecta omnium virtutum ſunt bona, atque adeò potuerunt attingi ab ipſo Chriſto ſaltem per ſimplicem complacentiam.

14 Dico ſecundò. *In Chriſto non fuiſſe virtutem pænitentiæ*, ità D. Thomas 3. *parte quæſtione* 95. *articulo* 3. Richardus *in* 4. *diſtinctione* 14. *articulo* 2. *quæſtione* 3. Paludanus *quæſtione* 4. Sotus *quæſtione* 2. *articul.* 5. circa finem, & alij. Probatur. Motiuum formale pænitentiæ mouet ad deteſtandum peccatum vt proprium, quia mouet ad retractationem, ergo cum idem motiuum ſemper moueat ad actum eiuſdem rationis, ſemper mouebit ad retractationem, ergo cum in Chriſto non potuerit eſſe peccatum, nec etiam habuit locum motiuum pænitentiæ, ergo nec virtus dependens à motiuo.

15 Dices. Chriſtus ſatisfecit pro peccatis generis humani, ergo debuit tendere in ipſa deteſtatiuo modo per virtutem pænitentiæ. Reſpondetur negando conſequentiam. Nam deteſtatus eſt peccatum per odium abominationis quatenus erat Dei offenſa, atq; adeò per actum ſecundarium charitatis, quo amabat Deum; non autem per actum pænitentiæ.

An Chriſtus habuerit virtutes morales acquiſitas.

SECTIO III.

16 Communis Sententia aſſerit, in Chriſto fuiſſe tales virtutes, non acquiſitas proprijs actibus, ſed infuſas à Deo in primo inſtanti ſuæ conceptionis; quia Chriſto erat debita omnis perfectio ratione vnionis hypoſtaticæ.

17 Econtra negat Lorca 3. *part. Diſp.* 38. *de Incarnat, numer.* 22. & deſumitur etiam ex Diuo Thoma 3. *parte quæſtione* 7. *articulo* 2. Vbi reſoluit, illas virtutes fuiſſe in Chriſto, quæ procedunt ex gratia, & cum ipſa habent connexionem; virtutes autem acquiſitæ nec procedunt ex gratia, nec cum ipſa habent connexionem. Idem docet *in* 3. *diſtinctione* 33. *quæſtione* 1. *articulo* 4. Sequuntur. Capreol. *ibidem*. Richardus *articulo primo quæſt.* 6.

18 Dico primò. *Chriſtum non acquiſiuiſſe has virtutes per proprios actus.*

Probatur. Chriſtus nunquam operatus eſt in ordine naturali; ſed ſolum in ordine ſupernaturali, quia ſemper operabatur ex perfecta charitate, & in ordine ad finem ſupernaturalem, ergo non acquiſiuit has virtutes, quia hæ virtutes acquiruntur ſolum per proprios actus naturales, cum habitus producatur ex frequentatis actibus.

19 Dices. Habuit ſcientiam experimentalem acquiſitam per proprios actus, ergo etiam has virtutes. Reſpondetur negando Conſequentiam. Quia exercuit actus cognitionis circa obiecta contingentia, per quos acquiſiuit ſcientiam experimentalem, at non habuit actus harum virtutum, per quos acquireret habitus.

20 Dico ſecundò. *Virtutes morales naturales non fuiſſe Chriſto infuſas.*

Probatur. Ideò fuiſſent infuſæ, quia fuiſſent aliqua perfectio ipſi debita; Sed non fuerunt perfectio debita. ergo

Minor probatur. Hæ virtutes non dant purè operari, quia ſupponũt potẽtiã, ſed tantùm dant facilè operari, & ideò dant facilè operari, quia firmant inclinationem voluntatis naturalem ad actus honeſtos ſuæ ſpeciei, & illam roborant contra oppoſitas inclinationes appetitus ſenſitiui. Vnde tunc virtus eſt in gradu heroico, quandò ita eleuat voluntatem ſupra paſſiones, vt abſque permixtione ipſarum operetur, vt docent Ariſtoteles *lib.* 7. *moralium Nicomach. capit.* 1. & Diuus Thomas *in hunc locum Ariſtotelis.*

Hæc autem facilitas operandi nec fuit neceſſaria, nec potuit locum habere in Chriſto, quia eius voluntas fuit perfectiſſimo modo inclinata ad actus honeſtos, nec ſenſit vllam repugnantiam ex parte paſſionum, ita vt eſſet opponenda facilitas habituum.

Tum quia hæ virtutes ponuntur, vt voluntas præponderet paſſionibus appetitus ſenſitiui, & ideo ſupponunt, quod ab ipſis trahatur ad bonum concupiſcibile, & ideò per actus producuntur, quia per ipſos voluntas retrahitur à motu, quem habet ab impulſu appetitus, & reducitur ad ſtatum ſuæ inclinationis naturalis; vnde tales virtutes non habent locum, niſi voluntas aliquo modo deordinetur ab impulſu appetitus.

21 Dices. Fuiſſe Chriſto infuſas has virtutes, vt haberet hanc quoque perfectionem.

Contra. Non ſunt perfectiones abſolutè, ſed ſolum ſecundum quid, loquendo quò ad habitus præcisè, & tantum ex occaſione voluntatis inclinantis ratione appetitus ad bonum ſenſibile. ergo

Secundò. Quia non eſt perfectio, niſi quatenus reducit voluntatem ad ſuam facilitatem naturalem, iuxta menſuram naturalis inclinationis, hæc autem reductio non habuit locum in Chriſto.

22 Ex his colligitur. Quòd neque in Chriſto ſint admittendæ hæ virtutes, ſi habitus conſiſterent in illa cognitione practica, quæ directiuo modo determinat voluntatem in ordine ad obiectum harum virtutum, ita vt perficeret ipſam voluntatem per modum cuiuſdam ideæ in ordine ad operationem, vt alibi explicatum eſt, Nam Adhuc talis cognitio acquiſita non fuit in Chriſto complens principium operatiuum, cum fuerit in ipſo cognitio ſupernaturalis, qua perfectiſſimo modo voluntas dirigeba-

rigeba-

Digitized by Google

rigebatur. Vnde quamuis Chriſtus ex obiectis deſumeret ſcientiam experimentalem, non tamen ex hac formabat dictamina practica pro operatione, ſed illa formabat ex ſcientia ſupernaturali infuſa.

An in Chriſto fuerint dona Spiritus Sancti.

SECTIO IV.

23 Dicendum eſt. *Dona Spiritus Sancti fuiſſe in Chriſto, etiam donum timoris*: ita communiter cum Diuo Thoma 3. *parte quæſtio*. 7. *artic*. 5. & 7. Contra Durandus *in* 3. *diſtinctio*. 35. *quæſt*. 3. qui negat, fuiſse in Chriſto actus conſilij, fortitudinis, pietatis, & timoris; eſt de fide.

Probatur. Iſaiæ 11. *Requieſcat ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus*, &c. §. *& replebit eum Spiritus timoris Domini*, Quem locum explicant communiter Patres de Chriſto. Ratio eſt, quia dona Spiritus Sancti ſunt perfectiones potentiarum, ſecundum quas fiunt aptæ, vt moueantur à Spiritu Sancto, anima autem Chriſti perfectiſſimè mouebatur, & erat apta, vt moueretur.

24 Obijcitur. Modus operandi horum donorum importat imperfectionem, quia facit, quod operatio fiat inconſulta ratione. ergo

Reſpondetur negando antecedens. Quia licet Spiritus Sanctus aliquando præueniat rationem; aliquando tamen mouet cum perfecta cognitione, vt fuit in Chriſto.

25 Obijcitur ſecundò. Conſilium eſt de dubijs; reſpectu autem Chriſti nihil erat dubium. Reſpondetur. Per accidens eſse de dubijs; nam formaliter importat cognitionem practicam, quæ ſit menſura operandi.

Quomodo in Chriſto fuerit donum timoris.

SECTIO V.

26 Ratio dubitandi eſt. Quia obiectum timoris, vt eſt donum Spiritus Sancti, eſt malum culpæ, quod à Deo permittitur, aut malum pœnæ propter culpam: Chriſtus autem erat ſecurus ab vtroque. Omiſſis varijs reſponſionibus.

27 Supponendum eſt. Timorem eſse duplicem, ſeruilem, & Filialem, ſeu Reuerentialem. Seruilis oritur ex amore, quo nos ipſos amamus, & habet pro obiecto per ſe primo malũ, quod cruciat. Reuerẽtialis verò vtitur ex charitate erga eũ, quẽ timemus, & habet pro obiecto per ſe primò bonum, quia reſpicit eminentiam illius boni, cuius poteſtate poteſt infligi malum, vt docet D. Thom. 3. *par. quæ*. 7. *art*. 6. *ad* 2. & ſolum ſecundariò reſpicit malum.

28 Supponendum ſecundo. Timorem reuerentialem non attingere bonum vt ſe communicat, ſed prout facit bonum in ſe illum, qui timetur. Ratio eſt. Quia hoc bonum eſt poteſtas infligendi malum, quæ non ſe communicat, niſi malum infligat, vt autem malum infligit, non timetur reuerentialiter, ſed ſeruiliter.

29 Dicendum eſt. *In Chriſto fuiſſe timorem Reuerentialem*. Probatur. In Chriſto fuit perfecta charitas erga Deum, ergo etiam Timor. Reuerentialis, quia hic timor prouenit ex charitate, & facit, quod voluntas reuerẽtialiter coniungatur cum Deo, vt dicat poteſtatem infligendi malum.

An in Chriſto fuerint Gratiæ gratis datæ.

SECTIO VI.

30 Gratiæ gratis datæ ſunt quædam dona ordinata ad aliorum vtilitatem, quæ enumerat Apoſtolus 1. ad Corinth. 12.

Supponendum eſt. Chriſtum habuiſſe has gratias, vt communiter docent cum Diuo Thoma 3. *parte quæſtio*. 7. *articul*. 7. Cum enim Chriſtus fuerit auctor ſalutis vniuerſalis, & debuerit inſtruere, & ordinare eccleſiam, erant ipſi neceſſariæ hæ Gratiæ: Vnde paſſim in Euangelijs legimus, illas exercuiſſe. Solum difficultas eſt de prophetia, quia videtur requirere obſcuritatem reſpectu rerum, quæ annunciantur, quæ non fuit in Chriſto.

31 Dicendum eſt. Etiam prophetiam fuiſſe propriè dictam in Chriſto, ita communiter tam Patres, quam Scholaſtici contra Abulenſem *quæſtion*. 64. *in capitul*. 11. *dum errorum*.

Probatur Deuteronomij. *Prophetam ſuſcitabo de medio fratrum tuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius*: Et hic locus explicatur de Chriſto. Actorum 3.

Ratio eſt, quia obſcuritas non eſt de ratione prophetiæ, cum ſit propria fidei ex eius obiecto formali; ſed tantum dicit annunciationem futurorum, quæ fuit in Chriſto.

32 Obijcitur. Chriſtus modo habet totam illam cognitionem, quam habuit iuria, & tamen non eſt propheta. ergo.

Reſpondetur. Non eſſe prophetam, quia mutauit ſtatum, nec eius cognitio modo ordinatur ad ea annuncianda, quæ procul ſunt à noſtra cognitione.

DE GRATIA CHRISTI VT capitis.

DISPVTATIO LXXXVIII.

Quorum Chriſtus ſit Caput.

SECTIO I.

1 Supponendum eſt de fide; Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ. Ad Epheſios 1. *Et ipſum dedit caput ſuper omnem eccleſiam*.

Ratio eſt, quia ſicut caput influit in cætera membra, ſic Chriſtus influit virtutem, & motum gratiæ: vnde Ioannis 1. *de plenitudine eius omnes accepimus*. Hinc reſpectu creaturarum irrationabilium non eſt caput, ſed Dominus, quia non influit in ipſas, vt caput.

2 Supponendum ſecundò. Rationem capitis conuenire Chriſto vt homini; vnde illi conuenit ratione animæ, & corporis, cum in vtroque conſiſtat humana natura: hinc exercet rationem capitis non ſolum reſpectu animarum, ſed etiam reſpectu corporum, quia per gratiam mediante anima mouet ad exequutionem actuum externorum.

3 Supponendum tertiò. Chriſtum eſſe caput omnium hominum, quia in omnes influit, cum pro omnibus mortuus ſit, vnde etiam reſpectu infidelium exercet influxus

Digitized by Google

vocando ad fidem, qui ſunt membra, nō in actu, ſed in potentia.

4 Supponendum quartò. De fide eſſe, Chriſtum eſſe caput Angelorum. Ad Coloſſen. 2. *Qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis*. Difficultas autem eſt, an ſit caput vt homo, an verò tantum vt Deus.

5 Prima ſententia negat eſſe caput vt homo eſt, ita Sotus *in 4. diſtinct. 49. queſtion. 4. artic. 2.* Diuus Bonauentura *in 3. diſtinction. 13. artic. 2. quaſtio. 3. ad 3.* Gabriel *quaſtion. vnica dubio 2.* Probant, Auguſtinus *capit. 56. Enchirid.* ſolum dicit, eſſe caput Eccleſiæ, quæ eſt in hominibus, & Chryſoſthomus *homilia prima in caput 1. ad Epheſios*. Eſſe caput hominis ſecundum carnem, Angelorum vero, vt Deus eſt, ergo

Secunda. Caput debet eſſe conſubſtantiale membris, cum debeant participare in eadem natura. Chriſtus autem, vt homo, non eſt conſubſtantialis Angelis.

6 Secunda Sententia aſſerit, eſſe caput vt homo eſt, ita communiter cum Diuo Thoma 3. *parte quaſtion.* 8. *articulo* 2.

7 Dicendum eſt. *Chriſtum eſſe caput Angelorum ſecundum humanitatem*, ita Diuus Auguſtinus *vnione* 3. *in* Pſalmo 33. vbi habet non ſolum nos, ſed etiam Angelos eſſe corpus illius capitis, qui eſt Chriſtus. Probatur. Ad Epheſios 1. *Suſcitans illum à mortuis, & conſtituens illum ad dexterā ſuam in caleſtibus ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſaculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuper omnem eccleſiam, qua eſt corpus ipſius*. Ergo cum Apoſtolus deducat rationem capitis conuenientem Chriſto, vt homo eſt, ex eo, quod fuit exaltatus ſuper omnem creaturam, cum fuerit etiam exaltatus ſuper Angelos, debet etiam eſſe caput illorum. Confirmatur. Ad Coloſſens. 2. *Quia in ipſo inhabitat plenitudo Diuinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis.*

Ratio eſt. Quia ex Angelis, & hominibus fit vna Eccleſia. Tum quia communicant in gratia, & charitate. Tum quia ſunt coadunati in ordine ad eundem finem ſupernaturalem, & habent vnam, & eandem ſocietatem, ergo ſicut Chriſtus vt homo eſt caput hominum, eſt etiā Angelorum, cum ſit caput totius Eccleſiæ.

8 Ad primum Reſpondetur. Diuus Auguſtinus, licet dicat, eum eſse caput hominum, non tamen excludit, quod ſit caput Angelorum. Chryſoſtomus autem tantum vult, quod Chriſtus vt homo ſit ſpeciali modo caput hominum ratione redemptionis.

Ad ſecundum. Caput non debere eſse conſubſtantiale, niſi quatenus communicat in eadem vita cum membris. Chriſtus autem communicat cum Angelis in participatione Diuinæ naturæ per gratiam habitualem, quę eſt vita ſpiritualis.

9 Ex his colligitur. Chriſtum non eſse caput damnatorum, cum non recipiant ab ipſo aliquos influxus gratiæ.

Quanam ſit Gratia capitis.

SECTIO II.

10 PRima Sententia vult, conſiſtere in gratia habituali ſimul cum gratia vnionis, ita Suarez *diſp.* 28. *de Incarnat.* Vaſquez *diſp.* 48. *cap.* 8. Vadingus *diſp.* 5. *dubio* 9. & alij.

11 Secunda ſententia, conſiſtere in ſola gratia habituali, ita Diuus Thomas 3. *part. q.* 8. *art.* 5. Caietanus, Medina, Cabrera, Raguſa *ibidem*. Alenſis 3. *p. q.* 11. *memb.* 3. & alij.

12 Dico primo. *Gratiam vnionis non eſſe formaliter gratiam, qua Chriſtus conſtituitur in eſſe capitis*. Probatur. Gratia capitis eſt principium influendi in membra. Gratia autem vnionis, cum det eſse perſonale, non dat huiuſmodi principium.

13 Dices. Gratiam vnionis eſse principium influendi quatenus dat valorem ſummum operibus Chriſti. Contra. Licet gratia vnionis dignificet, non eſt tamen principium influendi, cum non ſit principium merendi, ſed tantum dignificandi meritum. ergo

14 Dico ſecundo. *Gratiam capitis eſſe gratiam habitualem.*

Probatur. Chriſtus per gratiam habitualem fit in actu ſecundum quandam eminentiam reſpiciens vniuerſaliter membra, ergo cum vnumquodque agat, quantum eſt in actu per formam, Chriſtus ratione huius gratiæ aget in membra.

14 Dico tertio. *Gratiam vnionis pertinere ad gratiam capitis vt dignificatiuum*. Probatur. Quia facit, quod Gratia habitualis ordinetur ad opera ſummi valoris.

15 Quæres. An eſse caput ſit proprium Chriſti. Reſpondetur de facto eſse proprium, ſi adæquatè conſideretur ratio capitis, prout dicit regimen interius, & exterius, quia ſolus dirigit interius, de potentia tamen abſoluta potuiſset alteri communicari, quia gratia capitis eſt quid creatum.

DE SCIENTIA CHRISTI in communi.

DISPVTATIO LXXXIX.

An in Chriſto fuerit Scientia creata.

SECTIO I.

1 CErtum eſt de Fide. In Chriſto fuiſse humanum intellectum, vt definitur in vj. Synodo *act.* 4. *in epiſtola Agathonis, & Canone vij.* intellectus enim eſt perfectio naturæ humanæ.

2 Dico primo. *Chriſtum cognouiſſe ſecundum intellectum creatum.* Eſt de fide ex Epiſtola citata Agathonis Papæ, & ex Epiſtola Sophronij *act.* 11. *eiuſdem Synodi*. Probatur. Scriptura tribuit Chriſto cognitionem humanam. Ioannis 8. *Scio eum, & ſermonem eius ſeruo*, & capitulo 13. *Sciens Ieſus, quia venit hora eius*, & talis cognitio erat neceſsaria, vt Chriſtus mereretur, & ſatisfaceret. ergo &c.

3 Dico ſecundo. *Hanc cognitionem Chriſti fuiſſe creatam.* Eſt de fide ex iiſdem definitionibus. Probatur Lucæ 2. *Ieſus autem proficiebat ſapientia*, quod non poteſt intelligi de increata. Iſaiæ 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Sapientia*. Sapientia autem, quæ eſt donum Spiritus Sancti, eſt ſapientia creata.

Ratio eſt. Quia cognitio creata eſt perfectio humanę naturæ.

4 Dico tertio. *Nec de potentia abſoluta potuiſſe Chriſtum ſecundum intellectum creatum cognoſcere ſcientia Diuina;* ita communiter cum Diuo Thoma 3. *parte quaſtione 9. artic.* 1. & Deſumitur ex Concilijs, & Patribus quatenus ex impoſſibilitate: quod operatio vnius naturæ ſit in Chriſto operatio alterius, inferunt, eſse in Chriſto operationes humanas, & Diuinas.

Probatur. Intelligere eſt actio vitali modo exercita,

Digitized by Google

-cita, ergo cum ſit neceſſariò ab intrinſeco principio vitæ, non poteſt intellectus cognoſcere, niſi per cognitionem à ſe ipſo procedentem, quod non contingit in ſubſiſtentia; quia ſubſiſtere non eſt vitaliter operari.

5 Obijcies. Tantum debet eſſe conceptus formalis, quantus eſt obiecturus, ergo cum conceptus obiecturus viſionis beatæ Chriſti ſit infinitus, ſimpliciter, etiam formalis debet eſſe talis, atque adeò increatus. Reſpondetur. Hanc adæquationem reperiri tantum in cognitione comprehenſiua, quæ trahit ad ſe obiectum ſecundum eundem modum eſſendi, quo exiſtit in ſe ipſo cognitio autem beata Chriſti non fuit comprehenſiua Dei.

Qualis ſit cognitio creata Chriſti.

SECTIO II.

6 Cognitio creata Chriſti fuit habitualis iuxta illud Ioannis 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*, & fuit non ſolum ſupernaturalis, ſed etiam naturalis, quia intellectus Chriſti debuit perfici in vtroque ordine.

7 Dico primò. *Cognitionem Chriſti naturalem fuiſſe certam, & euidentem*, ita communiter. Probatur. Hæc cognitio dirigebatur à cognitione beata, vt à prima regula; ergo fuit certa, & euidens.

8 Dico ſecundò. *Etiam ſupernaturalem fuiſſe certam & euidentem*. Probatur. Omnis cognitio ſupernaturalis vel eſt obſcura, & tunc eſt certa ex teſtimonio Diuino; aut euidens, & tunc habet certitudinem ratione euidentiæ.

9 Obijcitur Ex Damaſceno 3. *de Fide cap.* 2. vbi habet, Verbum aſſumpſiſſe naturam ignorantem; & Ambroſio *lib.* 2. *de fide*, & Auguſtino *in Pſalm.* 21. qui ait fuiſſe in Chriſto dubitationem. Reſpondetur. Verbum aſſumpſiſſe naturam ignorantem, quia talis erat ex ſua conditione; fuit tamen ſupra conditionem illuſtratam. Ambroſius autem, & Auguſtinus ſolum dicunt, Chriſtum ita ſe geſſiſſe, ac ſi eſſet dubius.

10 Obijcitur ſecundò. Error in intellectu oritur ex errore in ſenſu, ergo cum in ſenſibus Chriſti potuerit eſſe error, potuit etiam eſſe in intellectu. Reſpondetur. Quicquid ſit, an ſenſus Chriſti potuerint errare. Si errasſent, ſtatim error correctus fuiſset à cognitione ſupernaturali, & ideò non redundaſſet in intellectum.

11 Dico tertiò. In Chriſto non potuiſſe eſſe cognitionem opinatiuam, aut fidem humanam. Probatur. Hæ cognitiones ſunt imperfectæ, cum ſint admixtæ dubitatione, & non poſſunt eſſe ſimul cum euidentia: Chriſtus autem habuit certam, & euidentem cognitionem de omnibus.

12 Obijcies. Chriſtus cognoſcebat rationes probabiles cuiuſcunque opinionis, ergo. Reſpondetur. Cognouiſſe euidenter ipſam probabilitatem.

13 Obijcies ſecundò. Actus opinionis eſt connaturalis humano intellectui, ergo. Reſpondetur. Eſſe connaturalem ex ſuppoſitione, quod intellectus non habeat cognitionem euidentem.

Obiicitur tertiò. Chriſtus credebat hominibus aliquid ſibi dicentibus. Reſpondetur. Non credidiſſe, quia non aſſentiebatur ex ipſorum teſtimonio; ſed ratione euidentiæ, quam habebat de ijs, quę dicebantur.

DE COGNITIONE BEATA Chriſti.

DISPVTATIO LXXXX.

Quando Chriſtus fuerit beatus.

SECTIO I.

1 Quæ de cognitione beata traduntur in communi, intelligenda ſunt etiã de cognitione beata Chriſti; vnde in præſenti ſolum agemus de iis, quæ propria ſunt Chriſti. Certum eſt autem, Chriſtum poſt reſurrectionem habuiſse viſionem beatam, hoc enim eſt vniuerſaliter definitum de omnibus iuſtis, qui ſine peccato moriuntur in Concilio Florentino *in litteris vnionis*; vnde quæritur, an fuerit beatus ante mortem.

2 Dico primo. *Chriſtum fuiſſe beatum, dum erat viator in carne paſſibili*, eſt de fide ex cõmuni ſenſu Eccleſiæ contra Recentiores hæreticos, Lutherum, Caluinum, & alios. Probatur Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti*, ergo. Si gloria Chriſti fuit gloria vt vnigeniti debuit habere viſionem beatam, quia hæc eſt gloria, quæ eſt debita humanitati ipſius ex eo, quod ipſi communicatur filiatio Dei naturalis.

3 Dico ſecundo. Habuiſſe viſionem beatam à primo inſtanti ſuæ Conceptionis. Probatur. Humanitas Chriſti ratione vnionis habuit ius naturalitatis ad communicandum in bonis Diuinitatis; vnde ad Hæbreos 1. Chriſtus dicitur hæres omnium bonorum Patris, ergo ſtatim, ac facta eſt vnio, habuit viſionem beatam tanquam ſibi debitam debito connaturalitatis. Et hoc argumento vtitur Athanaſius. *oratio 4. contra Arrianos*.

4 Obiicies. Si fuiſſet beatus, cognouiſſet decretum Patris de ſua paſſione; vnde non oraſſet. *Pater, ſi poſſibile eſt*, &c. Reſpondetur. Ita fuiſſe loquutum, non quia ignoraret decretum, nam iam acceptauerat mortem, ſed vt exprimeret affectum ſuæ volũtatis, quo refugiebat mortem; in quo tamen non repugnauit Diuinæ voluntati; nam ſubdidit, *Non mea, ſed tua voluntas fiat*.

5 Obiicitur ſecundo. Lucæ 24. *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*. Reſpondetur. Intelligi de gloria accidentali reſurrectionis, aſcenſionis, &c.

Quomodo in Chriſto fuerit ſummum gaudium ratione Beatitudinis cum ſumma triſtitia ratione paſſionis.

SECTIO II.

6 Notandum primo. Beatitudinem nedum tendere in obiectum primarium, ſed etiam in ſecundarium, quia voluntas beati, cum ſit omnino conformis Diuinæ, complacet ſibi in iis omnibus, quæ ſunt iuxta diſpoſitionem Diuinæ voluntatis.

7 Notandum ſecundo. Triſtitiam propriam poſſe eſſe obiectum delectationis, poteſt enim quis gaudere de ſua triſtitia, quatenus eſt occaſio habendi aliqua bona: vnde ſi ſit de obiecto à Deo ordinato, aut permiſſo poterit beatus de ipſa delectari ex vi amoris beatifici, vt de obiecto conformi Diuinæ voluntati.

Digitized by Google

8 Notandum tertiò. Obiectum delectationis non deſtruere, ſed perficere ipſam delectationem: vnde nec etiam deſtruit obiectum primarium ipſius, aut modum, quo voluntas vitaliter afficitur. Hinc triſtitia tunc ſolum deſtruit obiectum gaudij, & pugnat cum ipſo gaudio, quando opponuntur, non autem quando ſe habent ſubordinato modo, quia tunc vnum ſe habet vt fundamentum alterius; vnde voluntas inquiete ſe habet circa aliquod obiectum, vt in alio perfectè quieſcat, non tamen ſequitur quod ſit formaliter inquieta, quia vult vniri cum obiecto ſibi diſſono, vt quieſcat in alio.

9 Dicendum eſt. *Potuiſſe eſſe in Christo ſummum gaudium cum ſumma triſtitia, quia Chriſtus triſtabatur de obiecto, quod erat ſecundum Dei diſpoſitionem, atque adeò ex vi amoris beatifici amabat illam triſtitiam, & ideo non tollebat aliquid de ſummo gaudio, ſed erat obiectum ipſius.*

10 Dices. Quæ ex genere ſuo habent annexam contradictionem, ſemper habent, & nunquam poſſunt eſſe ſimul: triſtitia autem, & ſummum gaudium habent annexam ex genere ſuo, ergo. Reſpondetur habere annexam, quando ſe habent oppoſito modo; ſecus autem, quando vna ſubordinatur alteri, quia tunc materialiter ſe habet ex eos, quod communicet cum aliqua ratione boni, ſub qua attingitur.

An Chriſtus cognouerit in Verbo omnia futura.

SECTIO III.

11 PRima ſententia aſſerit, cognouiſſe, non in Verbo, ſed tantum ex ſpeciali reuelatione Dei: ita Scotus *in 3. diſtinct. 14. quæ. 2.* D. Bonauent. *art. 2. q. 3.* & communiter Scotiſtæ cum ijs, qui negant, Creaturas poſſe videri in verbo.

12 Secunda ſententia aſſerit, cognouiſſe omnia futura in Verbo, ita D. Thomas *3. p. q. 101. art. 2.* Caietanus, Medina, Peſantius *ibidem*. Suarez *diſp. 26. de Incarnat.* & alij.

13 Dico primò. Chriſtum cognouiſse omnia futura: eſt de fide ex communi conſenſu Patrum contra Caluinum, Lutherum, & alios. Probatur. Ioannis 16. *Nunc ſcimus quia ſcis omnia*, & cap. 21. *Domine tu omnia ſcis*, ex quibus locis colligunt Patres, quod cognouerit præſentia, præterita, & futura, vnde in vj. Synodo *act. 11. in epiſtola Sophron.* anathematizatur Thomiſtius aſſerens, Chriſtum vt hominem ignoraſſe diem iudicij.

14 Obijcitur. Matth. 24. *De die illa nemo ſcit, neque Filius hominis*, ergo. Reſpondetur, omiſſis varijs reſponſionibus, Chriſtum voluiſse negare Diſcipulis manifeſtationem diei Iudicij, & oſtendere eos irrationabiliter interrogare; & ideo reſpondit, ſe diem illum neſcire, quia cognitio, quam habebat de ipſo, non erat ſub ipſius diſpoſitione, ſed ipſam habebat veluti in depoſito tanquam ſecretum Patris, & ideo non poterat de ipſa diſponere eam cæteris communicando.

15 Obijcitur ſecundò. Ex Athanaſio *ſermo. 4. contra Arrian.* Vbi habet. Chriſtum vt hominem ſimul cum hominibus non nouiſse diem Iudicij. Et ſimilia habet Cyrillus *lib. 9. Theſau. cap. 4.* Reſpondetur. Ita loqui, quia non ſciebat diem iudicij humanitus, hoc eſt in virtute humanitatis, ſed Diuinitus ex reuelatione Dei, & proinde dicunt, quod vt homo neſciuerit, quia non ſciebat ſcientia humano modo acquiſita.

16 Obijcitur tertiò. Si Chriſtus videret in verbo omnia futura, comprehenderet ſcientiam viſionis, qua Deus videt futura, ergo. Reſpondetur negando ſequellam. Nam ſufficit, quod eſsentia Diuina fœcundet in ordine ad cognoſcenda futura, nec eſt neceſsaria cognitio comprehenſiua viſionis Diuinæ.

17 Obijcitur quartò. Sequeretur, quod Chriſtus videret in Verbo etiam ſuos actus liberos, vnde non operaretur liberè, quia poſita tali viſione, cum ſit infallibilis, non poſset non operari. Reſpondetur negando ſequellam. Quia per talem ſcientiam videt ſuos actus ex ſuppoſitione, quod ſint liberè futuri. Inſtabis. Poteſt Chriſtus videre in verbo miſeriam alicuius, & moueri ad miſericordiam; tunc autem illa miſericordia videbitur in verbo, vt futura, & non libero modo, quia erit futura ex vi viſionis beatæ: vnde viſio beata antecedet non ſolum tempore, ſed etiam cauſalitate. Reſpondetur. Viſionem beatam non antecedere cauſalitate miſericordiam, quia talis miſericordia dependet in eſse ab alia cognitione, in cuius virtute Chriſtus exercebat ſuos actus liberos.

DE SCIENTIA INFVSA Chriſti.

DISPVTATIO LXXXXI.

An Chriſtus habuerit aliquam ſcientiam infuſam per ſe.

SECTIO I.

1 NOmine Scientiæ infuſæ intelligitur aliqua cognitio, quæ per ſe primo verſetur circa res, vt ſunt in proprio genere. Poteſt autem eſse duplex, videlicet infuſa per ſe, quæ non poſſit haberi, niſi à Deo infundatur, & infuſa per accidens, quæ etiam naturali modo acquiri poſſit.

2 Prima ſententia eſt negatiua, ita Richardus *in 3. diſt. 14. art. 3. q. 1. & 2.* D. Bonau. *ibidem.* Gabriel *art. 2,* Almain. *q. 1. art. 2.* & alij. Probant. Chriſtus ratione cognitionis beatæ, & infuſæ per accidens habet totam perfectionem debitam in ratione cognitionis, tam in ordine naturæ, quàm in ordine gratiæ, ergo omnis alia eſt ſuperflua.

3 Secunda ſententia aſserit, habuiſse ſcientiam per ſe infuſam circa ea, quæ non poſsunt cognoſci naturaliter; circa autem naturaliter cognoſcibilia habuiſse ſcientiam infuſam per accidens. Ita Scotus *in 3. diſtinct. 14. q. 3.* Durandus *ibidem.* Probant. Si habuiſset ſcientiam infuſam per ſe circa naturaliter cognoſcibilia, fuiſset eiuſdem rationis cum acquiſita, duo autem accidentia eiuſdem rationis non poſsunt eſse ſimul in eodem ſubiecto.

4 Tertia Sententia abſolutè ponit ſcientiam infuſam per ſe: ita D. Thomas *3. part. q. 9. art. 3.* Caietanus, & Medina *ibidem.* Suarez *diſp. 25. de Incarnat. ſect. 3.* Vaſquez *diſp. 52. cap. 1.* Raguſa *diſp. 85.* Hurtad. *diſp. 65. ſect. 3.* & alij.

5 Dico primò. *Fuiſſe in Chriſto ſcientiam per ſe infuſam.* Probatur. Humana natura debuit in Chriſto perfectiſſimo modo ſe habere, cum ratione vnionis ſit illi debita omnis inferior perfectio, tam in ordine naturali, quam in ſupernaturali, ergo cum ſit in potentia ad hanc ſcientiam, debuit per ipſam perfici.

6 Dices. Habere tantum potentiam obedientialem ad hanc ſcientiam, & ideò ſi ipſa careat, non ſe habere imperfecto modo. Contra. Eſt debita ex ſuppoſitione vnionis hypoſtaticæ, ergo ex hac ſuppoſitione natura ſe haberet imperfecto modo.

7 Dico ſecundò. *Hanc ſcientiam fuiſse ſupernaturalem quò ad ſubſtantiam, quatenus erat in ordine ad dirigendam voluntatem ad finem ſupernaturalem.* Probatur. Hæc ſcientia inſeruiebat gratiæ per modum potentiæ, &

ſtabat

Digitized by Google

ſtabat loco fidei, et habebat motiuum ſupernaturale in ordine ad actus ſupernaturales ſecundum ſubſtantiam, ergo vt eſſet proportionata, debuit eſſe ſupernaturalis quoad ſubſtantiam.

8 Dico tertiò. *Chriſtum circa alia obiecta naturalia habuiſſe cognitionem infuſam ſolum ſupernaturalem quoad modum, non autem quoad ſubſtantiam*. Probatur: ſpecificatur ab obiecto, ergo non poteſt eſſe ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, niſi obiectum formale motiuum ſit tale: in his autem obiectis non adeſt motiuum ſupernaturale.

9 Ad fundamentum primæ ſententiæ, reſpondetur. Non ſufficere cognitionem beatam, quia hęc non perficit in ordine ad omnem modum cognoſcendi, quia non poteſt cognoſcere obiecta creata immediatè ſecundum ſe, vt obiecta primaria.

10 Ad Fundamentum ſecundæ ſententiæ. Quicquid ſit, an duo accidentia ſolo numero diuerſa poſſint eſſe in eodem ſubiecto, hæc ſcientia non eſt eiuſdem rationis cum acquiſita, quia diuerſo modo repræſentat obiectum.

An hæc ſcientia fuerit dependens à phantaſia,

SECTIO II.

11 PRima ſententia eſt affirmatiua, ita Durand, *in 3. diſtinct. 14. quæſt.* 3. Probat. Omne, quod recipitur, per modum recipientis recipitur: hæc autem ſcientia fuit recepta in ſubiecto determinato ad cognoſcendum per conuerſionem ad phantaſmata.

12 Secunda ſententia aſſerit, ita fuiſſe abſolutam à phantaſmatibus, vt non potuerit Chriſtus illa vti cum conuerſione ad ipſa: ita Vaſquez *diſput. 52. de incarnat. capitul. 2.*

13 Tertia ſententia ait, eſſe independentem à phantaſmatibus, potuiſſe tamen Chriſtum illa vti cum conuerſione ad ipſa ità D. Thomas 3. *part. quæſt. 11. art.* 4. Caietanus *art. 3.* Medina *ibidem*. Raguſa *diſp. 96. de Incar.* Merantius *tomo 2. ſum. diſput. 29. de Incarnatione ſect. 7.* & alij.

14 Dico primò. *Fuiſſe ex natura ſua independentem à phantaſmatibus*. Probatur. Species huius ſcientiæ non ſunt ex natura ſua alligatæ phantaſiæ, quia illæ ſolum ſunt alligatæ, quæ deſumuntur ab obiectis medijs ſenſibus, & ſunt determinatæ ad repręſentandum ſenſibili modo, ergo neque ſcientia, quia alligatio ad phantaſiam prouenit tantum ratione ſpecierum.

15 Dico ſecundò. *Non potuiſſe in hac ſcientia interuenire conuerſionem ad phantaſmata propriè dictam, ſed tantum impropriè, quatenus ex eo, quod intellectus operabatur circa aliquod obiectum, poterat etiam circa ipſum operari phantaſia per ſpeciem ſibi propriam*, & hoc tantum voluit D. Thomas *citatus*. Probatur. Conuerſio ad phantaſmata propriè dicta dicit, quod intellectus intelligat ſub repræſentatione ſenſibili, hoc autem non habet locum, quando cognitio eſt per propriam ſpeciem.

16 Ad fundamentum primæ ſententiæ reſpondetur. Hãc ſcientiam non recipi in intellectu, prout eſt alligatus ſēſibus, & ideo non debuit determinari ad cognoſcendum cum conuerſione ad phantaſmata.

17 Quæres. An huiuſmodi ſcientia fuerit diſcurſiua. Reſpondetur non fuiſſe ex natura ſua: an autem Chriſtus potuerit vti tali ſcientia cum diſcurſu, eadem eſt ratio de ipſa ac de Angelis, de quibus ſuo loco. An autem Chriſtus ex rebus cognitis per hanc ſcientiam potuiſſet per lumen naturale elicere diſcurrendo cognitionem aliarum rerum. Negatiuè reſp. Quia, cum res cognitæ per hanc ſcientiam repræſententur per proprias ſpecies, adæquatè repræſentantur etiam ſecundum omnes connexiones, quas habent cum cæteris rebus, & ideo primo, & vnico intuitu cognoſcebat Chriſtus, quicquid nos poſſumus ex rebus cognitis deducere per diſcurſum.

An hæc ſcientia ſit habitus diſtinctus à ſpeciebus.

SECTIO III.

17 PRima ſententia eſt negatiua. ita Vaſquez *diſput. 54. de Incarnat. capit. 2.* qui etiam alios citat. Probat. Intellectus concurrit ad huius ſcientiæ actus ſub ratione intellectionis, & ſpecies vt determinatiua in ordine ad obiectum, ergo ſufficit, quod ſpecies ſit ſupernaturalis, vt etiam actus ſit talis.

18 Secunda ſententia aſſerit, eſſe neceſſarium habitum luminis diſtinctum à ſpeciebus: ita Caietanus 3. *part. q. 11. articul. 6.* Medina *ibidem*. Cabrera *diſput. 4.* Suarez *diſput. 29. de Incarnation. ſection. 2.* Raguſa *diſput. 100.* & alij.

19 Dico primò. Scientiam infuſam circa obiecta naturali modo cognoſcibilia, non importare aliud, quam ſpecies. Probatur. Obiectum non excedit lumen naturale intellectus, cum ſit naturali modo cognoſcibile, ergo non eſt neceſſarius habitus eleuans intellectum.

20 Dico ſecundò. *Neque in ordine ad obiecta ſupernaturalia* creata eſſe neceſſarium habitum luminis ſupernaturalis. Probatur. Intantum eſſet neceſſarius, inquantum eſt neceſſaria proportio inter obiectum, & potentiam: ſed non eſt neceſſarius ad ponendum hanc proportionem, ergo. Minor probatur. Inter obiectum formale, & potentiam eſt debita proportio, atque adeo inter omnia obiecta materialia, quæ continentur ſub formali; nam hoc ponit in ipſis proportionem: omnia autem ſupernaturalia creata continentur ſub obiecto formali intellectus creati.

21 Dices. Sequeretur, quod etiam Deus poſſet in ſe ipſo intuitiuè cognoſci abſque habitu eleuante, nam eſt ſub obiecto formali intellectus. Reſpondetur negando ſequelam. Et ad probationem reſpondetur. Deum non eſſe ſub obiecto formali intellectus, ſed ſupra ipſum, quia non eſt ens, ſed ſupra ens; ſiquidem eſt ens per eſſentiam, quod in ratione entis dicit aliam rationem longe ſupereminentem vt diximus in metaphyſ. par. 1. diſp. 29. ſect. 6.

22 Ex his colligitur. Lumen gloriæ non concurrere ad actus huius ſcientiæ. Tum quia non eſt neceſſarius concurſus ipſius: Tũ quia lumen gloriæ reſpicit eſſentiam Diuinam, vt obiectum adæquatum primarium, & ideò non poteſt ferri extra ipſam in aliquid aliud, vt obiectum primarium: hæc autem ſcientia attingit ſuum obiectum vt primarium.

DE OBIECTO SCIENTIAE infuſæ.

DISPVTATIO LXXXXII.

An poſſibilia ſint obiectum huius ſcientiæ.

1 SVpponendum eſt. Chriſtum per hanc ſcientiam non cognoſcere omnia poſſibilia. Duplici enim modo ſolum poſſunt cognoſci in Diuina eſſentia vt in cauſa, & velut quod extractum à Diuina eſſentia ſecundum eſſe obiectiuum. Primo modo non poſſunt cognoſci, niſi per viſionem beatam, ſecundo modò non poſſunt omnia cognoſci, vt ſuo loco oſtendimus: vnde difficultas eſt, an aliqua pertineant ad obiectum huius ſcientiæ.

2 Dicendum eſt. *Non pertinere*. Eſt contra Raguſam *diſp. 95. de Incarn.* Sum. Merat. *orat. 3. ſum. diſput. 25. de Incarnatio. concluſ. 2.* & alios Recentiores communiter. Probatur: ſcientia infuſa ordinatur ad cognoſcendas res

in

Digitized by Google

in proprio genere iuxta ipſarum cognoſcibilitatem: poſſibilia autem non ſunt cognoſcibilia in proprio genere, quia non habent eſſe, niſi in cauſa, vt patet ex alibi dictis.

3 Dices. Poſſet Deus communicata cognitione eſſentiæ communicare cognitionem aliquorum poſſibilium, ergo. Reſpondetur id non poſſe iuxta exigentiam rerum, quia cum poſſibilia non ſint cognoſcibilia in proprio genere, ſpecies propria ipſorum non eſt ipſis connaturalis.

4 Dices ſecundò. Si hæc ſcientia non ſe extenderet ad poſſibilia, eſſet imperfecta, quia non eſſet adæquata appetitui ſciendi. Reſpondetur negando ſequellam. Quia appetitus ſciendi non ſe extendit ad poſſibilia, niſi eo modo, quo ſunt cognoſcibilia, non ſunt autem cognoſcibilia in proprio genere.

An res naturales ſint obiectum huius ſcientiæ.

SECTIO II.

5 DIco primò. *Per hanc ſcientiam Chriſtum cognouiſſe omnia naturalia, quæ in quacunque differentia temporis exiſtunt.* ita communiter cum D.Thom. 3.*part.quæſt.*11. *artic.*1. Probatur. Chriſtus erat caput creaturæ rationalis, ergo illi erant debita cognitio eorum omnium, quę pertinent ad membra. Hæc autem ſunt omnia naturalia, cum omnia ſint propter creaturam rationalem.

6 Dico ſecundò: *Obiectum huius ſcientiæ non ſolum eſſe naturas vniuerſales, ſed etiam ſingularia.* Probatur. Tum quia eſt cognitio rerum in proprio genere. Tum quia illas attingit, vt ſunt in diſpoſitione vniuerſi tanquam partes ipſius.

7 Dico tertiò. *Res naturales præciſa habitudine ad finē ſupernaturalem cognoſci per hanc ſcientiam ſub illa ratione formali, ſub qua cognoſcerentur, ſi naturali modo attingerentur,* Eſt contra Suarez *diſp.*22. *de incarn. ſect.* 2. Raguſ. *diſp.*90. & alios recentiores. Probatur. Pertinent ad ſcientiam naturalem ſub ratione entis veri, ergò etiam ad iſtam; alioquin ſi attingerentur ſub alia ratione, quia iſta ratio eſſet inferior ente, non attingerentur perfectè, & ſecundum totam quidditatem, quia cum ratio entis ſit prima ratio quidditatis, niſi ſecundum ipſam attingantur, non attinguntur ſecundum adæquatam quidditatem.

8 Dices. Ergo hæc ſcientia non differt ab acquiſita naturali. Reſpondetur. Non differre ex vi ſpecificationis, quam habet ab obiecto; ſed ſolum ſecūdum maiorem perfectionem, ſicut differt cognitio Angeli à cognitione hominis circa idem obiectum.

9 Dico quartò. *Res naturales, vt dicunt habitudinem ad finem ſupernaturalem, pertinere ad hanc ſcientiam ſub alia ratione obiecti.* Probatur, pertinent ad ipſam vt ſtant ſub determinatione finis ſupernaturalis. ergo

An actus liberi, & futura contingentia fuerint obiectum huius ſcientiæ.

SECTIO III.

10 DIfferunt actus liberi, & futura contingentia, quod actus liberi important puros actus internos, ſeu ſecreta cordis. Futura vero contingentia dicunt effectus actuum liberorum, vt ſunt operationes externæ, & quæ in eſſe dependent ab actibus liberis. Certum eſt autem de fide, Chriſtum hæc omnia cognouiſſe certo, & infallibiliter Matthæi, 19. *Cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum.* Lucę 19. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo;* Solum difficultas eſt, an cognouerit per ſcientiam infuſam.

11 Prima ſententia aſſerit, Chriſtum cognouiſſe hæc omnia per ſcientiam infuſam clare, & euidenter: ita Caietan. 3.*part. quæſt.*11. *articul.* 1. Chelliſon. *dub.* 2. Vaſquez *diſput.* 57. *de Incarnat. capit.* 2. Aluarez *diſput.* 58. & alij.

12 Secunda ſententia, quod cognouerit hæc omnia per ſcientiam infuſam, non in ſe ipſis pro illa differentia temporis, in qua erant futura; ſed tantum in euidenti reuelatione Dei, ita Bannes 1. *part. quæſt.*57. *artic.*2. Crabrera 3.*part.quæſt.*11.*art.*1.*diſp.*3. Suarez *diſp.*27.*de Incarnatio.ſect.*2. Raguſa *diſp.*91. & alij.

12 Tertia ſententia negat abſolutè pertinere ad ſcientiam infuſam: ita D.Thom. *in* 3. *diſtinct.*14.*quæſt.*1.*art.* 3. Scotus *quæſt.*3. Durandus *ibidem*. Gabriel *q.* 1. Quia cognitio horum futurorum non poteſt eſſe connaturalis niſi Deo iuxta illud Iſaiæ 21. *Nunciate nobis ventura, & dicemus quia Dij eſtis;* eſſet autem connaturalis, ſi talia eſſent obiectum ſcientię infuſæ, quia intellectus Chriſti ratione talis ſcientiæ inclinaret ad ipſa.

14 Dico primò. *Actus liberos, ſeu cogitationes cordis ſecundum ſe non eſſe obiectum huius ſcientiæ.* Probatur. Hæc ſcientia attingit obiectum euidenter in ſe ipſo; cogitationes autem cordis non ſunt tali pacto attingibiles, ergo. Maior patet. Quia attingit ſuum obiectum per propriam ſpeciem; propria autem ſpecies repræſentat obiectum euidenter in ſe ipſo. Minor probatur. Cogitationes cordis ſunt ex natura ſua ſecretæ, ita vt non poſſint alicui creaturæ innoteſcere, niſi per manifeſtationem, & non poſſunt manifeſtari in ſe ipſis, ſed ſolum in loquutione; nam in ſe ipſis non ſunt manifeſtabiles, niſi vt rationes facientes aliud manifeſtari, nempe obiectum, atque adeo niſi vt, *quo*, & proinde tantum reſpectu illius, cuius ſunt cogitationes vt latius, vbi de cognitione Angelica diſp.110. ſect. 5. & ideo non poſſunt manifeſtari, niſi in loquutione cogitantis, quæ ordinetur ad alteri manifeſtādum. Confirmatur. Actus liber ſe habet vt id, quo volūtas inclinatur in obiectum propoſitum per intellectum, & ſe habet vt *quo*, reſpectu illius, ergo non eſt cognoſcibilis in ſe ipſo. Conſequentia probatur, vnumquodque eſt cognoſcibile, ſicuti eſt, ergo quod non eſt vt, *quod*, ſed vt, *quo*, non eſt cognoſcibile vt, *quod*, atque adeò nec in ſe ipſo, quia quod cognoſcitur in ſe ipſo, eſt cognoſcibile vt, *quod*.

15 Dices. Eſſe cognoſcibiles in ſe ipſis ratione obiecti formalis nempe entis, ſeu veri, quod eſt obiectū vt *quod*. Contra. Ratio entis abſtrahit vt ſit ens vt *quod*, & vt, *quo*, quia id habet à determinatiuo. Et ratio obiecti formalis intellectus ſe habet vt, *quo*, quia eſt ratio proportionatiua obiecti materialis. Ergo. Quod obiectum ſe habeat vt, *quod*, vel vt, *quo*, prouenit ab obiecto materiali, nempe à ratione talis entis.

16 Dico ſecundò. *Stante cognitione in verbo de actibus liberis, ac cogitationibus cordis, Chriſtum formare ſibi ex illa aliam cognitionem naturalem, & accommodatam naturali capacitati, & modo naturali intelligendi.* Probatur. Debebat vti cognitione horum obiectorum in ordine ad commercium humanum, vt conſtat paſſim ex Euangelio, & in ordine ad exercēdam auctoritatem capitis totius Eccleſiæ, ergo debuit habere cognitionem tam accommodatam capacitati humanę naturali, quam poſſet communicare, tum etiam accommodatam ad dirigendam auctoritatem capitis, quę non dirigebatur immediatè à ſcientia beata, ſed a cognitione immediata obiectorum creatorum.

16 Dices. Cognitio horum obiectorū erat debita Chriſto vt capiti, cum ad ipſum pertineat directio totius ordinis gratiæ, & totius Eccleſiæ. Ergo pertinebat ad illam ſcientiam, quę conueniebat ipſi vt maiori, atque adeò ad infuſam. Reſpondetur negando antecedens. Nam non magis erat debita vt capiti, quam vt Compræhenſori. Nam vt Compręhenſori erat debita cognitio omnium, quę ad ſtatum ipſius pertinebant: omnia autem, quę debebat cognoſcere vt caput, pertinebant ad ſtatum ipſius;

vnde

Digitized by Google

unde quia ſtatus beatitudinis eſt principalior, ideo potiori modo erat debita talis cognitio Chriſto, vt Comprehenſori, & ſatis erat, quod redundaret in aliam cognitionem, qua vteretur vt caput.

17 Dico tertiò. *Chriſtum cognouiſſe per ſcientiam infuſam futura contingentia, ſeu effectus externos actuum liberorum futuros euidenter, & in ſe ipſis*. Probatur. Eſt poſſibilis ſpecies hæc omnia repræſentans, ergo debuit Chriſto, vt cognitio haberet totam ſuam perfectionem. Antecedens probatur. Eſt poſſibilis ſpecies repræſentans futurum ſecundum totum ſuum eſſe adæquatum, quod habet in ſe, & etiam eſt poſſibilis ſpecies repræſentans tempus futurum ſub ratione futuri, ſeu cum illa diſtantia durationis, quam habet reſpectu temporis præſentis, & etiam repræſentans eo exiſtentiam futuri ad tale tempus, ſiue hæc ſpecies ſit vna, ſiue multiplex, ergo poterit repræſentare futurum vt futurum in ordine ad ſcientiam infuſam.

18 Ad fundamentum tertię ſententiæ, quatenus procedit contra vltimum dictum. Reſpondetur. Cognitionem futurorum non eſſe connaturalem, niſi Deo ex propria virtute. Poſſe tamen fieri connaturalem creaturæ ex ſuppoſitione alicuius eleuationis ſupernaturalis. Sic clara viſio Dei non eſt connaturalis alicui creaturæ; eſt tamen connaturalis intellectui eleuato per lumen gloriæ.

19 Quæres. An Cognitio horum futurorum fuerit intuitiua, an abſtractiua. Reſpondetur. Fuiſſe abſtractiuam, quia cum obiecta non fuerint præſentia, non potuerunt intuitiuè cognoſci.

An myſteria creata gratiæ fuerint obiectum huius Scientiæ.

SECTIO IV.

20 MYſteria gratiæ ſunt in triplici differentia; alia purè creata, vt ſunt gratia, viſio beata, &c. Alia purè increata, vt myſterium Trinitatis. Alia mixta, vt myſterium Incarnationis; in præſenti inquirimus tantum de primis.

21 Prima Sententia negat, Gratiam habitualem, & viſionem beatam eſſe obiectum huius Scientiæ, ita Bannes 2. 2. *q.* 5. *art.* 1. Aluarez *diſp.* 61. *de Incarn.* Raguſa *diſ.* 91. & alij Recentiores. Probant. Gratia eſt participatio Diuinæ naturæ ſecundum id, quod eſt proprium, & connaturale Deo: vnde eſt in ordine Diuino, ergo non poteſt cognoſci, niſi cognoſcatur Diuina natura, quæ ſolum cognoſcitur per viſionem beatam. Secundo. Cognita aliqua viſione quidditatiuè cognoſcitur etiam quidditatiuè obiectum, cum ſit ſuo modo cauſa intrinſeca ipſius. Deus autem non poteſt cognoſci quidditatiuè, niſi per viſionem beatam.

22 Secunda ſententia eſt affirmatiua, ita Suarez *diſ.* 22. *de Incarn. ſect.* 3. Vadingus *diſp.* 6. *dubio* 9. Merator. *diſp.* 26. & alij Recentiores.

23 Dicendum eſt. *Omnia ſupernaturalia creata eſſe obiectum huius ſcientiæ*. Probatur. Hæc omnia non excedunt cognoſcibilitatem entis finiti creati ſupernaturalis, ergo non excedunt facultatem huius ſcientiæ, cum reſpiciat ſuum obiectum ſub ratione ſupernaturalis entis.

24 Dices. Excedere ratione talis ſupernaturalitatis. Contra. Talis ſupernaturalitas continetur ſub ſupernaturalitate vt ſic, ergo ſe habet materiali modo in ratione obiecti, atque adeo non ponitur exceſſus proportionis.

25 Ad primum reſpondetur. Ex eo, quod Gratia ſit participatio Diuinæ naturæ, non dicit in genere formali aliquid proprium Dei, & ideò non eſt neceſſe, quod ipſa cognita cognoſcatur Deus quidditatiuè. Ad ſecundum negatur aſſumptum. Quia viſio beata repræſentat tantum vt quo, atque adeo ſolum reſpectu elicientis, & ideo, vt ipſa quidditatiuè cognoſcatur, non eſt neceſſe, quod etiam Deus cognoſcatur quidditatiuè, ſed ſolum ſufficit, ſi cognoſcatur, eſſe repræſentationem Dei. Hinc aliud eſt cognitionem manifeſtare obiectum, quid in ſe ſit, & aliud manifeſtare ſe ipſam quidditatiuè; primum illi conuenit, prout ſe habet vt *quo*, ſecundum, prout ſe habet vt *quod*. Adde quod actus intellectus, & voluntatis non ſunt à creatura cognoſcibiles in ſe ipſis; ſed tantum in manifeſtatione facta à Deo, vel ab eliciente.

An myſteria, quæ dicunt aliquid increatum, ſint obiectum huius ſcientiæ.

SECTIO V.

26 SVpponendum eſt. Hæc myſteria, prout dicunt aliquid increatum non poſſe eſſe obiectum huius ſcientiæ, tanquam cognoſcibilia per propriam ſpeciem, cum talis ſpecies non ſit poſſibilis extra viſionem beatam; nec etiam tamquam cognoſcibilia ex aliquo creato, vt ſuo loco dictum eſt; vnde ſolum difficultas eſt, an per hanc ſcientiam poſſint cognoſci per aliquam euidentem reuelationem.

27 Prima ſententia aſſerit, cognoſci euidenter in atteſtante, ita vt talis cognitio ſit ſcientia habens extrinſecam euidentem. Ita Bannes 2. 2. *q.* 5. *art.* 1. Suarez *diſp.* 27. *de Incarn. ſect.* 2. & 5. Medina 3. *p. q.* 11. *art.* 1. Cabrera *diſp.* 6. Probant. Chriſtus habuit hunc diſcurſum virtualem euidentiam; Quicquid Deus dicit, verum eſt. Dicit mihi euidenter, ſe eſſe trinum, ergo &c.

28 Secunda ſententia aſſerit, Chriſtum cognouiſſe euidenter in atteſtante; hanc tamen cognitionem fuiſſe fidei, licet participaret aliquam extrinſecam euidentiam: ita Caietanus 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. Raguſa *diſp.* 94. *de Incarn. ſect.* 2. & alij.

29 Tertia ſententia. Nullo modo cognouiſſe per hanc ſcientiam, ſed tantum per cognitionem beatam, ita Vaſquez 3. *p. quæ.* 11. *art.* 1. Lorca *ibidem.* Cheliſſon *dubio* 2. *concluſio vltima*, & alij.

30 Dico primò. *Chriſtum non cognouiſſe hæc myſteria euidenter in atteſtante per cognitionem, quæ eſſet ſcientia*. Probatur. Tota euidentia caderet tantum ſupra atteſtationem, non autem ſupra obiectum, ergo non poteſt eſſe ſcientia, cum ſcientia euidenter manifeſtet obiectum in ſe ipſo.

31 Dico ſecundò. *Nec cognouiſſe in euidenti atteſtatione per cognitionem, quæ eſſet fides*. Probatur. Fides & clara cognitio non poſſunt eſſe ſimul reſpectu eiuſdem obiecti, vt conſtat ex dictis ſuo loco, ergo cum Chriſtus per claram vnionem beatam cognouerit hæc myſteria, non potuit cognoſcere per fidem.

32 Dico tertiò. *Chriſtum habuiſſe aliquam cognitionem Trinitatis diſtinctam à beata, quæ ipſi conueniret, vt erat viator*. Probatur. Chriſtus inſtruxit Diſcipulos quò ad notitiam Trinitatis, ergo cum loquutio externa fuerit accommodata capacitati humanæ, & ſit expreſſiua loquutionis internæ, debuit habere cognitionem accõmodatam humanæ capacitati, quam per loquutionem externam manifeſtauerit.

33 Dico quartò. *Chriſtum formaſſe ſibi hanc cognitionem vtendo ſuo modo naturali cognoſcendi, & illam deſumpſiſſe à viſione beata accomodando humanæ capacitati*. Probatur. Non poterat aliter de tali obiecto aliquid manifeſtare, niſi formando conceptum, quem manifeſtaret, vt autem formaret hunc conceptum, ſufficiebat cognitio beata, quia per ipſam habebat præſens obiectum, de quo loquebatur.

34 Ad Fundamentum primę ſententiæ reſpondetur. Illum diſcurſum non generare ſcientiam, vt conſtat ex tractatu de fide, quia cauſat tantum euidentiam conſequentiæ; non autem conſequentis.

Quo-

Digitized by Google

Quomodo Chriſtus fuerit in actu huius ſcientiæ.

SECTIO VI.

35 Dico primò. *Chriſtum potuiſſe habere actum adæquatum huius ſcientiæ*. Probatur. Hæc ſcientia ſe extendebat ad ea ſolum, quorum cognitio erat debita Chriſtò, ergo ſi non potuiſset habere actum adæquatum, fuiſset in ipſo aliqua ignorantia.

36 Dico ſecundò. *Ab initio cõceptionis potuiſſe Chriſtum exire in actum huius ſcientiæ*. Eſt contra Durandum *in 3. diſtinct. 14. quæſt. 3.* Probatur. Hæc ſcientia fuit tunc infuſa, & non fuit dependens a phantaſia, ergo potuit tunc habere ſuum actum.

37 Dico tertiò. *Huic ſcientiæ correſpondere plures actus*. Probatur. Habet plures ſpecies impreſſas, ergo etiam plures actus.

38 Dico quartò. *Chriſtum ſemper fuiſſe in aliquo actu huius ſcientiæ*. Probatur. Vt caput exercebat hanc ſcientiam, ergo cum debuerit ſemper operari per ſuos influxus, atque adeo illos cognoſcere, debuit ſemper eſſe in aliquo actu.

39 Dico quintò. *Semper fuiſſe in actu quoad diſpoſitionem huius vniuerſi non ſolum quòad ordinem gratiæ; ſed etiam quòad ordinem naturæ*. Probatur. Vt caput ordinis gratiæ debuit continuo cognoſcere diſpoſitionem ordinis naturæ tanquam ſubiectum diſpoſitionis ordinis gratiæ.

40 Obijcies. Si Chriſtus non intelligeret ſemper omnia in actu ſecundò; hæc ſcientia fuiſſet imperfecta, ergo. Reſpondetur, negando ſequellam. Quia ſufficit, quod ad libitum potuerit cognoſcere, quæcunque volebat; præſertim quia aderat etiam viſio beata, per quam actu omnia cognoſcebat.

DE SCIENTIA ACQVISITA.

DISPVTATIO LXXXXIII.

An, & quomodo Chriſtus habuerit ſcientiam acquiſitam.

SECTIO I.

1 Cum Chriſtus habuerit operationes ſenſitiuas, vt paſſim ſumitur ex ſcriptura, conſequenter ex operationibus ſenſitiuis mouebatur intellectus ad percipienda eadem obiecta cognitione experimentali; & ideò communiter docent cum D. Thoma *3. part. quæſt. 9. art. 4.* & eſt de fide. Quod habuerit hanc ſcientiam, quæ medijs ſenſibus acquiritur; vnde Ad Hebreos 8. *Didicit ex ijs, quæ paſſus eſt obedientiam*: ſolum difficultas eſt, an illam acquiſiuerit de nouo medijs ſenſibus.

2 Prima ſententia aſſerit, hanc ſcientiam fuiſse per accidens infuſam ab initio conceptionis, ita D. Thom. *in 3. diſt. 14. artic. 3.* Palud. *quæſt. 2.* Gabriel *artic. 3.* Durandus *quæſt. 4.* & alij. Probant. Talis ſcientia eſt infuſa primo parenti, ergo etiam Chriſto, cum fuerit perfectio debita ratione vnionis hypoſtaticæ. ſecundò. Hæc ſcientia pertinebat ad vſum rationis, quem Chriſtus habuit ab initio conceptionis. ergo

3 Secunda ſententia vult, Chriſtum acquiſiuiſſe hanc ſcientiam proceſſu temporis per propriam operationem, atque adeo ſecundum ipſam profeciſſe, ita D. Thom. *3. part. quæſt. 9. art. 4.* Caietanus. Medina Aluarez *ibidem*. Vaſquez *diſp. 55. cap. 2.* & alij.

4 Dico primò. *Chriſtum non habuiſſe ab initio infuſam hanc ſcientiam*. Probatur. Lucæ 2. *Proficiebat Sapientia*, quem locum de noua acquiſitione ſcientiæ experimẽtalis explicant Ambroſius *c. 7. de Incarnatione*. Cyrillus *lib. 2. de fide ad Reginas. cap. 3.* Theodoret. *in Epitom. Diuinorum decretorum*, Fulgentius *lib. 1. ad Raſimundum cap. 7.* & alij Patres. Et Ratio eſt, quia Chriſtus exercebat de nouo cognitionem ſenſitiuam, ergo ex vi eorundem obiectorum mouebatur etiam intellectus ad intelligendum.

5 Dico ſecundò. *Non fuiſse infuſas Chriſto ſucceſſiuę ſpecies pro hac ſcientia, ſed illas acquiſiuiſſe modo naturali*. Eſt contra nonnullos Recentiores. Probatur: ſpecies poterant deſumi ab obiectis mediante phantaſia, ergo ſuperflua erat infuſio.

6. Ad primum negatur conſequentia. Nam ideò hęc ſcientia fuit infuſa Adamo, quia fuit creatus in perfecta ętate, nec illi fuit communicata alia ſcientia. Chriſtus autem habuit aliam ſcientiam, nec iſta erat neceſsaria, niſi iuxta occaſiones obiectorum occurrentium. Ad ſecundum Hanc ſcientiam non fuiſſe neceſsariam pro vſu rationis, quem Chriſtus exercuit in infantia, cum non fuerit exercitus cum applicatione ad phantaſiam; vnde ſufficiebat cognitio infuſa.

Quod nam ſit obiectum huius ſcientiæ.

SECTIO II.

7 Hæc ſcientia habet duplicem modum tendendi alium, quo immediatè fertur in obiectũ, quod per ſenſus repræſentatur; & alium, quo ex immediatè cognitis procedit per diſcurſum ad alia cognoſcenda. Certum eſt autem Chriſtum non potuiſse cognoſcere immediatè omnia ſenſibilia in ſe ipſis, cum talis cognitio dependeat ab actuali motione obiecti præſentis, vnde Difficultas eſt de obiecto, quod correſpondet huic ſcientiæ, quatenus procedit per diſcurſum.

8 Dico primò. *Chriſtum cognouiſse omnia cognoſcibilia exiſtentia, partim cognoſcendo à poſteriori, partim à priori*, ita D. Thomas *3. part. quæſt. 12. art. 1.* Caietanus. Medina Crabrera *ibidem*. Probatur. Omnia ſenſibilia ſũt connexa ad inuicem vel ratione ſui, vel ratione cauſæ, in qua connectuntur, quia omnia procedunt à primo principio medijs alijs cauſis vniuerſalibus, ergo ex vi huius connexionis potuerunt cognoſci à Chriſto, quia ſcientia beatà, & indita manifeſtabat talem connexionem.

9 Dico ſecundò. *Cognouiſſe etiam plura poſſibilia*. Probatur. Poſſibilia aliqua habent connexionem cum ſẽſibilibus exiſtentibus, vel ratione conuenientiæ in aliquo gradu, vel ratione potentiæ; vel aliquo alio modo, ergo potuerunt cognoſci ratione huius connexionis ex vi cognitionis exiſtentium.

10 Dico tertiò. *Secreta cordis non fuiſſe obiectum huius ſcientiæ, niſi quatenus manifeſtabantur per actus exteriores*. Probatur. Secreta cordis non ſunt obiecta ſenſibilia, nec cum ipſis habent connexionem, alioquin poſſent naturaliter cognoſci. ergo

11 Dices. Deum potuiſse manifeſtare Chriſto ſecreta cordis abſque propria ſpecie, ſicut etiam poteſt manifeſtare nobis.

Contra. Non potuit manifeſtare in ordine ad hanc ſcientiam, niſi per aliquam ſenſibilem manifeſtationem; tunc autem non fuiſſent amplius ſecreta, cum fuiſſent poſita in eſse manifeſto ſenſibili.

12 Ex his colligitur. Chriſtum profeciſse in hac ſcientia, etiam quòad augmentum habitus, vt docet D. Thomas *3. part. quæſt. 12. art. 2.* Nam eodem pacto ſe habet, ac noſtra ſcientia.

13 Colligitur ſecundò cum D. Thoma *art. 3.* quod licet Chriſtus acciperet ſpecies ab obiectis, & media loquutione hominum aliquid intelligeret, non tamen didicit

Digitized by Google

cit ab hominibus, quia per ſcientiam infuſam iam ea omnia ſciebat, vnde quando interrogauit Doctores, non interrogauit vt diſcens, ſed vt ipſorum reſponſis eos conuinceret.

14 Colligitur tertiò, cum D. Thoma, *art.* 4. Neque etiam ab Angelis aliquid didiciſse, quia potuit ſufficienter accipere à rebus hanc ſcientiam, & quoad ſcientiam infuſam fuit magis perfectus, quam quilibet alius: Vnde quando Lucæ 22. Angelus confortauit Chriſtum, non cõfortauit inſtruendo, ſed tantum obiectiuo modo exhibendo illa obiecta, quibus confortaretur, vt erat præſentia eiuſdem Angeli, compaſſio, exhibitio protectionis Diuinæ in illo ſigno extrinſeco, laudatio fortitudinis.

15 Quæres. An hæc ſcientia fuerit formaliter diſcurſiua. Reſpondetur affirmatiuè contra Recentiores quoſdam. Quia Chriſtus habuit connaturalem modum intelligendi intellectus humani; & cum cognouerit per alienas ſpecies, opus fuit, vt quando vnum cognoſceret ex alio, applicaret nouas ſpecies ad ipſum repræſentandum, atque adeo eliceret nouum actum: quia ſpecies aliena non manifeſtat, quod eſt connexum cum obiecto repræſentato.

An hæc ſcientia potuerit eſſe falſa.

SECTIO III.

16 Communiter conueniunt cum D. Thoma 3. *p. quæſt.* 15. *artic.* 7. Non fuiſse in Chriſto quoad hanc ſcientiam ignorantiam prauæ diſpoſitionis, in qua conſiſtit error; imo nec ignorantiam priuationis, quia talis imperfectio erat contraria ſtatui Chriſti, vnde difficultas eſt de potentia abſoluta; in quo etiam certum eſt, non potuiſse eſse in Chriſto errorem culpabilem, alioquin potuiſset eſse in ipſo etiam culpa, quod implicat, vt videbimus, & ideo quæſtio tantum procedit de errore ſpeculatiuo.

17 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Vaſquez *diſput.* 61. *de Incarnatio. cap.* 9. & alij Recentiores. Probatur. Totum malum, quod eſset in hoc errore, eſset malum pænæ, quod non repugnat Chriſto, ergo. Secundò. Verbum non tenebatur impedire hunc errorem in humanitate aſſumpta magis, quàm in non aſſumpta. ergo

18 Secunda ſententia eſt negatiua: ita Suarez *diſp.* 24. *de Incarnatione ſection.* 3. & deſumitur ex Diuo Anſelmo *libr.* 2. *Cur Deus homo, cap.* 13.

19 Dicendum eſt. *Nec de potentia abſoluta potuiſſe eſſe errorem in intellectu Chriſti quoad ſcientiam acquiſitam, ſuppoſita viſione beata.* Probatur. Non potuit Deus per ſe immediatè cauſare hunc errorem, alioquin decepiſset Chriſtum, & mentitus fuiſset; quia manifeſtaret rem aliter, ac ipſe cognoſceret, ergo non potuit eſse in Chriſto talis error, quia omnis error, qui poterat aliunde cauſari, impediebatur à viſione beata; quia manifeſtabat omnia obiecta, & non patiebatur ſequi aſſenſum oppoſitum, alioquin aſſenſus contradictionis fuiſsent in eodem intellectu.

20 Ad primum. Negatur aſsumptum, nam talis error, quia eſset immediatè à Deo, inuolueret intrinſecam deformitatem; nam eſset deceptio vt patet ex dictis. Ad ſecundum negatur Conſeq. Nam talis error implicabat in Chriſto, & ideo non potuit eſſe in ipſo ſiue verbum teneatur impedire ſiue non.

DE VOLVNTATE CHRISTI, & eius operatione.

DISPVTATIO LXXXXIV.

An in Chriſto fuerit humana voluntas cum ſua operatione.

SECTIO I.

1 Ex Hæreticis, qui concedebant in Chriſto duplicem naturam, & duplicem intellectum, Monotelitæ ponebant in Chriſto vnicam tantum voluntatem, in hoc tamen ſenſu. Ponebant enim potentiam voluntatis, & eius operationem, ſed volebant, quod iſta voluntas ita eſset ſubordinata verbo, vt non poſset à ſe ipſa ſe mouere, ſed tantum tanquam inſtrumentum moueretur à voluntate Verbi, atque adeò non haberet ex ſe aliquam efficaciam.

2 Dicendum eſt. *Fuiſſe in Chriſto nedum duplicem voluntatem, ſed etiam duplicem operationem, Diuinam & humanam, ita vt voluntas humana primò ſe ipſam moueret, ſicut mouet ſe voluntas aliorum hominum;* Eſt de fide definitum à VI. Synodo *in Epiſtola Agathonis*, & *in VII. Synodo act.* 7. *in definitione fidei*. Probatur. Matth. 26. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*. Lucæ 22. *Non mea voluntas, ſed tua fiat*. Ratio eſt. Quia Chriſtus habuit humanam naturam perfectam abſque vlla diminutione.

3 Ex his colligitur primò. Fuiſſe etiam in Chriſto voluntatem ſenſualitatis, ſeu appetitum ſenſitiuum; quia natura humana includit etiam naturam ſenſitiuam, atque adeò eius potentias, & operationes.

4 Colligitur ſecundò. Fuiſſe in Chriſto omnes actus, qui ex natura ſua conueniunt voluntati, præciſo tamen defectu; eſt enim voluntas eiuſdem rationis cum cæteris, & habet idem obiectum.

An voluntas Chriſti fuerit contraria Diuinæ.

SECTIO II.

5 Monotelitæ ideò volebant, humanam voluntatem Chriſti non moueri à ſe ipſa, nè eſſet contraria Diuinæ, dum tempore paſſionis refugiebat mortem.

6 Supponendum primò. In Chriſto non fuiſſe actus imperfectos, vt ſunt in nobis primi motus, quia in quocunque momento cognoſcebat ſingula perfectè, & ideò non contingebat in voluntate actus imperfectus: fuerunt tamen in ipſo aliqui actus per modum naturæ prouenientes ex naturali determinatione voluntatis ſequentis naturalem inclinationem.

7 Supponendum ſecundò. In Voluntate Chriſti nedum fuiſſe actus efficaces, ſed etiam inefficaces, hi enim actus ſunt connaturales voluntatis, & oriuntur ex prima propoſitione obiecti promouentis voluntatem ad vlteriorem determinationem; vnde fuerunt neceſſarij Chriſto, vt haberet connaturalem modum operandi. Dicuntur autem inefficaces, quia non inferunt determinationem voluntatis cum plena deliberatione: non quia non habeant vim inferendi, ſed quia impediuntur ex eo, quod voluntas aliter mouetur ex alio motiuo.

8 Dico primò. *Nullum actum efficacem Chriſti fuiſſe contrarium voluntati Diuinæ.* ita D. Thom. 3. *part. q.* 18. *artic.* 6.

Digitized by Google

art.6. & communiter. Eſt de fide definitum in VI. Synodo *act.2. in Epiſtola 1. Agathonis*. Probatur Ioannis 8. *Quę placita ſunt ei facio ſemper*, & rurſus. *Nō quæro voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me.* Ratio eſt. Quia Chriſtus per viſionem beatam cognoſcebat voluntatem Diuinam, & ideò non poterat contradicere, cum cognoſceret impoſſibile eſſe oppoſitum facere.

9 Dico ſecundò. *Neque habuiſse actus inefficaces contrarios voluntati Diuinæ*. Deſumitur ex eadem epiſtola Agathonis, quatenus vniuerſaliter determinat, non fuiſse in Chriſto voluntatem contrariam Diuinæ. Probatur. Chriſtus cognoſcebat voluntatem Diuinam, & habebat in poteſtate perfecta proprios motus; & habebat efficacem voluntatem, ſe conformandi perfectiſſimè cum voluntate Diuina, ergo non ſinebat ſuam voluntatem habere aliquos motus contrarios Diuinę.

10 Dico tertiò. *Neque in Chriſto fuiſse volitiones humanas contrarias inter ſe ex eo, quod vna volitio vellet, quod nollet alia*. Probatur. Voluntas Chriſti nunquam fuit contraria Diuinæ, vt habetur in dicta *Epiſtola Agathonis*. Ergo nec habuit volitiones inter ſe contrarias; alioquin altera ex ipſis fuiſset contraria Diuinæ.

11 Ad rationem dubitandi reſpond. Voluntatem Chriſti, quæ refugiebat mortem, non fuiſse contrariam Diuinæ; quia voluntas Diuina volebat mortem Chriſti vt remedium generis humani, & Chriſtus ſub hac ratione illam libenter amplectebatur, & ſolum refugiebat affectu inefficaci vt quoddam malum naturæ, quod non erat contrarium voluntati Diuinæ.

12 Inſtabis, etiamſi volitio non tendat in obiectum, ſub eadem ratione formali, ſub qua eſt volitum à Deo, tamen ex eo, quod nolit ipſum ſub alia ratione, ſequitur quod ſecundum ſe totum ſit nolitum, ergo adhuc illa voluntas eſt contraria, cum adhuc reſpuat totum obiectum ſub illa ratione. Reſpondetur. Id eſse verum, quando vtraque voluntas eſset efficax; ſecus autem, quando altera eſt inefficax, quia hæc non facit, quod voluntas efficax, fruſtretur ſua determinatione.

An voluntas humana Chriſti fuerit ſemper impleta.

SECTIO III.

13 DIco primò. *Humanam voluntatem Chriſti efficacem fuiſse ſemper impletam*. Ita communiter cum Diuo Thom. 3. *part. quæſt.* 13. *articul.* 4. Probatur. Chriſtus non potuit velle efficaciter aliquid, quod non ſciret etiam Deum efficaciter velle, quia debuit eſse omnino conformis voluntati Diuinæ. Quod autem Deus vult efficaciter, ſemper fit.

14 Obijcies. Agatho Papa *in epiſtola, quæ habetur in VI. Synodo*, ait, voluntatem Diuinam, & humanam in Chriſto in hoc differre, quod Diuina ſemper impleta fuit, non autem humana, ergo. Reſpondetur. Comparare voluntatem Diuinam abſolutè vt in Chriſto cum voluntate humana Chriſti abſolutè ſumpta; & de hac dicere, quod non ſemper fuerit impleta ratione actuum inefficacium.

15 Dico ſecundò. *Voluntatem inefficacem, ſeu ſimplex deſiderium Chriſti nunquam fuiſse impletum*. Probatur. Habemus in ſcriptura, quod plura deſideria Chriſti non fuerint impleta; Matthæi 26. *Tranſeat à me calix iſte*. Marci ſeptimò, *voluit latere, & non potuit*, ergo. Ratio eſt, quia, dum voluntas eſt inefficax, non poteſt impleri.

16 Dico tertiò. *Voluntatem Chriſti non habuiſse vires ad omnia implenda, quæ poſuiſset verbum, atq. adeo ſtāte ſapientia, qua regebatur, fuit determinata, vt non vellet efficaciter, quæ aliæ voluntates, quantum in ipſis eſt, poſſunt efficaciter velle*. Probatur. Chriſtus vt homo non habuit infinitam virtutem, atque adeo potuiſſet velle, quæ per ſe non potuiſſet implere; rurſus voluntas ipſius regebatur à ſumma ſapientia, ergo limitabatur, nè vellet efficaciter, quæ alioquin, potuiſset imprudenter velle.

An in Chriſti voluntate fuerit libertas.

SECTIO IV.

17 PRima ſententia aſſerit, fuiſse in Chriſto libertatem tantum a Coactione, non autem indifferētiæ, ita Gabriel *in 3. diſt. in. 16. art. 3.* Marſil. *quæſt.* 12. *ad primum*, & alij Recentiores. Probatur. Chriſtus neceſſitabatur ad amandum Deum, atque adeo ad ſequendum eius voluntatem in omnibus, ergo

18 Secunda ſententia ponit in Chriſto etiam libertatem indifferentiæ, ita communiter cum D. Thom. 3. *part. q.* 15. *artic.* 4.

19 Dico primò. *Voluntatem Chriſti fuiſſe liberam à coactione*. Eſt de fide. Probatur. Iſaiæ 7. *Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum*, qui locus intelligitur communiter à Patribus de Chriſto. Ratio eſt, quia potuit exercere actus virtutis meritorios.

20 Dico ſecundò. *Voluntatem Chriſti habuiſse libertatem indifferentiæ circa obiecta indifferentiæ*. ita VI. Synodus *act.* 8. vbi, vt aſſerat libertatem in Chriſto, docet, fuiſse in ipſo humanam naturam cum tota illa perfectione, quam habuit in Adam, atque adeo cum eadem libertate. Probatur Ioannis 10. *Ego pono animam meam, & nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo*. Ad Heb. 9. *Propoſito ſibi gaudio ſubſtinuit crucem confuſione contempta*. Ratio eſt. Quia ſi non fuiſset indifferens nullam habuiſſet libertatem, quia indifferentia habetur ex eo, quod voluntas dominatiuo modo ſe habeat ſupra ſuos actus.

Ad Fundamentum oppoſitæ ſententiæ patebit ex dicendis.

Quomodo indifferentia voluntatis Chriſti ſtet cum impeccabilitate.

SECTIO V.

21 RAtio dubitandi eſt. Quia Chriſtus, dum non potuit peccare, neque etiam propoſito præcepto Diuino poterat non implere, ergo non habebat indifferentiam ad ſeruandum, & non ſeruandum præceptū. Omiſſis autem varijs reſponſionibus.

22 Notandum primò. Quod licet potentia ad peccandum requirat indifferentiam voluntatis, non tamen formaliter conſiſtit in ipſa; quia cum peccatum dicat ſemper aliquam priuationem debitæ rectitudinis, oritur ſemper ex aliquo defectu, & ideo principium ipſius non eſt formaliter aliqua potentia effectiua, ſed defectiua; vnde potentia indifferentiæ eſt tantum materialiter, & ſubiectiuè potentia peccandi.

23 Notandum ſecundò. Potentiam peccandi non pertinere ad libertatem conſideratam cum ſua indifferentia, vt alibi ex D. Aug. & Anſelmo docuimus. Cum enim libertas cum tota indifferētia ſit poſitiua perfectio, per quam volūtas habet in ſua poteſtate plures determinationes ſuorum actuum iuxta capacitatem obiectorum, & potentia peccandi ſit defectibilitas eiuſdem virtutis, non poteſt pertinere ad formalem conſtitutionem ipſius, Hinc licet in Deo ſit indifferentia in ordine ad creata, non tamen in ipſo eſt defectibilitas, & potentia peccandi.

24 Notandum tertiò. Defectibilitatem voluntatis prouenire ex cognitione, cum enim ſit determinata ad ſequēdam cognitionem, ita vt neque poſſit ſequi vnam partem

cogni-

Digitized by Google

cognitionis, niſi in virtute eiuſdem cognitionis, quæ dictet, ipſam eſſe ſequendam, conſequenter neq; deficit, niſi in virtute cognitionis, quatenus cognitio deficit, ita vt non dirigat voluntatem eo modo, quo debet dirigere.

25 Notandum 4. Hanc defectibilitatem poſſe tolli; quia, cum radicaliter conſiſtat in cognitione, ſi ita corrigatur cognitio, vt tollatur ab ipſa omnis defectus, tollitur etiam defectibilitas à voluntate quia eſt talis, vt non poſſit reduci ad actum, niſi dependenter à cognitione deficiente. Hinc poteſt ſeparari potentia peccandi à potentia libera indifferenti, quia poteſt cognitio ita repræſentare obiectum cum ſua indifferentia, vt tamen non deficiat in dirigendo voluntatem, & tunc voluntas mouebitur cum indifferentia, quia habebit obiectum propoſitum cum indifferentia, & tamen non poterit deficere, cum non ſit defectus aliquis in cognitione.

26 Dicendum eſt. *Chriſtum habuiſſe libertatem indifferentiæ cum impotentia ad peccandum ex eo, quod ex vi vnionis hypoſtaticæ fuit impedita defectibilitas.* Quomodo autem fuerit impedita dicemus infra. Probatur: indifferentia ex eo habetur, quod obiectum proponitur cum indifferentia obiectiua. Obiectum autem reſpectu Chriſti proponebatur cum ſua indifferentia, quia cognitio Chriſti vt perfecta, attingebat obiecta ſecundum ea, quæ poterant mouere ad vtramque partem: Rurſus cognitio Chriſti ita dirigebat voluntatem, vt non ſineret deficere, quia ſeruabatur indifferentia cum indefectibilitate.

27 Ad Rationem dubitandi reſpondetur. Chriſtum non potuiſſe non ſeruare præceptum. Cum autem inſtatur, ergo non habuit libertatem indifferentię. Reſpondetur. Nō habuiſſe libertatem indifferentiæ cum defectibilitate, ſed ſine ipſa; quia indifferentia eſt proportionata ſpecificationi voluntatis, atque adeò non latiùs patet, quàm obiectum formale voluntatis, quod eſt bonum intra ordinem vltimi finis, vt autem quis tranſgrediatur præceptum, requiritur, quod voluntas fiat extra huiuſmodi ordinem, atque adeò deficiat, vnde non ſufficit indifferentia præciſè, ſed vlterius requiritur defectibilitas.

28 Inſtabis. Ad meritum requiritur indifferentia, quæ reſpiciat tam bonum, quàm malum iuxta illud Eccleſiaſtici 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.* Reſpondetur negando antecedens. Alioquin ſequeretur, quod ſicut Chriſtus fuit abſolutè impeccabilis, ita etiam abſolutè non potuerit mereri. Ratio eſt. Quia voluntas meretur laudem, non per id, quod non faciat malum, cum poſſit; ſed quia liberè facit bonum. Dicitur autem, Quid potuit tranſgredi, & non tranſgreſſus eſt, quia cum malum non excludatur, niſi per bonum, explicatur operatio boni per excluſionem mali, vt per aliquid magis notum.

29 Inſtabis ſecundò. Stante præcepto de morte, & impeccabilitate, Chriſtus non habuit indifferentiam ad ſeruandum, & non ſeruandum præceptum, ergo non habuit libertatem, & indifferentiam neceſſariam ad meritum. Reſpondetur neg. conſeq. Quia ex eo, quod non potuerit non implere præceptum, excluditur ſolum defectibilitas; nam poſſe non implere eſt poſſe deficere, & peccare. Ex eo autem quod excluditur defectibilitas à voluntate, non excluditur vis operandi libero modo, & merendo, cum non conſiſtat indefectibilitate. Et ideo tota illa indifferentia, quæ oritur ex defectibilitate, & excluditur ad excluſionem ipſius, non pertinet ad liberum arbitrium, nec fundat modum operandi liberè, nec meritum, quia hæc non fundantur in defectibilitate, nec in ijs, quæ ad ipſam conſequuntur; ſed per accidens ſe habet indifferentia, ergo voluntatis, quæ non poteſt deficere, in eo conſiſtit, quod poſſit ferri in obiectum ſecundum vtramque partem, ſecundum exigentiam vltimi finis, quia perfectio libertatis in eo conſiſtit, quod poſſit diuerſa eligere ſeruato ordine finis, vt ait D. Thom. 1. *part. quæſt.* 62. *art.* 8. *ad* 3. Vnde ſtante præcepto de morte, in Chriſto indifferentia in eo conſiſtebat, non quod poſſet ſeruare, & non ſeruare præceptum; nam poſſe non ſeruare eſt poſſe deficere, & peccare, atq; adeo pertinet ad indifferentiam, quæ conuenit per accidens libero arbitrio. Sed, quod poſſit attingere obiectum ſecundum vtramq. partem ſeruato ordine finis, & ſecundum exigentiam ipſius, nempe amplectendo obſeruantia præcepti, vt hic, & nunc debitam iuxta exigentiam finis, & refutando non obſeruantiam tanquam contrariam fini, iuxta illud Eſaia 7. *Vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Quare ex eo, quod excluditur à Chriſto, potentia non ſeruandi præceptum, excluditur ſola indifferentia, quę conuenit per accidens ratione defectibilitatis; non autem, quæ conueniat per ſe, & importetur à libero arbitrio, qua liberum arbitrium eſt, & ſit neceſſaria ad fundandum meritum.

Quomodo ſtet libertas Chriſti cum viſione beata.

SECTIO VI.

30 Ratio dubitādi eſt. Quia Beatus amat Deum ſine indifferentia; vnde ſequitur, quod non poſſit non amare, quæ præcipiuntur à Deo. Omiſſis varijs Reſponſionibus. Reſpondetur. Aliud eſſe indifferentiam, & aliud potentiam peccandi, vt iam diximus. Amor autem beatificus tollit tantum potentiam ad peccandum, non autem indifferentiam, quia non immutat modum operandi voluntatis, ſed perficit ſupplendo illam perfectionem, cuius defectu poteſt voluntas deficere, quatenus firmat voluntatem in bono, & facit, quod amet omnia cū debita ſubordinatione ad vltimum finem, ſicuti exigit determinatio, quam habet ex vi ſuæ ſpecificationis.

31 Obijcitur. Omnia obiecta, quæ debet attingere beatus, ſunt determinata a Diuina voluntate, quia debet ea tantum proſequi, quæ ab ipſa ſunt volita, ergo Chriſtus non habuit indifferentiam reſpectu horum obiectorum. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia licet voluntas Diuina prædefiniat actus liberos in cauſis, vt in gratia mouente, non tamen prædefinit ſecundum ſe ipſos antecedenter à voluntate creata, vt ſuo loco dictum eſt, quia decretum efficax Dei non habetur, niſi ſimul concipiatur noſtra operatio libera: & ideò voluntas beati adhuc eſt libera libertate indifferentiæ, quia antequam ſe determinet, non intelliguntur obiecta efficaciter determinata à Deo in ſe ipſis.

DE IMPECCABILITATE Chriſti.

DISPVTATIO LXXXXV.

An Chriſtus fuerit impeccabilis.

SECTIO I.

1 Certum eſt de fide. Non fuiſſe in Chriſto peccatum Originale, Lucæ 1. *Quod enim ex te naſcetur ſanctū, vocabitur filius Dei.* Ratio eſt. Quia peccatū Originale contrahitur ex vi ſeminalis propagationis. Chriſtus autem non deſcendit hoc pacto ab Adam, ſed conceptus eſt de Spiritu Sancto, Lucæ 1. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te*, &c. Quod autem ſpectat ad peccatum actuale, quidam Apoſtata præmonſtratenſis docuit, Chriſtum peccaſſe deſperatione, dum in cruce dixit. *Deus Deus meus vt quid dereliquiſti me*, atque adeò damnatum fuiſſe. Caluinus autem *libro* 4. *Inſtit. capitul.* 16. §. 10. vult,

Digitized by Google

10. vult, Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, quia appræhendit Deum ſibi iratum propter peccata noſtra, & ex metu amittendæ ſalutis paſſum eſſe illam anxietatem, quã patiuntur, qui ſciunt ſe in perpetuum perituros.

2 Dicendum eſt. *Chriſtum fuiſſe omnino impeccabilem.* Eſt de fide definitum in Concilio Epheſino *can.* 10. vbi habetur, *Qui dicit, quod pro ſe obtulit ſemetipſum oblationem, & non potius pro nobis omnibus, non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino neſciuit, anathema ſit,* idem etiam definitur in Concilio Romano *ſub Martino can.* 5. & in VI. Synodo *can.* 11. & traditur communiter à Patribus. Prob. Ioannis 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato,* & c. 14. *Venit princeps huius mundi, et in me non habet quidquam,* ad Heb. 4. *Habemus Pontificem tentatum per omnia abſque peccato.* Et Ratio eſt, quia verbum aſſumpſit in natura humana illos tantum defectus, qui inſeruiebant fini incarnationis; peccatum autem non poteſt inſeruire.

3 Obijcies Pſalm. 21. *Deus Deus meus, quare me dereliquiſti, longè a ſalute mea verba delictorum meorum.* Reſpondetur: Loqui de delictis humani generis, quæ dicuntur peccata Chriſti, qui ea in ſe ſuſcepit, vt lueret pœnas ipſorum.

An Chriſtus de potentia abſoluta potuerit peccare.

SECTIO II.

4 SEnſus eſt, an ita impeccabilitas conueniat Chriſto, vt nullo pacto potuerit ab ipſo ſeparari, an verò illi conueniat ab extrinſeco per extrinſecam Dei aſſiſtentiam, qua ſublata potuerit peccare; quod idem eſt, an Chriſtus fuerit phyſicè impeccabiles ex vi vnionis, an verò tantum moraliter ex protectione Dei.

5 Prima ſententia aſſerit, potuiſſe peccare de potentia abſoluta, ſeu quantum eſt ex vi vnionis præcisè. Ita Durand. *in 3. diſtinct.* 12. *quæſt.* 2. Scotus *quæſt. vltima.* Gabriel *art.* 2. Baſſol. *ibidem* Marſil. *quæſt.* 3. *art.* 2. Henricus *quodlibet.* 6. *quæſt.* 6. Probant. Humana natura Chriſti ſecundum ſe erat peccabilis, ergo etiam in Chriſto, quia ratione vnionis non acquirit maiorem virtutem. Secundò. Si verbum aſſumpſiſſet naturam irrationalem, non teneretur regulare ipſius operationes, ergo nec etiam tenetur ita regulare operationes naturæ humanæ, vt implicet non regulare. Tertiò. Non magis peccatum repugnat Deo, quam mors, ergo ſicut ratione communicationis idiomatum dicitur, quod mortuus ſit, poteſt etiam dici peccator. 4. Si Angelus Sanctus vniret ſibi hypoſtaticè naturam, non redderet impeccabilem: neque teneretur impedire peccatum ipſius, ergo quintò. Verbum potuit aſſumere naturam exiſtentem in peccato, ergo natura aſſumpta potuit peccare, quia non magis hoc repugnat, quàm illud.

6 Secunda ſententia aſſerit, de potentia abſoluta non potuiſse peccare, ita Magiſter *in 3. diſtinct.* 12. D. Th. *quæſt.* 2. *art.* 1. & 2. D. Bonauentura. *ibidem.* Capreolus *quæſt. vnica.* Suarez *diſput.* 34. *de Incarn. sect.* 2. Vaſquez *diſp.* 61. *c.* 30. Aluarez *diſp.* 68. Raguſa *diſp.* 114. & alij.

7 Dicendum eſt. *Chriſtum fuiſſe phyſicè impeccabilem, ita vt præciſo quocunque alio ex vi vnionis illi repugnaret peccatum,* deſumitur ex VI. Synodo *act.* 8. vbi refertur, Athanaſ. *lib.* 2. *contra Apollinarem,* dicens, Chriſti voluntatem fuiſſe factam impeccabilem per aſsumptionem, & ex Patribus Hilario 10. *de Trinitate* Dionyſio Alexand. *Epiſtola contra Paulum Samoſat.* Anſelm. *lib.* 1. *Cur Deus homo cap.* 7. Cyrill. Alexandrino *lib.* 10. *in Ioann.* Auguſtino *c.* 11. *de Correptione, & gratia,* & alijs. Probatur. Si potuiſset Chriſtus peccare, verbum quoque potuiſſet peccare, non ſolum ratione communicationis idiomatum, ſed etiam vt principium, ita vt eſſet auctor peccati, tanquam actionis propriæ, ergo ſequella probatur. Actio dicit ordinem tranſcẽdentalem ad principium, à quo dependet; dependet autem non ſolùm à principio, *quo*, ſed etiam, *quod,* nam ratio ſuppoſiti eſt complementum in ratione principij, ergo cum verbum ſit principium vt *quod*, ſimul cum humanitate, actio peccaminoſa dependeret ab ipſo. Confirmatur. Quod antecedit cauſalitate aliquam operationem eſt principium illius. Verbum autem præcederet cauſalitate peccatum, quatenus ſubſtentaret in ſe humanitatem, & ipſi aſſiſteret dando poſſe operari.

8 Dices. Quod ſicut Deus concurrit ad peccatum, & tamen non eſt auctor ipſius, quia concurſus eſt indifferens ad bonum, & malum; ita etiam verbum quia ex eo, quod concurrit per ſuam ſubſiſtentiam eſt indifferens ad actum bonum, & malum. Contra. Suppoſitum humanum eſt indifferens ad actum bonum, & malum, & ſuo modo ſubordinatur voluntati creatæ, & tamen eſt principium peccati ſimul cum voluntate creata, ergo ſecundò. Concurſus verbi eſt cõcurſus particularis in ordine ad peccatũ prout eſt actio talis naturæ, & verbum ſciens, & volens ſubſtentaret humanitatem in ordine ad actionem peccaminoſam; & ſicut facit humanitatem ſibi propriam, ita etiam operationem ipſius.

9 Prob. 2. Verbũ dum ſubſtentat naturam humanã, non poteſt non dignificare operationes ipſius conferendo ſuũ valorem, ergo implicat quod actio peccaminoſa poſſit eſſe a natura aſſumpta. Antecedens patet. Quia per id præcisè habetur dignificatio, quod actiones ſunt à natura dignificata per tale ſuppoſitum. Conſequentia probatur, Quia actio non poteſt eſſe peccaminoſa, & habere ſummum valorem.

10 Dices. In tali caſu illa actio non eſſet ſummi valoris, quia non eſſet capax dignificationis. Contra. Dignificatio conſurgit ex eo, quod actio, vt propria ſuppoſiti, dicat ordinem ad ipſum; tunc autem illa actio adhuc diceret ordinem ad ſuppoſitum Diuinum, & eſſet propria ipſius.

11 Ad primum negatur conſequentia. Quia omnem naturam debet ſequi illa determinatio, quam habet ratione ſui complementi, quo conſtituitur in ratione principij, *quod*: vnde quia in Chriſto ſtat ſub determinatione ſubſiſtentiæ verbi, ideò in ipſo non poteſt peccare. Ad ſecundum. Quicquid ſit, an verbum potuerit aſſumere naturam irrationalem, ſi aſſumeret, operationes ipſius non eſſent capaces alterius directionis, quam illius, quæ fit per vniuerſalem prouidentiam, & ideo non teneretur adhibere aliam directionem; operationes autem liberæ ſunt capaces ſpecialis directionis. Deinde impeccabilitas conuenit Chriſto ante quamlibet directionem ratione vnionis præcisè. Ad tertium. Si Chriſtus peccaret, peccatum tribueretur verbo, nedum ratione communicationis idiomatum, ſed etiam vt principio cauſatiuo. Ad 4. Eſſe diuersã rationem de Angelo, quia ipſi non repugnat peccare ratione propriæ hypoſtaſis. Deinde adhuc ipſe teneretur regere naturam aſſumptam, quia ipſam ſubſtentaret in proprio ſuppoſito: alioquin peccatum ipſi imputaretur. Ad quintum. Potuiſse aſſumere naturam exiſtentem in peccato deſtruendo peccatum; vnde peccatum non eſſet ſimul cum vnione hypoſtatica.

An Chriſtus fuerit impeccabilis etiam ſecundum principium quo.

SECTIO III.

12 RAtio dubitandi eſt. Quia principium, *quo*, eſt virtus operatiua, deficere autem, et non deficere dependet à Virtute operatiua, vnde ſi ipſa non ſit indefectibilis, neque principium, *quo*, poteſt eſſe abſolutè indefectibile.

13 Dicendum eſt, *licet in Chriſto principium*, quo, *remotum, quantum eſt ex natura ſua, ſit defectibile, principium tamen,* quo, *proximum eſſe indefectibile, quatenus ita perficitur, dum reducitur ad ſtatum proximum*

Digitized by Google

mum operandi, vt non poſſit deficere. Probatur. Ideo voluntas humana poteſt deficere, quia poteſt aliquo modo defficere cognitio, à qua dirigitur, & per quam conſtituitur proxime potens operari, ergo quod voluntas ſit defectibilis, dicit, quod vt conſtituta in ſtatu proximo operandi, poſſit habere aliquem defectum ſecundum id, quod conſtituitur in tali ſtatu. Chriſtus autem nõ potuit habere aliquem defectum in principio proximo operandi: nam aderat cognitio beata, & infuſa, quæ erant infallibiles, & dirigebant intellectum, ita vt nunquam deficeret informatione dictaminis, & menſuræ operandi.

14 Dices. Poterat Deus ſubtrahere à Chriſto viſionem beatam, & ſcientiam infuſam, tunc autem non fuiſſet indefectibilis. Reſpondetur negando aſſumptum. Quia ſuppoſito, quod Deus faciat vnum, tenetur etiam facere alterum: vnde quia ſuppoſitum Diuinum trahit naturam humanam ad ſe ipſum, tenetur etiam ipſam conſtituere principium determinatum ad illas operationes, quas poteſt ſubſtentare in ſua proprietate.

15 Ex Dictis colligitur primò. Vnionem hypoſtaticam diuerſo modo excludere peccatum habituale, & actuale nã primũ excludit ſanctificãdo, ſecundũ verò cõſtituendo principiũ cum tali determinatione, vt non poſſit deficere.

16 Colligitur 2. contra Raguſam *diſp*. 114. *de Incar*. §. 8. Quod ſi verbum aſſumpſiſſet naturam, qua antea peccaſſet, non potuiſſet remanere in ipſa reatus pænæ, ſiue æternæ, ſiue temporalis, quia reatus pænæ æternæ ſupponit eſſentialiter deordinationem ab vltimo fine, quæ non poteſt eſſe in natura ſanctificata per Verbum; reatus verò pænæ temporalis dicit, quod perſona ſubijciatur iuſtitiæ punitiuæ, quod derogat dignitati perſonæ Diuinæ.

17 Colligitur 3. contra aliquos Recentiores. Non potuiſſe naturam aſſumptã contrahere debitum peccati originalis, quia cum Chriſto, vt eſt hic homo, repugnet peccatum, non potuit voluntas ipſius transfundi in voluntatem Adæ, quia non poterat ſubijci peccabilitati.

An Chriſtus potuerit peccare ita vt vnio diſſolueretur.

SECTIO IV.

18 Difficultas eſt, an ſicut homines iuſti ita poſſunt peccare, vt amittant gratiam ex vi peccato, ita etiam Chriſtus potuerit peccare amittendo vnionem hypoſtaticam ſaltem de potentia Dei abſoluta.

19 Dico primò. *Humanitatem Chriſti non potuiſſe peccare, ita vt ex vi peccati diſſolueretur vnio*. Eſt contra Hurtad. *diſp*. 60. *de Incarn. ſect*. 4. §. 19. Probatur. Non poteſt eſſe verum, quod humanitas in aliquo inſtãti poſſit peccare niſi habeat in illo potẽtiam proximam ad peccandum, in nullo autem inſtanti, quamdiu manet vnio, illam habet, quia ſemper ſtat in proprietate verbi, & ſub determinatione ipſius. ergo &c.

20 Dico 2. *Neque in eodem inſtanti reali poſſe humanitatem peccare, ita vt in priori naturæ diſſoluatur vnio & in poſteriori ſequatur peccatum*. Eſt cõtra Vaſq. *diſp*. 61. *de Incarn. c*. 8. Prob. In eo inſtanti, in quo operans peccat debet habere potentiam proximam, & expeditam ad peccãdum; ſed in quocunque inſtanti reali, in quo permanet vnio, non habetur, vt conſtat ex dictis. ergo

21 Obijcies. Potuit Chriſtus aliquo modo mereri vnionem hypoſtaticam, ergo etiam demereri. Reſpondetur negando aſſumptum, vt patet ex dictis ſuo loco; & etiam conſequentiam, quia meritum eſt compoſſibile cum vnione hypoſtatica, non autem demeritum.

An in Chriſto fuerit vel potuerit eſſe fomes peccati.

SECTIO V.

22 Nomine fomitis intelligitur appetitus ſenſitiuus, quatenus inclinat in bonum ſenſibile cõtrarium rationi, vt docet D. Thomas 3. *part. quæſt*. 15. *art*. 2. ſeu inordinata Concupiſcẽtia habitualis, vt docet *q*. 27. *art*. 3. Vnde de ratione ipſius eſt repugnare rationi, vel inclinando ad malum, vel reſiſtendo bono. Prouenit autem ex eo, quod non habeat plenam poteſtatem ſupra vires appetitus, vt docet D. Thom. *quæſt*. 4. *de malo. art*. 6. *ad* 16. & eſt pæna peccati originalis, vt idem docet 1. 2. *quæſt*. 9. *art*. 6. Ratio Dubitandi eſt, quia Chriſtus aſſumpſit pænalitates, quæ ſunt pæna peccati, vt paſſibilitatem, mortalitatem, &c. Secundò. Fomes non eſt peccatum, ſed inſeruit exercitio virtutis. Tertiò. Fomes non eſt aliud, quàm appetitus ſenſitiuus inclinatus ad bonum ſenſibile, ſiue ſit ſecundum rationem, ſiue non, hoc autem illi conuenit ex vi ſuæ eſſentiæ, cum non habeat regulam rationis, quà menſuret proprios motus, in Chriſto autem fuit appetitus eiuſdem rationis cum noſtro.

23 Dico primò. *In Chriſto de facto non fuiſſe fomitem* ita communiter cum D. Thom. 3. *part. quæſt*. 15. *art*. 20. & oppoſitum ſaltem eſt erroneum, vnde in V. Synodo *collat*. 8. *canon*. 12. damnatur quidam Theodoſius, qui aſſerebat, Chriſtum pro aliquo tempore ſuæ vitæ paſſum eſſe rebellionem appetitus, & virtutis exercitio ſuperaſſe. Probatur: Quod appetitus moueatur abſq. conſenſu partis ſuperioris eſt quidam defectus humanæ naturæ, quia nimirum pars inferior non ſubordinatur perfectè parti ſuperiori, talis autem imperfectio non potuit eſſe in Chriſto in quo omnia erant ordinatiſſima.

24 Dico ſecundò. *Cauſa per quam fomes fuit extinctus, radicaliter fuit vnio hypoſtatica: principalis autem viſio beata*. Probatur. Viſio beata facit, quod appetitus non poſſit prouenire rationem, nam oſtendit voluntati omnia, quę poſſunt occurrere appetitui, ergo facit, quod prius à natura moueatur voluntas, quam appetitus, atque adeò quod non poſſit præuenire rationem.

25 Dico tertiò. *Omnem actum appetitus ſenſitiui fuiſſe in Chriſto cum conſenſu partis ſuperioris*. Probatur: ex Epiſtola Sophronij *in VI. Synodo act*. 11. Chriſtus ſibi erat humanarum paſſionum, & actionum reconditor, & arbiter, & non recipiebat illas neceſſitatus, & inuoluntariè, ſed quando, & quantum conſulebat, & annuebat. ergo

26 Dico quartò. *Verbum non potuiſſe aſſumere naturam, in quo eſſent actus fomitis, ſiue cum connotatione peccabilitatis, ſiue non*. Eſt contra Vaſquez *diſput*. 62. *de Incarnat. cap*. 8. & alios Recentiores. Probatur. Illi actus inordinati fuiſſent à verbo, vt ab auctoritate ſubſtentante naturam, atque adeò vt à cauſa particulari implicat autem, quod verbum ſit auctor actionis inordinatæ.

27 Dico quintò. *Neque potuiſſe aſſumere naturam, in qua fomes non eſſet extinctus, ſed tantum ligatus*. Eſt cõtra Raguſ. *diſput*. 115. *de incarnatione*. Probatur: nam potuit aſſumere naturam, quę non eſſet determinata à verbo ad ſtandum in proprietate ipſius, ergo neque naturam, quæ non haberet fomitem extinctum; nam eo ipſo, quod ſtat in proprietate verbi, eſt determinata ad illas tantum actiones, quæ poſſunt ſtare in proprietate verbi, quales non ſunt motus fomitis.

28 Ad primum. Rationem dubitandi reſpondetur. Verbum aſſumpſiſſe illas pænalitates, quæ inſeruiebant fini Incarnationis, huiuſmodi autem non eſt fomes. Ad ſecundum, licet fomes non ſit peccatum, inclinat tamen ad ipſũ, & tantum per accidens confert ad exercitium virtutis, & ideo non debuit eſſe in Chriſto. Ad tertium. Fomitem non eſſe appetitum ſenſitiuum quomodocunque, ſed vt poteſt inſurgere contra rationem inclinando in bonum ſenſibile, vnde prouenit ex imperfectione, quæ imperfectio non fuit in Chriſto.

29 Obijcitur. Oportuit Chriſtum eſſe tentatum per omnia, vt bonis exhiberet exemplum, ergo etiam per fomitem. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia debuit eſſe tentatus per omnia abſque peccato, atque adeo abſq; ijs, quæ inclinant ad peccatum.

Digitized by Google

An in Chriſto potuerint eſſe habitus vitioſi.

SECTIO VI.

30 Certum eſt, non potuiſſe eſſe in Chriſto, vt acquiſitos per proprios actus, cum non potuerit exercere actus vitioſos; vnde difficultas procedit ex ſuppoſitione, quod aſſumpſiſſet humanitatem, in qua prius fuiſſent hi habitus.

31 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Vaſquez *diſput. 61. de Incarnatio. cap.6.* Raguſa *diſput.*114. §.8. & alij Recentiores. Probant. Hi habitus non denominant vitioſum, niſi accedant etiam actus voluntatis: vel actuales, vel habituales: in Chriſto autem non fuiſſent tales actus, ſecundo. Non magis repugnant hi habitus in natura rationali præciſa culpa, quam in irrationali, potuit autem verbum aſſumere naturam irrationalem cum huiuſmodi inclinationibus. Tertiò. Habitus vitioſi non magis inclinant ad malum, quam natura corrupta in puris naturalibus, potuit autem aſſumere talem naturam. ergo

32 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Suarez *diſputat.* 34. *de Incarnatione ſectione ſecunda*, & alij Recentiores.

33 Dicendum eſt. *Verbum non potuiſſe aſſumere naturam, in qua eſſent habitus vitioſi, ita vt permanerent poſt aſſumptionem.* Probatur. Omne principium operatiuum vt, *quo*, quod eſt in natura aſſumpta, dignificatur in ordine ad actus ſummi valoris, quia dignificatio in eo formaliter conſiſtit, quod ſit in hypoſtaſi infinite digna; implicat autem habitum vitioſum ita dignificari: nam implicat dicere ordinem ad actus ſummi valoris. ergo

Ad primum Repugnare ex alio capite: deinde adhuc denominaret vitioſum, quia eſſe vitioſum non eſt aliud, quàm inclinari ad actus vitioſos; vbi autem ſunt habitus, ibi & inclinatio. Ad ſecundum. Habitus vitioſos eſſe diſſonos regulis rationis, nam inclinant contra inclinationem naturæ, inclinatio autem naturalis naturæ irrationalis non habet talem diſſonantiam. Ad tertium, naturam corruptam non inclinare ſecundum ſe ad malum, ſed tantum ratione fomitis, qui tamen non potuit eſſe in Chriſto.

DE PASSIONIBVS ANIMAE Chriſti.

DISPVTATIO LXXXXVI.

An in Chriſto fuerint illi affectus, qui dicuntur paſſiones.

SECTIO I.

1 Certum eſt, in Appetitu ſenſitiuo Chriſti nõ fuiſſe paſſiones cum illis imperfectionibus, quę ſũt in nobis; nam non poterat ferri in illicita, nec præuenire rationem, aut ipſam perturbare.

2 Dicendum eſt. *In Chriſto fuiſſe paſſiones tam in parte rationali, quam in parte ſenſitiua.* Eſt de fide definitum à Leone 1. *Epiſtola* 11. *ad Iulianum*, & in VI. Synodo *act.*8. Probatur Matthæi 26. *Cœpit contriſtari, & mæſtus eſſe.*

3 Dicendum ſecundò. *Hos actus in Chriſto habuiſſe veram rationem paſſionis.* Ita D. Thom. 3. *part. quæſt.* 15. *art.*4. Probatur. Non eſt de ratione paſſionis, vt dicat aliquid inordinatum; ſed tantum, quod cauſet aliquã alterationem in corpore, quæ fuit in Chriſto. ergo

4 Dicendum tertiò. *Has paſſiones fuiſſe in Chriſto abſque pugna interiori.* Ita Leo 1. *Epiſtola* 11. *ad Iulianum* in fine. Probatur. Talis pugna habetur ex eo, quod appetitus inſurgat contra rationem; quod non habuit locum in Chriſto, quia plenè ſubijciebatur rationi.

5 Obijcitur. Quando Chriſtus in horto factus eſt in agonia pars ſuperior pugnauit contra inclinationem fugiendi mortem; vnde etiam Cyrillus *lib.* 10. *Theſauri c.* 3. habet, paſſiones fuiſſe in Chriſto, vt eas ſuperaret. Reſpondetur. Non fuiſſe pugnam inuoluntariam, ſed cum conſenſu rationis, quatenus ratio voluit excitare has paſſiones.

6 Ex his colligitur. Fuiſſe in Chriſto amorem ſenſitiuum, quia hic eſt primus actus, & fundamentum cęterorum; & conſequenter etiam odium in ordine ad obiecta contraria, item deſiderium circa bonũ abſens. Hinc Chriſtus eſuriuit, ſitiuit, &c. vnde etiam habuit delectationem ſenſibilem, quæ oritur ex bono præſenti.

7 Colligitur ſecundò. Potuiſſe eſſe in appetitu Chriſti actum ſpei, quia obiecta erant apta ad ipſam cauſandam. Rurſus quia poterat Chriſtus per cognitionem ſenſitiuã apprehendere aliquod malũ vt inſuperabile, potuit habere locũ aliqua deſperatio, quę tamẽ corrigeretur à ratione.

8 Colligitur tertiò. Fuiſſe in Chriſto audaciam; importat enim perfectionem, ſi ſit cum debito regimine rationis; hinc fecit flagellum, & eiecit vendentes &c.

9 Quæres. An in Chriſto fuerit dolor. Reſpondet. affirmatiuè, non ſolum quoad partem rationalem, ſed etiam quoad ſenſitiuam, et eſt de fide. Iſaię 53. *verè dolores noſtros ipſe tulit*, Lucæ 22. *Nonne oportuit pati Chriſtum*, &c. Ratio eſt, quia dolor oritur ex læſione corporis, corpus autem Chriſti poterat lædi, nam erat paſſibile.

10 Obijcitur ex D. Hilario 10. *de Trin. poſt initium*; vbi videtur velle, quod in Chriſto non fuerit paſſio doloris. Reſpondetur. Tantum docere, has paſſiones ita fuiſſe in Chriſto, vt non attingeret verbum, ſicuti volebant Ariani, contra quos ſcribebat.

An in Chriſto fuerit triſtitia.

SECTIO II.

11 Differt Triſtitia à Dolore, prout ſe tenet ex parte appetitus ſenſitiui, quod dolor habet pro motiuo læſionem corporis, prout per ſenſum tactus repræſẽtatur: Triſtitia verò eſt affectus generalis, qui habet pro motiuo diſconuenientiam ſenſibilem ſub communi ratione diſconuenientiæ, prout per phantaſiam repræſentatur.

12 Certum eſt de fide. Fuiſſe in Chriſto Triſtitiam ſenſitiuam. Matthæi 26. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Apprehendit enim Chriſtus obiecta noxia per æſtimatiuam, & ideo cum habuerit modum connaturalem operandi potuit de ipſis triſtari. Difficultas autem eſt, an Triſtitia fuerit etiam in voluntate.

13 Dico primò. *Fuiſſe in voluntate.* Eſt de fide. Probatur Math. 26. *Triſtis eſt anima mea*, &c. ex quo loco deducunt, vt certum de fide, fuiſſe in Chriſto operationem humanæ voluntatis, Agatho Papa *in ſua Epiſtola*, quæ habetur *in VI. Synodo act.*4. & Sophronius *in eadem Synodo act.*11. *in ſua Epiſtola*, ab eodem Concilio approbata. Ratio eſt quia voluntas Chriſti habuit naturalem modum operandi, & ideo triſtabatur de malo, quod occurrebat.

14 Dico ſecundò. *Etiam in parte ſuperiori fuiſſe in Chriſto Triſtitiam.* Ita Capreolus *in* 3. *diſtinct.* 27. *art.* 1. Vaſquez diſput. 73. *de Incarnat. cap.* 4. Suarez *diſp.* 34. *ſect.*3. Contra Caietanum 3. *part. quæſt.* 46. *ar.*6. Durand. *in* 3. *diſtinct.* 15. *part.* 2. *ad* 1. Probatur. Portio ſuperior non ſolum reſpicit æterna ſecundum, ſed etiam, quæ ſubſunt æternis, vt motiuo formali, & procedunt ſecundum regulas æternas, & ex motiuo æternorum.

Sed

Digitized by Google

Sed Chriſtus procedens ſecundum regulas ęternas,& motiuo æterno,ſed habuit obiectum diſconueniens, de quo potuit triſtari, nempe peccatum præſertim Iudæorum. ergo

An in Chriſto fuerit timor.

SECTIO III.

15 DIco primò. *In Chriſto fuiſſe illum Timorem, qui eſt paſſio animæ.* ita communiter cum D. Thoma 3. *part.quæſt.*15. *art.*7. & eſt de fide. Probatur. Marci 14. *Capit pauere, & tædere, & meſtus eſſe.* Ratio eſt, quia humana natura Chriſti erat paſſibilis, & capax illorum actuum, qui conſequuntur paſſibilitatem; fuerunt propoſita Chriſti obiecta timoris, vt mors. ergo

16 Dico ſecundò. *Etiam in voluntate Chriſti fuiſſe timorem*, eſt de fide ex epiſtola Agathonis, & Sophronii, *ſectione præcedenti citatis*. Probatur. Voluntas Chriſti habuit modum connaturalem operandi, ergo debuit timere, quando erat timendum.

17 Obijcitur ex Auguſtino *enarratione* 2. *in Pſalm.* 21. Paulus *optat mori, vt ſit cum Chriſto, & ipſe Chriſtus timet mori?* Reſpondetur. D. Auguſtinum excludere à Chriſto ſolum timorem efficacē, qui cauſat fugam obiecti, quod timetur; non autem inefficacem, qui poteſt ſtare cum deſiderio illius, quod timetur.

18 Obijcitur ſecundò. Tunc ſolum timor habet locum, quando adeſt ſpes euadendi, vt docet Ariſtoteles *lib.* 2. *Rhetoric. cap.* 5. Chriſtus autem non habebat hanc ſpem nam ſciebat, ſe certè moriturum. Reſpondetur. Quicquid ſit de ſenſu Ariſtotelis, ſolum Timorem abſolutum, & efficacem, qui eſt per modum fugæ, requirere ſpem euadendi; non verò inefficacem per modum diſplicentiæ, qualis fuit in Chriſto.

An in Chriſto fuerit admiratio.

SECTIO IV.

19 CErtum eſt, fuiſſe in Chriſto aliquo modo admirationem Matthæi, 8. *Audiens Ieſus miratus eſt.* Difficultas eſt, quomodo fuerit in Chriſto; Nam videtur naſci ex ignorantia, quæ non potuit eſſe in ipſo. Omiſſis autem variis reſponſionibus.

20 Supponendum eſt. Admirationem naſci ex eo, quod obijciatur aliquid inſolitum, & excellens, ex quo fit vt conſurgat in cognoſcente quædam delectatio, ratione cuius rapitur intellectus vt ſiſtat in conſideratione obiecti. Deinde conſurgit effectus laudandi obiectum,& denique deſiderium ſciendi cauſam; admiratio autem propriè conſiſtit in illo motu vitali intellectus, qui fit ex eo, quod aliquid excellens obijciatur, qui eſt raptus quidam, quo intellectus rapitur vitaliter ab obiecto; quod ex eo patet, quia admiratio eſt quędam inchoatio extaſis: in extaſi autem totaliter rapitur intellectus.

21 Dicendum eſt. *Admirationem habere pro motiuo excellentiam rei in ſuo genere ſupra alias, quatenus ratione ipſius poteſt ſpeciali modo rapere intellectum ad ſui conſiderationem; & hoc pacto potuiſſe eſſe in Chriſto connaturali modo in ordine ad cognitionem experimentalem.* Probatur. Quando occurrit res noua excellens, admiramur, & non ratione nouitatis, quia plura de nouo occurrunt, de quibus non admiramur, ſed ex eo, quod excellens, ſed Intellectus Chriſti potuit eodem modo moueri ab excellenti obiecto, ergo &c.

22 Ad Rationem dubitandi reſpondetur. Admirationem per accidens ſupponere ignorantiam: vnde non eſt formaliter ſciendi deſiderium cauſam occultam, ſed tantum cauſaliter, quatenus ſuppoſita ignorantia cauſat tale deſiderium.

An in Chriſto fuerit ira.

SECTIO V.

23 DIcendum eſt. *Fuiſſe in Chriſto affectum iræ.* ita communiter cum D. Thom. 3. *part. quæſt.* 15. *art.* 9. & eſt de fide. Probatur. Ioannis ſecundò Cū Chriſtus eiecisset de templo vendentes, &c. dicit Euangeliſta. *Recordati ſunt diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt, zelus domus tuæ comedit me:* zelus autem eſt effectus iræ. Ratio eſt, quia potuit Chriſto inferri malum, de quo triſtaretur, ergo potuit habere appetitum malum viciſſim inferendi per modum pœnæ, in quo conſiſtit affectus iræ.

24 Dicendum ſecundò. Hunc affectum irę habuiſſe pro motiuo formali ipſam triſtitiam. Probatur. Ira eſt appetitus reconciliandi, ergo habet pro motiuo ipſam conciationem, quam patitur iraſcens.

25 Obijcitur. Sequeretur, zelum Chriſti non habuiſſe pro motiuo formali offenſam Dei. Reſpondetur negando ſequelam. Nam offenſa Dei pręciſè ſpecificat deteſtationem, non autem zelum, quem ſpecificat, prout ſubſtat triſtitiæ cauſatæ ab offenſa Dei.

DE MERITO CHRISTI.

DISPVTATIO LXXXXVII.

Quo tempore Chriſtus meruerit.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt. Chriſtum fuiſſe ſimul viatorem & Compræhenſorem, vt docent communiter cum D. Thoma 3. *p. q.* 15. *art.* 10. ſtatus enim compræhenſoris importat illum terminum, quem habet creatura rationalis, quando acquirit ſuum vltimum finem, ſtatus verò Viatoris eſt ille, in quo tendit ad aſſequutionem eiuſdem finis. Hinc Chriſtus ratione beatitudinis eſſentialis erat compræhenſor, vt autem erat paſſibilis, & corpus carebat ſua gloria erat adhuc Viator.

2 Supponendum ſecundò. Certum eſſe de fide. Chriſtū verè meruiſſe, ad Philip. 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum*, vnde etiam Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. definit, Chriſtum fuiſſe cauſam meritoriam noſtræ iuſtificationis, habuit enim omnes cōditiones requiſitas ad meritum, fuit enim Viator gratus Deo, exercuit actus honeſtos, & ſupernaturales libero modo, & habentes ſummum valorem.

3 Dico primò. *Chriſtum meruiſſe ab initio ſuæ conceptionis in eo primo inſtanti, in quo habuit exercitium libertatis.* Probatur. Ad Hebr. 10. *Ingrediens mundum dixit, hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: Holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt tunc dixi, ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam*, ergo ab initio Conceptionis Chriſtus ſe exhibuit morti, atque adeo meruit, tunc enim cum habuerit vſum rationis, debuit ſtatim ſe conuertere in Deum.

4 Dico ſecundò. *Chriſtum ſemper continuaſſe ſuum meritum, nec vnquam illud interrupiſſe.* Probatur Chriſtus potuit continuò mereri, quia ſecundum ſcientiam infuſam erat expeditus ab organis, & quia ſummè diligebat Deum, habebat propoſitum efficax placendi ipſi, quantum fieri poterat, ergo debuit continuò

Digitized by Google

mereri, alioquin minus placuiſſet Deo, quam potuiſſet placere.

Quando Chriſtus ceſſauerit mereri.

SECTIO II.

5 Dicendum eſt. *Chriſtum meruiſſe vſque ad mortem, poſtea autem nihil amplius meruiſſe.* ita communiter cum D. Thoma 3. *part. quæſt.* 19. *artic.* 3. *ad* 1. Probatur. Ad Hebræos 2. *Vna enim oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos*, ergo ſi vna oblatione cõſummauit ſanctificatos, terminauit meritum per hanc oblationem etiam in ordine ad alios. Ratio eſt, quia tempus viæ eſt à Deo deſtinatum, vt ſit tempus meriti: in more autem deſinit tempus viæ.

6 Dices. Chriſtum fuiſſe exemptum ab hac regula. Contra. Ex illo Ioannis, 9. *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt, venit nox, quando nemo poteſt operari*, ergo, & Chriſtus fuit compræhenſus ſub hac regula.

7 Obijcitur. Chriſtus de facto nobis impetrat beneficia, ergo nobis meretur. Reſpondetur. Non impetrare propriè, ſed tantùm exigere à Deo exequutionem illius, quod nobis meruit, & impetrauit.

8 Obijcitur ſecundò. Vulnus lateris fuit meritorium, vnde Patres tribuunt ipſi efficaciam Sacramentorum, & ideo Sacramenta dicuntur fluxiſſe de latere Chriſti, ergo. Reſpondetur amiſſis varijs explicationibus. Illud vulnus fuiſſe meritorium in eo actu voluntatis, quo à Chriſto fuit acceptatum, dum viuens prævidit ſibi inferendum tanquam complementum paſſionis.

An Chriſtus meruerit per actus Virtutum.

SECTIO III.

9 Difficultas procedit de ijs actibus, qui cadebant ſub præcepto, nã eliciebantur ex imperio charitatis, ita vt ſtante præcepto non potuerit non imperare: Deinde ea neceſſitate, qua amatur finis, amantur etiam media neceſſaria ad finem, actus autem præcepti ſunt media neceſſaria ad finem ſupernaturalem, ergo cum Chriſtus amauerit neceſſariò finem ſupernaturalem, elicuit etiam neceſſario hos actus.

10 Dicendum eſt. Chriſtum meruiſſe etiam per actus, quibus obſeruabat præcepta. Ita communiter, & traditur tanquam certum in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. contra Michaelem Baium. Probatur ad Philipenſes 2. *Factus obediens vſque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum.* Ratio eſt, quia Chriſtus meruerit per mortem ſicuti etiam per ipſam ſatisfecit pro genere humano, mors autem fuit præcepta à Patre. Ioannis 10. *Hoc mandatum accepi à Patreo meo.*

11 Ad Rationem dubitandi reſpondetur, Amorem Dei non reddidiſſe neceſſarios alios actus, quia ſolum excludebat à voluntate Chriſti defectibilitatem, & faciebat, quod voluntas ſuo connaturali modo impleret præcepta. Ad Confirmationem. Qui vult finem, vult etiam media neceſſariò, quæ ſunt neceſſaria ad ſubſiſtentiam finis; medium autem neceſſarium ad ſubſiſtentiam vltimi finis ſupernaturalis eſt, quod voluntas ordinatè ſe habeat, hinc ex hoc capite tantùm ſequebatur, quod voluntas Chriſti ſe haberet ordinatè, ſeu non poſſet peccare; vnde remanebat libertas, quia obiecta proponebantur cum indifferentia, & voluntas ita ſe gerebat, vt nollet inclinari in eam partem, in qua eſſet defectus.

An Chriſtus meruerit per actus charitatis.

SECTIO IV.

12 Prima ſententia eſt negatiua. ita Vaſquez *diſput.* 24. *de Incarnat. c.* 3. qui citat plures alios. Probat. Amor meritorius debuiſſet fundari in ſcientia infuſa, non potuit autem fundari, quia per ipſam non attingebat Deum vt Trinum, ſecundò. Amor tendit in rem amatam, vt in obiectum: non autem in cognitionem, ergo licet Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouiſſet Deum, quia tamen eadem bonitas proponebatur per ſciẽtiam beatam, erat tantùm in ipſo vnicus actus amoris beati. Tertiò. Non poteſt idem actus amoris prouenire à ſcientia beata, & infuſa, quia ſuperueniente meliori cognitione, hęc ſola mouet ad amandum. ergo

13 Secunda ſententia aſſerit meruiſſe per ipſum amorem beatum. ita Scotus *in* 3. *diſtinct.* 18. *quæſt. vnica.* Gabriel *art.* 2. Almain. *q.* 1. Maior. *q.* 2.

14 Tertia ſententia ponit in Chriſto duplicem amorem, alium fundatum in ſcientia beata, qui non fuit meritorius & alium fundatum in ſcientia infuſa, qui fuit meritorius. ita Ferrar. 3. *contra gentes c.* 62. Caietanus 3. *p. q.* 11. *artic.* 1. Medina *quæſt.* 19. *artic.* 3. Suarez *diſput.* 39. *de incarnat, ſectio.* 3. & alij.

15 Quarta ſententia aſſerit, fuiſſe in Chriſto vnicum actum amoris prouenientem ſimul à ſcientia beata, & infuſa, ita vt eſſet neceſſarius prout terminabatur ad Deũ, liber autem prout terminabatur ad creaturas, ſimpliciter autem ſecundum eſſe phyſicum fuiſſe liberum, quia poterat Chriſtus ipſum non elicere, eliciendo alium amorem, qui terminaretur tantùm ad Deum. ita Valent. 3. *part. q.* 19. *punct.* 2. Salas 1. 2. *tract.* 2. *diſput.* 7. *ſect.* 1. Aluarez *diſp.* 45. & alij.

16 Notandum primò. Cognitionem proponere obiectũ voluntati ſecundũ menſurã, ſecundũ quã ipſum attingit, vnde cum ſcientia infuſa attingat Deum alio modo, ac beata proponit etiam diuerſo modo, nempe non ſecũdùm totam plenitudinem bonitatis: ſed ſecundum aliquas ſpeciales rationes.

17 Notandum ſecundò. Licet ſcientia infuſa non attingat Deum vt Trinum, adhuc tamen attingit, prout eſt motiuum amoris reſpectu viatorum, nempe ſub ratione vltimi finis, quia autem Chriſtus vt irator per ſcientiam acquiſitam fomaruit ſibi notitiam Trinitatis, proponebatur Trinitas voluntati ipſius vt exiſtens in obiecto propoſito per ſcientiam infuſam, hinc autem fit, quod potuerit Chriſtus amore ſupernaturali ipſam amare, quia ſufficit ſi motiuum amandi proponatur per ſcientiam naturalem: ſic amamus proximum cognitum naturali cognitione charitate ſupernaturali, quia motiuum amandi proponitur ſupernaturali modo.

18 Notandum tertiò. Obiectum non amari, prout eſt in ſe, ſed prout eſt in menſura cognitionis, vnde poteſt malum amari, ſi proponatur vt bonum: hinc Deus cum ſit ſecundum diuerſam menſuram in cognitione beata, & infuſa, exigit etiam diuerſum amorem.

19 Notandum quartò voluntatem, quando amat, producere quendam terminum, qui eſt inclinatio, & facit, quod voluntas ſe vniat cum obiecto, in hoc tamen termino non conſiſtit formaliter amor: ſed in illo motu, & conatu vitali, quo voluntas mediante tali termino ſe vnit cum obiecto: ſicut autem intellectus, beatus nedum producit verbum repræſentans obiectum primarium, ſed etiam alia ſecundaria verba, quibus obiecta ſecundaria repræſententur, ſic etiam voluntas beati producit terminum inclinatiuum primarium circa Deum vt fruibilem, & alios ſecundarios circa alia obiecta, atque adeo etiam circa Deum vt repræſentatum per ſcientiam infuſam, quia tunc habet rationem obiecti ſecundarij ex eo, quod non repræſentatur ſecundum totam ſuam plenitudinem.

20 Dico

Digitized by Google

20 Dico primò. *Chriſtum non meruiſſe per amorē beatificum*. Probatur. Meritum eſt eſſentialiter tendentia in præmium per modum aſſequutionis; amor autem beatificus non eſt huiuſmodi, quia cum ſit quies voluntatis in obiecto beatifico, non poteſt eſſe tendentia in præmium per modum aſſequutionis.

21 Dico ſecundò. *Non potuiſſe eſſe in Chriſto duos adæquatos amores, nempe beatificum, & alium fundatum in ſcientia infuſa*. Probatur. Iſti duo amores ſunt incompoſſibiles, ſi ſint inuicem condiſtincti; quia vnus faceret formaliter, voluntatem perfectè quieſcere in termino, & alter faceret, voluntatem amare vt extra terminum, ergo cum implicet voluntatem eſſe perfectè in termino, & eſſe extra terminum, ſeu in via, implicat etiam, hos duos amores eſſe ſimul.

22 Dico tertiò. *Chriſtum non potuiſſe mereri per actum amoris indiuiſibilem, qui vt terminatus ad Deum eſſet neceſſarius, vt terminatus autem ad creaturas eſſet liber*. Probatur. Amor non eſt liber, vel neceſſarius, niſi in ordine ad motiuum, quando autem amatur Deus clarè viſus, & creatura eodem amore indiuiſibili, motiuum eſt Diuina bonitas clarè viſa, & creaturæ ſunt obiectum materiale ſecundarium, ergo amor determinatur, vt producatur ſine indifferentia, etiam in ordine ad creaturas; quia motiuum amandi eſt omnino indifferens.

23 Dico quartò. *Chriſtum habuiſſe actum charitatis erga Deum, prout viatoribus manifeſtatur, fundatum in Scientia infuſa manifeſtante Deum vt finem ſupernaturalem, & importaſse terminum inclinatiuum diſtinctum, qui conueniebat Chriſto vt Viatori, atque adeò voluntas Chriſti, vt voluntas comprehenſoris per eundem conatum vitalem primariò quieſcebat in ſummo bono: ſecundariò autem ex vi alterius termini inclinatiui ferebatur in ipſum vt erat voluntas viatoris*. Probatur. Chriſtus erat ſimul viator, & comprehenſor, ergo debebat ex vi amoris, quo quieſcebat in vltimo fine inclinari ad perfectum ordinem cum ipſo, quod fieri non poterat, niſi per alium terminum inclinatiuum correſpondentem ſtàtui viatoris; hic autem terminus non potuit eſse inclinatio contradiſtincta ab inclinatione beatifica, tum quia eſset cum ipſa incompoſſibilis; Tum quia ex vi amoris beatifici, atque adeò cum ſubordinatione ad ipſum voluntas mouebatur ad ſe inclinandam adæquatè in vltimum finem.

24 Dico quintò. *Chriſtum meruiſse per hunc amorem veluti ſecundarium*. Probatur. Hic amor, licet dicat eundem conatum vitalem, quem dicit amor beatificus, dicit tamen diuerſum terminum inclinatiuum, ergo cum terminus inclinatiuus ſit ſecundum menſuram motiui, quo mouentur viatores, quãdo amãt Deum ſupernaturali modo, amor etiam vt ſtat ſub determinatione huius termini, habet eandem menſuram, atque adeò eandem indifferentiam, laudabilitatem, & rationem meriti.

25 Ad primum primæ ſententiæ reſpõdetur. Hunc amorem fundari in ſcientia infuſa, quatenus per ipſam manifeſtatur motiuum, quod ſufficit, vt poſſit amari Deus vt trinus cognitus per ſciẽtiam acquiſitam, vt patet ex dictis. Ad ſecũdum. Amorem tendere in bonum, vt ſtat in menſura cognitionis, & ideo, cum Deus ſecundum diuerſam menſuram ſit in ſcientia beata, & infuſa, terminat etiam diuerſum amorem ratione termini inclinatiui. Ad tertium. Non poſse eundem actum amoris ſecundum eundem terminum inclinatiuum prouenire à Scientia beata, & infuſa; poſse tamen ſecundum diuerſum terminum inclinatiuum.

DE EO QVOD CHRISTVS meruit.

DISPVTATIO LXXXVIII.

An Chriſtus meruerit ſibi aliqua bona ſupernaturalia.

SECTIO I.

1 DIcendum eſt. *Chriſtum ſibi meruiſſe gloriam Corporis, exaltationem nominis, & alia quæ ipſi ſunt parata poſt paſſionem*, ita communiter cum D. Thoma 3.*p.q.* 19.*art.* 3. & eſt de fide contra Caluinum, & alios hæreticos recentiores, & traditur communiter à Patribus. Probatur. Ad Philipens. 2. *Factus eſt obediens vſque ad mortem propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Ioan. 17. *Ego clarificaui te ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi vt faciam, & nunc clarifica me tu Pater a pud temetipſum*.

2 Reſpondet Caluinus per hæc ſignificari, quod poſt paſſionem habuerit gloriam, non autem quod habuerit ex meritis. Contra. Exaltatio fuit data Chriſto intuitu paſſionis, vt ſignificat particula, *propter*, & ex eo, quod conſummauit opus ſibi impoſitum, petit clarificationem. ergo habuit ex meritis, cum fuerit data intuitu operis.

3 Dico ſecundò. *Meruiſſe etiam ea, quæ habuit ante paſſionẽ, vt teſtimonium Patris in Iordane adorationem Magorum, &c.* Probatur. Meritum Chriſti vt ſummum ſe extendit ad omne id, quod poteſt habere rationem præmij, hæc autem potuerunt habere, quia non erant per ſe debita ratione vnionis.

4 Obijcit Caluinus. Scriptura docet, quod Chriſtus venerit propter noſtram vtilitatẽ, & quod pro nobis mortuus ſit: non autem pro ſe ipſo, ergo non meruit ſibi, ſed tantum nobis. Reſpondetur. Scripturam ita docere, vt quod venerit propter nos, vt tamen etiam aſserat quod ſibi meruerit, & licet non ſit mortuus pro ſe ipſo, per mortem tamen tanquam per actum meritorium ſibi etiam meruit.

5 Obijcitur ſecundò, Ex Athanaſio *ſer.* 2. *contra Arrianos*. Vbi explicans illud. Ad Philipens. 2. *Propter quod, & Deus exaltauit illum*. Inquit ſignificare cauſam ſublimationis, quæ redundat in nos, non autem præmium, quod ſibi Chriſtus acquiſierit. Reſpondetur. Athanaſium negare Chriſtum pro ſe meruiſse in eo ſenſu, in quo aſserebant Arriani, qui volebant, quod Filius Dei per propriam voluntatem, & non per humanam obediuerit Deo, & hoc pacto meruerit, vnde inferebant ipſum verbum eſse creaturam.

An Chriſtus meruerit ſibi gratiam, & Gloriam.

SECTIO II.

6 PRima ſententia eſt affirmatiua, ita Altiſiodoren. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 7. Maior. *in* 3. *diſtinct.* 18. *q.* 2. Baſsol. *q.* 1. *art.* 3. Albertus *art.* 4. Probant Iſaiæ 53. *Pro eo quod laborauit videbit, & ſaturabitur*. Viſio autem ſatians eſt viſio beata. 2. Ioa. 10. *Propterea diligit me Pater, quia animam meam pono*. Ergo ex meritis obtinuit dilectionem Dei, atque adeo gratiam. Tertiò. Melius eſt habere præmium ex merito, quam ſine ipſo, ergo Chriſtus debuit habere gratiam; & gloriam ex merito.

7 Se-

Digitized by Google

7 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Scotus *in 3.d.18. q. vnica* D. Bonau. *art.2.q.1.* Argent. *ibidem.* Durand. *q.3.* Vaſquez *diſp.78. de Incarn. cap.2.* Suarez *diſpu.40. ſect.2.* & communiter.

8 Dicendum eſt. *Chriſtum non meruiſſe ſibi gratiam, & gloriam.* Probatur. Gratia, & gloria debentur Chriſto ex vi vnionis, vt partes conſtitutiuæ illius ſtatus ſupernaturalis, in quo Chriſtus ponitur per vnionem, ergo non fuerunt ex merito, quia quod eſt debitũ ex vi productionis vt pertinens ad conſtitutionem alicuius principij, non poteſt eſſe ex merito fundato in eodem principio.

9 Dices. Gloria corporis erat debita Chriſto, & tamẽ fuit data propter meritũ, ergo licet gratia, & gloria debeãtur ratione vnionis, potuerunt tamen dari etiam ex titulo meriti. Reſpondetur. Eſſe diſparem rationem, quia gloria corporis nõ erat debita vt pars conſtitutiua illius ſtatus, quem ponebat vnio, ſed ſolum ſecundum quandam decentiam.

10 Ad primum reſpondetur. Illum locum intelligi de præmio accidentali, quod Chriſtus videns, erat ſaturandus ob abundantiam. Ad ſecundum particulam illam, *propterea*, non ſignificare cauſam meritoriam, ſed tantũ aſſignare terminum, per quem Chriſtus terminabat amorem Diuinum. Ad tertium. Id eſſe verum, quando modus habendi ex merito non excludit modum habendi perfectionem, qualis eſt habere ex vi productionis.

An de potentia abſoluta potuerit mereri gratiam, & gloriam.

SECTIO III.

11 PRima ſententia eſt affirmatiua. ita Alens. *3.p.q. 16. art.1.* Suarez *diſp.40. de Incarn. ſect.1.* Vadingus *diſp.10. dubio 5.* Hurtad. *diſp.63. ſectio 7. §.85. & 90.* & alij recentiores. Probant. Meritum non debet præcedere præmium tempore, ſed ſufficit ſi præcedat natura, ergo potuit Chriſtus per primum actum ſibi mereri gratiam, & gloriam. Secundò. Potuit Deus dare Chriſto gratiam, & gloriam ſub conditione, quod per ſubſequentia opera ipſas mereretur. ergo

12 Secunda ſententia eſt negatiua. ita Scotus *in 3. diſt. 18. q. vnica.* Caietanus *3. par. q. 19. art. 3.* Medina *ibidem.* Crabrera *diſp.1. §.4. & 5.*

13 Dico primò. *Suppoſito, quod Chriſtus habuerit ab initio gratiam, et gloriam, nec de potentia abſoluta potuit illam mereri, etiam per opera ſubſequentia.* Prob. Quod datur vt cõnaturale pertinens ad eſſe, & debitũ ex vi productionis, non poteſt dari cum dependentia ab operatione libera; gratia autem, & gloria eſt debita Chriſto iure connaturalitatis ex vi productionis.

14 Dico ſecundò. *Suppoſito quod Chriſtus non habuiſſet gratiam, & gloriam ab initio, neque potuit illam mereri de potentia abſoluta.* Probatur. De ratione meriti eſt quod tendat aſſequutiuo modo in genere morali, atq; adeo quod faciat moraliter debitum, quod non eſt debitum, ergo non habet locum reſpectu illius, quod eſt phyſicè debitum, cum non poſſit exercere ſuam vim aſſequutiuam. Gratia autem, & gloria eſt debita Chriſto ſecundum exigentiam phyſicam.

15 Ad primum reſpondetur. Licet meritum non debeat tempore præcedere præmium, debet tamen præcedere cauſalitate aſſequutiua; quod non habet locum in Chriſto reſpectu gratiæ, & gloriæ, vt patet ex dictis. Ad ſecundum negatur aſſumptum, vt patet etiam ex dictis.

An Chriſtus meruerit nobis gratiam, gloriam, & remiſſionem peccatorum.

SECTIO IV.

16 DIco primò. *Chriſtum meruiſſe omnibus hominibus remiſſionem vtriuſque peccati originalis & actualis* eſt de fide. Probatur. Ad Coloſ. 2. *Cum mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cũ illo donans vobis omnia delicta,* 1. Io. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Ratio eſt. Quia ſatisfecit ſuperabundanter pro peccatis totius generis humani.

17 Dico ſecundò. *Chriſtum meruiſſe nobis gratiam iuſtificantem.* Eſt de fide. Ad Roman. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.*

18 Dices. Ergo. Gratia eſt nobis debita ex iuſtitia, vnde non datur gratis. Reſpondet. Eſſe debitam ex iuſtitia reſpectu Chriſti; non autem reſpectu noſtri, quia debitum fundatur tantum in meritis Chriſti.

19 Dico tertiò. *Chriſtum meruiſſe nobis gloriam, & vitam æternam,* Eſt de fide. Probatur. Ad Titum 3. *vt iuſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Ratio eſt. Quia nobis merendo gratiam, meruit adoptionem filiorum Dei, quę dat ius ad vitam æternam.

20 Dico quartò. *Nulli vnquam fuiſſe datam remiſſionem peccatorum, gratiam, & gloriam, niſi ex meritis Chriſti,* eſt de fide. Probatur. Scripturæ vniuerſaliter loquuntur de omnibus, & Chriſtus dicitur pro omnibus mortuus, & omnes redemiſſe.

21 Obijcitur. Patres antiqui habuerunt gratiam antequam Chriſtus poſſet ipſis applicare ſua merita, ergo non habuerunt ex meritis ipſius. Reſpondetur negando aſſumptum. Nam meritum eſt tantum cauſa moralis præmij, & ideò ſufficit, quod antecedat in præuiſione; vnde Deus intuitu meritorum Chriſti, quæ præuidebat contulit gratiam antiquis Patribus.

An Chriſtus meruerit nobis applicationem ſuorum meritorum.

SECTIO V.

22 SVb alio titulo quæſtio proponi ſolet, videlicet, an Chriſtus meruerit nobis diſpoſitiones ad gratiam; per iſtas enim nobis applicantur merita Chriſti, dum diſponunt ad obtinendam remiſſionem peccatorum.

Prima Sententia eſt negatiua, ita Capreol. *in 3. diſtinc. 18. artic. 3.* Ferrar. *lib.4. contra Gentes cap. 55.* Probant Si Chriſtus meruiſſet diſpoſitiones, prima gratia eſſet debita, quia diſpoſitus facit illam ſibi debitam ex eo, quod habet ſibi applicata merita Chriſti, ergo. Secundò. Auxilia, quæ dantur in fidelibus, non ſunt ex meritis Chriſti, cum non pertineant ad Chriſtum ex eo, quod careant fide. Hæc autem auxilia ſunt diſpoſitiones ad gratiam. Tertiò. Homines per Chriſtum recuperant, quæ amiſerant in Adam, amiſerant autem ſolam gratiam, & charitatem, quia fides, & ſpes non amittuntur, niſi per peccatum infidelitatis, & deſperationis, quod non fuit in Adam.

23 Secunda ſententia eſt affirmatiua, ita Vaſquez *diſp. 77. de Incarnat. cap. 2.* Suarez *diſput. 41. ſectio. 2.* Aluarez *diſput. 50.* Merat. *diſp. 47. ſect. 3.*

24 Dicendum eſt. *Chriſtum nobis meruiſſe omnia dona gratiæ, quæ antecedunt iuſtificationem, atque adeò etiam diſpoſitiones, & applicationem ſuorum meritorum.* Probat. 2. Ad Timot. 1. *Vocauit nos vocatione ſua ſancta quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu.* Ad Ph. 1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, &c.* Ratio

eſt,

Digitized by Google

eſt, Quia homo per peccatum contraxit debitum carendi omni auxilio gratiæ, & Chriſtus ſatisfecit pro huiuſmodi debito, atque nobis obtinuit omnia auxilia.

25 Ad primum negatur ſequella, quia tunc ſolum quis facit ſibi aliquid debitum, quando ex proprijs contrahit ius ad ipſum; non autem quando illud ſit conueniens ex gratia alterius.

Ad ſecundum. Infideles pertinere ad Chriſtum vt membra viuificabilia, & ideo influit in ipſos diſpoſitiones ad gratiam.

Ad tertium. Deum creaſſe hominem ea lege, vt ſi peccaret, amitteret totum ſtatum ſupernaturalem; & ideo in Adam perdidimus non ſolum gratiam, ſed etiam fidem, & omnia ſupernaturalia.

Quid Chriſtus meruerit iuſtificatis.

SECTIO VI.

26 CHriſtum meruiſſe iuſtificatis, eſt de fide, ex Tridentino *ſeſſ.6.c.16.* & ſpecialiter effectus omnes Sacramentorum, vnde quęſtio procedit de alijs bonis gratiæ.

27 Dico primò. *Chriſtum meruiſſe iuſtificatis omnia auxilia gratiæ, quibus bene operantur*, eſt de fide. Probatur Ioannis 15. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic vos niſi in me manſeritis*, vnde Tridentinum *citatum* definit Chriſtum iugiter influere in iuſtificatos virtutem, quę bona eorum opera antecedat, comitetur, & ſubſequatur.

28 Dico ſecundo. *Chriſtum meruiſſe iuſtificatis donum perſeuerantiæ*. Probatur. Quia habetur ratione ſpecialium auxiliorum, quibus iuſti perſeuerant in bono vſq; in finem.

29 Dico tertio. *Chriſtum meruiſſe iuſtificatis augmentum gratiæ, & gloriæ*, eſt de fide. Probatur ex Triden. *ſeſſ.14.cap.8.* Vbi definit, merita noſtra habere vim ex meritis Chriſti, quatenus meritum noſtrum eſt pars aliqua de merito Chriſti nobis communicata per influxus gratiæ.

30 Dico quartò, *Chriſtum meruiſſe nobis omnes actus quibus meremur*, Eſt de fide. Probatur. Merita ſunt ex ſpeciali influxu Chriſti, ergo meruit nobis noſtra merita.

31 Dico quinto. *Meruiſſe nobis remiſſionem pænæ temporalis, quæ fit per ſatisfactiones noſtras*. Probatur. Talis ſatisfactio eſt actus ſupernaturalis in ordine ad ſalutem, ergo niſi eſſet ex meritis Chriſti, non eſſet verum illud Ioan.15. *Sine me nihil poteſtis facere*.

32 Dico ſextò. *Chriſtum meruiſſe nobis remiſsionem peccatorum venialium*, Eſt de fide. Probatur 1. Ioan.1. *Sanguis eius emundat nos ab omni peccato*.

33 Dico ſeptimò. *Remiſſionem pænæ in purgatorio ex vi ſuffragiorum eſſe ex meritis Chriſti*. Probatur. Per talia ſuffragia ſpeciali modo applicantur merita Chriſti, ergo &c.

34 Obijcitur. In operibus iuſti eſt valor ſufficiens pro obtinẽdis his bonis, ergo non habet locum meritum Chriſti. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia meritum noſtrum habet vim ex meritis Chriſti: non tamen hinc ſequitur, quod opera noſtra non ſint meritoria de condigno; ſed tantum, quod habeant hanc condignitatem fundatam in meritis Chriſti; vnde ſimul ſtat, quod ſint opera noſtra, & quod ſint etiam ex meritis Chriſti.

35 Obijcitur ſecundò. Homo in ordine ad merendum habet ex meritis Chriſti tantum auxilia gratiæ. Hoc autem non eſt habere præmium ex meritis Chriſti. Reſpondetur negando minorem. Nam Chriſtus nobis obtinuit præmium conferendo ſpecialem vim noſtris meritis, & proinde præmium, quod eſt ex noſtris meritis, eſt etiam ex meritis Chriſti.

An Chriſtus meruerit nobis prædeſtinationem.

SECTIO VII.

36 PRima ſententia aſſerit, Chriſtum meruiſſe nobis prædeſtinationem, quoad exequutionem, quatenus effectus ipſius ſunt ex meritis Chriſti; non autem quoad primam intentionem, ita Scotus *in 3. diſt.19. quæſt. vnica* Maior. *quæſt.1.* Smiung. *tract.3. de Deo ſectio 3.num.618.* Probant. Scriptura docet, nos eſſe prædeſtinatos ſecundum gratuitum beneplacitum Dei ex mera charitate. Ad Epheſ.1. Ad Rom.4.5.& 8. ergo. Secundò. Gloria Dei eſt ratio primi propoſiti ſaluandi electos Ad Ephes.1.& 2. Hoc autem non eſſe verum, ſi prædeſtinatio ſecundum intentionem eſſet ex meritis Chriſti.

3 Ioannis 17. Electi traditi ſunt Chriſto à Patre, ergo Chriſtus non meruit primam acquiſitionem, quia quod donatur, non datur ex meritis. Quartò. Non minus eſt gratuita noſtra prædeſtinatio, quàm Chriſti prædeſtinatio, vt ait Auguſt. *c.12.& 15. de prædeſtinatione ſanctorum*, prædeſtinatio autem Chriſti non fuit ex alicuius meritis. Quintò. Chriſtus non meruit, vt Deus eligeret ſaluandos; ſed tantum, vt impleret electionem. Ioan.17. Illud enim tantum meruit, quod petijt à Patre.

37 Secunda ſententia docet, Chriſtum meruiſſe nobis prædeſtinationem, etiam quoad intentionem, ita D.Th. *3.p.q.19.art.4.* D.Bonau. *in 3.diſt.11.q.3.art.1.* Richar, *artic.4.q.vltima.* Vaſquez *1.p.diſp.94.c.2.& ſequentib.* & alij.

38 Notandum primò. Prædeſtinationem eſſe factam poſt præuiſionem peccati originalis, & in Deo non eſſe duplicem ordinem intentionis, & exequutionis, ſed exequutionis tantum, & Chriſtum fuiſſe primum omnium prædeſtinatorum, ita vt fuerit principium ſtatus ſupernaturalis, quæ omnia conſtant ex dictis ſuis locis.

39 Notandum ſecundò. Licet Chriſtus non extiterit in aliquo inſtanti, in quo non haberet carnem paſſibilem, habuit tamen aliquos actus meritorios independenter à carne paſſibili, quatenus illos exercuit indepẽdenter ab organis, & horum primus fuit actus amoris, quo ſe conuertit in Deum, qui etiam obiectiuè fuit independens à carne paſſibili, cum non habuerit ipſam pro obiecto; Hinc autem fit, quod antequam concipiamus decretum de paſſibilitate Chriſti, poſſumus concipere Deum præuidiſſe hunc primum actum amoris Chriſti, & intuitu ipſius aliquid decreuiſſe.

40 Dico primò. *Chriſtum meruiſſe noſtram prædeſtinationem*, hæc Concluſio præſcindendo à modo quo meruit, eſt de fide. Probatur, Ad Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum.* 2.ad Timoth.1. *vocauit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum ex gratia, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſæcularia*, & hic locus explicatur communiter à Patribus de prędeſtinatione ex meritis Chriſti.

41 Dico ſecundò. *Chriſtum meruiſſe nobis primum actum dilectionis, & electionis formalis, qua prædeſtinati ſumus*.

Probatur. Iſte actus habet pro obiecto bonum communicandum homini habenti capacitatem, ergo debet eſſe in ordine ad aliquam perſonam, cui fiat communicatio, Non poteſt autem obijci perſona, quę nõ ſit infecta originali; quia debet obijci vt deſcẽdens ab Adam, ergo cum Chriſtus meruerit liberationem ab originali, meruit etiam hunc primum actum, quo Deus voluit liberare.

42 Dices decreuiſſe conferre tale bonum ante præuiſionem originalis. Contra. Non potuit decernere conferre, niſi intuendo perſonam, cui conferret. Vel, ergo hæc perſona obijciebatur intra ſtatum exiſtentiæ; vel poſſibilitatis. Si primum, ergo cum intra ſtatum exiſtentię nullum ſit ſignum, in quo exiſtat ſine debito originalis; non

Digitized by Google

non potuit obijci, niſi cum tali debito. Si ſecundum, cum perſona intra ſtatum poſſibilitatis non ſit capax beneficij, quia exiſtentia eſt primum beneficium, oportuit, vt Deus prius decerneret exiſtentiam, deinde beneficia gratiæ.

43 Dico tertiò. *Chriſtum meruiſſe illam primam electionem, & dilectionem, quæ terminata eſt ad genus humanum in Adam, qua voluit per gratiam ipſum eleuare ad ſtatum ſupernaturalem.*

Probatur. Chriſtus eſt prædeſtinatus vt caput generis humani, & ſecundum ſubſtantiam ante præuiſionem originalis, & primus actus meritorius ipſius fuit præuiſus ante originale, ergo per talem actum potuit mereri generi humano eleuationem ad ſtatum ſupernaturalem.

44 Dices. Chriſtus non conſummauit meritum, niſi in paſſione, ergo non potuit conferri præmium intuitu illius primi actus. Reſpondetur. Non potuiſſe conferri præmium adæquatum, potuiſſe tamen conferri præmium inadæquatum.

45 Dico quartò. *Chriſtum ex vi primi actus meruiſſe quod conſtitueretur redemptor pro reparatione generis humani.* Probatur. Quod Chriſtus ſit redemptor eſt ſpeciale beneficium factum generi humano vt membro Chriſti; omne autem beneficium huiuſmodi eſt ab ipſo Chriſto vt capite, atque adeò ex meritis ipſius.

46 Dices. Scriptura docet, Deum miſiſſe filium ſuum ex ſola miſericordia in ſalutem generis humani. Reſpondetur. Fuiſſe ſolam miſericordiam reſpectu generis humani, non autem reſpectu Chriſti.

47 Dices ſecundò. Chriſtus tenebatur vt caput redimere, & Deus tenebatur conſtituere ipſum redemptorem, quę autem ſunt debita, non ſunt ex merito. Reſpondetur: Aliud eſſe, quod pertineret ad Chriſtum redimere, & aliud, quod teneretur: primum eſt verum, ſecundum falſum.

48 Dices tertiò. Si Adam non peccaſſet, Chriſtus non veniſſet, ergo ratio redemptionis fuit determinata in prima prædeſtinatione, ergo non ex meritis. Reſpondetur: Fuiſſe determinatam in prædeſtinatione adæquata, quæ autem ſic determinantur poſſunt cadere ſub merito fundato in actibus, qui conueniunt ratione prædeſtinationis inadæquatæ.

49 Dico quintò. *Chriſtum non meruiſſe electis prædeſtinationem per diuerſam applicationem ſuorum meritorum, quæ vellet ſua merita aliquibus efficaciter applicari, alijs verò tantum ſufficienter*, eſt contra Vaſquez 1. *p. diſp. 97. cap. 3.* & alios recentiores. Probatur. Vel præceſſit voluntas Dei manifeſtata Chriſto de ijs eligendis, & non alijs vel non. Si primum, ergo diſcretio eſt facta à deo antequam Chriſtus applicaret ſua merita. Si ſecundum, ergo in prouidentia ſupernaturali primum diſponens eſſet Chriſtus, vt homo, quod implicat, quia prima diſpoſitio debet eſſe à prima cauſa.

50 Obijcies Chriſtus Ioan. 17. facit expreſſam comparationem inter electos, & non electos. *Non pro mundo rogo, ſed pro ijs, quos dediſti mihi*, ergo meruit electionem comparatiuè. Reſpondetur negando conſequentiam. Nam oratio Chriſti ſupponit electionem factam, & eſſe in ordine ad obtinenda beneficia pro ipſis electis; non autem in ordine ad electionem faciendam.

51 Ad primum reſpondetur. Scripturam coniungere merita Chriſti cum gratuito propoſito Dei, hoc autem propoſitum fuit gratuitum reſpectu hominis, & in ſua radice, quatenus prædeſtinauit Chriſtum, quia tunc virtualiter propoſuit prædeſtinare genus humanum. Dicitur autem Deus prędeſtinaſſe ex charitate, quia ex mera charitate ordinauit merita Chriſti, vt cauſam meritoriam, quia Chriſtus merendo prædeſtinationem, cooperatus eſt gloriæ Dei.

Ad ſecundum. Gloriam Dei vt cauſam finalem prædeſtinationis non excludere merita Chriſti, vt cauſam meritoriam, quia Chriſtus merendo prædeſtinationem cooperatus eſt gloriæ Dei.

Ad tertium electos fuiſſe traditos Chriſto, quia meruit ſibi tradi.

Ad quartum. Noſtram prædeſtinationem eſſe gratuitam æquè ac prædeſtinatio Chriſti, quia non eſt ex meritis noſtris; quod autem ſit ex meritis Chriſti; facit tantum, quod non ſit gratuita reſpectu Chriſti.

Ad quintum. Chriſtum per illam orationem non meruiſſe electionem, ſed tantum ſpecialia beneficia pro Apoſtolis.

Quid Chriſtus meruerit Angelis.

SECTIO VIII.

52 PRima ſententia negat meruiſſe gratiam, & gloriam, ſed tantum bona accidentalia, ita Durand. *in 3. diſt. 13. q. 2.* Palud. *q. 1. art. 3.* Vaſquez *diſp. 49. de Incarn. cap. 2.* Vading. *diſp. 7. dubio 7.* Meratius *diſputat. 47. ſectio 1.* & alij. Probant. Matthæi 18. & Lucæ 15. Paſtor (videlicet Chriſtus) relictis nonaginta nouem in deſerto, nempe Angelis, venit quærere vnam, quæ perierat, nempe hominem, ergo ſolis hominibus meruit gratiam, alioquin veniſſet quærere etiam Angelos. Secundò. Ad Hæbreos 2. Omnes ſanctificati per Chriſtum vocantur fratres, & pueri communicantes carni, & ſanguini, tales autem non ſunt Angeli. Tertiò. Patres explicantes, quod Chriſti aduentus profuerit Angelis, aſſignant tãtum gaudium, ex reparatione ſedium, ex quibus Angeli mali ceciderunt: non autem aſſignant gratiam, & gloriam. ergo

53 Secunda ſententia docet, meruiſſe etiam gratiam, & gloriam, ita Caietanus *3. p. q. 7. art. 11.* Albertus *in 3. diſt. 13. art. 2.* Richardus *ibidem.* Suarez *diſp. 42. de Incar. ſec. 1.* Hurtad. *diſput. 63. ſect. 8.* Lorca *diſp. 45.* & alij.

54 Dicendum eſt. *Chriſtum meruiſſe Angelis gratiam, & gloriam per primum actum amoris, quo ſe conuertit in Deum.* Probatur. Talis actus potuit eſſe meritorius talis gratiæ, & potuit præuideri ante prædeſtinationem Angelorum, vt patet ex ſupradictis, ergo cum Chriſtus ſit caput Angelorum, & merito ipſius ſit tribuendum totum id, quod poteſt, debet etiam tribui, quod meruerit gratiam, & gloriam: præſertim quia influxus gratiæ eſt principalis, & fundamentum cæterorum.

55 Ad primum reſpondetur. Ex illa parabola tantum colligi, quod Chriſtus non meruerit Angelis reparationē, ſicut meruit hominibus: quærere enim, quod perijt, eſt reparare, imo colligitur, quod meruerit gratiam, & gloriã, quia dicitur paſtor ipſorum: vnde habuit perducere ad paſcua vitæ æternæ quod ſit per gratiam. Ad ſecundum. Senſum Apoſtoli eſſe, quod nos, qui ſanctificamus per Chriſtum, communicemus ipſi in carne, & ſanguine vnde vult commendare beneficium, quod accepimus, dum Deus, qui eſt noſter ſanctificator, voluit aſſumere carnem noſtram; non autem dicit, quod omnes ſanctificati per ipſum, communicent carni, & ſanguini. Ad tertium. Licet Patres doceant, Angelos percepiſſe illam vtilitatem ex Chriſti aduentu; non tamen negant, quod fuerint ſãctificati ex meritis Chriſti. Deinde loquũtur ſolum de eo, quod habuerunt Angeli ex vi reparationis generis humani.

DE

Digitized by Google

DE CHRISTI SATISFACTIONE.

DISPVTATIO LXXXXIX.

An homo habeat iuſtitiam ad Deum.

SECTIO I.

1 VT videamus, an Chriſti ſatisfactio fuerit ſecundum iuſtitiam prius inquirendum eſt, an homo debeat aliquid ex iuſtitia ipſi Deo.

Supponendum eſt. Deum non habere obligationem iuſtitię propriè dictam reſpectu creaturæ ratione ſupremi dominij; ita vt quicquid eſt Creaturæ ſit ſub pleno dominio Dei; modo autem videndum eſt, an idem dicendum ſit de ipſa creatura.

2 Prima ſententia aſſerit, hominem habere iuſtitiam propriè dictam ad ipſum Deum, ita Suarez *opuſculo de Iuſtificatione ſect.2. & diſput.4.de Incarn. ſect.5.* Hurtadus *diſp.12.de Incarn.ſect.7.* & alij, qui tenent, Deum obligari ex iuſtitia reſpectu creaturæ. Probant, Deus ratione ſupremi dominij habet ius prælationis circa opera noſtra, ergo ſi ipſis vtamur contra ius Dei, peccamus contra Iuſtitiam; vnde peccatum eſt iniuria Dei. Secundò. Homo tenetur Deo ſatisfacere pro peccato; debitum autem ſatisfactionis oritur tantùm ex iuſtitia. Tertiò. In omni peccato peccator vtitur re aliena inuito Domino, quatenus vtitur ſe ipſo, & ſuis operibus contra voluntatem Dei, ergo. Quartò. Quando homini auffertur honor debitus, fit contra iuſtitiam; peccator autem auffert Deo honorem debitum. Quintò. Obſequium erga Deum eſt ſeruitus, Deuter.6. *Illi ſoli ſeruies*, ſeruitus autem eſt debita ſecundum iuſtitiam.

3 Secunda ſententia aſſerit, poſſe hominem habere Iuſtitiam reſpectu Dei, non tamen omne peccatum eſſe ſtrictè contra iuſtitiam, & rarò oriri obligationem iuſtitiæ ad ſatisfaciendum, ita quidam recentiores.

4 Tertia ſententia abſolutè negat in creatura iuſtitiam reſpectu Dei, ita Vaſquez *1.par.diſput.85.cap.4.*

5 Dico primò. *Creaturam non habere ad Deum iuſtitiam propriè dictam, quæ ſit ſpecialis virtus.* Probatur. Inter Deum, & Creaturam non interuenit ius quod eſt obiectum iuſtitiæ propriè dictæ, ergo Creatura non habet iuſtitiam reſpectu Dei. Antecedens probatur. Cum iuſtitia ſit conſtans voluntas reddendi vnicuique, quod ſuum eſt ius, quod eſt obiectum ipſius, importat proprietatem rei dependentem à voluntate aliena, per quam res appropriatur; Deus autem nõ poteſt habere aliquod ius, quod ipſi competat ex eo, quod res ipſi approprientur ex voluntate creaturæ, quia eſt eſſentialiter Dominus, & omnia ſunt propriè ipſius per eſſentiam; vnde non habet locum appropriatio facta per creaturam.

6 Dices. Ius de ſuo formali importare tantum poteſtatem ſupra vſum rei; quod autem tali, vel tali pacto ſe habeat, eſſe quid materiale, & ideò ſaluari in Deo ius propriè dictum, quia ſaluatur talis poteſtas. Contra. Hoc ius, quod ſaluatur in Deo, non eſt dependens à voluntate creaturæ, ergo in Creatura non eſt iuſtitia ad Deum, conferens ipſi hoc ius. Deinde hoc ius competit Deo per eſſentiam, ergo non eſt obiectum iuſtitiæ, quia ius, quod eſt obiectum ipſius, debet poſſe cauſari ab ipſa, quia iuſtitia eſt virtus practica.

7 Dico ſecundò. *Creaturam habere tantum iuſtitiam vniuerſalem, & legalem reſpectu Dei, quatenus ſecundũ ſua opera debet correſpondere iuri legali, quod Deus habet ſupra ipſam.* Probatur. Creatura tenetur tantum ponere in proprijs operationibus debitam rectitudinem, & ea poſita ſatisfacit adæquatè ſuæ obligationi, cum obligetur tantum ad operandum ſecundum dictamen rectæ rationis, ergo tenetur tantum ſecundum iuſtitiam legalem, quia hæc præſcribit rectitudinem cuiuslibet operationis.

8 Ad primum. Deum debere præferri omni creaturæ ex vi iuſtitiæ legalis, quia ipſa præſcribit, quod debeat eſſe finis vltimus in omni operatione, hinc peccatum habet rationem injuriæ, quia eſt contra hanc iuſtitiam.

Ad ſecundum. Debitum ſatisfactionis oriri ex læſione iuſtitiæ vniuerſalis.

Ad tertium. Peccatorem non vti re aliena contra voluntatem Dei abſolutè. Deinde ſi vteretur, conſurgeret tantum iniuſtitia oppoſita iuſtitiæ vniuerſali.

Ad quartum. Eſſe diſparem rationem, quia homines habent iura inuicem contradiſtincta, quæ ſunt iura particularia, Deus autem habet tantum ius vniuerſale, & ideò ipſum ſolum poteſt lædi, quatenus creatura ſe deordinat contra regulas iuſtitiæ vniuerſalis, non autem quia aliquid Deo auferatur.

Ad quintum. Obſequium erga Deum dici ſeruitutem, quatenus inſeruit gloriæ ipſius, non autem quia ſit debitum ex iuſtitia propriè dicta, vnde qui adimplent conſilia, dicuntur ſeruire Deo, licet non teneantur adimplere.

An Chriſtus ſatisfecerit pro peccatis totius generis humanis.

SECTIO II.

9 LIcet inter hominem, & Deum non poſſit eſſe iuſtitia, quę ſit ſpecialis virtus, adhuc tamen ratione iuſtitiæ vniuerſalis habet locum offenſa, & ſatisfactio. Eſt autem *Satisfactio redditio voluntaria æquiualentis pro æquiualenti.* Dicitur. *Redditio*, quia ſupponit aliquid ablatum, Dicitur *voluntaria*, ad differentiam ſatisfactionis, quia quis patitur ad æquiualentiam pro delicto commiſſo. Dicitur *æquiualentis pro æquiualenti*, vt ſeruetur æqualitas, per quam propriè conſtituitur ſatisfactio, quę de ſuo formali debet inęqualitatem reducere ad ęqualitatem.

10 Negant Hęretici, Chriſtum ſatisfeciſſe pro peccatis generis humani, & volunt, Chriſtum veniſſe ſolùm, vt doceret doctrina, & exemplo, ita Pelagiani. Probant. Nomina quibus in ſcriptura ſignificatur Chriſti ſatisfactio illi conueniunt tantum per metaphoram, vt cum dicitur emptio, redemptio, &c. Secundò. Opus redemptionis fuit opus gratiæ, & miſericordię, Ad Rom.3. & ad Epheſ. 1. ergo non interuenit ſatisfactio. Tertiò. Multi moriuntur in peccato originali, quod non contingeret, ſi Chriſtus ſatisfeciſſet pro ipſorum peccatis. Quartò. Cum non poſſit eſſe idem offenſus, & ſatisfaciens pro eadem offenſa, non potuit Chriſtus ſatisfacere pro iis peccatis, quę erant committenda contra ipſius humanitatem.

11 Dico primò. *Chriſtum verè, & propriè ſatisfeciſſe pro peccatis totius generis humani*, eſt de fide. Probatur 1. Ad Corinthior.6. *Empti enim eſtis pretio magno.* 1. Petri,1. *Non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis, ſed pretioſiſſimo ſanguine agni immaculati Chriſti.* 1. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*; quę omnia important ſatisfactionem placari iram Dei.

12 Dico ſecundò. *Chriſti ſatisfactionem fuiſſe ſufficientem tàm pro peccato, quàm pro pœna æterna peccato debita*, eſt de fide probatur Ioann.14. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*, quod non eſſet verum, niſi liberaſſet à morte ęterna, vnde dicitur Chriſtus nos liberaſſe à poteſtate Diaboli.

13 Dico tertiò. *Chriſti ſatisfactionem nedum fuiſſe ſufficientem, ſed etiam ſuperabundantem.* Eſt de fide, & traditur communiter à Patribus. Probatur. Ad Roman.5. *Si vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis abundantiam gratię, & iuſtitiam accipiemus.* Item. *Vbi abun-*

dauit

Digitized by Google

dauit delictum ſuperabundauit gratia.

13 Dico quartò. *Chriſtus ita ſatisfecit pro nobis, vt opus ſit applicatione, qua nobis applicetur ſatisfactio mediante noſtra operatione*. Eſt de fide. Probatur. Ad Hebræos 5. Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ: hinc inſtituta ſunt Sacramenta, quibus nobis applicarentur merita Chriſti.

14 Ad primum Hominem fuiſſe ſub poteſtate Diaboli vt definitur Concilio Triden. *ſeſſ.* 5. *in decreto de peccato originali*. Eius autem captiuitas conſiſtebat in obligatione ad pęnas, et in poteſtate Diaboli ad inducendum hominem tanquam ſeruum ad peccatum. Chriſtus autem abſtulit hanc captiuitatem ſatisfaciendo Deo; vnde licet in ſcriptura aliquando metaphoricè ſignificetur hæc ſatisfactio, propriè tamen habet rationem ſatisfactionis. Ad ſecundum. Fuiſse opus gratiæ, & miſericordiæ radicaliter; nō formaliter, quatenus ex gratia fuit, quod Deus mitteret Chriſtum redemptorem. Ad tertium. Non liberari homines ab originali, quia ipſis non applicatur ſatisfactio Chriſti; quæ tamen pro ipſis etiam oblata eſt. Ad quartum Chriſtum ſatisfeciſse pro peccatis factis contra ipſius humanitatem, quatenus erant Dei iniuria; vnde non fuit idem ſatisfaciens, & offenſus; vt autem erant iniuria ſui ipſius, ea liberaliter condonauit.

An Chriſti ſatisfactio habuerit ex ſe valorem, & condignitatem.

SECTIO III.

15 Prima ſententia vult, tantum fuiſſe condignam ex Dei acceptatione. ita Scotus *in 3. diſtinct.* 19. *&* 20. *quæſt.* 1. & *in* 4. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 1. Durandus *ibidem*, Almain *in* 3. *diſtinct.* 19. *&* 20. *quæſt.* 1. Maior. *ibidem*. Rada 3. *part. controuerſ.* 13. *art.* 2. *Concluſ.* 7. & communiter Scotiſtæ. Probant ſatisfactio Chriſti fuit ſecundum ius naturæ humanæ: offenſa verò contra ius naturæ Diuinæ, ergo non poteſt interuenire condignitas, ſecundò. Chriſtus non potuit reddere Deo æquale pro beneficijs acceptis; quia Deo, & parentibus non poteſt par ratio referri ex 5. *ethicorum cap.* 6. ergo non remanebat, per quid ſatisfaceret. Tertiò ſi Chriſtus per impoſſibile peccaſſet, non potuiſſet condignè ſatisfacere pro peccato proprio, ergo nec pro alieno. Quartò. Chriſtus potuit tantum vt homo ſe ſubmittere Deo, ergo cū ſatisfactio conſiſtat in ſubmiſſione, fuit minor quam offenſa, quia offenſa habet ſuam quantitatem à perſona leſa, ſatisfactio verò a ſubmiſſione. Quintò. Offenſa grauitas ſumitur etiam ex perſona ofendente, quæ diſtat infinitè à Deo laſo, ergo licet ſatisfactio Chriſti ſit condigna grauitati ſumptæ ex perſona offenſa, non tamen alteri grauitati, quæ eſt à perſona offendente.

16 Secunda ſententia aſſerit, Chriſti ſatisfactionem eſſe ex ſe condignam præciſa acceptatione. ita D. Thomas 3. *part. quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 2. Caietanus, & Medina *ibidem*. Vaſquez *diſput.* 5. *cap.* 2. Crabrera *diſp.* 4. §. 2. Raguſa *diſput.* 10. §. 2. Suarez *diſp.* 4. *ſect.* 2. Hurtad. *diſp.* 11. *de Incarn. ſect.* 1. §. 6. & communiter.

17 Notādum primò. Valorem ſatisfactionis creſcere ex dignitate ſatisfacientis quando cōſiſtit in obſequio perſonali, quo ſe ſubmittit offenſo. Ratio eſt. Quia talis ſatisfactio eſt quædam exhibitio, quā ſatisfaciens ſe exhibet in obſequium læſi.

18 Notandum ſecundò. Operationes ſumere effectiuè ſpecialem formam, & modum eſſendi ab operante, nedū phyſicè, ſed etiam moraliter, quia operans imprimit operationi illam determinationem, quam habet in ſe, & facit, vt habeant in actu ſecundo illam menſuram, quam habet ipſe in actu primo.

19 Notandum tertiò. Cum perſonalitas verbi verè terminet naturam humanam Chriſti, & ſuppoſitatio ſit quidam character naturæ, quo determinatur ad modum eſſendi per ſe incommunicabiliter, ſequitur quod natura humana acquirat modum eſſendi Diuinum, & dignitatem moralem Diuinam non participatiuè, ſed formaliter; quia perficitur phyſico modo per diuinam perſonalitatem.

20 Notandum quartò. Ex hoc fieri, quod ſuppoſitum Chriſti refundat ſuam dignitatem in operationes; quatenus dignificat ipſam naturam operantem vt *quo*. Hinc operationes Chriſti habent ſpecialem characterem conſiſtentem in quadam commenſuratione dignitatis ad ſuppoſitum Diuinum: vnde Dionyſius *Epiſtola* 1. *ad Caium* eas vocat Theandricas, hoc eſt Dei viri.

21 Dico primò. *Satisfactionem Chriſti fuiſſe ex ſe præciſa Dei acceptatione condignam*. deſumitur ex Agapito Papa *Epiſtola ad Antimum* vbi habet. *Quæ reconciliatio eſſe poteſt, qua humano generi reconcilietur Deus, ſi hominis cauſam mediator Dei, & hominum non ſuſciperet*, & à Caio Papa *Epiſtola* 1. *Decret*. *Nec eſt redemptio captiuitatis humanæ niſi in ſanguine eius*. ex Clemente VI. *in extrauaganti vnigetus*, vbi habet, Guttam ſanguinis Chriſti, propter vnionem ad Verbum, potuiſſe ſufficere pro benedictione generis humani. Probatur: Ad Hebr. 10. *Impoſſibile eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccatum, ideo ingrediens mundum dixit, hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi*; loquitur autem de Chriſto, & eius ſatisfactione. Non fuiſſet autem impoſſibile, ſanguine taurorum ſatisfieri pro peccatis, ſi Chriſtus ſatisfeciſſet tantum ex Dei acceptatione, quia potuiſset Deus acceptare etiam hæc ſacrificia.

22 Reſp. Scotus. Fuiſſe ſuperabundantem ex Dei acceptatione; non in ſe, ſed in effectu. Contra. Quia eodem pacto potuiſſet eſſe ſuperabundans in effectu alterius ſatisfacientis; atq; adeò potuiſſet fieri ſanguine taurorū etc.

23 Dico ſecundò. *Satisfactionem Chriſti habuiſſe hanc condignitatem ex vi vnionis hypoſtaticæ*. Probatur. Tunc ſatisfactio ex natura ſua eſt condigna, & tanti valoris, quando eſt tanta, quanta eſt grauitas offenſæ, ſed ſatisfactio Chriſti fuit æqualis valoris ex vi vnionis hypoſtaticæ, ergo. Minor probatur. Quia perſona ſatisfaciens fuit infinita non ſecus ac perſona offenſa; vnde potuit refundere in ſatisfactionem tantam dignitatem, quantam grauitatem potuit refundere perſona offenſa.

24 Dices. Suppoſitum non influere in operationes, ſed tantum naturam. Contra. Licet non influat vt principiū, *quo*, complet tamen principium, *quod*, & ipſum dignificat, & determinat in ſuo modo eſſendi, ergo influit moralem, dignitatem, quatenus eleuat naturam ad modum eſſendi Diuinum, atque adeò etiam operationes.

25 Obijcies. Perſona offenſa fuit Deus ſecundum ſe, ita vt nulla conditio modificaret eius dignitatem: perſona autem ſatisfaciens, licet ſit Diuina, eſt tamen modificata ſecundum dignitatem, quia illam communicat tantùm finito modo mediante vnione hypoſtatica finita. Reſpondetur negando conſequentiam. Nam operationes habent ordinem immediatum ad ſuppoſitum, & ideo ſumunt ab ipſo immediatè dignitatem, & licet ex natura operationis limitetur, vt ſtet in ipſa finito modo, quia tamen grauitas iniuriæ ſtat finito modo in offenſa; ideò adhuc ſeruatur æqualitas.

26 Ad primùm ſatisfactionem fuiſse quidem ſecundum ius naturæ humanæ, ſed tamen vt eleuatæ, & ſubſtentatæ à perſona Diuina, atque adeò ab ipſa dignificatæ, ex quo prouenit ęqualitas. Ad ſecundum. Ariſtotelem loqui de æquiualenti, non quomodocunque, ſed quod abſoluat ab obligatione erga Deum, & parentes, quicquid enim faciat homo, ſemper remanet obligatus ad obſequium, licet pro aliquo titulo redderet ęquale. Rurſus licet opera Chriſti fuerint debita ex gratitudine, quia tamen idem opus eſt capax ex natura ſua, vt offeratur pluribus titulis, cum poſſit habere omnes illas rationes, ſecundum quas poteſt ordinari

Digitized by Google

ordinari ad vltimum finem, ideò potuerunt offerri etiam per modum obſequij placatiui. Ad 3. Si Chriſtus peccaſſet, ſequuta fuiſſet contradictio; potuiſſet enim ſatisfacere, quia erat perſona infinita, & non potuiſſet, quia fuiſſet inimicus Dei. Quando enim in antecedenti ponitur contradictio, qualis eſt, quod in natura humana ſit vnio hypoſtatica, & peccet, ſequitur etiam in conſequenti. Ad 4. Licet principium, *quo*, ſubmiſſionis fuerit natura humana, quia tamen verbum aſſumpſit ius naturæ humanæ, & illud Deo ſubmiſit, fuit ſubmiſſio perſonæ æqualis, atque adeò cum æqualitate ad offenſam. Ad 5. Grauitatem offenſæ deſumi per accidens ex perſona offendente, atq. adeò non eſſe diuerſam ab ea, quæ ſumitur à perſona offenſa.

27 Quæres. An valor operum Chriſti fuerit vnus. Reſpondetur contra Raguſam *diſp.16.de Incarn.* Fuiſſe multiplicem; quia licet dignitas perſonæ fuerit vna, dignificabat tamen ſingulas operationes Chriſti, ita vt quælibet ſeorſim ab alia habuerit ſuam dignitatem, & valorem, fuit tamen vnus integritate, quatenus Chriſtus obtulit omnes ſuas actiones pro ſatisfactione.

Vnde ſumatur valor perſonalis operum Chriſti.

SECTIO IV.

28 DIco 1. *Non deſumi à Deitate, prout per modū naturæ eſt in Chriſto, & ſanctificat humanitatem*, ita Raguſ. *diſp.12.de Incarn.* contra Vaſquez *diſput.5.cap.5.& diſp.6.cap.2.* Probatur. Patres tribuunt valorem operibus Chriſti, quatenus ex vi vnionis hypoſtaticæ fiunt propriè ſuppoſiti Diuini, ergo illum non habent ex eo, quòd Deitas ſanctificet humanitatem.

29 Dices. Si ſaltem per impoſſibile natura aſſumpta à Verbo haberet peccatum habituale, opera illius ſuppoſiti non haberent valorem, quia eſſent opera inimici, & tamen eſſent opera ſuppoſiti Diuini, ergo de facto habent valorem, quia humanitas ſanctificatur à Deitate. Reſpondetur. Implicare, humanitatem aſſumi ad filiationem Dei naturalem, & eſſe inimicam Dei, vnde ſicuti in ſuppoſitione ponuntur implicantiæ, ita etiam deducuntur, vnde illa opera eſſent grata Deo, & non eſſent, ſicut eſſet operans.

30 Dico 2. *Valorem deſumi à ſuppoſito ex eo, quod dignificat actum*, ita communiter Patres, dum ex qualitate operantis colligunt dignitatem operationis. Probatur. Natura humana per perſonalitatem Diuinam completur in ratione principij in ordine ad operandum, ergo ratione ſuppoſiti Diuini operatio eleuatur ad ſuam dignitatem, quatenus participat proportionaliter eundem modum eſſendi.

31 Dices. Actio calefactiua non tribuitur aquæ calidæ, etiam ſi ſubſtentet calorem, ergo licet ſuppoſitum Diuinum ſubſtentet humanitatem, non tribuetur ipſi actio humanitatis. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia aqua non determinatur à calore in ordine ad modum operandi, ſicut determinatur natura à ſubſiſtentia Diuina.

Quem valorem habeant operationes Chriſti ex re oblata.

SECTIO V.

32 CErtum eſt de fide, Chriſtum obtuliſſe ſe ipſum pro genere humano iuxta illud 1. Ad Timoth. 2. *Dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*, & ad Gal. 1. *Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris*. Quæritur ergo an, talis oblatio habuerit æqualem valorem ex re oblata cum eo, quem habuit ex perſona offerente.

33 Prima Sententia eſt negatiua, ita Suarez *diſput.4. de Incarn. ſect.4.* Vaſquez *diſp.6.cap.2.* Crabrera *q.1. art. 2.diſp.6.§.3.* Probant. Chriſtus fuit oblatus in templo à B. Virgine, & tamen illa oblatio non fuit tanti valoris, quanti ſunt actiones Chriſti, ergo 2. Obiectum non dat actui valorem ſibi proportionatum, ſed ſecundum menſurā, qua attingitur, vt patet in actibus virtutum Theologicarum, perſona autem dat valorem ſibi proportionatū.

34 Secunda ſententia eſt affirmatiua, ita Raguſ. *diſp.14. de Incarn.* & alij.

35 Dico 1. *Satisfactionem, & pretium redemptionis, quo Chriſtus redemit genus humanum, eſſe vnum, & idem* ita D. Thom. *3.p.q.48.art.4.* Probatur. Redemptio fuit neceſſaria ad tollendam captiuitatem hominis, ſub qua tenebatur, ob iniuriam factam Deo, ergo fuit formaliter ſatisfactio, quia quod erat reddendum pro iniuria illata, erat debita ſatisfactio, & rurſus, quod erat ſoluendum pro redemptione, erat compenſatio iniuriæ, quia tota captiuitas fundabatur in ratione debiti.

36 Dico 2. *Satisfactionem Chriſti ſumere valorem ex re oblata*. Probatur. In ſatisfactione nedum attenditur perſona ſatisfaciens, ſed etiam qualitas obſequij, & ſubmiſſionis, quia cum ſit quædam compenſatio, eò maior eſt quò plus offertur, ergo cum in Chriſti ſatisfactione ita ſe ipſum ſubmiſerit, vt dederit ſe ipſum in ſacrificium propitiatorium, ex re quoque oblata deſumetur valor.

37 Dico 3. *Valorē qui ſumitur ex re oblata, eſſe æqualem illi, qui ſumitur à perſona operante*. Probatur 1. Petri 1. *Non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti*, qui modus loquendi ſignificat valorem incomparabilem, vnde Patres, dum docent, valorem redemptionis eſſe ſuperabundantem, & incomparabilem, deſumunt hunc exceſſum ex re oblata; vt Cyrillus Alexandrinus *epiſtola ad Max.* Nazianzenus *orat.42.* Ambroſius *in Pſalm.35.* Clemens VI. *in extrauagan. Vnigenitus*. Et ratio eſt. Quia quo magis creſcit res oblata, creſcit etiam dignitas oblationis.

38 Dico 4. *Valorem ex re oblata coaleſcere in vnum cum valore ex perſona offerente*. Probatur. Valor ex re oblata eſt valor oblationis, & oblatio eſt actus offerentis, actus autem ſecundùm eſſe quod habet, eſt dignificabilis ab ipſa perſona. ergo

39 Ad 1. Chriſtum diuerſo modo ſe ipſum obtuliſſe, ac fuerit oblatus à B. Virgine, quia videlicet habebat plenū dominium ſupra ſe ipſum, vnde etiam plenè ſe ipſum obtulit quod non potuit B. Virgo defectu talis dominij, vt etiam contingit in alijs oblationibus, in quibus Chriſtus, & eius merita à nobis offeruntur. Ad 2. Chriſtum non fuiſſe obiectum formale, ſed materiam oblationis, qui, ſi plenè offeratur, dat oblationi dignitatem ſibi correſpondentem, actus autem virtutum Theologicarum non attingunt Deum, quantum eſt attingibilis, nec habent ipſum pro materia, quæ alteri tradatur, & ideò non ſumunt ab ipſo valorem.

In quo conſiſtat valor operum Chriſti.

SECTIO VI.

40 DIco 1. *Non conſiſtere in aliquo ente rationis*. Probatur. Debet interuenire vera, & realis dignitas, alioquin non plus aptæ fuiſſent ad ſatisfaciendum actiones Chriſti, quàm puri hominis. ergo

41 Dico 2. *Neq. conſiſtere in aliqua denominatione extrinſeca deſumpta à dignitate perſonæ*, Eſt cōtra nōnullos recētiores. Proba. Dignitas operationū Chriſti reddit eas verè æſtimabiles ſupra alias, quod fieri nō poteſt, niſi rōe alicuius poſitiui, quia res æſtimatur, inquantum eſt. ergo

42 Dico 3. *Neque importare dignitatem perſonæ, quæ per modum formæ extrinſecæ dignificet*. Eſt contra Rag. *diſput.15. de Incarn.* Prob. Valor operum Chriſti debet eſſe ſub dominio humanæ voluntatis ipſius, Tum quia debuit ipſum offerre, Tum quia erat Dominus illius, dignitas autem perſonæ non eſt ſub dominio humanæ voluntatis Chriſti.

Digitized by Google

43 Dico quartò. *Conſiſtere formaliter in aliquo morali intrinſeco, quod conſurgit per modum formæ in ipſa operatione ex eo, quod dicit realem habitudinem ad ſuppoſitum Diuinum.* Prob. Actus ſecundus, cum ſit exercitium actus primi, commenſuratur cum ipſo, ita vt dicat in actu exercito, quod dicit actus primus, prout applicatur ad operandum, ergo cum applicetur ſecundum dignitatem, dicet in actu exercito dignitatem operantis.

44 Obijcit Ragula. Si dependentia à ſuppoſito Diuino eſſet de intrinſeca ratione actuum Chriſti, non poſſet Angelus naturali lumine illos cognoſcere. Reſpondetur: negando ſequellam. Quia ſicuti naturali lumine cognoſcit naturam humanam Chriſti eſſe in ſtatu operandi non cognita perſonalitate, ita etiam cognoſcet actus Chriſti cum ordine ad illam naturam, quam ſcit eſſe ſuppoſitatam, licet non videat perſonalitatem; atque adeò cognoſcet in actu dependentiam à ſuppoſito, licet non cognoſcat determinate ſuppoſitum.

45 Obijcit ſecundò. Dignitas meritoria non eſt quid reale in noſtra operatione, quia non dicit ordinem ad gratiam habitualem, ergo nec in actibus Chriſti. Reſp. negando antecedens. Quia cum gratia habitualis ſit vita ſupernaturalis; actus ſupernaturalis eſt exercitium talis vitæ: vnde dicit ordinem ad ipſam. Deinde negatur conſequentia. Quia gratia non conſtituit principium *quod*, ſicut conſtituit perſonalitas Diuina.

46 Obijcitur tertiò. Sequeretur, quod actus eſſet in eodem gradu dignitatis, in quo eſt perſona. Reſpond. Eſſe in eodem gradu proportionaliter, videlicet finito modo, quia ratione principij, *quo*, limitatur perſona infinita, vt influat dignitatem finito modo.

An valor Chriſti fuerit infinitus.

SECTIO VII.

47 PRima ſententia aſſerit fuiſſe infinitum. Ita Capr. *in 3. diſtinct. 20. art. 2.* Palud. *quæſt. 2.* Richardus *quæſt. 4.* Ferrar. 4. *contra gentes. cap. 55.* Sotus *in 4. diſtinct. 1. quæſt. 3. art. 5.* Caietanus 3. *part. quæſt. 1. art. 2.* Suarez diſput. 4. *de Incarnat. ſect.* 4. Vaſquez *diſput. 6. cap. 2.* Ragula *diſput. 11.* Hurtadus *diſput. 11. ſect. 3.* Vadingus *diſput. 2. dub. 2.* & communiter Recentiores, qui etiam citant D. Thomam pluribus in locis, qui tamen loquitur de infinitate impropriè dicta. Probatur. Scriptura id ſignificat, dum ponit prætium noſtræ redemptionis inæquiparabile, vt 1. Petri 1. 2. Clemens VI. in *extrauag. vnigenitus*, habet, Chriſtum reliquiſſe infinitum theſaurum eccleſiæ, de cuius diminutione non eſt formidandum propter infinita merita Chriſti, & Chryſoſtomus *homilia* 10. *in cap. 5. Epiſtol. ad Roman.* ait ſatisfactionem Chriſti ſuperaſſe noſtrum debitum, ſicuti infinita auri talenta debitum decem obolorum: ſecūdò. Valor creſcit ex dignitate perſonæ, ergo erit infinitus, cum perſona ſit infinita. Tertiò. Valor operum Chriſti ſufficit pro omni grauitate, & numero iniuriarum poſſibilium, & eſt totus in actu, ergo cum iniuriæ poſſibiles ſint infinitæ, etiam valor erit infinitus. Quartò: ſatiſfactio Chriſti non eſt minoris valoris reſpectu collectionis omnium peccatorum, quàm reſpectu vnius, hoc autem fieri non poteſt, niſi ſit infinitus. Quintò: opera Chriſti præciſa dignitate perſonæ ſunt digna magno præmio, ergo habita dignitate perſonę exigunt præmium infinitum, cum finitum non ſit magnum reſpectu perſonæ infinitæ, ergo habent valorem infinitum.

48 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita qui docent, opera Chriſti habuiſſe valorem condignum tantum ex Dei acceptatione extrinſeca, quos ſupracitauimus.

49 Dico primò. *Valorem operum Chriſti non fuiſſe infinitum ſimpliciter.* Probatur. Intra ordinem moralem ſecundum rationem valoris eſt in genere determinato, cùm non dicat omnem rationem valoris, & ſit poſſibilis alius valor, qui non ſit participatus ab ipſo, Nam potuiſſet Deus producere alias creaturas rationales in ordine gratiæ independentes à Chriſto vt à capite, et poſſent habere valorem ſuis operationibus independenter ab ipſo, ergo non eſt infinitus ſimpliciter.

50 Dices. Eſſe infinitum, quia ob ſuam eminentiam æquiualet omnibus valoribus. Contra. Ex hoc tantùm ſequitur, quod ſit eminentiſſimus; non autem, quod infinitus.

51 Dico ſecundò. *Nec etiam eſſe infinitum in genere.* Deſumitur ex D. Thoma, quatenus negat eſſe poſſibile infinitum in genere; rationes enim, quæ procedunt pro impoſſibilitate infiniti phyſici, procedunt etiam proportionaliter de infinito quoad eſſe morale. Probatur. Infinitas ſuppoſiti Diuini non poteſt communicare infinitatem valoris, ergo. Antecedens probatur. Communicatio debet fieri ſecundùm capacitatem ſubiecti, ſubiectum autem finitum, cum habeat capacitatem finitam, poteſt tantum finito modo participare rem infinitā; vnde perſonalitas Diuina tantum finito modo ſe communicat naturæ; & Deus in ratione ſummi boni tantum finito modo ſe communicat beatis, ergo etiam natura humana, & operatio Chriſti poſſunt tantum finito modo dignificari ab infinita dignitate Dei.

52 Dices. Se communicare finito modo ſecundùm eſſe phyſicum: non autem ſecundùm eſſe morale. Contra. Ideo communicatur finito modo ſecundùm eſſe phyſicū, quia ſubiectum ratione ſuæ finitatis habet capacitatem finitam; ſed etiam ſecundùm eſſe morale habet capacitatem finitam, ergo. Confirmatur. Si eſſet infinitus, eſſet talis ratione ſuæ excellentiæ, per quam excedit omnes alios valores; atque adeo ratione ſuę quidditatis, in qua fundatur excellentia, ſecundùm hanc autem non eſt infinitus, quia eſt quidditas determinata in certo genere.

53 Dico tertiò. *Valorem operum Chriſti fuiſſe ſummū poſſibilem, ita vt non poſſit eſſe maior.* Probatur. Valor creſcit proportionaliter ex dignitate perſonæ, ergo cum non poſſit dari natura creata, quæ ſubſiſtat in perſona digniori, quàm Diuina, nec etiam poterit dari valor maior, quàm ſit in actibus Chriſti.

54 Dico quartò *Hunc valorem eſſe infinitum ſyncategorematicè, non formaliter, cum non habeat partes ſecundùm quas poſſit correſpondere maiori, & maiori valori, ſed eminenter per æquiualentiam eminentialem ex eo, quòd eſt in ſupremo ordine.* Probatur. Eſt valor in ſupremo ordine, ergo habet hanc infinitatē; quia ſupremum continet per æquiualentiā perfectiones inferioris ordinis.

55 Dices. Si æquiualeret omnibus valoribus, eſſet in ſe ipſo formaliter infinitus, quia diceret vnam rationem valoris, in qua omnes alij continerentur. Reſpondetur negando ſequellam. Quia non ęquiualet per cauſalem continentiam, qua ſi ſit cauſa omnium valorum, ſed tantùm per æquiualentiam in ordine ad præmium quatenus eſt ſufficiens pro omni præmio poſſibili.

56 Dices ſecundò. Poſita quacunque re perfecta, poteſt Deus facere perfectiorem, ergo etiam valorem perfectiorem, quàm ſit valor operum Chriſti. Reſp. negando conſequentiam. Quia hic valor non eſt terminus Diuinæ potentiæ, ſed prouenit à Diuino ſuppoſito, vnde ipſi commenſuratur ſecundùm capacitatem actus creati.

57 Dices 3. Si peccatum eſſet infinita offenſa, adhuc ſatiſfactio Chriſti eſſet ſufficiens pro ipſo, ergo infinita Reſp. neg. conſeq. Quia adhuc peccatum non requireret ſatisfactionem niſi perſonæ infinitæ; non quia non poteſt exigere, niſi ſummam ſatisfactionem poſſibilem. Tū quia ſufficit æqualitas perſonæ ſatiſfacientis cū perſona lęſa, vt fiat ſufficiens ſatiſfactio. Deinde in illa hypotheſi ſatiſfactio haberet infinitatem ſicut haberet peccatum, quia quod daret infinitatem peccato, tribueret etiam proportionaliter ſatisfactioni.

58 Ad primum Reſpond. Ex ſcriptura nihil aliud colligi quam ſuperabundantiam ſatisfactionis Chriſti. Ad 2. & eius confirmationē reſpōdetur procedere tantū de infinitate

tate

Digitized by Google

tate ſyncategorematica modo explicato. Ad 3. Hunc valorem creſcere proportionaliter ad dignitatem perſonæ; ſed ſecundum menſuram, qua poteſt ſe communicare ſubiecto, non poteſt autem ſe communicare, niſi finito modo ergo. Ad 4. Sufficere infinitatem ſyncategorematicam, quia præmia, & iniuriæ habent tantum infinitatem ſyncategorematicam etiam ſi conſiderentur ſecundum totam ſuã poſſibilitatem. Ad 5. negatur minor. Nã ſatisfactio Chriſti nõ eſt minoris valoris reſpectu totius collectionis peccatorum, quia tota collectio non requirit maiorem ſatisfactionem, quàm requirunt ſingula peccata; nam quodlibet peccatum ſeorſim requirit ſummam ſatisfactionem. Ad 6. negatur conſeq. Nam omne præmium poſſibile non eſt infinitũ, niſi ſyncategorematicè; & ideo ex eo, quod perſonę infinitæ debeatur magnum prěmium, ſequitur tantũ, quod debeatur infinitum ſyncategorematicè. Deinde argumentum ſolum probat, quod ratione infinitatis perſonę debeatur prěmium infinitum; non autem ratione infinitatis valoris, qui ſit in actu.

59 Ex his Colligitur non potuiſſe Chriſtum plus mereri, quàm poſſit Deus facere. Tum quia non potuit mereri impoſſibile. Tum quia meritum, & præmium dicuntur relatiuè, vnde vnum non poteſt excedi ab alio. Et licet per vnicum actum potuerit mereri quicquid Deus poteſt facere, non tamen per alios potuit plus mereri, quia cæteri actus non fuiſſent applicabiles ad aliud præmium.

60 Colligitur 2. Quod ſi Deus intuitu meritorum Chriſti faceret aliam vnionem hypoſtaticam, quã alia perſona Diuina aſſumeret aliam naturam; adhuc valor operum Chriſti poſſet alia obtinere, quia poteſt indiuiſibiliter applicari pro ſingulis præmijs.

DE CONDITIONIBVS IVSTITIAE ſatisfactionis Chriſti.

DISPVTATIO C.

An Chriſti ſatisfactio ſit ad alterum.

SECTIO I.

1 Ariſtoteles 5. *Ethic. cap.* 1. & 2. docet ad ſe ipſũ non eſſe iniuſtitiam, quia nemo vult lædere ſe ipſum, ex quo etiã fit, quod nec ad ſe ipſum poſſit eſſe ſatisfactio, cum ſatisfactio ſupponat iniuriam, vnde difficultas eſt, quomodo Chriſtus, cùm ſit perſona Diuina, potuerit ſatisfacere Deo, omiſſis autem varijs reſponſionibus;

2 Dicendum eſt. *Ad ſatisfactionẽ, ſeu iuſtitiam exercendam per accidens requiri diſtinctionem ſuppoſitorum, quatenus ex ipſis infertur diſtinctio naturarum, & diuerſitas iurium, atq. adeò Chriſti ſatisfactionem fuiſſe ad alterum ſecundum iura diuerſa Diuinum, & humanum, ratione quorum potuit conſurgere debita æqualitas.* Probat. Satisfactio de ſuo formali importat adæquationem iuriũ; hæc autem adæquatio poteſt fieri ab vna, & eadem perſona, quæ in ſe ſubſtentet diuerſa iura fundata in diuerſis naturis. Hoc autem contingit in Chriſto, quia ſubſtentabat ius naturæ Diuinæ, & humanæ.

3 Obijcit Vaſquez. Per hoc non ſaluatur, quod ſatisfactio ſit ad alterum, ſed tantùm, quod ſit eiuſdem ad ſe ipſum ſecundum alteram, & alteram naturam. Reſpondetur Non ſaluari quod ſit ad alterum, alteritate ſuppoſiti concedo; alteritate iuris, nego. Alteritas autem ſuppoſiti eſt ſolum neceſſaria, vt habeatur alteritas iuris.

4 Inſtabis. Neque eſſe ad alterum alteritate iuris, quia ius hominis eſt ſub iure Dei, vnde 5. *Ethic.* 6. habetur. Inter Dominum, & ſeruum nõ poſſe eſſe iuſtitiam, quia ſeruus non habet proprium ius. Reſpondetur. Ex hoc fieri, quod non ſit iuſtitia propriè dicta, non autem, quod non interueniant diuerſa iura, quia ius hominis eſt diuerſum à iure Dei, licet ipſi ſubordinatum.

5 Obijcitur 2. Principium ſatisfaciendi fuit etiam ſubſiſtentia Diuina, vt dignificans, ergo. Reſpondet. Licet dignificet, non tamen fundat ius, ſecundum quod eſt facta ſatisfactio, quia tale ius fundatur in principio morali dominatiuo, quod eſt voluntas creata.

An Chriſti ſatisfactio defecerit à Iuſtitia, quia ipſe non tenebatur ſatisfacere.

SECTIO II.

6 Difficultas eſt, an de ratione ſatisfactionis, & iuſtitię ſit, quod fiat ab eo, qui læſit, an verò poſſit eſſe ab alio.

Prima ſententia negat, ita Suarez *diſp.* 4. *de Incar. ſec.* 6. & alij. Prob. Iuſtitia ſolum intendit ſeruare ius alienum, ergo parum refert, quod ab hoc, vel ab alio reſtituatur in priſtinum ſtatũ, quando eſt læſum 2. Cum quis alteri detrahit, ſi ſciat iacturam famæ eſſe alio modo compenſatã, non tenetur ad reſtitutionem. ergo

7 Secunda ſententia eſt affirmatiua, & proinde vult, ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe ſecundum iuſtitiam defectu huius conditionis. Ita Recentiores nonnulli.

8 Dico 1. *Ad ſatisfactionẽ ex iuſtitia requiri, quod fiat ab eo, qui lęſit.* Prob. In conſtituenda æqualitate iuſtitiæ ideſt reſtituẽdũ, ſupra quod læſus habet ius, læſus aũt per iniuriã ab alio habet ius ſupra ſatisfactionem propriæ excellentię, quam ille tenetur exhibere, à quo eſt lęſus, ita vt ius ſit ad compellendam voluntatem illius, qui lęſit, ad hanc teſtificationem. ergo

9 Dico 2. *Ratione huius conditionis Chriſti ſatisfactionẽ non defeciſſe à vera ratione iuſtitiæ.* Probat. Ideò defectu huius conditionis nõ haberetur vera iuſtitia, quia nõ redditur id, ſupra quod lęſus habet ius. Sed in Chriſti ſatisfactione redditur totũ id, ſupra quod Deus habet ius, ergo. Minor prob. Chriſtus aſſumpſit cauſam generis humani, & tanquam caput ſatisfecit nomine ipſius habens ſibi alligatas voluntates hominum, non ſolum interpretatiuè, ſed etiam formaliter per actuale obſequium ipſorum, ergo per ipſum redditur Deo illa teſtificatio excellentię, quam tenetur reddere quilibet homo. Antecedens probatur. Quia Chriſti ſatisfactio non completur, quoad effectum, niſi pro ijs, qui cooperantur per proprium obſequium.

10 Dices. Ergo Chriſtus non plenè ſatisfecit, ſed homo etiam ſatisfacit. Reſpondetur. Non plenè ſatisfecit quò ad condignitatem, & nego, quò ad effectum, & applicationem ſatisfactionis, & concedo. Quia, vt Chriſti ſatisfactio habeat ſuum effectum, debet interuenire actualis conuerſio hominis in Deum.

11 Dices 2. ſequeretur, quod homo non iuſtificaretur gratis, quia cooperatur ſatisfactioni Chriſti, ratione cuius fit remiſſio iniurię. Reſpond. negando ſequellam. Quia condigna ſatisfactio non eſt ex nobis, ſed ex meritis Chriſti, & nobis gratis applicata.

12 Dices 3. Opera Chriſti non ſatisfaciunt, niſi vt dignificata; vt autem talia, neque moraliter ſunt noſtra, ergo. Reſpondetur. Eſſe moraliter noſtra, quia ſunt capitis in quo repræſentatur totum genus humanum, & offeruntur à Chriſto nomine ipſius.

13 Ad 1. Reſpondetur. Non poſſe ſeruari iuſtitiam, niſi ſatisfactio ſit aliquo modo ab offendente, ſatisfactio autem pro peccato fuit aliquo modo ab offendente, quatenus fuit à capite generis humani. Ad 2. negatur paritas. Quia in illo caſu ſupponitur poſitum id, ad quod lęſus habet ius, quia iam habet bonam famam, in caſu autem noſtro lęſus habet ius ſupra obſequium offendentis, & ideò niſi ipſum ponatur, non reſtituitur quod debetur.

Digitized by Google

An ad complendam Chriſti ſatisfactionem requiratur acceptatio.

SECTIO III.

14 Licet ſatisfactio Chriſti fuerit cõdigna, quia tamẽ nõ eſt exhibita ab eo, qui tenebatur ſatisfacere. Difficultas eſt, an fuerit neceſſarium, quod Deus illam acceptaret pro debito generis humani, an verò ex natura ſua abſq; tali acceptatione extinxerit debitum?

15 Prima ſententia aſſerit fuiſſe neceſſariam acceptationem, ita Vaſquez *diſp. 9. de Incarnat. cap. 2.* & alij. Probant. Nulla actio ex natura ſua tollit debitum culpæ, aut pœnæ, cum nulla ex natura ſua tollat peccatum, ergo. Secundò. Cum quis ſecundum legem incurrit pœnam corporalem, ſi pecunia ſe redimat, non ſatisfacit ſine benigna acceptatione creditoris, ergo cum homo incurrerit reatum pœnæ, non potuit Chriſtus ſatisfacere pro ipſo ſine acceptatione.

16 Secunda ſententia aſſerit non fuiſſe neceſſarium, ita Vega *lib. 7. in Concilium Trid. cap. 9.* Suarez *diſput. 4. de Incarnat. ſectio 5.* Crabrera *3. par. quæſt. 1. art. 2. diſp. 7. §. 6.*

17 Dico 1. *Si in ſatisfactione offeratur, totum quod eſt debitum ex vi iuſtitiæ cum omnibus conditionibus requiſitis, non requiritur aliqua acceptatio, ſed ex natura rei extinguitur ius creditoris.* Prob. Ponitur tota æqualitas, quæ requiritur ex vi iuſtitiæ, quæ non dat ius, niſi ad debitã æqualitatẽ, ergo ex natura rei extinguitur ius creditoris, quia læſus habet tãtum ius ad debitam æqualitatem.

18 Dico 2. *Chriſti ſatisfactionem eſſe talem, vt ſi non eſt neceſſaria Dei acceptatio, vt compenſet iniuriam, neque etiam eſt neceſſaria, vt tollat alterum effectum peccati, videlicet reatum culpæ, & pœnæ,* eſt cõtra Raguſam *diſput. 21. de Incarnat.* Probatur. Effectus peccati, qui conſiſtit in priuatione amicitiæ Dei, & deſtinatione ad pœnas, eſt connexus cum primo effectu, quia homo in tãtum eſt inimicus, & deſtinatus ad pœnam, inquantũ Deum offendit, ergo facta compenſatione iniuriæ, debet ceſſare id, quod eſt debitum ratione iniuriæ.

19 Dices. Non eſſe neceſſe, vt ad remiſſionem iniuriæ ſequatur reconciliatio, vt patet in nobis. Contra. Non poteſt remitti iniuria perſeuerante auerſione peccatoris à Deo, cum in ipſa auerſione formaliter conſiſtat peccatum, atque adeò offenſa Dei, ergo non poteſt remitti, niſi ponatur conuerſio oppoſito; atque adeò gratia habitualis, & acceptatio in amicum.

20 Dices 2. Ratione peccati periiſſe ius noſtrum ad gratiam. Contra. Intantùm perijt, in quantùm Deus illam ſubtraxit in pœnam peccati, ergo cum poſita debita ſatisfactione extinguatur ius Dei ad puniendum, debet etiam ceſſare pœna.

21 Dico 3. *Cum quis eſt impotens ad ſatisfaciendum de condigno, & alter pro ipſo ſatisfacit, ita tamen vt accedat voluntas ipſius cum illa ſatisfactione, quam poteſt exhibere, adhuc ex natura rei extinguitur ius læſi, nec eſt neceſſaria benigna acceptatio.* Probatur. Iuſtitia non dat ius, niſi ad poſſibile, ergo cum quis eſt impotens ad condignè ſatisfaciendum, & alius pro ipſo ſatisfacit, exhibetur illa condigna ſatisfactio, quæ eſt poſſibilis, ergo læſus non habet aliud ius ad alium modum ſatisfactionis.

22 Dico 4. *Ad ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe neceſſariam Dei acceptationem, ſed ex natura ſua extinxiſſe debitum.* Probat. Hæc ſatisfactio fuit oblata à Chriſto vt à capite nomine generis humani, & fuit cõdigna, & adfuit noſter conſenſus interpretatiuè in voluntate Chriſti, & formaliter, quando per noſtrum obſequium nobis applicatur ſatisfactio, ergo poſuit debitam æqualitatem, tàm in re, in qua erat illatum damnum, quàm in perſona, quæ intulit, ergo ex natura ſua extinxit debitum.

23 Dico 5. *Chriſti ſatisfactionem ex natura ſua abſque acceptatione extinxiſſe ius Dei, vt iudicis ad puniendum.* Eſt contra. Raguſam *citatum*. Probatur. Chriſti ſatisfactio ponit æqualitatem, quam Deus vt iudex poteſt exigere, ergo extinguit ius Dei, vt iudicis. Antecedens probatur. Quia Iudex habet tantum ius ad illam æqualitatem, qua conſtituitur debitus ordo Reipublicæ; Chriſti autem ſatisfactio ponit hanc æqualitatem, quia reſpublica rationalis creaturæ non exigit, niſi illam æqualitatem per quam creatura rationalis debito modo ſit ordinata, cum vltimo fine. Chriſti autem ſatisfactio ponit hanc æqualitatem, & ordinem, cum ſubijciat creaturam Deo vt vltimo fine per debitum obſequium.

24 Ad 1. Reſpondetur. Nullam actionem tollere peccatum in genere cauſæ formalis; Chriſti autem ſatisfactio tollit in genere efficientis, quatenus extinguendo ius fundatum in iniuria, tollit etiam ea, quæ conſequuntur ad iniuriam. Ad ſecundum negatur conſequentia. Quia Chriſti ſatisfactio extinguit etiam ius, quod habet Deus vt iudex, inducendo debitam æqualitatem, quam exigit reſpublica.

An in Deo fuerit obligatio acceptandi Chriſti ſatisfactionem.

SECTIO IV.

25 Prima ſententia eſt negatiua, ita Medina *3. p. q. 1. art. 2.* Suarez *diſp. 4. de Incarn. ſect. 5.* Vaſquez *diſp. 9. cap. 3.* Meratius *diſp. 8. ſect. 1.* & alij. Prob. Chriſtus agit gratias Deo pro impetratione eorum, quæ fecit, ergo Deus poterat non exaudire, atq; adeo non acceptare eius ſatisfactionem. Secundò. Deus habebat ius ad noſtram ſatisfactionem, ergo poterat non acceptare ſatisfactionem Chriſti. Tertiò. Potuiſſet Deus ordinare, ne Chriſtus offerret ſua opera pro ſatisfactione, ergo etiam potuiſſet decernere, non acceptare. Si Chriſtus offerret.

26 Secunda ſententia aſſerit, non potuiſſe non acceptare; ſed ex diuerſo capite aſſignat neceſſitatem acceptandi. Alij enim, vt Sotus *in 4. diſt. 19. q. 1. art. 2.* Quia voluntas Diuina non poterat diſcordare à voluntate humana Diuini ſuppoſiti. Alij vt Lorca *3. parte diſputat. 8.* Quia opera Chriſti erant ſummè digna. Alij vt Raguſa *diſp. 12. de Incarnat. §. 1.* quia ex vi ſatisfactionis erat in Deo obligatio negatiua, orta ex eo, quod ſatisfactio eſſet æquiualens, & homo impotens ad ſatisfaciendum.

27 Dico primò. *Secluſo quocunq. pacto ſiue explicito, ſiue implicito, adhuc Deus erat obligatus ex vi ſuæ rectitudinis ad acceptandam ſatisfactionem Chriſti pro genere humano.* Probatur. Chriſti ſatisfactio adæquata compenſatione extinguit ius Dei, ergo ex vi ſuæ rectitudinis tenetur acceptare. Probatur antecedens. Quia ſatisfactio eſt condigna, & ius Dei, cùm non poſſit eſſe ad impoſſibile, non poteſt exigere condignam ſatisfactionem ab ipſo homine, ergo poteſt tantùm exigere, quòd homo ſatisfaciat eo modo, quo poteſt, & quòd alius, qui poſſit, ponat condignitatem. Conſequentia etiam probatur. Extincto iure creditoris, non poteſt creditor detinere debitorem obligatum, quia ius nõ dat illi hanc poteſtatẽ, ergo Deus ratione ſuæ rectitudinis non poteſt detinere hominem obligatũ, atque adeò debet acceptare ſatisfactionẽ.

28 Dico 2. *Deum etiam vt iudicem fuiſſe obligatum ex vi ſuæ rectitudinis acceptare ſatisfactionem.* Probatur. Deus vt iudex habet tantùm ius ad illam æqualitatem, qua tollatur inæqualitas inducta per peccatum, quæ conſiſtit in deordinatione ab vltimo fine, & in tantùm habet ius ad pœnam, in quantum adeſt hæc inæqualitas, ergo cum per Chriſti ſatisfactionem inducatur hęc ęqualitas, vt conſtat ex ſupra dictis, extinguitur ius Dei vt iudicis.

29 Ad 1. Chriſtum egiſſe gratias Deo pro beneficijs, in quibus fuit exauditus, non autem pro acceptatione ſatisfactionis.

Digitized by Google

ctionis. Deinde aguntur etiam gratiæ Deo pro ijs, quæ neceſſariò fiunt; vnde beati gratias agũt de ipſa beatitudine. Ad 2. Quomodo ſit redditum totũ id, ad quod Deus habebat ius, patet ex dictis. Ad 3. negatur conſequentia. Nam ante oblationem ſatisfactionis poterat Deus impedire, ne offerret Chriſtus; at poſita oblatione, cum ſit iam extinctum ius Dei, non remanet in ipſo poteſtas non acceptandi.

An ſatisfactio Chriſti fundetur in gratia creditoris.

SECTIO V.

30 QVod ſatisfactio nõ debeat fũdari in gratia creditoris, docent cõmuniter, quia ſi debitor vtatur gratia creditoris ad ſatisfaciẽdũ, iã in illa gratia virtualiter relaxatur debitũ, & ideò non poteſt interuenire iuſtitia, cum igitur ſatisfactio Chriſti fundetur in gratia, non videtur, quomodo ex hoc capite poſſit eſſe ſecũdũ iuſtitiã.

31 Notandũ 1. ſecundùm Regulas iuſtitiæ nõ eſſe reddendũ in ſatisfactione, niſi id, quod eſt debitũ, & eo modo, quo eſt debitum; quia autẽ nõ poteſt eſſe debitũ, quod eſt impoſſibile, cũ hoc nõ poſſit poni in bonis creditoris, ideò cum homo non poſſit aliquid boni facere ſine gratia, neque poterit contrahere debitum reddendi aliquid Deo, quod fiat ſine gratia.

32 Notandũ 2. Licèt tota operatio bona ſit gratia Dei, adhuc tamen eſt propria hominis, & ſub eius dominio, & proprietas in eo conſiſtit, quod operetur ſecundum regulas particulares, & dominatiuo modo. Hinc cum teneatur tantum dare, quod eſt ſub eius dominiò, non poterit contrahere aliud debitum reſpectu Dei, niſi ad exhibẽdas ſuas operationes ſecundum determinationem factam per regulas particulares, quia hæc ſola determinatio eſt in poteſtate ipſius.

33 Dicendum eſt. *Gratiam, quam Chriſtus accepit in ordine ad ſatisfaciendum, non tollere, quin ſatisfactio ſit* ſecundùm iuſtitia. Probat. Tunc gratia creditoris derogat iuſtitiæ, quando excludit aliquid, quod ſit debitum, in ſatisfactione autem Chriſti non excluditur aliquod debitum, cum non ſit debitum Deo aliquid quod non ſit participatum ab ipſò, atq; adeo quod in ordine ſupernaturali non ſit ex gratia ipſius.

34 Dices. Dum Deus dat gratiam, licet operatio ſit ſecundùm regulas particulares, adhuc tamen virtualiter, relaxat debitum. Reſpondetur. Non relaxare, ſed tantum dare potentiam ad ſatisfaciendum, & ideò ſicut manet in poteſtate hominis ſatisfacere, vel non ſatisfacere; ita etiam habet ex ſe, quod reddat debitum.

35 Dices ſecundò. Iſta ſatisfactio habet valorem à ſuppoſitò Diuino, ergo eſt ipſa gratia creditoris. Reſpond. Habere hunc valorem à ſuppoſito Diuino dependenter à voluntate creata, quatenus ſe applicans ad operandum, facit, quod ſuppoſitum Diuinum dignificat operationem.

An Chriſti ſatisfactio ſit ex proprijs.

SECTIO VI.

36 REquiritur etiam, vt ſatisfactio ſit ſecundum regulas iuſtitiæ, quod non ſit ex bonis creditoris; ſi enim redditur creditori, quod ſuum eſt pro eo, quod eſt ablatum non ponitur æqualitas debita. Vnde cum Chriſtus in ſatisfactione exhibuerit opera, quæ erant ſub Dei dominio, non videtur ſatisfactio ipſius habere hanc conditionem, præſertim quia dignificatio ſatisfactionis erat ex dignitate propria Dei.

37 Notandum 1. Satisfactionem, quia creatura tenetur Deo ſatisfacere, eſſe diuerſæ rationis ab ea, quæ eſt inter homines. Ratio eſt, quia homines ſunt perſonæ eiuſdem ordinis, nec vnus dependet ab alio in exhibenda ſatisfactione. Homo autem, & Deus ſunt diuerſi ordinis, ita vt cum creatura dependeat eſſentialiter à Deo in ſuis operationibus, non poſſit ſatisfacere, niſi per opera, quæ procedunt à Deo, vt à cauſa prima.

38 Notandum 2. Ex vi iuſtitiæ requiri ſolùm in ſatisfactione, vt inęqualitas reducatur ad æqualitatem. Hinc ſi poteſt reduci per ea, quæ ſunt ſub dominio creditoris, iàm ſatisfactio eſt ſecundùm iuſtitiam, quia ponitur totum, quod exigit iuſtitia.

39 Notandum 3. Creaturam non poſſe priuare Deum aliquo dominio, quia cum ſit eſſentialiter Dominus, nihil poteſt exiſtere, quod nõ ſit ſub eius Dominio, vnde quãdo non exhibet actum, quem Deus exigit, nõ priuat ipſum aliquo dominio; nam actus, antequam exiſtat, non eſt ſub Dei dominio, & ſi Deus vult efficaciter ipſum exiſtere, non impedietur à Creatura. Hinc iniuria in eo conſiſtit, quod homo deum contemnat ſe conuertendo ad bonum creatum, quod non eſt aliud, quàm lædere ordinem, quem vult creaturas habere ad ſe ipſum. Hinc tota inæqualitas in eo conſiſtit, quod creatura tollat à ſe ipſa ordinem debitum reſpectu vltimi finis, & ideò inducetur æqualitas, ſi talis ordo ponatur à perſona infinita per debitam ſubmiſſionem.

40 Dicendum 1. *Satisfactionem Chriſti, vt ſit ſecundum iuſtitiam, non debere eſſe ita ex proprijs, vt excludatur dominium Dei.* Probatur. In hac ſatisfactione eſt tantum inducenda æqualitas oppoſita inæqualitati ortæ ex iniuria, ſed hæc ſufficienter inducitur per ea, quæ ſunt ſub Dei dominio, ergo. Probatur minor. Quia iſta æqualitas conſiſtit tantùm in debito obſequio, per quod Deo redditur debitus honor oppoſitus contemptui, qui fuit in peccato.

41 Dicendum 2. *Non obſtare, quod dignitas, & valor ſit à perſona Verbi, adhuc Chriſti ſatisfactio eſt ſecundum leges iuſtitiæ ex eo, quod iuſtitia exigit tantum tolli inæqualitatem deordinationis, quâ creatura ſe auertit à Deo per actionem, quâ eadem creatura Deo ſubijciatur, quæ ſit tantæ dignitatis, quanta eſt grauitas iniuriæ.*

Probatur. Tota inęqualitas conſiſtit in deordinatione creaturę, qua deus contemnitur, & hęc ſola eſt tollenda in ſatisfactione, non autem eſt transferendum in Deum aliquod dominium, cum Deus eſſentialiter illud habeat ſupra omnia, ergo non requiritur, quod valor ſatisfactionis ſit ex proprijs naturę humanę, ſed ſufficit, ſi dignificetur actio humana.

An Chriſti ſatisfactio ſit ex indebito.

SECTIO VII.

42 SAtisfactionem debere eſſe ex ijs, quę non ſunt debita alio titulo creditori, docent communiter, quia quod eſt debitum ex vno capite, nequit inſeruire ad tollendam inæqualitatem ortam ex alio; vnde cum Chriſti opera fuerint Deo debita ex alijs titulis, pręſertim gratitudinis, non videntur potuiſſe inſeruire pro ſatisfactione.

43 Notandum 1. Actus morales poſſe habere plures moralitates ex diuerſis obiectis; vnde cum quis ex voto tenetur dare elemoſinam, ille actus habet rationem miſericordię, & religionis.

44 Notandum 2. Actus morales poſſe ordinari in Deum ex diuerſis titulis gratitudinis, obedientię, ſeruitutis, &c. Quia autem iſti tituli reſpiciunt ſpeciales rationes in Deo, hinc habetur, quod idem actus adęquatè ordinatus poſſit terminari ad Deum ſecundùm diuerſas rationes, quę ſint vnus terminus adęquatus.

45 Notandum tertiò. Actiones noſtras quocunque titulo dirigantur in Deum, non inducere rationem ſatisfactionis, niſi voluntas reſpiciat motiuum ſatisfaciendi, quod eſt ius Dei, actus enim inducit ſolùm illas rationes, quas refundit motiuum. Opera autem noſtra, licet Deo ſunt debita ex diuerſis titulis, non tamen ſunt debita ſub ratione ſatisfactionis, niſi ex titulo

Digitized by Google

Iuris fundato in offenſa; & ideo niſi ipſe accedat, ſemper remanent indebita ſub ratione ſatisfactionis.

46 Dicendum. *Chriſtum ſatisfeciſſe ex indebitis, quatenus opera ipſius ſub ratione ſatisfactionis non erant debita ex alio titulo*. Probatur. Secundum rationem obſequij ſatisfactiui non exiguntur, niſi ratione offenſæ, ergo ſub hac ratione ſunt indebita ex alio titulo. Rurſus iuſtitia non exigit indebitum quocunq; alio titulo, quia ſolùm exigit tolli inæqualitatem, quæ tollitur ſufficienter per id, quod operans exhibeat ſub ratione ſatisfactionis, ergo

Quæ iuſtitia interueniat in Chriſti ſatisfactione.

SECTIO VIII.

47 Vidimus, in Chriſti ſatisfactione fuiſſe ſeruatas omnes iuſtitiæ conditiones, quæ requiruntur ad cõdignitatem, atq; adeò interueniſſe obiectum materiale, quod eſt æqualitas, nunc videndum de formali, quod eſt ius. Certum eſt autem, in Chriſti ſatisfactione interueniſſe aliquam iuſtitiam, ad Rom. 3. *Quem propoſuit Deus ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ*; Vnde Chriſtus ſatisfecit de toto rigore iuſtitiæ quò ad obiectum materiale exhibendo totum id, quod exigebat rigoroſa iuſtitia, quod docent ferè omnes veteres Doctores.

48 Prima Sententia aſſerit, fuiſſe iuſtitiam commutatiuam, ita Medina 3. *p. q.* 1. *art.* 2. *dubio* 3. Corneius *diſp.* 1. *dubio* 7. Crabrera *diſp.* 8. §. 3. Raguſa *diſp.* 22. Probant. Chriſti ſatisfactio dicitur emptio, redemptio, ſolutio, quę important iuſtitiam commutatiuam. Secundò. In ſatisfactione pro iniuria interuenit commutatiua, quando redditur æquale, vt docet Ariſtoteles. Chriſtus autem reddidit æquale.

49 Secunda ſententia aſſerit, fuiſſe iuſtitiam ſpecialem, quæ eſt ad Deum diſtinctam à iuſtitia commutatiua, quę eſt inter homines, ita Suarez *diſp.* 4. *de Inc. ſectio* 5. Hurtadus *diſp.* 12. *ſectio* 12.

50 Tertia Sententia, docet fuiſſe actum religionis, ita Marſil. *in* 4. *q.* 10. *ad* 6.

51 Quarta ſententia ait, fuiſſe actum plurium virtutum, quia Chriſtus ſatisfecit per omnia ſua opera ex motiuo charitatis, obedientiæ, &c. Ita Vaſquez *diſp.* 7. *de Incarn. cap.* 6. Merat. *diſ.* 7. *ſect.* 2.

52 Quinta ſententia vult, fuiſſe actum iuſtitiæ vindicatiuæ, quia Chriſtus ſoluit pro eo, quod homo debebat pati, ita Recentiores nonnulli.

53 Dico primò. *Non fuiſſe Iuſtitiam commutatiuam propriè dictam*. Probat. Hæc Iuſtitia eſſentialiter conſtituitur per commutationem iurium, quod fieri nequit, niſi ius vnius in alium transferatur; Chriſtus autem non tranſtulit in Deum ius aliquod, cum non ſit capax noui iuris.

54 Dico ſecundò. *Neque fuiſſe iuſtitiam commutatiuã diuerſam à noſtra*. Probatur. Vel hæc iuſtitia fundatur in iure propriè dicto; vel non. Si primum, ergo eſt iuſtitia commutatiua detractis imperfectionibus. Si ſecundum; ergo non eſt iuſtitia propriè dicta.

55 Dico tertiò. *Neque fuiſſe actum Religionis*. Probatur. Religio reſpicit in Deo pro motiuo ſummam excellentiam: ſatisfactio autem ius ortum ex offenſa. ergo

56 Dico quartò. *Licet Chriſtus ſatisfecerit per actus plurium Virtutum, non tamen ſatisfactio fuit actus plurium virtutum*. Probatur. Satisfactio vt talis habet ſpeciale motiuum, nempe compenſationem iniuriæ, ergo eſt actus tantùm vnius virtutis.

57 Dico quintò. *Non fuiſſe actum iuſtitiæ vindicatiuæ*. Probatur. Iuſtitia vindicatiua reddit æqualem mediante pœna, & Deus illam non exercet parcendo, ſed exigendo pœnam. In Chriſti autem ſatisfactione non fuit exacta aliqua pœna, neque enim Chriſtus ſatisfecit per pœnalitates, ſed per obſequium placatiuum dignificatum à Perſona infinita.

58 Dices. Satisfactio fuit facta Deo, vt Iudici, ergo per iuſtitiam vindicatiuam. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia aliud eſt puniri, & aliud extinguere ius iudicis, hoc ſecundùm non eſt actus iuſtitiæ vindicatiuę, quia qui læſit non ſubijt aliquam pœnam.

59 Dico ſextò. *Fuiſſe actum iuſtitiæ legalis*. Probatur. Iuſtitia legalis eſt illa, quæ habet pro obiecto debitum ordinem reipublicę, ſeu ęqualitatem, quã cõſtituitur hic ordo. Chriſti autem ſatisfactio conſtituit hunc ordinem, quia reconciliauit hominem Deo. ergo

60 Ad primum. Reſpondetur ſatisfactionem Chriſti ſignificari nomine emptionis, &c. ad explicandam ipſius condignitatem, non autem ad explicandam iuſtitiam commutatiuam. Ad ſecundum. Iuſtitiam commutatiuam reſpicere ęqualitatem ſecundum commutationem iurium, quę eſt inter homines, quando ſibi inuicem ſatisfaciunt, & de hac loquutus eſt Ariſtoteles: hęc autem commutatio iurium non eſt in Deo.

DE SATISFACTIONE PVRI Hominis.

DISPVTATIO CI.

An poſſit purus homo perfectè ſatisfacere pro ſuo peccato.

SECTIO I.

1 Certum eſt, non poſſe ſatisfacere ex viribus naturę 2. Corinth. 13. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis*, & ideò quęſtio procedit ſuppoſito auxilio Dei.

2 Prima Sententia aſſerit, poſſe ſatisfacere per actum contritionis, vel amoris, ita Scotus *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 1. *art.* 2. Aureol. *ibidem*, Richard. *diſtinct.* 17. *art.* 1. *q.* 7. Paludan. *in* 3. *diſtinc.* 20. *q.* 2. Bannes 3. *p. q.* 2. *art.* 4. Rada *p.* 3. *cont.* 13. *art.* 1. & communiter Scotiſtę. Probant. In ſatisfactione condigna ſolum requiritur vt tantum reddatur, quantũ fuit ablatũ. Cõtritio autem, & amor tãtũ reddunt Deo, quantum fuit ablatum, tum quia reddunt debitum obſequium, tum quia tantum bonum eſt contritio, quantum malum eſt peccatum, tum quia reſtituunt Deo honorem vltimi finis. Secundò. Contritio habet pro obiecto peccatum deſtruendum vt Dei offenſam, ergo eſt ſatisfactio ſufficiens ad ipſum tollendam.

3 Secunda ſententia eſt negatiua, ita D. Bonau. *in* 3. *diſtinc.* 20. *q.* 3. & 4. Durandus *q.* 2. Ferrar. 4. *contra Gentes cap.* 54. Suarez *diſp.* 4. *de Incarn. ſectio.* 8. Raguſa *diſp.* 5. §. 3. Hurtad. *diſp.* 10. *ſectio.* 1 & 4. Vading. *diſp.* 1. *dub.* 6. §. 2. & communiter.

4 Dicendum eſt. *Non poſſe purum hominem pro peccato proprio ſatisfacere ad æqualitatem*. Deſumitur ex Patribus, quatenus docent, fuiſſe neceſſariam incarnationem, quia ſolus Filius Dei poterat pro peccatis ſatisfacere, & redimere hominem. Probatur. Peccatum in ratione offenſę creſcit ex dignitate perſonę, ſicut quęlibet alia offenſa, vt docet Ariſtoteles 5. *Ethic. c.* 5. ergo cum Deus ſit perſona ſummè digna, ita vt non poſſint ipſi ęquiparari dignitates omnes aliarum perſonarum, etiam prout finito modo ſtat in menſura noſtrę cognitionis, cum adhuc cognoſcamus excedere in infinitum omnes alias perſonas, offenſa ipſius erit ſumma, ergo non poteſt homo exhibere condignam ſatisfactionem, quia ſatisfactio ipſius non erit ſumma, quia ſatisfaciens non eſt perſona ſumma.

5 Di-

Digitized by Google

5 Dices. Peccatum non eſſe infinitum in ratione offenſę, & ideo, licet non poſſit compenſari aliquo determinato obſequio, poterit tamen compenſari obſequiorũ multitudine, excellentia, & diuturnitate. Contra. Tota illa multitudo obſequiorum, &c. non eſt ſumma ſatisfactio poſſibilis, ergo non adæquat grauitatem iniuriæ.

6 Dices ſecundò. Quę ſunt ſuperioris ordinis poſſe cõpenſari per multitudinem eorum, quæ ſunt inferioris ordinis: ſic plures actus temperantiæ æquiualent actui charitatis. Contra. Quę ſunt inferioris ordinis ſecundum totum ſuum eſſe, & dignitatem menſurantur menſura inferiori, ergo nunquam adæquant res ſuperioris ordinis; actus autem temperantiæ in ratione meriti, non eſt inferioris ordinis cum actu charitatis.

7 Dices tertiò. Poſſe à vili perſona ſatisfieri pro iniuria quam intulit Regi, vt ſi pro ipſo exponat vitam, quia ſufficit, quod ſatisfactio tanti ęſtimetur, quanti æſtimatur damnum ex iniuria. Contra. Nulla hominis ſatisfactio poteſt tanti æſtimari quanti ęſtimatur iniuria illata Deo, quia hæc eſt ſumma, & ſatisfacto hominis eſt ordinis longè inferioris. ergo

8 Ad primum reſpondetur. Per actum amoris, aut cõtritionis non compenſari grauitatem iniuriæ, ſed tantum illud bonum creatum, quod per peccatum fuit ablatum, vnde licet contritio tendat in peccatum deſtinctiuo modo, non tamen compenſat iniuriam, quia ad compenſandam non ſufficit deſtructio peccati. Et hinc patet. Ad ſecundum.

9 Ex his colligitur. Neque in ſtatu puræ Naturæ potuiſſe hominem ſatisfacere pro peccato, quia adhuc peccatum fuiſſet offenſa Dei, atque adeò perſonæ ſummè dignæ.

10 Colligitur ſecundò. Neque hominem iuſtum poſſe condignè ſatisfacere; tum quia non habet locum ſatisfactio, tum quia, ſi haberet, militat eadem ratio.

An poſſit purus homo pro peccato proprio imperfectè ſatisfacere.

SECTIO II.

11 PRima ſententia eſt negatiua. Ita Medina *par. 3. quæſt. 1. articul. 2.* Caietanus *opuſculo de fide, & operibus cap.* 11. Richard. *in 4. diſtinct.* 17. *quæſt.* 2. *art.* 4. Cumel 1. *part. quæſt.* 21. *art.* 4. Probant. Quia Cõcilium Trident. Arauſic. & Milleuitanum docent, iuſtificationem gratis fieri, quod non eſſet verum, ſi homo poſſet ſatisfacere, ſecundò. Contritio non poteſt ſatisfacere vt ſubſequitur gratia, cum iam ſupponatur culpa remiſſa, nec vt antecedit, quia tunc non habet valorem, cum omnis valor in ordine ſupernaturalia fundetur in gratia.

12 Secunda ſententia eſt affirmatiua: ita Ferrar. 4. *contra gentes capitul.* 54. Suarez *diſput.* 4. *de Incarnatione ſection.* 10. Ragula *diſput.* 6. Aluarez *diſp.* 7. & alij.

13 Dicendum eſt. *Hominem poſſe exhibere Deo aliquam imperfectam ſatisfactionem*. Probatur. Contritio tendit placatiuo modo, & Deus illam acceptat. Pſalm. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*, ergo aliquo modo ſatisfacit, quia ſatisfactio conſiſtit in exhibitione illius, quod poteſt placare offenſam.

14 Ad primum reſpondetur. Non gratis iuſtificari, quia hæc ſatisfactio, cum non ſit condigna, non facit debitam reconciliationem. Ad ſecundum. Contritionem vt antecedit gratiam eſſe imperfectam ſatisfactionem, quia eſt actio placatiua, & habet ſuam æſtimabilitatem in ordine ſupernaturali, cum ſit actus ſupernaturalis. Cum autem dicitur, quod omnis valor fundatur in gratia, intelligitur de valore condigno.

15 Quæres. An homo vt membrum Chriſti poſſit condignè ſatisfacere. Reſpondetur non poſſe per proprias actiones, quia licet opera ipſius ſint ex influxu Chriſti, non tamen habent illum valorem, quem habent opera Chriſti, non enim homines iuſti communicant in dignitate perſonali capitis.

An poſſit homo condignè ſatisfacere pro peccato commiſſo ſine aduertentia ad offenſam Dei.

SECTIO III.

16 QVæſtio ſupponit, quod illud peccatum, quod ex natura ſua eſt mortale committatur ab aliquo cum ignorantia inuincibili, aut inaduertentia, quod ſit offenſa Dei, cognoſcatur tamen habere grauem turpitudinem in ordine morali.

Prima ſententia eſt negatiua, ita Salas 1. 2. *tractat.* 13. *diſput.* 16. *ſect.* 22. & alij Recentiores. Probatur. Eo ipſo, quod peccatum eſt contra rationem, eſt etiam contra Deum, quia recta ratio eſt participatio æternæ legis, ergo, ſecundò. Antecedenter ad prohibitionem Dei homicidium eſt malum morale graue, & grauiter diſplicet Deo alioquin non prohiberetur ſub pœna graui, ergo antecedenter ad offenſam Dei eſt peccatum mortale. Tertiò ſequeretur peccare tantum venialiter, ſi quis diceret, ſi homicidium non eſſet à Deo prohibitum, licet eſſet diſſonum rationi, ergo occiderem: quia tunc actus, & obiectum præſcinderent à prohibitione, & offenſa Dei, quartò ſequeretur, omnia peccata eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ in ratione peccati mortalis, quia conſtitueretur per rationem offenſæ Dei, & malitia, ex obiecto non eſſet mortalis.

17 Secunda ſententia aſſerit, tale peccatum non futurũ mortale, atque adeo poſſe hominem pro ipſo condignè ſatisfacere. Ita Suarez *lib.* 1. *de gratia cap.* 13. *& lib.* 7. *c.* 23. Coninc. *diſp.* 32. *de charitate dub.* 5. Henriquez *lib.* 3. *de pœniten. cap.* 1. & alij.

18 Dico primò. *Peccatum cum ignorantia inuincibili offenſæ Dei non fore mortale, quia nec erit offenſa Dei*. Probatur. In tali peccato non præfertur creatura Deo, eo quod peccans ignorat præferri, ergo non eſt mortale, quia peccatum, in tantum eſt mortale, in quantum per conuerſionem ad creaturam ſeparat à Deo, & priuat gratia, quę eſt vita animæ.

19 Dices, licet non præferatur formaliter, præferri tamen virtualiter, quia peccatum eſt tale ex natura ſua. Cõtra. Obiectum non influit in actum, niſi eo modo, quo ſtat in cognitione, ergo ſi nullo pacto cognoſcitur creaturam pręferri Deo, nullo modo præfertur.

20 Dico ſecundò. Poſſe purum hominem condignè ſatisfacere pro tali peccato. Probatur. Ideò non poteſt ſatisfacere pro mortali, quia eſt contra perſonam infinitam, illud autem peccatum non eſſet contra dignitatem Diuinam, quia non eſſet offenſa Dei.

21 Dices. Adhuc diſpliceret Deo. Contra. Quia non omne, quod diſplicet Deo, eſt grauis offenſa ipſius, ſed inſuper requiritur, quod grauiter ipſum lædat.

22 Dico tertiò. Non ſequitur, quod de facto dentur apud fideles peccata in materia graui cõtra rationem, quæ non ſint etiam offenſa Dei. Probatur. Omnes cognoſcũt Deum, & ſe debere operari propter vltimum finem, & ſolum actus bonos in ipſum dirigi, ergo ſi aduertant ad malitiam, aduertunt etiam ſaltem implicitè, & virtualiter ad offenſam Dei, cum iam ſciant, quod actus malus eſt offenſa Dei.

23 Dico quartò. Etiam in infidelibus, ſi cognoſcunt verum Deum, fieri non poteſt, vt aduertant aliquid eſſe grauiter contra rationem, & non eſſe offenſam Dei. Probatur. Sciunt, Deum eſſe gubernatorem vniuerſi, & intendere bonum ipſius, atque adeò vt ſupremum legiſlatorem prohibere malum, ergo eo ipſo, quod aduertunt malitiam, aduertent virtualiter offenſam Dei.

24 Ad primum reſpondetur valere de peccato, ſi conſideretur ſecundum ſuam naturam, non autem, vt eſt in apprehen-

præhen-

Digitized by Google

non potuit obijci, niſi cum tali debito. Si ſecundum, cum perſona intra ſtatum poſſibilitatis non ſit capax beneficij, quia exiſtentia eſt primum beneficium, oportuit, vt Deus prius decerneret exiſtentiam, deinde beneficia gratiæ.

43 Dico tertiò. *Chriſtum meruiſſe illam primam electionem, & dilectionem, quæ terminata eſt ad genus humanum in Adam, qua voluit per gratiam ipſum eleuare ad ſtatum ſupernaturalem.*

Probatur. Chriſtus eſt prædeſtinatus vt caput generis humani, & ſecundum ſubſtantiam ante præuiſionem originalis,& primus actus meritorius ipſius fuit præuiſus ante originale,ergo per talem actum potuit mereri generi humano eleuationem ad ſtatum ſupernaturalem.

44 Dices. Chriſtus non conſummauit meritum,niſi in paſſione,ergo non potuit conferri præmium intuitu illius primi actus. Reſpondetur. Non potuiſſe conferri præmium adæquatum, potuiſſe tamen conferri præmium inadæquatum.

45 Dico quartò. *Chriſtum ex vi primi actus meruiſſe quod conſtitueretur redemptor pro reparatione generis humani.* Probatur. Quod Chriſtus ſit redemptor eſt ſpeciale beneficium factum generi humano vt membro Chriſti; omne autem beneficium huiuſmodi eſt ab ipſo Chriſto vt capite,atque adeò ex meritis ipſius.

46 Dices. Scriptura docet, Deum miſiſſe filium ſuum ex ſola miſericordia in ſalutem generis humani. Reſpondetur. Fuiſſe ſolam miſericordiam reſpectu generis humani, non autem reſpectu Chriſti.

47 Dices ſecundò. Chriſtus tenebatur vt caput redimere,& Deus tenebatur conſtituere ipſum redemptorem,quę autem ſunt debita, non ſunt ex merito. Reſpondetur: Aliud eſſe, quod pertineret ad Chriſtum redimere, & aliud,quod teneretur:primum eſt verum, ſecundum falſum.

48 Dices tertiò. Si Adam non peccaſſet,Chriſtus non veniſſet,ergo ratio redemptionis fuit determinata in prima prædeſtinatione, ergo non ex meritis. Reſpondetur: Fuiſſe determinatam in prædeſtinatione adæquata, quæ autem ſic determinantur poſſunt cadere ſub merito fundato in actibus, qui conueniunt ratione prædeſtinationis inadæquatæ.

49 Dico quintò. *Chriſtum non meruiſſe electis prædeſtinationem per diuerſam applicationem ſuorum meritorum, qua vellet ſua merita aliquibus efficaciter applicari,alijs verò tantum ſufficienter*, eſt contra Vaſquez 1. *p.diſp.*97.*cap.* 3. & alios recentiores. Probatur. Vel præceſſit voluntas Dei manifeſtata Chriſto de ijs eligendis,& non alijs vel non. Si primum,ergo diſcretio eſt facta à deo antequam Chriſtus applicaret ſua merita. Si ſecundum, ergo in prouidentia ſupernaturali primum diſponens eſſet Chriſtus, vt homo, quod implicat, quia prima diſpoſitio debet eſſe à prima cauſa.

50 Obijcies Chriſtus Ioan.17. facit expreſſam comparationem inter electos, & non electos. *Non pro mundo rogo,ſed pro ijs,quos dediſti mihi*,ergo meruit electionem comparatiuè.Reſpondetur negando conſequentiam. Nam oratio Chriſti ſupponit electionem factam, & eſſe in ordine ad obtinenda beneficia pro ipſis electis;non autem in ordine ad electionem faciendam.

51 Ad primum reſpondetur. Scripturam coniungere merita Chriſti cum gratuito propoſito Dei, hoc autem propoſitum fuit gratuitum reſpectu homines, & in ſua radice,quatenus prædeſtinauit Chriſtum, quia tunc virtualiter propoſuit prædeſtinare genus humanum. Dicitur autem Deus prędeſtinaſſe ex charitate,quia ex mera charitate ordinauit merita Chriſti,vt cauſam meritoriam,quia Chriſtus merendo prædeſtinationem, cooperatus eſt gloriæ Dei.

Ad ſecundum. Gloriam Dei vt cauſam finalem prædeſtinationis non excludere merita Chriſti, vt cauſam meritoriam, quia Chriſtus merendo prædeſtinationem cooperatus eſt gloriæ Dei.

Ad tertium electos fuiſſe traditos Chriſto, quia meruit ſibi tradi.

Ad quartum. Noſtram prædeſtinationem eſſe gratuitam æquè ac prædeſtinatio Chriſti, quia non eſt ex meritis noſtris; quod autem ſit ex meritis Chriſti; facit tantum, quod non ſit gratuita reſpectu Chriſti.

Ad quintum. Chriſtum per illam orationem non meruiſſe electionem,ſed tantum ſpecialia beneficia pro Apoſtolis.

Quid Chriſtus meruerit Angelis.

SECTIO VIII.

52 Prima ſententia negat meruiſse gratiam, & gloriam,ſed tantum bona accidentalia,ita Durand. *in* 3.*diſt*.13.*q*.2.Palud.*q*.1.*art*.3.Vaſquez *diſp*.49.*de Incarn.cap*.2.Vading.*diſp*.7.*dubio* 7.Meratius *diſputat*.47. *ſectio* 1.& alij. Probant. Matthæi 18. & Lucæ 15. Paſtor (videlicet Chriſtus) relictis nonaginta nouem in deſerto, nempe Angelis,venit quærere vnam, quæ perierat, nempe hominem, ergo ſolis hominibus meruit gratiam, alioquin veniſset quærere etiam Angelos.Secundò. Ad Hæbreos 2. Omnes ſanctificati per Chriſtum vocantur fratres,& pueri communicantes carni,& ſanguini, tales autem non ſunt Angeli.Tertiò. Patres explicantes, quod Chriſti aduentus profuerit Angelis,aſſignant tãtum gaudium, ex reparatione ſedium, ex quibus Angeli mali ceciderunt: non autem aſſignant gratiam, & gloriam. ergo

53 Secunda ſententia docet, meruiſse etiam gratiam, & gloriam,ita Caietanus 3.*p.q*.7. *art*.11. Albertus *in* 3.*diſt*. 13.*art*.2. Richardus *ibidem*.Suarez *diſp*.42.*de Incar.ſec*. 1.Hurtad.*diſput*.63.*ſect*.8.Lorca *diſp*. 45. & alij.

54 Dicendum eſt. *Chriſtum meruiſse Angelis gratiam, & gloriam per primum actum amoris, quo ſe conuertit in Deum.* Probatur. Talis actus potuit eſse meritorius talis gratiæ, & potuit præuideri ante prædeſtinationem Angelorum, vt patet ex ſupradictis, ergo cum Chriſtus ſit caput Angelorum, & merito ipſius ſit tribuendum totum id, quod poteſt, debet etiam tribui, quod meruerit gratiam, & gloriam: præſertim quia influxus gratiæ eſt principalis, & fundamentum cæterorum.

55 Ad primum reſpondetur. Ex illa parabola tantum colligi, quod Chriſtus non meruerit Angelis reparationẽ, ſicut meruit hominibus: quærere enim, quod perijt, eſt reparare,imo colligitur,quod meruerit gratiam,& gloriã, quia dicitur paſtor ipſorum:vnde habuit perducere ad paſcua vitæ æternæ quod fit per gratiam. Ad ſecundum. Senſum Apoſtoli eſse,quod nos, qui ſanctificamus per Chriſtum, communicemus ipſi in carne, & ſanguine vnde vult commendare beneficium, quod accepimus, dum Deus, qui eſt noſter ſanctificator, voluit aſsumere carnem noſtram; non autem dicit, quod omnes ſanctificati per ipſum, communicent carni, & ſanguini. Ad tertium. Licet Patres doceant, Angelos percepiſse illam vtilitatem ex Chriſti aduentu; non tamen negant,quod fuerint ſãctificati ex meritis Chriſti. Deinde loquũtur ſolum de eo, quod habuerunt Angeli ex vi reparationis generis humani.

DE

DE CHRISTI SATISFACTIONE.

DISPVTATIO LXXXXIX.

An homo habeat iuſtitiam ad Deum.

SECTIO I.

1 VT videamus, an Chriſti ſatisfactio fuerit ſecundum iuſtitiam prius inquirendum eſt, an homo debeat aliquid ex iuſtitia ipſi Deo.

Supponendum eſt. Deum non habere obligationem iuſtitię propriè dictam reſpectu creaturæ ratione ſupremi dominij; ita vt quicquid eſt Creaturæ ſit ſub pleno dominio Dei; modo autem videndum eſt, an idem dicendum ſit de ipſa creatura.

2 Prima ſententia aſſerit, hominem habere iuſtitiam propriè dictam ad ipſum Deum, ita Suarez *opuſculo de Iuſtificatione ſect.2. & diſput.4. de Incarn. ſect.5.* Hurtadus *diſp.12. de Incarn. ſect.7.* & alij, qui tenent, Deum obligari ex iuſtitia reſpectu creaturæ. Probant, Deus ratione ſupremi dominij habet ius prælationis circa opera noſtra, ergo ſi ipſis vtamur contra ius Dei, peccamus contra Iuſtitiam; vnde peccatum eſt iniuria Dei. Secundò. Homo tenetur Deo ſatisfacere pro peccato: debitum autem ſatisfactionis oritur tantùm ex iuſtitia. Tertiò. In omni peccato peccator vtitur re aliena inuito Domino, quatenus vtitur ſe ipſo, & ſuis operibus contra voluntatem Dei, ergo. Quartò. Quando homini aufertur honor debitus, fit contra iuſtitiam; peccator autem aufert Deo honorem debitum. Quintò. Obſequium erga Deum eſt ſeruitus, Deuter.6. *Illi ſoli ſeruies*, ſeruitus autem eſt debita ſecundum iuſtitiam.

3 Secunda ſententia aſſerit, poſſe hominem habere Iuſtitiam reſpectu Dei, non tamen omne peccatum eſſe ſtrictè contra iuſtitiam, & rarò oriri obligationem iuſtitiæ ad ſatisfaciendum, ita quidam recentiores.

4 Tertia ſententia abſolutè negat in creatura iuſtitiam reſpectu Dei, ita Vaſquez *1. par. diſput.85. cap.4.*

5 Dico primò. *Creaturam non habere ad Deum iuſtitiam propriè dictam, quæ ſit ſpecialis virtus.* Probatur. Inter Deum, & Creaturam non interuenit ius quod eſt obiectum iuſtitiæ propriè dictæ, ergo Creatura non habet iuſtitiam reſpectu Dei. Antecedens probatur. Cum iuſtitia ſit conſtans voluntas reddendi vnicuique, quod ſuum eſt ius, quod eſt obiectum ipſius, importat proprietatem rei dependentem à voluntate aliena, per quam res appropriatur; Deus autem nō poteſt habere aliquod ius, quod ipſi competat ex eò, quod res ipſi approprientur ex voluntate creaturæ, quia eſt eſſentialiter Dominus, & omnia ſunt propriè ipſius per eſſentiam; vnde non habet locum appropriatio facta per creaturam.

6 Dices. Ius de ſuo formali importare tantum poteſtatem ſupra vſum rei; quod autem tali, vel tali pacto ſe habeat, eſſe quid materiale, & ideò ſaluari in Deo ius propriè dictum, quia ſaluatur talis poteſtas. Contra. Hoc ius, quod ſaluatur in Deo, non eſt dependens à voluntate creaturæ, ergo in Creatura non eſt iuſtitia ad Deum, conferens ipſi hoc ius. Deinde hoc ius competit Deo per eſſentiam, ergo non eſt obiectum iuſtitiæ, quia ius, quod eſt obiectum ipſius, debet poſſe cauſari ab ipſa, quia iuſtitia eſt virtus practica.

7 Dico ſecundò. *Creaturam habere tantum iuſtitiam vniuerſalem, & legalem reſpectu Dei, quatenus ſecundū ſua opera debet correſpondere iuri legali, quod Deus habet ſupra ipſam.* Probatur. Creatura tenetur tantum ponere in proprijs operationibus debitam rectitudinem, & ea poſita ſatisfacit adæquatè ſuæ obligationi, cum obligetur tantum ad operandum ſecundum dictamen rectæ rationis, ergo tenetur tantum ſecundum iuſtitiam legalem, quia hæc præſcribit rectitudinem cuiuslibet operationis.

8 Ad primum. Deum debere præferri omni creaturæ ex vi iuſtitiæ legalis, quia ipſa præſcribit, quod debeat eſſe finis vltimus in omni operatione, hinc peccatum habet rationem iniuriæ, quia eſt contra hanc iuſtitiam.

Ad ſecundum. Debitum ſatisfactionis oriri ex læſione iuſtitiæ vniuerſalis.

Ad tertium. Peccatorem non vti re aliena contra voluntatem Dei abſolutè. Deinde ſi vteretur, conſurgeret tantum iniuſtitia oppoſita iuſtitiæ vniuerſali.

Ad quartum. Eſſe diſparem rationem, quia homines habent iura inuicem contradiſtincta, quæ ſunt iura particularia, Deus autem habet tantum ius vniuerſale, & ideò ipſum ſolum poteſt lædi, quatenus creatura ſe deordinat contra regulas iuſtitiæ vniuerſalis, non autem quia aliquid Deo auferatur.

Ad quintum. Obſequium erga Deum dici ſeruitutem, quatenus inſeruit gloriæ ipſius, non autem quia ſit debitum ex iuſtitia propriè dicta, vnde qui adimplent conſilia, dicuntur ſeruire Deo, licet non teneantur adimplere.

An Chriſtus ſatisfecerit pro peccatis totius generis humanis.

SECTIO II.

9 LIcet inter hominem, & Deum non poſſit eſſe iuſtitia, quę ſit ſpecialis virtus, adhuc tamen ratione iuſtitiæ vniuerſalis habet locum offenſa, & ſatisfactio. Eſt autem *Satisfactio redditio volūtaria æquiualentis pro æquiualenti.* Dicitur. *Redditio*, quia ſupponit aliquid ablatum, Dicitur *voluntaria*, ad differentiam ſatisfactionis, quia quis patitur ad æquiualentiam pro delicto commiſſo. Dicitur *æquiualentis pro æquiualenti*, vt ſeruetur æqualitas, per quam propriè conſtituitur ſatisfactio, quę de ſuo formali debet inęqualitatem reducere ad ęqualitatem.

10 Negant Hęretici, Chriſtum ſatisfeciſſe pro peccatis generis humani, & volunt, Chriſtum veniſſe ſolùm, vt doceret doctrina, & exemplo, ita Pelagiani. Probant. Nomina quibus in ſcriptura ſignificatur Chriſti ſatisfactio illi conueniunt tantum per metaphoram, vt cum dicitur emptio, redemptio, &c. Secundò. Opus redemptionis fuit opus gratiæ, & miſericordię, Ad Rom.3. & ad Epheſ.1. ergo non interuenit ſatisfactio. Tertiò. Multi moriuntur in peccato originali, quod non contingeret, ſi Chriſtus ſatisfeciſſet pro ipſorum peccatis. Quartò. Cum non poſſit eſſe idem offenſus, & ſatisfaciens pro eadem offenſa, non potuit Chriſtus ſatisfacere pro ijs peccatis, quę erant committenda contra ipſius humanitatem.

11 Dico primò. *Chriſtum verè, & propriè ſatisfeciſſe pro peccatis totius generis humani*, eſt de fide. Probatur 1. Ad Corinthior.6. *Empti enim eſtis pretio magno.* 1. Petri, 1. *Non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis, ſed pretioſiſſimo ſanguine agni immaculati Chriſti.* 1. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*; quę omnia important ſatisfactionem placari iram Dei.

12 Dico ſecundò. *Chriſti ſatisfactionem fuiſſe ſufficientem tàm pro peccato, quàm pro pæna æterna peccato debita*, eſt de fide probatur Ioann.14. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*, quod non eſſet verum, niſi liberaſſet à morte ęterna, vnde dicitur Chriſtus nos liberaſſe à poteſtate Diaboli.

13 Dico tertiò. *Chriſti ſatisfactionem nedum fuiſſe ſufficientem, ſed etiam ſuperabundantem.* Eſt de fide, & traditur communiter à Patribus. Probatur. Ad Roman.5. *Si vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis abundantiam gratię, & iuſtitiam accipiemus.* Item. *Vbi abundauit*

Digitized by Google

dauit delictum ſuperabundauit gratia .

13 Dico quartò. *Chriſtus ita ſatisfecit pro nobis, vt opus ſit applicatione, qua nobis applicetur ſatisfactio mediante noſtra operatione*. Eſt de fide. Probatur. Ad Hebræos 5. Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ: hinc inſtituta ſunt Sacramenta, quibus nobis applicarentur merita Chriſti.

14 Ad primum Hominem fuiſſe ſub poteſtate Diaboli vt definitur Concilio Triden. *ſect. 5. in decreto de peccato originali*. Eius autem captiuitas conſiſtebat in obligatione ad pœnas, et in poteſtate Diaboli ad inducendum hominem tanquam ſeruum ad peccatum. Chriſtus autem abſtulit hanc captiuitatem ſatisfaciendo Deo; vnde licet in ſcriptura aliquando metaphoricè ſignificetur hæc ſatisfactio, propriè tamen habet rationem ſatisfactionis. Ad ſecundum. Fuiſſe opus gratiæ, & miſericordiæ radicaliter; nō formaliter, quatenus ex gratia fuit, quod Deus mitteret Chriſtum redemptorem. Ad tertium. Non liberari homines ab originali, quia ipſis non applicatur ſatisfactio Chriſti; quæ tamen pro ipſis etiam oblata eſt. Ad quartum Chriſtum ſatisfeciſſe pro peccatis factis contra ipſius humanitatem, quatenus erant Dei iniuria; vnde non fuit idem ſatisfaciens, & offenſus; vt autem erant iniuria ſui ipſius, ea liberaliter condonauit.

An Chriſti ſatisfactio habuerit ex ſe valorem, & condignitatem.

SECTIO III.

15 PRima ſententia vult, tantum fuiſſe condignam ex Dei acceptatione. ita Scotus *in 3. diſtinct. 19. & 20. quæſt.* 1. & *in 4. diſtinct.* 15. *quæſt.* 1. Durandus *ibidem*, Almain *in 3. diſtinct. 19. & 20. quæſt.* 1. Maior. *ibidem*. Rada 3. *part. controuerſ.* 13. *art.* 2. *Concluſ.* 7. & communiter Scotiſtæ. Probant ſatisfactio Chriſti fuit ſecundum ius naturæ humanæ: offenſa verò contra ius naturæ Diuinæ, ergo non poteſt interuenire condignitas, ſecundò. Chriſtus non potuit reddere Deo æquale pro beneficijs acceptis; quia Deo, & parentibus non poteſt par ratio referri ex 5. *ethicorum cap. 6.* ergo non remanebat, per quid ſatisfaceret. Tertiò ſi Chriſtus per impoſſibile peccaſſet, non potuiſſet condignè ſatisfacere pro peccato proprio, ergo nec pro alieno. Quartò. Chriſtus potuit tantum vt homo ſe ſubmittere Deo, ergo cū ſatisfactio conſiſtat in ſubmiſſione, fuit minor quam offenſa, quia offenſa habet ſuam quantitatem à perſona læſa, ſatisfactio verò a ſubmiſſione. Quintò. Offenſa grauitas ſumitur etiam ex perſona ofendente, quæ diſtat infinitè à Deo læſo, ergo licet ſatisfactio Chriſti ſit condigna grauitati ſumptæ ex perſona offenſa, non tamen alteri grauitati, quæ eſt à perſona offendente.

16 Secunda ſententia aſſerit, Chriſti ſatisfactionem eſſe ex ſe condignam præciſa acceptatione. ita D. Thomas 3. *part. quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 2. Caietanus, & Medina *ibidem*. Vaſquez *diſput.* 5. *cap.* 2. Crabrera *diſp.* 4. §. 2. Raguſa, *diſput.* 10. §. 2. Suarez *diſp.* 4. *ſect.* 2. Hurtad. *diſp.* 11. *de Incarn. ſect.* 1. §. 6. & communiter.

17 Notādum primò. Valorem ſatisfactionis creſcere ex dignitate ſatisfacientis quando cōſiſtit in obſequio perſonali, quo ſe ſubmittit offenſo. Ratio eſt. Quia talis ſatisfactio eſt quædam exhibitio, quà ſatisfaciens ſe exhibet in obſequium læſi.

18 Notandum ſecundò. Operationes ſumere effectiuè ſpecialem formam, & modum eſſendi ab operante, nedū phyſicè, ſed etiam moraliter, quia operans imprimit operationi illam determinationem, quam habet in ſe, & facit, vt habeant in actu ſecundo illam menſuram, quam habet ipſe in actu primo.

19 Notandum tertiò. Cum perſonalitas verbi verè terminet naturam humanam Chriſti, & ſuppoſitatio ſit quidam character naturæ, quo determinatur ad modum eſſendi per ſe incommunicabiliter, ſequitur quod natura humana acquirat modum eſſendi Diuinum, & dignitatem moralem Diuinam non participatiuè, ſed formaliter; quia perficitur phyſico modo per diuinam perſonalitatem.

20 Notandum quartò. Ex hoc fieri, quod ſuppoſitum Chriſti refundat ſuam dignitatem in operationes; quatenus dignificat ipſam naturam operantem vt *quo*. Hinc operationes Chriſti habent ſpecialem characterem conſiſtentem in quadam commenſuratione dignitatis ad ſuppoſitum Diuinum: vnde Dionyſius *Epiſtola* 1. *ad Caium* eas vocat Theandricas, hoc eſt Dei viri.

21 Dico primò. *Satisfactionem Chriſti fuiſſe ex ſe præciſa Dei acceptatione condignam*. deſumitur ex Agapito Papa *Epiſtola ad Antimum* vbi habet. *Quæ reconciliatio eſſe poteſt, qua humano generi reconcilietur Deus, ſi hominis cauſam mediator Dei, & hominum non ſuſciperet*, & à Caio Papa *Epiſtola* 1. *Decret*. Nec *eſt redemptio captiuitatis humanæ niſi in ſanguine eius*. ex Clemente VI. *in extrauaganti vnigetus*, vbi habet, Guttam ſanguinis Chriſti, propter vnionem ad Verbum, potuiſſe ſufficere pro benedictione generis humani. Probatur: Ad Hebr. 10. *Impoſſibile eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccatum, ideo ingrediens mundum dixit, hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi*; loquitur autem de Chriſto, & eius ſatisfactione. Non fuiſſet autem impoſſibile, ſanguine taurorum ſatisfieri pro peccatis, ſi Chriſtus ſatisfeciſſet tantum ex Dei acceptatione, quia potuiſſet Deus acceptare etiam hæc ſacrificia.

22 Reſp. Scotus. Fuiſſe ſuperabundantem ex Dei acceptatione; non in ſe, ſed in effectu. Contra. Quia eodem pacto potuiſſet eſſe ſuperabundans in effectu alterius ſatisfacientis; atq. adeò potuiſſet fieri ſanguine taurorū etc.

23 Dico ſecundò. *Satisfactionem Chriſti habuiſſe hanc condignitatem ex vi vnionis hypoſtaticæ*. Probatur. Tunc ſatisfactio ex natura ſua eſt condigna, & tanti valoris, quando eſt tanta, quanta eſt grauitas offenſæ, ſed ſatisfactio Chriſti fuit æqualis valoris ex vi vnionis hypoſtaticæ, ergo. Minor probatur. Quia perſona ſatisfaciens fuit infinita non ſecus ac perſona offenſa; vnde potuit refundere in ſatisfactionem tantam dignitatem, quantam grauitatem potuit refundere perſona offenſa.

24 Dices. Suppoſitum non influere in operationes, ſed tantum naturam. Contra. Licet non influat vt principiū, *quo*, complet tamen principium, *quod*, & ipſum dignificat, & determinat in ſuo modo eſſendi, ergo influit moralem, dignitatem, quatenus eleuat naturam ad modum eſſendi Diuinum, atque adeò etiam operationes.

25 Obijcies. Perſona offenſa fuit Deus ſecundum ſe, ita vt nulla condicio modificaret eius dignitatem: perſona autem ſatisfaciens, licet ſit Diuina, eſt tamen modificata ſecundum dignitatem, quia illam communicat tantùm finito modo mediante vnione hypoſtatica finita. Reſpondetur negando conſequentiam. Nam operationes habent ordinem immediatum ad ſuppoſitum, & ideo ſumunt ab ipſo immediatè dignitatem, & licet ex natura operationis limitetur, vt ſtet in ipſa finito modo, quia tamen grauitas iniuriæ ſtat finito modo in offenſa; ideò adhuc ſeruatur æqualitas.

26 Ad primùm ſatisfactionem fuiſſe quidem ſecundum ius naturæ humanæ, ſed tamen vt eleuatæ, & ſubſtentatæ à perſona Diuina, atque adeò ab ipſa dignificatæ, ex quo prouenit æqualitas. Ad ſecundum. Ariſtotelem loqui de æquiualenti, non quomodocunque, ſed quod abſoluat ab obligatione erga Deum, & parentes, quicquid enim faciat homo, ſemper remanet obligatus ad obſequium, licet pro aliquo titulo redderet æquale. Rurſus licet opera Chriſti fuerint debita ex gratitudine, quia tamen idem opus eſt capax ex natura ſua, vt offeratur pluribus titulis, cum poſſit habere omnes illas rationes, ſecundum quas poteſt

ordinari

Digitized by Google

ordinari ad vltimum finem, ideò potuerunt offerri etiam per modum obſequij placatiui. Ad 3. Si Chriſtus peccaſſet, ſequuta fuiſſet contradictio; potuiſſet enim ſatisfacere, quia erat perſona infinita, & non potuiſſet, quia fuiſſet inimicus Dei. Quando enim in antecedenti ponitur contradictio, qualis eſt, quod in natura humana ſit vnio hypoſtatica, & peccet, ſequitur etiam in conſequenti. Ad 4. Licet principium, *quo*, ſubmiſſionis fuerit natura humana, quia tamen verbum aſſumpſit ius naturæ humanæ, & illud Deo ſubmiſit, fuit ſubmiſſio perſonæ æqualis, atque adeò cum æqualitate ad offenſam. Ad 5. Grauitatem offenſæ deſumi per accidens ex perſona offendente, atq. adeò non eſſe diuerſam ab ea, quæ ſumitur à perſona offenſa.

27 Quæres. An valor operum Chriſti fuerit vnus. Reſpondetur contra Raguſam *diſp.16.de Incarn.* Fuiſſe multiplicem; quia licet dignitas perſonæ fuerit vna, dignificabat tamen ſingulas operationes Chriſti, ita vt quælibet ſeorſim ab alia habuerit ſuam dignitatem, & valorem, fuit tamen vnus integritate, quatenus Chriſtus obtulit omnes ſuas actiones pro ſatisfactione.

Vnde ſumatur valor perſonalis operum Chriſti.

SECTIO IV.

28 Dico 1. *Non deſumi à Deitate, prout per modũ naturæ eſt in Chriſto, & ſanctificat humanitatem,* ita Raguſ. *diſp.* 12. *de Incarn.* contra Vaſquez *diſput.* 5. *cap.* 5. *& diſp.*6. *cap.*2. Probatur. Patres tribuunt valorem operibus Chriſti, quatenus ex vi vnionis hypoſtaticæ fiunt propriè ſuppoſiti Diuini, ergo illum non habent ex eo, quòd Deitas ſanctificet humanitatem.

29 Dices. Si ſaltem per impoſſibile natura aſſumpta à Verbo haberet peccatum habituale, opera illius ſuppoſiti non haberent valorem, quia eſſent opera inimici, & tamen eſſent opera ſuppoſiti Diuini, ergo de facto habent valorem, quia humanitas ſanctificatur à Deitate. Reſpondetur. Implicare, humanitatem aſſumi ad filiationem Dei naturalem, & eſſe inimicam Dei, vnde ſicuti in ſuppoſitione ponuntur implicantiæ, ita etiam deducuntur, vnde illa opera eſſent grata Deo, & non eſſent, ſicut eſſet operans.

30 Dico 2. *Valorem deſumi à ſuppoſito ex eo, quod dignificat actum,* ita communiter Patres, dum ex qualitate operantis colligunt dignitatem operationis. Probatur. Natura humana per perſonalitatem Diuinam completur in ratione principij in ordine ad operandum, ergo ratione ſuppoſiti Diuini operatio eleuatur ad ſuam dignitatem, quatenus participat proportionaliter eundem modum eſſendi.

31 Dices. Actio calefactiua non tribuitur aquæ calidæ, etiam ſi ſubſtentet calorem, ergo licet ſuppoſitum Diuinum ſubſtentet humanitatem, non tribuetur ipſi actio humanitatis. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia aqua non determinatur à calore in ordine ad modum operandi, ſicut determinatur natura à ſubſiſtentia Diuina.

Quem valorem habeant operationes Chriſti ex re oblata.

SECTIO V.

32 Certum eſt de fide, Chriſtum obtuliſſe ſe ipſum pro genere humano iuxta illud 1. Ad Timoth. 2. *Dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*, & ad Gal. 1. *Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris*. Quæritur ergo an, talis oblatio habuerit æqualem valorem ex re oblata cum eo, quem habuit ex perſona offerente.

33 Prima Sententia eſt negatiua, ita Suarez *diſput.*4. *de Incarn. ſect.*4. Vaſquez *diſp.*6. *cap.*2. Crabrera *q.* 1. *art.* 2. *diſp.*6. §.3. Probant. Chriſtus fuit oblatus in templo à B. Virgine, & tamen illa oblatio non fuit tanti valoris, quanti ſunt actiones Chriſti, ergo 2. Obiectum non dat actui valorem ſibi proportionatum, ſed ſecundum menſurã, qua attingitur, vt patet in actibus virtutum Theologicarum, perſona autem dat valorem ſibi proportionatũ.

34 Secunda ſententia eſt affirmatiua, ita Raguſ. *diſp.*14. *de Incarn.* & alij.

35 Dico 1. *Satisfactionem, & pretium redemptionis, quo Chriſtus redemit genus humanum, eſſe vnum, & idem* ita D.Thom. 3. *p. q.* 48. *art.*4. Probatur. Redemptio fuit neceſſaria ad tollendam captiuitatem hominis, ſub qua tenebatur, ob iniuriam factam Deo, ergo fuit formaliter ſatisfactio, quia quod erat reddendum pro iniuria illata, erat debita ſatisfactio, & rurſus, quod erat ſoluendum pro redemptione, erat compenſatio iniuriæ, quia tota captiuitas fundabatur in ratione debiti.

36 Dico 2. *Satisfactionem Chriſti ſumere valorem ex re oblata*. Probatur. In ſatisfactione nedum attenditur perſona ſatisfaciens, ſed etiam qualitas obſequij, & ſubmiſſionis, quia cum ſit quædam compenſatio, eò maior eſt quò plus offertur, ergo cum in Chriſti ſatisfactione ita ſe ipſum ſubmiſerit, vt dederit ſe ipſum in ſacrificium propitiatorium, ex re quoque oblata deſumetur valor.

37 Dico 3. *Valorẽ qui ſumitur ex re oblata, eſſe æqualem illi, qui ſumitur à perſona operante*. Probatur 1. Petri 1. *Non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti*, qui modus loquendi ſignificat valorem incomparabilem, vnde Patres, dum docent, valorem redemptionis eſſe ſuperabundantem, & incomparabilem, deſumunt hunc exceſſum ex re oblata; vt Cyrillus Alexandrinus *epiſtola ad Max.* Nazianzenus *orat.* 42. Ambroſius *in Pſalm.* 35. Clemens VI. *in extrauagan. Vnigenitus*. Et ratio eſt. Quia quò magis creſcit res oblata, creſcit etiam dignitas oblationis.

38 Dico 4. *Valorem ex re oblata coaleſcere in vnum cum valore ex perſona offerente*. Probatur. Valor ex re oblata eſt valor oblationis, & oblatio eſt actus offerentis, actus autem ſecundùm eſſe quod habet, eſt dignificabilis ab ipſa perſona. ergo

39 Ad 1. Chriſtum diuerſo modo ſe ipſum obtuliſſe, ac fuerit oblatus à B. Virgine, quia videlicet habebat plenũ dominium ſupra ſe ipſum, vnde etiam plenè ſe ipſum obtulit quod non potuit B. Virgo defectu talis dominij, vt etiam contingit in alijs oblationibus, in quibus Chriſtus, & eius merita à nobis offeruntur. Ad 2. Chriſtum non fuiſſe obiectum formale, ſed materiam oblationis, qui, ſi plenè offeratur, dat oblationi dignitatem ſibi correſpondentem, actus autem virtutum Theologicarum non attingunt Deum, quantum eſt attingibilis, nec habent ipſum pro materia, quæ alteri tradatur, & ideò non ſumunt ab ipſo valorem.

In quo conſiſtat valor operum Chriſti.

SECTIO VI.

40 Dico 1. *Non conſiſtere in aliquo ente rationis*. Probatur. Debet interuenire vera, & realis dignitas, alioquin non plus aptæ fuiſſent ad ſatisfaciendum actiones Chriſti, quàm puri hominis. ergo

41 Dico 2. *Neq. conſiſtere in aliqua denominatione extrinſeca deſumpta à dignitate perſonæ*, Eſt cõtra nõnullos recẽtiores. Proba. Dignitas operationũ Chriſti reddit eas verè æſtimabiles ſupra alias, quod fieri nõ poteſt, niſi rõe alicuius poſitiui, quia res æſtimatur, inquantum eſt. ergo

42 Dico 3. *Neque importare dignitatem perſonæ, quæ per modum formæ extrinſecæ dignificet*. Eſt contra Rag. *diſput.* 15. *de Incarn.* Prob. Valor operum Chriſti debet eſſe ſub dominio humanæ voluntatis ipſius, Tum quia debuit ipſum offerre, Tum quia erat Dominus illius, dignitas autem perſonæ non eſt ſub dominio humanæ voluntatis Chriſti.

43 Dico quartò. *Conſiſtere formaliter in aliquo morali intrinſeco, quod conſurgit per modum formæ in ipſa operatione ex eo, quod dicit realem habitudinem ad ſuppoſitum Diuinum.* Prob. Actus ſecundus, cum ſit exercitium actus primi, commenſuratur cum ipſo, ita vt dicat in actu exercito, quod dicit actus primus, prout applicatur ad operandum, ergo cum applicetur ſecundum dignitatem, dicet in actu exercito dignitatem operantis.

44 Obijcit Ragula. Si dependentia à ſuppoſito Diuino eſſet de intrinſeca ratione actuum Chriſti, non poſſet Angelus naturali lumine illos cognoſcere. Reſpondetur: negando ſequellam. Quia ſicuti naturali lumine cognoſcit naturam humanam Chriſti eſſe in ſtatu operandi non cognita perſonalitate, ita etiam cognoſcet actus Chriſti cum ordine ad illam naturam, quam ſcit eſſe ſuppoſitatam, licet non videat perſonalitatem; atque adeò cognoſcet in actu dependentiam à ſuppoſito, licet non cognoſcat determinate ſuppoſitum.

45 Obijcit ſecundò. Dignitas meritoria non eſt quid reale in noſtra operatione, quia non dicit ordinem ad gratiam habitualem, ergo nec in actibus Chriſti. Reſp. negando antecedens. Quia cum gratia habitualis ſit vita ſupernaturalis; actus ſupernaturalis eſt exercitium talis vitæ: vnde dicit ordinem ad ipſam. Deinde negatur conſequentia. Quia gratia non conſtituit principium *quod*, ſicut conſtituit perſonalitas Diuina.

46 Obijcitur tertiò. Sequeretur, quod actus eſſet in eodem gradu dignitatis, in quo eſt perſona. Reſpond. Eſſe in eodem gradu proportionaliter, videlicet finito modo, quia ratione principij, *quo*, limitatur perſona infinita, vt influat dignitatem finito modo.

An valor Chriſti fuerit infinitus.

SECTIO VII.

47 PRima ſententia aſſerit fuiſſe infinitum. Ita Capr. *in 3. diſtinct.* 20. *art.* 2. Palud. *quæſt.* 2. Richardus *quæſt.* 4. Ferrar. 4. *contra gentes. cap.* 55. Sotus *in* 4. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 3. *art.* 5. Caietanus 3. *part. quæſt.* 1. *art.* 2. Suarez diſput. 4. *de Incarnat. ſect.* 4. Vaſquez *diſput.* 6. *cap.* 2. Raguſa *diſput.* 11. Hurtadus *diſput.* 11. *ſect.* 3. Vadingus *diſput.* 2. *dub.* 2. & communiter Recentiores, qui etiam citant D. Thomam pluribus in locis, qui tamen loquitur de infinitate impropriè dicta. Probatur. Scriptura id ſignificat, dum ponit prætium noſtræ redemptionis inæquiparabile, vt 1. Petri 1. 2. Clemens VI. in *extrauag. vnigenitus*, habet, Chriſtum reliquiſſe infinitum theſaurum eccleſiæ, de cuius diminutione non eſt formidandum propter infinita merita Chriſti, & Chryſoſtomus *homilia* 10. *in cap.* 5. *Epiſtol. ad Roman.* ait ſatisfactionem Chriſti ſuperaſſe noſtrum debitum, ſicuti infinita auri talenta debitum decem obolorum: ſecūdò. Valor creſcit ex dignitate perſonæ, ergo erit infinitus, cum perſona ſit infinita. Tertiò. Valor operum Chriſti ſufficit pro omni grauitate, & numero iniuriarum poſſibilium, & eſt totus in actu, ergo cum iniuriæ poſſibiles ſint infinitæ, etiam valor erit infinitus. Quartò: ſatisfactio Chriſti non eſt minoris valoris reſpectu collectionis omnium peccatorum, quàm reſpectu vnius, hoc autem fieri non poteſt, niſi ſit infinitus. Quintò: opera Chriſti præciſa dignitate perſonæ ſunt digna magno præmio, ergo habita dignitate perſonę exigunt præmium infinitum, cum finitum non ſit magnum reſpectu perſonæ infinitæ, ergo habent valorem infinitum.

48 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita qui docent, opera Chriſti habuiſſe valorem condignum tantum ex Dei acceptatione extrinſeca, quos ſupracitauimus.

49 Dico primò. *Valorem operum Chriſti non fuiſſe infinitum ſimpliciter.* Probatur. Intra ordinem moralem ſecundum rationem valoris eſt in genere determinato, cùm non dicat omnem rationem valoris, & ſit poſſibilis alius valor, qui non ſit participatus ab ipſo, Nam potuiſſet Deus producere alias creaturas rationales in ordine gratiæ independentes à Chriſto vt à capite, et poſsent habere valorem ſuis operationibus independenter ab ipſo, ergo non eſt infinitus ſimpliciter.

50 Dices. Eſse infinitum, quia ob ſuam eminentiam æquiualet omnibus valoribus. Contra. Ex hoc tantùm ſequitur, quod ſit eminentiſſimus; non autem, quod infinitus.

51 Dico ſecundò. *Nec etiam eſſe infinitum in genere.* Deſumitur ex D. Thoma, quatenus negat eſſe poſſibile infinitum in genere; rationes enim, quæ procedunt pro impoſſibilitate infiniti phyſici, procedunt etiam proportionaliter de infinito quoad eſse morale. Probatur. Infinitas ſuppoſiti Diuini non poteſt communicare infinitatem valoris, ergo. Antecedens probatur. Communicatio debet fieri ſecundùm capacitatem ſubiecti, ſubiectum autem finitum, cum habeat capacitatem finitam, poteſt tantum finito modo participare rem infinitā; vnde perſonalitas Diuina tantum finito modo ſe communicat naturæ; & Deus in ratione ſummi boni tantum finito modo ſe communicat beatis, ergo etiam natura humana, & operatio Chriſti poſsunt tantum finito modo dignificari ab infinita dignitate Dei.

52 Dices. Se communicare finito modo ſecundùm eſſe phyſicum: non autem ſecundùm eſse morale. Contra. Ideo communicatur finito modo ſecundùm eſse phyſicū, quia ſubiectum ratione ſuæ finitatis habet capacitatem finitam; ſed etiam ſecundùm eſse morale habet capacitatem finitam, ergo. Confirmatur. Si eſset infinitus, eſset talis ratione ſuæ excellentiæ, per quam excedit omnes alios valores; atque adeo ratione ſuę quidditatis, in qua fundatur excellentia, ſecundùm hanc autem non eſt infinitus, quia eſt quidditas determinata in certo genere.

53 Dico tertiò. *Valorem operum Chriſti fuiſſe ſummū poſſibilem, ita vt non poſſit eſſe maior.* Probatur. Valor creſcit proportionaliter ex dignitate perſonæ, ergo cum non poſſit dari natura creata, quæ ſubſiſtat in perſona digniori, quàm Diuina, nec etiam poterit dari valor maior, quàm ſit in actibus Chriſti.

54 Dico quartò *Hunc valorem eſſe infinitum ſyncategorematicè, non formaliter, cum non habeat partes ſecundùm quas poſſit correſpondere maiori, & maiori valori, ſed eminenter per æquiualentiam eminentialem ex eo, quòd eſt in ſupremo ordine.* Probatur. Eſt valor in ſupremo ordine, ergo habet hanc infinitatē; quia ſupremum continet per æquiualentiā perfectiones inferioris ordinis.

55 Dices. Si æquiualeret omnibus valoribus, eſset in ſe ipſo formaliter infinitus, quia diceret vnam rationem valoris, in qua omnes alij continerentur. Reſpondetur negando ſequellam. Quia non ęquiualet per cauſalem continentiam, quaſi ſit cauſa omnium valorum, ſed tantùm per æquiualentiam in ordine ad præmium quatenus eſt ſufficiens pro omni præmio poſſibili.

56 Dices ſecundò. Poſita quacunque re perfecta, poteſt Deus facere perfectiorem, ergo etiam valorem perfectiorem, quàm ſit valor operum Chriſti. Reſp. negando conſequentiam. Quia hic valor non eſt terminus Diuinæ potentiæ, ſed prouenit à Diuino ſuppoſito, vnde ipſi commenſuratur ſecundùm capacitatem actus creati.

57 Dices 3. Si peccatum eſset infinita offenſa, adhuc ſatisfactio Chriſti eſset ſufficiens pro ipſo, ergo infinita Reſp. neg. conſeq. Quia adhuc peccatum non requireret ſatisfactionem niſi perſonæ infinitæ; non quia non poteſt exigere, niſi ſummam ſatisfactionem poſſibilem. Tū quia ſufficit æqualitas perſonæ ſatisfacientis cū perſonā lęſa vt fiat ſufficiens ſatisfactio. Deinde in illa hypotheſi ſatiſfactio haberet infinitatem ſicut haberet peccatum, quia quod daret infinitatem peccato, tribueret etiam proportionaliter ſatisfactioni.

58 Ad primum Reſpond. Ex ſcriptura nihil aliud colligi quam ſuperabundantiam ſatisfactionis Chriſti. Ad 2. & eius confirmationē reſpōdetur procedere tantū de infini-

tate

Digitized by Google

tate ſyncategorematica modo explicato. Ad 3. Hunc valorem creſcere proportionaliter ad dignitatem perſonæ; ſed ſecundum menſuram, qua poteſt ſe communicare ſubiecto, non poteſt autem ſe communicare, niſi finito modo ergo. Ad 4. Sufficere infinitatem ſyncategorematicam, quia præmia, & iniuriæ habent tantum infinitatem ſyncategorematicam etiam ſi conſiderētur ſecundum totam ſuã poſſibilitatem. Ad 5. negatur minor. Nã ſatisfactio Chriſti nõ eſt minoris valoris reſpectu totius collectionis peccatorum, quia tota collectio non requirit maiorem ſatisfactionem, quàm requirunt ſingula peccata; nam quodlibet peccatum ſeorſim requirit ſummam ſatisfactionem. Ad 6. negatur conſeq. Nam omne præmium poſſibile non eſt infinitũ, niſi ſyncategorematicè: & ideo ex eo, quod perſonę infinitæ debeatur magnum prȩmium, ſequitur tantũ, quod debeatur infinitum ſyncategorematicè. Deinde argumentum ſolum probat, quod ratione infinitatis perſonę debeatur prȩmium infinitum; non autem ratione infinitatis valoris, qui ſit in actu.

59 Ex his Colligitur non potuiſſe Chriſtum plus mereri, quàm poſſit Deus facere. Tum quia non potuit mereri impoſſibile. Tum quia meritum, & præmium dicuntur relatiuè, vnde vnum non poteſt excedi ab alio. Et licet per vnicum actum potuerit mereri quicquid Deus poteſt facere, non tamen per alios potuit plus mereri, quia cæteri actus non fuiſſent applicabilȩs ad aliud præmium.

60 Colligitur 2. Quod ſi Deus intuitu meritorum Chriſti faceret aliam vnionem hypoſtaticam, quâ alia perſona Diuina aſſumeret aliam naturam; adhuc valor operum Chriſti poſſet alia obtinere, quia poteſt indiuiſibiliter applicari pro ſingulis præmijs.

DE CONDITIONIBVS IVSTITIAE ſatisfactionis Chriſti.

DISPVTATIO C.

An Chriſti ſatisfactio ſit ad alterum.

SECTIO I.

1 Ariſtoteles 5. *Ethic. cap.* 1. & 2. docet ad ſe ipsũ non eſſe iniuſtitiam, quia nemo vult lædere ſe ipſum, ex quo etiã fit, quod nec ad ſe ipſum poſſit eſſe ſatisfactio, cum ſatisfactio ſupponat iniuriam, vnde difficultas eſt, quomodo Chriſtus, cùm ſit perſona Diuina, potuerit ſatisfacere Deo, omiſſis autem varijs reſponſionibus.

2 Dicendum eſt. *Ad ſatisfactionē, ſeu iuſtitiam exercendam per accidens requiri diſtinctionem ſuppoſitorum, quatenus ex ipſis infertur diſtinctio naturarum, & diuerſitas iurium, atq. adeò Chriſti ſatiſfactionem fuiſſe ad alterum ſecundum iura diuerſa Diuinum, & humanum, ratione quorum potuit conſurgere debita æqualitas.* Probat. Satiſfactio de ſuo formali importat adæquationem iuriũ; hæc autem adæquatio poteſt fieri ab vna, & eadem perſona, quæ in ſe ſubſtentet diuerſa iura fundata in diuerſis naturis. Hoc autem contingit in Chriſto, quia ſubſtentabat ius naturæ Diuinæ, & humanæ.

3 Obijcit Vaſquez. Per hoc non ſaluatur, quod ſatisfactio ſit ad alterum, ſed tantùm, quod ſit eiuſdem ad ſe ipſum ſecundum alteram, & alteram naturam. Reſpondetur Non ſaluari quod ſit ad alterum, alteritate ſuppoſiti concedo; alteritate iuris, nego. Alteritas autem ſuppoſiti eſt ſolum neceſſaria, vt habeatur alteritas iuris.

4 Inſtabis. Neque eſſe ad alterum alteritate iuris, quia ius hominis eſt ſub iure Dei, vnde 5. *Ethic. 6.* habetur. Inter Dominum, & ſeruum nõ poſſe eſſe iuſtitiam, quia ſeruus non habet proprium ius. Reſpondetur. Ex hoc fieri, quod non ſit iuſtitia propriè dicta, non autem, quod non interueniant diuerſa iura, quià ius hominis eſt diuerſum à iure Dei, licet ipſi ſubordinatum.

5 Obijcitur 2. Principium ſatisfaciendi fuit etiam ſubſiſtentia Diuina, vt dignificans, ergo. Reſpondet. Licet dignificet, non tamen fundat ius, ſecundum quod eſt facta ſatisfactio, quia tale ius fundatur in principio morali dominatiuo, quod eſt voluntas creata.

An Chriſti ſatisfactio defecerit à Iuſtitia, quia ipſe non tenebatur ſatisfacere.

SECTIO II.

6 Difficultas eſt, an de ratione ſatisfactionis, & iuſtitię ſit, quod fiat ab eo, qui læſit, an verò poſſit eſſe ab alio.

Prima ſententia negat, ita Suarez *diſp. 4. de Incar. ſec. 6.* & alij. Prob. Iuſtitia ſolum intendit ſeruare ius alienum, ergo parum refert, quod ab hoc, vel ab alio reſtituatur in priſtinum ſtatũ, quando eſt læſum 2. Cum quis alteri detrahit, ſi ſciat iacturam famæ eſſe alio modo compenſatã, non tenetur ad reſtitutionem. ergo

7 Secunda ſententia eſt affirmatiua, & proinde vult, ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe ſecundum iuſtitiam defectu huius conditionis. Ita Recentiores nonnulli.

8 Dico 1. *Ad ſatisfactionē ex iuſtitia requiri, quod fiat ab eo, qui lęſit.* Prob. In conſtituenda æqualitate iuſtitiæ ideſt reſtituẽdũ, ſupra quod læſus habet ius, læſus aũt per iniuriã ab alio habet ius ſupra ſatisfactionem propriæ excellentię, quam ille tenetur exhibere, à quo eſt lęſus, ita vt ius ſit ad compellendam voluntatem illius, qui lęſit, ad hanc teſtificationem. ergo

9 Dico 2. *Ratione huius conditionis Chriſti ſatiſfactionē non defeciſſe à vera ratione iuſtitiæ.* Probat. Ideò defectu huius conditionis nõ haberetur vera iuſtitia, quia nõ redditur id, ſupra quod lęſus habet ius. Sed in Chriſti ſatisfactione redditur totũ id, ſupra quod Deus habet ius, ergo. Minor prob. Chriſtus aſſumpſit cauſam generis humani, & tanquam caput ſatisfecit nomine ipſius habens ſibi alligatas voluntates hominum, non ſolùm interpretatiuè, ſed etiam formaliter per actuale obſequium ipſorum, ergo per ipſum redditur Deo illa teſtificatio excellentię, quam tenetur reddere quilibet homo. Antecedens probatur. Quia Chriſti ſatisfactio non completur, quòad effectum, niſi pro iis, qui cooperantur per proprium obſquium.

10 Dices. Ergo Chriſtus non plenè ſatisfecit, ſed homo etiam ſatiſfacit. Reſpondetur. Non plenè ſatisfecit quò ad condignitatem, & nego, quò ad effectum, & applicationem ſatisfactionis, & concedo. Quia, vt Chriſti ſatisfactio habeat ſuum effectum, debet interuenire actualis conuerſio hominis in Deum.

11 Dices 2. ſequeretur, quod homo non iuſtificaretur gratis, quia cooperatur ſatisfactioni Chriſti, ratione cuius fit remiſſio iniurię. Reſpond. negando ſequellam. Quia condigna ſatisfactio non eſt ex nobis, ſed ex meritis Chriſti, & nobis gratis applicata.

12 Dices 3. Opera Chriſti non ſatisfaciunt, niſi vt dignificata; vt autem talia, neque moraliter ſunt noſtra, ergo. Reſpondetur. Eſſe moraliter noſtra, quia ſunt capitis in quo repreſentatur totum genus humanum, & offeruntur à Chriſto nomine ipſius.

13 Ad 1. Reſpondetur. Non poſſe ſeruari iuſtitiam, niſi ſatisfactio ſit aliquo modo ab offendente, ſatisfactio autem pro peccato fuit aliquo modo ab offendente, quatenus fuit à capite generis humani. Ad 2. negatur paritas. Quia in illo caſu ſupponitur poſitum id, ad quod lęſus habet ius, quia iam habet bonam famam, in caſu autem noſtro lęſus habet ius ſupra obſequium offendentis, & ideò niſi ipſum ponatur, non reſtituitur quod debetur.

Digitized by Google

An ad complendam Chriſti ſatisfactionem requiratur acceptatio.

SECTIO III.

14 Licet ſatisfactio Chriſti fuerit cōdigna, quia tamē nō eſt exhibita ab eo, qui tenebatur ſatisfacere. Difficultas eſt, an fuerit neceſſarium, quod Deus illam acceptaret pro debito generis humani, an verò ex natura ſua abſq; tali acceptatione extinxerit debitum?

15 Prima ſententia aſſerit fuiſſe neceſſariam acceptationem, ita Vaſquez *diſp. 9. de Incarnat. cap. 2.* & alij. Probant. Nulla actio ex natura ſua tollit debitum culpæ, aut pœnæ, cum nulla ex natura ſua tollat peccatum, ergo. Secundò. Cum quis ſecundum legem incurrit pœnam corporalem, ſi pecunia ſe redimat, non ſatisfacit ſine benigna acceptatione creditoris, ergo cum homo incurrerit reatum pœnæ, non potuit Chriſtus ſatisfacere pro ipſo ſine acceptatione.

16 Secunda ſententia aſſerit non fuiſſe neceſſarium, ita Vega *lib. 7. in Concilium Trid. cap. 9.* Suarez *diſput. 4. de Incarnat. ſectio 5.* Crabrera *3. par. quæſt. 1. art. 2. diſp. 7. §. 6.*

17 Dico 1. *Si in ſatisfactione offeratur, totum quod eſt debitum ex vi iuſtitiæ cum omnibus conditionibus requiſitis, non requiritur aliqua acceptatio, ſed ex natura rei extinguitur ius creditoris.* Prob. Ponitur tota æqualitas, quæ requiritur ex vi iuſtitiæ, quæ non dat ius, niſi ad debitā æqualitatē, ergo ex natura rei extinguitur ius creditoris, quia læſus habet tātum ius ad debitam æqualitatem.

18 Dico 2. *Chriſti ſatisfactionem eſſe talem, vt ſi non eſt neceſſaria Dei acceptatio, vt compenſet iniuriam, neque etiam eſt neceſſaria, vt tollat alterum effectum peccati, videlicet reatum culpæ, & pœnæ,* eſt cōtra Raguſam *diſput. 21. de Incarnat.* Probatur. Effectus peccati, qui conſiſtit in priuatione amicitiæ Dei, & deſtinatione ad pœnas, eſt connexus cum primo effectu, quia homo in tātum eſt inimicus, & deſtinatus ad pœnam, inquantū Deum offendit, ergo facta compenſatione iniuriæ, debet ceſſare id, quod eſt debitum ratione iniuriæ.

19 Dices. Non eſſe neceſſe, vt ad remiſſionem iniuriæ ſequatur reconciliatio, vt patet in nobis. Contra. Non poteſt remitti iniuria perſeuerante auerſione peccatoris à Deo, cùm in ipſa auerſione formaliter conſiſtat peccatum, atque adeò offenſa Dei, ergo non poteſt remitti, niſi ponatur conuerſio oppoſito; atque adeò gratia habitualis, & acceptatio in amicum.

20 Dices 2. Ratione peccati periiſſe ius noſtrum ad gratiam. Contra. Intantùm perijt, in quantùm Deus illam ſubtraxit in pœnam peccati, ergo cum poſita debita ſatisfactione extinguatur ius Dei ad puniendum, debet etiam ceſſare pœna.

21 Dico 3. *Cum quis eſt impotens ad ſatisfaciendum de condigno, & alter pro ipſo ſatisfacit, ita tamen vt accedat voluntas ipſius cum illa ſatisfactione, quam poteſt exhibere, adhuc ex natura rei extinguitur ius læſi, nec eſt neceſſaria benigna acceptatio.* Probatur. Iuſtitia non dat ius, niſi ad poſſibile, ergo cum quis eſt impotens ad condignè ſatisfaciendum, & alius pro ipſo ſatisfacit, exhibetur illa condigna ſatisfactio, quæ eſt poſſibilis, ergo læſus non habet aliud ius ad alium modum ſatisfactionis.

22 Dico 4. *Ad ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe neceſſariam Dei acceptationem, ſed ex natura ſua extinxiſſe debitum.* Probat. Hæc ſatisfactio fuit oblata à Chriſto vt à capite nomine generis humani, & fuit cōdigna, & adfuit noſter conſenſus interpretatiuè in voluntate Chriſti, & formaliter, quando per noſtrum obſequium nobis applicatur ſatisfactio, ergo poſuit debitam æqualitatem, tàm in re, in qua erat illatum damnum, quàm in perſona, quæ intulit, ergo ex natura ſua extinxit debitum.

23 Dico 5. *Chriſti ſatisfactionem ex natura ſua abſque acceptatione extinxiſſe ius Dei, vt iudicis ad puniendum.* Eſt contra. Raguſam *citatum*. Probatur. Chriſti ſatisfactio ponit æqualitatem, quam Deus vt iudex poteſt exigere, ergo extinguit ius Dei, vt iudicis. Antecedens probatur. Quia Iudex habet tantum ius ad illam æqualitatem, qua conſtituitur debitus ordo Reipublicæ; Chriſti autem ſatisfactio ponit hanc æqualitatem, quia reſpublica rationalis creaturæ non exigit, niſi illam æqualitatem per quam creatura rationalis debito modo ſit ordinata cum vltimo fine. Chriſti autem ſatisfactio ponit hanc æqualitatem, & ordinem, cum ſubijciat creaturam Deo vt vltimo fine per debitum obſequium.

24 Ad 1. Reſpondetur. Nullam actionem tollere peccatum in genere cauſæ formalis; Chriſti autem ſatisfactio tollit in genere efficientis, quatenus extinguendo ius fundatum in iniuria, tollit etiam ea, quæ conſequuntur ad iniuriam. Ad ſecundum negatur conſequentia. Quia Chriſti ſatisfactio extinguit etiam ius, quod habet Deus vt iudex, inducendo debitam æqualitatem, quam exigit reſpublica.

An in Deo fuerit obligatio acceptandi Chriſti ſatisfactionem.

SECTIO IV.

25 Prima ſententia eſt negatiua, ita Medina *3. p. q. 1. art. 2.* Suarez *diſp. 4. de Incarn. ſect. 5.* Vaſquez *diſp. 9. cap. 3.* Meratius *diſp. 8. ſect. 1.* & alij. Prob. Chriſtus agit gratias Deo pro impetratione eorum, quæ fecit, ergo Deus poterat non exaudire, atq; adeo non acceptare eius ſatisfactionem. Secundò. Deus habebat ius ad noſtram ſatisfactionem, ergo poterat non acceptare ſatisfactionem Chriſti. Tertiò. Potuiſſet Deus ordinare, ne Chriſtus offerret ſua opera pro ſatisfactione, ergo etiam potuiſſet decernere, non acceptare. Si Chriſtus offerret.

26 Secunda ſententia aſſerit, non potuiſſe non acceptare; ſed ex diuerſo capite aſſignat neceſſitatem acceptandi. Alij enim, vt Sotus *in 4. diſt. 19. q. 1. art. 2.* Quia voluntas Diuina non poterat diſcordare à voluntate humana Diuini ſuppoſiti. Alij vt Lorca *3. parte diſputat. 8.* Quia opera Chriſti erant ſummè digna. Alij vt Raguſa *diſp. 12. de Incarnat. §. 1.* quia ex vi ſatisfactionis erat in Deo obligatio negatiua, orta ex eo, quod ſatisfactio eſſet æquiualens, & homo impotens ad ſatisfaciendum.

27 Dico primò. *Secluſo quocunq. pacto ſiue explicito, ſiue implicito, adhuc Deus erat obligatus ex vi ſuæ rectitudinis ad acceptandam ſatisfactionem Chriſti pro genere humano.* Probatur. Chriſti ſatisfactio adæquata compenſatione extinguit ius Dei, ergo ex vi ſuæ rectitudinis tenetur acceptare. Probatur antecedens. Quia ſatisfactio eſt condigna, & ius Dei, cùm non poſſit eſſe ad impoſſibile, non poteſt exigere condignam ſatisfactionem ab ipſo homine, ergo poteſt tantùm exigere, quòd homo ſatisfaciat eo modo, quo poteſt, & quòd alius, qui poſſit, ponat condignitatem. Conſequentia etiam probatur. Extincto iure creditoris, non poteſt creditor detinere debitorem obligatum, quia ius nō dat illi hanc poteſtatē, ergo Deus ratione ſuæ rectitudinis non poteſt detinere hominem obligatū, atque adeò debet acceptare ſatisfactionē.

28 Dico 2. *Deum etiam vt iudicem fuiſſe obligatum ex vi ſuæ rectitudinis acceptare ſatisfactionem.* Probatur. Deus vt iudex habet tantùm ius ad illam æqualitatem, qua tollatur inæqualitas inducta per peccatum, quæ conſiſtit in deordinatione ab vltimo fine, & in tantùm habet ius ad pœnam, in quantum adeſt hæc inæqualitas, ergo cum per Chriſti ſatisfactionem inducatur hęc ęqualitas, vt conſtat ex ſupra dictis, extinguitur ius Dei vt iudicis.

29 Ad 1. Chriſtum egiſſe gratias Deo pro beneficijs, in quibus fuit exauditus, non autem pro acceptatione ſatisfactionis.

Digitized by Google

ctionis. Deinde aguntur etiam gratiæ Deo pro ijs, quæ neceſſariò fiunt; vnde beati gratias agũt de ipſa beatitudine. Ad 2. Quomodo ſit redditum totũ id, ad quod Deus habebat ius, patet ex dictis. Ad 3. negatur conſequentia. Nam ante oblationem ſatisfactionis poterat Deus impedire, ne offerret Chriſtus; at poſt oblationem, cum ſit iam extinctum ius Dei, non remanet in ipſo poteſtas non acceptandi.

An ſatisfactio Chriſti fundetur in gratia creditoris.

SECTIO V.

30 QVod ſatisfactio nõ debeat fũdari in gratia creditoris, docent cõmuniter, quia ſi debitor vtatur gratia creditoris ad ſatisfaciẽdũ, iã in illa gratia virtualiter relaxatur debitũ, & ideò non poteſt interuenire iuſtitia, cum igitur ſatisfactio Chriſti fundetur in gratia, non videtur, quomodo ex hoc capite poſſit eſſe ſecũdũ iuſtitiã.

31 Notandũ 1. ſecundùm Regulas iuſtitiæ nõ eſſe reddendũ in ſatisfactione, niſi id, quod eſt debitũ, & eo modo, quo eſt debitum; quia autẽ nõ poteſt eſſe debitũ, quod eſt impoſſibile, cũ hoc nõ poſſit poni in bonis creditoris, ideò cum homo non poſſit aliquid boni facere ſine gratia, neque poterit contrahere debitum reddendi aliquid Deo, quod fiat ſine gratia.

32 Notandũ 2. Licèt tota operatio bona ſit gratia Dei, adhuc tamen eſt propria hominis, & ſub eius dominio, & proprietas in eo conſiſtit, quod operetur ſecundum regulas particulares, & dominatiuo modo. Hinc cum teneatur tantum dare, quod eſt ſub eius dominio, non poterit contrahere aliud debitum reſpectu Dei, niſi ad exhibẽdas ſuas operationes ſecundum determinationem factam per regulas particulares, quia hæc ſola determinatio eſt in poteſtate ipſius.

33 Dicendum eſt. *Gratiam, quam Chriſtus accepit in ordine ad ſatisfaciendum, non tollere, quin ſatisfactio* ſit ſecundùm iuſtitia. Probat. Tunc gratia creditoris derogat iuſtitiæ, quando excludit aliquid, quod ſit debitum, in ſatisfactione autem Chriſti non excluditur aliquod debitum, cum non ſit debitum Deo aliquid quod non ſit participatum ab ipſo, atq; adeo quod in ordine ſupernaturali non ſit ex gratia ipſius.

34 Dices. Dum Deus dat gratiam, licet operatio ſit ſecundùm regulas particulares, adhuc tamen virtualiter, relaxat debitum. Reſpondetur. Non relaxare, ſed tantum dare potentiam ad ſatisfaciendum, & ideò ſicut manet in poteſtate hominis ſatisfacere, vel non ſatisfacere; ita etiam habet ex ſe, quod reddat debitum.

35 Dices ſecundò. Iſta ſatisfactio habet valorem à ſuppoſitò Diuino, ergo eſt ipſa gratia creditoris. Reſpond. Habere hunc valorem à ſuppoſito Diuino dependenter à voluntate creata, quatenus ſe applicans ad operandum, facit, quod ſuppoſitum Diuinum dignificat operationem.

An Chriſti ſatisfactio ſit ex proprijs.

SECTIO VI.

36 REquiritur etiam, vt ſatisfactio ſit ſecundum regulas iuſtitiæ, quod non ſit ex bonis creditoris; ſi enim redditur creditori, quod ſuum eſt pro eo, quod eſt ablatum non ponitur æqualitas debita. Vnde cum Chriſtus in ſatisfactione exhibuerit opera, quæ erant ſub Dei dominio, non videtur ſatisfactio ipſius habere hanc conditionem, præſertim quia dignificatio ſatisfactionis erat ex dignitate propria Dei.

37 Notandum 1. Satisfactionem, quia creatura tenetur Deo ſatisfacere, eſſe diuerſæ rationis ab ea, quæ eſt inter homines. Ratio eſt, quia homines ſunt perſonæ eiuſdem ordinis, nec vnus dependet ab alio in exhibenda ſatisfactione. Homo autem, & Deus ſunt diuerſi ordinis, ita vt cum creatura dependeat eſſentialiter à Deo in ſuis operationibus, non poſſit ſatisfacere, niſi per opera, quæ procedunt à Deo, vt à cauſa prima.

38 Notandum 2. Ex vi iuſtitiæ requiri ſolùm in ſatisfactione, vt inæqualitas reducatur ad æqualitatem. Hinc ſi poteſt reduci per ea, quæ ſunt ſub dominio creditoris, iàm ſatisfactio eſt ſecundùm iuſtitiam, quia ponitur totum, quod exigit iuſtitia.

39 Notandum 3. Creaturam non poſſe priuare Deum aliquo dominio, quia cum ſit eſſentialiter Dominus, nihil poteſt exiſtere, quod nõ ſit ſub eius Dominio, vnde quãdo non exhibet actum, quem Deus exigit, nõ priuat ipſum aliquo dominio; nam actus, antequam exiſtat, non eſt ſub Dei dominio, & ſi Deus vult efficaciter ipſum exiſtere, non impeditur à Creatura. Hinc iniuria in eo conſiſtit, quod homo deum contemnat ſe conuertendo ad bonum creatum, quod non eſt aliud, quàm lædere ordinem, quem vult creaturas habere ad ſe ipſum. Hinc tota inæqualitas in eo conſiſtit, quod creatura tollat à ſe ipſa ordinem debitum reſpectu vltimi finis, & ideò inducetur æqualitas, ſi talis ordo ponatur à perſona infinita per debitam ſubmiſſionem.

40 Dicendum 1. *Satisfactionem Chriſti, vt ſit ſecundum iuſtitiam, non debere eſſe ita ex proprijs, vt excludatur dominium Dei.* Probatur. In hac ſatisfactione eſt tantum inducenda æqualitas oppoſita inæqualitati ortæ ex iniuria, ſed hæc ſufficienter inducitur per ea, quæ ſunt ſub Dei dominio, ergo. Probatur minor. Quia iſta æqualitas conſiſtit tantùm in debito obſequio, per quod Deo redditur debitus honor oppoſitus contemptui, qui fuit in peccato.

41 Dicendum 2. *Non obſtare, quod dignitas, & valor ſit à perſona Verbi, adhuc Chriſti ſatisfactio eſt ſecundum leges iuſtitiæ ex eo, quod iuſtitia exigit tantum tolli inæqualitatem deordinationis, quà creatura ſe auertit à Deo per actionem, quà eadem creatura Deo ſubijciatur, quæ ſit tantæ dignitatis, quanta eſt grauitas iniuriæ.*

Probatur. Tota inæqualitas conſiſtit in deordinatione creaturę, qua deus contemnitur, & hęc ſola eſt tollenda in ſatisfactione, non autem eſt transferendum in Deum aliquod dominium, cum Deus eſſentialiter illud habeat ſupra omnia, ergo non requiritur, quod valor ſatisfactionis ſit ex proprijs naturę humanę, ſed ſufficit, ſi dignificetur actio humana.

An Chriſti ſatisfactio ſit ex indebito.

SECTIO VII.

42 SAtisfactionem debere eſſe ex ijs, quę non ſunt debita alio titulo creditori, docent communiter, quia quod eſt debitum ex vno capite, nequit inſeruire ad tollendam inæqualitatem ortam ex alio; vnde cum Chriſti opera fuerint Deo debita ex alijs titulis, pręſertim gratitudinis, non videntur potuiſſe inſeruire pro ſatisfactione.

43 Notandum 1. Actus morales poſſe habere plures moralitates ex diuerſis obiectis; vnde cum quis ex voto tenetur dare eleemoſinam, ille actus habet rationem miſericordię, & religionis.

44 Notandum 2. Actus morales poſſe ordinari in Deum ex diuerſis titulis gratitudinis, obedientię, ſeruitutis, &c. Quia autem iſti tituli reſpiciunt ſpeciales rationes in Deo, hinc habetur, quod idem actus adęquatè ordinatus poſſit terminari ad Deum ſecundùm diuerſas rationes, quę ſint vnus terminus adequatus.

45 Notandum tertiò. Actiones noſtras quocunque titulo dirigantur in Deum, non inducere rationem ſatisfactionis, niſi voluntas reſpiciat motiuum ſatisfaciendi, quod eſt ius Dei, actus enim inducit ſolùm illas rationes, quas refundit motiuum. Opera autem noſtra, licet Deo ſunt debita ex diuerſis titulis, non tamen ſunt debita ſub ratione ſatisfactionis, niſi ex titulo

Digitized by Google

iuris fundato in offenſa; & ideo niſi ipſe accedat, ſemper remanent indebita ſub ratione ſatisfactionis.

46 Dicendum. *Chriſtum ſatisfeciſſe ex indebitis, quatenus opera ipſius ſub ratione ſatisfactionis non erant debita ex alio titulo*. Probatur. Secundum rationem obſequij ſatisfactiui non exiguntur, niſi ratione offenſæ, ergo ſub hac ratione ſunt indebita ex alio titulo. Rurſus iuſtitia non exigit indebitum quocunq; alio titulo, quia ſolùm exigit tolli inæqualitatem, quæ tollitur ſufficienter per id, quod operans exhibeat ſub ratione ſatisfactionis, ergo

Quæ iuſtitia interueniat in Chriſti ſatisfactione.

SECTIO VIII.

47 Vidimus, in Chriſti ſatisfactione fuiſſe ſeruatas omnes iuſtitiæ conditiones, quæ requiruntur ad cōdignitatem, atq; adeò interueniſſe obiectum materiale, quod eſt æqualitas, nunc videndum de formali, quod eſt ius. Certum eſt autem, in Chriſti ſatisfactione interueniſſe aliquam iuſtitiam, ad Rom. 3. *Quem propoſuit Deus ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ*; Vnde Chriſtus ſatisfecit de toto rigore iuſtitiæ quò ad obiectum materiale exhibendo totum id, quod exigebat rigoroſa iuſtitia, quod docent ferè omnes veteres Doctores.

48 Prima Sententia aſſerit, fuiſſe iuſtitiam commutatiuam, ita Medina 3. *p. q. 1. art. 2. dubio 3.* Corneius *diſp. 1. dubio 7.* Crabrera *diſp. 8. §. 3.* Ragula *diſp. 22.* Probant. Chriſti ſatisfactio dicitur emptio, redemptio, ſolutio, quę important iuſtitiam commutatiuam. Secundò. In ſatisfactione pro iniuria interuenit commutatiua, quando redditur æquale, vt docet Ariſtoteles. Chriſtus autem reddidit æquale.

49 Secunda ſententia aſſerit, fuiſſe iuſtitiam ſpecialem, quæ eſt ad Deum diſtinctam à iuſtitia commutatiua, quę eſt inter homines, ita Suarez *diſp. 4. de Inc. ſectio 5.* Hurtadus *diſp. 12. ſectio 12.*

50 Tertia Sententia, docet fuiſſe actum religionis, ita Marſil. *in 4. q. 10. ad 6.*

51 Quarta ſententia ait, fuiſſe actum plurium virtutum, quia Chriſtus ſatisfecit per omnia ſua opera ex motiuo charitatis, obedientiæ, &c. Ita Vaſquez *diſp. 7. de Incarn. cap. 6.* Merat. *diſ. 7. ſect. 2.*

52 Quinta ſententia vult, fuiſſe actum iuſtitiæ vindicatiuæ, quia Chriſtus ſoluit pro eo, quod homo debebat pati, ita Recentiores nonnulli.

53 Dico primò. *Non fuiſſe Iuſtitiam commutatiuam propriè dictam*. Probat. Hæc Iuſtitia eſſentialiter conſtituitur per commutationem iurium, quod fieri nequit, niſi ius vnius in alium transferatur; Chriſtus autem non tranſtulit in Deum ius aliquod, cum non ſit capax noui iuris.

54 Dico ſecundò. *Neque fuiſſe iuſtitiam commutatiuā diuerſam à noſtra*. Probatur. Vel hæc iuſtitia fundatur in iure propriè dicto; vel non. Si primum, ergo eſt iuſtitia commutatiua detractis imperfectionibus. Si ſecundum; ergo non eſt iuſtitia propriè dicta.

55 Dico tertiò. *Neque fuiſſe actum Religionis*. Probatur. Religio reſpicit in Deo pro motiuo ſummam excellentiam: ſatisfactio autem ius ortum ex offenſa. ergo

56 Dico quartò. *Licet Chriſtus ſatisfecerit per actus plurium Virtutum, non tamen ſatisfactio fuit actus plurium virtutum*. Probatur. Satisfactio vt talis habet ſpeciale motiuum, nempe compenſationem iniuriæ, ergo eſt actus tantùm vnius virtutis.

57 Dico quintò. *Non fuiſſe actum iuſtitiæ vindicatiuæ*. Probatur. Iuſtitia vindicatiua reddit æqualem mediante pœna, & Deus illam non exercet parcendo, ſed exigendo pœnam. In Chriſti autem ſatisfactione non fuit exacta aliqua pœna, neque enim Chriſtus ſatisfecit per pœnalitates, ſed per obſequium placatiuum dignificatum à Perſona infinita.

58 Dices. Satisfactio fuit facta Deo, vt Iudici, ergo per iuſtitiam vindicatiuam. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia aliud eſt puniri, & aliud extinguere ius iudicis, hoc ſecundùm non eſt actus iuſtitiæ vindicatiuę, quia qui læſit non ſubijt aliquam pœnam.

59 Dico ſextò. *Fuiſſe actum iuſtitiæ legalis*. Probatur. Iuſtitia legalis eſt illa, quæ habet pro obiecto debitum ordinem reipublicę, ſeu ęqualitatem, quā cōſtituitur hic ordo. Chriſti autem ſatisfactio conſtituit hunc ordinem, quia reconciliauit hominem Deo. ergo

60 Ad primum. Reſpondetur ſatisfactionem Chriſti ſignificari nomine emptionis, &c. ad explicandam ipſius condignitatem, non autem ad explicandam iuſtitiam commutatiuam. Ad ſecundum. Iuſtitiam commutatiuam reſpicere ęqualitatem ſecundum commutationem iurium, quę eſt inter homines, quando ſibi inuicem ſatisfaciunt, & de hac loquutus eſt Ariſtoteles: hęc autem commutatio iurium non eſt in Deo.

DE SATISFACTIONE PVRI Hominis.

DISPVTATIO CI.

An poſſit purus homo perfectè ſatisfacere pro ſuo peccato.

SECTIO I.

1 Certum eſt, non poſſe ſatisfacere ex viribus naturę 2. Corinth. 13. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis*, & ideò quęſtio procedit ſuppoſito auxilio Dei.

2 Prima Sententia aſſerit, poſſe ſatisfacere per actum contritionis, vel amoris, ita Scotus *in 4. diſt. 15. q. 1. art. 2.* Aureol. *ibidem*, Richard. *diſtinct. 17. art. 1. q. 7.* Paludan. *in 3. diſtinc. 20. q. 2.* Bannes 3. *p. q. 2. art. 4.* Rada *p. 3. cont. 13. art. 1.* & communiter Scotiſtę. Probant. In ſatisfactione condigna ſolum requiritur vt tantum reddatur, quantū fuit ablatū. Cōtritio autem, & amor tātū reddunt Deo, quantum fuit ablatum, tum quia reddunt debitum obſequium, tum quia tantum bonum eſt contritio, quantum malum eſt peccatum, tum quia reſtituunt Deo honorem vltimi finis. Secundò. Contritio habet pro obiecto peccatum deſtruendum vt Dei offenſam, ergo eſt ſatisfactio ſufficiens ad ipſum tollendam.

3 Secunda ſententia eſt negatiua, ita D. Bonau. *in 3. diſtinc. 20. q. 3. & 4.* Durandus *q. 2.* Ferrar. 4. *contra Gentes cap. 54.* Suarez *diſp. 4. de Incarn. ſectio. 8.* Raguſa *diſp. 5. §. 3.* Hurtad. *diſp. 10. ſectio. 1 & 4.* Vading. *diſp. 1. dub. 6. §. 2.* & communiter.

4 Dicendum eſt. *Non poſſe purum hominem pro peccato proprio ſatisfacere ad æqualitatem*. Deſumitur ex Patribus, quatenus docent, fuiſſe neceſſariam incarnationem, quia ſolus Filius Dei poterat pro peccatis ſatisfacere, & redimere hominem. Probatur. Peccatum in ratione offenſę creſcit ex dignitate perſonę, ſicut quęlibet alia offenſa, vt docet Ariſtoteles 5. *Ethic. c. 5.* ergo cum Deus ſit perſona ſummè digna, ita vt non poſſint ipſi ęquiparari dignitates omnes aliarum perſonarum, etiam prout finito modo ſtat in menſura noſtrę cognitionis, cum adhuc cognoſcamus excedere in infinitum omnes alias perſonas, offenſa ipſius erit ſumma, ergo non poteſt homo exhibere condignam ſatisfactionem, quia ſatisfactio ipſius non erit ſumma, quia ſatisfaciens non eſt perſona ſumma.

5 Di-

Digitized by Google

5 Dices. Peccatum non eſſe infinitum in ratione offenſę,& ideo,licet non poſſit compenſari aliquo determinato obſequio, poterit tamen compenſari obſequiorũ multitudine,excellentia, & diuturnitate. Contra. Tota illa multitudo obſequiorum, &c. non eſt ſumma ſatisfactio poſſibilis, ergo non adæquat grauitatem iniuriæ.

6 Dices ſecundò. Quę ſunt ſuperioris ordinis poſſe cõpenſari per multitudinem eorum, quæ ſunt inferioris ordinis:ſic plures actus temperantiæ æquiualent actui charitatis. Contra. Quę ſunt inferioris ordinis ſecundum totum ſuum eſſe, & dignitatem menſurantur menſura inferiori, ergo nunquam adæquant res ſuperioris ordinis; actus autem temperantiæ in ratione meriti, non eſt inferioris ordinis cum actu charitatis.

7 Dices tertiò. Poſſe à vili perſona ſatisfieri pro iniuria quam intulit Regi,vt ſi pro ipſo exponat vitam,quia ſufficit, quod ſatisfactio tanti ęſtimetur, quanti æſtimatur damnum ex iniuria. Contra. Nulla hominis ſatisfactio poteſt tanti æſtimari quanti ęſtimatur iniuria illata Deo, quia hæc eſt ſumma,& ſatisfacto hominis eſt ordinis longè inferioris. ergo

8 Ad primum reſpondetur. Per actum amoris, aut cõtritionis non compenſari grauitatem iniuriæ, ſed tantum illud bonum creatum, quod per peccatum fuit ablatum, vnde licet contritio tendat in peccatum deſtructiuo modo, non tamen compenſat iniuriam, quia ad compenſandam non ſufficit deſtructio peccati. Et hinc patet. Ad ſecundum.

9 Ex his colligitur. Neque in ſtatu puræ Naturæ potuiſſe hominem ſatisfacere pro peccato, quia adhuc peccatum fuiſſet offenſa Dei, atque adeò perſonæ ſummè dignæ.

10 Colligitur ſecundò. Neque hominem iuſtum poſſe condignè ſatisfacere; tum quia non habet locum ſatisfactio, tum quia, ſi haberet, militat eadem ratio.

An poſſit purus homo pro peccato proprio imperfectè ſatisfacere.

SECTIO II.

11 PRima ſententia eſt negatiua. Ita Medina *par.3. quæſt.1. articul.2.* Caietanus *opuſculo de fide, & operibus cap.* 11. Richard. *in 4.diſtinct.* 17. *quæſt.* 2. *art.*4. Cumel 1. *part. quæſt.*21. *art.*4. Probant. Quia Cõcilium Trident. Arauſic. & Milleuitanum docent, iuſtificationem gratis fieri, quod non eſſet verum, ſi homo poſſet ſatisfacere, ſecundò. Contritio non poteſt ſatisfacere vt ſubſequitur gratia, cum iam ſupponatur culpa remiſſa, nec vt antecedit, quia tunc non habet valorem, cum omnis valor in ordine ſupernaturalia fundetur in gratia.

12 Secunda ſententia eſt affirmatiua: ita Ferrar.4.*contra gentes capitul.* 54. Suarez *diſput.* 4. *de Incarnatione ſection.* 10, Ragula *diſput.*6. Aluarez *diſp.*7. & alij.

13 Dicendum eſt. *Hominem poſſe exhibere Deo aliquam imperfectam ſatisfactionem*. Probatur. Contritio tendit placatiuo modo,& Deus illam acceptat. Pſalm. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*, ergo aliquo modo ſatisfacit,quia ſatisfactio conſiſtit in exhibitione illius, quod poteſt placare offenſam.

14 Ad primum reſpondetur. Non gratis iuſtificari,quia hæc ſatisfactio, cum non ſit condigna, non facit debitam reconciliationem. Ad ſecundum. Contritionem vt antecedit gratiam eſſe imperfectam ſatisfactionem, quia eſt actio placatiua, & habet ſuam æſtimabilitatem in ordine ſupernaturali, cum ſit actus ſupernaturalis. Cum autem dicitur,quod omnis valor fundatur in gratia, intelligitur de valore condigno.

15 Quæres. An homo vt membrum Chriſti poſſit condignè ſatisfacere. Reſpondetur non poſſe per proprias actiones, quia licet opera ipſius ſint ex influxu Chriſti, non tamen habent illum valorem, quem habent opera Chriſti, non enim homines iuſti communicant in dignitate perſonali capitis.

An poſſit homo condignè ſatisfacere pro peccato commiſſo ſine aduertentia ad offenſam Dei.

SECTIO III.

16 QVæſtio ſupponit, quod illud peccatum, quod ex natura ſua eſt mortale committatur ab aliquo cum ignorantia inuincibili, aut inaduertentia, quod ſit offenſa Dei, cognoſcatur tamen habere grauem turpitudinem in ordine morali.

Prima ſententia eſt negatiua, ita Salas 1. 2. *tractat.* 13. *diſput.16, ſect.*22. & alij Recentiores. Probatur. Eo ipſo, quod peccatum eſt contra rationem, eſt etiam contra Deum, quia recta ratio eſt participatio æternæ legis, ergo, ſecundò. Antecedenter ad prohibitionem Dei homicidium eſt malum morale graue,& grauiter diſplicet Deo alioquin non prohiberetur ſub pœna graui, ergo antecedenter ad offenſam Dei eſt peccatum mortale. Tertiò ſequeretur peccare tantum venialiter, ſi quis diceret, ſi homicidium non eſſet à Deo prohibitum, licet eſſet diſſonum rationi,ergo occiderem: quia tunc actus, & obiectum præſcinderent à prohibitione, & offenſa Dei,quartò ſequeretur, omnia peccata eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ in ratione peccati mortalis, quia conſtitueretur per rationem offenſæ Dei, & malitia, ex obiecto non eſſet mortalis.

17 Secunda ſententia aſſerit, tale peccatum non futurũ mortale, atque adeo poſſe hominem pro ipſo condignè ſatisfacere. Ita Suarez *lib.*1. *de gratia cap.*13.*& lib.*7.*c.*23.Coninc. *diſp.*32. *de charitate dub.*5.Henriquez *lib.*3. *de pœniten. cap.*1. & alij.

18 Dico primò. *Peccatum cum ignorantia inuincibili offenſæ Dei non fore mortale,quia nec erit offenſa Dei.* Probatur. In tali peccato non præfertur creatura Deo, eo quod peccans ignorat præferri, ergo non eſt mortale, quia peccatum, in tantum eſt mortale, in quantum per conuerſionem ad creaturam ſeparat a Deo,& priuat gratia, quę eſt vita animæ.

19 Dices,licet non præferatur formaliter, præferri tamen virtualiter,quia peccatum eſt tale ex natura ſua. Cõtra. Obiectum non influit in actum, niſi eo modo, quo ſtat in cognitione, ergo ſi nullo pacto cognoſcitur creaturam pręferri Deo, nullo modo præfertur.

20 Dico ſecundò. Poſſe purum hominem condignè ſatisfacere pro tali peccato. Probatur. Ideò non poteſt ſatisfacere pro mortali, quia eſt contra perſonam infinitam, illud autem peccatum non eſſet contra dignitatem Diuinam, quia non eſſet offenſa Dei.

21 Dices. Adhuc diſpliceret Deo. Contra. Quia non omne, quod diſplicet Deo, eſt grauis offenſa ipſius, ſed inſuper requiritur, quod grauiter ipſum lædat.

22 Dico tertiò. Non ſequitur, quod de facto dentur apud fideles peccata in materia graui cõtra rationem,quæ non ſint etiam offenſa Dei. Probatur. Omnes cognoſcũt Deum, & ſe debere operari propter vltimum finem, & ſolum actus bonos in ipſum dirigi, ergo ſi aduertant ad malitiam, aduertunt etiam ſaltem implicitè, & virtualiter ad offenſam Dei,cum iam ſciant,quod actus malus eſt offenſa Dei.

23 Dico quartò. Etiam in infidelibus,ſi cognoſcunt verum Deum, fieri non poteſt, vt aduertant aliquid eſſe grauiter contra rationem, & non eſſe offenſam Dei. Probatur. Sciunt, Deum eſſe gubernatorem vniuerſi, & intendere bonum ipſius, atque adeò vt ſupremum legiſlatorem prohibere malum, ergo eo ipſo,quod aduertunt malitiam, aduertent virtualiter offenſam Dei.

24 Ad primum reſpondetur valere de peccato, ſi conſideretur ſecundum ſuam naturam,non autem,vt eſt in ap-

præhen-

Digitized by Google

prehenſione peccantis. Ad tertium. Talem actum habere ſuam malitiam mortalem,& eſſe prohibitum à Deo,vnde ſi quis aduertit malitiam, & ipſum eliciat,peccat mortaliter. Ad quartum, negatur ſequella. Quia peccata ſunt offenſa Dei ſecundum talem rationem malitiæ, & ideò multiplicantur iuxta multiplicationem malitiæ.

An purus homo poſſit pro veniali proprio condignè ſatisfacere.

SECTIO IV.

25 QVæſtio procedit de puro homine iuſto; quia peccator, ſicut non poteſt ſatisfacere pro mortali, ita nec pro veniali, quia non poteſt relaxare debitum venialis, niſi relaxetur etiam debitum mortalis.

26 Prima ſententia eſt negatiua. ita Petrus. Soto *lect.* 18. *de pœniten.* Zumel 1.2. *quæſt.* 114. *artic.* 5. *diſput.* 2. *Concluſio.* 4. Vading. *diſp.* 1. *de Incarnatio. dub.* 6. §. 3. & alij. Probant. Etiam veniale peccatum eſt offenſa Dei,atque adeò contra perſonam infinitam,ſecundo. Poſtulamus à Deo, nobis veniſti venialia, ſi autem poſſemus ſatisfacere, remiſſio eſſet debita, tertiò Scriptura etiam, & Patres tribuunt Diuinæ miſericordiæ remiſſionem peccati, quartò. Non poteſt homo ſatisfacere eodem actu pro maiori, & maiori pœna temporali in infinitum; alioquin poſſet etiam pro æterna, ergo nec pro quocunque veniali, cum hoc ſit aliquid maius.

27 Secunda ſententia aſſerit, poſſe ſatisfacere per vires naturales ſubſtinendo proportionatam pœnam. Ita Scotus *in* 4. *diſtinct.* 21. *quæſt.* 1. Gabriel *diſtinct.* 16. *q.* 5. *art.* 1. vel per actum moraliter bonum contrarium peccato veniali. Durand. *in* 4. *diſtinct.* 16. *quæſt.* 2.

28 Tertia ſententia vult, poſſe condignè ſatisfacere exhibendo aliquid per auxilium gratiæ, quod ſit æquiualens offenſæ. ita Suarez *diſp.* 4. *de Incar. ſect.* 9. Ragula *diſp.* 7. Chelſon. 3. *part. quæſt.* 1. *art.* 2. *dub.* 3. Crabrera *diſp.* 15. §. 2. & communiter Recentiores.

29 Dico primò. *Non poſſe condignè ſatisfacere ex viribus naturæ.* Probatur. Licet poſſit ſubſtinere pœnam debitam, atque adeò pro ipſa ſatisfacere, non tamen poteſt ſatisfacere pro culpa, quia in culpa veniali adeſt inæqualitas in ordine ſupernaturali, quæ non poteſt tolli niſi per aliquid ſupernaturale. ergo

30 Dico ſecundò. *Poſſe condignè ſatisfacere cum auxilio gratiæ.* Probatur. Ideò non poteſt ſatisfacere pro mortali, quia offenſa cadit ſupra dignitatem Diuinam, quatenus contemnitur Deus. Sed offenſa venialis non cadit formaliter ſupra dignitatem Diuinam, ergo. Minor probatur. Cum veniale non auertat à Deo, non tollit illum ordinem, quo Creatura ordinatur in Deum, atque adeò non contemnitur Deus per antepoſitionem creaturę,ergo non lædit Deum ſecundum ſe, ſed vt ſtat ſub illo ordine,quo creatura tendit in ipſum,quatenus à tali ordine ſubtrahitur aliqua perfectio.

31 Dico tertiò. *Hanc ſatisfactionem non indigere acceptatione Dei,ſed eſſe ex ſe ſufficientem.* Probatur. Habet ex ſe vim extinguendi debitum, alioquin non eſſet cõdigna,cum condignitas in eo conſiſtat, quod tantum exhibeatur,quantum ius creditoris exigit,ergo non eſt opus acceptatione.

32 Dices. Requiri acceptationem, quia debita eſt ex alijs titulis. Contra. Non eſt debita ex alijs titulis ſub ratione ſatisfactionis, vt ſupra dictum eſt. ergo

33 Ad primum patet ex dictis. Ad ſecundum reſpondetur. Nos poſtulare remiſſionem venialium, Tum quia eſt difficile pro omnibus ſatisfacere, Tum quia eſt neceſſarium auxilium gratiæ, vt poſſimus ſatisfacere. Ad tertium. Peccata ſemper tolli per Dei miſericordiam, aut quia immediatè condonantur; aut quia tolluntur per Sacramenta, aut quia ſaltem Deus dat auxilium ad ſatiſfaciendum. Dicuntur autem dimitti à Deo, quia ſolus relaxat debitum poſita ſatisfactione. Ad quartum negatur conſequentia. Quod enim actus contritionis,aut dilectionis ſatisfaciat pro offenſa, habet ex vi ſuæ ſpecificationis,quia ſecundùm ſe reſtituit æqualitatem ablatam per peccatum veniale, quod autem ſatisfaciat pro pœna non habet ex vi ſuæ ſpecificationis, ſed ratione valoris, qui cum ſit limitatus, poteſt compenſare tantùm pœnam limitatam.

An purus homo conſtitutus caput generis humani poſſit pro alienis peccatis ſatisfacere.

SECTIO V.

34 PRima ſententia eſt affirmatiua. ita Gabriel *in* 3. *diſtinct.* 19. *quæſt.* 2. Durand. *ibidem* Almain. *quæſt.* 1. Sotus *in* 4. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 5. Probant. Poſſet reddere æquiualens bono ablato per peccatum, quia bonum ablatum eſt rectitudo ſupernaturalis, & honor vltimi finis,ergo Secundò. Potuiſſet Deus conferre illi homini illam gratiam, quam dedit Chriſto, ergo potuiſſet ſatisfacere ad æqualitatem.

35 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita D. Bonauentura *in* 3. *diſtinct.* 20. *quæſt.* 3. & 4. Richardus *ibidem.* Vaſquez *diſp.* 4. *de Incar. c.* 2. Suarez *diſp.* 4. *ſect.* 7. & alij.

36 Dicendum eſt. *Nullam puram creaturam cum quauis gratia potuiſſe ſatisfacere condignè pro peccatis generis humani.* Ita communiter Patres Baſilius *in Pſal.* 18. Chryſoſt. *homilia* 10. *in Ioann.* Cyrillus *lib.* 5. *theſauri cap.* 2. Auguſt. *cap.* 18. *Enchiridio:* Adrianus *Epiſtola* 1. *ad Epiſcopos Hiſpaniæ.* Probatur. Iniuria Dei, & peccatum eſt ſumma offenſa excogitabilis,vt vidimus; ſatiſfactio autem puri hominis cum quauis gratia, etiamſi eſſet infinita, non eſt ſumma excogitabilis, cum non ſit à perſona ſummè digna. ergo

37 Ad primum reſpondetur. Poſſe reddere ęquiualens pro bono ablato ipſi homini, non autem pro grauitate offenſæ. Ad ſecundum ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe condignam ratione gratiæ, ſed ratione perſonæ dignificantis.

38 Quæres. An ſaltem pro veniali alieno poſſit ſatisfacere. Reſpondetur negatiuè. Quia ſatisfactio illius de facto non extenditur ad extinguendum debitum offenſæ alterius, cum non adſit ordinatio Dei: & offenſa exigat ſatiſfactionem ab ipſo debitore. De potentia tamen abſoluta poſſet, quia cum poſſit exhibere condignam ſatisfactionem pro veniali, poſſet applicari ex Dei inſtitutione pro offenſa aliena.

DE ADORATIONE CHRISTI.

DISPVTATIO CII.

An Chriſtus ſit adorandus adoratione latria.

SECTIO I.

1 ADoratio eſt inferioris reſpectu ſuperioris: in quo diſtinguitur a laude, & gloria, nam etiam poteſt ſuperior laudare, & glorificare inferiorem vnde eſt ſubiectio, qua nos alicui ſubijcimur ob eius excellentiam,& ex noſtra indigentia: vnde etiam diſtinguitur, a quacunque reuerentia, & cultu, quia cultus, & reuerentia non important ſubmiſſionem ex indigentia.

2 Supponendum eſt. Adorationem triplicem eſſe videlicet latriam. Duliam, & Hyperduliam. Latria ſecundum communem acceptationem dixit illam adorationem, quæ eſt pro-

Digitized by Google

eſt propria ſolius Dei. Dulia eſt adoratio qua colimus Sanctos. Hyperdulia verò eſt adoratio excellentiæ, quæ tribuitur B. Virgini.

3 Dicendum eſt. *Chriſtum adorari adoratione Latriæ quæ conſiſtit in eo, quod ſit profeſſio ſubmiſſionis ſummæ, & totalis exhibita perſonæ ſupremæ, à qua totaliter dependemus*. Eſt de fide definitum in Concilio Epheſino *can.* 4. & in VI. Synodo, *collat.* 8. *Canon.* 9. Probatur Ioann. 15. *Vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem*. Eſaiæ 55. *Mihi curuabitur omne genu*, quod de Chriſto exponitur Ioan. 12. Ad Philip. 2. *Vt in nomine Ieſu omne genufle ctatur*, &c. Ratio eſt. Quia Chriſtus eſt perſona Diuina.

4 Obijcitur. Verbum ratione aſſumptionis humanæ naturæ exinaniuit ſemetipſum in formam ſerui, ergo hic homo Chriſtus non debet adorari latria. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia hic homo Chriſtus eſt homo Deus, & ideo exigit eamdem adorationem.

An hæc adoratio redundet in humanitatem.

SECTIO II.

5 SVb alio etiam titulo proponitur quæſtio, videlicet, An Chriſtus vt homo adoretur Latria, ita vt talis adoratio per ſe immediatè terminetur ad humanitatem vt ad obiectum materiale, & motiuo tamen Diuinæ excellentiæ.

Prima ſententia eſt negatiua, & vult humanitatem ſolum adorari quadam adoratione, quæ impropriè ſit latria, ita Alenſis 3. *part. quæſt.* 3. *memb.* 2. Gabriel *in* 3. *diſtin.* 9. *quæſt.* 1. Cordub. *lib.* 1. *quæſt.* 5. *dub.* 3. Probatur, Latria eſt adoratio propria Dei, ergo non poteſt terminari ad humanitatem. Secundò. Non ſacrificamus humanitati, ergo nec latria ad ipſam terminatur. Tertiò ſi Angelus adoraret verbum, antequam aſſumeret humanitatem, vel poſſet aſſumpta humanitate adorare Chriſtum eodem actu, & tunc non adoraret humanitatem; vel non poſſet, & tunc eſſet neceſſaria alia adoratio, ergo humanitas non adoratur eadem adoratione. Quartò Amor ergo Chriſtum non terminatur æqualiter ad Verbum, & humanitatem, quia Verbum amatur ſuper omnia, non autem humanitas, ergo nec adoratio. Quintò Damaſcenus *oratione* 1. *de imaginibus ait, materiam, per quam mihi ſalus facta eſt, colere non deſino: non tamen vt Deum*. ergo. Nomine autem materiæ intelligit humanitatem.

6 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita communiter cum D. Thoma 3. *part. quæſt.* 25. *art.* 2. & oppoſitum cenſetur damnatum.

6 Dicendum eſt, *Adorationem, qua Chriſtus adoratur, terminari per ſe ad humanitatem, vt ad obiectũ materiale*. Probatur ex Concilio Alexandrino *Epiſtola ad Neſtorium* approbata à Concilio Epheſino; *vnus intelligitur Chriſtus Ieſus Filius Vnigenitus, qui vna adoratione propria cum carne adoratur*, & V. Synodus, *Si quis in duabus naturis adorari dicit Chriſtum, ex quo duas adorationes introducit, ſed non vna adoratione Deũ verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, anathema ſit*, & VI. Synodus *act.* 6. deffinit in adoratione Chriſti non ſeparari Diuinitatem ab humanitate, ſed vtramq; vt vnum adorari. Confirmatur. Concilium Trid. *ſeſſione* 13. *Can.* 6. deffinit, Sacramentum Euchariſtiæ adorari cultu latriæ, quia continet Diuinitatem: humanitas autem Chriſti continet Diuinitatem. Confirmatur ſecundò obiectum redditur dignum veneratione ſecundum menſuram excellentiæ, quam habet, ergo humanitas Chriſti, cum perficiatur per excellentiam Diuinam, quatenus perficitur, & ſanctificatur per perſonam Verbi, eſt adoranda adoratione latriæ.

8 Ad primum reſpondetur. Latriam eſſe propriam ſolius Dei, vt habet ex ſe motiuum talis adorationis, poſſe tamen alteri communicari: nam ſicut poteſt motiuum alteri communicari, ita etiam adoratio. Ad ſecundum negatur conſeq. Nam ſacrificium non ſit humanitati, quia in ipſo offertur Chriſtus ratione humanitatis, idem autẽ non poteſt ſacrificari ſibi ipſi. Ad tertium. Non eſſet diuerſa adoratio formaliter, quia eſſet ex eodem motiuo; ſed tantùm materialiter, quia augeretur obiectum materiale. Ad quartum. Amorem Dei eſſe ſuper omnia ex obiecto materiali, quatenus bonitas, quæ amatur eſt Deus ſupereminens omnia; humanitas autem Chriſti, cum non ſit talis, non amatur ſuper omnia; amatur tamen ex eodem motiuo, atque adeò eodem amore formaliter; vnde etiam poteſt adorari eadem adoratione formaliter ex eodem motiuo. Ad quintum. Damaſcenum tantum velle, quod humanitas non ſit adoranda vt Deus; non autem, quod non ſit adoranda vt aliquid Dei ex eodem motiuo latriæ.

An humanitas poſſit adorari præciſè a Verbo adoratione inferiori.

SECTIO III.

9 PRima ſententia aſſerit, poſſe licitè adorari ratione propriæ excellentiæ creatæ, ita Caietanus 3. *part. quæſt.* 25. *artic.* 2. Medina *ibidem* Præpoſ. *dub.* 3. Chelliſſon. *dub.* 4. Scotus *in* 3. *diſtinct.* 9. *quæſt.* 1. Palud. *quæſt.* 2. Durandus *quæſt.* 3. Suarez *diſp.* 53. *de Incarnat. ſect.* 3. Hurtadus, *diſp.* 85. *ſect.* 2. & alij. probant. Poteſt humanitas præciſè concipi, non concepto verbo, & tunc habet ſuam excellentiam, ob quam poteſt adorari, & talis adoratio à nullo iure prohibetur, ergo. Secundò Diuinitas poteſt adorari præciſa à perſonalitatibus, ergo etiam humanitas præciſa à verbo. Tertiò Humanitas præciſè à verbo poteſt exorari, vt aliquid nobis præſtet; exoratio autem eſt aliqua adoratio, cum ſit aliquis cultus. Quartò B. Virgo vt Mater Dei poteſt adorari latria cum ordine ad Filium, & tamen poteſt etiam adorari hyperdulia ratione proprię excellentię præciſo illo ordine, ergo. Quintò. Poteſt Princeps ſedere inferiori loco ratione tituli, cui conuenit inferior locus, vt ſi ſit Canonicus poteſt ſedere inter Canonicos, ergo etiam humanitas præciſa à Verbo poteſt ratione propriæ excellentię adorari inferiori adoratione.

10 Secunda ſententia aſſerit poſſe adorari phyſicè præciſè à verbo, non tamen moraliter, & licitè: ita quidam Recentiores. Probant. Humanitas Chriſti adorabat Deũ, & non ſe ipſam, quia adoratio eſt eſſentialiter ad alterum, ergo poteſt aliquid adorari abſque eo quod adoretur totum, quod eſt in aliqua perſona, ergo etiam humanitas non adorato Verbo.

11 Tertia ſententia abſolutè negat. Ita D. Bonauentura *in* 3. *diſtinct.* 9. *articul.* 1. *quæſt.* 1. Richardus *articul.* 2. *quæſt.* 1. Vaſquez *diſput.* 96. *de Incarnat.* Raguſa *tom.* 2. *diſput.* 42.

12 Dico primò. *Non poſſe humanitatem licitè adorari præciſè à Verbo*. Probatur ex Concilio Conſtantinopolitano V. *collat.* 8. *canon.* 9. Si quis *in duabus naturis adorari dicit Chriſtum, ex quo duas adorationes introducit ſeparatim Deo Verbo, & ſeparatim Deo homini, anathema ſit*.

13 Dices. Concilium voluiſſe damnare eos, qui Chriſto exhibebant duas adorationes, vt duabus perſonis. Contra. Licet hoc intenderet damnare, adhuc tamen docet humanitatem non eſſe ſeparandam à Verbo in adoratione, atq; adeò non eſſe duo obiecta adorabilia, alioquin poſſent, deferri ſeparatim duæ adorationes.

14 Probatur Secundò. Humanitas Chriſti ratione vnionis eſt facta particeps eiuſdem adorationis cum Verbo, vt docent communiter Patres: Cyrillus *in deſi.* 8. *anathemat.* Chryſoſtomus *ſermone de Aſcenſione*. Leo Papa *ibidem*, & alij, ergo non poteſt adorari præciſè à Verbo; alioquin adoratio eſſet contra ius adorati, atque adeò eſſet actus

Digitized by Google

ſet actus inimicitiæ, quia ſubtraheretur, quod eſt debitũ. Confirmatur. Quando concipimus humanitatem pręciſe à Verbo, non ſeparatur ab ipſa ius, quod habet ad adorationem, ergo cum debeat adorari ſecundum menſuram ſui iuris, adhuc exigit adorari eadem adoratione cum Verbo.

15 Dico ſecundò. *Nec phyſicè poſſe adorari pracisè à Verbo, ita vt ille actus retineat rationem adorationis.* Probatur. Adoratio eſt eſſentialiter actus Virtutis, ergo quando deſinit eſſe actus bonus, non eſt amplius adoratio, cum non ſit actus virtutis; in caſu autem noſtro ille actus non eſſet bonus, vnio eſſet actus iniuſtitię, quia ſubtraheret debitum cultum.

16 Ad primum. Primæ ſententiæ negatur conſequentia. Nam licet poſſit pręcisè concipi, non tamen adorari, quia adoratio fit illicita, vt patet ex dictis. Ad ſecundum negatur paritas. Quia quando adoratur Diuinitas præciſa à Perſonis adhuc adoratur latria, & nihil ſubtrahitur de debita adoratione. Ad tertium. Humanitatem, cum ſe habeat vt, *quo*, in Chriſto, non poſſe præcisè exorari, ſed exoratur Chriſtus ratione humanitatis ex eo, quod exoratio tendit ad perſonam, prout in ſua apparentia ſubſtentat ius naturæ humanæ. Ad quartum negatur paritas. Quia Beata Virgo non habet ius propriè ad latriam, ſed quando ipſi exhibetur, exhibetur in virtute iuris alieni, quia adoratur reſpectiua adoratione tanquam aliquid Verbi, vnde non fit ipſi iniuria, ſi adoretur iuxta proprium ius per hyperduliam. Ad quintum eſſe diſparem rationem. Quia princeps volens ſedet in illo loco, & ideò non fit ipſi iniuria. Deinde ſeſſio ſequitur ius, vnde cum Princeps in illo loco non ſubſtentet ius Principis, ſed Canonici, ideò ſedet ſecundum ius Canonici. At humanitas in ordine ad adorationem ſubſtentat tantum ius Perſonæ Diuinæ, nam omnis alia excellentia ab ipſa determinatur.

17 Ad Fundamentum ſecundæ ſententiæ negatur vltima conſequentia. Ex eo enim, quod adoratur Verbum ſine humanitate, nulla fit iniuria, ſicut fit adorata humanitate ſine Verbo.

Digitized by Google

SACRA SPECVLATIVA DOCTRINA DE

Intellectuali natura creata, atq; ad ſupernaturalem ſtatum eleuata.

NOmine naturę intellectualis creatæ intelligimus illam, quæ ſupra omnem corpoream eleuata purum gradum intellectualem obtineat, vt homine perfectior ſit. In ſcriptura autem, & apud PP. dicitur Angelus, quod latinè ſignificat Nuntium: vndè non eſt nomen explicans naturam, ſed officium, vt docet D. Dyoniſius *capit*. 5. *de cæleſti hierarch*. de hoc autem in præſenti agimus, & primo de ipſius exiſtentia.

DE EXISTENTIA Angelorum.

DISPVTATIO CIII.

An certum ſit dari Angelos.

SECTIO I.

1 ATheiſtæ, ſicuti Deum negant, ita etiã negant, dari ſubſtantias ſeparatas; & ſolum ea, quæ ſenſibus percipiuntur, concedunt exiſtentia. Saduçei quoque vt colligitur ex *cap*. 21. Act. negant Angelos, cum negent omnes ſpiritus, & Nonnulli alij Hæretici, communiter tamen philoſophi Ethnici Angelos cognouerunt, quos nomine Intelligentiarum, Dæmonis, Genij, & his ſimilibus appellabant.

2 Eſt tamen certũ de fide dari Angelos, qui ſint naturæ præſtantioris ſupra hominem. Tobiæ 12. *Ego ſum Raphael Angelus vnus ex ſeptem, qui adſtamus ante Dominum*. Pſalm. 8. *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis*. ad Heb. 2. *Cum autem qui modico quàm Angeli minoratus eſt*. Matth. 18. *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei*, &c. Vnde non ſolum habetur, dari has creaturas, ſed etiam eſſe intellectuales, & excellentiores homine. Difficultas autem eſt, an poſſit naturaliter cognoſci exiſtentia Angelorum.

3 Prima ſententia aſſerit poſſe demonſtrari. Ita Banes 1. *p. q*. 55. *art*. 1. *concl*. 3. Bubalus *de Angelis ibid. quæſit*. 2. *diff*. 1. §. 6.

4 Secunda ſententia negat, poſſe efficaciter demonſtrari, ſed tantum probabiliter, & cum quadam morali certitudine. Ita Scotus *quodlib*. 7. Marſil. *quæſt*. 2. *art*. 1. Cumel. 1. *p. quæſt*. 50. *art*. 1. *quæſt*. 1. Valentia *tom*. 1. *diſp*. 4. *quæſt*. 1. *puncto* 1. Suarez *in Metaph. diſp*. 35. *ſect*. 1. & communiter.

5 Dico primò. *Exiſtentiam Angelorum non poſſe efficaciter demonſtrari lumine naturali*. Probatur. Non poteſt demonſtrari à priori, quia non habent cauſam neceſſariam ſuæ exiſtentiæ; nam cum ſint creaturæ, contingenter exiſtunt. Neque à poſteriori, quia non adeſt aliquis effectus, qui ſit per ſe connexus cum ipſis, ita ut non poſſit eſſe ab alia cauſa, ergo &c.

6 Dices motum cæli eſſe per ſe ab Angelis, quia non poteſt eſſe à cauſa naturali determinata ad vnum.

Contra. Licet exigat cauſam intellectualem, non tamen per ſe exigit Angelum, quia poteſt eſſe à Deo, & adeſt etiam congruentia, quia cum cælum ſit cauſa vniuerſalis, congruum eſt, motum ipſius regulari à prima cauſa vniuerſali.

7 Dices ſecundò. Naturale eſſe, quod diuerſi effectus habeant diuerſas cauſas; vnde cum ſint varij motus orbium cæleſtium, debent eſſe à diuerſis intelligentijs.

Contra. quia falſum eſt, non poſſe eſſe plures effectus ab eadem cauſa ſecundò. Quia ad ſummum id eſſet verum reſpectu cauſæ particularis, non autem reſpectu cauſæ vniuerſalis.

8 Dices tertiò. plura eſſe, quæ exercentur per Magiam Dæmoniacam, & etiam in arreptitijs, quæ neceſſariò exigunt cauſam intellectualem, nec in Deo referri poſſunt, quia de ſe turpia ſunt.

Cont. Quia hæc quoque poſſunt tribui alteri cauſæ, videlicet animæ ſeparatæ.

9 Dico ſecundò. *Neque poſſibilitatem Angelorum poſſe poſitiuè demonſtrari vera demonſtratione*. Probatur: Quia à poſteriori non adeſt aliquis effectus, quem euidenter cognoſcamus poſſibilem, & ita per ſe connexum cum poſſibilitate Angelorum, vt ex ipſo illam neceſſariò colligamus. Neque habemus à priori notam cauſam, quia non adeſt alia præter Dei omnipotentiam, & ipſius Ideam, quæ non ſunt nobis naturaliter cognita, ſecundum quod in particulari terminantur ad naturam Angelicam.

10 Dico tertiò. *Poſſe negatiuo modo poſſibilitatem Angelorum demonſtrari*. Probatur. Certum eſt, poſſe Deum facere, quidquid in ſe ipſo non implicat; Nam eo ipſo, quod non implicat, eſt aliquod ens, & radicatum in Diuina potentia, ſed poſſumus naturaliter cognoſcere, Angelos non implicare, ergo, &c. Min. Probatur: Qui illud in ſe non implicat, quod conſtat ex talibus rationibus, quæ ad inuicem proportionatæ ſe habent, & vna perficit aliam. Huiuſmodi autem ſunt ratio ſubſtantiæ, ſpiritualitatis, & intellectualitatis; vndè poſſunt coniungi in eadem creatura.

11 Dico quartò. *Probabiliter poſſe oſtendi exiſtentiam Angelorum cum quadam morali certitudine*. Probatur: Quia dantur aliqui effectus, qui licet non excedant

faculta-

Digitized by Google

facultatem naturæ vniuerſalis, excedunt tamen facultatem naturæ particularis, vel quia fiunt inſtantaneè; vel quia non adſunt cauſæ requiſitę; vel quia non præcedit debita diſpoſitio, vt inſtantaneę apparitiones corporum, productio ſerpentum, vt habetur Exod. 7. quæ fiunt à magis auxilio dæmonum; nec enim fieri poſſunt à Deo, quia multoties contingunt cum turpitudine, nec eſt probabile, eſse aliquam animam ſeparatam, quia aliquando ſe declarant ſe non eſſe animam.

Confirmatur ex apparitionibus bonorum Angelorum, quæ ſeclulis illis, quas per fidem habemus, frequenter ſolent fieri.

Confirmatur ſecundò. Quia congruum fuit, Deum creare Angelos, vt reperiretur in vniuerſo creatura intellectualis ſecundum perfectum gradum.

12 Dices. Adeſt anima rationalis, ergo ipſa ſufficit.

Reſpondetur Non ſufficere, quia ita eſt in gradu intellectuali, vt tamen ſit forma corporis, & ideò non importat gradum intellectualem perfecto modo ſe habentem.

13 Obijc. Ad perfectionem cauſæ pertinet, quod effectus ſit illi perfectò ſimilis, ergo etiam ad perfectionem Dei pertinet, quod vniuerſum ſit effectus perfectè illi ſimilis, ergo cum Deus agat purò per intellectum, & voluntatem, debet in vniuerſo dari creatura purè ſpiritualis, agens per intellectum, & voluntatem, ergo naturaliter probatur dari Angelum.

Reſpond. Antecedẽs eſse verum de cauſa, quæ agit neceſſario; non autem de libera, quia hęc poteſt communicare effectui illam perfectionem, quam vult. Rurſus valet etiam ſolum de cauſa vniuoca neceſsaria, non de æquiuoca, nam hæc non aſſimilat ſibi effectum in omnibus perfectionibus, ſed ſolum in eſſe virtualis continentię aſſimilatione æquiuoca, hoc eſt proportionali.

14 Inſtab. Vniuerſum eſt effectus Dei ſub ratione entis, & reſpicit Deum, vt cauſam creatiuam, ergo niſi contineat omnes gradus entis, quos poteſt habere ens creabile, nec erit perfectum, nec adęquabit virtutem creatiuam Dei quoad principalem gradum, quod dici non poteſt, quia Deut. 32. *Dei perfecta ſunt opera*.

Reſpondetur. Non erit perfectum extenſiue, benè tamen intenſiue. Opera autem Dei ſunt perfecta, quatenus perfecto modo facta ſunt, quę facta ſunt. Non eſt autem neceſſarium, quod vniuerſum ſit perfectum extenſiue ſecundum omnes gradus, ſed id pendet ex libera voluntate Dei, & ideò non poteſt innoteſcere, quod ſit tale, niſi vel ex reuelatione, vel ex effectu, vel quia gradus ſecundum ſe noti ſint.

Quando Angeli ſint producti.

SECTIO II.

15 SVpponendum eſt. Angelos eſse à Deo creatos iuxta illud ad Coloſs. 1. *In ipſo condita ſunt vniuerſa ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus*. & in Symb. Nicæno *Factorem cæli, & terræ; viſibilium omnium, & inuiſibilium*, vnde non potuerunt eſse æterni neq. etiam æternitate participata neceſsaria, quia de ratione creaturæ eſt, quod producatur à Deo contingenter, & libere. Difficultas ergo eſt, an ſint creati ab ęterno, an vero in tempore.

16 Dicendum eſt. *Fuiſſe creatos in tempore*. Ita D. Auguſtinus 12. *de Ciuit. cap.* 15. D. Thom. 1. *part. quæſt.* 62. *artic.* 2. & eſt de fide ex Concil. *Lateran. ſub Innocentio III.* vt in cap. *Firmiter De ſumma Trinitate*. *Qui ſua omnipotenti virtute ſimul in principio temporis vtramque ex nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corporalem; Angelicam videlicet, & mundanam*.

Probatur Eccleſiaſt. 24. De ſapientia genita dicitur, primogenita ante omnem creaturam. Prou. 8. *Dominus poſſedit me antequam quidquam faceret*, hoc autem non eſset verum, ſi Angeli fuiſsent ab ęterno; nam non fuiſset ante omnem creaturam. Ratio eſt, quia Angelus eſt pars quędam huius vniuerſi, & pertinet ad integritatem ipſius ergo non fuit conueniens creari ante productionem Mundi.

17 Obijc. Angelus eſt incorruptibilis, ergo fuit conueniens eſse ab ęterno.

Reſpondetur. Eſse incorruptibilem ab intrinſeco, poſſe tamen annihilari a Deo, & ideò cum ab extrinſeco ſit defectibilis, non illi congruit ęternitas etiam a parte ante.

An Angeli ſint creati ante Mundum Corporeum.

SECTIO III.

18 PRima ſententia aſserit, fuiſse creatos ante Mundum corporeum. Ita Origenes. *hom.* 1. *in Geneſ.* Baſilius *hom.* 1. *examer.* Chryſoſt. *lib.* 1. *de prouid.* Damaſc. 2. *de fide cap.* 3. & fere communiter PP. Gręci; ex latinis vero Hilar. 12. *de Tri.* Ambroſius *lib.* 1. *Hexameron. cap.* 5. Hyeronim. *in cap.* 1. *Epiſt. ad Titum*.

Probanr primo. Ad Titum 1. *In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur Deus, ante tempora ſæcularia*, ergo ante tempora ſęcularia fuit aliquis, qui non alius potuit eſse, quàm Angelus.

Secundo Iob. 28. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ, cum me laudabant Aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*. PP. autem intelligunt de Angelis. ergo precęſserunt creationem Mundi.

Tertiò. Quia non eſt congruum, Deum per infinita ſęcula ceſsaſse ab operatione.

19 Secunda ſententia aſserit, fuiſse creatos ſimul cum Mundo corporeo. Ita Epiphan. *hæreſ.* 35. Theodoret. *q.* 3. *in Geneſ.* Greg. *lib.* 2. *moral. cap.* 9. Beda *cap. prædicto Geneſ.* Hugo Victorin. *lib.* 1. *de Sacramentis part.* 1. *cap.* 2. & 3. Auguſtinus 11. *de ciuit. cap.* 6. & communiter omnes Scholaſtici cum D. Thoma 1. *part. quæſt.* 61. *artic.* 3.

20 Dicendum eſt. *Angelos fuiſſe creatos ſimul cum Mundo corporeo*. Hanc concluſionem aliqui putant de fide propter defenſionẽ Cõc. Later. infra afferẽdã: alij vero volunt, Conciliũ non intendiſse hoc definire. Eſt autem concluſio ſaltem moraliter certa, nec ſine periculo erroris poteſt negari.

Prob. Eccleſiaſt. 20. *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul*. Et quamuis reſponderi poſſit, *Ly ſimul*, non ſignificare ſimultatem durationis, ſed importare quãdam connexionem, ita vt idem valeat, ac *pariter*, ex alijs tamen locis colligitur, ſignificare ſimultatem durationis: nam Ioann. 5. habetur Diabolum ab initio peccaſse, & ſtatim ac peccauit cecidiſse in Infernum, vt deſumitur ex Lucæ 10. & Apoc. 12. vnde debuit tunc fuiſse creatus Infernus.

Confirmatur Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram* non fuiſset autem in principio, ſi præceſſiſset creatio Angelorum.

21 Probatur ſecundo ex concil. Later. vt habetur capit. *Firmiter ſummam Trinit.* Firmiter *credimus, ac ſimpliciter confitemur, quod vnus eſt ſolus verus Deus, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & Mundanam, & deinde Humanam, quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam*. Nec eſt congrua expoſitio, quod; *Ly ſimul*, ſignificet pariter, quia cum coniungatur cum illis verbis ab initio temporis, coarctat, vt *ſimul* ſtet pro ſimultate durationis.

22 Dicendum ſecundo. *Non fuiſſe creatos poſt Mundum corporeum, ſicut anima hominis*.

Probatur: Quia, vt patet ex Geneſ. initio, Creaturę quę poterant fieri immediate à Deo ſecundum totum ſuū eſſe,

Digitized by Google

eſſe, & quæ non erant compoſitæ ex alijs, fuerunt creatæ ſimul; in proceſſu autem ſequentium dierum fuerunt productæ ſpecies illæ, quæ ſunt veluti ſecundæ creaturę, eò quod ſint factæ ex primis, ergo cum Angelus ſecundum ſe totum ſit immediatè à Deo, fuit initio creatus.

Confirmatur Iob. 30. Beemet dicitur initium viarum Dei, quod non eſſet verum, ſi fuiſſet creatus poſt corpoream creaturam.

23 Ad primum reſpondetur tempora ſæcularia eſſe iſta tempora huius mundi, dicitur autem Deus promiſiſſe ante tempora ſæcularia, non quia præceſſerint aliqua durationes, ſed quia ab æterno prædeſtinauit dare vitam ęternam, & hoc propoſitum dicitur promiſſio, quia in virtute illius habetur exequutio collatiua gloriæ.

Ad ſecundum ſenſum illius loci eſſe, quod Iob non extiterit in illo tempore, in quo Deus fabricauit terram, & quando ab Aſtris, & Angelis laudabatur, quod nil aliud eſt, quam quod non extiterit in Mundi initio.

Ad tertium ſi argumentum concluderet, probaret Angelos fuiſſe creatos ab æterno; nam in quocũq; tempore ponantur Angeli creati, ſemper præceſſiſſent infinita ſæcula ſecundum hanc opinionem, ſecundum quam nec eſt incongruum Deum ceſſaſſe ab operatione per infinita ſæcula, quia operatur libero modo, & conſequenter, quando vult. Verum tamen eſt non præceſſiſſe ante mundi creationem infinita ſæcula, quia ante ipſum non fuit tempus, ſed tantùm æternitas Dei, quæ ſola præceſſit.

Vbi Angeli ſint Creati.

SECTIO IV.

24 ALiqui aſſerunt fuiſſe creatos intra regionem aeris, vt Rupert. *lib. 1. in Geneſ. cap.* 11. Alij verò, Angelos nobiliores fuiſſe creatos in cælo Empireo, alios verò, qui præſunt Mundo inferiori, fuiſſe creatos in ijs locis, in quibus exercent ſua officia. Alij verò, bonos Angelos fuiſſe creatos in cęlo, malos verò in inferiori Mundo. Alij omnes fuiſſe creatos in cælo ſydereo, vt Suarez 1. *de Angelis cap.* 4. Denique alij fuiſſe creatos in cælo Empireo. Ita D. Thom. 1. *part. quæſt. 61. art.* 4. & alij.

25 Dicendum eſt. *Angelos fuiſſe quidem creatos intra Mundum corporeum, non tamen in aliquo determinato loco.* Quia vid. in inſtanti creationis eorum non aderat aliqua determinatio loci. Ratio eſt quia fuerunt creati in primo inſtanti inceptionis Mundi corporei: tunc autem non fuit diſtinctio rerum, & corporum, ſed facta eſt per ſequentes dies, vnde non aderat cælum ſtellatum, quia poſtea facta ſunt ſydera, non erat ſeparata terra ab aqua, neque aderat firmamentum, vt patet ex Geneſ. 1. ergo non erat diſtinctio locorum.

26 Obijc. Ad Coloſſ. 1. *In ipſo condita ſunt vniuerſa in cælo, & in terra, ſiue Throni, ſiue Dominationes, &c.* ergo Angeli creati ſunt in cælo.

Reſpondetur neg. conſeq. Quia accipitur cælum, & terra pro tota hac vniuerſitate, & ſenſus eſt, omnia, quæ in ipſis continentur, creata ſunt à Deo, non autem, quod creata ſint in tali, & tali loco.

27 Ob. ſecundò Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*, ergo cum ponatur diſtinctio cæli, & terræ, adfuit in creatione diſtinctio loci.

Reſpondetur neg. conſequentia. Quia, vt Moyſes oſtenderet, totum hoc vniuerſum fuiſſe à Deo creatum nominauit cælum, & terram diſtinctim, quia loquutus eſt de ipſis, prout de facto ſe habent, non autem, prout creati ſunt.

An Angeli ſint creati in aliquo magno numero.

SECTIO V.

28 SVpponendum eſt tamquam certum de fide. Angelos eſſe in magno numero. Daniel. 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* Iob. 25. *Numquid eſt numerus militum eius?* & ita docent communiter PP. difficultas autem eſt, quantus ſit iſte numerus in comparatione ad alias res creatas.

29 Supponendum ſecundò. Nihil certi in hac re determinari poſſe, quia cum potuerit Deus creare plures, & pauciores, prout voluit, nec nobis innoteſcat, quot voluerit creare, non poſſumus habere aliquid certum. Ex aliquibus tamen congruentijs poſſumus aliquid veriſimile determinare.

30 Dico primò. *Numerum Angelorum excedere numerum ſpecierum materialium.* Ita D. Thom. 1. *part. q.* 50. *art.* 3. Caiet. Molina, Bannes, Cumel *ibidem*, & alij communiter, & deſumitur ex D. Dyoniſio *cap.* 4. *de cæleſt. hierarch.* Probatur: Angeli ſunt creati, vt præuiderent materiali creaturæ: vnde homines habent Angelum deputatum ad ſui cuſtodiam, prouinciæ quoque & regna, ergo congruum eſt, vt quælibet ſpecies habeat Angelum ſpetialem ſibi præſidentem ergo cum ſint quoque alij Angeli, qui ipſis non præſident, erunt plures ſpeciebus materialibus.

Confirmatur. Hunc exceſſum videntur indicare loca ſcripturæ, dum conſtituunt innumerabilem numerum Angelorum, ergo &c.

31 Dico ſecundò. *Speties Angelorum excedere ſpecies materiales quoad numerum.*

Probatur: Deus produxit creaturas, vt manifeſtaret ſuam perfectionem, ergo plus debuit illam manifeſtare in creaturis perfectioribus, quàm in minus perfectis, ergo debuit plures ſpecies Angelorum producere quam rerum materialium.

32 Ob. quæ ſunt minus perfecta, ſunt vniuerſaliora, ergo ſpecies materiales, cum ſint minus perfectæ, debent eſſe plures numero.

Reſpondetur Minus perfecta ſecundum gradus Metaph. eſſe vniuerſaliora, vt eſt ratio entis, ſubſtantię; non autem minus perfecta ſecundum completam naturam.

An numerus Angelorum excedat numerum Hominum.

SECTIO VI.

33 QVæſtio procedit facta comparatione Angelorum ad homines non ſolum exiſtentes, ſed etiam præteritos, & futuros.

Prima ſententia aſſerit non excedere, ita Recentiores quidam, qui citant Durand. *in 2. diſt. 3. quæſt.* 4. ſed ibi nihil determinat, niſi quod res valdè incerta ſit.

Probant. Tot homines ſunt ſaluandi, quot ſunt Angeli Beati, vt docet D. Greg. *hom. 34. in Euang.* Rurſus minor pars Angelorum eſt damnata, et maior pars hominum damnata, ergo tota collectio hominum erit maior.

Secundò. Tot homines ſaltem ſunt ſaluandi, quot Angeli ceciderunt, quod etiam docet D. Bernard. *ſerm. 65. in Cant.* Rurſus tertia pars Angelorum tantum eſt damnata, iuxta illud Apoc. 12. Vbi Draco cauda trahebat tertiam partem ſtellarum, ex hominibus autem plus, quam decem partes damnantur, ergo &c.

Tertiò ſufficit, quod in principio Mundus fuerit in ſua proportione, & quod tunc fuerit exceſſus Angelorum ſupra hominem, non habita ratione eorum, qui futuri erãt, ergo non aſpiciendo totã collectionẽ hominũ erit maior.

34 2. Sententia communis eſt, & aſſerit, Angelos excedere homines. Ita Molina 1. *part. q. 50. art. 1. diſp.* 2. Bannes

*dub.*2. Cumel *quæſt.* 2. Vaſquez diſp. 180. *cap.*3, Suarez 1. *de Angelis cap.*11. *num.*11.

35 Dicendum eſt. *Ex diuerſis coniecturis probabile eſſe, numerum Angelorum excedere numerum omnium hominum*, hæc concluſio habet Fundamentum in parabola de Paſtore, qui relictis nonagintanouem ouibus in deſerto, profectus eſt ad inquirendam centeſimam, quæ perierat: quam parabolam intelligunt PP. de Angelis, & homine.

Probatur: cum Angelus ſit nobilior creatura, congruum magis eſt, vt magis manifeſtetur Diuina bonitas, & perfectio, vt plus natura Angelica plurificetur, quam humana.

Confirmatur. Quia mundus poſt Iudicium debet eſſe in ſtatu perfecto, & habere debitam proportionem, ergo oportet, quod tunc Angeli excedant homines, quò ad numerum, cum ſint creaturę nobiliores, quod enim eſt nobilius, debet excedere minus nobile.

36 Ad primum reſpondetur: Quod tot homines ſint ſaluandi, quot ſunt Angeli Beati, nullum habere Fundamentum; & congruitas eſt in contrarium, quia magis perfectum debet excedere minus perfectum.

Ad ſecundum de tertia parte Angelorum damnata nullum eſſe fundamentum firmum, nam illud Apoc. non ſolet explicari de Angelis, ſed de hominibus præfulgentibus in Eccleſia Dei, qui tempore Antichriſti ipſum ſequentur. Deinde incertum eſt, an tot homines ſint ſaluandi, quot Angeli ceciderunt, quia non eſt neceſsè numerum ſeruari in reſtauratione ruinæ. Deindè nec etiam eſt certum, quod numerus reprobatorum hominum tantum excedat numerum electorum, & fieri poteſt, quod ante finem mundi plures ſaluentur, quàm damnentur, quandouidelicet erit vnus Paſtor, & vnum Ouile.

Ad tertium. Cum Angeli ſint immortales; ſicut etiam anima rationalis, debuit Deus ab initio Mundi attendere proportionem Angelorum reſpectu hominum, etiam futurorum.

DE NATVRA ANGELORVM.

DISPVTATIO CIV.

An Angeli ſint incorporei.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt. Non poſſe nos quidditatiuè in hac vita naturaliter Angelos cognoſcere, ſumendo cognitionem quidditatiuam pro ea, per quam innoteſcit quidditas rei ſecundum propria prædicata, & ita docet D. Thom. 1. *part. quæſt.*12. *art.*12. & *quæſt.* 88. *art.*2. & cum eo communiter. Ratio autem eſt, quia hæc cognitio non poteſt haberi per propriam ſpeciem, cum intellectus noſter habeat ſpecies rerum tantum ſenſibilium; nec poteſt eſſe per cauſam, nam hæc cauſa non poteſt eſſe intrinſeca, cum non habeamus notitiam illius; nec poteſt eſſe extrinſeca, quia nulla alia eſſe poteſt, quàm diuina omnipotentia, & diuinæ ideæ, quæ nobis non ſunt naturaliter cognita. Nec etiam à poſteriori ex aliquo effectu, quia nullus eſt, quem certò ſciamus prouenire ab intelligentijs.

2 Supponendum ſecundò. Ex ijs, quæ de fide habemus, colligi, Angelum eſſe quandam naturam ſubſtantialem completam, & per ſe ſubſiſtentem; nam ipſi independenter à quocunque alio tribuitur operari, & ſignificatur tamquam quoddam ſuppoſitum, quod in ſuo eſſe incommunicabiliter ſe habet, difficultas ergo eſt; an huiuſmodi natura ſit corporea, an verò ſpiritualis.

3 Veteres PP. docuerunt, Angelos eſſe corporeos, quamuis corpora ipſorum non eſſent adeò craſſa, ſicut iſta ſenſibilia. Ita Tertullianus *de habitu Muliebri. capit.* 2. & *lib. de velandis virginibus c.*7. Iuſtinus Martyr *in priori Apolog.* Methodius *ſerm. de Reſurrect.* Euſebius Ceſarienſis *lib.*5. *de præparat. Euang. capit.* 4. Lactantius *lib.*2. *diuin. Inſtitut. capitul.*15. Cyprianus *de diſcip. & hab. Virg.* Clemens Alexand. *lib.* 3. *ſtomatum*, Seuerus Sulpitius *lib.*1. *de ſacra hiſt.* Origen. *libr.* 1. *Periarch. in proœm.* inſuper etiam Baſilius *de ſpiritu Sancto*, *cap.* 16. Nazianzenus *orat.* 34. & 38. Damaſc. 2. *de fide cap.* 2. verum complures ex his PP. loquuti ſunt ſecundum ſententiam Platonicam, ſicut etiam D. Auguſt. quando nonnullis in locis conſtituit Angelos corporeos, aut metaphoricè ex analogia, quam habent Angeli ad corpora, vt Baſilius Damaſc. Et Nazianzenus; non enim abſolutè dicunt, eſſe corporeos, ſed ſubſtātias igneas, aut aereas.

4 Communis tamen ſententia, quæ certa eſt apud omnes, aſſerit, Angelos eſſe omninò incorporeos, & ex PP. ita docet Dyoniſius *cap.*4. *de Diuinis nominibus*, Ignatius *epiſt. ad Trallianos* Athanaſ. *de natura vnita*. Nazianzenus *oratione* 2. *de Paſchate*. Epiph. *hæreſi* 27. Baſilius *hom. Quod Deus non eſt auctor malorum* Theodoret. *in epitom. diuinorum decretum* Nyſſenus *de vita Moyſis*, & *oratione* 4. *de oratione Dominica.* Cyrill. Alexand. *lib.*4. *in Io. cap.*10. Damaſc. 2. *fidei cap.*3. Iſidorus *lib.*1. *ſent. cap.* 10. Chryſoſth. *in capitul.* 6. *Iſaiæ*, & *hom.*22. *in Geneſ.* Gregorius Magnus *libr.* 4. *dialog. cap.*29. Ambroſius *lib.*7. *in Lucam cap.* 12. Sophronius Archiepiſc. Hieroſolimit. *in Encomio de Angelis*. Didimus *lib.*1. *de ſpiritu Sancto*. Leo Papa *epiſt.*93. *cap.* 6. Auguſtinus 1. *Retract. cap.*11. & *in Pſal.* 105.

5 Dicendum eſt. *Angelos eſſe omnino incorporeos, pro vt incorporeum contradiſtinguitur à corporeo, & importat ſubſtantiam abſtractam à Materialitate*, hæc concluſio eſt definita in Concil. Lateran. vt habetur in Cap. *Firmiter.* De *ſumma Trinit.* vbi dicitur. *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur.* Deinde ſubditur de ipſo Deo, *Qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & Mundanam; ac deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam.* Sumit autem Concil. ſpiritualem naturam, prout contradiſtinguitur à corporali, & hanc vult eſſe purè ſpiritualem, nam contradiſt. ab humana, quę eſt partim ſpritualis, partim corporea. Nec dici poteſt, quod dicatur obiter incorporea ſecundum communem opinionem, quia, vt patet ex modo loquendi, intentio Conc. erat non ſolum definire, Deum eſſe creatorem rerum omnium; ſed etiam determinare de qualitate rerum creatarum, & proponit tamquam dogma, Deum condidiſſe creaturam ſpiritualem contradiſtinctam à corporea, & hanc eſſe Angelicam.

6 Probatur ratione. Si Angeli eſſent corporei, forma ipſorum atque vis operatiua eſſet immerſa in materia, nec poſſet extra ipſam ſubſiſtere, nec operari; vnde non poſſent intelligere, quia intelligere eſt operatio omnino independens à Materia, ſed de fide eſt, Angelos eſſe intellectuales, ergo &c.

Confirmatur. Angeli in gradu intellectuali ſunt perfectiores homine, ergo debent eſſe totaliter immateriales, alioquin non eſſent ſuperioris ordinis.

7 Dices. Intelligere, quia ſunt etiam ſpirituales.

Contra. Non habent operationes dependentes à Materialitate, ergo ſunt omninò incorporei: antecedēs pat. quia operationes ipſorum ſunt intelligere, & velle, & moueri, quæ ſunt ſpirituales. Conſeq. prob. quia cum operatio ſequatur naturam, quę eſt principiū motus, vbi eſt operatio ſpiritualis tantum, eſt etiam natura ſolum ſpiritualis.

8 Dices. Debere eſſe corporeos ratione motus.

Contra, Virtus motiua ſequitur cognitionem, &

Digitized by Google

illi proportionatur, ergo quando cognitio non indiget Organo, nec etiam indiget virtus motiua.

9 Confirmatur ex Scriptura habemus, coniungi in Angelis rationem ſpiritus, & rationem intellectualis, ergo. Angeli ſunt purè ſpirituales. Conſequentia probatur: Quia ratio intellectualitatis ex natura ſua abſtrahit à materia, ergo determinat rationem ſpiritus ad fundandam intellectualitatem, itaut ſit quid diſtinctum ab eſſe, & ſpiritu corporeo tamquam proportionatum fundamentum intellectualitatis, ergo cum ſint totaliter ſpiritus, erunt natura purè intellectualis.

10 Ob. Geneſ. 6. *Videntes autem filij Dei filias hominum, &c.* Vbi ſeptuaginta legunt; *Videntes autem Angeli Dei*, ergo &c.

Reſpondetur. Homines quoque dici filios Dei, iuxta illud Ioann. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*; intelliguntur autem ibi per filios Dei deſcendentes ſemper vnos, qui cum cœperint inuocare nomen Domini, deſcendentes ipſius dicti ſunt filij Dei. Alij verò per filios Dei intelligunt viros robuſtos, & optimi temperamenti, itaut potuerint generare Gigantes.

11 Obicitur ſecundò. In VII. Synodo Ioannes Teſſalonicenſis Epiſcopus dixit, rectè depingi Angelos. Quia ſunt corporei, & hoc fuit approbatum à Concilio.

Reſpondetur Concil. Solum approbaſſe, quod debeant depingi Angeli, quia de hoc ſolum controuertebatur: Non autem approbauit rationem allatam, quod colligitur ex eo, quia Taraſius Patriarca proponens hæc approbanda Concil. corrigens motiuum dicti Ioann. dixit, *Oſtendit Pater, quod Angelos pingere opporteat, quando circumſcribi poſſunt, & vt homines apparuerunt.*

An Angeli componantur ex Materia, & forma.

SECTIO II.

12 DIfficultas non procedit de Materia corporea, quia iam vidimus, Angelos eſse omnino incorporeos; ſed de materia ſpirituali.

Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita D. Bonau. *in 2. diſtinct. 3. art. 1. quæſt. 1. & 2.* Richardus *quæſt. 2. & art. 2. quæſt. 1. & 2.* Alenſis 2. *part. quæſt. 20. memb. 2.* Bacconius. *Quodlibeto 2. quæſt. 10. concluſ. 2.* Scaliger *exercitat. 39. n. 12.* citat etiam Aureolus *in 2. diſt. 3. q. 1. art. 1. 2. & 3.* Sed reuera non ponit in Angelis materiam componentem, ſed tantum potentialitatem intellectualem, ſeu intellectum poſſibilem, qui ſit potentia ad omnia intelligibilia.

Probant. Angeli non pertingunt ad Dei ſimplicitatem, ergo debent eſſe compoſiti ex materia, & forma.

Secūdò Angeli ſunt compoſiti ex genere, & differentia, ergo ex materia, & forma, nam genus ſumitur à materia, & differentia a forma.

Tertiò quia D. Auguſt. 12. *confeſſ. cap. 21.* explicans verba illa Geneſ. 1. *Terra autem erat inanis, & vacua*, ait nomine terræ intelligi materiam in formam, de qua Deus fecit viſibilem, & inuiſibilem creaturam.

13 Communis ſententia negat, conſtituit ex materia, & forma; ſed eſſe naturam ſimplicem in ſua ſubſtantia. Ita D. Thom. 1. *part. quæſt. 50. art. 2.* & 2. *cont. gentes cap. 50. & 51.* Ferrar. *ibidem* Caiet. *cit loco 1. part.* Bannes, & Molina *ibidem*. Cumel *quæſt. 1.* Henric. *quodlib. 4. q. 16.* Heruæus *quodlib. 11. quæſt. 3.* Durandus *in 2. diſt. 3. quæſt. 1.* Capreolus *art. 1. concluſ. 7.* Suarez *in metaph. diſp. 13. ſect. 14.* & 1. *de Angelis. cap. 7.* Bub. *de Angelis q. 50. artic. 2. q. 1. & 2.* Raynaudus *in naturali Theol. diſt. 2. quæſt. 2. art. 3.* & alij.

14 Dicendum eſt. *Angelos non eſſe compoſitos ex materia, & forma ſiuè ſpirituali, ſiuè materiali.* Probatur. Materia in corporeis ponitur ex eo, quod in ipſis fit tranſmutatio, & quamuis in aliquibus non fiat, ideô ponitur, quia ſunt eiuſdem ordinis cum ijs, in quibus fit tranſmutatio, & intra eumdem gradum corporeitatis. Sed in Angelis neque eſt tranſmutatio, neque ſunt eiuſdem ordinis cum tranſmutabilibus. ergo &c.

Confirmat. In Angelo non ſunt operationes, quę dependeant à materia, ergo neque poteſt eſſe materia. Antecedens pat. Quia operationes Angeli ſunt purè ſpirituales, cum ſequantur formam ſpiritualem, & ſunt intelligere, & vellæ; hæ autem operationes non indigent materia neque tamquam ſubiecto, neque tamquam principio, vt conſtat in anima ſeparata. Conſequentia probatur: quia, cum eſſe ſit propter operari, quod non eſt neceſſarium propter operari, neque etiam eſt neceſſarium propter eſſe.

Confirmatur. Actus ſpiritualis habens virtutem intellectualem eſt per ſe ſubſiſtentem, nec indiget materia, vt patet in anima rationali, ergo in Angelis non adeſt materia ſpiritualis. Conſequentia probatur. Talis materia non eſt neceſſaria propter ſubſiſtentiam, quia actus, quo informaretur talis materia, eſſet perfectior anima rationali, atque adeo erit ſibi ſufficiens; nec etiam propter virtutem operatiuam, quia virtus operatiua ſubſiſtens eſt etiam ſibi ſufficiens independenter à materia.

15 Ad primum negatur. Conſeq. Nam per id, quod Angeli admittunt compoſitionem accidentalem, non pertingunt ad Dei ſimplicitatem, quę fundata in infinitate vnit per identificationem omnes perfectiones excogitabiles.

Ad ſecundum negatur conſequentia. Ad probationem quando dicitur genus ſumi à materia, & differentiam à forma, non intelligitur de materia, & forma, quæ ſint partes phyſicæ, ſed de materia, & forma totius, quæ nihil aliud dicunt, niſi id, quod metaphyſicè ſe habet per modum potentiæ, & per modum actus in ipſa natura.

Ad tertium D. Auguſtinum nihil ibi docere ex propria ſententia ſed tantum afferre diuerſas expoſitiones illorum verborum hinc indè collectas, quas neque approbat, neque reprobat.

An ſit poſſibilis Angelus, ſeu natura intellectualis conſtans ex materia ſpirituali, & forma.

SECTIO III.

16 PRima ſententia eſt affirmatiua ita non ſolum ij, qui de facto admittunt talem materiam in Angelis, ſed etiam plures Recentiores, qui de facto eam non admittunt, præſertim Bubalus *tract. de Angelis q. 50. ar. 2. quæſit. 2. diffic. 2. §. 1.*

Probant vel implicaret talis compoſitio, quia talis natura eſſet corruptibilis, vel quia materia non eſſet neceſſaria propter operari. Neutrum dici poteſt, ergo &c. Min. probatur: Quia corruptibilitas non fundatur in ſola compoſitione ex materia, & forma, ſed etiam in virtute naturalis agentis potentis corrumpere compoſitum. Non eſſet autem naturale agens potens corrumpere compoſitum ex materia, & forma ſpirituali, nec etiam quia non ſit neceſſaria propter operationem quia ſufficit, quod ſit neceſſaria tamquam pars componens, & quod ſit ſubiectum formæ elicientis operationem.

17 Secunda ſententia eſt negatiua ita Salmaticenſes, *tractat. 7. de Angelis diſputat. prima dub. 3.* Amicus *diſput. 2. de Angelis ſection. 3. numer. 31.* & alij Recentiores.

18 Dicendum eſt. *Non eſſe poſſibilem materiam ſpiritualem, atque adeo nec etiam naturam intellectualem compoſitam ex forma, & materia ſpirituali.* Videtur notum ex ipſis terminis, nam eo ipſo quod aliquid eſt materia, includit in ſe ipſo,

rationem formalem materiæ; quæ eſt materialitas, atq; adeò eſt quid contradiſtinctum ab eſſe ſpirituali, nihilominus.

Probatur quod eſt eſſentialiter, & formaliter actus, non poteſt eſſe conſtitutiuum illius, quod eſt eſſentialiter pura potentia in eodem genere. Sed talis materia ſpiritualis eſſet pura potentia in genere ſubſtantiali ſpirituali, & ſpiritualitas eſt eſſentialiter actus; ergo &c. prima pars minoris patet, quia talis materia deberet diceret in genere ſpirituali, quod dicit materia corporea in genere materiali. Secunda probatur. Tum quia ſpiritualitas, vt ſic eſt differentias diuidens ſubſtantiam vt ſic, & contradiſtinguens ab eſſe corporeo. Tum quia omnes perfectiones, quæ ex creaturis tribuuntur Deo, debent ſecundum ſuum eſſe formali importare rationem actus, cum Deus ſit actus puriſſimus, ſpiritualitas autem tribuitur Deo ſecundum ſuum eſſe formale.

19 Confirmatur. Si daretur iſta materia tamquàm potentia ſuſceptiua actus ſpiritualis, eſſet quædam inchoatio naturæ ſpiritualis, & importaret primam rationem ſubſtantiæ ſpiritualis, non prædicamentalem, ſed fundamentalem. Hoc autem implicat, ergo &c. Min. probatur. Tum quia etiam forma tamquam ſpiritualis, & per ſe ſubſiſtens diceret hanc primam rationem ſubſtantialem, vt patet in anima. Implicat autem, quod duplex prima ratio ſubſtantialis concurrat in eodem genere ad conſtitutionem eiuſdem naturæ. Tum quia talis materia tamquam inchoatio naturæ intellectualis eſſet intra gradum intellectualem, atque adeò non eſſet potentia, ſed actus, quia gradus intellectualis dicit formaliter vitam intellectualem, quæ ex ſua formali ratione ſecundum ſe totam conſiſtit in actu ſubſtantiali, cum ſecundum ſe totum ſit principium vitæ accidentalis, vt conſtat in anima rationali; vnde etiam in corporeis vita ſecundum totam rationem vitæ ſe habet per modum actus.

20 Confirmatur ſecundò. Non poteſt dari forma ſubſtantialis ſpiritualis, quę indigeat materia ſpiritualis, ergo neque eſt poſſibilis materia ſpiritualis. Conſequentia patet. Quia materia non eſt poſſibilis niſi per ordinem ad formam. Antecedens probatur. Forma ſpiritualis non poteſt indigere materia ſpirituali in ordine ad eſſe, quia eſſet ſubſiſtens, vndè non indigeret materia tanquam ſuſtentatiuo; neque tamquam comparte tribuente primam rationem ſubſtantialem, quia in forma ſubſiſtente reperitur integra ratio ſubſtantiæ; neque indigeret in ordine ad operationem, quia non eſſet neceſſaria, vt ſubiectum, neque vt principium radicale, aut inſtrumentum; quia tota ratio operandi eſt in ipſa forma ſubſiſtente, vt patet in anima rationali.

21 Ad Fundamentum in oppoſitum negatur min. Quia materia non poteſt eſſe neceſſaria propter eſſe, niſi etiam ſit neceſſaria propter operari; quia eo ipſo, quod eſt pars componens, & principium intrinſecum conſtitutiuum naturæ, eſt etiam fundamentum, & radix ſimul cum ipſa forma omnium motuum, & operationum, quæ proueniunt a natura; ſiquidem natura non vt quid incompletum, ſed vt quid completum eſt principium radicale. Deinde cum eſſe ſit propter operari, itaut operatio ſequatur eſſe, quod non eſt neceſſarium propter operari, nec etiam eſt neceſſarium propter eſſe.

An Angeli ſint Immortales, & incorruptibiles.

SECTIO IV.

22 Corruptibile, & incorruptibile duplicatur accipitur, primò amplè pro omni eo, quod quocunque modo, & per quamcunque cauſam poteſt non eſſe; & ſic quælibet res creata eſt corruptibilis, quia cum dependeat a continua conſeruatione, poteſt Deus ceſſare à conſeruando. Secundò modo corruptibile dicitur magis propriè, & eſt illud, quod ex vi cauſæ naturalis poteſt deſinere, vt experimur in ſublunaribus.

23 Supponendum primò. Angelos eſſe immortales, & incorruptibiles, prout immortalitas excludit corruptibilitatem ſecundo modo dictam, & deſumitur ex ſcriptura: Matth. 25. *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius*, & Luc. 20. *Illi qui digni habebuntur ſæculo illo ex reſurrectione ex mortuis neque nubent, neque ducunt Vxores, neque vltra mori poſſunt æquales etiam Angelis ſunt*, & implicitè fuit definitum in Concilio Lateranenſi *ſub Leone X. ſeſſion. quinta*, dum id fuit definitum de anima rationali, maior enim ratio militat de Angelis. Ratio autem eſt, quia ſunt naturæ intellectuales, per ſe ſubſiſtentes, vndè non poſſunt deſinere ex vi agentium naturalium, hæc enim nihil corrumpunt niſi, quod eſt incompoſſibile cum effectu ab ipſis producto, hæc autem incompoſſibilitas oritur ex Materia, quatenus in ipſa ſunt incompoſſibiles formæ, quæ producuntur, & quæ præſupponuntur.

24 Supponēdum ſecundò. Etiā reſpectu Dei eſſe incorruptibiles, quia licet poſſet deſtruere Angelos, non tamen per hoc habent potentiam ad corruptionem propriè dictam, ſed tantum ſunt annihilabiles. Difficultas autem eſt, an ſint immortales per naturam, an verò per gratiam.

25 Prima ſententia aſſerit, eſſe immortales tantùm per gratiam, ita Gabriel *in 2. diſt. 2. quæſt. 1. concl. 6.* Vaſquez 1. *part. diſput.* 132. *cap.* 2. Leſſius 3. *de ſummo bono num.* 114.

Fundamentum eſt. Quia Angeli ex natura ſua ſunt tales, vt poſſint deſtrui; vndè ſi non deſtruuntur, id habent ex gratia.

26 Secunda ſententia docet, Angelos eſſe immortales natura ſua. Ita D. Thom. 1. *part. quæſt.* 50. *articul.* 5. Caietanus *ibidem*. Ferrarienſis 2. *contra Gentes cap.* 30. & 35. Valentia *tom.* 1. *diſput.* 4. *quæſt.* 1. *puncto* 4. Suarez 1. *de Angelis cap.* 9. Raynaudus *in naturali Theologia diſt.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 8. Bubalus *de Angelis quæſt.* 5. *art.* 5. *quæſt.* 11. *difficultate* 4.

27 Notandum eſt. Cum Angeli habeant eſſe participatum à Deo, habent etiam participatam ab ipſo propriam immortalitatem: vndè poſſunt dici immortales per gratiam, quatenus ex libera Dei voluntate habent eſſe, & immortalitatem. Et in hoc ſenſu plures DD. vocant Angelos immortales per gratiam, neque enim aliud voluit, ſignificare, quam quod immortalitas ipſorum ſit ex liberalitate Dei, & quod non conueniat ipſis per eſſentiam, ſicut conuenit Deo, ſed per participationem. Vnde ſenſus eſt, an poſtquam eſt illis communicata talis natura, conſequatur ad ipſam immortalitas vt debita ex intrinſecis principijs naturæ.

28 Dicendum eſt. *Angelos eſſe immortales, immortalitate naturali modo conſequente naturam ipſorum ita vt facta communicatione naturæ non ſit opus alia gratia ad conſtituendos ipſos immortales.*

Probatur communicata natura, & perſeuerante concurſu Dei conſeruante poſſunt Angeli ſubſiſtere in proprio eſſe ſine nouo auxilio; nec ab aliquo naturali agente poſſunt deſtrui, immo nec etiam à Deo ſecundum legem ordinariam, ergo natura ſua ſunt immortales, quia ex nulla naturali exigentia poſſunt deficere, & conſeruatio eſt ipſis connaturalis, ſicut cuiuſcunque rei creatę.

Confirmatur. Si non eſſent natura ſua incorruptibiles, eſſent natura ſua corruptibiles, quod autem eſt natura ſua corruptibile, poteſt naturali modo corrumpi.

Digitized by Google

Confirmatur ſecundò. Ideò non eſſent natura ſua incorruptibiles, quia Deus illis communicat liberaliter immortalitatem. Si autem hoc eſſet verum, ſequeretur, quod nulla res haberet aliquid ſibi connaturalè: nam quidquid habet, habet liberaliter communicatum à Deo.

29 Obijc. Angelus non eſt immortalis reſpectu Dei, ergo nec natura ſua; quia quod eſt talè natura ſua, ſemper eſt tale reſpectu cuiuſcunq;

Reſpondetur Angelus non eſt immortalis reſpectu Dei immortalitate ad potentiam abſolutam; eſt autem immortalis reſpectu Dei immortalitate ad potentiam ordinariam, & hoc ſufficit vt natura ſua ſit immortalis, quia conuenientia naturalis attenditur ſecundum potentiam ordinariam.

30 Obijc. ſecundò. Non ideò Angelus poteſt deſſicere, quia Deus poteſt annihilare; ſed ideò poteſt annihilare, quia eſt annihilabilis, ergo Angelus ex natura ſua eſt corruptibilis.

Reſpondetur nego antecedens. Nam Angelum eſſe annihilabilem, importat denominationem deſumptam à principio conſeruatiuo, quia videlicet libero modo exhibet conſeruationem; vndè ideò Angelus eſt annihilabilis, quia poteſt principium conſeruans ſuſpendere conſeruationem.

Ad Fundamentum primæ ſententię patet ex dictis.

Quomodo Angeli ſint annihilabiles.

SECTIO V.

31 CVm Angeli dependeant in conſeruari à Deo, vt de fide eſt, poſſunt ab ipſo annihilari. In hoc autem differt annihilatio à corruptione, quod corruptio fit conſequutiuè ex vi actionis poſitiuæ, quæ ordinatur ad aliquid producendum, quod eſt incompoſſibilè cum eo, quod corrumpitur; annihilatio verò importat per ſe primò ſubſtractionem concurſus conſeruatiui; vnde annihilatio eſt per ſe intenta, corruptio verò non eſt per ſe intenta. Difficultas autem eſt, an Angelus habeat aliquam intrinſecam potentiam ad annihilari.

32 Prima ſententia aſſerit, eſſe in Angelo potentiam poſitiuam, per quam poteſt annihilari. Ita Argentinas *in* 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *articul.* 2. Vaſquez 1. *part. diſput.* 182. *cap.* 2. & alij Recentiores.

Probant. Vel Angelus habet realem potentiam, per quam poteſt deſinere; vel non. Si primum, ergo habet potentiam ad annihilari. Si ſecundum ergo non poteſt deſinere. Confirmatur. Niſi poſſibile haberet intrinſecam potentiam ad produci non poſſet produci, ergo neque annihilari, quod non habet intrinſecam potentiam ad non eſſe. Secundò corruptibilitas in corporeis eſt poſitiua potentia, ergo etiam annihilibitas in ſpiritualibus. Tertiò Angelus ex natura ſua eſt Deo ſubiectus, vt poſſit deſtrui, ergo habet intrinſecam potentiam ad annihilari.

33 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Caietanus 1. *par. quæſt.* 9. *art.* 2 Durand. *in* 1. *diſt.* 8. 1. *part. quæſt.* 3. Ferrarienſis 2. *cont. Gent. cap.* 30. Suarez 1. *de Angelis, cap.* 10. Raynaudus *in naturali Theologia diſt.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 8. & alij.

34 Dico primò. *Non eſt in Angelis realis, & poſitiua potentia ad annihilari.* Probatur. In Angelo non eſt poſitiuus appetitus ad annihilari, ergo neq; potentia Antecedens, eſt certum, quia Angelus naturaliter tàm appetitu elicito, quàm innato appetit ſui conſeruationem. Conſ. probatur; quia vbi eſt potentia, ibi eſt inclinatio, & appetitus, nam de intrinſeca ratione potentiæ eſt importare appetitum ad actum.

35 Dico ſecundò. *Angelum eſſe annihilabilem nihil aliud importare, quàm denominationem extrinſecam cõnotantem potentiam Dei tali modo communicantem eſſe, & poſſit non communicare.* Prob. Eſſe annihilabilè nihil aliud dicit, niſi poſſe deſinere, ergo cum deſitio ſit ex eo, quod per conſeruationem non continuetur communicatio eiuſdem eſſe, poſſe annihilari non erit aliud, quàm denominatio extrinſeca connotans potentiam, quæ poſſit ceſſare à conſeruatione.

36 Dico tertiò. *Fundamentum huius denominationis intrinſecum rei annihilabili eſſe modum habendi eſſe hic autem modus in eo conſiſtit, quod eſſe communicetur cum intrinſeca dependentia à libera voluntate communicantis.* Probatur: Quia fundamentum talis denominationis debet correſpondere Formæ, à qua deſumitur denominatio; vnde cum deſumatur à potentia liberè communicante eſſe, fundamentum erit ipſum eſſe, vt dependens à libera communicatione.

37 Ad primum negatur vltima conſequentia at enim Angelus poſſit deſinere, ſufficit, quod habeat eſſe intrinſecum dependens à cauſa libera; quia ſufficit, quod poſſit ſuſpendi influxus conſeruatiuus. Ad Confirmationem negatur paritas. Quia produci dicit aliquod poſitiuum, & ideò poteſt fundari in potentia poſitiua; hæc autem potentia poſitiua eſt potentia obiectiua, quæ nihil aliud importat, niſi connexionem prædicatorum, prout in ſe ipſis non important contradictionem.

Ad ſecundum negatur antecedens. Nam corruptibilia non habent poſitiuam potentiam per ſe ad corrumpi; ſed tantum per accidens, quatenus in ipſis eſt materia, quę per ſe eſt potentia ad aliud eſſe, & per accidens ad non eſſe illius, quod corrumpitur. In Angelis autem, quia non eſt per ſe poſitiua potentia ad aliud eſſe, neque per accidens eſt poſitiua potentia ad annihilari.

Ad tertium negatur conſequentia. Ex eo enim, quod Angelus ſit ſubiectus Deo, vt poſſit deſtrui, non importat aliud, quam intrinſecam dependentiam.

DE DISTINCTIONE Angelorum.

DISPVTATIO CV.

An detur inter Angelos diſtinctio ſpecifica.

SECTIO I.

1 PRima ſententia dicit, omnes Angelos eſſe eiuſdem ſpeciei. Ita Diuo Bonauentura *in* 2. *diſt.* 9. *art. vnico quæſt.* 1. Albertus 2. *p. q.* 8.

Probatur: Quia Angeli maximè accedunt ad ſuam Originem, videlicet Deum. Quod autem accedit ad ſuam originem, colligitur in vnum, ergo cum Angeli non vniantur ſecundum numerum, vniuntur ſecundum ſpetiem. Secundò Natura ſpiritualis coniuncta corpori eſt vnius ſpeciei, ergo etiam ſeparata. Tertiò omnes perficiuntur per gratiam, & lumen gloriæ eiuſdem rationis, ergo &c.

2 Secunda ſententia dicit, differre ſpeciei. Ita D. Th. 1. *part. quæſt.* 50. *articul.* 4. & 2. *cont. Gentes capitul.* 93. Ferrarienſis *ibidem*. Caietanus *de ente, & eſſentia capitul.* 4. *quæſt.* 7. Capreolus *in* 2. *diſtinct.* 3. *art.* 1. & 3. Gabriel *quæſt. vnica*. Maior. *quæſt.* 4. Bannes 1. *part. quæſt.* 50. *articul.* 4. *dub.* 1. Cumel *quæſt.* 1. Molina *concluſ.* 3. Vaſquez *diſput.* 181. *capitul.* 3. Suarez 1. *de Angelis capitul.* 12. Raynaudus *in naturali Theologia diſtinct.* 3. *quæſt.* 1. *articul.* 2. Bubalus *de Angelis quæſt.* 50. *articul.* 4. *quæſito* 1. *diffic.* 1. & 2.

3 Notandum primò. In perfectionibus, quæ ſunt formaliter in Deo, & communicantur Creaturis, vt eſt ipſum

Digitized by Google

ipſum viuere, poſſe conſiderari id, quod communicatur; & modus ſeu menſura, ſecundum quam communicatur. Quia autem quælibet ex his perfectionibus infinito modo ſe habet, ideò eſt communicabilis creaturis pluribus, & pluribus modis.

4 Notandum ſecundò. Vitam intellectualem, quæ eſt formaliter in Deo, eſſe pluribus modis communicabilem. Hinc autem fit, quod poſſit participari ſecundum magis, & minus, indiuiſibiliter tamen, ita vt hoc magis, & minus non poſſit vniri ad conſtituendum vnum aliquod perfectius, ſed incommunicabiliter ſe habeant, vt conſtitutiua diuerſorum entium. Cum enim infinita ſit in ſua perfectione, poſſunt ab ipſa prouenire veluti diuerſæ menſuræ, in quibus ſingulis aliquid de tali perfectione contineatur & plus poteſt contineri in vna, quàm in alia.

5 Notandum tertiò. Ex hoc ſequi, aliud eſſe differre ſpecie, & aliud ſecundum modum menſuræ. Primum dicit aliquam naturam communem, quæ diſtinguatur per differentias ſuperadditas, quæ ſint diuerſæ formalitates tum inter ſe, tum ab ipſo genere, vt rationalitas reſpectu animalitatis: ſecundum importat tantum diſcrimen ſecundum modum ſeu menſuram perfectionis, non autem diuerſitatem perfectionis.

6 Dico primò. *Angelos non poſſe differre ſpecie per differentias eſſentiales ſuperadditas naturæ communi*. Probatur: differentia debet importare diuerſam rationem formalem à genere, itaut ſit quidam gradus metaphyſicus ab ipſo diuerſus, qui perficiat genus, & determinet intra eumdem ordinem naturam magis completam ad eſſe, hęc autem differentia non poteſt dari reſpectu naturæ communis Angelorum, ergo &c. Min. Probatur: Quia deberet importare aliquem gradum vitæ diuerſum formaliter ab intellectiuo, quo vita intellectiua communis omnibus Angelis perficeretur, & determinaretur. Non poteſt autem dari iſta ratio vitæ, quia vita intellectiua eſt omnium nobiliſſima; nec eſt alterius perfectibilis per alium gradum vitæ, quo in ratione vitæ magis completo modo ſe habeatur.

Confirmatur. Iſta differentia deberet importare aliquā rationem vitæ, quæ ſuperadderetur intellectuali. Vel ergo hæc ratio vitæ eſt formaliter intellectualis, vel diuerſa. Si primum, ergo non poteſt eſſe differentia, quia differentia debet importare gradum formaliter diuerſum à genere. Si ſecundum contra. Quia non poteſt dari perfectior gradus vita intellectuali.

7 Secundò Probatur: Vbi non ſunt diuerſæ operationes vitales, neq. eſt diuerſa ratio vitæ. Sed in Angelis non ſunt diuerſæ operationes vitales, ergo &c. Maior probatur: Quia de ratione vitæ ſubſtantialis eſt, quod ſit principium operationis vitalis, ergo quotieſcumque ponitur aliqua differentia, quæ ſit aliqua ratio vitæ, debet poni operatio vitalis propria ipſius. Min. probatur. Quia omnes operationes Angelorum ſunt tantum intellectiuæ, & volitiuæ, nec intra genus intellectuale eſt alia operatio vitæ, alioquin quia eſſet perfectio vitæ intellectualis, deberet poni etiam in Deo.

Confirmatur. Non poteſt aſſignari aliqua operatio vitalis, quæ conueniat vni Angelo, & non alteri. ergo

8 Dico ſecundò. *Omnes Angelos importare eamdem naturam ſeu vitam intellectualem, ſed tantum diuerſam menſuram, & modum participationis, itaut interueniat magis, & minus*. Probatur: Vita intellectualis, quæ eſt in Deo, eſt communicatiua ſui ipſius ſecundum diuerſas menſuras, quia importat communicabilitatem infinitam; & congruum eſt, quod Deus ita illam communicauerit, ergo &c.

Confirmatur. Vnus Angelus eſt ſuperior altero, & perfectior ſecundum rationem vitæ intellectualis, vt paſſim deſumitur ex S. Scriptura, ergo ſecundùm diuerſam menſuram participat vitam intellectualem.

9 Ad primum diſt. min. Ex eo, quod Angeli magis accedunt ad ſuam Originem, magis vniri, non ſecundum menſuram participationis vitæ intellectualis; ſed ſecundùm perfectionem, quia in ipſis ſingulis plus perfectionis reperitur, quam in aliis entibus. Vnio enim debet eſſe ſecundùm illam rationem, ſecundum quam fit acceſſus; fit autem acceſſus ſecundum perfectionem. Ad ſecundum negatur conſeq. Nam in natura humana mixta ex corporeitate, & ſpiritualitate non inuenitur hæc varietas, quia fuit creata, vt in ordine vniuerſi eſſet veluti quidam nexus, quo vnirentur natura corporea, & ſpiritualis, & ideo ſufficiens fuit vnicus tantum modus participationis; quia erat neceſſarius vnicus tantum nexus. Ad tertium. Incertum eſt an gratia, & lumen gloriæ ſint eiuſdem rationis in omnibus. Quidquid tamen ſit, poteſt perficere creaturas magis, & minus perfectas, quia perficit intra eumdem ordinem, & ſecundum eandem rationem perfectibilitatis, quæ illis conuenit ratione naturæ.

An Angeli intra eamdem ſpeciem poſſint ſolo numero differre.

SECTIO II.

10 QVæſtio procedit non ſolum de eo, quod de facto eſt, ſed etiam de poſſibili. Prima ſententia eſt negatiua: aſſerit enim omnes Angelos neceſſariò differre ſpecie. Ita Caietanus *de ente, & eſſentia, cap. 4. q. 7.* Capreol. *in 2. diſt. 3. q. 1. concl. 5.* Herueus *q. 2. art. 2.* Rigidius *quodlib. 2. q. 7.* & alij Thomiſtæ, & videtur etiā D.Th. 1. p. q. 50. art. 4. dum docet, Angelos ideò non poſſe plurificari num. quia non habent materiam.

Probatur plurificatio indiuidualis deſumitur à Materia, quatenus conſurgit ex diuiſione continui, vnde Ariſtot. 5. *Metaph. ſect. 12.* habet. *Ea ſunt vnum numero quorum materia eſt vna, ſpecie vero quorum ratio vna*, & *lib. 11. text. 49.* docet ea omnia, quæ plurificantur, habere materiam, & infert primum motorem non poſſe numero plurificari, quia caret materia; ſed Angeli non habēt materiam ergo &c. Secundo. Differentia ſecundum formam eſt ſpecifica. Sed tota differentia Angelorum eſt ſecundum formam tantum, quia ſunt tātum actus, ergo &c. Tertiò forma ſeparata à materia eſt ipſa ratio ſpecifica, & habet totam perfectionem ſpeciei, et non poteſt conſequenter plurificari. Sed Angeli ſunt formę ſeparatæ à materia, ergo &c.

11 2. Sententia docet, omnes Angelos differre ſpecie, ſed de potentia abſoluta poſſe fieri Angelos ſolo n. differētes Ita Ferrar. 2. *cont. gent. c. 98.* Argentinas *in 2. diſt. 3. q. 1.* Bannes *1. p. q. 50. art. 4. dub. 1. & 2.* Cumel. *q. 1.*

12 Tertia ſententia aſſerit abſolutè, Angelos etiam de potentia ordinaria poſſe plurificari ſolo numero, & de facto probabile putat, Angelos ad eadem officia deputatos ſolo numero differre. Ita Scotus *in 2. diſt. 3. q. 7.* Durand. *q. 3.* Gabriel *q. 1.* Maior. *q. 2.* D.Bonau. *art. 2. q. 1* & diſt. *9. art. 1. q. 1.* Carth. *q. 3.* Alenſis *2. p. q. 20. memb. 6. art. 1. & 2.* Henric. *quodlib. 11. q. 4.* Valentia *tom. 1. diſp. 4. q. 1. punct. 3.* Molina *1. p. q. 50. art. 4.* Vaſq. *diſp. 181. cap. 3.* Suarez *1. de Angelis cap. 12. & 15.* Raynandus *in naturali Theol. diſt. 3. q. 1. art. 2.* & alij.

13 Dicendum eſt. *Poſſe Angelos ſolo numero plurificari per differentias indiuiduales per ſe ordinatas ad plurificationē indiuidualem, quæ ſint talis rationis, vt formaliter diſtinguant ſecundum eſſe indiuiduale, nec poſſint coaleſcere in vnicam indiuiduationem.*

Probatur: Indiuiduatio non eſt eſſentialis naturæ Angelicę, ergo natura Angelica eſt plurificabilis indiuidualiter. Antecedens probatur; Quia nulla natura Angelica conſtituitur in eſſe naturę per id, quod ſit ſingularis. Tum quia ſola natura Diuina eſt eſſentialiter ſingularis; ſingularitas enim eſſentialis fundatur in infinitate naturæ, quę eſt proprietas tantum Diuina. Conſequentia Probatur: Quia eo ipſo, quod non eſt eſſentialiter

ſingularis,

Digitized by Google

ſingularis ſe habet vt potentia Metaphiſica ſuſceptiua indiuiduationis, & conſequenter poteſt ſuſcipere plures indiuiduationes, quia potentia, quæ reſpicit aliquem actum, reſpicit etiam actus omnes eiuſdem rationis.

Confirmatur. Ideò Deus eſt ſingularis, & non multiplicabilis numero ſecundum eandem naturam, quia eſt infinitus ſimpliciter, ergo cum nulla natura Angelica ſit infinita ſimpliciter, erit multiplicabilis numero, quia quando affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio quoq; eſt cauſa negationis.

14 Secundò. Probatur. Angeli de facto ſunt ſingulares, & indiuidui, ergo poſſunt plurificari ſolo numero. Antecedens eſt certum. Quia quidquid exiſtit ſingulare eſt, cum ſit terminus actionis ſingularis productiuę. Conſeq. probatur. Quia cum ſint ſingulares, oportet, vt habeant ſuam differentiam indiuidualem, & hæc differentia debet afficere naturam ſecundum vltimum gradum, ergo natura ſecundum vltimum gradum eſt communicabilis; quod enim non eſt vltimò terminatum, eſt communicabile; ille autem vltimus gradus non eſt vltimò terminatus, cum adhuc per indiuiduationem terminetur.

15 Dices vltimum gradũ naturæ eſſe etiam indiuiduationem. Contra. Vltimus gradus naturæ debet importare aliquem gradum vitę intellectualis; indiuiduatio autem non importat. Secundò. Quia indiuiduatio ex genere ſuo eſt extra naturam, nec illam conſtituit in eſſe naturæ, ſed ſupponit conſtitutam, & ſolum reddit incommunicabilem.

16 Dico ſecundò. *Quamuis incertum ſit probabilè tamen eſt, de facto dari plures Angelos ſolo numero differentes.* Probatur. Quia plures ſunt deſtinati ad idem munus, vt eſt cuſtodia hominum: vndè congruum eſt, quod ſicuti ſunt pares in officio, ſint etiam pares in natura.

Secundò. Quia non eſt conſentaneum, quod tota aliqua ſpecies ſit per damnationem fruſtrata ſuo fine; omnes autem ſpecies Angelorum damnatorum eſſent fruſtratę.

Tertiò. Quia plurificatio indiuiduorum non ſolum eſt propter conſeruationem ſpeciei, ſed etiam propter pulchritudinem, & ordinem vniuerſi.

17 Ad primum diſting. maior. Plurificatio deſumitur à materia totius, quæ eſt entitas rei, in qua imbibitur quidditas; non autem à materia, quæ ſit pars phyſica. Materia autem totius eſt in omnibus rebus creatis.

Ad ſecundum. Differentia ſecundum formam quidditatiuè ſumptam eſt ſpecifica; non ſecundum formam entitatiuè ſumptam.

Ad tertium. Formam præciſè conſideratam ſecundum eſſe quidditatiuum importare totam perfectionem ſpeciei, & ſic non poſſe plurificari, alioquin plurificaretur ſecundum quidditatem. Forma autem abſtracta à ſola materia phyſica, & importans ne entitatiuum, poteſt plurificari, quia non importat eſſe ſpeciei ſecundum totam ſuam latitudinem.

DE INTELLECTV ANGELICO.

DISPVTATIO CVI.

An Angelo ſit intellectus agens.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt. Intellectum, pro vt eſt virtus quædam vitalis elicitiua, non diſtingui à ſubſtantia Angeli, eſt enim eadem ratio de illum Angeli, ac de potentijs animæ, quas non diſtingui ab anima oſtenſum eſt ſuo loco. Difficultas eſt, an detur intellectus agens, & conſequenter poſſibilis; ſolet enim à Paripateticis diſtingui in anima duplex intellectus: Agens, qui eſt potentia quædam formatiua ſpecierum intelligibilium, & poſſibilis, qui percipit ipſa obiecta.

2 Prima ſententia aſſerit, dari in Angelo intellectum agentem, ita Scotus *in 2. diſp.39.q.vnica*. Albertus de quattuor Coęuis 1.*p.q.*5.*art.*11. Baſſolis *in 2. diſt.3.q.4. art.3.* Richardus *art.6.q.2.ad* 1.

Probant. Intellectus agens importat aliquam perfectionem in genere intellectuali, ergo debet poni in Angelo.

Secundò. Etiam ſi Deus infunderet ſpecies intellectui humano, adhuc eſſet in ipſo intellectus agens: vndè etiam fuit in Chriſto, licet ab initio habuerit omnem cognitionem infuſam.

Tertiò. Angelus intelligit materialia, quæ cum non ſint intelligibilia actu, debet per intellectum agentem facere actu intelligibilia.

3 Secunda ſententia negat in Angelo intellectum agentem, ita D. Thom. 1.*p.q.*54.*art.*4 Caietanus, Molina *ibi*. Camel *q.vnica*. Capreol. *in* 2.*d.*3.*q.*2.*art.*3.*ad arg.cont.* 3. *concluſionem* Albertin. *tom.* 1. *corol.* 7. & 1. *principio complexo dub.* 1. Valentia *tom.* 1.*diſp.*4.*q.*5.*punc.*2. Suarez 2. *de Angelis cap.*2.*num.*3. & alij.

Fundamentum eſt. Quia Angelus intelligit per ſpecies ſibi infuſas à Deo.

4 Notandum 1. In intellectu eſſe vim quamdam productiuam verbi, ipſum verbum, & aciem mentis, quæ hoc verbo informatur. Vis productiua verbi eſt virtus vitalis, quæ per ſpeciẽ impreſſam fœcundatur, & concipit verbum, & poſt quam concepit, exprimit per actionem productiuam, quæ eſt dicere. Verbum dicit repręſentationem quandam obiecti, quæ intentionali modo continet ipſum obiectum. Acies mentis dicit vim intellectus perceptiuam obiecti, quæ informatur verbo, & ſic informata adhibet conatum quendam vitalem, qui eſt operatio quędam per modum actionis.

5 Notandum ſecundò. Concedendum eſſe in Angelo intellectum agentem, quatenus importat vim productiuam verbi, & intellectum poſſibilem, quatenus importat potẽtiam receptiuam eiuſdem verbi, vis autem productiua ſicut producit ſimilitudinem expreſſiuam obiecti, ita etiam quod eſt intelligibile in potentia, facit intelligibilè in actu: obiectum enim non intelligitur, niſi per verbum conſtituatur in eſſe repreſentato: acies autem mentis habet rationem intellectus poſſibilis, quia informatur verbo mẽtis, & eſt receptiua obiecti, quatenus cõſtituitur in ſtatu actualis intelligibilitatis, & in hoc ſenſu poſuit Ariſtoteles in anima intellectum agentem, & poſſibilem, vt docui *in lib. de anima*.

6 Dicendum eſt. *Non dari intellectum agentem, qui ſit productiuus ſpecierum intelligibilium impreſſarum.* Probatur. De ſe non eſſet magis productiuus vnius, quàm alterius, cum ſit indifferens: vnde deberet intrinſecè determinari ad talem ſpeciem producendam. Per id autem, quo determinatur ad ſpeciem producendam, poterit etiam determinari ad eliciendam intellectionem.

Confirmatur. Non poteſt abſtrahere ſpecies ab obiecto, niſi obiectum aliquid immittat in ipſum, ratione cuius poſſit illas abſtrahere, ergo. Si intellectus Angelicus poteſt aliquid recipere ab obiecto, ex quo format ſpecies intelligibiles, poterit etiam aliquid recipere, ratione cuius formet intellectiones.

Confirmatur ſecundò. Quia non eſt in Angelo aliquis actus cognitionis præcedens, ex quo formet has ſpecies, vt eſt in homine cognitio ſententię cum phantaſmato.

7 Ad primum negatur antecedens. Nam intellectus agens importat perfectionem fictitiam, non neceſſariam in ordine ad intelligendum, & ideò non eſt admittendum quia tota perfectio intellectiua eſt neceſſaria reſpectu intellectionis.

Ad ſecundum. Infuſionem ſpecierum reſpectu intellectus

ctus

Digitized by Google

ctus humani eſſe præter naturam : vnde adhuc remaneret in ipſo intellectus agens, ſi daretur, vt poſſet connaturali modo operari.

Ad tertium negatur ſecunda pars antecedentis. Nam materialia in ratione obiecti ſunt æquè intelligibilia, ac ſpiritualia, quia conueniunt cum ipſis in ratione vniuoca intelligibilitatis ſunt autem tantum remotè intelligibilia, & fiunt proximè intelligibilia ratione verbi, in quo intentionali modo exiſtunt.

DE COGNITIONE Angelorum.

DISPVTATIO CVII.

An Cognitio Angelica ſit aliquid ſuperadditam.

SECTIO I.

1 Difficultas eſt. An Angelus intelligat per actum elicitum propriæ ſubſtantiæ ſuperadditum, an verò per propriam ſubſtantiam, itaut propria ſubſtantia ſit formalis ratio, per quam cognoſcat.

Supponendum autem eſt. In Angelo eſſe tantum cognitionem intellectiuam; non enim poteſt habere cognitionem ſuperiorem, cum intellectiua ſit in ſupremo gradu, nec etiam inferiorem quia cum modus cognoſcendi ſequatur modum eſſendi, & Angelus habeat vnicum tantum modum eſſendi, & vnicum tantum gradum vitæ intellectualis, habebit etiam tantum vnum modum cognoſcendi, videlicet intellectionem.

2 Prima ſententia eſt Boneti lib. 7. theol. cap. 4. de veritate, qui aſſerit, intellectionem ſecundum eſſe abſolutum eſſe idem cum ſubſtantia Angeli ſecundum autem eſſe reſpectiuum diſtingui ab ipſa.

Fundamentum eſt, Quia omnis forma abſoluta poteſt habere ſuam operationem: vndè ſi intellectio eſſet forma abſolutè diſtincta à ſubſtantia Angeli, haberet ſuam operationem, atq; adeò aliam formam abſolutam, & ſic procederetur in infinitum.

3 Communis ſententia eſt in oppoſitum, & certiſſima theologicè loquendo. Et Traditur à D. Tho. 1. *p. q.* 54. *artic.* 1. & 2. Caietanus, Molina, Bannes, Cumel *ibidem* Vaſquez *diſp.* 198. *c.* 2. Suarez 2. *de Angelis cap.* 2. & aliis.

4 Dicendum 1. *Cognitionem Angelicam diſtingui ab ipſius ſubſtantia, ita vt Angelus non poſſit cognoſcere, niſi aliquid producat à propria ſubſtantia diſtinctum.* Deſumitur, ex D. Proſpero *ſent.* 366. vbi habet. *Nullius etiam incorporeæ naturæ verè ſimplex ſubſtantia eſt, cui hoc eſt eſſe, quod noſſè, poteſt enim eſſe, nec noſſe.*

Probatur. Angelus habet intellectiones ſupernaturales realiter diſtinctas à propria ſubſtantia, vt de fide eſt, alioquin eſſet Beatus per naturam, non per gratiam, quod eſt damnatum in Clementina. *Ad noſtrum.* De *Hæreticis*, ergo ex vi propriæ ſubſtantiæ non importat ſuum intelligere, & conſequenter nec etiam ſuum intelligere naturali. Si enim ſemel habet aliquam intellectionem ſuperadditam, & realiter diſtinctam, iam eſt in potentia ad recipiendam intellectionem, & virtus intellectiua ipſius eſt tantum actus primus.

5 Confirmatur. Actus volitionis realiter diſtinguntur, ergo, & actus intellectus, cum ſit eadem ratio. Antecedens probatur. Tum quia, ſi non diſtinguerentur, non eſſent liberi; tum quia cum in aliquibus Angelis fuerint mali, Deus fuiſſet auctor mali.

Confirmatur 1. Eſſe finitum, & determinatum ad vnam tantum ſpem non poteſt eſſe idem cum ijs, quæ ex natura ſua petunt eſſe infinitarum ſpecierum ſed eſſe Angeli eſt finitum, & intelligere ex genere ſuo eſt infinitũ, ergo, &c. Maior patet. Quia eſſe finitum non poteſt fundari niſi perfectionem determinatæ ſpeciei. Minor probatur. Quia intelligere ex genere ſuo poteſt attingere omnia intelligibilia, per infinitas intellectiones ſyncategorematicè, quarum ſingulæ habent propriam perfectionem, atq; adeo important infinitam perfectionem ſyncategorematicè.

6 Dices. Cauſa poteſt producere infinitos effectus, & tam habet eſſe determinatum, ergo, &c.

Reſpondetur. Poſſe producere infinitos effectus eiuſdem perfectionis; non autem diuerſæ. Hinc licet illos contineat virtualiter, non tamen continet infinitam perfectionem.

7 Dicendum ſecundò. *Etiam intellectionem, qua Angelus intelligit ſe ipſum diſtingui ab eius ſubſtantia*, eſt cont. Durand. *in* 1. *diſt.* 3. *q.* 5. Probatur. Quia intellectus Angelicus non poteſt eſſe ſuamet intellectio, vt patet ex dictis.

Confirmatur. Si aliquod intelligere poſſet eſſe ſubſtantia Angeli, poſſet etiam quodcunq; quia ex genere ſuo non illi repugnaret identificatio.

Confirmatur ſecundò. Etiam amor, quo ſe ipſum diligit, eſſet eius ſubſtantia; vndè Angeli mali cum ſe inordinate dilexerint, Deus creaſſet in illis amorem inordinatum.

8 Ad fundamentum in oppoſitum reſpondetur. Non omnem formam abſolutam poſſe habere propriam operationem, ſed illam tantum, quæ eſt virtus operatiua, non autem illa, quæ eſt vltimus terminus virtutis operatiuæ. Deinde intelligere habet ſuo modo propriam operationem, quatenus concurrit ad actum voluntatis.

An Cognitio Angeli ſit Compoſitiua, & Diuiſiua.

SECTIO II.

9 Loquimur de compoſitione, & diuiſione formali modo ſe habente.

Prima ſententia aſſerit, Angelum neq; componere, neq; diuidere, quando intelligit obiecta per eandem ſpeciem, quando verò intelligit per diuerſas ſpecies, tunc componere, & diuidere, ita Molina 1. *p. q.* 50. *art.* 3. Vaſquez *diſp.* 223. *cap.* 1. & 2.

Fundamentum eſt. Quia tunc interuenit compoſitio, & diuiſio, quando per plures conceptus cognoſcitiuos habetur habitudo aliquorum. Angelus autem per plures ſpecies, atque adeo conceptus cognoſcit vnum non eſſe aliud & tribuit aliquid alteri.

10 Secunda ſententia aſſerit in ijs, quæ Angelus euidenter cognoſcit, non interuenire compoſitionem, & diuiſionem, ſecus autem in ijs, quæ non cognoſcit euidenter, ita Suarez 2. *de Angelis ca* 32. Ragnaudus *in naturali Theol. diſ.* 4. *q.* 1. *art.* 6. *n.* 120.

Probant. Ideò homo componit, & diuidit, quia intellectus ipſius non ſtatim percipit, quidquid in obiecto cõtinetur. Hoc autem accidit in Angelo in ijs, quæ non cognoſcit euidenter, vt ſupernaturalia.

Secundò. Angelus concepto obiecto complexo non ſtatim aſſentit, aut diſſentit, vnde prius fuit illi propoſita hæc propoſitio Deus eſt Trinus per fidem credendam, quàm aſſenſerit, ergo iudicium diſtinguitur ab appræhenſione.

11 Tertia ſententia. Abſolutè docet Angelum neq. componere, neq. diuidere ita D. Thom. 1. *p. q.* 58. *art.* 3. Caiet. & Bannes *ibidem*. Durandus *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 3. Aegidius *p.* 3. *q.* 2. *art.* 3. & com. Thomiſtæ.

12 Notandum 1. Angelum intelligere per proprias ſpecies, atque adeò ſecundum proprium conceptum, ſpecies enim, quibus vtitur, ſunt ordinatæ pro potentia intellectiua,

Digitized by Google

ra, atq; adeò ſeruant proportionem ad obiectum formalē ita vt ex ſua primaria ratione habeant ipſum repræſentare ſub ratione intelligibilis.

13 Notandum ſecundò. Compoſitionem obiectiuè ſumptam conſiſtere in aliqua connexione extremorum; diuiſionem verò in ſeparatione formaliter verò ex parte intellectus importat perceptionem talis connexionis, aut ſeparationis; hinc prouenit ex imperfecto modo cognoſcendi, ideò enim intellectus componit, & diuidit, quia in prima apprehenſione non percipit hanc connexionem, aut ſeparationem.

14 Notandum tertiò. In compoſitione, & diuiſione triplicem actum interuenire, duo enim ſunt neceſſarij, vt apprehendantur extrema, & tertius qui attingat eamdem habitudinem, fieri enim poteſt, quod ambo extrema ſint apprehenſa per duplicem actum, & non adſit compoſitio, aut diuiſio.

15 Dicendum eſt. *Angelum numquam componere, aut diuidere, ſed ſimplici intuitu continenti eminenter iudicium intelligere.* Probatur. Angelus intelligit per proprias ſpecies, ergo non componit neq. diuidit. Conſequentia probatur. Quia ſpecies nedum repreſentant ipſa extrema, ſed etiam eorumdem habitudinem, vnde eodem actu, & eadem ſpecie expreſſa, quo intelligit extremum, intelligit etiam habitudinem ipſius.

16 Dices id eſſe verùm, quando cognoſcit euidenter. Contra. Euidentia, & ineuidentia non mutat modum cognitionis, ergo, &c. Secundò non poteſt aliquid cognoſcere in ſe ipſo, niſi cognoſcat euidenter, & ſtatim illud attingat, quantum ab ipſo attingibile eſt, quia cognoſcit per propriam ſpeciem, quæ cauſat cognitionem euidentem, ergo abſq. compoſitione.

17 Dices primò. Aliqua extrema non habere connexionem neceſſariam, & ideò non poſſe cognoſci euidenter, ſed tantùm coniecturaliter.

Contra. Quia tunc cognoſcit euidenter, non adeſſe habitudinem neceſſariam, ſed poſſe adeſſe, & non adeſſe, & ideò non habet determinatam cognitionem de tali connexione, niſi aliundè innoteſcat habitudo.

18 Dicendum ſecundò. *Neque, & libertate ſua poſſe componere, & diuidere.* Ratio eſt. Quia licet operari ſit ex libertate operantis, non tamen modus operandi, quia hic ſequitur naturam, & commenſuratur principijs intrinſecis, & ijs, à quibus per ſe dependet operatio.

19 Ad fundamentum primæ ſententiæ negatur aſſumptum. Quia ad compoſitionem, & diuiſionem non ſufficit, quod per plures conceptus percipiantur extrema, ſed requiritur. Tertius conceptus qui præciſè feratur in eorumdem habitudinem.

20 Ad primum ſecundæ ſententiæ negatur minor. Nam Angelus ſtatim percipit, quidquid poteſt in obiecto percipere.

Ad ſecundum negatur antecedens. Ad probat. Quando aliquid proponitur Angelo per fidem credendum, non priùs apprehendit, quam eſſentiatur, quia ſpecies, per quam elicit talem actum, eſt repreſentatiua obiecti intra ordinem credibilitatis adequato modo, & ideò ſimul mouet ad apprehenſionem, & aſſenſum.

An Cognitio Angeli ſit Diſcurſiua.

SECTIO III.

21 PRima ſententia aſſerit, Angelum cum diſcurſu cognoſcere etiam ea, quæ euidenter, & naturaliraliter cognoſcit, ita Ocham *in 2. q. 16.* Ariminenſis *diſp. 7. q. 5. art. 2.*

Probant. Res ex natura ſua habent, quod per medium cognoſcantur nec omnia nota ſunt ſe ipſis, cognoſcere autem per medium eſt diſcurrere.

Secundò. Si mundus fuiſſet duraturus per æternitatem, non potuiſſet Angelus cognoſcere omnes ecclipſes futuros ſimul, ſed ex cognitione aliquarum tranſiſſet ad cognitionem aliarum, ergo cum diſcurſu.

22 Secunda ſententia aſſerit, Angelum diſcurrere circa naturalia, & ſupernaturalia, quæ tamen tantùm coniecturaliter cognoſcit, vt cogitationes cordis, ita Marſil. *in 2. q. 6. concl. 1.* Vaſquez *1. p. diſp. 222. cap. 2. & 3.* Ragnaudus *in naturali Theologia diſt. 4. q. 1. art. 6. n. 125.* Pelantius *1. p. q. 58. art. 1. & 3.* Molina *ibidem.*

Probant. Ex aliquo noto aliud conijcit. Hæc autem coniecturalis notitia eſt diſtincta, quia non eſt clara, ſicut præcedens, & cauſatur à præcedenti, ergo eſt diſcurſiua. Confirmatur. Quia poteſt cognitio poſterior coniecturalis eſſe falſa.

Secundò. Angelus poteſt aliquid cognoſcere intuitiuè & ratione ipſius aliquid abſtractiuè, eadem autem cognitio non poteſt eſſe intuitiua, & abſtractiua.

23 Tertia ſententia aſſerit ſimpliciter, Angelum non diſcurrere, ita D. Thom. *1. p. q. 58. art. 3.* Caietanus *ibidem.* Bannes *dub. 1. 2. & 3.* Cuniel *art. 3. dub. 2. & ſequentibus* Ferrar. *3. cont. Gentes cap. 91.* Alenſis *3. p. q. 20. memb. 5.* Capreolus *in 2. diſt. 3. q. 2. art. 1.*

24 Dicendum eſt. Angelum non cognoſcere per diſcurſum. Probatur. Ad ſaluandum diſcurſum non ſufficit ſola apprehenſio obiecti, ſed requiritur ſpetialis actus illatiuus, quo præciſè attingatur illa connexio, qua mediante vnum infertur ex alio. Sed hic actus non interuenit in cognitione Angelica, ergo, &c. Minor probatur. Angelus primo intuitu cognoſcit, quantùm poteſt cognoſcere, quia cognoſcit per propriam ſpeciem, à qua ſola mouetur ad cognoſcendum, & ſolùm tantùm poteſt cognoſcere quantùm ab ipſa moueri poteſt, ergo primò intuitu percipit illam connexionem, quæ ab intellectu attingitur per actum diſtinctum, & conſequenter non habet actum illatiuum.

Confirmatur. Vel iſta connexio eſt connexio identitatis, vel ſtat cum diſtinctione extremorum. Si primum, cum ſit inbibita in entitate rei, attingitur per illam ſpeciē, per quam res ipſa attingitur. Si ſecundum, adhuc repræſentatur per ſpetiem extremorum, quia adhuc conuenit ipſis ex vi propriæ entitatis.

25 Dices. Fieri poſſe, quod Angelus cognoſcat vnum tantùm extremum, & non habeat ſpeciem alterius, tunc autem per diſcurſum veniet in cognitionem illius.

Contra. Quia in tali caſu non attinget alium extremum in ſe ipſo, ſed tantùm pro vt manifeſtatur aliquo modo in extremo cogniti, ergo non diſcurret. Secundò. Licet ex cognitione vnius extremi acquireret cognitionem de alio, neq. adhuc formaliter diſcurreret, quia non adeſſet actus ſpetialis illatiuus, quo præciſè attingeretur connexio extremorum.

26 Dicendum ſecundò. *Neq. ex libertate ſua poſſe Angelum diſcurrere.* Probatur Angelus neceſſario cognoſcit, quantum ſpecies repræſentat, cum autem connexio, in qua fundatur illatio, fundetur in eſſe rei, implicat Angelum vti ſpetie repreſentatiua rei. Secundum eſſe, & non vt repreſentatiua connexionis, & ideò non relinquitur locus actui ſpetiali illatiuo.

27 Ad primùm. Prima ſententia diſting. antecedens. Aliqua ita connexa ſunt, vt poſſent per diſcurſum cognoſci quando cognoſcuntur per alteras ſpecies, non tamen ſunt hoc pacto cognoſcibilia ab Angelo, ex eo, quod cognoſcat per proprias ſpecies.

Ad ſecundùm diſting. ſecunda pars anteced. Tranſiret ad cognitionem aliarum per diſcurſum, nego, per ſucceſſionem alterius cognitionis, concedo. Aliud enim eſt, quòd ſimul non cognoſcat omnes ecclipſes futuros, aliud, quòd cognoſcat per diſcurſum primus prouenit ex eo, quòd non attendat ad omnes, & dicit tantùm, quod vna cognitio alteri ſuccedat, & hoc pacto ad ſummum agnoſcit Angelus. Secundum autem importat ſpetialem actum illatiuum, qui non conuenit Angelo.

28 Ad primùm ſecundę ſententiæ negatur ſecunda pars.

Minor

Digitized by Google

Minor, nam quando Angelus cognoſcit aliquid certum, & aliud coniecturaliter, tunc eodem intuitu percipit habitudinem illius, quod certò cognoſcit, & quia habitudo eſt fallibilis, etiam vt fallibilis percipitur. Ad confirmationem cognitionem non eſſe coniecturalem, prout verſatur circa extrema, ſed ſolum, prout ſimplici actu attingit eorundem connexionem: vnde in Angelo non poteſt eſſe falſa, quia percipit fallibilitatem connexionis, & non iudicat, quod ſit, aut non ſit, ſed ſuſpendit iudicium, immo iudicat eſſe fallibilem, & hoc euidenter cognoſcit.

Ad 2. negatur min. Nam non implicet quod eadem cognitio ſit intuitiua, & abſtractiua reſpectu diuerſorum; ſic quando effectus cognoſcitur in cauſa præſenti, cognitio cauſæ eſt intuitiua, effectus verò abſtractiua.

29 Colligitur ex dictis. Quomodo Angelus cognoſcat effectum in cauſa, & cauſam in effectu. Cognoſcit enim vno ſimplici actu, qui repræſentat cauſam, & effectum ſecundum illud eſſe, quod habet in cauſa, & ſimiliter cognoſcendo effectum cognoſcit cauſam, quatenus ſecundum aliquam participationem continetur in effectum.

An cognitio Angeli poſſit eſſe falſa.

SECTIO IV.

30 CVm Angeli cognitio contineat eminenter iudiciũ, eſt etiam vera, quia conformatur cum obiecto; nunc inquiritur, an poſſit eſſe falſa; & quæſtio procedit conſiderando vires naturales Angelorum, nam certum eſt, Angelos beatos non poſſe falli, quia falſitas repugnat ſtatui beatitudinis.

31 Communiter docent, Angelum poſſe errare circa ea, quæ non cognoſcit euidenter, ſed tantum coniecturaliter, vel per fidem fundatam in auctoritate creata, præſertim Suarez 2. *de Angel. cap.* 39. & D. Thom. 1. *par. quæſt.* 58. *artic.* 3.

32 Dico primò. *Angelum non poſſe falli circa ea, quæ cognoſcit propriam ſpeciem.* Probatur, tunc cognoſcit eo pacto, quo mouetur à ſpecie. Tunc autẽ cognitio eſt talis qualis cauſatur à ſpecie. Species autem non cauſat niſi cognitionem conformem obiecto.

33 Dico ſecundò. *Neque circa reuelata poſſe falli etiã ſi auctoritate creata reuelentur.* Probat. vt cognitio circa reuelata ſit vera, non debet conformari rebus, pro vt in ſe ſunt, ſed prout ſtant in reuelatione, quia cognitio illa non attingit rem in ſe ipſa, ſed in reuelatione. Angelus autem percipit res, pro vt ipſi reuelantur.

34. Dico 3. *Neque circa coniecturalia cognitio Angelorum poteſt eſſe falſa.* Probatur, Angelus ex perfectione ſui luminis tantum cognoſcit, quantum mouetur ab obiecto, quia non habet, vnde aliunde moueatur, nec poteſt cognoſcere, niſi moueatur. Ergo circa coniecturalia non fallitur, quia, quæ dubia ſunt, non poſſunt mouere ad cognitionem certam; vnde Angelus non elicit circa ipſas aſſenſum determinatum, ſed veluti ſuſpenſo modo ſe habet, vt ſe habebant dæmones reſpectu Chriſti.

35 Dices. Angelos malos ratione ſuæ prauæ affectionis poſſe iudicare tamquam certum, quod eſt dubium.

Contr. Angeli mali non ſunt læſi in naturalibus, vnde habent perfectum lumẽ intellectuali; nec ad iuditium mouentur ex praua affectione, ſed ab obiecto manifeſtato, ergo, &c. Secundò: Cognitio eſt ſecundũ menſuram fœcunditatis, & fœcunditas ſecundum menſuram obiecti; ideò cognitio non eſt certa, ſi obiectum ſit dubium.

36 Dico 4. *Poſſe Angelum habere cognitionem practicam falſam.* Probatur: Cognitio practica Angeli non eſt prima menſura agendorum, nec ſupponit obiectum, cui conformetur, quia ipſa eſt cauſa obiecti, ſed ſupponit primam menſuram, quæ eſt in intellectu diuino, cui debet conformari, intellectus autem Angeli poteſt carere hac conformitate ex eo, quod Angelus in formatione ipſius deueniri poteſt ab obiectis creatis, vt aliter illam formet, quam debet formari, ergo poteſt eſſe falſa.

37 Obijc. Intellectus Angeli eſt determinatus, vt exeat in actum, prout mouetur ab obiecto, ergo non eſt indifferens, vt habeat cognitionem veram, & non veram.

Reſpondetur eſſe determinatum quoad cognitionem ſpeculatiuam, non quoad practicam, quia hæc non cauſatur ab obiectis, ſed obiecta cauſantur ab ipſa.

38 Quæres, quid ſit cognitio matutina, & veſpertina in Angelis, quæ ipſis à D. Auguſtino tribuitur 4. *de Genes. ad litteram. cap.* 22. & alibi.

Reſpondetur: Cognitionem matutinam eſſe cognitionem rerum, prout in verbo videntur, cognitionem verò veſpertinam eſſe illam, qua res cognoſcuntur in ſe ipſa, & ita explicat ipſe 11. *de Ciuit. cap.* 24. Prima dicitur matutina, quia eſt clarior, quam poſterior: & ſic vocatur ex proportione ad manè, & veſperam.

DE MODO, QVO INTELLECTVS Angeli ſit in actu.

DISPVTATIO CVIII.

An Angelus poſſit ceſſare ab omni actu cognitionis.

SECTIO I.

1 PRima ſententia aſſerit Angelum poſſe ex libertate ſua ceſſare ab omni actuali cognitione, ita Vaſquez 1. *par. diſp.* 219. *cap.* 3. Rainaudus *in natur. Theol. diſt.* 6. *qu.* 1. *art.* 8. *num.* 160.

Probant in natura purè intellectuali omnis operatio vitæ eſt voluntaria, cum hoc pertineat ad perfectionem ipſius, ergò, &c.

2 Senſitiua poſſunt ceſſare ab omni operatione ſenſus, & homo ab omni operatione intellectus, ergo etiam Angelus.

3 Poteſt ceſſare ab vſu cuiuſcunque ſpeciei, ergo & ab vſu omnium collectiuè.

2 Prima ſententia eſt in oppoſitum, eſt communis, & traditur à D. Tho. 1. *par. q.* 56. *art.* 1. *ad* 3. Caiet. *q.* 58. *art.* 2. Bannes *art.* 2. *dub.* 2. Cumel *q.* 2. Suarez 2. *de Angelis cap.* 35.

3 Dicendum eſt. *Angelum eſſe ſemper in aliqua actuali cogitatione naturali.* Probatur. Operatio intellectus eſt natura ſua prior operatione voluntatis, ita vt ab intrinſeco ſuo non dependeat ab ipſa, ergo. Angelus non poteſt ceſſare ab omni cognitione. Conſequentia probatur. Ex hoc quod operatio intellectus ex natura ſua non dependet ab operatione voluntatis, non eſt abſolutè ſub dominio illius, nec intellectus, vt exeat in actu debet expectare imperium voluntatis, ergo ſemper eſt in aliquo actu quia in tantum poſſet ceſſare ab omni, in quantum voluntas poſſet ſuſpendere omnem actum, non poteſt autem ſuſpendere, cum non ſit ſub Dominio illius.

Confirmatur. Intellectus in ſua operatione eſt potentia naturalis, & ex natura ſua independens à volitione, ergo ſemper eſt in aliquo actu, quia potentia naturalis non impedita neceſſariò operatur.

4 Dices. Intellectum eſſe tantum potentiam neceſſariam, quatenus pro libito non ſe determinat, non autem, quatenus ſit neceſſario in actu, ſed poſſe voluntatem ſuſpendere influxum ipſius.

Contra. Sequitur operationem voluntatis ex genere ſuo eſſe priorem operatione intellectus, ita vt intellectus ſequeretur voluntatem, quia illa operatio eſt natura ſua prior,

Digitized by Google

prior, quæ in aliquo ſuo indiuiduo poteſt eſſe ſine omnia alia alterius generis 2. Si intellectus poſſet ſuſpendi, non influeret, non poſſet ferri in obiectum, niſi moueretur à voluntate, & voluntas deberet prius attingere obiectum, quã attingatur ab intellectu, quod implicat. Sequela probatur, quia voluntas deberet ab obiecto determinari, vt moueret intellectum potius in hoc, quàm in illud obiectum. Tertiò intellectus eſſet potentia ſubordinata voluntati, nec darentur actus aliqui merè naturales prouenientes à libertatem.

5 Ad primum negatur aſſumptum. Operatio enim vitæ non eſt ſemper in libertate, neq; hoc exigitur à perfectione creaturæ intellectualis.

Ad ſecundum negatur aſſumptum. Nam etiam intellectus noſter, & ſenſus internus eſt ſemper in aliquo actu, licet non ſemper aduertamus; imo experimur nos non poſſe ceſſare ex libertate ab omni actu.

Ad tertium. Non licere arguere à diſtributiuo ad collectiuum, quia reſpectu diſtributiui non militat ratio neceſſitatis ſicuti reſpectu collectiui, creatura autem intellectualis requirit ſemper actum vitalem ſub ratione exercitij vitæ; hoc autem ſaluatur in quocunque actu, & ideò aliquis tantum eſt neceſſarius, nõ autem hic, aut ille.

An poſſit Angelus ſimul plura Cognoſcere.

SECTIO II.

6 QVæſtio procedit de cognitione naturali, & cum experientia pateat, etiam intellectum humanum ſimul plura cognoſcere, difficultas eſt, an poſſit cognoſcere plura ſimul per modum plurium.

Prima ſententia eſt affirmatiua ita Arimin. *in* 1. *diſput.* 11. *quæſt.* 1. Durand. *diſp.* 3. *quæſt.* 8. Molina 1. *part. q.* 50. *art.* 2. *diſp.* 1. Vaſquez *diſp.* 220. *c.* 2. Cumel *q.* 2. Suarez 2. *de Angelis cap.* 34.

Probant. Angelus poteſt plura cognoſcere ſimul, quæ per diuerſas ſpecies repræſentantur, vt ſunt ſpiritualia, & corporea, ergo per plures actus, ergo per modum plurium.

Secundò non repugnant, plures ſpecies ſimul in intellectu Angeli, ergo neque plures actus cognitionis.

Tertiò Poteſt vnus actus inchoari permanente alio, qui prius incepit ergo &c.

7 Secunda ſententia eſt negatiua ita D. Thom. 1. *par. quæſt.* 50. *art.* 2. Caiet. *ibid.* Bannes *ibidem*. Ferrarienſ. 2. *contra gentes capit.* 1. Aegidius *in* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 3.

8 Notandum primo. Ea, quæ intelliguntur per modum vnius ex parte obiecti, intelligi cum aliqua vnitate obiectiua, non eſt autem neceſſe quod hæc vnitas ſit ſecundum eſſe, ſed ſufficit, ſi ſit ſecundum rationem obiecti. Vnde quando intelliguntur plura indiuidua, prout habent eamdem naturam, intelliguntur per modum vnius obiecti. Quia enim obiectum intellectus importat aliquid intelligibile, vel ad ſaluandam vnitatem ipſius, ſufficit, ſi res communicet in quacunque ratione intelligibilitatis, quę ſaluatur in quacunque complexione, aut ordine, qui plura complectatur. Hinc cum vnitate obiecti ſtat differentia rerum, quæ concurrunt in vnum obiectum, & ideò poſſunt intelligi cum propria diuerſitate.

9 Notandum ſecundò. Vt aliqua intelligantur per modum vnius, non ſufficere, quod obiectum ſe habeat per modum vnius, ſed requiritur etiam, quod cognitio repręſentet per modum vnius: cognoſcere enim per modum vnius importat modum, quo attingitur obiectum, modus autem quo attingitur obiectum, attendendus eſt ſecundum attingentiam obiecti.

10 Dico primò. *Quotieſcunque plura intelliguntur ab Angelo, quantum eſt ex parte obiecti, intelligi per modum vnius, nec aliter poſſe intelligi.* Probatur. Non poſſunt obijci intellectui, niſi per modum vnius obijciantur, ergo &c. Antecedens prob. Quia res omnes conueniunt in aliqua ratione communi, ſecundum quam obijciantur, & prout ſunt inter ſe diuerſa, habent inter ſe habitudinem ordinis, quia ex intrinſeca ſua ratione habent, quod ſint partes integrantes vniuerſi, & coordinentur in ordine ad vnum totum, & ad vnum finem.

11 Dico ſecundò. *Poſſe intellectum ſimul vti pluribus ſpeciebus impreſſis ad intelligenda plura obiecta.* Probatur. Poteſt intellectus noſter ſimul vti pluribus ſpeciebus, cum poſſit ſimul cognoſcere ea, quorum ſpecies diuerſo tempore acquiſiuit; & poteſt, quando plura cognoſcit, ceſſare à cognitione vnius, & non alterius; quod fieri non poſſet, niſi vteretur ſpeciebus diſtinctis, ergo etiam intellectus Angelicus, cum ſit perfectior.

12 Dices. Intellectum Angelicum habere ſpecies adæquatas propriæ virtuti, & ideò non poſſe pluribus vti.

Contra; quia hoc dici non poteſt, niſi eadem ſpecies plura repræſentet; tunc autem poterit Angelus vti ſimul pluribus ſpeciebus, ſed ſingulis inadæquate.

13 Probatur ſecundò. Angeli habent aliquos actus naturales, qui continuò durant, vt Angeli mali circa ſuas pœnas; Angeli boni circa perſonam, quam cuſtodiunt; & tamen adhuc intelligunt naturali cognitione alia obiecta, quę debent repræſentari per alias ſpecies, cum ſint alterius ordinis, ergo &c.

14 Dico tertiò. *Quoties Angelus vtitur pluribus ſpeciebus impreſſis exprimere etiam plura verba.* Probatur: ſpecies expreſſa commenſuratur impreſſæ, itaut per modum actualis repręſentationis dicat, quod dicit impreſſa per modum fœcunditatis, ergo ſi ſpecies impreſſa eſt multiplex, etiam expreſſa erit multiplex.

Confirmatur: quæ differunt ſpecie, non poſſunt communicare in eodem eſſe; ſpecies autem expreſſæ, quæ proueniunt à diuerſis impreſſis, differunt ſpecie, & important diuerſam repręſentationem.

15 Probatur ſecundò. Non poſſunt plures cauſæ concurrere ad eumdem effectum, niſi ſint partes eiuſdem rationis, aut ſint ſubordinatæ, aut vna ſit complementum alterius. Plures autem ſpecies impreſſæ neque ſunt cauſæ particulares eiuſdem rationis, neque ſunt ſubordinatæ, quia nulla alteri ſubordinatur; neque vna eſt complementum alterius, quia nulla ſpecies impreſſa eſt in potentia ad aliam.

Confirmatur. Effectus indiuiſibilis nequit prouenire a cauſis, quæ ex natura ſua ſint productiuæ effectus diuiſibilis. Diuerſæ autem ſpecies impreſſæ ſunt productiuæ diuerſarum expreſſarum.

16 Dico quartò. *Licet Angelus poſſit vti ſimul pluribus ſpeciebus, non tamen poteſt intelligere plura per modum plurium*, deſumitur ex Ariſtotele 2. *Topic. cap.* 4. vbi habet *Contingit plura ſcire, cogitare autem non.* Probatur. Non poteſt intelligere plura per modum plurium, niſi plurificet ipſum formalè intelligere. Sed hoc non poteſt plurificari, ergo &c. Maior patet. Quia intelligere per modum plurium importat multiplex intelligere. Min. probatur. Quia intelligere Formaliter importat perceptionem obiecti, quæ in eo conſiſtit, quod acies mentis informetur verbo, & adhibeat ſuum conatum vitalem, qui ſe habeat per modum cuiuſdam actionis. Hic autem conatus non poteſt eſſe multiplex, quia prouenit à virtute indiuiſibili, quæ ſecundum ſe totam applicatur ad quodlibet obiectum.

Confirmatur: perceptio obiecti eſt exercitium vitæ, & importat ipſum viuere accidentale, ergo non poteſt plurificari, quia debet commenſurari vitæ intellectuali in actu primo, quæ eſt tantum vna.

17 Ad primum negatur conſequentia. Quia ex eo, quod ſint plures ſpecies, non ſequatur, quod ſint plures actus cognitionis; quia cognitio formaliter conſiſtit in perceptione obiecti.

Ad ſecundum negatur item conſequentia vt patet ex dictis.

Ad

Digitized by Google

Ad tertium negatur conſequentia. Nam cum aduenit de nouo aliqua cognitio permanente priori, tunc de nouo aduenit ſpecies expreſſa, qua informatur acies mentis, quæ eodem notu percipit etiam illud obiectum, quia videlicet idem conatus mentis indiuiſibiliter applicatur ad ſingula obiecta.

18 Inſtabis. Poteſt Angelus ſimul plura intelligere, deinde ceſſare à cognitione alicuius, ergo ſunt diſtincti actus.

Reſpondetur neg. conſeq. Nam vt poſſit ceſsare ſufficit, ſi ſint diſtinctæ ſpecies expreſsæ, & poſſit à ſingularum expreſſione ceſſare; tunc enim licet remaneat idem conatus mentis, non remanet eadem cognitio deffectu ſpecici expreſsæ: vnde per eumdem conatum poſsunt plura, & pauciora cognoſci, pro vt acies mentis pluribus, aut paucioribus ſpeciebus informatur.

An Angelus actu cogitet de omnibus quæ poteſt cognoſcere.

SECTIO III.

19 CErtum eſt, Angelum Beatum cogitare ſemper de Deo, quia non poteſt deficere à propria Beatitudine, & conſequenter omnia ſimul in Deo cognoſcere, quæ poteſt cognoſcere quoad obiectum primarium, & ſecundarium contingens; vnde ſolum quæſt. procedit de cogitatione naturali.

20 Prima ſententia aſserit, Angelum non poſse ſimul cognoſcere omnia, quorum ſpecies habet. Ita D. Thom. 1. *part. quæſt.* 55. *articul.* 1. Caiet. *ibidem.* Cumel *quæſt.* 2. Bannes *art.* 2. Vaſquez *diſp.* 221. *cap.* 3. Ferrar. 2. *cont. gent. cap.* 101. Henric. *quodlibeto* 1. *quæſt.* 14. Capreol. *in* 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. *art.* 2. *concl.* 9. Maior *quæſt.* 8. Aegidius *part.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 1. Suarez 2. *de Angelis cap.* 34. Raynaud. *in naturali Theol. diſt.* 4. *quæſt.* 1. *art.* 8. *num.* 170. & alij.

Probant. Elicere cognitionem tot obiectorum excedit facultatem intellectus Angelici, ergo &c. Confirmatur. Maior virtus requiritur ad plura conſideranda, quam vnum, ergo ad conſideranda ſimul, & obiecta non ſufficit limitata virtus.

Secundò. Angelus habet ſpecies proportionatas propriæ virtuti, ergo poteſt tantùm habere ſimul vnum actū correſpondentem vni ſpeciei.

Tertiò. Virtuti determinatę debet correſpondere effectus determinatus, ergo intellectui Angelico debent correſpondere, vt intellectiones, itaut non poſſint plures correſpondere.

21 Secunda ſententia aſserit, poſse Angelum ſimul ea omnia cognoſcere, quorum habet ſpecies. Ita Aureolus *in* 2. *diſt.* 11. *q.* 3. *art.* 3. Arimin. *quæſt.* 1. Durand. *diſt.* 3. *part.* 2. *quæſt.* 8.

22 Dico primò. *Poſſe intellectum Angelicum exire in actum ſimul ſecundum omnes ſpecies impreſſas, quas habet.* Probatur: Quælibet ſpecies, quantum eſt de ſe, poteſt exire in actum ſimul cum alijs, ergo etiam intellectus ſimul cum ſpeciebus, antecedēs patet. Quia quælibet ſpecies præcisè habet ſuam propriam virtutem, in qua non communicat cum alia, quando enim erit in actum, nulla alia indiget. Conſequentia probatur. In tantum non poſset intellectus exercere ſuam virtutem ſimul cum omnibus ſpeciebus, in quantum diſtraheretur, & virtus ipſius non ſufficeret, vt ſimul cum omnibus influeret, hoc autem non obſtat, quia indiuiſibiliter ſe habet reſpectu omnium ſpecierum, ita vt ſecundum ſe totum applicetur ad influendum cum qualibet ſpecie, vt de facto contingit, quando ſimul cum pluribus concurrit, quia non habet partes, ita vt poſſit partialiter applicari ad vnam, & partialiter ad aliam.

Confirmatur. Virtus intellectiua poteſt ſimul fæcundari pluribus ſpeciebus impreſſis, ita vt cum ſingulis ſimul conſtituatur in actu completo; ergo poteſt ſimul cum omnibus concurrere. Conſequentia probatur, cauſa poteſt operari, ſecundum quod in actu primo conſtituitur, ergo quæ intra actum primum per plura complementa perficitur, poteſt ſecundum ea omnia ſimul operari, quia tunc operatio non excedit actum primum.

23 Dices. Id eſſe verum, quando complementa non ſe habeant diſiunctim in ordine ad operationem.

Contra Eadem potentia poteſt ſecundum totam ſuam virtutem operari, ergo quando completur per diuerſa complementa, quæ in ipſa perficiunt eamdem vim operatiuam, poteſt ſecundum ea omnia ſimul exire in actum, quia poteſt exire in actum ſecundum id totum, quo intrinſecè perficitur. Secundo. Quando aliqua cauſa habet diuerſas virtutes operatiuas, poteſt ſecundum omnes ſimul operari, ergo etiam intellectus Angelicus ſecundum omnes ſpecies impreſsas.

24 Dico ſecundò. *Neque ex parte perceptionis obiecti implicat Angelum eſse in actu ſecundum omnes ſpecies, quas habet, atque adeo poſſe actu cogitare de omnibus, quorum habet ſpecies.* Deſumitur ex D. Aug. 4. de Genel. ad litt. capit. 3. vbi habet. *Secundum potentiam ſpiritualem mentis Angelicæ cuncta, quæ voluerit ſimul notitia facillima compræhendit*, & cap. 33. *Omnia mens ſimul Angelica percipit, quæ ſingillatim per ordinem ſingularum cauſarum ſermo diſtinguit.* Probatur: Perceptio obiecti importat conatum, quo acies mentis vitali modo ſe exercet circa ſpecies expreſsas, ergo poteſt ſimul percipere omnia obiecta, quorum habet ſpecies. Conſequentia probatur: Quia poteſt illis omnibus informari, cum non ſint incompoſſibiles. Rurſus conatus vitalis poteſt indiuiſibiliter ſe extendere ad ſingulas, quia ſicut acies mentis ſecundum ſe totam informatur ſingulis ſpeciebus, ita poteſt ad ſingulas applicare ſuum indiuiſibilem conatum.

Confirmatur. Poteſt Angelus plura per modum vnius percipere, nec requiritur maior conatus, quàm ad percipiendum vnicum, ergo etiam omnia, quorum habet ſpecies eodem conatu poterit percipere, ac ſi vnum tantum perciperet antecedēs prob. Quia illa plura induūt rationē vnius obiecti, ſic oculus eodem conatu percipit omnia obiecta, quę ſunt intra ſuam ſpheram, quo perciperet vnicum tantùm.

25 Ad primum primæ ſententię negatur tot intellectiones ſimul elicitas excedere facultatem intellectus, quia habet plures ſpecies impreſsas correſpondentes expreſſis, & virtus intellectus eſt indiuiſibiliter ſecundum ſe totam applicabilis cuilibet.

Ad Confirmationem negatur requiri maiorem virtutem ad plura conſideranda, quam ad vnum; quia virtus ſingulis indiuiſibiliter applicatur.

Ad ſecundum ſupponere aliquid controuerſum, videlicet Angelum habere ſpecies vniuerſales; quod ſi haberet, eſsent commenſuratæ obiectis, quæ poteſt ſimul attingere.

Ad tertium virtuti determinatæ correſpondere effectum determinatum in eo ipſo, in quo eſt illa determinata, & ideò, cum virtus intellectiua ſit determinata in ratione agendi, & perfectione, illi correſpondet determinatus effectus ſecundum ſpeciem, & perfectionem. Rurſus cum ſit determinata in fæcunditate, & numero ſpecierum, eſſet determinata in numero intellectionum, itaut poſset ſimul habere tot intellectiones, quot habet ſpecies.

An Angelus Comprehenſiuè cognoſcat.

SECTIO IV.

26 COgnitio triplex eſt. Imperfecta, quæ fit per alienas ſpecies, vt illa, quam nos per diſcurſsū aquirimus. Secunda perfecta, quæ eſt quidditata, & per

propriam

Digitized by Google

propriam ſpeciem; tertia perfectiſſima, ſeu comprehenſiua, qua res cognoſcitur quantum cognoſcibilis eſt. Obiecta, quæ cognoſcuntur ab Angelo, alia ſunt naturalia, alia ſupernaturalia, in quibus continetur Deus, qui non comprehenditur ab aliqua creatura, vt de fide eſt. Difficultas autem eſt de obiectis naturalibus: obiecta autem creata ſupernaturalia, ſi cognoſcuntur naturaliter ab Angelo, eodem modo cognoſcentur, ac naturalia.

Communiter conueniunt in eo, quod Angelus comprehenſiue cognoſcat omnia obiecta naturalia, quæ non ſunt ſuperiora, ſibi ipſi autem comprehenſiue cognoſcat Angelos ſuperiores.

27 Prima ſententia eſt negatiua ita Suarez 2. *de Angelis cap.* 31. qui etiam citat D.Thom. *quæſt. 16. de malo, art. 8. ad 1.*

Probatur: Ad comprehenſionem requiritur adæquatio inter cognitionem, & obiectum. Angelus autem ſuperior in ratione cognoſcibilitatis excedit inferiorem in ratione intellectiui, quia tàm cognoſcibilitas, quàm eſſe intellectiuum ſequitur perfectionem ſubſtantiæ.

28 Secunda ſententia aſſerit, cognoſcere comprehenſiuè. Ita Bannes 1. *part. quæſt. 56. art. 2. dub.* 4. & citat D. Thom. 1. *cont. gent. cap. 96.*

29 Notandum primò. Obiectum, quod intelligitur, acquirere eſſe intentionale in intellectu; ſicut autem in obiecto duo conſiderantur, & eſſe, & modus eſſendi; ita etiam in eſſe intentionale: fieri autem poteſt, vt inter eſſe reale, & intentionale ſit debita correſpondentia, & non ſit inter modum eſſendi vtriuſque; vt quando cognoſcitur Deus ab intellectu Beato: Deus enim habet modum eſſendi infinitum, & exiſtit in intellectu Beato intentionaliter finito modo, quia videlicet exiſtit ex vi verbi finiti.

30 Notandum ſecundò. Ad comprehenſionem requiri adæquatam cognitionem cum obiecto, ita vt tanta ſit cognitio in eſſe ræpreſentatiuo, quantum eſt obiectum in eſſe ræpreſentabili; hæc autem adæquatio debet eſſe nedum ſecundum eſſe, ſed etiam ſecundum modum eſſendi; ita vt obiectum ſecundum eſſe intentionale habeat in intellectu illum modum eſſendi, quem habet in ſe ipſo ſecundum eſſe reale proportione ſeruata.

31 Dico primò. *Angelum comprehendere omnia naturalia, & omnes alios Angelos ſibi inferiores, & æquales.* Probatur. Angelus comprehendit ſe ipſum, ergo etiam alias creaturas inferiores, & æquales, Conſequentia probatur: Quia lumen, quod ſufficit ad aliquod obiectum comprehendendum, ſufficit etiam ad aliud minus, aut æquale.

32 Dico ſecundò. *Angelum inferiorem cognoſcere comprehenſiue etiam ſuperiorem.* Probatur. Ad comprehenſionem ſufficit æqualitas repręſentationis, & repręſentati quoad eſſe, & modum eſſendi. Sed hęc adeſt in cognitione Angeli inferioris, qua attingit ſuperiorem, ergo &c. Min. probatur: quia in cognitione inferioris repręſentatur naturam Angeli ſuperioris ſecundum omnem rationē cognoſcibilitatis, & Angelus ſuperior exiſtens intentionaliter in intellectu inferioris habet eumdem modum eſſēdi, quem habet in ſe ipſo, ſiquidem modus eſſendi attenditur ſecundum modum quantitatis perfectionis, qui ſolū dicit eſſe finito, vel infinito modo. Angelus autem ſuperior habet modum eſſendi finitum, & exceſſus eſt ſecundum perfectionem, non verò ſecundum modum eſſendi.

Confir. In tantum Deus non comprehenditur, in quantum finito modo rationem cognitionis finitæ repręſentatur, cum tamen in ſe infinito modo exiſtat, ergo cum Angelus ſuperior repręſentetur in intellectu inferioris, eo modo, quo in ſe exiſtit, comprehendetur.

33 Ad Fundamentum in oppoſitum reſpond. Ad cognitionem comprehenſiuam non requiri adæquationem inter obiectum, & cognitionem ſecundum perfectionem, ſed ſufficere ſecundum repræſentationem, quæ ſaluatur in eo, quod obiectum repræſentetur ſecundum omnem rationem, & eo modo, quo in ſe exiſtit.

DE MEDIO COGNITIONIS Angelicæ.

DISPVTATIO CIX.

An Angelus indigeat ſpeciebus impreſſis.

SECTIO I.

1 PRima ſententia eſt negatiua aſſerit enim, intellectum Angelicum eſſe ſufficienter fæcundum de ſe ad eliciendam intellectionem, nec requiri aliam determinationem, præter præſentiam obiecti. Ita Durand. *in 2. diſt. 3. quæſt.* 3. Gabriel. *q. 2. art.* 2. Baſſolis *quæſt. 3. ar.* 2. Armin. *diſt. 7. q. 5. art.* 2. Ocham. *q. 14. 15. & 16.* Vaſq. 1. *part. diſp.* 200. *cap.* 3. Prob. poteſt intellectus ſufficienter determinari ab obiecto, quia determinatio fit tantum in genere obiecti, ergo non eſt neceſſaria ſpecies.

Secundo. Species intentionalis deberet eſſe eiuſdem rationis cum obiecto, cum ducat in cognitionem rationem ſimilitudinis; in intellectu autem Angeli non poſſunt eſſe formæ eiuſdem rationis cum obiectis cognoſcendis.

Tertiò. Aliqui ſenſus externi ad ſolam præſentiam obiecti promunt ſuos actus; ergo etiam intellectus Angeli.

2 Secunda ſententia aſſerit, eſſe neceſſarias. Ita D. Th. 1. *p. quæſt. 55. art. 1. & 2.* Caiet. & Bannes *ibidem.* Molin. *diſp.* 2. Alenſis 2. *part. quæſt. 24. memb. 2. & 3.* Albertus *quæſt. 19. art. 11.* D. Bonauentura *in 2. diſt. 3. part. 2. art. 2. quæſt.* 1. Capreolus *quæſt. 2. art.* 2. Heruæus *quæſt. 4. ar.* 2. Scotus *quæſt.* 10. Maior *quodlib.* 7. Suarez 2. *de Angelis cap.* 3. & communiter.

3 Dico primò. *Implicare, Angelum omnia intelligere per ſuam ſubſtantiam tamquam per illam, quæ deſeruiat pro ſpecie impreſſa omnium cognoſcibilium.* Probatur: Subſtantia Angeli eſt limitatæ perfectionis, ergo non poteſt deſeruire pro ſpecie impreſſa omnium cognoſcibilium. Conſequentia probatur: Quia quod eſt determinatæ perfectionis, non poteſt continere infinitos effectus diuerſæ rationis, quorum ſinguli dicant propriam, & diuerſam perfectionem. Si autem ſubſtantia Angeli deſeruiret pro ſpecie impreſſa, contineret infinitas repræſentationes, ſeu ſpecies expreſſas.

4 Dices. Non ſequi perfectionem infinitam in cauſa, quia non eſt neceſſe, vt contineat perfectiones obiectorum.

Contra: licet non debeat continere perfectiones obiectorum, debet tamen continere perfectiones ſpecierum expreſſarum, quæ ſunt infinitæ.

5 Dico ſecundò. *Angelum intelligere per ſpecies ſuperadditas.* Prob. Cognitio debet aliquo pacto cauſari ab obiecto iuxta illud Auguſtini *lib. 9. de Trinit. cap.* 12. Ab *vtroque notitia paritur cognoſcente, & cognito.* Eſt enim cognitio aliquid obiecti, cum contineat ſimilitudinem ipſius; obiectum autem non poteſt cauſare cognitionem, niſi aliquo pacto in ipſam influat; & non poteſt influere, niſi vniatur cum intellectu in ratione principij, non poteſt autem ſaltem ſemper vniri per ſe ipſum immediatè, ergo per ſpeciem.

Confirmatur: Verbum eſt imago obiecti, ergo debet aliquo pacto prouenire ab obiecto, quia de ratione imaginis eſt, vt ſit ab eo, cuius eſt imago.

Confir. Secundo: intellectus Angelicus eſt de ſe indifferens ad intelligēdum hoc potius, quā illud obiectum, cum poſſit omnia intelligere, ergo debet per aliquid intrinſecū determinari. Hoc autem non erit aliud, quàm ſpecies.

Digitized by Google

6 Dices determinari à præſentia obiecti.

Cont. Effectus determinatus non prouenit, niſi à virtute intrinſecè determinata in ratione virtutis; quia inter cauſam, & effectum debet eſſe commenſuratio. Ergo cum virtus intellectiua Angeli ſit intrinſecè indeterminata, vt producat determinatum effectum, debet intrinſecè per aliquid inhærens determinari.

7 Ad primũ negatur antecedẽs. Nam intellectus non poteſt determinari intrinſecè ab obiecto: eſt autem neceſſaria intrinſeca determinatio, vt patet ex dictis. Ad ſecundum negatur antecedens: Quia ſpecies eſt etiam virtus quædam omnibus fæcundans intellectum.

Ad Tertium negatur antecedens. Quia nullus ſenſus externus poteſt promere ſuum actum, niſi intrinſecè determinatum: atq. adeò niſi per ſpeciem.

An ſpecies emanent à ſubſtantia Angeli.

SECTIO II.

8 PRima ſententia eſt affirmatiua: aſſerit .n. eſſe veluti proprietates fluentes à ſubſtantia Angeli: ita Capreol. *in 2. diſt. 3. quæſt. 2. art. 3. ad argum.* Durand. *cont. 3. concl.* Caiet. *p. 2. quæſt. 30. arb. & quæſt. 51. ar. 3. & 3. par. q. 9. art. 3.* Medina *ibidem.* Bannes 1. *par. quæ. 55. art. 2. dub. 2.*

Probant ſi ſcientia eſt naturalis Angelo. Nõ eſſet autẽ, ſpecies ab ipſius ſubſtantia emanarent.

Secundò. Angelus eſſet inferioris conditionis homine, nam non haberet ſpecies fluentes à propria ſubſtantia; nec ad illas effectiuè concurreret.

Tertiò. Si non fluerent ab ipſius eſſentia, non eſſet Angelus in actu primo completo intellectualitatis: vndè non eſſet perfecta natura intellectualis.

9 Secũda ſent. eſt oppoſita, ita Ferrar. 2. *cont. Gent. c. 4.* Molina 1. *part. quæſt. 55. art. 2. diſp. 2.* Cumel. *quæſt. 2.* Peſant. *concl. 3.* Rada. 3. *par. contron. 9. art. 3.* Deſumitur etiam ex D.Thom. 3. *par. quæſt. 9. art. 3.*

10 Dicẽdum eſt, *Species non fluere ab eſſentia Angeli tanquam ipſius proprietates.* Probatur: ſequeretur, Angelum habere ſpecies omnium poſſibilium naturaliũ: vnde illa poſſet cognoſcere ſaltem cognitione abſtractiua, quod implicat, quia omnia poſſibilia cùm ſint infinita ſyncategoricè, non poſſunt cognoſci, niſi in Dei omnipotentia. Sequentia probatur; quia, ſi eſſentia Angeli eſſet radix ſpecierum, deberet eſſe radix illarum omnium, quæ poſſunt ipſi deſeruire intra latitudinem obiecti connaturalis; omnia autem poſſibilia naturalia ſunt intra latitudinem connaturalis obiecti.

11 Dices fluere à ſubſtantia Angeli tãtum ſpecies obiectorum, quæ exiſtunt, aut ſunt futura.

Cont. debent fluere illæ ſpecies, ad quas ex intrinſeco ſuo eſt determinata. Sicut autem reſpicit poſſibile naturale tamquam connaturale obiectum, ita eſt determinata ad omnes ſpecies, quæ reſpiciunt omne poſſibile naturale, ſecundò. Quod hæc exiſtant, aut ſint futura eſt aliquid contingens pendens ex libera Dei voluntate; quod autem eſſentia Angeli ſit determinata ad has ſpecies, vel illas, eſt aliquid abſolutè neceſſarium, nec per Dei potentiam mutabile, quia fundatur in eſſentia Angeli. Quod autem eſt abſolutè neceſſarium, non poteſt dependere à contingenti.

12 Dices ſecundo, Tunc ſtantem fluere ſpecies, quando exiſtit obiectum.

Cont. Emanatio eorum omnium, quæ fluunt ab eſſentia, eſt naturalis, & neceſſaria; & ſpecies ſunt quid abſolutum, quod non requirit terminum exiſtentem. Primo, non poteſt emanatio dependere ab exiſtentia obiecti. Secundo, ſpecies poteſt exiſtere non exiſtente obiecto: vnde non habet neceſſariam connexionem cum ipſo: ergo non requiritur exiſtentia, vt emanent.

13 Ad primum reſpondetur, Scientiam eſſe naturalem Angelo; nam cum ſit natura intellectualis, exigit perfici per ipſam; non autem, quia ſpecies dimanent ab eſſentia ipſius.

Ad ſecundum negatur ſequentia. Nam neque intellectus humanus concurrit effectiuè a productione ſpecierum, vt ſuo loco dixi. Deindè ſi concurreret, neq. adhuc Angelus eſſet inferioris conditionis, quia ſufficit, quod habeat ſpecies quocunque modo ſibi connaturales.

Ad tertium negatur ſequentia. Nam vt Angelus ſit naturalitate completa intellectualis, ſufficit, ſi habeat actum primum completum quò ad virtutem vitalem, non requiritur autem, quod ex ſe habeat ſpeciem, quia hæc importat determinationem prouenientem ab obiecto, per quam ipſam quoque debet concurrere ad intellectionem.

An Angelus habeat ſpecies Concreatas.

SECTIO III.

14 DIfficultas procedit de ſpeciebus connaturalibus intellectui Angelico, & ſenſus eſt, an Deus illas produxerit eo ipſo, quod primo fuit creatus Angelus.

Prima ſententia eſt affirmatiua, ita D.Thom. 1. *par. quæſt. 55. articul. 2.* Bannes *dub. primo.* Cume. *quæſt. 2.* Albert. *ſecunda part. quæſt. 14. memb. 3. artic. ſecundo.* D.Bonauentura *in 2. diſt. 3. part. ſecunda, artic. ſecundo, quæſt. prima.* Capreolus *quæſt. ſecunda, artic. primo.* Argentin. *quæſt. ſecunda, artic. quarto.* Heruæus *quæſt. quarta, artic. tertio.* Suarez 2. *de Angelis capit. quinto, & ſexto*, & communiter Thomiſ. &c.

Probant primo. Sicut corpora cæleſtia ſuas perfectiones habent ſibi concretas, & inferiora paulatim perficiuntur; ita ſuperior intellectus videlicet Angelicus habebit ſpecies concreatas, ſicut humanus per ipſas paulatim perficitur.

Conficitur materiæ cæli debetur forma non cauſabilis à cauſis creatis. Ergo intellectui Angelico debetur ſpecies non cauſabilis ab obiectis creatis.

Secundo, quia Angelus habuiſſet congenitam ignorantiam, cont. illud Ezech. 28. *Tum ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia.*

Tertio. Angelicus intellectus eſt medius inter Diuinum, & humanum, ergo cum Diuinum nullas habeat ſpecies, & humanus eas acquirat ſucceſſiuè, Angelicus habebit omnes ſimul concreatas.

15 Secunda ſententia negat habere ſpecies concreatas ſaltem ſingularium: ita ij omnes, qui docent, accipere ſpecies à rebus, quos referemus *ſect. ſequenti*, & hanc defendit Molina *prima part. quæſt. 55. artic. 2. diſput. 2, memb. 5.*

16 Dico primo. *Angelus non habere ſpecies rerum creaturarum ſibi concreatas ab initio:* dixi non habere, loquendo de eo, quod de facto eſt, quia cum Deus poſſit producere has ſpecies, potuiſſet etiam infundere ſupplendo vicem obiecti.

Probatur. Quando aliqua ex natura ſua ordinantur ad aliquem finem, aut operationem, debent ex propria virtute poſſe ad ipſa peruenire. Sed intellectus Angelicus, & obiectum ordinãtur ex natura ſua ad cognitionem, ergo debent ex ſe ipſis habere virtutem etiam in ordine ad ſpecies.

Confirmatur. Natura in ordine ſuo perfecto modo ſe habet, nec deficit in neceſſarijs ergo cum intellectus, & obiectum ordinentur ad cognitionem, oportet, vt habeant in ſe virtutem neceſſariam completam pro toto eo, quod eſt neceſſarium ad cognitionem, alioquin natura deficeret in neceſſarijs.

17 Dices. Adeſſe in rerũ natura ſpecies infuſas, quæ sũt iuncta naturalem exigentiam. Contra talis infuſio eſt ab extrin-

Digitized by Google

extrinſeco; vnde ſequeretur, quod ſpecies non fundarentur in rerum naturis. Secundo. Talis infuſio non eſt connaturalis Angelo, vt intellectiuus eſt, alioquin eſset etiam connaturalis homini; nec vt Angelus eſt, quia ex eo, quod ſit perfectior ſecundum gradum intellectiuum, non tollit quin dependeat ab obiecto. Tertiò: Quod conuenit vt connaturale ab initio productionis, radicatur in intrinſecis principijs naturæ; tales autem ſpecies debentur vt connaturales, & non ex intrinſecis principijs, ſed ex determinatione obiecti.

18 Probatur ſecundò. Si Angelus habuiſset ab initio ſpecies infuſas, cognouiſset omnia futura, quia intellectus habens ſpeciem poteſt exire in actum cognitionis, hoc autem eſt falſum.

19 Dices requiri exiſtentiam Obiecti.

Contra: ſpecies non dependet in repræſentando ab exiſtentia obiecti, alioquin non eſſet in Angelo memoria præteritorum: ſecundò. Per exiſtentiam obiecti non immutatur intrinſecè ſpecies, neque intellectus.

20 Dices ſecundò. Requiri exiſtentiam obiecti, vt poſſit ad ipſum terminari cognitio.

Contra: Præterita non exiſtunt, & tamen cognoſcuntur vt præterita, ergo &c.

21 Dices tertiò. Repræſentare tantum futura abſtractiuè, hoc eſt poſſibilia.

Contra. Repræſentat præterita, non vt poſſibilia, ſed vt præterita, ergo & futura vt talia: ſecundò. Eadem ſpecies eodem modo ſemper repræſentat. Quando autem exiſtit obiectum, non illud repræſentat vt poſſibile.

22 Dices quarto: fieri mutationem in ſpeciem, per quam determinatur ad repræſentandas res exiſtentes.

Contra: vel hæc ſpeciei immutatio fit ab obiecto, & ſic poterit abſolutè cauſare ſpeciem; vel à Deo, & ſic ſuperflua fuit ſpecies poſtea immutanda, quia antea non deſeruiebat, nec neceſſaria erat, cum non ſit debita Angelo cognitio poſſibilium. Secundò: ſpecies abſque vlla commutatione repræſentat rem, quando ſit præterita, & ſi rurſus reproducatur, abſque vlla mutatione illam repræſentabit, ergo &c.

23 Dices quinto. Angelum non cognoſcere rem indiuiduam exiſtentem per vnam ſpeciem, ſed per compoſitionem plurium, & ideò antequam res exiſtant, non cognoſcere.

Contra: Antequam res exiſtant, habet omnes ſpecies, ergo poterit facere hanc compoſitionem: ſecūdò. A quo determinatur, vt faciat hanc compoſitionem, poterit etiam determinari ſimpliciter ad cognoſcendum. Tertiò deberet hæc compoſitio fieri ſecundum exigentiam obiectorum: vnde deberent prius Angeli præcognoſcere obiecta, quod implicat.

24 Dices ſextò. Has ſpecies non repræſentare actu, ſed tantum potentia.

Contra actu fecundant intellectum, et cōplete determinant, ergo &c. ſecundo vel debent aliquid recipere, vt actu repræſentent; vel non. Si primū, ergo non eſt cōpleta ſpecies: imò neq; ſpecies, quia non habet vim repræſentatiuā. Si ſecundum, ergo debet actu repræſentare cauſando formalem repræſentationem: tertiò vel poteſt repræſentare non futuram; vel non. Si primum, ergo repræſentabit, quia nullum adeſt impedimentum. Si ſecundum, ergo non eſt ſpecies, quia non poteſt ſaluari ſine potentia repræſentatiua.

25 Dico ſecundò. *Angelum ab initio creationis habuiſſe infuſam ſpeciem, per quam cognoſceret Mundum cum toto ordine rerum in eſse ideali, & decretū liberū de ipſius productione.* Hæc autem ſpecies fuit tantum vna, quia terminabatur non ad res in ſe ipſis, ſed ad illud vnum eſſe ideale, in quo relucebat Mundus futurus. Ratione autem ſpeciei habuit Angelus ſapientiam congenitam, & hoc ſignificatur per illud Ezechielis 28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia.* Hæc autem ſpecies eſt ordinata, vt intellectus Angelicus exprimat ideam mundi, ſecundum ordinem diſpoſitionis, ſecundū quem erat adminiſtrādus.

Deſumitur ex D. Auguſt. 2. Geneſ. ad litteram cap. 8. *Conditio verò Cæli prius erat in verbo Dei ſecundum genitam ſapientiam: deinde facta eſt in creatura ſpirituali, hoc eſt in cognitione Angelorum ſecundum creatam in illis ſapientiā.* Eſt etiam conformis doctrinæ Ariſtotelis 12. *Metaph.* quatenus docet, quod intelligentiæ inferiores mouentur propter primam, & ab illa mouentur, quia ab ipſa cognoſcunt, quid agere debeant.

26 Probatur. Angeli ex natura ſua habēt præſidere creaturæ corporeæ, & eam dirigere, vt ordinate procedat ſecundum ſuos fines, ergo debent habere notitiam infuſam, per quam practico modo attingant vniuerſam cum ordine ipſius, quia talis præſidentia ſupponit ſcientiam practicam, ſecundum quam exerceatur, ergo non debet eſſe ſcientia deſumpta ab obiectis, neque dependenter ab ipſis quia ſcientia practica non dependet ab obiecto, ſed è contra, ergo neq; per ſpecies repræſentatiuas rerum in ſe ipſis, quia tales ſpecies ſupponunt obiectum.

27 Ad primum reſpondetur. Tàm corpora cæleſtia, quā ſublunaria habere totam illam perfectionem accidentalē, ad quam ex vi ſuæ naturæ ſunt in actu completo. Nullus autem intellectus ex natura ſua eſt in actu primo reſpectu ſpecierum, & ideò non ſunt illi debitæ ab initio productionis.

Ad Confirmationem ſuppoſito, quod Cælum ſit incommutabile, ideò illi deberi formam non cauſabilem à cauſis naturalibus vt ſaluetur incorruptibilitas, quia forma pertinet ad conſtitutionem naturę ipſius. Species autem impreſſa non pertinet ad conſtitutionem naturæ intellectualis.

Ad ſecundum patet ex dictis in ſecunda concluſione.

Ad tertium negatur aſſumptum. Nam intellectus Angelicus non eſt medius, quia infinitè diſtat à Diuino; imò eſt in eodem gradu cum humano, & ſolum eſt magis perfectus. Ex hoc autem non ſequitur, quod habeat ſpecies infuſas, quia eodem modo, ac humanus, dependeat ab obiecto.

An Angeli deſumant ſpecies ab obiectis?

SECTIO IV.

28 PRima ſententia eſt negatiua; ita illi, qui aſſerunt habere ſpecies infuſas.

Probant. Intellectus humanus ideo vnitur corpori, vt mediante corpore deſumat ſpecies ab obiectis, ergo cum Angelus non vniatur corpori, non poterit deſumere.

Secundo. Non fit tranſitus ab extremo ad extremum abſque medio, ergo non poteſt Angelus accipere ſpecies ab obiectis, quia fieret tranſitus de eſſe materiali obiecti ad eſſe ſpirituale ſpeciei abſq; medio, cum non adſit phantaſma tanquam quid medium.

Tertiò Obiecta ſunt materialia, & ſpecies ſunt ſpirituales. Spiritualia autem non poſſunt prouenire à materiali, nec poteſt materiale agere ſpirituali.

29 Secunda ſententia eſt affirmatiua ita Alenſis 1. *p. q.* 23. *memb.* 3. & 4. Scotus *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 11. Baſſolis *q.* 4. *art.* 3. Gab. *q.* 2. Richard. *art.* 6. *q.* 2. Maior. *q.* 4. Marſil. *in* 1. *q.* 7. *art.* 1. *part.* 2. Non conueniunt tamen inter ſe, quia Alenſis loquitur de omnibus ſpeciebus, alij verò tantum de ſpecie ſingularium; volunt enim ſpecies rerum vniuerſalium habuiſse ab initio infuſas addit tamen Scotus quod ſi illas non haberet infuſas, poſset à rebus deſumere.

30 Notandum primò. Angelum non poſse habere ſpecies duplicatas, vt alię ſint naturarum vniuerſalium, & aliæ ſingularium, vt etiam docet D. Thom. 1. *part. quæſt.* 55. *articul.* 2. *ad ſecundum.* Ratio eſt. Quia ſpecies quæ ſufficit pro indiuiduo, ſufficit etiam pro natura communi; deinde cognoſcere naturam in communi eſt cognitio imperfecta, quæ non habet locum in Angelo, ſicut

enim natura non poteſt à parte rei eſſe extra indiuidua, ita neque extra ipſa cognoſcit, ſi cognoſcatur prout in ſe eſt.

31 Notandum ſecundò, ſpecies impreſſas ex genere ſuo neque eſſe materiales, neque ſpirituales, ſed intentionales; accidens enim, vt alibi diximus, intrinſecè neque eſt materiale, neque ſpirituale, cum hæc ſint differentię ſubſtantiæ, ſed tantum per denominationem, & ordinem ad ſubiectum, quod perficitur, & quia materiale & ſpirituale ex parte ſubiecti pertinet ad eſſe ipſius, ideò accidens dicitur materiale, & ſpirituale ex eo, quòd ordinatur ad perficiendum ſubiectum in eſſe materiali, aut ſpirituali, debet enim commenſurari in modo eſſendi cum ſubiecto. Species autem non perficiunt ſubiectum intra latitudinem eſſendi, quia ſupponunt completum, ſed perficiunt intentionali modo, ſeu in ordine ad cognitionem; & ideò ſunt accidentia alterius ordinis videlicet intentionalis.

32 Notandum tertiò. Inter agens, & paſſum eam tantum proportionem requiri, quæ neceſſaria eſt, vt poſſit paſſum recipere effectum agentis; eſt enim neceſſaria, vt poſſit agens exercere ſuam virtutem communicando effectum, vnde ſi effectus eſt proportionatus, aderit etiam proportio debita inter agens, & paſſum.

33 Dicendum eſt. *Angelos deſumere ſpecies ab obiectis tam ſpiritualibus, quam materialibus, non per intellectum agentem, ſed quia poteſt obiectum producere ſpecies proportionatas pro intellectu Angelico.* Deſumitur ex D. Dionyſio *Cap.7. de diuinis nominibus* vbi ait. *Angelos ea ſcire, quæ in terra fiunt, ſcriptura teſtatur, non ea quidem ſenſu haurientes, ſed propria ad Dei imaginem effectæ mentis virtute, atque natura.* Haurire autem cognitionem ab obiectis, eſt cognoſcere per ſpecies ab ipſis deſumptas.

Probatur: Obiectum etiam materiale eſt proportionatum in ratione obiecti intellectui Angelico, ergo poteſt producere ſpecies proportionatas. Antecedens patet. Quia participat formalem rationem obiecti, ſecundum quam commenſuratur potentiæ. Conſeq. probatur. Quia omne agens agit proportionaliter ad formam, ſecundum quam agit; vnde cum obiectum concurrat ad producendas ſpecies ex vi rationis obiectiuæ, ſicut ſecundum ipſam proportionatur potentię in ratione obiecti, ita etiam ſpecies proueniens ab ipſo vt proportionato, erit in ratione ſpeciei proportionata.

Confirmatur: quod dicit obiectum in ratione obiecti, dicit ſpecies in ratione ſpeciei, ergo ſi obiectum in ratione obiecti eſt proportionatum, etiam ſpecies in ratione ſpeciei.

Confirmatur ſecundò. Species eſt virtus repræſentatiua obiecti, ergo ſtatim ac eſt ſpecies obiecti, habet debitam proportionem cum potentia, quia importat illam fæcundationem, quam exigit potentia.

34 Dices. Id eſſe verum, ſuppoſito, quod talis ſpecies poſſit prouenire ab obiecto. Non poteſt autem prouenire, quia non haberet proportionem in modo eſſendi cum potentia.

Contra. Obiectum vt proportionatum cum potentia, poteſt cauſare ſpeciē ſibi proportionatam, ergo etiā proportionatam intellectui Angelico, quia quidquid eſt proportionatum obiecto, eſt etiam proportionatum potētiæ, cui correſpondet obiectum: ſecundò: Poteſt producere virtutem repræſentatiuam ſui ipſius, & hæc virtus in ratione virtutis erit proportionata intellectui Angelico, ergo etiā in modo eſſendi, quia quod ordinatur ad aliquid proportionatum ex vi ſuæ eſſentiæ, non poteſt vniri in eadem entitate cum aliqua ratione, per quam euadat improportionatum.

35 Probatur ſecundò. Omne obiectum poteſt producere ſpeciē proportionatam potentiæ, cui correſpondet, ergo etiam obiectum intellectus Angelici. Antecedens patet inductione in omnibus obiectis ſenſibilibus, & ratio eſt, quia obiectū eo ipſo, quod eſt obiectū, eſt fæcundatiuum potentiæ, & ideò debet poſſe producere ſpeciē, qua fæcundetur. Conſeq. prob. Quia obiectum intellectus Angelici participat rationem formalem obiecti, atque adeò fecundatiui. Confirmatur. Quia non debet denegari obiecto nobiliori, quod conuenit ignobiliori.

36 Prob. 3. Non poteſt obiectum intuitiue cognoſci, niſi attingatur cū extrinſecis circunſtantijs, videlicet differentia tēporis coexiſtentia talium rerum, ergo ſpecies debēt prouenire ab obiectis. Conſeq. prob. Quia, vt attingantur hæ circunſtantiæ, debet fieri concurſus quidā ſpecierū, quibus eliciatur illa cognitio. Hic autem concurſus eſt contingens, ſicut etiam eſt contingens vnio obiectorū: vndè illæ ſpecies non poſſunt ex natura ſua ſimul vniri, neq. ex libertate Angeli, cum non cognoſcat, quonā pacto debeāt vniri, vt ſint 2. exigentiā obiectorū, ergo debet fieri hic concurſus ex eo, quod ſimul producantur ab obiectis.

37 Ad 1. neg. anteced. Nam vnitur corpori, vt cōſtituat naturā humanā, & quia anima rationalis habet virtutem, quam nō poteſt exercere, niſi per organa corporea. Ex eò autem, quod vnitur, ſequitur, quod habeat modum operādi, quem habet, videlicet cū dependentia à ſenſibus. Ad 2. neg. conſeq. Nam adhuc phantaſma eſt in ordine materiali: vndè etiam in homine fieret tranſitus ab extremo ad extremū ſine medio. Non poteſt autē fieri iſte trāſitus tunc ſolum, quando medium ponit ordinē eſſentialē inter extrema, ita vt vnū extremum non poſſit ſuccedere alteri, niſi per medium. Hoc autem nō habet locū in caſu noſtro quia ſpecies dicit ordinem immediatū ad obiectū, & depēdet ab ipſo, quatenus importat rationem obiecti, atque adeò prout eſt in eo ordine ſecundū aliquā participationē in quo eſt ſpecies. Ad tertium. Quomodo ſpecies poſſint cauſari ab obiectis materialibus, patet ex dictis.

An vna ſpecies poſſit eſſe repræſentatiua plurium.

SECTIO V.

38 SEnſus eſt, an poſſit dari vna ſpecies vniuerſalis in repræſentando, ita vt repræſentet plura obiecta, hæc autem difficultas non habet locum in noſtra ſententia, quia, cum ponamus, Angelos ſumere ſpecies ab obiectis, debent multiplicari ad multiplicationem obiectorū.

Supponendum primò. Aliquos ex illis, qui ponunt ſpecies vniuerſales, aſſerere, neceſſariā eſſe aliquam vnitatem ex parte obiectorum, vt poſſint per vnā ſpeciē repræſentari, & hanc vnitatem debere eſſe ſecundum aliquam rationem communem ſiue genericam, ſiue ſpecificam. Alij verò requirunt hanc vnitatem, ſed ſolum quod obiecta habeant inter ſe aliquam connexionem.

39 Supponendum ſecundò. Hos Auctores aſſerere, Angelos ſuperiores intelligere per ſpecies magis vniuerſales, quia cum Angelus habeat ſpecies vniuerſales ex eo, quod eſt perfectior homine, debet perfectior Angelus habere ſpecies magis vniuerſales.

40 Supponendum 3. Vt ſpecies ſint in Angelo magis vniuerſales, aliquos requirere differentiā genericam, alios verò aſſerere, quod ſufficiat ſpecifica, ita vt Angelus infimi ordinis habeat ſpecies vniuerſales in ordine ad indiuidua, Angelus vero ordinis immediate ſuperioris habeat ſpecies vniuerſales in ordine ad naturas ſpeciei infimæ, & ſic deinceps creſcēte perfectione Angelorū debeat creſcere vniuerſalitas ſpecierū in ordine ad naturas magis vniuerſales.

41 Supponendum quartò: aliquos ex his Auctoribus cōcedere, poſſe dari vnam ſpeciem repræſentatiuam omniū obiectorum reſpectu ſupremi Angeli intra ordinem naturalem, quia erit in ordine ad obiecta naturaliter exiſtētia.

42 Prima ſent. aſſerit dari ſpecies vniuerſales. Ita D. Th. 1. *p. q.* 55. *ar.* 3. Vaſq. *diſp.* 202. *c.* 2. Ferrar. 2. *cont. gent. c.* 96. Capr. *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 2. *art.* 2. Argon. *art.* 4. Suar. 2. *de Angelis cap.* 15. & alij plures.

Probant. Intellectus Angelicus eſt medius inter Diuinum, & humanum, ergo ſicut Diuinus per nullas ſpecies

Digitized by Google

cies intelligit, humanus autem per particulares, ita Angelus per vniuerſales.

Secundo: ſpecies ſunt participationes Diuinarum idearum, ergo ſicut idea ſimplex repræſentat plura; ita etiam vna ſpecies.

Tertiò plures virtutes productiuæ plurium effectuum poſſunt vniri in vna virtute ſuperioris ordinis, ergo etiam plures ſpecies in vna perfectiori.

43 Secunda ſententia eſt negatiua ita Scot. *in* 2. *diſt*. 3. *quæſt*. 10. Baſſol. *quæſt*. 3. Maior. *quæſt*. 6. Richar. art. 6. quæſt. 2. & alij.

44 Dicendum eſt. *Non poſſe dari ſpeciem vniuerſalem repræſentatiuam plurium obiectorum*. Probatur: quæ ex intrinſeca ſua ratione ſunt determinata ad aliquam ſpeciem, non poſſunt conuenire in eſſe cum ijs, quæ ſunt diuerſę ſpeciei. Sed ſpecies impreſſæ cuiuſque obiecti ex intrinſeco ſunt determinatę ad certam ſpeciem virtualis repræſentationis, ergo. Maior patet, quia omnis eſſentia determinatę ſpeciei limitatur ex intrinſeco ſuo, vt ſit tantum talis eſſentiæ. Min. probatur: quia reſpectu cuiuſq; obiecti poteſt dari propria ſpecies impreſſa, quæ importet determinatam rationem virtualis repręſentationis, atque adeo determinatam ſpecificam eſſentiam.

Confirmatur. In tantum plures rationes, aut gradus poſſunt conuenire in eadem eſſentia, in quantum inuicem ſubordinantur; ſpecies autem diuerſorum obiectorum non important rationes ſubordinatas, quia ſunt incompoſſibiles, cum ſint diuiſiuæ rationis communis.

45 Dices. Poſſe conuenire in aliqua virtute repræſentatiua eminentiori.

Contra. Vel in hac eminenti virtute retinent propriam virtutem, & rationem; vel non. Si primum, ergo non poſſunt conuenire in ipſa, quia habent eſſentiam, quæ ex intrinſecis ſuis principijs eſt determinata ad tale eſſe, & ratione cuius illis repugnat hæc communicatio. Si ſecundum; ergo non ſunt propriæ ſpecies obiectorum, quia cum ex vi talis eſſentiæ habeant, quod ſint ſpecies talium obiectorum, mutata eſſentia deſinent eſſe ſpecies.

46 Probatur ſecundò. Sequeretur, poſſe dari ſpeciem creatam in finitam in perfectione eſſētiali, atq; adeò in ratione eſſendi, quod implicat. Sequela prob. Si poſſet dari ſpecies plurium obiectorum, poterit ita creſcere, vt ſit plurium in infinitum: vnde vnirentur in ipſa perfectiones infinitarum ſpecierum. Hæc autem vnio non poteſt fieri in eodem eſſe finito, & determinato, quod ab intrinſeco ſuo determinatur ad talem ſpeciem.

47 Dices. Id valere, quando fit vnio in eadem eſſentia ſeruata vniuocatione eorum, quæ vniuntur; ſecus autem, quando tranſeunt in aliam eminentiorem rationem.

Contra. Adhuc iſta eminentior ratio contineret ſaltem per æquiualentiam perfectionem plurium, & plurium eſſentiarum, quod fieri non poteſt, niſi dicat perfectionem infinitam.

Confirmatur: talis ſpecies eminentior eſſet in determinata ſpecie, & quid limitatum in ratione virtualis repræſentationis. Quod autem eſt limitatum non poteſt pluribus æquiualere in eo genere, in quo eſt limitatum.

Confirmatur ſecundò. Quod eſt in ſpecie determinata, vel eminentiori, importat tantum perfectionem illius ſpeciei, non autem aliarum, niſi ſint ſubordinatæ; quia perfectio vnius ſpeciei ratione ſuæ limitationis excludit perfectionem alterius, ergo &c.

48 Ad primum negatur, intellectum Angelicum eſſe medium inter Diuinum, & humanum vt ſupra diximus. Deinde ex hoc tantum poſſet inferri, habere perfectiorem cognitionem; non autem ſpecies vniuerſales, quia ſpecies ſequitur naturam obiecti, non autem intellectus.

Ad ſecundum negatur conſequentia. Nam ſpecies ſunt participationes diuinarum idearum, ſicut etiā cæterę res, quia autem participant finito modo Diuinas ideas, ideò ſunt tantum virtuales repræſentationes vnius obiecti, quia ex menſura participationis ad ipſum limitantur. Diuinæ autem ideæ poſſunt plura repræſentare, quia ſe habent infinito modo.

Ad tertium: plures virtutes productiuas poſſe vniri in eadem virtute ſi ſint ſubordinatæ, & quia non ſequuntur naturalem effectum; ſecus autem, ſi non ſint ſubordinatæ. Species autem non ſunt ſubordinatę, ſicut nec obiecta.

DE OBIECTO INTELLECTVS Angelici.

DISPVTATIO CX.

Quodnam ſit obiectum adæquatum intellectus Angelici.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt. Intellectum Angelicum extendi ad res omnes, etiam ad Deum; neque enim eſt minoris perfectionis, quam humanus, & conſequenter non habet obiectum minus vniuerſale. Vnde obiectum adæquatū ipſius eſt ens in tota ſua latitudine, & omnes intellectus Angelici habent idem obiectum adæquatum, tum quia omnes conueniunt in eo, quod ſint intellectus, & in modo cognoſcendi; tum quia ſicut omnes res participant eandem rationem obiecti, ita etiam poſſunt attingi ab omni intellectu Angelico. Solum difficultas eſt de obiecto formali adæquato, an reſpectu omnium Angelorum ſit idem.

2 Prima ſententia aſſerit, diuerſos intellectus Angelicos habere diuerſa obiecta formalia, itaut ratio entis in tota ſua latitudine ſecundum diuerſas rationes ſpecificas correſpondeat etiam diuerſis intellectibus Angelicis. ita Suarez 2. *de Angelis cap*. 2.

Fundamentum eſt. Quia intellectus Angelici ſpecie differunt vnde cum ſpecificentur ab obiectis, debent habere diuerſa obiecta formalia.

3 Oppoſita ſententia deſumitur ex Caiet. 1. *p. q*. 79. *art*. 4. & Ferrarienſ. 2. *contra gentes cap*. 94. quatenus doceat, diuerſos actus poſſe tendere circa idem obiectum formale.

4 Notandum primò. Intellectus Angelicos, ſiuè conſiderentur vt proprietates naturæ, ſiue vt potentiæ, ſemper eodem modo differre, quia per id, quo ſunt proprietates, ſunt etiam potentiæ, & è contra. Vnde differunt inter ſe, ſicut differunt naturæ. Naturæ autem non differunt differentia ſpecifica propriè dicta, ſed tantum ſecundum diuerſam rationem menſuræ, qua participant vitam intellectualem, vt dictum eſt in ſuperioribus.

5 Notandum ſecundò. Obiecta formalia diuerſa ſpecificare diuerſas potentias, nedum ſecundum diuerſam menſuram, & modum perfectionis, ſed etiam ſecūdum diuerſas rationes ſpecificas propriè dictas, ita vt ſint principia diuerſorum actuum, ne dum ſecundum quantitatem perfectionis, ſed etiam ſecūdum perfectionem quidditatiuā.

6 Dicendum eſt. *Omnes intellectus Angelicos habere idem obiectum formale videlicet ens ſub ratione veri*. Prob. ens vt ſic eſt adæquatum obiectum materialè reſpectu cuiuslibet intellectus Angelici, ergo obiectum formale debet eſſe idem reſpectu omnium. Conſeq. prob. quia obiectum formale debet adæquari cum materiali, itaut æq; latè pateat, vnde obiectum formale intellectus Angelici debet eſſe ęq. vniuerſale ac ens. Hoc autem non poteſt eſſe aliud, niſi ratio veri. Rurſus non poteſt eſſe diuerſum reſpectu diuerſorum Angelorum, quia talis diuerſitas

importaret diuerſas rationes entis .

Confirmatur. Si Angeli vnius ordinis haberent diuerſum obiectum formale , non poſſent cognoſcere omne ens: ſequela probatur: quia talis ratio formalis obiectiua non reperiretur in omni ente .

7 Ad fundamentum primæ ſententiæ diſting. antecedẽs. Intellectus Angelicos differre ſpecie non propriè dicta : ſed tantum ſecundum diuerſam rationem menſuræ virtutis intellectiuę : & ideò ſpecificari poſſunt ab eodem obiecto, quia talis differentia non eſt in ratione potentię, ſed in ratione menſuræ eiuſdem potentiæ ſpecificatæ ab eodem obiecto .

An Obiecta ſupernaturalia quoad modum ſint obiectum proportionatum intellectus Angelici .

SECTIO II.

8 CErtum eſt : Eſſe intra obiectum adequatum, vnde ſolum difficultas eſt , an ſint obiectum proportionatum, itaut poſſint naturaliter cognoſci . Supernaturalia alia ſunt talia quoad modum ; alia verò quoad ſubſtantiam. Quoad modum important aliquid naturale ſecundum eſſe , & ſupernaturale tantum quoad modum, quo producitur , vt homo reſuſcitatus . Supernaturalia verò quoad ſubſtantiam ſimpliciter ſunt talia , quia ratione ſuæ quidditatis habent eſſe ſupernaturale , vt gratia , lumen gloriæ , & alia .

9 Supponendum tamquam certum ſupernaturalia quoad modum cognoſci ab Angelo naturaliter: ſunt enim eiuſdem rationis, ac ſi eſſent naturalia , & cum habeant idem eſſe, habent eamdem cognoſcibilitatem; vnde ſolum difficultas eſt, an poſſint cognoſcere quoad illum modum, ratione cuius ſunt ſupernaturalia .

10 Supponendum ſecundò . Modum iſtum tripliciter poſſe conſiderari. Primo ſi dicat tantum aliquid negatiuum , vt cum ignis in fornace Babylonis non combuſſit pueros . Secundò ſi dicat aliquid poſitiuum , quod in ſe naturale ſit , & tamen ſit ſupernaturale ex habitudine ad cauſam extrinſecam , vt ſi in inſtanti aliquid producatur quod naturaliter non poteſt fieri , niſi in tempore. Tertiò ſi dicat aliquid poſitiuum, quod in ſe ſit ſupernaturale, vt conuerſio panis in corpus Chriſti .

11 Dico primò . *Supernaturalia quoad modum ratione alicuius negatiui poſſe cognoſci naturaliter ab Angelo eo modo, quo* cognoſcuntur non entia . Probatur: In tali caſu totum obiectum cognoſcendum eſt naturale , & ſolum importat carentiam alicuius poſitiui naturaliter debiti , ergo non excedit cognitionem naturalem .

12 Dico ſecundò . *Supernaturalia ſecundo modo accepta poſſunt naturaliter cognoſci ab Angelo* .

Probatur : In tali obiecto nihil excedit facultatem naturalem angeli , ergo eſt proportionatum . Anteced. Probatur: quicquid eſt in ipſo naturale eſt , licet diuerſo modo ſe habeat , ergo

13 Dico tertiò . *Supernaturalia ſecundo modo accepta poſſunt naturaliter cognoſci ab Angelo*. Ita Vaſquez *1. part. diſp.* 214. *cap.* 4. Suarez *lib.* 1. *de Angelis cap.* 30. Probatur: Hæc ſupernaturalia non excedunt facultatem naturalem Angeli. ergo &c. antecedens probatur: Non poteſt eſſe exceſſus in cognoſcibilitate , niſi ſit etiam in ratione entis; hic autem non eſt exceſſus in ratione entis , quia totus exceſſus ſe teneret ex parte actionis ; actio autem non excedit ; tum quia eſt ens entitate termini ; quia , aut cum ipſo identificatur , aut eſt modus illius ; tum quia importat influxum , ſi autem influxus excederetur, excederet etiam terminus .

Confirmat. in tranſubſtantiat. nihil interuenit excedens facultatem naturalẽ Angeli, ergo &c. antecedens probatur quia deſitio panis non excedit, cum non importet aliquid poſitiuum ; nec corpus Chriſti , quod producitur , quia eſt aliquid naturale , nec quod ex pane fiat corpus Chriſti ex vi verborum , quia hoc nihil aliud dicit præter ſubſtantiam panis deſinentem , & corpus Chriſti ſuccedens cum dependentia à probatione verborum .

14 Dices. Poſſe Angelum dubitare, quod ſubſtantia panis non deſinat; ſed occultetur .

Contra; quia poſitiuè cognoſcit incompoſſibilitatem ſubſtantię panis, & corporis Chriſti ſtante veritate ſignificationis verborum .

15 Ob. Ad hanc conuerſionem requiritur virtus ſupernaturalis, ergo eſt in ſe ſupernaturalis, atque adeo excedit,

Reſpondetur : Hanc actionem poſſe conſiderari ſecundum ſubſtantiam influxus , & ſecundum ordinem ad principium: primo modo non dicit aliquid ſupernaturale, ſecundo modo connotat extrinſecam virtutem ſupernaturalem , & ideo hac tantum virtus non poteſt naturaliter cognoſci .

16 Ob. ſecundò. Modus, quo corpus Chriſti exiſtit in Euchariſtia non eſt quid naturale, ergo: reſpondetur. Nõ eſſe quid naturale reſpectiuè ad corpus Chriſti, ſecus tamen ſecundum ſe ; nam reperitur in ſubſtantia ſpirituali. Quod autem ponatur in corpore Chriſti , non dicit quid ſupernaturale in ratione entis , non quia nõ conſurgit tertia entitas ; tum quia eſt modus , qui eſt ens entitate ſubiecti . Vnde ſupernaturalitas conſiſtit ſolum in ordine ad ſubiectum non connaturale .

17 Ob. tertiò Angelus non poteſt naturaliter cognoſcere connexionem, ex vi cuius corpus Chriſti ſuccedit ſubſtantiæ panis, cum non ſit ex natura rerum , ſed ex libera Dei voluntate, ergo &c.

Reſpond. neg. conſeq. Nam ex hoc ſequitur , Angelum non poſſe cognoſcere extrinſecam cauſam conuerſionis , non autem ipſam formalem conuerſionem , quę nihil aliud dicit , niſi quod expoſitione vnius altera deſinat cum dependentia à ſignificatione verborum .

18 Ex dictis colligitur Angelum poſſe naturaliter cognoſcere accidentia in Euchariſtia exiſtere abſque ſubſtantia , vt docet Vaſquez *loco cit.* Ratio eſt, quia percipit accidentia ſecundum propriam entitatem, & non percipit complexionem , ſeu inhærentiam ipſorum reſpectu ſubiecti , neque quod accidentia ſic exiſtant, dicit in ipſis aliquid ſupernaturale , ſed tantum ex parte efficientis , quat. illa conſeruat abſq; ſubiecto .

19 Colligitur ſecundò contra Vaſq. Poſſe etiam cognoſcere humanitatem Chriſti non habere propriam perſonalitatem . Licet enim excluſio proprię perſonalitatis proueniat , quia aliena terminetur, nec poſſit alteram cognoſcere, non hinc fit, quia poſſit cognoſcere naturã ,) vt propria carentem, cũ in hoc non interueniat aliquid excedens facultatem naturalẽ ipſius; quia tamẽ cognoſcit, fieri poſſe, vt talis perſonalitas occultetur, aut quod efficaciter ſuppleatur à Deo, idcircò nõ attingit Myſteriũ Incarnationis.

An ſupernaturalia quoad ſubſtantiam ſint Obiectum proportionatum intellectui Angelico .

SECTIO III.

20 CErtum eſt . Deum non eſſe obiectum proportionatum naturali virtuti intellectus Angelici; vnde ſolum difficultas eſt de ſupernaturalibus creatis .

Prima ſententia eſt negatiua ita D. Thom. *1. part. q.* 57. *articul.* 5. Caiet. *ibidem*. Bannes *dub.* 1. Zumel *quæſt.* 2. Molina *diſput.* 2. Vaſq. diſput. 214. *cap.* 3. Durand. *in* 2. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 7. Suarez 2. *de Angelis c.* 29. & communiter extra ſcholam ſcoti .

Probant . Cognoſcibilitas proportionatur naturæ, ergo cum ſecundum naturam ſint ſupra Angeli naturam , erunt etiam ſecundum cognoſcibilitatem .

Secundò sũt in diuerſo ordine, & habẽt diuerſum modũ eſſendi, ergo non adeſt proportio in ratione obiecti .

Tertiò

Digitized by Google

Tertiò ſicut accidentia non ſunt debita, ita nec ſpecies ipſorum, ergo nec cognitio eſt naturalis.

Quartò ſecreta cordis non cognoſcuntur naturaliter ab Angelis ergo neque ſupernaturalia.

21 Secunda ſententia eſt affirmatiua ita Scot. *in 4. diſt.* 20. *quæſt.* 8. Tart. *ibidem* Ocham. *quæſt.* 5. *art.* 3. Maior. *quæſt.* 5. Gab. *in can. Miſſæ lect.* 43. Henr. *in ſum. artic.* 33. *quæſt.* 2. & communiter Scotiſtæ.

22 Notandum primò. Si loquamur de his ſupernaturalibus, antequam fiant, certum eſſe, non poſſe ab Angelo cognoſci, quia non habent cauſam aliquam neceſſariam, ratione cuius poſſint cognoſci, ſed pendent tantum ex libera Dei voluntate. Vnde 1. *Ad Corinth.* 2. *Quę ſunt Dei, nemo nouit niſi ſpiritus Dei*, alia tamen eſt ratio, quando exiſtunt, quia tunc habent propriam cognoſcibilitatem.

23 Notandum ſecundò. Non poſſe Angelum naturaliter cognoſcere totum ordinem gratiæ; tum quia in ipſo continentur aliqua, quæ excedunt capacitatem ipſius; tum quia neque de facto exiſtit ſecundum omnes ſuas partes, tum quia in ipſa includitur Deus vt finis ſupernaturalis. Quia tamen ab initio reuelatus fuit Angelis ſuperioribus, ideò circa ipſum inferiores illuminantur.

24 Notandum tertiò. Myſterium Incarnationis non poſſe naturaliter cognoſci, quia includit perſonam Verbi terminantem naturam humanam. Fuit tamen reuelata Angelis ab initio: vndè non habuerunt ignorantiam illius: Quare quando Angeli Pſalm. 23. & Iſa. 63. introducuntur tamquam ignorantes hoc Myſterium, eſt quædam figurata loquutio ad ſignificãdam excellentiam myſterij.

25 Notandum quartò. Aliquid poſſe eſſe ſupernaturale vel abſolutè, vel cum reſpectu ad aliud: primo modo eſt tale in ſe independenter à quocunque extrinſeco, & habet ſupernaturalitatem abſoluto modo: vnde eleuatur ſupra dictũ modũ eſſendi rerũ naturaliũ, vt ſi daretur ſubſtantia ſupernaturalis. Secundo autem modo ſupernaturalitas conſiſtit in habitudine ad aliud, vt eſt ſupernaturalitas accidentis. Hinc nõ eleuatur ſupra modum eſſẽdi naturalium, quia ipſis inhæret, atque ea perficit in eſſe proprio.

26 Notandum quintò, Supernaturalitatem in accidentibus non ſequi entitatem, quia ratio ſupernaturalitatis in eo conſiſtit, quod ſit ſupra naturam; nulla autem entitas accidentalis eſt ſupra naturam ſubſtantiæ, quia vt talis eſt, dicit quid inferius ipſa ſubſtantia; & dependens ab ipſa: vnde ſupernaturalitas in eo tantum cõſiſtit, quod non ſit accidẽs debitũ ex intrinſecis principijs naturę, ſed debeat prouenire à cauſa, quæ ſit extra ordinem naturæ.

27 Dico primò. *Intellectum Angelicum poſſe per ſuas naturales vires cognoſcere accidentia ſupernaturalia.* Probatur. Hæc ſupernaturalia ſunt in eodem modo eſſendi, in quo eſt intellectus Angelicus, ergo ſunt obiecta proportionata naturalibus viribus ipſius. Antecedẽs probatur: Tum quia ſunt accidentia perficientia naturam; perfectio autem, qua aliud intrinſecè perficitur, debet habere eundem modum eſſendi. Tum quia per tale complementum non conſtituitur noua natura, ſed præcedens perficitur. Tum quia natura dum perficitur accidentaliter, debet perfici in ſuo eſſe, atque adeò ſecundum id, quod eſt in ipſa inchoatum. Conſeq. probatur: quia proportio obiecti, & potentiæ attenditur ſecundum modum eſſendi; hinc Deus non eſt obiectum proportionatum naturalibus viribus creatis, quia eſt in altiori modo eſſẽdi.

28 Confirmatur. Accidentia ſupernaturalia, etiam vt talia, dicunt intrinſecum ordinem ad ſubſtantiam, ita vt petant ex natura ſua recipi, & ſubiectari in ipſa, ergo ſunt intra eundem modum eſſendi, tum quia complementum debet induere eundem modum eſſendi ſui perfectibilis; tum quia omne, quod recipitur, per modum recipientis recipitur.

Confirmatur ſecundo. Accidentia non poſſunt fundare proprium modum eſſendi ſeorſim à ſubſtantia, ergo &c. antecedens probatur. Quia accidentia non ſubſiſtunt per ſe, ſed ſunt entia alterius; nec ſibi ſufficiunt ad eſſendum. Modus autem eſſendi petit fundari in eſſe, quod ſibi ſufficiat; & ſicuti vnus modus eſſendi non communicat cum alio: ita neque in quo fundatur, debet ad aliud ordinari tamquam complementum illius.

29 Probatur ſecundò. Accidentia ſupernaturalia ſubſternuntur rationi obiectiuæ formali, qua obiectum fit proportionatum in intellectu Angelico, ergo ipſa quoque ſunt obiectum proportionatum. Antecedens probatur: Quia ratio entis, & veri finiti, & participato modo ſe habentis eſt ratio formalis obiectiua intellectus, & intimè imbibitur in ipſis. Ratio autem formalis reddit obiectum proportionatum potentiæ.

Confirmatur: ſi in aliqua entitate ſupernaturali imbiberetur ratio coloris, poſſet naturaliter attingi ab oculo, quia eſſet in ipſo ratio formalis obiectiua potentiæ viſiuæ, ergo &c.

Confirmatur ſecundò. Accidentia ſupernaturalia non ſunt talia ſecundum rationem entis, aut accidentis, quia in hoc conueniunt cum alijs accidentibus; ſed tantum ſecundum rationem talis accidentis, quę ſpectat ad eſſe materiale obiecti. Proportio autem attenditur ſecundum eſſe formale obiecti.

30 Dices. Eſſe proportionatum in ratione obiecti terminatiui, non autem in ratione obiecti motiui, ſicut ſpiritualia non ſunt proportionata noſtro intellectui, licet habeant formalem rationem obiectiuam.

Contra: quia ſpiritualia ſunt abſolutè proportionata, & in tantum non poſſunt proportionato modo attingi, quia intellectus noſter non habet ſpeciem ipſorum, ergo etiam ſupernaturalia. Secundò ſicut obiectum formale importat cognoſcibilitatem determinantem obiectum, vt ſit proprium talis potentiæ, ita etiam importat rationem motiuam, quia mouetur potentia ab obiecto, prout exercet rationem obiecti, ergo &c. Tertiò, proportio potentiæ attenditur ſecundum perfectionem ipſius, ita vt ſit coadæquatio ad obiectum in ratione potentię. Potentia autem eo ipſo, quod ſpecificatur ab obiecto, ipſi coadęquatur, quia habet illam perfectionem, & modum tendendi, quem exigit obiectum, ita vt tanta ſit virtus potentiæ, quantam exigit obiectum; ſpecificatio enim ponit commenſurationem.

31 Dico ſecundò. *Cognitionem ſupernaturalium non eſſe debitam Angelo naturaliter: vnde non eſſet contra exigentiam ipſius, ſi Deus impediret talem cognitionem.* Probatur ſupernaturalia ſunt extra ordinem naturæ; Angelus autem intra ordinem naturæ, ergo intellectus ipſius non exigit perfici, niſi per cognitionem eorum, quæ ſunt intra eundem ordinem.

32 Ad primum diſt. antecedens. Cognoſcibilitas formalis proportionatur naturæ, nego. Materialis concedo. Formalis enim ſequitur rationem formalem obiecti, quæ in his obiectis non eſt ſupernaturalis.

Ad ſecundum: eſſe quidem in diuerſo ordine ſecundum eſſe ſpecificum; non ſecundum eſſe formale obiecti; nec ſunt in diuerſo modo eſſendi, vt patet ex dictis.

Ad tertium conceditur totum. Nam aliud eſt, quod ſpecies ſupernaturalium ſint naturaliter debitæ, & aliud eſt, quod poſſit illis Angelus naturaliter vti, licet enim non ſint naturaliter debitæ, poteſt tamen vti naturaliter, vt etiam contingit in habitibus ſupernaturalibus.

Ad quartum negatur conſequentia. Nam cogitationes cordis non cognoſcuntur ab Angelo, non quia excedant vim cognoſcitiuam ipſius; ſed quia non manifeſtantur; ſupernaturalia autem eo ipſo, quod ponuntur in actu, ponuntur in eſſe manifeſto, & licet ſint ſuperioris ordinis, adhuc tamen ſunt obiecta proportionata, vt patet ex dictis.

An cogitationes cordis ſint obiectum connaturale Angeli.

SECTIO IV.

33 Prima ſententia aſſerit, poſſe naturaliter ab Angelo cognoſci, nedum materialiter, ſeu ſecundum entitatem, ſed etiam formaliter, ſeu ſecundum terminationem ad obiectum. Ita Herueus *in 2. diſt.8. q.3.* & Durandus *quæſt.5.* Addit autem Durandus, eſſe ſolum proprium Dei cognoſcere cogitationes tàm præteritas, quàm præſentes, & futuras; Angelum autem non cognoſcere futuras. Herueus verò, eſſe proprium Dei cognoſcere intentionem actus.

Fundamentum eſt: Quia ſunt entia naturalia non ſecus, ac ipſa ſubſtantia Angeli.

34 Secunda ſententia ait, cogitationes cordis poſſe quidem ex natura ſua cognoſci ab Angelo, non tamen cognoſci, quia Deus decreuit, quod huiuſmodi ſecreta non cognoſcantur: ita Scotus *in 2. diſt.9. quæſt. 2. ad arg. 2. quæſt.* Gabriel *q.2. art. 2.* Baſſolis *quæſt.2.* Lychetus *quæſt.1.* Maior *quæſt.3.* Ocham *quodlib.4. q. 13.* & *in 2. qu.20.*

Fundamentum eſt, quia nulla ratio poteſt aſſignari, cur ex ſola voluntate cogitantis occultari poſſit, & manifeſtari.

35 Tertia ſententia aſſerit, ex natura ſua non eſſe cognoſcibiles; ita D. Tho. *1. par. quæſt.17. art. 4.* Caiet. Bannes, & Zumel *ibid.* Alenſis *2. par. qu.26. memb.3.* Richardus *art.2. qu.4.* Capreolus *in 2.diſt.8. qu.1. ar.2.* Suarez *2. de Angelis cap.2.* & alij.

36 Dicendum primò *Angelum non cognoſcere cogitationem cordis*; hæc concluſio eſt certiſſima, & traditur à PP. Hyeronimo *in cap.17. Hieremiæ.* Chryſoſt. *hom. 23. in Ioan.* Baſilio *3. contr. Eunom.* Auguſtino *in pſal. 32.* & alijs

Probatur: ſecundo Paralip. cap. 7. *Redde vnicuiq; ſecundum vias ſuas, quas noſti habere in corde ſuo: tu .n. ſolus noſti corda filiorum hominum.* Hierem. 17. *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans corda.* In his autem locis tribuitur cognitio cogitationum Deo tanquam propria ipſius, ita vt nulli alteri conueniat.

Confirm. Grauiter læderetur libertas, niſi poſſet quiſque ex libito ſuo cogitare, quæ vellet, abſque eo, quod detegeretur ſecretum cordis.

37 Dico ſecundò. *Cogitationes cordis eſſe obiectum proportionatum naturali virtuti intellectus Angelici, ſi adeſſent omnia requiſita ad cognitionem.* Prob. cogitationes iſtæ nō habent aliquid, ratione cuius excedāt vim cognoſcitiuā Angelorum; ſunt enim intra ordinem naturalem. Tum quia producuntur à cauſis naturalibus; tum quia ſunt perfectiones, quæ perficiunt intra ordinem naturalem. Ergo, &c.

Confirm. vnuſquiſq; Angelus cognoſcit proprias cogitationes tamquam obiectum proportionatum; cogitationes autem aliorum ſunt eiuſdem ordinis.

38 Ad fundamentum 1. ſent. negatur conſequ. Nam ex eo, quod ſint obiecta naturalia, ſequitur, quod ſint proportionata; non autem quod debeant cognoſci; cum hoc ſit contra exigentiā libertatis: & cum non habeant omnia requiſita, vt cognoſcantur.

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ: Quomodo ex libertate cogitantis poſſint occultari, & manifeſtari, patebit in infra dicendis.

Cur ſecreta cordis non cognoſcantur ab Angelo.

SECTIO V.

39 Supponendum eſt. Creaturam intellectualem habere perfectum dominium ſupra ſuos actus liberos: & proinde debet habere expeditum exercitium huius dominij: non poſſet autem habere, ſi quando elicerentur, poſſent ab aliquo alio cognoſci, quia per hoc ligaretur, & impediretur, ne plures actus produceret. Rurſus quia, quādo aliquid cognoſcitur ab alio, trahitur ad ipſū, ita vt obiectū poſſideatur à cognoſcēte, ſi ſecreta cordis cognoſcerentur, fierent aliquo modo ſub dominio cognoſcentis: vnde non eſſent totaliter ſub dominio illius, cuius ſunt. Difficultas autem eſt, vnde phyſicè proueniat, quod non cognoſcantur. Omiſſis varijs reſponſionibus.

40 Notandum primò. Secreta cordis, ſiue dicant actus intellectus, ſiue voluntatis, ſe habere, *vt quo*, quia ſūt vitales attingentiæ, quibus attinguntur obiecta, & *vt quo* tribuunt ſuum effectum formalem cogitanti, & volenti, quia faciunt ipſum attingere vitali modo obiectū. Vnde ex vi ſui eſſe ſpecifici in eſſendo ſe habent *vt quo*, tāquam motiones quædam, quibus natura intellectualis vitaliter mouetur: & cum totum ſuum eſſe in hoc conſiſtat, non habent alium modum eſſendi, niſi modum eſſendi *vt quo*.

41 Notandum ſecundò. Cum cognoſcibilitas ſequatur eſſe, & modus cognoſcibilitatis modum eſſendi, ſequitur, quod ſecreta cordis, ſicut habent ſolum eſſe, *vt quo* ſint etiam ſolum cognoſcibilia, *vt quo*, hoc eſt tanquam motiones, quibus ſe viuens mouet in obiectum, atque adeò tantum cognitione experimentali, qua viuens experiatur ſe moueri in obiectum, atque adeò ex vi ſui modi eſſendi non ſunt cognoſcibilia, niſi ab eo, cuius ſunt ſecreta.

42 Notandum tertiò. Secreta cordis eſſe manifeſtabilia per loquutionem internam, ſicut enim poſſent à nobis manifeſtari per loquutionem externam, in qua interuenit etiam manifeſtatio intellectualis, cui loquutio externa ſubordinatur, ita in creatura purè intellectuali datur loquutio purè intellectualis manifeſtatiua ſecreta cordis: vnde ex natura ſua ſunt cognoſcibilia, vt ſubſtant loquutioni, non autem in ſe ipſis.

43 Dicendum eſt: *Secreta cordis non cognoſci ab Angelo ſecluſa manifeſtatione, quia cum ſe habeāt* vt quo, *ſecundum ſuum eſſe ſpecificum, tamquam rationes vitales, non ſunt cognoſcibilia in ſe ipſis immediatè, niſi à producente.* Deſumitur ex illo Hierem. 17. *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud?* non eſſet autem inſcrutabile, ſi poſſent quocumque modo ſecreta cognoſci in ſe ipſis, 1. Corinth. 2. *Quis hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?* quod non eſſet verum, ſi quis alius poſset talia ſecreta in ſe ipſis cognoſcere.

44 Prob. ſecreta cordis ex vi ſui eſse ſpecifici ſunt occulta: ergo non ſunt in ſe ipſis immediatè cognoſcibilia. Antecedens patet, alioquin non eſsent ex natura ſua ſecreta, nec eſsent magis ſecreta, quàm ſint cœtera, quæ non cognoſcuntur, vel defectu ſpecierum, vel ex alio capite. Conſequentia probat. Cognoſcibilitas ſequitur eſſe, ergo quod eſt ex natura ſua ſecretum, & non per accidens, non eſt ex natura ſua cognoſcibile: alioquin ſi eſset cognoſcibile ex natura ſua in ſe ipſo, eſset in ſe ipſo manifeſtabile non ſecus, ac cætera obiecta, atque adeò nō eſset ex natura ſua ſecretum.

Confirmatur: Cogitatio eſt loquutio interna, qua cogitans loquitur ſibi ipſi; & ita determinata ad ipſum, vt non poſſit alteri ſe manifeſtare per modum loquutionis: ergo ex natura ſua non eſt cognoſcibilis in ſeipſa. Antecedens patet. In ratione loquutionis ſe habet, *vt quo* & tan-

Digitized by Google

& tantum ſe manifeſtat, *vt quo*, manifeſtando ſimul obiectum, de qua eſt; vnde implicat, quod quis aliena cogitatione cogitet. Conſequentia probatur. Non eſt cognoſcibilis in ſe ipſa, niſi vt ratio faciens cognoſcere. Ergo non eſt cognoſcibilis niſi, *vt quo*, atque adeò vt informans, quia ſolum, *vt quo*, facit cognoſcere.

45 Dices eſſe cognoſcibilem in ſe ipſa in ratione entis, licet non vt loquutio.

Contr. ratio entis determinatur à ratione talis entis, nempè loquutionis, *vt quo:* ergo eodem modo determinatur cognoſcibilitas entis; ergo cum non ſit manifeſtabilis in ratione loquutionis, quæ eſt ratio talis entis, non erit abſolutè manifeſtabilis in ſe ipſa. Confirmatur, vel attingitur vt loquutio eſt; vel non. Si primum; ergo attingitur etiam, quod manifeſtatur per ipſam, atque adeò attingens cogitaret aliena cogitatione. Si ſecundũ; ergo non eſt manifeſtabilis in ſe ipſa ſecundum proprium eſſe.

46 Confirmatur: motus non poteſt percipi in ſe ipſo, niſi percipiatur terminus, ad quem tendit. Actus autem voluntatis eſt vitalis motus ipſius tendens in obiectum, prout ſtat in cognitione tamquam in terminum: ergo cũ non poſſit attingi obiectum, vt ſtat in cognitione, quia cognitio manifeſtat ipſum tantum cognoſcenti, nec etiã poterit attingi motus voluntatis in ſe ipſo.

47 Obijc. Sequeretur, quod neque à Deo poſſent ſecreta cordis attingi in ſe ipſis.

Reſpondetur neg. ſequelam. Quia intellectio creata, & volitio, vt participationes diuinæ intellectionis, & voluntatis, eſſentialiter ſubordinantur Deo, & ab ipſo dependent in fieri, & conſeruari; vnde Deus vt concurrens effectiuè ad ipſas, illas cognoſcit tanquam rationes, quibus facit intellectum, & voluntatem vitaliter moueri.

48 Obijc. ſecundò: Loquutio non manifeſtat ſecreta cordis intuitiuè, ſed tantum abſtractiuè: ergo ſi ſecreta cordis non ſunt cognoſcibilia, niſi in loquutione, non eſſent intuitiuè cognoſcibilia. Hoc autem implicat, cum ſint entia exiſtentia.

Reſpondetur: exiſtentia eſſe intuitiuè cognoſcibilia, ſi ex vi ſui eſſe non ſint ſecreta; ſecus autem, ſi ſint ſecreta, quia determinantur ex vi ſui modi eſſendi, vt non ſint cognoſcibilia in ſe ipſis.

49 Inſtabis. Sunt entia, ergo cognoſcibilia, ergo ſi ſint præſentia, & exiſtentia, erunt intuitiuè cognoſcibilia, quia exiſtentia, & præſentia determinant obiectum ad eſſe intuitiuè cognoſcibile.

Reſpondetur negando 2. conſequ. Ad probationem, exiſtentia, & præſentia determinant obiectum ad eſſe intuitiuè cognoſcibile, ſi ex natura ſua ſit cognoſcibile in ſe ipſo; ſecus autem, ſi non ſit cognoſcibile in ſe ipſo: quia exiſtentia, & præſentia vt determinent ad cognoſcibilitatem intuitiuam ſupponunt cognoſcibilitatem obiecti in ſe ipſo, quæ determinant tantum vt conditiones, non vt ratio formalis.

50 Ob. 3. Senſationes brutorũ poſsũt cognoſci in ſeipſis vt etiã ipſorũ appetiones cũ nõ ſint ſecreta, & tamẽ ſe habẽt *vt quo*. Ergo non ex eo, quod ſecreta cordis ſe habeãt, *vt quo*, fit, quod non ſint cognoſcibilia. Antec. probat. Si non eſſent cognoſcibiles in ſeipſis, nullo modo eſſent cognoſcibiles, cum non adſit loquutio, per quam manifeſtentur. Reſpond. neg. antecedens, quia licet non ſint ſecreta, ſe habent tamen, *vt quo*. Ad prob. neg. ſequel. Quia ſunt cognoſcibiles in aliquo, quod æquiualet locutioni internę intellectuali. Natura enim cognoſcitiua, ſicut habet ex natura ſua cognoſcere, ita haberet, quod poſſit alteri manifeſtare ſuas cognitiones per aliquid, quod manifeſtet, vt quod, vnde in brutis adeſt etiam aliqua vox manifeſtatiua motuum internorum, & correſpondet manifeſtationi internę. Sicut ergo in intellectu adeſt loquutio, quę eſt libera, & in poteſtate naturæ liberæ, ita in ſenſibilibus adeſt quædam impropria loquutio, quæ vt quod manifeſtat ipſam ſenſationem naturali modo conueniens naturę ſenſitiuę, & ideo eo ipſo, quod potentia ſenſitiua elicit ſuam ſenſationem, obcitent hanc manifeſtationem, quia naturali modo agit, & non habet dominium ſupra proprias operationes.

51 Obijc. 4. Poteſt intellectus reflectere ſupra ſuas cogitationes. Ergo ſunt obiectum, *vt quod*, quia ſunt obiectum alterius cognitionis. Reſp. Sunt obiectum, *vt quod*, ratione ſui, & nego. Ratione obiecti, ad quod terminantur, concedo. Cognitio enim reflexa requirit coexiſtentiam directæ, aliàs non eſſet reflexa, ſed eſſet recordatio directa obiecti aliàs cogniti. Et quia dicit, quod intellectus exponat, ſeu experiatur, ſe cognoſcere, ideò facit, quod intellectus ſua attentione indiuiſibiliter applicata attendat ad obiectum, vt terminans actu directã cognitionem. Vnde non producit nouum verbum, ſed vtitur verbo inſeruiente directæ cognitioni, & non eſt aliud, quam attentio intellectus veluti virtualiter replicata circa idem obiectum.

52 Obijc. Licet ſe habeat, *vt quo*, habet tamen ſuam veritatem obiectiuam, ergo erit cognoſcibilis cogitatio ſaltem in intellectu, vt dans illi intelligere, ſicut non cognoſcibilis ſeſſio in ſedente, vt faciens ipſum ſedere. Cõſequ. probatur, quia omnis ens eſt cognoſcibile. Reſnegando conſeq. Ad prob. Omne ens eſſe cognoſcibile, vel *vt quod*, vel *vt quo*. Secreta autem cordis ſunt cognobilia, *vt quo*, hoc eſt vt facientia cognoſcere, aut vt facientia velle, quia actus voluntatis, cum ferantur in obiectum, vt eſt in repræſentatione cognitionis, non poſſunt cognoſci, niſi cognoſcatur cognitio. Sic etiam licet omne ens finitum ſit factibile, actio tamen non eſt factibilis, niſi, *vt quo*, hoc eſt, vt faciens facere illud, à quo procedit, & à quo fit, nec eſt alio modo factibilis.

Quid nomine cogitationis intelligatur.

SECTIO VI.

53 Difficultas eſt, an intelligantur tantum actus voluntatis, an etiam intellectus.

Prima ſent. aſſerit, intelligi tantum actus liberæ voluntatis, ita Henricus *quodlib. 3. qu.* 13. Vaſquez 1. *par. diſp.* 210. *ca.* 2.

Probant. Scriptura nomine cogitationis videtur intelligere ſolos actus voluntatis, vt Matth. 9. Luc. 2. Act. 3.

Secundò. Actus intellectus non ſunt formaliter liberi in ſe, ſed tantum imperatiuè, ergo non pertinent ad ſecreta cordis. Confirmatur actus externi non minus ſubduntur voluntati, quam actus interni, & tamen non pertinent ad cogitationes, ergo nec actus intellectus.

54 Secunda ſententia aſſerit, intelligi etiam actus, ita D. Tho. 1. *par. qu.* 57. *art.* 3. Bannes *ibidem ad* 2. *argumentum principale*. Suarez 1. *de Angelis capit.* 25. & communiter.

55 *Dicendum eſt, ſecreta cordis importare etiam actus intellectus, ſiuè practicos, ſiue ſpeculatiuos.*

Prob. Scriptura loquens de cogitationib. cordis, quas Deus ſolus cognoſcit, intelligit tam actus intellectus, quã voluntatis: 1. Paralip. 28. *Omnia corda ſcrutatur Dominus, & vniuerſas mentium cogitationes intelligit.* Matt. 9. Chriſtus arguens Phariſæos de temerario iudicio dixit. *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris.*

Confirmatur quia ſcriptura nomine cordis intelligit etiam intellectum. 3. Reg. 3. *Dabis ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum, & malum:* ex quibus locis deducitur, ſecreta cordis importare etiam actus intellectus.

Confirmatur ſecundò: Angeli inter ſe loquuntur, loquutio autem principaliter ordinatur ad manifeſtandos conce-

Digitized by Google

conceptus mentis, ergo conceptus mentis ſunt ex natura ſua occulti.

56 Dico ſecundò. *Omnes actus intellectus intelligi nomine ſecreti cordis*.

Probatur, eo ipſo, quod ſunt intra mentem, ſunt ſub poſſeſſione illius.

Confirm. Quia ex natura ſua ſunt manifeſtabiles libero modo per loquutionem, & ſunt loquutio, *vt quo*, qua intelligens loquitur ſibi ipſi.

57 Ad primum negatur aſſumptum. Nam nomine cogitationis intelligit etiam actus intellectus, vt dictum eſt.

Ad ſecundum negatur conſeq. Nam licet actus intellectus non ſint formaliter liberi, pertinent tamen ad exercitium libertatis, & ſunt ſub poſſeſſione cogitantis, & ideò debent eſſe occulti.

Ad confirm. negatur paritas. Nam actus externi non pertinent ad exercitium libertatis; nec remanent ſub poſſeſſione naturæ intellectualis, cum tranſeant in externum ſubiectum, nec ſunt manifeſtationes, *vt quo*.

DE COGNITIONE ſui ipſius.

DISPVTATIO CXI.

Quomodo Angelus cognoſcat ſeipſum.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt tamquam certum, Angelum ſe ipſum cognoſcere, cum ſit obiectum maximè ſibi proportionatum, ſolum difficultas eſt, an ſe cognoſcat per ſpeciem, an verò ſine ſpecie, ita vt ſubſtantia ipſius ſtet loco ſpeciei.

2 Prima ſententia aſſerit, Angelum cognoſcere ſe ipſũ abſque ſpecie. Ita D. Thoma 1. *par. qu.* 56. *art.*1. Aliqui verò volunt ſubſtantiam Angeli concurrere effectiuè loco ſpeciei impreſsæ. Alij verò nihil influere in cognitionem.

Prob. Quando agens habet in ſe formam, per quam agit, non indiget alia forma ſuperaddita. Angelus autẽ habet in intellectu propriam ſubſtantiam vnitam, ergo, &cæt.

Secundò. Species ponitur ob vnionem obiecti cum potentia. Hæc autem vnio non eſt neceſſaria, quando Angelus intelligit ſeipſum.

3 Secunda ſententia aſſerit, quod quando Angelus ſe intuitiuè cognoſcit, non intelligit per ſpeciem ſuperadditam, ſed ſolum quando ſe cognoſcit abſtractiuè. Ita Scotus *in* 2. *qu.*10. §. *Ad quæſtionem*. Maior *q.* 2. Gabriel *qu.*2. *art.*2. *par.*1.

4 Tertia ſententia abſolute aſſerit, Angelum ſe intelligere per ſpeciem, ita Henricus *quodlib.* 5. *q.* 14. Marſil. *in* 2. *q.*7. *art.*1. *concl.*2.

5 Dico 1. *Angelum indigere ſpecie ad cognoſcendum ſe ipſum*.

Probatur. Intellectus ex vi ſuæ virtutis intellectiuæ non eſt determinatus ad cognitionem ſui ipſius, ergo debet per ſpecies determinari. Antecedens probatur. Quia determinatio potentiæ imbibitur in eſſe ſpecifico, & cõſiſtit in ordine ad obiectum, à quo ſpecificatur. Sicuti autem ab obiecto formali ſpecificatur, ita etiã habet tantum determinationem in ordine ad ipſum, non autem in ordine ad tale, vel tale obiectum, quod ſub formali cõtinetur, Conſequentia probatur. Quia ſpecies ne dum requirit, quod obiectum quocunque modo vniatur cum potentia, ſed vniatur intentionali modo, & per modum cuiuſdam fecundationis; præſentia autem realis obiecti non vnit tali modo.

6 Confirmatur, intellectus ex genere ſuo eſt determinabilis per ſpeciem intentionalem tanquam per virtutem complentem vim intellectiuam, ergo debet eodem modo compleri in ordine ad quodlibet obiectum. Conſequẽt. probatur. Quia nullum perfectibile poteſt compleri per complementum, quod non ſit ſui generis, alioquin non haberet debitam commenſurationem cum perfectibilitate, nec eſſet ſecundum exigentiam ipſius.

Confirmatur ſecundò. Intellectus eſt in potentia ad ſpecies intentionales ex vi ſui eſſe incompleti, ergo non poteſt compleri per obiectum. Conſequentia probatur. Quia nulla potentia poteſt compleri, niſi per proprium actum, obiectum autem ex genere ſuo non eſt actus potentiæ.

7 Dices, obiectum continere eminenter virtutem fæcundatiuam.

Contr. Licet contineret, non tamen formali modo ſe haberent vt actus potentiæ. Secundò, quia omne complementum quod formali modo exibetur, debet formali modo ſe habere in eo genere, in quo exigitur, ergo &cæt.

8 Dico ſecundò. *Hanc ſpeciem fluere à ſubſtantia Angeli*.

Probatur. In inſtanti ſuę productionis poteſt Angelus ſe ipſum cognoſcere, & eſt illi debita talis cognitio, ergo per ſpeciẽ fluentẽ ab ipſius ſubſtantia. Prob. conſeq. Quia omnes naturæ debent poſſe ſe mouere ad ſuam perfectionem naturalem, quam poſſunt habere ab intrinſeco ſuo; & talis perfectio debet fluere ab intrinſecis principijs ipſius.

9 Dico tertiò. *Angelum ſecundum modum connaturalem cognoſcendi non poſſe cognoſcere ſeipſum abſtractiuè*. Probatur: connaturalis modus cognoſcendi exigit vt cognoſcat obiectum, vt in ſe eſt, & ad talem modum cognitionis ex natura ſua ordinetur medium eiuſdem cognitionis: ergo cum Angelus ſit exiſtens, & ſibi ipſi præſens, nec oppoſitum poſſit contingere, medium naturalis cognitionis ſui ipſius erit medium cognitionis intuitiuæ.

10 Ad primum negatur minor. Nam Angeli ſubſtantia eſt quidem identificata ipſi Angelo: non autem vnita intellectui fæcundatiuo modo.

Ad ſecundum ſpeciem poni, vt obiectum vniat cum potentia modo intentionali, & fæcundatiuo, non vero ſecundum eſſe reale.

11 Ex dictis colligitur, Accidentia quoque, quæ ſunt in Angelo cognoſci per ſpeciem, cum ſit eadem ratio.

12 Colligitur ſecundo, ſpecies impreſſas non indigere alijs ſpeciebus, vt cognoſcantur, quia ex ſe ipſis ſunt rationes formales fæcundatiuæ. Similiter etiam ſpecies expreſſas non indigere alijs ſpeciebus expreſſis, quia cum ſint formales rationes manifeſtandi, per ſe ipſas ſe manifeſtantur.

An Angelus poſſit ceſſare à cognitione ſui ipſius.

SECTIO II.

13 PRima ſententia aſſerit, cognitionem, qua Angelus ſe ipſum cognoſcit, non eſſe ita neceſſariam, quin poſſit ceſſare. Ita Vaſquez 1. *par. diſp.*219. *cap.*3. Quamuis non abſolutè hoc affirmet, & Molina 1. *par. qu.* 56. *ar.*1. *concl.*2. probabilem putat hanc opinionem, eã autem abſolutè tradit Raynaud. *in natur. Theologia diſt.* 4. *quæſt.*2. *art.*8. *num.*158.

Probatur, quia coniunctio ſui ipſius cum intellectu nõ plus

Digitized by Google

plus Angelum neceſſitat ad ſe continuò intelligendum, quàm aliæ ſpecies, ergo, &c.

Secundo: Quia poteſt ex libertate ſua ſe applicare ad alia cogitanda, ita vt diſtrahatur à cogitatione ſui ipſius, ergo, &c.

14 Communis ſententia aſſerit, Angelum non poſſe ceſſare à cognitione ſui ipſius. Ita D.Thom. 1. *par. q.* 58. *art.* 1. *ad* 3. Bannes *dub.*2. *Cumel qu.*2. Suarez 2. *de Angelis, cap.*35.

15 Dicendum eſt. *Angelum non poſſe ceſſare à cognitione ſui ipſius*. Probatur: Cognitio ſui ipſius conſequitur ad intellectum Angelicum naturali modo, ergo non poteſt ab ipſa ceſſare. Antecedens prob. Quia ille actus conſequitur naturali modo, qui conſequitur ex naturali virtute intrinſeca; huiuſmodi autem eſt cognitio Angeli reſpectu ſui ipſius, nam ab intrinſeco ſuo habet Angelus naturali modo virtutem completam ad talem cognitionē, videlicet vim intellectiuam, & ſpeciem fluentē ab ipſius ſubſtantia, ſeu propriam ſubſtantiam vnitam in ratione obiecti. Conſequent. probat. Quia actus naturalis neceſſariò conuenit, nec eſt ſub poteſtate voluntatis.

16 Dices. Intellectum ſubdi voluntati, vt poſſit applicari ad hanc, vel illam cognitionem.

Contra. Actus intellectus ex natura ſua eſt præcedens omnem actum voluntatis, & omnino independens ab ipſa. Secundo: vel quę naturali ſequela conſequuntur ab natura Angeli, ſubduntur voluntati ipſius; vel non. Si primum, ergo debent omnia ſubdi. Si ſecundum, ergo neque actus cognitionis, quo ſe ipſum cognoſcit, quia naturali ſequela conſequitur naturam Angeli. Tertio. Voluntas non poteſt exire in actum; niſi dependenter ab intellectu; ergo debet ſupponere ex parte ipſius aliquem actum merè naturalem, qui ſit omninò independens à voluntate, in quo radicetur prima dependentia voluntatis ab intellectu.

17 Ad primum reſpondetur: quomodo Angelus plus neceſſitetur ad intelligendum ſeipſum, patet ex dictis.

Ad ſecundum negatur antecedens. Nam ex nullius rei cogitatione poteſt Angelus diſtrahi à cognitione ſui ipſius, quia hæc naturali modo conſequitur, & ſubordinat ſibi alias cogitationes.

DE MODO QVO ANGELVS cognoſcit obiecta extra ſe.

DISPVTATIO CXII.

Quomodo Angelus alios Angelos cognoſcat.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt de fide eſſe. Angelos ſe inuicem cognoſcere; habemus enim ex Scriptura, Angelos inter ſe loqui, & alia exercere, quæ neceſſariò ſupponunt mutuam cognitionem inter ſe.

2 Supponendum ſecundò: Angelos non poſſe cognoſcere alios per propriam ſubſtantiam, ita vt cognoſcendo propriam ſubſtantiam cognoſcat ſuperiores intelligentias tamquam cauſas, & inferiores tamquam effectus; hic enim modus intelligendi ſupponit intelligentias inuicem cauſari, quod eſt hereticum; nam omnes Angeli creati ſunt à Deo, vt habetur in cap. *Firmiter* de *Summa Trinitate*.

3 Prima ſentent. aſſerit, quod cum Angelus cognoſcit alios intuitiuè, non cognoſcit per ſpecies, ſed per eorūdem eſſentiam, quæ concurrit ad cognitionem, quando verò cognoſcit abſtractiuè, cognoſcit per ſpeciē. Ita Ocham *in* 2. *qu.*14. Gabr. *diſt.*3. *qu.*2. *art.*2. Maior *qu.*1. Scot. *qu.*10. *Ad quæſtionem*. Baſſolis *qu.* 3. *ad ſecundum*. Molina 1. *par. qu.*56. *art.* 2. Hoc autem limitat, vt valeat tantum, quando vnus Angelus eſt intimè præſens alteri.

4 Secunda ſententia aſſerit, intelligere per ſpecies infuſas à Deo. Ita D. Tho. 1. *par. qu.*56. *ar.*2. & communiter Thomiſtæ ſequitur Suarez 2. *de Angelis cap.*1. & ferè communiter.

Probant; Angelus non poteſt producere ſpeciem repræſentatiuam ſui ipſius in alio Angelo naturaliter, quia cū ſit agens liber habet Dominium ſupra proprias rationes, nec poteſt producere liberè, quia in primo inſtanti creationis quilibet Angelus omnes alios cognoſcit, nec fuit poſſibile omnes voluiſſe in primo inſtāti imprimere ſpecies, quia hæc voluntas ſupponit cognitionem aliorum Angelorum, ergo, &c.

5 Tertia ſententia ait, Angelos cognoſcere alios per ſpecies ab ipſis acceptas, ita Alenſis 2 *p. qu.* 24. *memb.* 2. & alij, qui docent, Angelos accipere ſpecies ab obiectis.

6 Dico 1. *Angelum non cognoſcere alios per propriam ſui ipſius ſubſtantiam deſeruientem loco ſpeciei impreſſæ*.

Probatur: Vnus Angelus non eſt virtualis repræſentatio alterius, nec ipſum continet aut formaliter, aut eminenter, ergo, &c.

Confirmatur: In tantum ſubſtantia alicuius poteſt deſeruire pro ſpecie impreſsa, in quantum aliquo modo continet eſse ipſius; vnus autem Angelus nullo pacto continet eſse alterius.

7 Dico 2. *Angelum non cognoſcere alios abſque ſpecie impreſſa*.

Probatur. Intellectus Angelicus eſt intrinſecè indifferens ad hoc, vel illud obiectum percipiendum, ergo debet terminari per ſpeciem impreſsam. Conſeq. prob. Quia intellectus eſt in potentia paſſiua ad talem determinationem, & fæcundationem; vnde debet dari actus quo compleatur.

8 Dices, Obiectum poſse ſupplere rationem actus præſertim quando eſt intimè præſens.

Contra: etſi ſit intimè præſens, non habet rationem actus fæcundatiui. Ergo non poteſt actuare potentiā fæcundabilem. Secundo tali complementum complet in genere cauſæ formalis in ordine ad efficientiam, ergo debet eſse formalis ratio fæcundatiua.

9 Dico 3. *Angelum cognoſcere alios per ſpecies ab ipſis deſumptas*.

Probatur, quod fieri poteſt per cauſas ſecundas, debet ipſis tribui; tum quia Deus operatur per ipſas, quod poteſt; tum quia id eſt magis connaturale ordini rerum. Species autem poſsunt produci ab ipſis Angelis, quia ſunt obiecta proportionata vt conſtat ex ſupradictis *diſput.* 110. *ſect.*3.

10 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ negatur 1. antecedens. Nam Angelus producit ſpecies naturali modo, quia licet ſit agens liberum, non habet ſub poteſtatę illas actiones, quæ naturaliter conſequuntur eſse ipſius. Vel etiam probabile eſt, liberè illas producere, in primo autem inſtanti productionis ab omnib. Angelis promanauerunt ſpecies, quia naturalis potentia exit in actum, niſi impediatur; vnde ſufficit, quod in primo inſtanti nō fuerit in Angelo voluntas impediendi talem productionē quia talis potentia non eſt ita ſubordinata voluntati Angelicæ, quin poſſit ſine ipſa exire in actum: ſed tantum in eo ſubordinatur, quod poſſit impediri.

Digitized by Google

Quomodo Angeli cognoſcant ſingularia.

SECTIO II.

11 SVpponendum eſt tamquam certum de fide. Angelos cognoſcere ſingularia, vt habetur ad Heb. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus*, & ex illo Pſalm. *Angelis ſuis Deus mandauit de te.* Et paſſim alia habentur in quibus continetur cognitio Angelorum circa ſingularia.

12 Supponendum ſecundo. Angelos indigere ſpeciebus ad intelligenda ſingularia, & has ſpecies deſumere ab Obiecto, ex quo etiam fit, has ſpeties non eſſe repræſentatiuas directè naturę communis, & indirectè ſingulariũ, ſed directè repræſentare ſingularia, & naturam communem, quatenus in ipſis continetur.

13 Dico primo. *Eamdem ſpeciem indiuiſibilem non poſſe repræſentare indiuidua ſecundum ſuam naturam ſubſtantialem, & accidentia ipſorum.* Probatur, Vel ſpecies repręſentatiua ſingularium inuariata manet; vel ſubit mutationem. Si primum; ergo non poſſet repræſentare in eodem ſubiecto, modo vnum, modo aliud accidẽs, ita vt aliquando, licet ſucceſſiuè, contraria repræſentet, quia eadem virtus repræſentatiua inuariata manens cauſat ſemper eamdem repræſentationem, atq. adeò ſemper ad idem obiectum terminatur. Si ſecundum, ergo non eſt vna indiuiſibilis, quia vbi eſt mutatio, ibi eſt diſtinctio eorum, quæ mutantur.

Confirmatur: ſubiectum poteſt carere accidentibus connaturalibus; tunc autem ſpecies ea repręſentaret in ſubiecto, etiam ſi non exiſterent, ſi eſſet indiuiſibilis.

14 Dico 2. *Naturam ſingularem cum ſuis accidentibus repræſentari per eamdem ſpeciem integralem coaleſcentem ex pluribus virtutibus repræſentatiuis.* Probatur: Accidentia ſimul cum natura ſubſtantiali coaleſcunt in vnum obiectum integrale, ergo etiam ſpecies ipſorum vniuntur in vnam integralem virtutem repræſentatiuam, vt ſint proportionatæ obiectum.

15 Dico tertio. *Durationem rei, pro vt dicit coexiſtentiam ad tempus, non repręſentari per ſolam ſpeciem rei durantis, ſed requiri etiam ſpeciem menſuræ extrinſecæ:* ita Caietanus 1. *par. quęſt.* 57. *art.* 2. Contra Ferrar. 2. *cont. cent. cap.* 100. & Bannes 1. *par. dub.* 2. Probatur: Non poteſt intelligi hæc duratio, niſi intelligatur res durans, & menſura extrinſeca, cum importet quamdam mẽſurationẽ durationis. Ergo requiruntur plures ſpecies. Cõſeq. probatur. Quando cognoſcuntur obiecta, quæ ex natura ſua poſſunt cognoſci per plures ſpecies, non poſſunt cognoſci per vnam tantum, quæ ex natura ſua ſit ordinata ad vnum ſolum repręſentandum; ſpecies autem rei durantis ex natura ſua ordinantur ad repræſentandam ſolam rem durantem.

16 Ob. Duratio pertinet ad rem durantem, ergo poteſt per ſpeciem ipſius repræſentari.

Reſpondetur, ita pertinere ad rem durantem, vt etiam pertineat ad extrinſecam menſuram, & ideo debet repręſentari per ſpeciem vtriuſque.

Quomodo Angelus cognoſcat futura in Cauſis.

SECTIO III.

17 FVtura ſunt in duplici genere; alia naturalia, quæ dependent à cauſis naturalibus determinatis ad vnum; alia contingentia, quæ dependent, aut immediatè, aut mediatè à libero arbitrio. Rurſus naturalia alia ſunt abſolutè neceſſaria, ita vt non poſſint impediri. Alia, quæ poſſunt impediri, & dicuntur ad contingentia reſpectu cauſæ particularis.

18 Supponendũ primo tamquam certum. Angelum cognoſcere futura naturalia primi generis in ſuis cauſis; cum.n. cognoſcat cauſas, & efficaciam ipſarum, cognoſcit etiam, quod ſint productura.

19 Supponendũ ſecundo. Angelum non poſſe cognoſcere in ſuis cauſis futura contingentia libera: vt.n. cognoſcatur aliquis effectus in cauſa, debet habere cauſam determinatam. Cauſæ autem liberæ ſunt indeterminatæ ad vtramque partem: difficultas ergo ſolum eſt de futuris naturalibus poſterioris generis.

20 Prima ſent. aſſerit, non poſſe naturaliter cognoſci ab Angelo in ſuis cauſis, ita D. Bonauent. *in* 2. *diſt.* 7. *p.* 2. *art.* 1. *du.* 3. Heruæus *art.* 2. Aegidius *q.* 2. *art.* 2. Catth. *quæſt.* 7. Bannes 1. *part. q.* 57. *art.* 3. Cumel *ibidem.*

Probant. Huiuſmodi effectus ſunt incerti, & contingenter euenient; ergo, &c.

Secundo. Numquam poteſt eſſe certum, an ſint impediendi, vel non; ergo, &c.

Tertio. Non eſt veriſimile, quod Angelus ex cognitione cæleſtium corporum cognoſcat tantam varietatem effectuum, vt quot formicæ ſunt futuræ.

21 Secunda ſent. ait, naturaliter poſſe cognoſci, ita Alexand. 2. *par. q.* 28. *memb.* 4. Durand. *in* 2. *diſt.* 7. *quæ.* 3. Vaſquez 1. *par. diſp.* 207. *cap.* 2. Suarez 2. *de Angelis c.* 9.

22 Dicendum eſt. *Poſſe Angelum cognoſcere in cauſis omnia futura naturalia, quæ non pendent aliquo pacto ex libero arbitrio.* Probatur. Omnis effectus, qui reſoluitur in naturalem cauſam, eſt certò cognoſcibilis ob neceſſariam connexionem. Sed omnis effectus naturalis contingens, & impedibilis reſoluitur in cauſam naturalẽ, ergo &c. Probatur, Tum quæ ſi impediatur, impeditur ex concurſu alicuius cauſæ neceſſariò operantis; tum quę, ſi oritur, ex impedimento alterius cauſæ, ſiue quocumque alio modo contingens ſit, ſemper dependet ab aliqua cauſa naturali modo agente.

Confirmatur. In tota collectione cauſarum nulla eſt, quæ naturali modo non operetur; & licet effectus ſe habeat contingenter reſpectu cauſæ particularis, non tamen reſponſum totius collectionis cauſarum; ergo, &c.

23 Ad primum reſpondetur. Hos effectus non eſſe ſimpliciter contingentes, ſed tantum reſpectu cauſę determinatæ; eſſe autem neceſſarios in tota collectione cauſarum, & ſicuti omnis cauſa per accidentia reducitur ad cauſam per ſe, ita etiam effectus.

Ad ſecundum neg. aſſumptum. Nam quando cauſa naturali modo impeditur, ſemper impeditur ab alia cauſa naturali modo agente, vndè Angelus cognoſcens cauſas impeditiuas, & ipſarum efficaciam, cognoſcit certò, an aliquis effectus ſit impediendus, an non.

Ad tertium. Angelus non præcognoſcere hos omnes effectus in ſolis influxibus cæleſtibus, ſed in tota collectione cauſarum, nobis autem non videtur veriſimile, id poſſe præcognoſci, quia non attingimus in ſe ipſa collectione cauſarum.

An Angelus naturaliter cognoſcat futura in ſe ipſis.

SECTIO IV.

24 FVtura, ſi conſiderentur in ſe ipſis, habent certam & determinatam veritatem: vnde poſſunt cognoſci à Deo. Eſt autem eadem ratio de futuris liberis, & naturalibus, ſi conſiderentur in ſe ipſis, quia habẽt ęqualiter determinatam veritatem, & ſunt obiecta cognoſcibilia, & in eo etiam conueniunt, quod diſtent. Secundum durationem, & nondum actu participent proprium eſſe.

25 Supponendum autem tamquam certum de fide. Cognitionem futurorum in ſe ipſis certam, & euidentem ità eſſe propriam Dei, vt nulli creaturæ poſſit naturaliter conuenire ex Iſaiæ 32. *Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos.* & al 36. *Ego ſum Deus, & non eſt vltra Deus, & non eſt ſimilis mei annuntians ab exordio nouiſſimum, & ab initio, quæ nondũ facta ſunt,* & ita docent communiter Patres.

26 Sup-

Digitized by Google

26 Suppon. 2. Futura poſſe cognoſci ab Angelo non ſolum per reuelationem, ſed etiam coniecturaliter, vt D. Aug. docet 2. *Retract. cap. 30.* Si enim homines habent hanc notitiam coniecturalem, multò magis Angeli. Difficultas autem eſt in aſſignanda ratione; cur futura non cognoſcantur ab Angelis.

27 Prima ratio eſt Thomiſtarum, qui aſſerunt, non cognoſci, quia ſunt tantum cognoſcibilia per præſentiā ad æternitatem; vnde cum Angeli non habeant æternitatem, non poſſunt habere futura præſentia.

Impugnatur. Quia licet hæc præſentia ſit neceſſaria ad cognitionem intuitiuam, non eſt neceſſaria ad abſtractiuam. Secundo quia etiam præterita cognoſcuntur, & tamen non ſunt præſentia Angelo.

28 Secunda ratio eſt Raynaudi *in naturali Theol. diſt. 4. q. 2. ar. 2. n. 4.* qui ait, futura pertinere ad Diuinum decretum; & ideò non poſſe cognoſci, niſi cognoſcatur Diuinum decretum.

Impugnatur. Quia voluntas diuina eſt naturaliter cognoſcibilis prout relucet in effectibus ad extra: ergo prouenit ex parte eorundem futurorum, ſi non poteſt cognoſci, vt relucens in futuris.

29 Tertia ratio eſt, Futura in ſeipſis nō cognoſci, quia ad hoc requiritur vis cognoſcitiua infinita, cum non importet veritatem neceſſariam. Ita Molina 1. *par. qu.87. art.3.* Suarez 2. *de Angelis, cap.10.*

Contra. Id, ad quod prærequiritur virtus infinita, nō poteſt vllo pacto haberi per virtutem finitam, vt patet in comprehenſione Dei. Futura autem cognoſci poſſunt per ſcientiam infuſam finitam, vt cognouit Chriſtus.

2. Quia ad ſummum eſt neceſſaria infinita virtus cognoſcitiua ad cognitionem intuitiuam: non autem ad abſtractiuam.

30 Quarta ratio aſſerit, futura non cognoſci ab Angelo, quia ea non continet eminenter: vnde non poteſt ſubſtantia ipſius repræſentare obiecta, ita Albert. 12. *corol. 11. ex primo principio complexo.*

Impugnatur. Quia talis continentia ſolum requireretur, vt per propriam ſubſtantiam ea attingeret, non autem vt attingeret per ſpecies ſuperadditas. Secundò quia cognoſcit præterita, quę tamen non continet eminenter.

31 Quinta aſſerit, futura non eſſe intra obiectum naturale intellectus Angelici, & ideò non repræſentari per ſpecies, quas Angelus habet infuſas.

Impugnatur. Quia ſunt eadem ſecundum cognoſcibilitatem, ac quando exiſtunt, ergo &c.

Secundò. Quia connaturalitas obiecti attenditur ſecundum naturam ipſius, non autem ſecundum exiſtentiā.

32 Reſpondetur, ergo *Angelum non poſſe cognoſcere futura defectu ſpecierum*; cum enim futura nondum habeant eſſe, non poſſunt fæcundare intellectum, vt exeat in actum cognitionis: nec tales ſpecies ſunt debitæ Angelo, quia cognitio ipſius naturalis extenditur tantum ad exiſtentia.

33 Dices. Neque præterita habent eſſe, quod poſſit fęcundare intellectū, ergo. Reſp. neg. conſeq. Nam præterita iam fæcundauerunt intellectum, & quia hæc fæcūditas conſeruatur, non eſt neceſſaria alia fæcunditas.

34 Ex dictis colligitur. Poſſe futura cognoſci per ſpecies infuſas, poteſt .n. Deus infundere ſpeciem, quæ repræſentet futura ſecundum proprium eſſe, & aliam ſpeciem, quæ repræſentet diſtantiam temporis futuri vſque ad illam differentiam, in qua res eſt futura: tunc .n. repræſentabit futurum cum habitudine ad determinatum tempus, in quo eſt futurum.

35 Quæres quomodo poſſit Angelus cognoſcere præterita. Reſpondetur. Illa cognoſcere tum per ſpeciem rei præteritę, tum etiam per ſpeciem temporis, quod fluxit poſtquam res deſijt eſſe: per hanc enim percipit diſtantiam durationis præteritam, & conſequenter cognoſcit præterita ſub ratione præteriti.

DE MODO QVO ANGELVS Deum cognoſcit naturaliter.

DISPVTATIO CXIII.

An cognoſcat naturaliter per propriam ſpeciem.

SECTIO I.

1 Certum eſt, Angelum non videre Deum naturaliter cognitione intuitiua, quia, vt de fide eſt, hęc cognitio excedit omnē intellectū creatū. Solū difficultas ē de cognitione abſtractiua, quæ ſit per propriam ſpeciē.

2 Prima ſent. aſſerit, dari in Angelis ſpeciem, per quā naturaliter Deum cognoſcāt conceptu proprio, ſed abſtractiuo, quæ quidem ſpecies quoad ſubſtantiam naturalis eſt, quia complet intellectum intra ordinem naturalem: eſt tamen ſupernaturalis, quatenus fit liberè à Deo. Ita Scotus in 2. diſt. 3. q. 9. Mayron q. 2. Gabriel art. 3. Ocham q. 14. & 15. Alliacus q. 1. prol. ar. 2. Molina 1. *par. qu. 56. art. 3.*

Probant. Cognitio abſtractiua Dei non implicat, quia abſtractiua ex genere ſuo poteſt eſſe ſine intuitiua, ergo eſt concedenda Angelo.

2 Non poſſet cognoſcere, quod eſt proprium Dei, niſi cognoſceret per ſpeciem, ergo, &c.

3 Beatitudo naturalis Angeli non eſſet maior beatitudine naturali hominis, cum etiam ipſe cognoſcat Deum ex creaturis.

3 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita D. Tho. 1. *p. qu. 5. ar. 3.* Caiet. ibid. Bannes *dub. 1.* Cumel *qu. 1.* Alenſis 2. *par. qu. 29. memb. 1.* Ferrar. 2. *contr. gent. cap. 98.* Capreol. *in 2. diſt. 3. qu. 2. ar. 1. concl. 6.* Durand. *qu. 3. prolog.* Henricus *quodlib.* 4. *qu. 7.* Suarez 2. *de Angelis cap. 17.*

4 Dicendum eſt. *Non poſſe dari ſpeciem propriam Dei per quam abſtractiuè cognoſcatur.* Prob. Vel hæc ſpecies repræſentat exiſtentiam Dei, & immenſitatem, vel non. Si primum, ergo cauſat cognitionem intuitiuā, quia facit obiectum attingi, vt exiſtens, & præſens, atque adeò præſentiali modo. Si 2. ergo non eſt ſpecies propria, quia de ratione ſpeciei propriæ eſt, vt repræſentet adæquatè quidditatem rei, atque adeò omnia, quæ in ipſa includuntur: exiſtentia autem & immenſitas ſunt de quidditate Dei.

5 Dices. Hanc ſpeciem non repræſentare adæquatè, atque adeò præſcindere ab exiſtentia, & immenſitate.

Contr. Non poteſt repræſentare Deum, vt Deus eſt, niſi repræſentet ſecundū ea omnia, quæ pertinent ad conſtitutionem ipſius: quia ſicuti non poteſt eſſe conſtitutum ſine conſtitutiuis, ita nec repræſentari, ergo, &c.

2. Non poteſt intelligi Deus, niſi intelligatur & per eſſentiam, & infinitum in ratione eſſendi: ergo niſi intelligantur omnia, quæ includuntur in hac infinitate eſſendi. Includitur autē omnis perfectio, quæ in Deo eſſe poteſt.

6 Ad primum negat. antec. Ad probationes poſſe dari cognitionem abſtractiuam abſque intuitiua, quando obiectum eſt cognoſcibile per ipſam. Deus autē non poteſt cognoſci abſtractiuè, & quidditatiuè per propriā ſpeciē.

Ad 2. neg. ſequ. Quia nos quoque abſque ſpecie cognoſcimus Deum ex creaturis ſecundum propria ipſius, ſed non proprio, & quidditatiuo modo.

Ad 3. neg. ſequ. Nam ſicut Angelus perfectiori modo cognoſcit creaturas, quam homo; ita etiam habet ex ipſis perfectiorem cognitionem de Deo, & conſequenter perfectiorem beatitudinem naturalem, ſuppoſito, quod cognitio Dei naturalis importet beatitudinem naturalē,

Digitized by Google

Quomodo Angelus per ſuam ſubſtantiam Deum cognoſcat.

SECTIO II.

7 Certum eſt, Angelum cognoſcere Deum ex creaturis, iuxta illud ad Rom. 1. *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Vnde etiã per propriam ſubſtantiam cognoſcit Deum tanquam cauſam per effectum. Hæc autem cognitio eſt per medium cognitum, quatenus tendit in Deum ex eo, quod tendit in aliud obiectum, ex quo fiet non poſſe cognoſcere Deũ, niſi ſimul cognoſcat propriam ſubſtantiam, quia ducitur ab ipſa ad cognitionem Dei abſque tamen diſcurſu, per ſimplicem intuitum, quo ſimul cognoſcit ſe ipſum, & Deum tamquam cauſam ſui ipſius. Difficultas autem eſt, an Angelus non ſolum cognoſcat Deum per ſuam ſubſtãtiam tanquam per medium cognitum; an verò etiam per ſpeciem, ita vt deſeruiat loco ſpeciei impreſſæ.

8 Prima ſententia aſſerit, ſubſtantiam Angeli ipſi deſeruire pro ſpecie ad Deum cognoſcendum. Ita D. Thó. 1. *par. q.* 56. *ar.* 3. Ferrar. 2. *cont. gent. cap.* 98. §. ad huius euidẽtiã. Cum. 1. *par. q.* 2. *concl.* 3. Bannes *du.* 2. *cõc.* 3.

Probant Angelus debet habere perfectiorem modum cognoſcendi Deum, quàm habeat homo, nec alius eſſe poteſt, niſi propria eſſẽtia deſeruiat loco ſpeciei, ergo &c.

2 Habet in ſe quandam ſimilitudinem Dei impreſſam, ratione cuius poteſt deſeruire pro ſpecie, ergo &c.

9 Secunda ſententia eſt negatiua, ita D. Bonau. *in* 2. *d.* 3. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 3. *&* *ad* 4. Vaſquez *diſp.* 206. *cap. cap.* 2. Baſſolis *qu.* 3. *art.* 2. Peſantius 1. *p. q.* 56. *art.* 3. Suarez 2. *de Angelis cap.* 18.

10 Dicendum eſt. *Angelum non cognoſcere Deum per ſuam ſubſtantiam tanquam per ſpeciem*. Probatur. Subſtantia Angeli non eſt ſimilitudo virtualis, neq; formalis intentionalis Dei, ſed tantum quædam imperfecta ſimilitudo in eſſendo, ergo non poteſt deſeruire loco ſpeciei, cum de intrinſeca ratione ſpeciei ſit, quod dicat ſimilitudinem intentionalem: Ant. patet. Quia eſt aliqua natura ſubſtantialis ordinata ad eſſendum; non autem ad fœcundandum intellectum.

Confirmat. Angelus non eſt ſimilitudo Dei, niſi per modum imaginis; atque adeò eſt tantum ſimilis, *vt quod* non autem, *vt quo*. Ergo non ducit in cognitionem, niſi vt medium cognitum.

11 Ad 1. Reſpondetur, Angelum non habere alium modum cognoſcendi Deum naturaliter, niſi illum quem habet homo; habet tamen hunc modum cum perfectione maiori, quia perfectius cognoſcit creaturas.

Ad 2. Angelum habere in ſe quandam ſimilitudinẽ Dei ad modum imaginis imperfectæ, quæ ducit tantum in cognitionem vt obiectum cognitum, & cum ſit imperfecta nõ poteſt agnoſci vt imago, niſi prius cognoſcat exẽplar.

An Angelus cognoſcat ſe, & Deum eodem actu.

SECTIO III.

12 Prima ſent. eſt neg. ita Caiet. 1. *p. q.* 13. *ar.* 3. Molina *ibidem*. Suarez 2. *de Angelis capit.* 19 qui ait cognoſcere eodem actu, quando cognoſcit conceptu connotatiuo; ſecus autem quando cognoſcit Deum conceptu abſoluto. Probant. Cognitio Angeli reſpectu ſui ipſius eſt intuitiua, reſpectu verò Dei eſt abſtractiua, ergo non eſt idem actus.

2 Angelus poteſt cognoſcere Deum, vt obiectum primarium, atque adeò actu diſtincto.

13 Secunda ſenten. aſſerit, poſſe cognoſcere ſimul eodem actu. Ita Capreol. *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 2. *art.* 3. Ferrar. 2. *contr. gent. cap.* 98. Bannes 1. *par. qu.* 56. *art.* 3. *dub.* 1. Vaſquez *diſp.* 206. *cap.* 2.

14 Dicendum eſt. *Angelum non poſſe cognoſcere Deũ per ſuam ſubſtantiam, niſi eodem actu, quo cognoſcit ſe ipſum*. Prob. Angelus cognoſcendo propriam ſubſtantiam cognoſcit quidquid poteſt cognoſcere, cum nõ poſſit aliud cognoſcere, niſi illud, ad quod terminatur dependentia ipſius, ergo non poteſt cognoſcere, niſi eodẽ actu. Conſeq. prob. Quia in tantum eſſet poſſibilis alius actus, in quantum aliquid aliud poſſet cognoſci.

Confirm. per propriam ſubſtantiam non poteſt aliter Deum cognoſcere, quàm vt terminum propriæ dependẽtiæ: ergo tantum eodem actu, quia non poteſt cognoſc. vt terminus dependẽtiæ, niſi etiã cognoſcatur depẽdẽtia i

15 Ad primum reſpondetur, poſſe eandem cognitionẽ reſpectu diuerſorum eſſe intuitiuam, & abſtractiuã, quãdo. ſ. vnum cognoſcitur in recto, & aliud in obliquo, quia quod cognoſcitur in obliquo, non cognoſcitur per ſe primo, & per propriam ſpeciem, ſed ratione alterius.

Ad 2. neg. aſſumptum. Quia non habet medium, per quod cognoſcat Deum vt obiectum primarium.

DE LOCVTIONE ANGELORUM.

DISPVTATIO CXIV.

Quomodo Angeli inuicem loquantur.

SECTIO I.

1 Loquutio ex natura ſua eſt medium quoddam ordinatum ad manifeſtanda ſecreta cordis.

Supponendum autem tanquam certum de fide. Angelos inter ſe loqui, vt deſum. ex cap. 2. & 7. Zachar. & & Apocal. 7. & 9. & docent communiter PP. Eſt enim loquutio neceſſaria ad ciuilem ſocietatem conſeruandã; exigit enim ciuilis ſocietas, vt aliquando ſecreta cordis manifeſtentur. Difficultas autem eſt, quomodo inter ipſos exerceatur.

2 Dico 1. *Locutionem non conſiſtere formaliter in verbo actus reflexi ſupra id, quod per loquutionẽ vult Angelus manifeſtare*. Eſt contra Henricum *quodlib.* 4. *ar.* 2. Heru. *in* 2. *diſt.* 11. *q.* 1. Vaſquez 1. *par. diſ.* 111. *cap.* 11. Prob. loquutio debet eſſe manifeſtatiua reſpectu audientis; verbum autem, cum ſit tantum, *vt quo*, manifeſtatiuum, manifeſtat tantum exprimenti. Confirmatur. Si aliquod verbũ poſſet loquutiuo modo manifeſtare, poſſet id omne verbũ, quia oĩa ſũt eodẽ modo manifeſtatiua

Confirmatur ſecundò. Sequeretur non poſſe Angelum reflectere ſupra ſua ſecreta, niſi illa manifeſtaret; quod eſt contra libertatem cogitantis. Nec poteſt homo reflectere ſupra ſuam conſcientiam, niſi ſua ſecreta innoteſcerent dæmoni.

3 Dico 2. *Loquutionem non cõſiſtere in directione importantem actum voluntatis dirigentem conceptum manifeſtandum ad audientem*. Eſt contr. Caiet. 1. *p. q.* 107. *art.* 1. Bannes *q.* 57. *art.* 4. Capr. *in* 2. *diſt.* 11. *q.* 1. & alios Thomiſtas.

Probatur, quia hac directione non fit aliqua mutatio in audiente, qua excitetur ad audiendum; neque in conceptu mentis, neque ponitur aliquod medium manifeſtatiuum, ergo, &c.

4 Dices tolli rationem ſecreti.

Contr. Illa volitio dirigens habet pro obiecto ablationem ſecreti. ergo eſt explicandum fundamentum ablationis,

Confirm. Loquutio eſt formaliter quædam formalis manifeſtatio conceptus: illa autem directio non eſt talis, tum quia eſt actus voluntatis, tum quia habet pro obiecto ipſam manifeſtationem.

5 Dico tertio. *Loquutionem non conſiſtere in eo, quod Angelus imprimat cognitionem audienti illius rei, de qua*

Digitized by Google

de qua procedit loquutio, eſt cont. Scot. *in 2. diſt. 9. q. 2.* Prob. Cognitio eſt eſſentialiter actus imanens, & vitalis, ergo nõ poteſt prouenire ab aliqua cauſa extrinſeca.

Confirmatur: Cognitio audientis ſupponit manifeſtationem, atque adeò loquutionem, ergo &c.

Confir. ſecundò. Si poſſet Angelus alteri imprimere cognitionem, poſſet etiam imprimere volitionem, cum ſit eadem ratio; vndè poſſet Angelus violentari in volitione, & ferri in incognitum.

6 Dico quartò. *Loquutionem non conſiſtere in eo, quod conceptus obiectiuo modo cauſet cognitionem in audiente.* Eſt cont. Ocham. in 2. q. 20. Gab. *d. 9. q. 2. art. 3.* Prob. In hoc non ſaluatur alia manifeſtatio, quam illa, qua quodlibet obiectum ſe manifeſtat cognoſcenti.

Confirmatur. Quia loquutio eſt vitalis manifeſtatio, ergo debet conſiſtere in quodam actu ſpeciali.

Confirmatur ſecundò: Sequeretur loquutionem non eſſe liberam, quia poſito Angelo in debita diſtantia conceptus ipſius eſſent manifeſti.

7 Dico quinto. *Loquutionem non fieri per id, quod Deus infundat ſpecies repræſentatiuas conceptus, quando quis vult ſuum ſecretum manifeſtare*, eſt cont. Raynaud. *in naturali Theol. diſt. 4. q. 1. n. 118.*

Prob. Loquutio eſt medium naturale ad conſeruandam ciuilem ſocietatem; & ideò debet poſſe exerceri per vires naturales, quia quando Deus ordinat aliqua ad aliquem finem, confert etiam media ſufficientia.

Confirmatur. Homo habet ſufficientiam medij ad loquutionem, ergo etiam Angelus.

8 Prob. Secũdo. Quia ex ſcriptura habetur, quod cauſæ ſecundæ producant, erroneum eſt dicere, quod Deus agat ad præſentiam ipſarum, ergo cum ſcriptura doceat, quod Angeli loquantur, non poteſt dici, quod Deus producat manifeſtationem in altero Angelo, quia loquutio conſiſtit in manifeſtatione.

Confirmatur: Loquutio eſt manifeſtatio vitalis, ergo debet prouenire ab intrinſeco ipſius loquentis.

9 Dico ſextò. *Loquutionem non ſaluari ex eo, quod cõceptus mentis manifeſtandi imprimant ſpecies audienti ex imperio loquentis.* Eſt contra Alenſ. 2. *p. quæſt.* 27. *memb.* 3. & 5. Richard. *in 2. diſt. 9. art. 2. q. 2.* Suarez 2. *de Angelis cap. 27. num. 32.*

Probatur: Conceptus interni non alio modo manifeſtantur, quàm manifeſtentur alia obiecta; loquutio autem importat ſpecialem modum manifeſtationis.

Confirmatur, loquutio eſt manifeſtatio obiectiua, quę ſe habet, *vt quod*, reſpectu audientis; dum autem immittitur talis ſpecies, non formatur aliqua manifeſtatio, quæ ſe habeat, *vt quod*.

Explicatur modus locutionis Angelicæ.

SECTIO II.

10 NOtandum primò. Loquutionem exerceri inter Angelos modo purè intellectuali; cum enim ſint naturę pure intellectuales, oportet, vt habeant intellectualem modum ſibi inuicem communicandi proprios cõceptus; modus enim operandi debet eſſe proportionatus naturæ, & ita docet D. Greg. 2. *moral. cap.* 5.

11 Notandum ſecundò. De ratione loquutionis eſſe, vt cauſet in audiẽte aliquam motionẽ, per quã excitet ad percipiẽdam loquutionẽ, quę nulla alia eſſe poteſt, quã fęcũdatio, qua intellectus intentionali modo moueatur ab ipſa loquutione; hæc autem fæcundatio, quia fit mediante manifeſtatione ſecreti, ideò ſupponit in priori naturæ ſecreta facta cognoſcibilia, ex vi manifeſtationis.

12 Notandum tertiò. Manifeſtationem, quæ fit per loquutionem debere concurrere ad excitandum audientem obiectiuo modo, hoc eſt tãquam obiectũ, in quo manifeſtetur conceptus, vt patet in loquutione vocali: vnde debet eſſe manifeſtatio, *vt quod*, hoc eſt vt cognita ducat in cognitionem illius, quod manifeſtatur, cum enim non vniatur immediatè cũ audiente, non poteſt tamquam forma, & *vt quo*, manifeſtare, alioquin non poſſet vna, & eadem loquutio indiuiſibiliter ordinari ad plures.

13 Dicendum eſt. *Loquutionem Angelicam conſiſtere in eo, quod Angelus dirigendo conceptum ad audientem producit in ſe actum quemdam intellectualẽ, qui, vt quod manifeſtat internam cogitationem, & tamquam obiectũ manifeſtatiuum excitat audientem per impreſſionem ſpeciei ad percipiendam talem manifeſtationem.*

Prob. de ratione loquutionis eſt, quod ſit manifeſtatiua cogitationis, & moueat tamquam obiectum audientẽ, ergo de ratione loquutionis purè intellectualis eſt, quod intellectuali modo, *vt quod*, manifeſtet cogitationẽ. Antecedens patet, quia ſicuti loquutio externa manifeſtat ſenſibiliter, *vt quod*, cogitationem; ita loquutio vt ſic debet manifeſtare *vt quod*, quod enim dicit ſpecies determinato modo, dicit genus in communi. Conſeq. prob. Quia loquutio purè intellectualis debet intellectuali modo exerceri, atque adeo per actum intellectus.

14 Ob. Intellectus habet tantum virtutem intellectiuã, ergo non poteſt producere niſi intellectionem.

Reſp. neg. antecedens. Nam intellectus eſt etiã potentia loquutiua, quia eo ipſo, quod exprimit verbum, loquitur ſibi ipſi. Quia autẽ eſt virtus cõpleta loquutiua, ideò poteſt habere actũ, quo completè exerceat vim loquutiuam, atque adeò quo alijs intellectuali modo manifeſtet internas cogitationes.

15 Ex dictis collig. loquutionẽ poſſe exerceri inter omnes Angelos, ita vt poſſit etiam inferior alloqui ſuperiorẽ, cũ n. ſuperiores ignorẽt cogitationes inferiorũ, ptinet ad ciuilem ſocietatem, vt poſſint eas ipſis manifeſtare.

16 Colligitur ſecundò. Ad loquutionem ne dum concurrere actum intellectus, ſed etiam volitionis, ita tamen vt actus volitionis non pertineat ad formalem rationem loquutionis, ſed antecedenter ſe habeat applicando intellectum ad eliciendam loquutionem.

17 Collig. tertiò. Quomodo Angelus loquẽs diſcernat audientẽ, & è cõtra; ad loquutionẽ nãq; requiritur, vt non ſolum percipiatur ipſa loquutio, ſed etiam à quo ſit, alioquin imperfecto modo exerceretur. Diſcernit autem attendendo ad manifeſtationem illam intellectualem, quia cum ſubiectetur in eo, à quo fit, videns manifeſtationem, videt etiam, cuius ſit, & eodẽ modo diſcernere poteſt inter loquutionem plurium Angelorũ, ſi ſimul ei loquantur.

Reſoluuntur quædam difficultates.

SECTIO III.

18 PRima difficultas eſt. An poſſit Angelus ſecretò alicui loqui, reſp. affirmatiuè. Quia ita exigit natura loquutionis, cũ ſit ordinata ad manifeſtanda ſecreta, hoc autem fit, quia Angelus ad libitum coarctat loquutionem ſuam ad immittendam ſpeciem in hunc, vel illum audientem, immiſſio enim ſpecierum ſubditur voluntati loquentis, agens autem liber poteſt determinare ſuas operationes ad hoc, vel illud ſubiectum.

19 Ob. Productio ſpeciei non eſt actus vitalis, ergo non ſubditur libertati loquentis.

Reſp. neg. conſeq. Quia licet non ſit actus vitalis, pertinet tamen ad complementum actus vitalis, & hoc ſufficit, vt ſubdatur libertati loquentis.

20 Secunda difficultas eſt. An poſſit loquutio exerceri in qualibet diſtantia. Reſp. affirmatiuè cum D. Th. *q. 9. de verit. ar. 6.* & Thomiſtis communiter. Quia hoc pertinet ad perfectionem loquentis, & ſicuti obiecta naturalia immittunt ſpecies ad maximam diſtantiam, ita etiam poteſt immittere loquutio Angelica.

21 Tertia difficultas eſt. An poſſit Angelus ad plures loqui ſimul in quocunque numero.

Reſpond. affirmatiuè cont. Vaſq. 1. *part. diſp. 11. cap. vlt.* & Suarez 2. *de Angelis c. 28. n. 3.* Ratio eſt, quia ſicuti loquutio vocalis percipi poteſt ab omnibus, qui ſunt intra

Digitized by Google

intra ſpheram ipſius, ita etiam loquutio Angelica.

Confir. Quia poteſt loquutio indiuiſibiliter applicari ad excitandum quemlibet audientem; & hoc etiam patet ex loquutione Luciferi, qua omnes allocutus eſt, perſuadens, vt à Deo deficerent, quæ in inſtanti fuit facta.

22 Quarta difficultas eſt. Quomodo loquutio ſit manifeſtatiua. Reſp. Solam loquutionem manifeſtari intuitiuè; ea verò, de quibus procedit loquutio, tantum abſtractiuè. Ratio eſt. Quia ſola loquutio attingitur per propriam ſpeciem: cætera verò attinguntur, vt manifeſtantur in loquutione tanquam in medio cognito.

23 Quinta difficultas. Quomodo fiat loquutio inter nos, & Angelos. Reſp. non poſſe Angelos nobis loqui, niſi per ſigna ſenſibilia, quia intellectus noſter pro hoc ſtatu eſt determinatus ad vtendum tantum ſpeciebus rerũ ſenſibilium. Nos autem poſſumus loqui Angelis loquutione vitali, & per alia ſigna ſenſibilia. Deinde etiam loquutione purè intellectuali: poteſt enim intellectus noſter formare actum manifeſtatiuum internæ cogitationis quia vis loqnutiua fundatur in virtute intellectiua, & hic actus erit purè ſpiritualis, quia licet intellectus noſter intelligat omnia ad modum rei materialis, ipſe tamen actus intellectionis non eſt materialis, quia non exercetur per aliquod organum: vnde nec etiam loquutio, ſeu actus manifeſtatiuus internæ cogitationis erit materialis.

24 Ex dictis colligitur. Angelum quando mentitur, vt contingit in dæmonibus, eo modo mentiri, quo & homo mentitur. Format enim cognitionem intellectualem diſcrepantem à proprio conceptu, ordinatam ad fallendũ. Sicut autem quando homo format loquutionem mendacem, non ſolum debet interuenire conceptus, à quo diſcrepat, ſed etiam conceptus, qui ſubſtituitur loquutioni, & diſcrepat à veritate obiectiua, nam non poteſt haberi loquutio, niſi manifeſtet aliquem conceptum mentis, ita etiam quando Angelus mentitur, debet formare conceptum diſcrepantem à veritate obiectiua, quem ſubſtituat locutioni loco conceptus veri.

DE ILLVMINATIONE Angelorum.

DISPVTATIO CXV.

An vnus Angelus alium illuminet.

SECTIO I.

1 NOmine illuminationis intelligitur aliqua manifeſtatio, ex vi cuius aliquid ignotum manifeſtetur. Difficultas autem eſt, an inter Angelos exerceatur.

Negat Durand. in 2. diſt. 11. q. 2. vbi docet, omnes Angelos immediatè illuminari à Deo cum ordine quodã, ratione cuius illuminatio prius natura fiat Angelis ſuperioribus, deinde inferioribus.

Probat. Illuminatio eſt quædam beatitudo accidentalis; ſolus autem Deus beatificat.

2 Illuminatio dicit propoſitionem obiecti ſupernaturalis, & confortationem intellectus ad ipſum percipiendum. Hoc autem non poteſt fieri, niſi à ſolo Deo.

2 Dicendum eſt. Aliquos Angelos alios illuminare. Ita D. Tho. 1. *par. q.* 106. *art.* 1. Caiet. Mol. Bannes, Cumel *ibid.* Vaſquez *diſp.* 216. *cap.* 1. Suarez 6. *de Angelis cap.* 13. & communiter.

Deſumitur ex D. Dyoniſ. cap. 3. de cæleſt. Hierarch. *Vbi indultum ſibi ſacratiſſimum iubar affatim hauſerint hoc ipſum poſtmodum abſque inuidia ſequentibus fundunt.* Athan. de communi eſſentia. *Cherubim, & Seraphim ſine vllo mediante, aut interprete à Deo condiſcũt, & ab iis erudiuntur inferiores ordines, atque ita deinceps cæteri pro ſuo gradu.* Damaſcen. 2. de fide cap. 3. *Illud quidem perſpicuum eſt, eos, qui præſtantiores, ſublimioreſque ſunt, ſplendorem, & cognitionem inferioribus impertire.*

Probatur. Pertinet ad dignitatem Dei, quod per aliquos principaliores miniſtros notificet deliberationes ſuas minus principalibus.

3 Ad 1. poſſe vnum Angelum cooperari ad beatitudinẽ accidentalem alterius, ſicut etiam cooperantur homines.

Ad ſecundum. Propoſitionem obiecti ſupernaturalis poſſe fieri à quocunque, qui illud cognoſcit. Sic fidelis cognoſcens myſteria fidei poteſt ea cæteris declarare. Illuminatio autem corroborat intellectum illuminati excitando ad percipiendum, & declarando quod totum poteſt fieri ab Angelo.

Quid ſit illuminatio.

SECTIO II.

4 SVpponendum eſt. Illuminationem eſſe quamdam loquutionem, per quam aliquid manifeſtatur, vt docet D. Tho. 1 *par. q.* 107. *ar.* 2. differt tamen à loquutione ratione obiecti.

5 Dico 1. *Illuminationem debere eſſe de re ignota, & in hoc differre à loqutione, qua poteſt eſſe etiã de re nota*

Probatur. Illuminatio purgat intellectum, vt ait Dyoniſ. *cap.* 8. *de cæleſti Hierarch.* purgare autem dicit expulſionem ignorantiæ.

6 Dico 2. *Illuminationem non poſſe eſſe falſam.*

Probatur. Illuminatio debet perficere intellectum, falſa autem loquutio non perficit.

7 Dico 3. *Illuminationem eſſe de obiecto, cuius cognitio ſpeciali modo perficiat intellectum.*

Probatur. Illuminatio eſt quoddam ſpeciali beneficium quod non eſt debitum, nec ſecundum naturalem exigentiam cognoſcentis. Ergo debet eſſe cauſatiua alicuius ſpecialis cognitionis, quæ ſpeciali modo perficiat.

Confirmatur. Quia de ratione illuminationis eſt, vt eleuet ad quandam ſuperiorem excellentiam rem illuminatã, vt cũ lumen corporeũ eleuat colores ad eſſe viſibile.

8 Dico 4. *Illuminationem eſſe de rebus contingentib. non autem de neceſſariis.*

Probatur. Neceſſaria naturalia cognoſcuntur naturaliter à quolibet Angelo: ſupernaturalia .v. ex vi viſionis Beatæ.

9 Dico 5. *Illuminationem debere cauſare cognitionem, quæ ſuper naturali modo fiat.*

Probatur. Si poſſet haberi naturaliter talis cognitio, non eſſet illuminatio, ergo, &c.

10 Dico 6. *Illuminationem cauſari aſſenſum firmum, & euidentem.* Probatur. Niſi eſſet euidens non congrueret ſtatui beatifico, & niſi eſſet firmus, non eſſet perfectus, quia relinqueret intellectum ſuſpenſum.

11 Dico 7. *Illuminationem debere fieri ex aliquo motiuo ſupernaturali.* Probatur. Pura manifeſtatio alicuius Angeli non eſt ſufficiens motiuum aſſentiendi infallibiliter, ergo debet interuenire motiuum ſupernaturale, mouens ad aſſenſum. Confirmatur. Deus eſſe principalis illuminans, & quando Angelus alium illuminat, manifeſtat veritatem, vt prouenientem à Deo, ergo, &c.

12 Dico 8. *Illuminationem debere dirigere intellectũ ad percipiendam veritatem.* Probatur. Illuminatio doctrinali modo ſe habet, de ratione autem docentis eſt dirigere diſcentem.

13 Quæres, an per illuminationem aliquid cauſetur in illuminato. Reſp. Cauſari illam mutationem, quam cauſat loquutio, videlicet impreſſionem ſpeciei, ex vi cuius percipiatur obiectum, cum enim ſit quædam loquutio, debet proportionaliter eandem mutationem cauſare.

D. E

Digitized by Google

DE VOLVNTATE ANGELorum.

DISPVTATIO CXVI.

An voluntas Angeli ſit libera ad peccandum contra naturalem rectitudinem.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt. In Angelis reperiri voluntatem, cum hæc ſit potentia appetitiua ex genere ſuo conſequens naturam cognoſcitiuam: vnde prima Pet. 1. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*. Et Pſal. 102. *Qui faciunt voluntatem Dei*. Ratio autem eſt. Quia ſicuti ad omnem formã ſequitur appetitus, ita etiam ad naturam intellectualem.

2 Suppon. 2. de voluntate Angelorum eodem modo eſſe philoſophandum, ac de volũtate animæ rationalis proportione ſeruata: vnde ſicut voluntas humana habet pro obiecto omne bonum, ita etiam voluntas Angeli.

3 Supp. 3. Quod licet in Angelis non ſit appetitus ſenſitiuus: voluntas tamen ipſorum poteſt exercere proportionaliter actus concupiſcibilis, & iraſcibilis: appetitus enim iſte verſatur circa bonum appetibile, & arduum: vnde, cum voluntas Angeli poſſit in vtrumque bonum ferri, poteſt etiam hos actus exercere.

4 Suppon. 4. Angelum habere liberum arbitrium, etiã quoad indifferentiam, vt deſumitur ex Scriptura. Quatenus tradit, Angelos eſſe capaces præcepti, & culpæ: & ita docent PP. Ratio autem eſt. Quia Angelus eſt capax cuiuſcunque boni, & ideò cognitio ipſius proponit voluntati quodcunque bonum; quia autem non habet abſolutã rationem boni, ſed habet etiam aliquam rationem mali annexam, idcircò voluntas remanet indifferens ad illud proſequendum, vel non proſequendum.

5 Supponendum 5. Voluntatem Angeli non eſſe indifferentem quoad ſpecificationem circa bonum in communi: ſed ita eſſe determinatam, vt non poſſit exercere circa ipſum, niſi actum amoris. Debet enim attingere obiectum, ſecundum quod mouet voluntatem: bonum autẽ in communi, cum præſcindat ab omni ratione mali, non mouet voluntatem niſi alliciendo. Difficultas autem eſt, an propoſito bono honeſto particulari, & turpi poſſit Angelus relinquere honeſtum, & amplecti turpè peccando contra rectitudinem naturalem.

6 Prima ſent. aſſerit, Angelum non poſſe peccare contra honeſtatem naturalem. Ita Durand. *in* 2. *diſt*. 5. *qu*. 2. *n*. 16. Capreol. *diſt*. 2. *q*. 2. *art*. 3. Caiet. 1. *par*. *q*. 63. *ar*. 2. Ferrar. 3. *contr*. *gent*. *cap*. 109.

Prob. Non poteſt Angelus peccare, niſi præcedat error in intellectu, aut inconſideratio. Hoc autem non poteſt eſſe, quia perfectè cognoſcit naturalia.

2 Angelus amat Deũ naturaliter neceſſariò ſuper omnia: omne autem peccatum eſt contrarium huic amori.

7 Secunda ſent. aſſerit, Angelum non ſolum poſſe peccare contra honeſtatem naturalem, ſed etiam non poſſe vitare omne peccatum, niſi cum ſpeciali auxilio Dei. Ita Vaſquez 1. *par*. *qu*. 60. *ar*. 5. & *prima ſecundæ diſp*. 193. *cap*. 3. Ariminenſ. *in* 2. *diſt*. 29. *qu*. 2. *ar*. 2. *concl*. 2.

Fundam. eſt. Quia vt voluntas Angeli ſit bona, cum ſit indifferens, pendet ex cogitatione congrua ad benè operandum, quam non poteſt habere, niſi ex ſpeciali auxilio Dei.

8 Tertia ſententia aſſerit, poſſe peccare, ſi velit. Ità Scotus *in* 2. *diſt*. 23. *q*. 1. Palat. *in* 4. *diſt*. 50. *qu*. 1. Suarez 3. *de Angel*. *cap*. 7.

9 Dicendum eſt. *Poſſe Angelum peccare contra honeſtatem naturalem*. Prob. poteſt Angelus errare in cognitione practica iudicando turpè ex aliqua ratione honeſta quam apprehendit eſſe amplectendum: ergo poteſt peccare contra honeſtatem naturalem. Antec. patet ex dictis de cognitione Angelorum. Conſeq. prob. Quia operatio quæ eſt ſecundum menſuram deficientem, mala eſt; error autem in cognitione practica reddit menſurã deficientẽ.

Confir. Poſſunt Angeli habere actus inordinatos in ordine naturali; ergo poſſunt peccare contra rectitudinẽ naturalem. Ant. pat. in Angelis malis, qui licet manſerint integri in naturalibus, mẽtiuntur tamen, odio habent, &c.

10 Dices: de facto habere motiuum ad peccandũ, quod non habuiſſent in ſtatu purè naturali.

Contra. Quia tunc habuiſſent alia motiua. 2. ideò de facto peccãt, quia turpe proponitur ſub ratione honeſti: potuiſſet autem tunc quoque proponi. 3. ad ſummum ſequeretur, quod tunc non peccaſſent: non autem, quod non potuerint peccare, quia ſi fuiſſent impeccabiles, neque modo poſſent peccare, cum non ſit variata natura.

11 Ad primum primæ ſentent. negatur min. Nam Angelum circa naturalia poſſe errare in cognitione practica, licet non in ſpeculatiua, vt ſuo loco diximus.

Ad ſecundum negatur aſſumptum. Nam Angelus nõ amat neceſſariò Deum ſuper omnia amore amicitiæ, ſed tantum amore concupiſcentiæ: cum hoc autem ſtare poteſt peccatum, quia poteſt non eſſe rectus.

12 Ad fund. 2. ſent. neg. min. Nam ad honeſtè operandum ſufficit cognitio honeſtatis, & iudicium dictans cõgruũ eſſe, ita operari; & hoc totũ poteſt Angelus naturaliter habere. Quando autem PP. requirunt ſpecialem auxilium, loquuntur de operatione ſupernaturali.

An voluntas Angeli ſit immutabilis in electione.

SECTIO II.

13 SVb alio titulo proponitur etiam hæc quæſtio, an Angelus apprehẽdat immobiliter, & sẽſus eſt, an poſtquam aliquid deliberauerit, poſſit naturaliter mutare propoſitum.

1. ſent. aſſer. Angelũ eſſe immutabilẽ in ſua electione. Ita D. Th. 1. *p*. *q*. 64. *ar*. 2. Caiet. & Bann. *ibid*. Ferrar. 4. *cont*. *gent*. *cap*. 95. Alenſis 3. *p*. *q*. 2. *mẽb*. 2. & 3. Her. *quodl*. 8. *q*. 11. Capr. *in* 2. *d*. 7. *q*. 1. *ar*. 1. & alij ex Tho.

Prob. quod Angelus ſemel apprehendit, nunquã variat, quia ſtatim conſiderat omnes rationes, & circunſtantias. ergo cum non variat iudiciũ, neque etiã variabit electionẽ.

Secunda. Angelus eodem actu apprehendit principia, & concluſiones: ergo ſicut nos iudicamus de principijs immobiliter, Angelus iudicabit etiam de concluſionibus.

Tertia. Si non eſſet immutabilis, nulla eſſet ratio, cur Angelis malis negaretur omnis locus pænitentiæ.

4 Adhæret fini vlt. immobiliter, quẽ ſibi cõſtituit. Finis autem vltimus eſt menſura cæterorum, atque adeò facit cœteris adhærere immobiliter.

14 Secunda ſententia negat, eſſe immutabilẽ in electione, ita Scot. *in* 2. *diſ*. 6. *q*. 1. D. Bon. *ar*. 1. *q*. 1. Maior *q*. 1. Gabr. *q*. *vn*. Rich. *ar*. 2. *q*. 2. Ochã *q*. 19. Mol. 1. *p*. *q*. 63. *ar*. 2. Vaſq. *diſp*. 239. *c*. 3. & 4. Suar. 3. *de Angel*. *cap*. 107.

15 Dicendũ eſt. *Voluntatẽ Angeli nõ eſſe immobilem phyſicè in electionib. ſed tantũ moraliter, quaten' difficile mutatur*. Deſum. ex Nazianz. *orat*. 38. *poſt initium*. Fulg. *de fide ad Petr*. *cap*. 3. Damaſc. 2. *de fide cap*. 3.

Prob. Angeli de facto mutauerunt electionem, dum ex bonis facti ſunt mali, ergo, &c.

16 Dic. Tũc electionẽ eſſe immutabilẽ, quãdo eſt in ordine natur. qa tũc ſolũ depẽdet à ſola cognitione naturali.

Contra. Si voluntas Angeli eſſet immobilis in ordine naturali, eſſet ex natura ſua talis, & conſequitur etiam in ordine ſupernaturali, ſicuti ſi non eſſet libera in ordine naturali, neque eſſet in ordine ſupernaturali.

Secundo. Quando voluntas Angeli in ordine ſupernaturali eſt bona, habet etiam Angelus iudicium naturale de tali electione, & conſequenter etiã electionẽ naturalẽ

Digitized by Google

correſpondentem ſupernaturali, nec poteſt euadere malus, niſi mutet hoc iudicium, & electionem naturalem.

17 Probatur ſecundo: Dæmones de facto mutauerunt electiones, nam prius Diabolus ſuaſit Iudæ, vt traderet Chriſtum Io. 13. deinde mutauit propoſitum, & conabatur eum liberare à morte mediante vxore Pilati, vt habetur Matth. 27.

Confirmatur Daniel. 10. Cuſtodes Angeli Iudæorum, & Perſarum altercabantur ad inuicem, & poſtea alter mutauit electionem cognita voluntate Dei, ergo, &c.

18 Reſpond. Caiet. Tunc voluntatem Angelicam eſſe immutabilem, quando procedit ex pleno iudicio; illam autem ſuaſionem non fuiſſe ex pleno iudicio.

Contra. Vel per judicium non plenum intelligit illud cui poſſit ſuccedere aliqua cognitio, quæ concernat ad illum immutandum; & tunc nullum iudicium erit plenũ, quia ſemper poſſunt proponi diuerſa obiecta, quæ ſint cauſa, vt Angelus formet diuerſum iudicium. Vel intelligit cognitionem, quæ perfectè non attingat obiectum; & hoc non eſt poſſibile, quia Angelus primo intuitu cognoſcit de obiecto, quidquid poteſt cognoſcere.

19 Ad primum reſpondetur, Quod ſemel Angelus apprehendit cognitione ſpeculatiua, numquam variari; quod autẽ apprehẽdit cognitione practica, poſſe variari.

Ad ſecundum negatur aſſumptum. Nam cum Angelus neque componat, neque diuidat, non attingit res per concluſiones, & principia: ſed attingit ea in ſe ipſis: vnde Angelus format iudicium per ſe primo tendens ad ſingularia: Hoc autem iudicium poteſt variari; tum quia poteſt dari caſus quod varietur circumſtantiæ, tum quia poteſt de nouo aliam circumſtantiam attingere quam prius non conſiderabat, tum quia poteſt eſſe falſum, atq. adeò corrigi.

Ad tertium negatur ſequela. Nam Angelis denegatur potentia, quia ſunt in termino, dum autem fuerunt in via, fuerunt ſecundum naturam ſuam capaces illius.

Ad quartum negatur antecedens: Nam Angelus non adhæret fini vltimo immobiliter quoad exercitium, & quoad illum amorem, qui eſt propter ipſum finẽ. Deinde etſi adhæreret immobiliter, neque ſequitur immobilitas electionis, quia multoties poteſt variari electio abſq. præiudicio vlt. finis: imo aliquãdò debet neceſſ. variari.

DE ACTV VOLVNTATIS Angelicæ.

DISPVTATIO CXVII.

An voluntas Angeli ſemper ſit neceſſariò in aliquo actu.

SECTIO I.

1 DIfficultas eſt an iſta ſit libera, vt poſit collectiuè ceſſare ab omni actu.

Dicendum eſt. *Voluntatem Angelicam eſſe ſemper in exercitio alicuius actus*. Ita D. Tho. 2. *contr. gent. cap.* 97. Ferrar. 3. *contr. gent. cap.* 109. Bannes 1. *part. qu.* 60. *dub. vlt.* Suarez 3. *de Angelis cap.* 3.

Probatur. Angelus debet completo modo viuere, cum hoc exigat perfectio ipſius. Non poteſt autem completo modo viuere, niſi habeat exercitium vitæ ſubſtantialis.

Confirmatur. Non poſſet voluntas ceſſare ab omni actu, niſi omnes actus collectiuè eſſent ſub ipſius dominio, ſed non ſunt, ergo, &c. Min. prob. quia voluntas non exercet ſuum dominium, niſi per aliquem actum, ſi autem ſumantur omnes actus collectiuè, non remanet aliquis, per quem exerceat dominium.

2 Obijc. Poteſt à quocunque actu ceſſare, ergò etiam ab omni collectiuè. Reſpondetur neg. conſeq. Nam alia eſt ratio de collectiuo, & diſtributiuo, quia reſpectu collectiui militat aliqua ratio neceſſitatis, quæ non militat reſpectu diſtributiui, vt patet ex dictis. Deinde non eſt certum, an poſſit ceſſare ab omni actu diſtributiuè, præſertim ſi loquamur de primo actu naturali.

An Angelus diligat ſe amore neceſſario.

SECTIO II.

3 CVm vnumquodque appetat proprium eſſe, & inclinet naturaliter in proprium bonum, ſequitur quod Angelus neceſſariò amet ſe ipſum quò ad ſpecificationem, ita vt non poſſit ſe odio habere, neque ſibi malum appetere ſub ratione mali, ſolum difficultas eſt de neceſſitate quò ad exercitium.

4 Prima ſententia eſt negatiua, ita Vaſquez 1. *par. q.* 60. *art.* 3. Ferrar. 3. *cont. gent. cap.* 109.

Prob. Voluntas ſequitur iudicium practicum. Angelus autem non ſemper practicè iudicat, ſe eſſe amandum.

Secundò. Poteſt Angelus inuenire aliquam rationem boni inceſſanter ab amore ſui ipſius, vt videlicet totis viribus ſui obiectus amet Deum, ergo, &c.

5 Secunda ſententia ait, Angelum amare ſeipſum ſemper quoad exercitium aliquo actu amoris naturalis: non tamen habere ſpecialem actum amoris, qui per ſe primò terminetur ad ipſum Angelum, & ſit abſolute neceſſarius quoad exercitium, ita Suarez 3. *de Angelis cap.* 4.

Fundamentum eſt. Quia Angelus eſt ſemper in aliquo actu amoris. Omnis autem actus amoris implicite tendit in ipſum Angelum.

6 Tertia ſentẽtia aſſerit, Angelũ ſe amare neceſſariò quoad exercitium. Ita valentia *tom.* 1. *diſp.* 4. *q.* 9. *pun.* 1. Bannes 1. *part. qu.* 60. *ar.* 3. *concluſ.* 5. Zumel *dub. vn.*

7 Dicendum eſt. *Angelum naturaliter, & neceſſariò amare ſe ipſum, ita vt non poſſit ceſſare ab illo ſpeciali actu amoris, quo ſe amat directè.*

Probatur. Actus amoris in Angelo erga ſe ipſum eſt primus actus ex natura ſua, ergò non poteſt ab ipſo ceſſare. Antec. pat. Tum quia correſpondet primo actui cognitionis, tum quia æquiualet appetitui innato aliarũ rerum erga propriam conſeruationem: tum quia omnes alij actus in ipſo fundantur, & implicite ipſum continẽt. Conſ. prob. Quia ſi poſſet Angelus ceſſare ab amore ſui, poſſet per alium actum talem amorem imperare. Actus autem qui ex natura ſua eſt prior omni alio, non poteſt quoad exiſtentiam dependere ab alio.

8 Confirm. Non poteſt Angelus ceſſare ab amore ſui naturaliter, nec libere, ergo nullo modo. Anteced. prob. Non poteſt ceſſare naturaliter, quia naturaliter inclinat ad ſe amandum. Ceſſatio autem actus, ad quem eſt inclinatio naturalis, non poteſt eſſe ex inclinatione naturali, nec poteſt ceſſare libere, quia tunc Angelus nollet amare ſe ipſum, quod implicat, quia tunc exerceret actũ extra ſpecificationẽ, ad quã eſt neceſſariò determinatus.

Confirmatur 2. Angelus non eſt indifferens ad amandũ ſeipſum, vel non amandum, ergo ſemper amat, quia potentia determinata ad vnum ſemper neceſſariò operatur. Anteced. probat. Quia, vt eſſet indifferens, deberet cognitio Angelica proponere voluntati Angelum vt amandum, & non amandum, non proponit autem vt non amandum.

9 Dices. ſufficere, ſi cognitio proponat talem amorem ſub ratione minoris boni, & proponat aliquod motiuũ ceſſandi ab ipſo.

Cõt. Volũtas cũ ceſſet ab aliquo actu, debet eſſe motiuum ex parte obiecti, ad quod terminetur ille actus, quia debet eſſe indifferentia in ordine ad ipſũ obiectũ.

2 Tunc minus bonum poteſt ſolum relinqui in comparatione maioris, quando eſt incompoſſibile cum illo, amor autem Angeli erga ſe ipſum non eſt incompoſſibilis cum

Digitized by Google

cum alio amore, cum ſit fundamentum omnium actuum.

10 Ad primum negatur minor. Nam Angelus ſicut cótinuò cognoſcit ſe ipſum, ita ſemper habet iudicium practicum de amore erga ſe ipſum.

Ad ſecundum negatur antecedens. Quia cognitio Angelica non poteſt proponere ipſum Angelum voluntati ſub ratione mali, & quamuis proponat ſub ratione minoris boni, non hinc ſequitur quod poſſit deſiſtere ab amore, quia non eſt bonum incompoſſibile cum maiori bono, immo eſt fundamentum amoris aliorum bonorum, quia omnis amor incipit à ſe ipſo, vt ait Auguſtinus hom. 36.

11 Ob. Amor, quo Angelus amat ſe ipſum, poteſt eſſe inordinatus, ergo non eſt naturalis, & neceſsarius.

Reſpondetur. Hunc amorem, prout ſtat in puro eſſe naturali, non poſſe eſse inordinatum, ſed tantum accedente aliqua electione libera.

An Angelus amet Deum neceſſariò.

SECTIO III.

12 DIco primò. *Angelum non amare neceſſariò Deum quoad exercitium amore amicitiæ ſuper omnia.*

Probatur: poteſt Angelus ceſſare ab huiuſmodi amore, vt patet in Angelis, qui peccauerunt, qui licet fuerint in ſtatu ſupernaturali, adhuc tamen ab omni amore ceſsauerunt, ergo &c.

Confirmatur Neceſſitas huius amoris non poteſt cauſari, niſi ex clara viſione Dei, ergo &c.

13 Dico ſecundo. *Voluntatem Angelicam eſse determinatam quoad ſpecificationem ad amandum Deum ſuper omnia propoſitum ſub ratione boni per eſſentiam.* Ita D. Thom. 1. *part. quæſt.* 60. *art.* 2. *ad* 4.

Probatur. Ille actus ex natura ſua eſt neceſsarius quoad ſpecificationem, qui attingit obiectum, quod non poteſt ſpecificare oppoſitum actum. Huiuſmodi autem eſt actus amoris tendentis in Deum vt bonum per eſsentiam, ergo &c. Min. probatur: Quia Deus ſub ratione boni per eſſentiam importat omnem rationem boni, nec in ipſo aliquid inuenitur, ratione cuius auertat voluntatem.

14 Dices. Angelum poſſe odio habere Deum, vt patet in Angelis malis.

Contra. Illud odium non per ſe primo terminatur ad Deum, ſed ad pęnam, quę infligitur à Deo, ergo Deus per ſe primo non poteſt ſpecificare oppoſitum actum; ſecundo vt actus non ſit neceſsarius quoad ſpecificationem, debet admittere oppoſitum actum circa idem obiectum inuariatum, quando verò Deus odio habebitur, variatur obiectum, quia proponitur vt connexus cum aliquo malo extrinſeco.

15 Dico tertiò. *Angelum amore concupiſcentiæ amare neceſſario Deum quoad ſpecificationem.*

Probatur: Angelus neceſsario amat ſe ipſum quoad ſpecificationem, ergo & Deum tamquam bonũ propriũ.

Confirmatur. Non poteſt Angelus ſubſiſtere in propria bonitate, niſi dependenter à Deo, ergo eo ipſo, quod amat propriam bonitatẽ, amat etiã Deũ, vt auctorẽ illius.

16 Dices. Poſse Deum concipi ab Angelo, vt malum ſibi eo, quod infligat pænam.

Contra. Quia adhuc concipit vt conſeruatorem proprij eſſe.

17 Dico quartò. *Angelum etiam quoad exercitium amare Deum neceſsario amore concupiſcentiæ.*

Probatur: Dum Angelus continuo cognoſcit ſe ipſum, cognoſcit etiam dependentiam, quam habet à Deo, atque adeo cognoſcit Deum vt auctorem illius boni, quod participat, ergo voluntas ipſius continua proportione obiecti allicitur, ergo exit continuò in actum, quia non habet, à quo retrahatur, cum non habeat aliquam cognitionem, quæ proponat Deum non eſse diligendum, ſtante quod ſit auctor talis boni.

18 Dices. Ex libertate ſua poſſe ceſſare ab hoc amore.

Contra. Libertas non exercetur niſi præuia cognitione, nulla autem adeſt præuia cognitio, quæ proponat, Deum non eſſe amandum.

19 Ob. Idem obiectum non poteſt amari vt bonum ſibi, & vt malum ſibi odio haberi, ergo &c.

Reſpondetur. Poſse amari, & odio haberi, ſi ſit tale, vt ex vno capite ſit bonum, & ex alio malum, & ſicut amor ad ſe ipſum poteſt ſtare cum odio Dei, ita etiam amor concupiſcentię ad Deum poteſt ſtare cum odio ipſius, quia ipſi ſubordinatur.

An Angelus inclinet ad magis amandum Deum, quam ſe ipſum.

SECTIO IV.

20 PRima ſententia aſſerit inclinationem naturalem intenſius ferri ad amandum ſe ipſum, quã Deũ. Ita D. Bonauent. *in* 3. *diſt.* 29. *q.* 2. Gabriel *q. vnica.* Scot. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *artic.* 3. qui loquuntur tam de Angelis, quam de homine.

Probatur Geneſ. 8. *Senſus hominis, & cogitatio humani cordis prona ſunt ad malum*, ergo &c.

Secundo Matth. 26. Chriſti naturalis inclinatio non obſtante pręcepto Dei erat ad propriam vitam tuendam: vnde dicit. *Pater ſi poſſibile eſt* &c. ergo &c.

Tertio: homo moriendo pro Deo experitur difficultatem magnam, ergo.

Confirmatur Ethic. 4. *Amicabilia ad alterum ex amicabilibus, quæ ſunt ad ſe proficiſcuntur*, ergo &c.

Quartò: pars non magis inclinat ad bonum commune, quàm ad proprium, vnde tenetur homo potius cauere propriam culpam, quam communem; Deus autem eſt bonum commune.

21 Secunda ſententia aſserit, Angelum plus inclinare ad diligendum Deum, quàm ſe ipſum. Ita D. Thom. 1. *p. q.* 60. *art.* 5. Capreol. *in* 2. *diſt.* 27. *artic.* 3. *circam tertiam concluſionem*. Durand. *d.* 29. *quæſt.* 2.

22 Dico primò. *In Angelo eſse vnam, & eamdem inclinationem ad amandum ſe ipſum, & Deum, atq; adeo ſecundum intenſionem non magis inclinari ad vnum, quàm ad aliud.*

Probatur. Non poteſt plurificari inclinatio, niſi plurificentur termini. Deus autem, & Angelus non ſunt diuerſi termini, quia ſubordinato modo ſe habent; nec Angelus eſt amabilis, niſi vt participans bonitatem ab bono per eſsentiam.

23 Dico ſecundò. *Inclinationem naturalem in Angelo eſse ad amandum Deum, ergo & per ſe, ſe ipſum autem in ordine ad Deum.*

Prob. Inclinatio ſpecificatur à termino, & ipſum reſpicit eodem ordine, quem habet in ſe. Angelus autem, cum habeat ſuam bonitatem in ordine ad Deum, exigit etiam amari in ordine ad ipſum. Secundò. Charitas ſupernaturalis perficit naturalem inclinationem, nec inuertit ordinem ipſius, ergo cum charitas per ſe primo reſpiciat Deum, reſpicit etiam naturalis inclinatio.

24 Ad primum. Hominem eſse inclinatum ad malum ratione fomitis, & appetitus ſenſitiui, ratione quorum traditur voluntas ex eo, quia natura humana fuit infecta peccato.

Ad ſecundum. Chriſtum deſiderare propriam vitam conſeruare amore ordinato, ratione cuius petijt conſeruationem; hic autem amor fuit ſubiectus voluntati exequẽdi Diuinum præceptum, vnde dixit *fiat voluntas tua.*

Ad tertium neg. conſeq. Nam quando homo moritur pro Deo, experitur difficultatem, quia mors eſt contra inclinationem naturalem ad amandum ſe ipſum, & ideò debet illi inferri violentia. Ex hoc autem non fit, vt incline t ad amandum per ſe primo ſe ipſum. Ad Confirmationem, Ariſtot. loqui de amicabilibus, quæ ſunt ad alteram

creaturam;

Digitized by Google

creaturam; non autem de ijs, quæ ſunt ad Deum.

Ad quartum. Partem magis inclinari ad amorem totius, quia eſt propter ipſum. Homo autem tenetur magis vitare propriam culpam, quam communem, quia per propriam amittit amicitiam Dei, non verò per communẽ; tenetur autem pręferre Deum cuicumq. Creaturæ.

DE LOCO ANGELORVM.

DISPVTATIO CXVIII.

An Angeli ſint in loco.

SECTIO I.

1 NOn loquimur de modo, quo Angeli ſint in loco ſed ſolum inquirimus, an ſint in loco, quocunq. modo ſint. Quiad, vt refert Durand. *in 1. diſt. 37. pa. 2. quæſt. 1.* docuerunt, Angelos eſſe tantum in loco abuſiuè, ita vt neq. per præſentiam, neque per operationem, neq. per quodcumque aliud ſint in loco. Vnde, vt Angelus moueat aliquod corpus, non requiritur aliqua pręſentia ad ipſum, ſed motum proportio mouentis ad mobile. Parum diſtant ab hac ſententia Herreus *tractat. de motu Angeli art. 1.* Hear. *quodlib. 4. art. 16.*

2 Communis tamen ſententia docet, Angelos eſſe aliquo modo in loco, ita vt ſaltem æquiuocè ſint in ipſo reſpectu corporum. Ita præſertim D. Thom. 1. *par. quæſt. 52. artic. 1.*

3 Notand. 1. Carnem eſſe, corpora eſſe in loco ſecundum omnem proprietatem. Corpus autem prout eſt in loco importat præſentiam ad ipſum; continentiam, per quam ab eodem continetur, atque determinationem, per quam determinatur, vt ſit potius in hoc loco, quam in illo. Angelus autem nullum ex his poteſt importare eo modo, quo importat corpus; non præſentiam, quia hæc eſt ſpecialis ratio præſentiæ, non tantum per contiguitatem vndè corpus ſit præſtans alteri. Similiter neque Angelus continetur in loco, quia locus continet tantum quantitatiuo modo. Neque etiam habet determinationem ab ipſe loco, quia locus determinat circumſcribendo. Quod autem non eſt quantum, non poteſt circumſcribi.

4 Notan. 2. Aliud eſſe, aliquid eſſe in loco; & aliud eſſe præſens loco. Eſſe in loco dicit continentiam, & præſentiam reſpectu loci formaliter ſumpti, ita vt exerceat rationem loci. Eſſe autem præſens loco dicit tantum indiſtantiam reſpectu loci materialiter ſumpti. Hæc autem præſentia non eſt ſufficiens, vt conſtituat in loco; tũ quia non ſe habet reſpectu loci formaliter ſumpti; tum quia conuenit etiam ijs, quæ non ſunt in loco: ſic accidentia ſunt intimè præſentia ſubiecto, nec tamen ſunt in ipſo tamquam in loco.

5 Dicendum eſt. *Angelum eſſe præſentem loco materialiter ſumpto per intimam præſentiam, qua determinatur, vt ſit potius præſens vni corpori, quam alteri.* Hæc intellecto habent fundamentum in Scriptura, quæ ita loquitur de Angelis, tamquam ſi ſint determinato loco pręſentes. Io. 5. *Angelus Domini deſcendebat de cælo.* Lucæ 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel.* Apoc. 22. *Nec locus eorum inuentus eſt amplius in cælo.* Actorum 12. *Miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me*; & alia huiuſmodi, & ita docent communiter PP. Lactantius *lib. 2. de orig. erroris cap. 15. & 17.* Tertullianus *in apolog. cap. 22.* Ambroſius *de Spiritu ſancto cap. 10.* Theodoretus *quæſt. 3. in Geneſ.* Damaſc. 2. *de fide cap. 3.* Chryſoſt. *Hom. 3. ad Heb.* Greg. Magn. *moral. cap. 2.* Athanaſius *epiſt. ad Serapionem.* Didimus *lib. 1. de Spiritu ſancto poſt initium.* Auguſt. *ſerm. 118. de temp.* Niſſenus *orat. de Aſcenſione.* Epiphan. *orat. item de Aſcenſ.*

6 Probatur: Præſentia ex ſua formali ratione non aliud dicit, quàm vnum eſſe, vbi eſt aliud; ideò. n. vnum corpus eſt pręſens alteri, quia eſt, vbi eſt aliud; ſic forma dicitur intime præſens ſubiecto, quia eſt ſimul cum ipſo in eodem ſpacio. Sed Angelus eſt ibi, vbi eſt aliud corpus, vt colligitur ex operatione ipſius circa tale corpus. Ergo, &c.

Confirmatur. Angeli ſunt intra hoc vniuerſum, & habent quamdam analogiam ad corpus locatum, quia ſicut corpus locatum continetur intra locum, ita etiam Angelus ſecundum ſuam ſubſtantiam continetur intra hoc vniuerſum, ſeu intra aliquod corpus ipſius.

Confirmatur ſecundo. Deus quoque eſt præſens loco non alia ratione, niſi quia ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt ibi, vbi ſunt corpora.

7 Ob. quod facit ſitus in corporalibus, facit ordo in ſpiritualibus. Ergo non requiritur præſentia, vt Angelus operetur in aliquo loco, ſed ſufficit ordo ad operationem.

Reſpondetur negat. conſeq. Nam hic ordo non poteſt ſaluari ſine præſentia ad corpus, quia dicit coniunctionem quamdam Angeli cum corpore in ratione actiui, & paſſiui.

8 Ob. ſecundo. Sublata operatione non poteſt aſſignari aliqua ratio, cur Angelus ſit potius præſens vni corpori, quam alteri. Ergo. &c. Reſpondetur negatur aſſumptum. Nam præſentia conſiſtit in quadam coniunctione; & prouenit ex eo, quod Angelus intra tale corpus ſecundum ſuam ſubſtantiam definitur: ſic etiam anima ratione informationis definitur, vt ſit tantum intra corpus, quod informat.

An Angelus ſit præſens loco per vbi intrinſecum.

SECTIO II.

9 NOmine vbi intrinſeci intelligitur forma aliqua inhærens Angelo, quæ ſit conſtitutiua ipſius in tali, & tali loco determinato, atque ab ipſo modaliter diſtinguatur.

Prima ſententia aſſerit, dari huiuſmodi vbi intriſecũ. Ita Molina 1. *par. quæſt. 52. art. 1. diſp. vnica. memb. 5.* Vaſquez *diſp. 188. cap. 7.* Suarez in Metaph. *diſput. 51. ſect. 3. & 4. de Angelis cap. 20.* Turrian. *opuſc. de loco Angelorum diſp. 1. dub. 1.* Bubalus *de Angelis. diſp. 52. quæſt. art. 1. punct. 2. difficult. 3. §. 1.* & ſequentibus, & ferè communiter recentiores, citant autem plures ex veteribus Scholaſticis, qui tamen nihil loquuntur de hoc vbi intrinſeco, ſed tantum de vbi extrinſeco. Prob. Angelus eſt indifferens, vt ſit potius in hoc, quàm in illo loco. Ergo debet per aliquam formam determinari, ſic vt corpus ſit album, debet per albedinem determinari.

2 Angelus verè mouetur, vt conſtat in modo loquendi Scripturę. De ratione autem mutationis eſt, quod dicat formam in eo, quod mouetur. Confirmatur: omnis motus debet habere ſuum terminum; terminus autem motus localis eſt vbi. Confirmatur 2. Angelus aliquando mouetur abſque eo, quod aliquod corpus mouetur; tunc autem non poteſt eſſe mutatio in Angelo per ſolam denominationem extrinſecam, ſed debet eſſe intrinſeca; quia tunc fit ſeparatio ab vno corpore, & coniunctio cum alio.

3 Præſentia Angeli ad locum eſt quid ſeparabile ab ipſo, quia poteſt non eſſe præſens corpori, cui eſt præſens, ergo eſt quid ſuperadditum.

10 Secunda Sententia negat dari hoc vbi intrinſecum, per quod Angelus ſit in loco. ita omnes Thomiſtæ cum D. Thoma dum aſſerit, Angelos eſſe in loco formaliter per operationem, ſeu applicationem virtutis, & illi etiam qui dicunt, Angelos eſſe in loco per propriam ſubſtantiam, ita Durandus *in 1. diſt. 37. part. 2. quæſt. 1. num. 26.*

Richar-

Richardus *art.2.quæſt.1.* D. Bonau. *in 2.diſt. 2. p. 2. ar. 2. q. 1.* Gabriel *q.2.art.2. concluſione 4.* Maior *quæſt.7.* Marſil. *quæſt.1. art.2. concluſione 4.* Gregorius *diſt.6.q. 3. art. 2.*

11 Notandum primò. Quaſdam res eſſe talis conditionis,vt veniant in mutuam complexionem ex natura ſua,ita vt ſicut aliqua veniunt in complexionem ex vi vnionis per ſe,quæ ita vniuntur,vt conſtituant vnum tertium, ita aliqua veniunt in complexionem abſque vnione ex vi tantum cuiuſdam habitudinis, qua ita inter ſe colligantur, vt nequeat vnum intelligi ſine alio, vt contingit inter ea, quorum vnum eſt præſens alteri, fit enim quędam complexio eorum inter ſe, tum in eſſe, tum in cognoſci, ita vt non poſſit vnum intelligi ſine alio.

12 Notandum ſecundò. Hanc complexionem fieri quotieſcunque ponuntur ſimul extrema, vt patet in loco, & locato, cum enim hæc extrema ex natura ſua ordinentur ad hanc complexionem, eo ipſo,quod ſimul exiſtunt, ſe inuicem complectuntur, quia cum ex natura ſua ad ipſam ordinentur, habent ex vi ſui eſſe, quidquid requiritur,vt ſe mutuò complectantur.

13 Notandum tertiò. Ex vi huius complexionis entia, quæ ſe ita complectuntur, intelligi ſecundum aliquam rationem entis, ſecundum quam antea non intelligebantur. Ratio eſt. Quia ex eo,quod ex natura ſua poſſunt ſe inuicem complecti, habent tale eſſe, quod ex intrinſeco ſuo aliquo ſpeciali modo eſt ordinabile cum alio mediante tali complexione, quia autem hęc ordinabilitas non eſt ad ſe, ſed ad aliud,non poteſt intelligi,niſi intelligatur ſimul cum extrinſeco termino,tunc autem percipitur noua ratio entis, non de nouo ſuperaddita, ſed quia extrema attinguntur ſecundum illam ſpecialem rationem, ſecundum quam inuicem ordinantur,ſicut enim non datur talis ſpecialis modus ordinationis,quamuis ex ſe extrema ſint ordinabilia, niſi inuicem veniant in complexionem, ita neq. poſſunt cognoſci ſecundum ſpecialem rationem, niſi poſita tali complexione.

14 Dicendum eſt. *Non dari vbi intrinſecum,per quod Angelus conſtituatur præſens loco, ſed conſtitui per proprium eſſe, quatenus eſt talis conditionis, vt veniat in complexionem cum loco.*

Probatur. Eſſe Angeli eſt talis conditionis, vt veniet in complexionem cum loco ſecundum intimam præſentiam, ergo non requiritur aliquod ſuperadditum, vt conſtituatur præſens loco. Antecedens Probatur: quia Angelus de facto eſt præſens loco, & ex natura ſua ordinatur, vt ſit illi præſens ex eo, quod ordinatur, vt præſideat corporeę creaturæ, quod ſine præſentia fieri non poteſt, ergo cum habeat præſentiam, quæ ſit ſecundum naturam Angeli, Angelus ex natura ſua ordinabitur ad talem præſentiam. Conſequentia Probatur: Quia præſentia conſurgit ex complexione rerum, quæ ſibi ſunt præſentes, cum nihil aliud dicat, niſi quod res exerceat illam rationem, ex vi cuius venit in complexionem cum alia ſecundum habitudinem præſentiæ.

15 Secundò probatur. Vel vbi intrinſecum conſtituit, *vt quo*, Angelum præſentem; vel non. Non primum,quia ſupponit Angelum intimè penetrantem corpus, ad quod ſit præſens, & ex vi huius penetrationis conſurgit; ergo ſupponitur præſentia, non autem illam importat, *vt quo*. Si ſecundum,ergo non eſt ponendum; in tantum enim ponitur in quantum, *vt quo*, conſtituit præſens loco.

Confirmatur,penetratio in ſuo conceptu importat pręſentiam, ergo ſe ſola ſufficit abſque vbi intrinſeco. Antecedens probatur: Tum quia applicat eſſe ad eſſe,& facit, vt ea, quæ ſe penetrant, ſint in ſe inuicem; tum quia facit, vt vbi eſt eſſe vnius, ſit etiam eſſe alterius.

16 Tertiò probatur. Præſentia ſaluatur abſque vbi intrinſeco, ergo non eſt ponendum ad ſaluandam præſentiam ad locum. Antecedens probatur: Anima eſt pręſens corpori abſque eo, quod habeat vbi intrinſecum reſpectu ipſius, ſed ſolum ratione intimę penetrationis; non enim habet anima vbi,per quod ſit præſens loco, & aliud, per quod ſit præſens corpori.

17 Dices. Id eſſe verum de præſentia informationis; non autem de præſentia ſecundum ordinem loci.

Contra. Præſentia ſecundum ordinem informationis ſaluatur ex eo præciſè, quod forma penetrat ſubiectum tamquam actus potentiam, ergo præſentia ſecundum ordinem loci ex eo præciſè ſaluabitur, quod Angelus penetret locum,cum habeat proportionatam locabilitatem ad ipſum.

18 Ad primum negatur conſequentiam. Nam determinatur, non per aliquam formam ſuperadditam,ſed ex eo, quod venit in complexionem cum hoc potius, quam illo corpore; in ijs enim, quæ conſurgunt ex complexione diuerſorum entium, fit determinatio formaliter per ipſam complexionem.

19 Inſtabis. Angelus eſt indifferens, vt veniat in complexionem cum hoc potius,quàm illo loco, ergo ante ipſam complexionem debet determinari.

Reſpond. neg. conſequentiam. Nam etiam eſt indifferens ad hoc potius vbi, quam ad illud vnde, ſicuti effectiuè determinatur ex ſua voluntate, ita etiam determinatur ad complexionem cum hoc,vel illo loco, formaliter autem determinatio habetur ab ipſa voluntate.

Inſtabis ſecundò. Eſſe potius in hoc, quàm in illo loco eſt quidam effectus formalis, ergo debet prouenire ab aliqua forma.

Reſpondetur. Eſſe effectum formalem non ſimplicem,ſed complexum, & ideo prouenire à forma complexa, ſeu à pluribus rebus in quibus fundatur complexio.

20 Ad ſecundum reſpondetur minorem eſſe veram de motu abſoluto à complexione extrinſeci, quando autem motus eſt ſolum ſecundum complexionem vnius cum alio tunc non importat formam intrinſecam, ſed tantum mutationem extremorum complexionis.

Ad primam confirmationem. Omnem motum habere terminum ſibi proportionatum;quãdo importat influxũ, habet pro termino aliquam formam, quæ de nouo ponitur; quando verò importat tantum applicationem vnius ad aliud, habet pro termino ipſam complexionem extremorum. Actus autem localis non importat influxum,ſed tantum applicationem moti ad locum.

Ad ſecundam. Confirmationem negatur minor. Nam in tali caſu non fit alia mutatio, niſi ſecundum complexionem, quæ eſt inter ſubſtantiam Angeli, & locum extrinſecum.

21 Ad tertium negatur conſequentia. Nam,vt præſentia Angeli ad locum ſit ab ipſo ſeparabilis,ſufficit, ſi Angelus, & locus ſeparabiliter ſe habeant, in ijs enim, quæ conſurgunt ex complexione plurium,ſeparabilitas eorum, quæ conuenit ratione complexionis non fundatur in ſeparatione alicuius formæ, ſed in ſeparabilitate eorumdem extremorum, quia ſicuti tunc tollitur ipſa complexio, ita etiam tollitur quidquid in ipſa fundatur.

22 Quæres. An poſſit Angelus abſolui ab omni loco.

Reſpondetur. De facto ſecundum legem ordinariam non poteſt,quia Deus decreuit, vt ſit in hoc vniuerſo tãquam pars ipſius,& ideò fieri non poteſt,vt non ſit præſens alicui corpori. Si autem Deus deſtrueret mundum, & conſeruaret Angelum; aut ſi illos ante mundum creaſſet, in tali caſu abſoluerentur ab omni vbi, quia non venirent in complexionem cum aliquo corpore; & in tali caſu actu non eſſent alicubi,vt volunt Scotiſtę, nam non eſſent præſentes alicui loco.

An Angelus ſit præſens loco per operationem tranſeuntem.

SECTIO III.

23 CVm Angelus ſit præſens loco ſecundum intimam præſentiam,difficultas eſt, per quid formaliter id habeat, ſubſtantia enim Angeli debet venire in com-

Digitized by Google

complexionem cum loco ex vi alicuius rationis formalis.

Prima ſententia aſſerit, Angelos eſſe in loco per operationem tranſeuntem, ita Aegidius *in* 1. *diſt*. 37. *part*. 2. *art*. 1. Ferrar. 4. *cont. Gentes cap*. 68. Cumel 1. *par. quæſt*. 52. *art*. 1. *quæſt*. 4. *concluſ*. 4. volunt autem, operationem tranſeuntem, ita conſtituere Angelum in loco, vt ea præciſa Angelus non ſit præſens loco.

Fundamentum eſt. Quia inter locum, & locatum debet eſſe aliquis contactus. Cum autem inter Angelum, & locum non poſſit eſſe contactus quantitatiuus, debet interuenire contactus virtutis, ſeu ſecundum operationem.

24 Oppoſita ſententia eſt Scoti *in* 2. *diſt*. 2. *quæſt*. 6. §. *Ad primam quæſtionem*. Maior *quæſt*. 5. Gabriel *qu*. 2. *artic*. 2. Richardi *in* 1. *diſt*. 87. *art*. 2. *quæſt*. 1. Molinæ 1. *part. quæſt*. 52. *art*. 1. *diſp. vnic. memb*. 4. Vaſquez *diſp*. 188. *cap*. 2. Suarez 4. *de Angelis*. *cap*. 4. & aliorum.

25 Dicendum eſt. *Angelum non eſſe præſentem loco per operationem tranſeuntem tamquam per rationem formalem eſsendi in loco.*

Probatur. Quod ex natura ſua ſupponit præſentiam, non poteſt eſſe ratio formalis præſentiæ. Operatio autē ſupponit præſentiam, quia ſupponit eſſe, à quo prouenit, & operatio in hoc loco, ſupponit virtutem operatiuam in hoc loco. Ergo &c.

Confirmatur. Si Angelus ſit præſens alicui corpori ex eo, quod in ipſo operetur, ſi deſinat operari, nec corpus, nec ipſe Angelus mouentur, quæro, an ſit illi præſens, an non. Si primum, ergo non per operationem tranſeuntem. Si ſecundum contra. Quia non eſt diſtans, ergo præſens; diſtans enim, & præſens negatiuè ſe habent, & vno ablato ponitur alterum.

Confirmatur 2. diſtantia dicit ſeparationem ab intima penetratione. Ergo intima penetratio dicit excluſionem diſtantiæ.

26 Secundo probatur. Angeli in cælo Empireo, & in inferno nullam poſſunt habere operationem, & tamen ibi ſunt præſentes, ergo &c.

27 Reſpondet Ferrarienſ. Poſſe ibi habere aliquam operationem, & inſtrumenta Dei.

Cont. Quia hæc actio non poteſt eſſe illis naturalis, ſed ſupernaturalis. Eſſe autem præſentes loco eſt illis naturale.

28 Reſpondet Aegidius. Eſſe in loco per applicationem virtutis.

Cōt. Vel hæc applicatio virtutis eſt aliqua operatio trāſiens, & tunc recurrit difficultas; vel operatio immanens, & tunc non importat contactum virtutis, vel aliquod pertinens ad actum primum, & tunc Angelus non erit in loco per operationem tranſeuntem.

29 Reſpondent alij. Eſſe in his locis per actionem occultam, vt in cælo Empireo per actionem, qua dirigunt virtutem, per quam influunt in hæc inferiora.

Cont. Quia non omnis Angelus poteſt dirigere talem virtutem, ſed illi tantum, qui præſident. Omnis autem Angelus poteſt eſſe in cælo Empireo. Secundo: Quia etiam anima ſeparata poteſt eſſe præſens cælo Empireo abſque eo, quod dirigat virtutem.

30 Reſpondent alij. Dæmones eſſe in inferno tamquam in loco per paſſionem.

Cont. Quia habent eamdem paſſionem, quando ſunt etiam extra Infernum. Secundo: Quia paſſio non habet locum in animabus, quæ ſunt in Limbo. Tertio: Quia oppoſito modo eſſent in loco Angeli boni, & mali. Quarto: Eſſe in loco eſt connaturale etiam Angelis malis, paſſio autem non eſt illis connaturalis.

31 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Contactum operationis non eſſe contactum virtutis, quia operatio nō eſt virtus operantis, ſed ab ipſa prouenit. Cum autem virtus conſtituat in eſſe operantis, contactus virtutis eſt contactus ſecundum eſſe, & in eo conſiſtit quod Angelus ſecundum proprium eſſe veniat in complexionem cum loco.

32 Colligitur ex dictis. Angelum non eſſe in loco per operationem tranſeuntem complectiuè, quaſi talis actio inferat contactum Angeli ad locum, & hic contactus ſit complementum loci, vt vult Amicus *diſp*. 5. *de Angelis ſect*. 2. *num*. 49. Nam talis actio non eſt propriè contactus, ſed abuſiuè; & ideò Deus non eſt præſens loco per contactum, licet vbique agat conſeruando. Nec contactus pertinet ad locum Angeli, quia Angelus eſt in loco tantum definitiuè quò ad præſentiam, contactus autem ſicut ſolum ſequitur ad quantitatem, ita conuenit ijs ſolum, quæ ſunt in loco quantitatiuè, neq; tamen in his pertinet ad rationem loci, ſed conſequitur ſolum ad continentiā, pro vt eſt quid commune omnibus quantitatiuis continentijs, vt patet in aqua reſpectu vaſis.

An Angelus ſit in loco per aliquid æquiualens actioni.

SECTIO IV.

33 PRima ſentētia eſt affirmatiua, vult autem, Angelum eſſe in loco per applicationem virtutis ad operandum; hanc autem applicationem diuerſimodè explicant, pro vt Angelus in diuerſis locis reperitur; volunt enim aliquando conſiſtere in eo, quod Angelus determinetur ad operari; aliquando in eo, quod exornent locum, in quo eſt; aliquando vero in eo, quod cuſtodiant; addit autem Caietanus hanc applicationem importare negationem actualis diſtantiæ; cognitionem practicam talis operationis exercendæ; potentiam expeditam ad operandum, & eleuationem talis operationis. Ita Capreolus *in* 2. *diſt*. 2. *quæſt*. 1. *art*. 1. Caiet. 1. *part. quæſt*. 12. *artic*. 1. Bannes *dub*. 2. Gofred. *quodlibet* 8. *quæſt*. 13. Argent. *in* 1. *diſt*. 37. *quæſt*. 1. *art*. 2. & communiter Thomiſtæ; & volunt, hanc eſſe ſententiam D. Thom. quia citato *loco* 1. *partis*, docet, Angelos eſſe in loco per applicationem virtutis, & id habet alibi frequenter.

34 Oppoſita ſententia traditur communiter ab alijs præſertim Scoto *in* 2. *diſt*. 2. *quæ*. 6. Mayronio *q*. 5. Gabr. *q*. 2. *artic*. 2. Molina 1. *par. quæſt*. 52. *artic*. 1. *diſp. vnica membr*. 4. Vaſquez *diſp*. 188. *capit*. 3. & 4. Suarez 4. *de Angelis cap*. 5. Bubalo *de Angelis diſp*. 52. *art*. 1. *quæſt*. 2. *difficult*. 2. §. 3. & aliis.

35 Dicendum eſt. *Angelos non eſſe in loco per aliquid æquiualens operationi, ſiuè per applicationem virtutis*. Probatur: Angelus poteſt eſſe præſens alicui loco, reſpectu cuius non poteſt habere talem applicationem. Ergo nō eſt per ipſā præſens loco. Antecedens probatur: Quia applicatio poteſt tantum eſſe reſpectu illius, loci in quibus poteſt operari; non poteſt autem operari in omnibus, quibus poteſt eſſe præſens vt in cælo Empireo, & in inferno.

Confirmatur, quia Dæmones, neque exornant Infernū, neque exornant cælum Empireum, & tamen poſſunt eſſe ibi.

Confirmatur ſecundo. Corpora ſunt in loco ſemper eodem modo. Ergo etiam Angeli.

Confirmatur tertio. Quando Dæmones alligantur, ſūt in loco alligationis, & cū alligatio ſit contra voluntatem eorum, non habent voluntatem eſsendi in tali loco, & conſequenter neq. electio operandi.

Confirmatur quarto. In hac applicatione requiritur negatio indiſtantiæ. Ergo ex vi illius præciſè habetur præſentia ad locum, & non eſt opus alia applicatione. Conſ. probatur: Quia negatio diſtantiæ debet habere ſuum fundamentum poſitiuum; hoc autem non poteſt eſſe aliud, quam præſentia, quia ſicut diſtātia excludit formaliter præſentiam, ita ſola præſentia, vt oppoſita, poteſt excludere diſtantiam.

36 Ob. Per talem applicationem fit quædam vnio Angeli ad locum, ergo &c.

Reſpondetur. Non fieri aliquam vnionem localem, quia

quia plura ex iis, quæ talem applicationem ingrediuntur poſſunt haberi ſine vnione locali, vt iudicium practicum de operatione & electio illius.

An Angeli ſint in loco per potentiam operatiuam.

SECTIO V.

37 A Albertinus *tom. 2. corol. 5. ex prædicamento quantitatis dub. 3. concluſ. 3.* aſſerit, Angelũ eſſe in loco per potentiam operatiuam, ita vt ipſa ſit ratio formalis fundans præſentiam ad locũ, & ſequuntur aliqui Recentiores, qui addunt, hanc potentiam debere ſumi, pro vt per ipſam agere poteſt hic, & non alibi: vnde vocant ipſam præſentiam ordinis.

38 Dicendum eſt. *Angelum non eſſe in loco per præſentiam ordinis, pro vt dicit potentiam agendi ordinatã ad operandum in tali loco.* Probatur ideò eſſet in loco per potentiam agendi, quia poteſt ad illum extendere operationem. Ex hoc autem ſequeretur, eſſe in maiori loco ſuo adequato, quod implicat. Sequela probatur; quia locus adæquatus Angeli definitur illis terminis, quibus clauditur ſubſtantia Angeli, itaut nulla pars ſpacij pertineat ad locum adæquatum, niſi poſſit Angelus eſſe illi intimè præſens; & operatio conſequens potentiam ordinis poteſt extendi, vbi non poteſt extendi ipſa ſubſtantia; poteſt enim mouere corpus cauſando motum, vbi ipſe nõ eſt; tunc autem eſſet præſens omnibus partibus in quibus eſt operatio, atque adeò eſſet in loco maiori ſuo adæquato.

Quanam ſit formalis ratio, per quam Angelus eſt præſens loco.

SECTIO VI.

39 SVpponendum eſt. Cauſam effectiuam, per quã Angelus eſt potius in hoc, quàm in illo loco eſſe liberam voluntatem ipſius, ex qua prouenit prima determinatio; vndè ſolum inquirimus formalem rationem, per quam Angelus formaliter determinatur, vt veniat in complexionem cum loco.

40 Notandum primò. Eſſe in loco importare quamdam connexionem ordinis inter locum, & locatum: non enim dicit ſolam coexiſtentiam, ſed præſentiam proportionatam naturæ illius, quod eſt in loco. Hinc corpus dicit connexionem pręſentię ſecundum rationem continentiæ commenſuratiuæ, quia corpus, & locus ſunt eiuſdem ordinis, & vtrumque eſt quantum; vndè quando, quod eſt in loco, non eſt: eiuſdem ordinis, debet ſecundum aliam rationem abea, qua concurrit locus fundare præſentiam, vt patet in Deo, qui eſt præſens cuilibet creaturæ, quatenus in ipſa operatur, conſeruando illam in eſſe.

41 Notandum ſecundò. Cum Angelus ſit alterius ordinis, ac ſint corpora opportet, vt habeat præſentiam ad ipſa ſibi peculiarem, ex aliqua peculiari ratione ſibi conuenienti, quatenus eſt eleuatus ſupra naturam corporeã; & quia præſentia importat connexionem ordinis inter extrema, debet inter Angelum, & locum reperiri ſecundum ſpetialem rationem, ſecundum quam connectatur cum loco.

42 Notandum tertiò. Cum Angelus ſit in gradu ſuperiori ad naturam corporeã, & ſit natura intellectualis, cõuenit illi ex natura ſua præſidentia ſupra corpoream creaturam; ita vt corporea creatura ipſi ſubſit; vnde conſurgit quædam ſpecialis connexio præſidentię, & ſubiectionis inter Angelum, & naturam corpoream, quæ fundatur in natura vtriuſque, & importat ſpecialem ordinem, & habitudinem, quæ conuenit Angelo, prout eſt in tali gradu conſtitutus.

43 Dicendum eſt. *Angelum venire in complexionem cum loco ſecundum ſuam ſubſtantiam formaliter ratione præſidentiæ ad corpoream creaturam ita vt præſidentia formaliter fundet ordinem præſentiæ Angelicæ.* Probatur: præſentia ad locum debet fundari in illa ratione, ſecundum quam res præſens ex natura ſua ordinatur ad locum: ſic in corporibus fundatur in mole, quia ſecundum ipſam corpus ordinatur ad commenſuratiuam continentiam loci; & in Deo fundatur in potentia, quia in eo fundatur ordo inter Deum, & creaturas, ergo etiam in Angelo debet fundari in illa ratione, ſecundum quam ex natura ſua ordinatur ad locum: ſed ratione præſidentiæ ordinatur, ergo &c.

Confirmatur præſentia debet conſtituere præſens ſecundum exigentiam rei, quæ ſit præſens, ergo cum Angelus ſit ſuperioris ordinis, debet conſtitui præſens vt exiſtens ſuperioris ordinis, atque adeò ſecundum ſuam ſuperioritatem, Hoc autem fieri non poteſt, niſi præſentia fundetur in præſidentia.

44 Ob. Angeli mali alligantur corporeæ creaturæ, ergo non illi præſident, ſed potius illa præſidet ipſis, ergo non ſunt in loco ratione præſidentiæ, ergo nullus Angelus, quia debent Angeli eodem modo eſſe præſentes loco.

Reſpondetur diſt. conſequens. Non illi præſident ratione ordinis, qui illis connaturaliter conuenit, nego, Non præſident exercendo Dominium concedo, quia ex diſpoſitione Dei creatura corporea acquirit alium ordinem ſibi accidentalem, quo in pœnam peccati alligat Angelum.

Quomodo ſe habeat extenſio virtualis Angeli ad locum.

SECTIO VII.

45 SVpponendum eſt. Quod ſicuti anima rationalis indiuiſibiliter informat corpus, itaut ſit tota in toto, & tota in qualibet parte; ita etiam Angelus indiuiſibiliter coextenditur loco, itaut ſit totus in toto, & totus in qualibet parte; vndè proportionaliter ſe habet extenſio virtualis in Angelo ad extenſionem formalem in corporibus. Et ſicuti eadem quantitas poteſt habere maiorem, & minorem extenſionem formalem; ita etiam Angelus poteſt habere maiorem, & minorem extenſionem virtualem, vt patet in anima, quæ poteſt coextendi maiori, & minori corpori.

46 Supponendum ſecundo. Extenſionem virtualem cõſequi ſubſtantiam Angeli, & proportionari perfectioni ipſius; habet enim ſubſtantia ſpiritualis rationem ſuę perfectionis, quæ veluti cum quadam repplicatione virtuali ſe extendat ad plures partes; vnde quo maior eſt perfectio, eo etiam maior eſt extenſio virtualis. Poteſt autem hæc extenſio conſiderari in actu primo, & in actu ſecundo primo modo naturaliter ſe habet ad ſubſtantiã Angeli, & illi neceſſario conuenit. Secundo autem modo importat exercitium talis virtualis extenſionis, & eſt in poteſtate Angeli, quia habet Dominium ſui ipſius, atque adeò etiam præſentiæ ad locum.

47 Supponendum tertiò. Hanc virtualem extenſionem limitare locum Angeli adęquatum, quanta enim poteſt eſſe, tantus etiam poteſt eſſe locus adęquatus, Angelus enim dicit ordinem ad plures partes ſpacij tamquam ad locum adæquatum, quatenus poteſt eſſe ſimul in ipſis, non poteſt autem eſſe ſimul in ipſis, niſi ratione virtualis extenſionis. Difficultas autem eſt, quomodo hæc virtualis extenſio diſtinguatur ab Angelo, & an ſit diuiſibilis, an verò indiuiſibilis. Certum eſt autem diſtingui ab Angelo ſeparabiliter, quia poteſt eſſe cum maiori, & minori, vt patet etiam in anima rationali, quæ poteſt extendi ad informandum maius, & minus corpus.

48 Dico

Digitized by Google

48 Dico primo. *Diſtinguitur à ſubſtantia Angeli ex natura rei tamquam modus quidam.* Quod non diſtinguatur tamquam res, patet, quia in ſe non eſt entitas aliqua. Probatur: Quia non eſt aliquid conſurgens ex complexione aliqua plurium, nam Angelus etiam ſi non eſſet aliud ens, cum quo veniret in complexionem, poſſet habere hanc virtualem extenſionem, quia illam habet, vt conſequentem propriam ſubſtantiam, ergo cum diſtinguatur, nec diſtinguatur ratione alterius extremi, debet diſtingui tamquam modus à re.

49 Dico ſecundò. *Hanc virtualem extenſionem non eſſe diuiſibilem, ita vt habeat partes,* eſt contra Molinam 1. *part. quæſt.* 52. *art.* 1. *diſp. vnica memb.* 5. Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 5. *in Metaph.* Bubalum *de Angelis quæſt.* 72. *ar.* 1. *quæſito* 2. *diff. vnica.* Probatur. Non poteſt habere partes ratione ſubiecti, quia eſt omnino indiuiſibile; nec ratione ſui, quia non habet propriam entitatem, in quam fundentur partes, ergo nullo pacto conſequentia probatur Extenſio quantitatis formalis non habet alias partes, niſi quas habet quantitas, ergo cum ſubſtantia Angeli nullas habeat partes, nec etiam habebit extenſio ipſius.

Confirmatur, quod eſt diuiſibile, non poteſt eſſe ratio indiuiſibilis effectus formali modo, ergo iſta virtualis extenſio non poteſt eſſe diuiſibilis. Conſequentia probatur. Quia virtualis extenſio determinat, *vt quo,* formali modo modum eſſendi in loco ipſius Angeli, ergo cum ſit in loco indiuiſibili modo, videlicet totus in toto, & totus in qualibet parte, non poteſt extenſio virtualis determinans talem modum, *vt quo,* eſſe diuiſibilis, nam ſi haberet partes, cum formaliter determinet modum coexiſtendi ad ſpatium, faceret diuiſibili modo coexiſtere.

50 Dices. Hæc virtualis extenſio poteſt eſſe maior, & minor in eodem Angelo, ergo habet partes.

Reſpondetur diſt. antecedens. Poſſe eſſe maiorem, & minorem, non quantitatiuo modo; ſed tantum per applicationem eiuſdem ſubſtantiæ Angeli ad plures, vel pauciores partes ſpacij: Vndè non eſt maior, vel minor formaliter, ſed tantum terminatiuè.

51 Dices ſecundo. Extenſio virtualis ita applicat Angelum in loco, vt ſecundum ſe totam applicet toti loco, & ſecundum partem parti, ergo &c. Antecedens probatur. Quia niſi ſecundum partem applicaret parti, quæ applicaret vni parti loci, applicaret etiam alteri; Vndè Angelus non poſſet eſſe in vna parte, niſi etiam eſſet in alia.

Reſpondetur negat. antecedens. Nam virtualis extenſio ſecundum ſe totam applicatur toti loco, & etiam parti, quia non eſt aliud, quàm ipſa ſubſtantia Angeli, vt ſe communicans ſpatio. Ad prob. negatur ſequela. Quia ſicuti ex libertate Angeli poteſt ipſius ſubſtantia eſſe applicata vni parti loci, & non alteri, licet, ſi alteri applicetur, eadem omninò ſit, ita ex libertate ipſius poteſt per eamdem indiuiſibilem extenſionem applicari, modo pluribus, modo paucioribus partibus ſpatij.

52 Dices tertio. Iſta virtualis extenſio poteſt acquiri ſucceſſiuè, vt ſi Angelus ab inadæquata tranſeat ad adæquatam, ergo habebit partes.

Reſpondetur. Poſſe acquiri ſucceſſiuè ſucceſſione extrinſeca, quæ ſe teneat ex parte ſpatij; Non autem ſucceſſione intrinſeca; poteſt autem acquiri ſucceſſiuè ſucceſſione extrinſeca, quia ſubſtantia Angeli poteſt indiuiſibili modo applicari modò vni, modò alteri parti ſpatij.

DE COMPARATIONE Angelorum ad loca.

DISPVTATIO CXIX.

An poſſit Angelus eſſe in minori, & minori loco.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt. Angelum poſſe eſſe in minori loco ſuo adæquato, vt docent communiter contra Ibernicum apud Ariminenſem *in* 2. *diſtinct. ſecunda quæſt. ſecunda, artic. ſecundo.* Non enim apparet aliqua radix huius neceſſitatis, per quam debeat Angelus eſſe in loco ſibi adæquato; virtualis enim extenſio quò ad actum ſecundum eſt in ipſius poteſtate; vndè etiam anima rationalis poteſt informare ſubiectum minus ſuo adæquato, vt patet in pueris. Difficultas eſt, an poſſit eſſe ſemper in minori, & minori, an vero habeat aliquem terminum paruitatis.

2 Prima ſententia negat, poſſe eſſe ſemper in minori, & minori, ſed habere terminum paruitatis. Ita Scotus *in ſecundo, diſtinct. ſecunda, quæſt. ſexta.* §. *Ad propoſitum.* Baſolis *quæſt. quarta, articul. primo ad ſecundum.* Lichetus *quæſt. quinta.* §. *Tertio non videtur, &c.*

Probant. Si locus Angeli poſſet eſſe minor, & minor, poſſet eſſe talis ſecundum vnam tantum dimenſionem, ita vt quantum ſecundum ipſam ſit minor, fiat maior ſecundum aliam, & ſemper erit æqualis, quia quod tollitur, verbi gratia, de latitudine, additur longitudini, ergo ſi poteſt minui ſemper in infinitum ſecundum vnam dimenſionem poterit creſcere ſemper in infinitum ſecundum aliam dimenſionem, & idem Angelus poſſet habere longitudinem infinitam, & eſſe in cælo, & terra ſimul.

3 Secunda ſententia dicit, Angelum poſſe eſſe ſemper in minori, & minori loco. Ita D. Bonauentura *in ſecundo, diſtinct. ſecunda, parte ſecunda, articulo ſecundo, quæſt. tertia,* Gabriel. *quæſt. ſecunda, artic. ſecundo, dub.* 2. Maior *quæ.* 2. Marſil. *quæſt.* 2. *artic. ſecundo,* Ocam *quodlibet* 1. *quæſt. quarta.* Ferrarienſis 3. *contra Gentes capitul.* 68. Caietanus *prima parte, quæſt.* 52. *artic. ſecundo.* Molina *conc. tertia.* Cumel *quæſtio ſecunda, dub.* 2. Suarez *quarto de Angelis cap.* 11. & alij.

4 Notandum primo. Partes loci poſſe conſiderari ſecundum diuiſibilitatem phyſicam, quæ poteſt exequutioni mandari; & ſecundum diuiſibilitatem obiectiuam, quæ in eo conſiſtit, quod poſita quacumque diuiſione, adhuc extrema concipiantur cum partibus. Primo modo deuenitur ad aliquod minimum, quo minus dari non poteſt, quia licet habeat partes intrinſecas, non eſt tamen vlterius phyſica diuiſione diuiſibile; Et ideo eſt aliquod indiuiſibile phyſicum, non autem mathematicè. Secundo modo numquam deuenitur ad aliquod minimum, quo non poſſit aſſignari aliquid minus, quia quocumque minimo aſſignato, adhuc eſt diuiſibile, & ideo aliquid minus aſſignari poteſt.

5 Notandum ſecundo. Præſentiam Angeli non eſſe conſiderandam tamquam aliquid quantum, quia indiuiſibili modo ſe habet, cum dicat Angelum eſſentiale in toto totum, & totum in qualibet parte; vndè nec poteſt habere conditiones rei quantæ, vt ſunt dimenſiones & quæ fundantur in dimenſionibus, quia dimenſiones fundantur in partibus.

6 No-

Digitized by Google

6 Notandum tertiò. Ex eo, quod præſentia Angeli ſecundum vnam dimenſionem, quando eſt ex parte ſpatij minuatur, non poſſe creſcere ſecundum aliam ſupra id, quod haberet, ſi ſecundum omnem dimenſionem eſſet adæquata. Ratio eſt, quia extenſio illa præſentiæ eſt tãtum virtualis, & non habetur ex partibus, ita vt partes, quæ vni dimenſioni detrahuntur, poſſint alteri addi; ſed habetur ex perfectione ſubſtantiæ, quę radicaliter limitat ipſam ſecundum omnem rationem; & ideò non poteſt ſupra terminum ſibi connaturalem creſcere, quia non poteſt creſcere ſupra exigentiam perfectionis ſubſtantiæ.

7 Notandum quarto. Licet Angelus poſſit ſe applicare prę ſentialiter ſpatio ſecundum omnem dimenſionem, non tamen ſequitur, præſentiam Angeli ex parte ſui ipſius eſſe menſurabilem, ſed tantum ex parte ſpatij. Ratio eſt, quia menſurabilitas fundatur in quantitate, & extenſione formali, vndè præſentia Angeli ex ſe pręciſè nullam habet figuram, ſed tantum ratione ſpatij, cui coexiſtit.

8 Notandum quinto. Cum poſſit Angelus ſe coextendere loco virtuali modo ſecundum omnem dimenſionem, hinc fit, quod poſita ſphera adęquata ex parte ſpatij ſpherico modo ſe habeat. Ratio autem eſt: Quia Angelus poteſt æqualiter in ordine ad omnem partem ſpatij, & ideò poteſt in ordine ad omnes virtuali modo ſuã præſentiam æqualiter extendere.

9 Dicendum eſt. *Angelum non poſſe eſſe in loco minori, & minori in infinitum, ſed habere determinatum locum, quo ad paruitatem, in quo minori eſſe non poſſit, videlicet indiuiſibile phyſicum.* Probatur, præſentia Angeli ad locum exercetur phyſico modo, & locus ſecundũ eſſe phyſicum terminat præſentiam Angeli, ergo habet pro termino indiuiſibile phyſicum. Conſ. probatur. Quia præſentia phyſica debet eſſe inter extrema ſecundum eſſe phyſicum conſiderata: Vnde locus debet venire in complexionem cum Angelo ſecundum illud eſſe phyſicum, quod eſt aptũ eſſe à parte rei; non eſt autem aptum eſſe à parte rei ſecundum aliquid minus, quam ſit indiuiſibile phyſicum.

Confirmatur: Si poſſet terminare ſecundum aliquod minus, quam ſecundum indiuiſibile phyſicum, ſequeretur quod indiuiſibile phyſicum eſſet phyſicè diuiſibile, quod implicat. Sequela probatur: Tum quia phyſico modo pars terminaret, & pars non terminaret; Vndè ab extrinſeco fiet phyſica deſignatio diuiſionis; tum quia poterit Angelus operari in illa tantum parte, cui eſt præſens: vnde ſubiectum illius operationis erit quid minus indiuiſibili phyſico.

10 Ad fundamentum 1. ſent. neg. ſequela. Nam vt patet ex dictis, extenſio virtualis præſentiæ Angelicæ non poteſt creſcere ſecundum vnam dimenſionem, quantum decreſcit ſecundum aliam. Deinde etiam ſi creſceret, neque protenderetur in infinitum, quia ſicuti in ſphera adæquata præſentia eſt determinata ſecũdum omnem dimenſionem, ita etiam poteſt ſecundum aliquam dimenſionem, tantum determinato modo decreſcere.

11 Ob. Poſito Angelo in quocumque minori loco diuiſibili, eſt ſecundum ſe totum in qualibet parte ipſius, ergo poteſt eſſe in aliqua tantum parte, atque adeò in minori; cum enim ſit totus in qualibet parte, non requirit pro loco totam illam quantitatem.

Reſpondetur negatur conſequentia. Quia, licet ſit Angelus totus in qualibet parte illius indiuiſibilis phyſici, non tamen poteſt eſſe in minori, quia de ratione ipſius, eſt habere virtualem extenſionem, & conſequenter quamdam virtualem replicationem; Vndè requirit plures partes loci. Hæ autem partes debent eſſe ſaltem indiuiſibile phyſicum, vt poſſint phyſico modo terminare præſentiam.

12 Ob. ſecundo: Præſentia Angeli eſt ſpiritualis, ergo non requirit certam quantitatem in loco.

Reſpondetur negatur: conſequentia. Quia licet ſit ſpiritualis, ſuppoſito tamen, quod ſit in loco diuiſibili, requirit ex parte loci aliquod diuiſibile, tamquam terminum phyſicum. Hinc autem fit, vt locus debeat eſſe ſaltem indiuiſibile phyſicum.

An Angelus poſſit eſſe in loco indiuiſibili.

SECTIO II.

13 QVæſtio procedit de loco omninò indiuiſibili, qui nullas habeat partes: vnde ſolum locum habet, ſuppoſito, quod dentur indiuiſibilia mathematica.

Prima ſententia aſſerit, Angelum poſſe ſe conſtituere in aliquo tantum ex his indiuiſibilibus. Ita Capreolus, *in ſecundo, diſt. ſecunda, quæſt. ſexta, artic. primo.* Riccardus *artic. ſecundo, quæſt. ſecunda, ad tertium.* Carthuſianus *quæſt. terza.* Baſſolis *quæſt. quarta, artic. ſecundo.* Maior *quæſt. ſexta.* Ferrarienſis *tertio contra gentes, cap.* 68. Caietanus *prima parte, quæſt.* 52. *artic. ſecundo.* Bannes *dub. ſecundo.* Cumel *quæſt. ſecunda, dub. tertio.* Molina *concluſ. tertia.* Suarez *quarto de Angelis, capit.* 11. Bubalus *de Angelis, quæſt.* 52. *artic. ſecundo, quæſito* 2. *diffic.* 3. §. 1. & alij.

Probant. Angelus eſt indiuiſibilis, ergo non requirit locum extenſum.

Secundo. Angelus in tantum ſe collocat in loco, in quantum poteſt habere, quod diſtet, vel non diſtet ab alijs corporibus. Hoc autem poteſt habere, etiam ſi ſit in puncto, ergo &c.

Tertio. Quando Angelus eſt in loco extenſo, eſt totus in toto, & totus in qualibet parte; ita vt ſit etiam totus in ſingulis punctis, ergo poterit coarctare ſuam præſentiam & remanere tantum in puncto.

14 Secunda ſent. negat, poſſe eſſe in ſolo puncto omninò indiuiſibile ita Alenſis 2. *parte, quæſt.* 37. *memb.* 3. D. Bonauentura *in* 2. *diſt.* 2. *part. ſecunda, art.* 2. *quæſt.* 3. Ariminenſis *quæſt.* 2. *artic.* 2. Gabriel *dub.* 2. Marſil. *q.* 1. Ochamus *quodlib.* 1. *q.* 4.

15 Dicendum eſt. *Angelum non poſſe eſſe in loco omnino indiuiſibili mathematicè.* Probatur Angelus eſt indiuiſibili ſpirituale, ergo diuiſibile virtualiter, ergo non poteſt eſſe in loco omnino indiuiſibili. Conſ. hæc patet, quia eſſe diuiſibile virtualiter dicit coexiſtendi virtuali modo rei diuiſibili. Conſ. prima probatur. Quia de ratione indiuiſibilis ſpiritualis eſt virtualis diuiſibilitas; per hanc enim contradiſtinguitur ab indiuiſibili mathematico.

Dices: eſſe diuiſibile virtualiter, non actu, ſed potentia.

Cont. Angelus ſaltem potentia eſt diuiſibilis virtualiter, ergo non poteſt habere modum eſſendi oppoſitum diuiſibilitati virtuali; haberet autem, ſi eſſet in loco omninò indiuiſibili, quia illic eſſet abſque vlla virtuali extenſione. Secundo. Angelus habet actu neceſſariò ſuam indiuiſibilitatem, ergo debet actu eſſe talis indiuiſibilitas, quæ ſit propria ipſius; propria autem indiuiſibilitas ipſius importat virtualem extenſionem.

16 Conſ. Modus eſſendi in loco ſequitur ſubſtantiam rei, ergo non poſſunt oppoſiti modi ſequi eamdem ſubſtantiam tamquam connaturales. Ergo cum eſſe in loco cum virtuali extenſione conueniat Angelo ratione talis eſſentiæ. Secundum naturalem exigentiam ipſius, cum maneat ſemper eadem eſſentia, & eadem exigentia, debet etiam conuenire ſemper idem modus eſſendi. Sic non poteſt quantitas naturali modo non eſſe in loco cõmenſuratiuè, quia talis modus eſſendi in loco ſequitur eſſentiam ipſius.

Confirmatur ſecundo. Implicat, eſſe totum in toto, & totum in qualibet parte, & eſſe in puncto omninò indiuiſibili. Sed Angelo conuenit hic modus eſſendi,

Digitized by Google

ergo &c. Maior probatur: Quia talis modus eſſendi dicit coexiſtentiam pluribus partibus loci.

17 Dices: Conuenire Angelo actu, vel potentia tantum.

Contra. Subſtantia Angeli ſe ipſa fundamentaliter eſt tota in toto, & tota in qualibet parte, ergo per ſe exigit formalem modum exiſtendi totam in toto, & totum in qualibet parte. Conſ. probatur: Quia non poteſt habere alium modum exiſtendi, niſi illum, quem exigit ex intrinſecis ſuis principijs; & quia non poteſt Angelus eſſe in loco, niſi reducatur ad actum potentiæ eſſendi in loco, ergo non poteſt eſſe in loco, niſi totus in toto, &c. Conſeq. prob. Quia non poteſt habere alium actum, niſi illum, qui eſt ſecundum intrinſecam exigentiam ſubſtantiæ ipſius, & qui commenſuretur potentiæ.

18 Ad primum reſpondetur. Angelum eſſe indiuiſibilẽ ſpirituali modo; non mathematicè, & ideò ſecundum ſuã ſubſtantiam, habet virtualem extenſionem: vndè non poteſt eſſe in loco omninò indiuiſibili; ſic etiam anima licet ſit indiuiſibilis, non poteſt informare, niſi corpus diuiſibilè.

Ad ſecundum neg. aſſumptum. Quia licet diſtantia ſequitur ad locum, non ponitur in loco, vt diſtet; ſed vt ſit præſens. Debet autem eſſe præſens modo ſibi proportionato.

Ad tertium negatur conſeq. Quia tunc tantum haberet locum, ſi Angelus poſſet eſſe in loco ſine extenſione, & replicatione virtuali; cum autem non poſſit eſſe, neque etiam poteſt contrahere ſuam præſentiam ad ſolum indiuiſibile. Licet enim præſentia ſit in poteſtate Angeli, ſit ad maius, vel minus ſpatium, non tamen in poteſtate ipſius eſt modus præſentiæ, ſed neceſſariò habet illum, qui conſequitur ex natura ipſius; ſic etiam quantitas poteſt eſſe ſine hac, vel illa figura, non tamen abſque omni figura.

An poſſit Angelus eſſe ſimul in pluribus locis.

SECTIO III.

19 Locus Angeli alius adæquatus, alius inadæquatus. Adæquatus ille eſt, qui adæquat totã præſentiam Angeli; inadæquatus, qui eſt minor illo, quem poteſt habere ex vi ſuæ præſentiæ naturalis.

20 Supponendum eſt tanquam certum. Angelum non poſſe eſſe naturali virtute in pluribus locis adæquatis, immò neque in vno adæquato, & alio inadæquato, ſiue contiguus ſit, ſiue non. Sequeretur enim, quod locus adæquatus non eſſet adæquatus, quia non adæquaret præſentiam, quam poteſt Angelus naturaliter habere; per Dei tamen potentiam poſita replicatione poteſt eſſe in pluribus locis adæquatis. Solum eſt difficultas de locis inadæquatis.

21 Supponendum ſecundo. Loca inadæquata importare locum partialem. Conſiderari autem poſſunt, vel vt cõtigua, vel vt diſcreta, ſeù localiter ſeparata. Primo modo non poſſunt propriè dici plura loca, quia integrant vnum locum adæquatum, nec quæſtio procedit in hoc ſenſu. Certum eſt enim, poſſe Angelum eſſe in illis, cum poſſit eſſe in loco adæquato. Solum ergo difficultas eſt de locis inadæquatis, quæ inter ſe diſtant, ita vt Angelus ſit in illis abſque eo, quod ſit in ſpatio intermedio.

22 Supponendum tertio. Quod, dum Angelus eſt in loco adæquato, poteſt intra ipſum operari in diſtinctis locis inadæquatis, & integrantibus locum adæquatum, ſic quando aſſumit corpus poteſt mouere caput, & brachiũ illius non mouendo alias partes, vt contingit etiam in anima informante corpus. Vndè, ſi Angelus eſſet in loco per operationem, poſſet eſſe etiã in locis diſtinctis, quia poſſet in ſeparatis locis operari. Difficultas tamen in hoc non conſiſtit, ſed an poſſit eſſe præſens ſecundum propriam ſubſtantiam locis diſcretis.

23 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Caietanus 1. p. *quæſt.* 52. *artic. ſecundo*, Bannes *dub. primo, concluſ. ſecunda*. Cumel *quæſt. prima, concluſ. terza*. Ferrarienſis 3. *cont. Gent. cap.* 68.

Probant. Angelus non eſt in loco cum dependentia à ſpatio, ergo dummodo non ſit extra locum adæquatum, poteſt eſſe in illo, ſiuè partes ſint contiguæ, ſiuè non.

Secundo. Cum ſit in ſingulis partibus ſuæ ſpheræ, poteſt manere in extremis non manendo in medijs, quia præſentia in partibus extremis non dependet à præſentia in partibus medijs.

Tertio. Quia plures loci inadæquati diſtantes comparantur ad virtutem Angelicam, per quam poteſt Angelus eſſe in loco, per modum vnius loci, nec excedunt naturalem præſentiam, quam poteſt habere.

24 Secunda ſententia eſt negatiua: ita Albertus *prima parte quæſt.* 13. *artic. ſecundo*. Alenſis *ſecunda parte, quæſt.* 32. *membr. terzo*. Richardus *in primo, diſtinct.* 37. *artic. ſecundo, quæſt. terza*. D. Bonauentura *in ſecundo, diſtinct. ſecunda, parte ſecunda, artic. ſecundo, quæſt. ſecunda*. Capreol. *quæſt. prima, artic. primo, concluſ. quarta*. Molina *prima parte, quæſt.* 52. *artic. ſecundo*. Vaſq. *diſput.* 190. *cap. terzo*, Suarez *quarto de Angelis. cap.* 10. Bubaldus *de Angelis, quæſt.* 52. *art.* 2. *quæſito* 2. *difficult. prima. §. terzo*.

25 Dicendum eſt. *Angelum non poſſe eſſe ſimul in pluribus illis locis diſcretis, etiam ſi ſint intra propriam ſpheram adæquatam*. Probatur vel eſſet in illis locis per replicationem, vel abſque replicatione. Si primum: contra tum quia replicatio non eſt poſſibilis naturaliter; Tum quia non eſſet neceſſè, quod loca illa eſſent intra ſpheram adæquatam, quia per replicationem poteſt habere præſentiam in loco, quantumuis diſtanti, vt poteſt in replicatione corporis Chriſti ſub Euchariſtia. Si ſecundum; Tunc ſequeretur Angelum à ſe ipſo diuidi. Sequela probatur: Quia illud diuiditur, quod ita ſecundum locum abſque replicatione ſeparatur, vt non continuetur; in tali autem caſu ſubſtantia Angeli ſecundum locum ſepararetur abſque continuatione, & replicatione. Confirmatur: Diuiſio in eo conſiſtit, vt ita vnum ſeparetur ab alio, vt non communicet cum ipſo ſecundum eſſe, ſed eſſe vnius ſit extra eſſe alterius; in tali autem caſu eſſe Angeli, pro vt in vno loco diſcreto, eſſet extra eſſe Angeli, quod eſt in alio loco; ſeparatio enim localis indicat quod vnum ſit extra aliud.

26 Probatur 2. Sequeretur, quod poſſet eſſe in pluribus locis adæquatis diſcretis, ſicut etiam contingit in corpore replicato. Sequela probatur: In ſingulis illis locis diſcretis eſt ſecundum totam ſuam ſubſtantiam, atq. adeò ſecundum totam ſuam virtutem, ergo poteſt ibi habere totam illam præſentiam, quæ naturali modo correſpondet toti perfectioni, & virtuti ipſius, ergo cum in quocumque loco ſit tota perfectio, poteſt etiam eſſe tota naturalis præſentia.

27 Ad primum negatur conſequentia. Nam licet Angelus non dependeat à loco, exigit tamen præſentiam ad ipſum ſecundum proportionem ſuæ naturæ. Illi autem repugnat eſſe in pluribus locis diſcretis, quia licet præſentia in extremis non dependeat à præſentia in medio, illam tamen exigit, quia ſubſtantia Angeli non poteſt diuidi à ſe ipſa.

Ad ſecundum negatur ſequela: Quia præſentia non poteſt reddere ſubſtantiam Angeli diuiſam à ſe ipſa.

Ad tertium negatur conſequentia. Nam licet plures loci ſint intra ſpheram adæquatam, dum ſunt diſcreti, non poſſunt comparari ad locabilitatem Angeli per modum vnius loci, cum obſtet ipſa diſcretio.

An poſſint plures Angeli eſſe ſimul in eodem loco.

SECTIO IV.

28 QVæſtio procedit quoad naturalem virtutem, ita vt vnus Angelus ſit in eodem loco, in quo eſt alius; nam ſi loquamur de potentia Dei abſoluta, certum eſt, poſſe eſſe ſimul in eodem loco, ſicut poſſunt eſſe ſimul plura corpora.

Prima ſententia eſt negatiua. Ita D. Thom. 1. *part. q.* 52. *art.* 3. Caiet. & Bannes *ibidem* Cumel *quæſt.* 1. Carthuſianus *in* 1. *diſt.* 37. *quæſt.* 3. Aegidius *p.* 2. *quæſt.* 3. D. Bonau. *in* 2. *diſt.* 2. *p.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 4. Capreol. *quæſt.* 5. *art.* 1. Baſſolis *quæſt.* 4. *art.* 4. Bubalus de Angelis *q.* 52. *art.* 3. *quæſt. vnica*, & communiter Thomiſtæ.

Probant. Angelus eſt in loco per operationem; eadem autem operatio nõ poteſt eſſe naturaliter à pluribus cauſis totalibus: ſi autem plures Angeli eſſent in eodem loco, eadem operatio haberet plures cauſas totales, quia ſinguli eſſent cauſa totalis talis operationis.

Secundo, quia omnes Angeli eodem modo comparantur ad locum. Quando autem plura comparantur cum aliquo eodem modo, non poſſunt eſſe ſimul cum ipſo, ſic non poſſunt duæ animæ eſſe in eodem corpore.

29 Secunda ſententia eſt affirmatiua ita Ocham *quodlib.* 1. *quæſt.* 4. *dub.* 4. Gab. *in* 2. *diſt.* 2. *quæſt.* 2. *dub.* 4. Maior *quæſt.* 7. *dub.* 2. Ariminenſ. *quæſt.* 3. *art.* 2. Scotus *quæſt.* 8. §. *In iſta quæſt.* Peſantius 1. *part. quæſt.* 52. *ar.* 3. Molina *ibidem.* Vaſquez *diſp.* 193. *cap.* 4. Suarez 4. *de Angelis cap.* 9. & alij.

30 Notandum primò. Quantum eſt ex parte ſubſtantiæ Angeli non apparere phyſicam repugnantiam, cur non poſſint plures eſſe in eodem loco, ſi enim corpora non haberent impenetrabilitatem poſſent eſſe in eodem loco, cum Angeli illa careant non apparet vlla repugnantia, cur non poſſint eſſe ſimul ſecundum propriam ſubſtantiã, quia ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, etiam negatio eſt cauſa negationis. Hinc Luc. 8. habetur legionem dæmonum fuiſſe in vno corpore, non enim videtur probabile, quod omnes illi dæmones fuerint in partibus diſtinctis, præſertim, quia ſi Angelus poteſt eſſe ſimul in eodem loco cum anima, & corpore, nulla etiam adeſt repugnantia, cur non poſſit eſſe ſimul cum Angelo alio.

31 Notandum ſecundò. Quando inquiritur, an poſſint plures Angeli eſſe in eodem loco naturaliter, non ſolum eſſe attendendam repugnantiam phyſicam, ſed etiam exigentiam vniuerſi, ſi enim ordo vniuerſi non exigeret plures Angelos eſſe in eodem loco, quamuis phyſicè non repugnaret, & poſſent naturali virtute ſe conſtituere in eodem loco, adhuc tamen non eſſent naturali modo in illo, quia eſſet contra exigentiam ordinis vniuerſi.

32 Notandum tertiò. Angelos eſſe inæqualis perfectionis ſubſtantialis, & ideo aliquos eſſe ſubordinatos alijs, itaut illis ſubdantur præciſè in adminiſtratione creaturæ corporeæ; ſicut enim in corporeis dantur quædam cauſæ vniuerſales, quæ ſubdunt ſibi particulares, vt patet in cælo reſpectu inferiorum: ita etiam dantur quidam Angeli, qui tamquam adminiſtratores vniuerſales creaturæ corporeæ ſubdunt ſibi alios Angelos, veluti adminiſtratores particulares, & ideo adeſt inter ipſos quædam dependentia.

33 Dico primò. *Angelos non ſubordinatos non poſſe eſſe ſimul naturali modo in eodem loco.* Prima ratione præſidentiæ ad ipſum, Angelus eſt in loco, per complexionem ſuæ ſubſtantiæ cum eodem loco, ergo non poſſunt plures Angeli non ſubordinati eſſe ſimul naturali modo. Conſeq. probatur: Quia deberent omnes exercere præſidentiam ſupra illam creaturam abſque vlla ſubordinatione, hoc autem eſt contra ordinem rerum, & ipſius vniuerſi, in quo res omnes ita ordinatè diſpoſitæ ſunt, vt quotieſcumque perturbatur hic ordo, contingat aliquis defectus. Minor hæc probatur. Tum quia præſidentia importat aliquod dominium, quo Angelus poſſidet illum locum, pertubaretur autem hoc dominium, ſi alius Angelus ſe conſtitueret in eodem loco: tum quia non poteſt idem ſubijci pluribus non ſubordinatis. Confirmatur. Quia non poteſt eadem res finita eſſe totaliter ſub Dominio plurium, qui non habeant rationem vnius, Dominium enim vnius diſtrahit dominium alterius.

34 Confirmatur. Angeli non ſubordinati non communicant inter ſe aliquo pacto quoad eſſe, neque quoad operari, ergo ſecundum exigentiam Vniuerſi non poſſunt eſſe in eodem loco. Conſeq. probatur: Quia quæ non communicant aliquo pacto inter ſe quoad eſſe, neque etiam petunt eſſe ſimul, ſed vnum omnino extra aliud, ſicuti è contra quæ communicant quoad eſſe, petunt eſſe in ſe inuicem, vt patet in materia, & forma, ergo cum Angeli non ſubordinati non communicent inter ſe aliquo pacto quoad eſſe, non poſſunt eſſe naturali modo ſibi intimè præſentes, quia tunc vnus non eſſet extra alium totaliter ſecundum eſſe.

35 Dices, non repugnat phyſicè vnum Angelum eſſe in loco alterius; & poteſt Angelus ex libertate ſua ſe mouere quocunque vult, ergo ſe poteſt conſtituere in loco alterius.

Reſpondetur poſſe quidem ſe conſtituere, ſed hoc eſſe contra ordinem vniuerſi, vnde cum Angelus ſeruet ordinem vniuerſi ex eo, quod habet voluntatem rectam, non poteſt circa ipſum cõmittere aliquem defectum, ſicuti committeretur, ſi ſe conſtitueret. Dæmones autem non poſſunt ſe conſtituere in loco Angeli boni, quia hoc illis non permittitur, neque idem in loco alterius dæmonis, quia adhuc ſeruant inter ſe ciuilem ordinem, & ſubordinationem, quod ſi aliquando ſe conſtituit, punitur a ſuperioribus dæmonibus.

36 Dico ſecundò. *Angelos ſubordinatos poſſe eſſe naturali modo in eodem loco.* Probatur: quia ſtante ſubordinatione habent aliquam vnitatem in ordine ad præſidentiam reſpectu corporeæ creaturę, ergo poſſunt etiam præſidere, & poſſidere eumdem locum.

37 Argumentum primæ ſententię procedit ex falſo ſuppoſito, quod ſcilicet Angelus ſit in loco per operationem. Deinde etiam ſi eſſet in loco per operationem, cum poſſint plures Angeli exercere in eodem loco diuerſas operationes, poſſunt etiam eſſe ſimul in eodem loco, immo etiam ex libertate ſua poſſunt ſinguli partialiter concurrere ad eamdem operationem.

Ad ſecundum negatur minor. Nam ex eo, quod aliqua comparantur eodem modo cum tertio, non ſequitur, quod non poſſint eſſe ſimul, ſic plura accidentia eodem modo comparantur cum ſubiecto, & tamen poſſunt eſſe ſimul in ipſo. Quod autem plures animæ non poſſint informare idem corpus, prouenit ex eo, quia ſunt in ordine ad effectum formalem, ratione cuius corpus exigit vnicam tantum animam.

Digitized by Google

DE MOTV ANGELORVM.

DISPVTATIO CXX.

An, & quomodo Angelus moueatur.

SECTIO I.

1 SVpponendum tamquam certum. Angelum non poſſe moueri eo pacto, quo mouentur corpora, hæc enim commenſuratiuè ſunt in loco, & ideò etiam mouentur commenſuratiuè ad locum, Angeli autem, cum careant partibus, non poſſunt tali pacto moueri. Certum tamen eſt, ſaltem moueri, quatenus ab vno loco ſecundum præſentiam tranſeunt ad alium locum, & hoc habetur ex fide Luc. 1. *Miſſus eſt Gabriel Angelus*, & rurſus. *Diſceſſit ab ea Angelus*. Matth. 8. *Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum*, & rurſus. *At illi exeuntes abierunt in porcos*. Zachar. 1. *Perambulauimus terram*. Daniel. 10. *Venit ad me cito volans vir Gabriel.* & alibi frequenter tribuitur motus Angelis, & hoc etiam docent communiter Patres. Difficultas autem eſt, an Angelus proprie moueatur.

2 Prima ſententia eſt negatiua. Ita Durandus *in* 1. *diſtinct.* 31. *part.* 2. *quæſt.* 2. Henricus quodlib. 4. *quæſt.* 16. Heruæus *tract. de motu Angelorum art.* 2. Caiet. 1. *par. quæſt.* 53. *art.* 1.

Fundamentum eſt. Quia Angelus non eſt propriè in loco, ergo nec propriè mouetur, quia moueri ſequitur ad modum eſſendi in loco.

3 Secunda ſententia communis eſt, & aſſerit, Angelum proprie moueri ita D. Thom. 1. *part. quæſt.* 53. *art.* 1. Molina *ibidem* Bannes *dub.* 1. Cumel. *quæſt.* 1. Vaſq. *diſput.* 194. *cap.* 2. Albertus 1. *part. quæſt.* 74. *art.* 1. Alenſis 2. *part. quæſt.* 33. *memb.* 1. & 3. Capreolus *in* 2. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 1. Ariminenſ. *quæſt.* 3. *art.* 2. Scotus *diſt.* 2. *quæſt.* 9. Gabriel *quæſt.* 2. Suarez 4. *de Angelis capit.* 12. & alij.

4 Notandum primò. In motu locali duo poſſe conſiderari, & ſubſtantiam motus, & modum, quo fit. Subſtantia motus dicit ipſam mutationem localem, & conſiſtit in tranſitu ab vno loco ad alium. Modus, quo fit, dicit illam ſpecialem determinationem, quo motus tali, & tali modo tendit.

5 Notandum ſecundo. Modum, quo fit motus, proportionari naturæ mobilis. Cum enim motus localis non ſit aliud, quam tranſlatio mobilis de vno ad alium locum, debet eo modo transferri, quo exigit natura ipſius: hinc quia corpus eſt commenſurabile loco, ex natura ſua habet, quod commenſuratiuo modo transferatur. Hinc modus iſte pertinet ad intrinſecam rationem motus, nec enim poteſt concipi, quod mobile transferatur, niſi etiam concipiatur, quod tali, vel tali modo transferatur. Rurſus ex hoc fit, quod modus iſte debeat correſpondere modo eſſendi in loco, quia moueri nihil aliud dicit, niſi acquiſitionem loci.

6 Notandum tertiò. Ex variatione modi tendendi, non variari proprietatem motus, ſicut enim diuerſitas modi eſſendi non tollit proprietatem rerum, ſed ſolum facit, vt diuerſo modo aliqua entia participentur, ita varietas modi tendendi non tollit proprietatem motus, ſed tantum facit, vt diuerſo modo participetur.

7 Dico primò. *Motum localem conuenire Angelo ſecundum ſubſtantiam, & in ipſa ſaluari proprietatem motus*. Probatur motus ſecundum ſubſtantiam nihil aliud eſt, niſi tranſlatio mobilis de vno ad alium locum ſecundum præſentiam ad ipſum. Sed Angelus ita transfertur, ergo &c. Maior patet quia motus ſecundum ſubſtantiam nil aliud dicit, niſi mutationem ſecundum terminum: vnde cum terminus motus localis ſit locus, motus localis ſecundum ſubſtantiam importabit tantum mutationem ſecundum locum. Min. probatur: quia cum Angelus limitetur, vt ſit præſens vni tantum, & non alteri loco, poteſt ſe transferre ad alium locum.

8 Dico ſecundò. *Motum localem conuenire Angelo ſecundum diuerſum modum tendendi, ac conueniat corporibus*. Hic autem modus in eo conſiſtit, quod Angelus applicet propriam ſubſtantiam ſecundum ordinem præſentiæ, quæ fundatur in præſidentia. Probatur Quia vnumquodque eo modo mouetur, quo eſt in loco. Angelus eſt in loco ratione præſidentiæ, ergo &c.

9 Ad fundamentum primæ ſententiæ reſpondetur, neg. aſſumptum. Angelus enim propriè eſt in loco ſecundum præſentiam, licet diuerſo modo, ac ſint corpora, & ideò propriè mouetur, licet diuerſo modo.

Inſtabis. Motus localis eſt ad locum, ergo motus localis proprie dictus eſt ad locum proprie dictū, locus autem proprie dictus importat ſuperficiem corporis continentis, ad quam Angelus non mouetur, quia non continetur in loco.

Reſpondetur diſt. antecedens. Motus localis ſecundum ſubſtantiam eſt ad locum ſecundum ſubſtantiam, motus localis ſecundum talem modum eſt ad locum ſecundum talem rationem termini, hinc motus proprie ſecundum ſubſtantiam eſt ad locum ſecundum ſubſtantiam, ſeu vt eſt terminus præſentiæ, vt autem dicit modum commenſurationis ad locum, eſt ad locum, vt quantitatiue continentem.

10 Ob. Indiuiſibile non poteſt moueri ex Ariſtotele 6. *Phyſ. text.* 5. Angelus autem eſt indiuiſibilis.

Reſpondetur per Ariſtotelem, indiuiſibile quantitatiuum non poſſe moueri, quia non poteſt coexiſtere loco diuiſibili: non autem indiuiſibile ſpirituale: vnde cum Angelus ſit indiuiſibile ſpirituale, & poſſit coexiſtere loco diuiſibili ratione virtualis extenſionis, etiam ſecundum principia Ariſtotelis poteſt moueri.

An Angelus à ſe ipſo moueatur.

SECTIO II.

11 VT punctus difficultatis percipiatur, aduertendum eſt, aliud eſſe moueri à ſe, aliud moueri per ſe. Moueri à ſe dicit habere in ſe principium elicitiuum motus. Moueri autem per ſe eſt moueri ratione ſui, & non ad motum alterius, quod enim mouetur ad motum alterius, mouetur per accidens. Difficultas ergo eſt, an Angelus ita moueatur à ſe ipſo, vt etiam per ſe, & non per accidens moueatur. Cum autem quæritur, an moueatur à ſe ipſo, non excluduntur extrinſeca mouentia neceſſaria. Cauſa prima concurrens ad illum motum, & obiectum mouens appetitum. Ratio dubitandi eſt. Quia omne quod mouetur debet ab alio moueri ex 7. *Phyſic. text. ſecundò*, & quando aliquid mouet ſe ipſum, diuiditur in partem mouentem, & motam, vnde in animali motus eſt à corde: ſecundò. Idem non poteſt eſſe in actu, & in potentia reſpectu eiuſdem, omne autem quod mouetur eſt in potentia, & quod mouet eſt in actu illius formæ, ad quam mouet, ergo idem non poteſt mouere ſe ipſum, alioquin eſſet in actu, & in potentia: tertiò. Quod mouetur, habet aliquam indigentiam. Angelus autem non indiget loco, cum ſit ab ipſo omnino independens.

12 Prima ſententia negat, Angelum mouere ſe ipſum per ſe, ſed tantum per accidens, quatenus mouet-

Digitized by Google

uet aliquod corpus, & ipſe mouetur ad motum illius, Ita Capreolus in ſecund. diſtinct. 6. *quæſt. vnica, art.* 1. & alij.

13 Secunda ſent. aſſerit, Angelum mouere ſe ipſum, ne dum per accidens, ſed etiam per ſe; ita Alenſis 2. *par. q.* 33. *memb.* 2. Scotus in 2. *diſt.* 2. *qu.* 10. Maior *qu.* 8. Gabriel *qu.* 3. Ayronius *qu.* 11. Ariminenſis *diſt.* 6. *q.* 3. *ar.* 2. Bannes 1. *par. qu.* 53. *art.* 1. *dub.* 3. Cumel *qu.* 2. Vaſqu. *diſp.* 194. *cap.* 2. Suarez 4. *de Angelis cap.* 28. & communiter.

14 Dicendum eſt. *Angelum mouere ſe ipſum propria virtute, non ſolùm mediatè ratione corporis, ſed etiam per ſe immediatè, ita vt ſe mouere poſſit abſque vllo motu corporis.* Deſumitur ex Scriptura, in qua motus Angeli ita explicatur, vt ipſi tribuatur tamquam per ſe conueniens. Iob 1. *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Luc. 8. *Præcipiebat ſpiritui immundo, vt exiret ab homine.* 1. Petr. 5. *Circuit quærens, quem deuoret,* & alibi paſſim ſimilia habentur.

Probatur. Angelus eſt viuens, & habet appoſitum, ergo habet virtutem ſe mouentem, non ſolum per accidens, ſed etiam per ſe. Conſ. prob. Quia de ratione viuentis appetitiui eſt, quod poſſit ſeipſum mouere; & cum hæc potentia viuentibus inferioribus cõueniat, multò magis debet conuenire Angelis.

15 Confirm. Potentia loco motiua conſequitur appetitum; quia cum viuens ratione appetitus poſſit moueri à bono abſenti, oportet, vt habeat facultatem conſequẽdi illud bonum, alioquin natura defeciſſet in neceſſarijs, quia tribuiſſet appetitum ad aliquod bonum naturale, & non tribuiſſet facultatem aſſequendi; hæc autem facultas non eſt alia, quam potentia loco motiua.

Confirmatur 2. Cum Angeli ſint præſentes loco determinato, ſunt capaces mutationis localis ſecundum ſuam propriam ſubſtantiam, ita vt per ſe præcisè poſſint illum habere: ergo ſunt in potentia ad locum acquirendum; ergo debent habere potentiam motiuam, qua ſe ipſos per ſe mouere poſſint.

16 Ad primam rationem dubitandi reſpondetur. Quãdo aliquid mouet ſe ipſum diuidi in partem mouentem, & motam proportionaliter, vel naturalem, & ad motum quo mouentur; vnde in corporeis, & in motu quantitatiuo debet diuidi in partem mouentem, & motam corpoream. In Angelis autem ſufficit, quod pars mouens ſit actus intellectus practicus, & actus appetitus, qui diſtinguitur realiter à parte mota, & ſit informatus allectione ſeu motione, quæ prouenit à fine.

17 Vel ſecundò reſp. Omne, quod mouetur ab alio moueri, non quia non habeat principium intrinſecũ ſui motus; ſed quia tale principium eſt eſſentialiter dependens ab extrinſeco, quia cum ſit potentiale, non poteſt exire in actum, niſi dependenter à primo mouente actualiſſimo. Ariſtotel. enim vtitur tali principio, vt conueniat, dari primum motorem immobilem; & ideo ſolum eſt neceſſarium, quod moueatur ab alio per dependentiam propriæ virtutis motiuæ, cum hoc ſolum ſufficiat ad inferendum primum motorem immobilem. Ad confirmationem. Quando aliquid mouet ſe ipſum, diuidi in partem mouentem, & partem motam, ſi motus ſit progreſſiuus; non autem ſi ſit ſimplex latio. Si elementa mouent ſeipſa; & tamen non habent partem mouentem, & partem motam. Et ſi dicatur, moueri à generante, quia virtutem impreſſit, qua mouentur; hoc etiam dici poteſt de Angelo, ſed cum hoc diſcrimine, quod virtus congenita eſt ſubordinata voluntati. Sic etiam in ijs, in quibus eſt pars mouens, & mota, concedenda eſt pars, quæ primò moueat, & non moueatur ab alia parte, ne procedatur in infinitum.

18 Inſtabis, mouens, & motum debent diſtingui ſuppoſito.

Reſpondetur negando antecedens, vt patet in omnib. viuentibus ſenſitiuis, ſi ſic abſolutè intelligatur ſolum valet de mouente intranſitiuè; nam etiam Angelus mouetur à ſuppoſito diſtincto intranſitiuè, nempe à fine in genere finali, & à Deo in genere efficientis, tamquam ab eo, à quo cauſaliter dependet virtus motiua Angeli.

19 Ad 2. idem non poſſe eſſe in actu formali, & in potentia formali reſpectu eiuſdem; poſſe tamen eſſe in potentia formali, & in actu virtuali, quia habet virtutem ad ipſum cauſandum.

Ad tertium negatur aſſumptum, ſi intelligatur indigẽtia intrinſeca perfectionis, ſed aliquando etiam eſt propter aliquem finem, quod præſertim contingit, quando libero modo exercetur.

An motus Angeli ſit aliquid ipſi intrinſecum.

SECTIO III.

20 Aliud eſt loqui de motu, aliud de forma, per quã Angelus conſtituatur in loco, & quæ ſit terminus motus, fieri enim poteſt quod forma iſta non ſit intrinſeca, ex eo videlicet, quod non detur, vt diximus in ſuperioribus, & quod motus ſit intrinſecus.

Prima ſent. aſſerit, eſſe aliquid intrinſecum, citantur pro ipſa Scotus *in* 2. *diſt.* 2. *quæſt.* 9. Alenſis 2. *par. qu.* 33. *memb.* 3. Albertus *de quatuor Coæuis qu.* 9. *art.* 1. *ad quartum.* D. Bonauentura *in* 1. *diſt.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad ſecundam;* qui tamen nihil aliud dicunt, niſi quod Angelus per ſe, & ratione ſui moueatur. Hanc etiam ſẽtentiam tradunt Molina 1. *par. qu.* 53. *art.* 1. *concluſ.* 1. Cumel *qu.* 2. *concl.* 3. Suarez in methap. *diſp.* 40. *ſect.* 8. *& lib.* 4. *de Angelis cap.* 13. *&* 14. Bubal. *de Angelis, quæſt.* 53. *art.* 1. *quæſito vnico, difficul.* 4. §. 2. Raynaudus *in naturali Theologia diſt.* 4. *ſect.* 3. *artic.* 2. & ferè communiter recentiores.

Probant. Angelus poteſt moueri nullo moto corpore, tunc autem fit variatio denominationum, quia de vno loco debet tranſire ad alium: ergo per aliquid intrinſecum.

Secundò habet Angelus intrinſecam virtutem ad ſe mouendum, & moueretur, etiam ſi nullum adeſſet corpus, ergo, &c.

3 Quia motus ex genere ſuo eſt in mobili, cum ſit actus entis in potentia, &c.

4 Si motus non eſset in mobili, poſset tribui Deo, quia ſit præſens creaturis, quæ de nouo creantur.

5 Forma exiſtens in alieno ſuppoſito non poteſt denominare, quod aliud mutetur, quod autem mouetur verè mutatur.

21 Secunda ſent. aſserit, quod quando Angelus ſe ſolo mouetur abſque aliquo corpore, tunc motus dicit in ipſo aliquid intrinſecum: ſecus autem, quando cum corpore mouetur. Ita Ferrar. 3. *contr. gent. cap.* 101. §. *attendendum.* Et Vaſquez 1. par. diſp. 196. cap. 4.

22 Tertia ſent. abſolutè aſserit, motũ non eſse aliquid intrinſecum Angelo. Ita nonnulli Thomiſtæ, dum aſſerunt, Angelum eſse in loco per ſolam operationem, & conſequenter tantum moueri ex eo, quod mutat contactum virtutis, qui conſiſtit in applicatione. Ita præcipuè Caietanus 1. *par. q.* 53. *ar.* 2. Bannes *dub.* 3. Aegidius *in* 1. *diſt.* 37. *par.* 2. *ar.* 2. *q.* 5. Durandus *qu.* 2. Henricus, *quodlib.* 4. *q.* 16. Alij verò id aſserunt, quia vniuerſaliter putant, motum localem non eſse in mobili. Ita Ariminenſis *in* 2. *diſt.* 6. *qu.* 1. *ar.* 2. Heruæus *quodlib.* 5. *q.* 9. & *quodlibeto* 4, *quæſtione* 16. Soncin. 5, *metaphor. quæſt.* 10.

23 Notandum primò. Eamdem eſse rationem, ſiue Angelus moueatur ſine corpore, ſiue ſimul cum corpore; ſolum enim diſcrimen eſt, quod motus ſit primarius, vel ſecundarius. Quod enim mouetur ſine corpore, adhuc verè ſecundum propriam ſubſtantiam mouetur, ita vt non ſolum fiat mutatio præſentiæ in ipſo corpore,

Digitized by Google

ſed etiam in ſubſtantia Angelorum, quod pręſertim verum eſt, quia ex libertate ſua mouetur: non autem ex aliqua connexione cum ipſo corpore. Et licet dicatur moueri per accidens, adhuc tamen mouetur motu proprio, quia nihil poteſt moueri motu alterius.

24 Notandum ſecundò. Aliud eſſe, motum eſſe quid intrinſecum mobili, & aliud, mobile per ſe moueri. Primum importat aliquam formam inhærentem mobili. Secundum autem dicit tantum cõnexionem per ſe cum motu, ſic etiam Deus dicitur per ſe creare, & tamen creatio non eſt forma aliqua ipſi intrinſeca.

25 Notandum tertiò. Cum dicitur, motum eſſe actum entis in potentia, &c. debet intelligi de potentia cum debita proportione, itaut commenſuretur exigentiæ termini, atque adeo ſi terminus exigit vniri per intrinſecam informationem, debet potentia eſſe ad intrinſecam informationem; ſi verò tantum per extrinſecam applicationem, etiam potentia erit tantum ad aliquid extrinſece applicabile.

26 Notandum quartò. Locum eſse terminum motus localis, quia ad ipſum mobile perducitur. Cum autem certum ſit, locum non informare mobile, & mobile nihilominus eſse in potentia ad ipſum, hinc fit, vt potentia ad talem terminum, & conſequenter ad motum, vt eſt acquiſitio talis termini, non ſit potentia informationis, ſed ſolum ad aliquid extrinſece applicabile.

27 Notandum quintò. In motu locali duo poſſe conſiderari, & rationem formalem motus, & ipſum moueri. Ratio formalis ſe habet *vt quo*, & eſt id, quo formaliter mobile dicitur moueri. Ipſum autem moueri importat illud aliter ſe habere ratione tranſitus ab vno ad alium terminum, & eſt veluti concretum ex mobili, & ratione formali motus.

28 Dico primò. *Motum Angeli, prout importat rationem formalem motus, non importare aliquid intrinſecum mobili, ſed conſurgere ex mobili, & loco quatenus Angelus applicat propriam ſubſtantiam modo vni, modo alteri parti loci.* Deſumitur ex Ariſtotele 5. *Phyſ. text.* 59. vbi loquens de mutatione locali ait. *Hac ſola nihil, quod inſit, mutatur, quomodo eius, quod alteratur qualitas, aut quod augeſcit, & decreſcit quantitas.* Probatur: In conſtitutione rationis formalis motus ea tantum debent interuenire, quæ neceſſaria ſunt ad ſaluandum proprium conceptum motus. Sed non eſt neceſſarium aliquid intrinſecum mobili, ergo &c. Maior patet. Quia rerum quidditates important tantum neceſſaria ad ſui conſtitutionem. Minor probatur: Quia eo ipſo præciſè, quod intelligitur mobile applicari modo vni, modo alteri parti ſpatij, intelligitur moueri, quia intelligitur tranſire ab vno termino ad alium.

29 Dices debere intelligi formam lationis, ſecundum quam feratur.

Contra. Latio ſecundum quam feratur per illud præciſè, intelligitur quod Angelus applicetur alteri, & alteri parti ſpatij, ergo &c. Antecedens probatur: quia latio nihil aliud importat, niſi tranſitum ab vno ad alium locum.

30 Secundo probatur: Motus non aliam motionem infert, nec aliam formam importat niſi illam, quam importat terminus, quia nihil aliud eſt, niſi ipſa acquiſitio termini, ergo nec alio modo afficit mobile, niſi eo, quo afficit terminus, ergo non ſufficit intrinſece. Conſeq. probatur: Quia locus eſt terminus motus Angelici, & non eſt aliquid inhærens Angelo.

Confirmatur. Ideò in alijs motibus ponitur aliquid intrinſecum mobili, quia forma, quæ acquiritur, eſt aliquid intrinſecum. ergo &c.

31 Dices. Locum extrinſecum non eſse adæquatum terminum, quia requiritur etiam forma præſentiæ intrinſeca.

Contra quia hæc reſponſio aſſumit, quod eſt controuerſum, Secundo, de ratione loci eſt, vt ſit extra locatum, cum ad ipſam moueatur mobile, ergo debet eſſe aliquid ſecundum totum ſuum eſſe adæquatum, quod ex natura ſua poſſit eſſe diſtans à locato, quod non poteſt conuenire formæ ipſi inhęrenti. Confirmatur quod inhæret locato, continetur in ipſo, & mouetur ad motum ipſius. Hoc autem eſt contra naturam loci.

32 Dico ſecundò. *Motus, prout dicit illud aliter ſe habere quoad præſentiam localem, fundatur in ſubſtantia Angeli quatenus de vno ad alium locum applicatur per complexionem ad ipſum.* Probatur. Angelus eſt ille, qui ſecundum ſuam ſubſtantiam tranſit de vno ad alium locum, & tota mutatio, quæ per hunc tranſitum importatur eſt ſecundum locum, ergo aliter ſe habere quoad præſentiam fundatur in præſentia Angeli, cum ipſa tranſeat de vno ad alium locum.

Confirmatur. In quolibet motu id mutatur, quod coniunguntur cum term. ad quem, ergo &c.

33 Ad primum negatur conſequentia. Nam in tali caſu fit variatio denominationis ex eo, quod Angelus ſecundum propriam ſubſtantiam applicatur alteri parti loci.

Ad ſecundum negatur ſecunda pars antecedentis. Nam ſi nullum adeſſet corpus, non poſſet moueri Angelus, quia motus localis non poteſt eſſe extra plenum.

Ad tertium negatur aſſumptum. Cum dicitur, motum eſſe actum entis in potentia, &c. debet intelligi, mobile debere eſse in potentia ſecundum exigentiam termini: vnde quando terminus non eſt intrinſecus, nec etiam motus erit aliquid intrinſecè inhærens.

Ad quartum negatur ſequela, quia Deus non mouetur, licet fiat pręſens creaturis, quæ de nouo producuntur, tum quia ad motum requiritur finitas pręſentiæ, tum quia debet præſupponi locus, ita vt de nouo poſſit acquiri, & quod prior relinquatur.

34 Ad quintum. Maiorem eſse veram, ſi forma exiſtens in alieno ſuppoſito non communicet cum ſubiecto denominato, ſecus autem ſi communicet. In caſu autem noſtro locus communicat cum Angelo, quia venit in complexionem cum ipſo, vnde denominatio in motu locali non deſumitur præciſe neque à mobili, neq. à loco, ſed ab vtriuſque complexione, quia motus nihil aliud dicit, niſi ſucceſſiuam applicationem mobilis ad ſpatium: vnde non eſt denominatio deſumpta à forma, ſeu loco extrinſeco, ſed fundata in eo, quod cum denominato coniungatur locus extrinſecus.

An motus Angeli debeat eſſe neceſſario inter terminos poſitiuos.

SECTIO IV.

35 Motus tripliciter contingere poteſt, primo ſi vterque terminus ſit poſitiuus, ſecũdo ſi terminus à quo ſit negatiuus, & terminus ad quem poſitiuus, tertiò, ſi terminus à quo ſit poſitiuus, & terminus ad quẽ negatiuus. Certum autem eſt Angelum poſſe moueri localiter motu primo modo ſumpto, quia poteſt acquirere vnum locum adæquatum, & relinquere alium. Solum difficultas eſt, an poſſit moueri alijs duobus modis.

36 Prima ſententia eſt affirmatiua ita Suarez 4. *de Angelis cap.* 16. Molina 1. *p. q.* 52. *art.* 1. *diſp. vnica memb.* 5. Toletus 1. *de anima q.* 9. Aræſius 1. *de generatione q.* 31. *ſect.* 3. Coninch. 3. *part. quæſt.* 75. *num.* 123. & fere communiter recentiores.

Probant. Angelus exiſtens in loco adæquato poteſt ſe coarctare ad inadæquatum, & rurſus ab inadæquato ſe dilatare ad adæquatum. ergo &c.

Primò quod corpus non poſſit moueri, niſi inter terminos poſitiuos, prouenit ex eo, quia ſemper eſt in loco adæquato, & mouetur commenſuratiuè ad ipſum locum. Hoc autem non procedit in Angelo. ergo &c.

37 Secunda ſententia eſt negatiua ita Baſſolis *in 2. diſt. 2. quæſt. 4. art. 1.* Durandus *in 1. diſtinct. 8. part. 2. quæſt.* 3.

Raynaudus

Digitized by Google

Raynaudus *in naturali Theologia diſt.4. quæſt. 3. art. 2. numer.129.*

38 Dicendum eſt. *Angelum non poſſe localiter moueri, niſi motu, qui ſit inter terminos poſitiuos.* Probatur: De ratione motus localis eſt, quod mobile mutet locum. Sed Angelus non poteſt mutare, niſi relinquat quem habet, & alium acquirat, ergo &c. Minor probatur. Quia in loco, quem habet, eſt ibi ſecundum ſe totum, ergo quamdiu in ipſo permanet, non mutat locum.

39 Confirmatur: ſi Angelus, dum à ſphera inadæquata extenditur ad adæquatam moueretur localiter, ſequitur, quod ſecundum ſe totum moueretur, & ſecundum ſe totum non moueretur, quia cum ſit totus in toto, & totus in qualibet parte, ſecundum ſe totum fit in illa noua parte loci, & ſecundum ſe totum manet in loco, quem prius habebat.

Confirmatur ſecundo. Ideò moueretur, quando de loco inadæquato fit præſens adæquato, quia de nouo acquireret locum, & de nouo relinqueret, quando ſe contrahit ad inadæquatum. Sed hoc non ſufficit, ergo &c. Min. probatur: Quia quando de nouo producitur, ſimul cum ſuo eſſe acquirit locum, & tamen tunc non mouetur non alia ratione, niſi quia non tranſit de vno loco ad alium, ergo &c.

Confirmatur tertio. Quando corpus rare fit, acquirit maiorem locum, & tamen ſecundum ſe totum non mouetur localiter, ergo ad motum non ſufficit acquiſitio noui loci, niſi præcedens relinquatur.

Confirmatur quarto. Manente mobili in eadem diſtātia implicat mutare locum. Sed manet ſemper in eadem diſtantia, niſi præcedens locus relinquatur, & alius de nouo acquiratur, ergo &c.

40 Ad primum negatur conſeq. Nam mutatio illa non eſt localis, ſed tantum ſecundum extenſionem virtualem, quæ reſultat ex ſubſtantia Angeli, ſecundum quam modo ſit in actu, modo vero deſinit eſſe in actu.

Ad ſecundum negatur aſſumptum. Nam quod corpus moueatur inter terminos poſitiuos, prouenit ex ratione motus localis, vt patet ex dictis.

DE MODO, QVO FIT motus Angeli.

DISPVTATIO CXXI.

An motus Angeli poſſit eſſe continuus.

SECTIO I.

1 SEnſus eſt, an motus Angeli ita poſſit fieri per plures partes ſpatij, vt totus ille motus poſſit continuari, & habere veram ſucceſſionem, per quam correſpondeat alicui tempori continuo.

Prima ſententia eſt negatiua. Ita D.Thomas *in 1.diſt. 37.quæſt.4.art.1.* Argent.*qu.1.art.2.* Maior *in 2. diſt.2. qu.8.concl.2.* Albert. *de quatuor coeuis qu.8.art.3.* Hurta. *diſp.2.de anima, n.24.*

Probant. Nullum indiuiſibile poteſt ſpacium diuiſibile ſecundum partes priores, & poſteriores occupare ex *6. phyſ.* atque adeò nec ſucceſſiuè moueri. Angelus autem eſt indiuiſibilis.

2 Succeſſio in motu ex 4. *phyſ. text.71.* prouenit ex reſiſtentia medij. Sed locus non reſiſtit Angelo, ergo, &c.

3 Continuitas ex 4. *phyſ. text.39.* prouenit ex continuitate ſpatij ex eo, quod mobile non poſſit occupare ſimul totum ſpatium. Ergo cum Angelus non habeat molem, per quam occupet ſpatium, nec motus ipſius habebit continuitatem ex ſpatio.

4 Eadem proportio eſt motus ad motum, & mobilis ad mobile. Sed inter Angelum, & Corpus nulla eſt proportio. Ergo nec inter motum Angeli, & corporis.

5 Potentia motiua, ſi non ſit aliqua reſiſtentia, aut intrinſeca, aut extrinſeca, in inſtanti operatur. Ergo cum Angelus nullam habeat reſiſtentiam in inſtanti mouebitur.

2 Secunda Sent. aſſerit, motum Angeli poſſe eſſe continuum ita D.Thom. 1.*part.quæſt.13.art.1.* Caietanus Cumel, Molina, Bānes, Vaſquez *ibidem.* Albertus. 1. *par.qu.* 74.*art.3.* D.Bonauentura. *in* 1.*diſt.26.par.3.art.2. qu.3.* Suarez 4.*de Angelis, cap.*20.& alij.

3 Dicendum eſt. *Poſſe Angelum moueri motu continuo ſucceſſiuo.* Probatur: Poteſt Angelus ſe conſtituere præſentem cuilibet parti ſpatij ex voluntate ſua, & non poteſt ſimul eſſe in omnibus, cum excedant locum adæquatum illius, ergo poteſt moueri motu continuo ſucceſſiuo. Conſequentia probatur: Quia ſicut poteſt eſſe in qualibet parte præſentialiter, ita & poteſt moueri ad quamlibet ipſarum; & ſicut non poteſt eſſe ſimul in omnibus, ita neque ad omnes moueri, ſed prius ad vnam, deinde ad aliam. Rurſus habet virtutē motiuam ſui ipſius; ergo in quolibet inſtanti, & ſigno poteſt moueri, nec ex eo, quod nunc moueatur, impeditur, ne immediatè poſt poſſit moueri.

4 Dices. Impediri, ne continuet ſucceſſionem motus ex modo, quo mouetur, quia cum ſit indiuiſibilis, mouetur totus ſimul, & in inſtanti: inſtantia autem non poſſunt continuari.

Cont. Licet ſit indiuiſibilis, coexiſtit tamen ſpatio diuiſibile, ergo poteſt illum relinquere per partes, quia licet moueatur totus ſimul, non tamen ex neceſſitate mouetur de toto loco. Confirmatur: Etiam corpora mouentur tota ſimul, & tamen mouentur ſucceſſiuè.

5 Dices ſecundo. Poſſe quidem Angelum relinquere tantum partem loci, deindè aliam acquirere; ſed quamlibet mutationem fieri in inſtanti.

Cont. Quod poteſt relinqui, & acquiri per partes, poteſt relinqui, & acquiri ſucceſſiue. Huiuſmodi autem eſt locus. Confirmatur: Quod mutatio fiat in tempore, vel in inſtanti, prouenit ex termino, qui, quando caret partibus, non poteſt acquiri in tempore; ſecus autem, quando habet. Confirmatur ſecundo: Virtus motiua Angeli continuò eſt in ſtatu proximo, vt operetur, & locus eſt acquiſibilis in tempore continuo, ergo poteſt incipere motum & ipſum continuare in tempore continuo.

6 Secundo probatur. Quando Angelus mouetur in corpore aſſumpto, mouetur continuò ſucceſſiuè, ergo etiam quando mouetur ſine corpore aſſumpto. Conſeq. probatur. Quia quando mouetur in corpore aſſumpto, adhuc ipſe ſecundum propriam ſubſtantiam mouetur, & licet motus non illi conueniat primariò, conuenit tamen ſecūdariò, ita vt ſecundum proprium eſſe tranſeat de vno loco ad alium locum.

Confirmatur. Virtus motiua Angeli, & voluntas poteſt cauſare motum cōtinuum ſucceſſiuum in ipſo Angelo, quando mouetur ſimul cum corpore, ergo etiam quādo mouetur ſine corpore, quia iam Angelo non repugnat moueri ſucceſſiuè.

7 Ad primum. Reſpondetur: Nullum indiuiſibile quantitatiuum poſſe diuidere ſpatium, atque adeò non poteſt per ſe ipſum ſucceſſiuè moueri, quia non coexiſtit ſpatio diuiſibili. Angelus autem coexiſtit ratione virtualis extenſionis.

Ad ſecundum ſucceſſionem prouenire à reſiſtentia formali, non materiali. Reſiſtentia enim medij alia eſt materialis, alia formalis. Materialis in eo conſiſtit, quod ſpatium reſiſtat diuiſioni; & hęc non habet locum reſpectu motus Angelici: Formalis verò conſiſtit in incompoſi-

poſsi-

Digitized by Google

poſsibilitate partium ipſius medij ad eſſendum ſimul. Suppoſito enim, quod medium ſit extenſum, non poſſunt partes eſſe ſimul, & ideò formali modo reſiſtũt mobili, ne ſit ſimul in omnibus, quia dum incipit eſſe in prima impeditur, ne ſit in reliquis, & hæc reſiſtentia habet locum etiam in motu Angelico.

8 Ad tertium negatur conſequentia. Nam Angelus habet extenſionem virtualem, quæ æquiualet mali, cum per ipſam coexiſtat ſpatio diuiſibili.

Ad quartum negatur min. Nam inter Angelum, & corpus adeſt aliqua proportio in ordine ad ſucceſſionem motus; quia ſicuti corpus coexiſtit ſpatio diuiſibili ex vi extenſionis formalis, ita Angelus coexiſtit ſpatio diuiſibili ratione virtualis extenſionis.

Ad quintum. Potentiam non impeditam operari in inſtanti, quando terminus ex natura ſua poteſt totus ſimul poni; locus autem non poteſt totus ſimul acquiri. Deinde cum ex natura ſua ſit per partes acquiſibiles, poteſt Angelus ex libertate ſua per partes acquirere.

An Angelus poſſit moueri de extremo ad extremum per medium in inſtanti.

SECTIO II.

9 SEnſus quæſtionis eſt, an ſuppoſito, quod Angelus ſit in ſuo loco adæquato poſſit ipſum relinquere, & tranſire ad alium adæquatum diſtans à priori per aliquod ſpatium interpoſitum, & totus hic tranſitus fieri in inſtanti, ita tamen vt fiat per medium interpoſitum. Hæc autem quæſtio poteſt in duplici ſenſu agitari; vel ſuppoſitis inſtantibus mathematicis, vel ijs negatis. Primo modo procedit de coexiſtentia illius motus ad inſtans omninò indiuiſibile. Secundo modo ſenſus eſt, an poſſit totus ille modus fieri ſimul, ita vt non fiat per partes quarum vna ſit poſt aliam ſecundum durationem. Et in hoc ſenſu nos procedemus, quia ſi poteſt fieri totus ſimul, poterit etiam fieri in inſtanti, ſuppoſito, quod detur.

10 Prima ſent. eſt affirmatiua, ita Albertus *in* 1. *diſt.* 37. *art.* 23. Greg. *in* 2. *diſt.* 6. *qu.* 2. *art.* 2. Maior *diſt.* 2. *q.* 7.

Fundamentum eſt. Quia Angelus mouetur abſque vlla reſiſtentia medij ex voluntate ſua, ergo in inſtanti, quia ex 4. *phyſ. text.* 61. ſi motus fieret in vacuo, eſſet in inſtanti, quia nulla eſt reſiſtentia medij.

11 Secunda ſent. eſt neg. ita D. Bonau. *in* 1. *diſt.* 37. *q.* 2. *ar.* 2. *q.* 3. Riccard. *q.* 3. *ar.* 3. Egid. *p.* 2. *q.* 3. Scotus *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 11. §. *Reſpondeo.* Gabr. *q.* 3. *ar.* 3. Cumel 1. *p. qu.* 53. *ar.* 3. *q.* 1. Vaſq. *diſp.* 197. *c.* 2. Suarez 4. *de Angelis c.* 22. & alij qui abſolutè negant, motum Angeli poſſe fieri in inſtanti, quos *ſect. ſeq.* referemus.

12 Dicendum eſt. *Angelum non poſſe moueri de extremo ad extremum in inſtanti.* Prob. Nã poteſt moueri in inſtanti, niſi ſimul acquirat totum locum extremi, & medij, quia ſi prius acquirit primam, deindè aliam partem, iam adeſt ſucceſſio, & motus fit in tempore. Sed non poteſt acquirere, ergo &c. Min. prob. Implicat Angelum eſſe ſimul in loco maiori ſuo adæquato. Tunc autem eſſet, quia ſimul eſſet in medio, & in extremo.

13 Reſp. Arim. Poſſe trãſeunter in loco maiori ſuo adæq.

Contra. Quod habet capacitatem alicuius termini in fieri, habet etiam in facto eſſe, ergo ſi poſſet eſſe tranſeũter, poſſet eſſe etiam permanenter. Conf. Quod poteſt eſſe tale per aliquod inſtans, poteſt etiam eſſe tale in tempore ſequenti, ergo ſi Angelus pro aliquo inſtanti poteſt eſſe ſimul in extremo, et medio, poterit etiã eſſe tẽpore ſequẽti. Tertio: Vel cũ hoc trãſeũter ſtat, quod ſit ſimul in toto illo loco; vel nõ ſi 1. ergo habet præſentiã maiorẽ ſua adæq. ſi 2. ergo non eſt ſimul in inſtanti in toto illo loco.

14 Ad fundamentum in oppoſitum reſp. Angelum moueri abſq. reſiſtentia medij materiali; non autem formali. Succeſſio autem prouenit ex formali, & ideò per Angelum motus in vacuo fieret in inſtanti, quia non adeſſet reſiſtentia formalis defectu medij extenſi.

An motus Angeli abſque medio poſſit eſſe in inſtanti.

SECTIO III.

15 QVæſtio procedit in eodem ſenſu, an videlicet poſſit Angelus acquirere locum proximè immediatum totum ſimul, an vero debeat acquirere ſucceſſiuè. Iſte autem motus poteſt contingere tripliciter primo ſi de ſphera inadæquata fiat præſens adæquatæ; ſecundo ſi de adæquata contrahat ſe ad inadæquatam. Tertio, ſi de loco adæquato transferat ſe ad locum inadæquatum proximè immediatum.

16 Prima ſententia aſſerit, Angelum poſſe moueri in inſtanti omnibus his tribus modis. Ita Scotus *in* 2. *diſt.* 2. *qu.* 11. §. *Reſp.* Maior *qu.* 12. Marſil. *q.* 7. *art.* 3. Ariminenſ. *diſt.* 6. *qu.* 3. Molina 1. *par. qu.* 53. *art.* 3. Vaſquez *diſ.* 196. *cap.* 7. Suarez *lib.* 4. *de Angelis ca.* 21. & alij.

Probant. Totus ille locus poteſt ſimul acquiri, ergo motus poteſt eſſe in inſtanti.

Secundo. Illuminatio fit tota ſimul intra ſpheram corporis luminis, ergo etiam motus Angeli.

Tertio. Quod terminus motus non ſtatim acquiratur, prouenit ex imperfectione virtutis, & è reſiſtentia loci. In Angelo autem nec eſt imperfectio virtutis, nec locus ipſi reſiſtit, ergo &c.

17 Secunda ſent. eſt abſolutè negat. ita D. Thom. 1. *pa.* *qu.* 53. *art.* 3. Caiet. *ibidem.* Ferrarienſ. 3. *contra Gentes,* *cap.* 102. Capreol. *in* 2. *diſt.* 6. *qu.* 1. *art.* 1. *concl.* 4. Gabr. *diſt.* 2. *q.* 3. *art.* 3. & alij.

18 Notandum primo. Virtualem extenſionem, ſecundũ quam Angelus coexiſtit loco indiuiſibili, eſſe in poteſtate eiuſdem Angeli, & contineri virtualiter in ſubſtantia ipſius: vndè Angelus habet potentiam, ex qua reſultat virtualis extenſio, ita ſubiectum voluntati ipſius, vt reſultet, quando vult, & deſinat, quando ſimiliter vult.

19 Notandum ſecũdo. Hinc ſequi, quod Angelus in inſtanti poſsit acquirere, & amittere hanc virtualem extenſionem; potentia enim expedita fit in actu in inſtanti niſi aliundè impediatur; hæc autem potentia nullum habet impedimentum, & ideò poteſt Angeli in inſtanti de loco inadæquato dilatare ſe ad adæquatum, & de adæquato contrahere ſe ad inadæquatum; quia in hoc interuenit tãtum acquiſitio, & deperditio extenſionis virtualis. In hoc tamen non interuenit motus localis, vt dictum eſt in ſuperioribus, ſed tantum poſitio, aut ablatio actus ſecundi, quò ad virtualem extenſionem; vndè difficultas tãtum eſt, quando Angelus tranſit à loco adæquato ad alium adæquatum proximè immediatum.

20 Dicendum eſt. *Angelum exiſtentẽ in loco adæquato non poſſe tranſire ad locum adæquatum proximè immediatum in inſtanti, ſed neceſſariò debere tranſire ſucceſſiuè.* Prob. Non poteſt velle potentiam ad virtualem extenſionẽ eſſe in eodem inſtanti in actu ſuæ extenſionis, & non eſſe in actu; cum hæc ſint contradictoria, ergo nõ poteſt in inſtanti tranſire de loco adæquato ad aliũ adæquatum. Conſeq. prob. In tantum poſſet tranſire, in quantum poſſet amittere extenſionem virtualem ad vnum locum adæquatum, & acquirere alium, hoc autem eſſet potentia ad virtualem extenſionem eſſe in eodem inſtanti in actu, & non eſſe.

21 Conf. Non poſset in eodem inſtanti deſinere quies, incipere motus, & incipere intrinſecè, & poſitiuè quies conſequens talem motum. Sed hoc contingeret, ſi de loco adæquato tranſiret ad alium adæquatum, ergo &c. maior patet. Quia motus, & quies non poſsunt eſſe ſimul. Min. probatur: In illo inſtanti, in quo Angelus moueretur de loco adæquato ad adæquatum, non eſset quies, quia tolleretur per motum, inciperet motus, quia immediatè ante non erat; & inciperet etiam quies terminans talem motũ, quia tunc incipit, quando terminus ſecundum ſe totum

eſt in

Digitized by Google

eſt in ſubiecto, in illo autem inſtanti totus terminus adæquatus eſſet acquiſitus.

Confirmatur 2. Vel in illo inſtanti Angelus intelligitur ſub termino cõpleto ſui motus, vel nõ. Si 1. ergo quieſcit, quia tunc mobile quieſcit, quando eſt ſub termino completo. Si ſecundum, ergo non acquiritur in inſtanti, quia acquiri locum non eſt aliud, quam mobile conſtitui in loco.

22 Dices. In illo inſtanti acquiſitionem loci eſſe in fieri, non autem in facto eſſe; & ideò Angelum non quieſcere.

Contra. In illo inſtanti totus locus adæquatus ſimul acquiritur: ergo in illo inſtanti mobile eſt completè conſtitutum ſub termino, ergo quieſcit, quia quieſcere non eſt aliud, quam eſſe ſub termino.

Confirmatur, vel immediatè poſt illud inſtans poteſt dici, Angelus immediatè ante habuit ſuum adæquatum terminum, vel non: Si primum, ergo etiam valet, immediatè ante incępit quieſcere: Si ſecundum; ergo non habuit in inſtanti terminum completum, quia iam in illo inſtanti non erat ſub termino completo.

23 Dices ſecundò. In illo inſtanti ita concipi cum termino completo, vt tamen concipiatur relinquere priorẽ locum, atque adeò moueri.

Contra. Ex eo, quod concipiatur relinquere priorem locum, concipitur moueri, & ex eo, quod concipiatur ſub termino completo ſui motus, concipitur incipiens quieſcere poſitiuè: ergò in eodem inſtanti erunt ſimul motus, & quies.

24 Ad primum neg. aſſumptum. Quia cum ille locus habeat partes, quæ non ſunt ſimul quoad extenſionem, non poſſunt ſimul acquiri motu adductiuo.

Ad 2. Quidquid ſit de antecedenti, negatur conſequẽtia. Quia eſt diſpar ratio; nam illuminatio fit per productionem, & pars luminis, quæ producitur in vna parte, non producitur in alia; Angelus autem, dum mouetur, fit præſens loco per adductionem, & ideò debet prius adduci ad vnam partem, quam ad aliam.

Ad tertium negatur aſſumptum. Quia tunc ſolum prouenit ex imperfectione virtutis, quod terminus non adducatur totus ſimul, quando ex natura ſua poteſt adduci; ſecus autem quando non poteſt ex natura ſua totus ſimul induci, vt contingit in loco reſpectu motus localis.

25 Ex dictis colligitur. Angelum nõ poſſe moueri motu diſcreto, quia motus diſcretus conſurgit ex pluribus mutationibus inſtantaneis, quibus ſingulis aliquis locus totus ſimul acquiratur, quia, vt dictum eſt, Angelus non poteſt moueri in inſtanti.

An Angelus poſſit moueri de extremo ad extremum non tranſeundo per medium.

SECTIO IV.

26 Medium eſt duplex, alium communicans, ſeu participans, & aliud non communicans, ſeu non participans; communicans tunc habetur, quando terminus, ad quem eſt motus, eſt locus immediatus reſpectu termini à quo, & importat partem termini à quo, & partem termini ad quem: vnde dicitur communicans, quia participat de extremis: non communicans verò eſt illud, quod mediat inter terminum a quo, & terminum ad quem.

27 Prima ſententia abſolutè aſſerit, Angelum poſſe moueri de extremo ad extremum abſque eo, quod pertranſeat medium, ſiue communicans, ſiue non communicãs. Ita D. Tho. 1. *par. q.* 53. *ar.* 2. Caietanus ibid. Bannes *dub.* 2. Cumel *q.* 1. Ferrarienſ. 3. *cont. Gent. cap.* 102. §. *Ad euidentiam.* Capreolus *in* 2. *diſt.* 6. *q.* 1. *artic.* 1. *concluſ.* 3. Durandus *in* 1. *diſt.* 37. *par.* 2. *qu.* 2. Vaſquez 1. *par. diſp.* 196. *cap.* 2. & 3. & alij.

Probant. Angelus mutat ſe de loco ad locum ad libitum: ergo ſicuti in inſtanti poteſt velle eſſe in extremo abſque medio, ita etiam poteſt moueri.

2 Dum Angelus eſt in vno loco poteſt in ipſo produci forma, qua conſtituatur in loco diſtanti, & non in medio, vt contingit in replicatione, ergo, &c.

3 Etiam ſi non tranſeat per medium, ſaluatur tamen eſſentia motus localis: nam adhuc tranſit de loco ad locũ, ergo non repugnat talis motus.

4 Poteſt Angelus moueri motu non continuo, ergo etiam de extremo ad extremum ſine medio. Conſequentia probatur. Quia ſi pertranſiret omnia media, pertranſiret infinita, nempe partes, & puncta, quæ ſunt inter vnum, & aliud extremum, aut ſi pertranſiret tantum aliquem, motus eſſet tranſitus de extremo ad extremum abſque medio.

28 Secunda ſententia aſſerit, Angelum poſſe tranſire de extremo ad extremum ſine medio participante, nõ autem ſine medio non participante. Ita Scotus *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 11. & cæteri Scotiſtæ Albertin. *tom.* 1. *corol.* 16. *ex* 1. *princip. complexo, dub.* 2. *pun.* 1. & *ſeq.* Turrian. *diſp.* 5. *de loco Angelorum dub.* 1. & 2.

Fundantur autem in eo, quod poſſit Angelus tranſire in inſtanti de loco adæquato ad adæquatum immediatũ, quod nos negamus.

29 Tertia ſententia eſt abſolutè negatiua, ita Alenſis, 2. *par. q.* 33. *memb.* 3. Albertus 1. *par. q.* 74. *art.* 2. D. Bonauentura *in* 1. *diſt.* 37. *par.* 2. *art.* 2. *q.* 2. Richardus *art.* 3. *q.* 2. Molina 1. *par. qu.* 53. *art.* 2. Suarez *lib.* 4. *de Angelis cap.* 19.

30 Dico 1. *Angelus non poteſt moueri de extremo ad extremum niſi tranſeat per medium non participans.* Probat. Eo ipſo, quod Angelus egreditur à termino, à quo, debet excipi in termino ad quem, quia dum eſt intra vniuerſum, implicat, quod non ſit præſens loco, ergo non poteſt moueri de extremo ad extremum niſi tranſeat per medium. Conſequentia probatur. Egreſſus à termino à quo, eſt ingreſſus in terminum ad quem: ergo vbi eſt egreſſus, ibi eſt ingreſſus, ita vt non poſſint ſeparari, & vnus eſſe in vno loco, & alter in alio diſtante, alioquin non eſſent idem realiter, & mobile eſſet in diſtinctis locis. Quando autem extremum diſtat per ſpatiũ interpoſitum ab alio extremo, non poteſt concipi, ibi eſſe egreſſum à termino à quo, vbi eſt ingreſſus ad terminum ad quem.

Confirmat. Non poteſt Angelus ſecundum ſuam ſubſtantiam, & durationem intrinſecam, qua coexiſtit tempori, tranſire de vno extremo ad aliud abſque eo, quod tranſeat per medium, ita vt intelligatur coexiſtere vni parti temporis, & poſtea alteri, abſque eo quod coexiſtat intermedijs, alioquin non exiſteret, nec duraret in illis intermedijs, vnde eſſet annihilatus, & poſtea reproductus: ergo neque ſecundum præſentiam poteſt coexiſtere vni parti ſpatij, & poſtea alteri diſtanti, ad quem ſe trãſferat per motum, niſi etiam ſit præſens intermedijs, quia idem ordo eſſentialis, qui eſt inter partes temporis, eſt etiam inter partes loci.

31 Dico 2. *Neque Angelus poteſt tranſire de extremo ad extremum, niſi tranſeat per medium participans*, ſequitur ex dictis, quod Angelus non poſſit moueri de loco adæquato ad adæquatum in inſtanti. Probatur. Motus eſt adductiuus mobilis ad locum, ergo debet eſſe per medium etiam participans.

Conſequentia prob. Adductio dicit ordinem intrinſecum ad locum, & reſpicit terminum localem mediantib. partibus intermedijs, quia ratio adductionis tamquam fundata in loco habet eundem ordinẽ, quem habent partes loci: ergo debet eſſe per medium etiam participans.

32 Confirmatur. Ordo motus localis præfixus à Deo exigit, vt mobile ſit prius in partibus propinquis, quàm in remotis, ergo vt ſit prius tempore, ergo cum non poſſit eſſe ſimul in pluribus partibus, non poteſt in inſtanti moueri ad extremum, niſi tranſeat per medium participans

pans

Digitized by Google

pans. Conſequentia prima probatur. Debet eſſe in illis partibus ſecundum realem præſentiam, prout autē habet realem præſentiam ad ipſas, non poteſt eſſe in extremis, ergo cum realis præſentia importet durationem, debet eſſe prius tempore in partibus prioribus, quàm in poſterioribus.

33 Ad 1. negatur conſeq. Quia cum motus non conſiſtat in voluntate mutandi locum, ſed in acquiſitione loci, debet fieri ſecundum exigentiam loci, atque adeò cum tranſitu per medium.

Ad ſecundum negatur antecedens. Nam implicat trāſitus de loco ad locum abſque medio ſeruata ratione motus localis. Replicatio autem non fit per motum localem, & ideò non debet res replicata adduci per medium.

Ad 3. negatur antecedens. Quia licet eſſentia motus localis in eo conſiſtat, quod ſit tranſitus de loco ad locū, quia tamen hic tranſitus fit ſecundum exigentiam loci, ideò non poteſt fieri niſi per medium.

Ad 4. negatur aſſumptum. Non enim Angelus poteſt moueri motu non continuo, ita vt acquirat aliquem locum totum ſimul, vt patet ex ſupradictis.

An motus Angeli ſit determinatus quo ad velocitatem.

SECTIO V.

34 PRima ſententia aſſerit, non habere terminum, ſed poſſe ſemper creſcere velocitatem, ita vt fiat maior, & maior. Ita Albertin. *tom. 2. corol. 16. dub. 4. punct. 4.* Suarez 4. *de Angelis cap. 29.* & alij.

Prob. Patres docent, Angelum ſtatim adeſſe, vbi voluerit, ergo. 2. Nulla adeſt reſiſtentia medij, qua impediatur motus, ergo.

35 Secunda ſententia aſſerit, velocitatem motus Angeli eſſe determinatam. Ita Vaſquez 1. *par. diſp. 197. cap. 3.* Turrian. *opuſc. de motu Angelor. diſp. 6. dub. 9.*

36 Dico 1. *Velocitas motus Angelici habet aliquem terminum, vltra quem non poteſt creſcere.* Prob. Virtus motiua eſt determinata, ergo etiam velocitas. Conſequentia prob. Quia ex cauſa determinata prouenit neceſſariò effectus determinatus.

37 Dices. Cauſam determinatam habere effectum determinatum quoad eſſe; non quoad modum productionis, ita vt debeat produci in tanto, & tanto tempore. Contra. Velocitas affectiuè dependet à virtute motiua, ergo cum virtus motiua ſit ſecundum ſe totam determinata, erit etiam determinata in ordine ad omne id, quod dependet ab ipſa. Confirm. Virtus motiua exit in actum iuxta libitum Angeli. Ergo ſi Angelus velit, vt adæquatè exeat in actum, tunc cauſabit totam illam velocitatem, quam poteſt. Ergo cum ſit finita, habebit terminum certum, vltra quem non poſſit creſcere.

38 Ad 1. reſp. Quando PP. docent, Angelum ſtatim adeſſe, vbi voluerit, exprimere velocitatem maximam; non autem velle, quod velocitas non habeat terminum. Ad 2. negatur conſequ. Nam ex eo, quod non adſit reſiſtentia impediens motum, non fit, quod non habeat terminum velocitatis; ſed tantum, quod habeat terminum non importantem ſummam velocitatem, vltra quem non poſſit creſcere.

DE GRATIA ANGELORVM.

DISPVTATIO CXXII.

An Angelus fuerit in ſtatu viæ, & gratiæ.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt. Quod cum Angelus ſit intellectualis creatura, habet capacitatem beatitudinis ſupernaturalis, quæ conſiſtit in clara Dei viſione, hinc verò fit, quod poſſit eleuari ad ſtatum ſupernaturalem, in quo ita diſponatur, vt tranſmittatur ad ſupernaturalem beatitudinem; eleuatur autem per dona ſupernaturalia, quorum præcipuum eſt gratia ſanctificans, quæ facit vt natura ſupernaturali modo ſe habeat.

2 Supponendum 2. In Angelis eſſe duplicem ordinem operationum, videlicet naturalium, & ſupernaturalium: Gratia autem non eſt Angeli neceſſaria reſpectu naturalium, vt docet D. Tho. 1. *par. qu. 62. art.* 2. quia actus iſti non excedunt facultatem naturalem, & ideò, quantū eſt ex parte excellentiæ actuum, non eſt opus gratia ſuperaddita, nec quantū eſt ex parte elicientis, quia non habet aliquod impedimentum ad exercendas ſuas vires naturales, ſicuti habet homo, qui impeditur ratione appetitus ſenſitiui, & ab infectione relicta per culpam.

3 Supponendum 3. Angelo fuiſſe neceſſariam gratiam, & dona ſupernaturalia ad aſſequendum ſupernaturalem finem, vt docent communiter omnes cum D. Tho. 1. p. quæſt. 62. art. 2. & eſt certum de fide. Quia eadem ratio militat de ipſo, & de homine: & Scriptura docet aſſequutionem finis ſupernaturalis eſſe donum Dei, vnde PP. docent hoc extendi etiam ad Angelos. Ratio eſt, quia media debent eſſe proportionata fini, vnde finis ſupernaturalis debet acquiri per media ſupernaturalia. Difficultas autem eſt, an Angeli habuerint hunc ſtatum gratiæ diſtinctum à ſtatu poſſeſſionis finis, atque adeò an fuerint in ſtatu ſupernaturali viæ.

4 Dicendum eſt. *Angelos fuiſſe prius in ſtatu gratiæ, ſeu in via antequam conſtituerentur in termino.* Ita cōmuniter PP. præſertim Hieronymus in c. 3. Oſeæ. Gregor. lib. 2. moral. cap. 18. Iſidorus lib. 1. *de ſummo bono* cap. 10. Auguſt. 11. de Ciuit. cap. 13. 14. & 15.

Prob. Ezech. 28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & decore, in delitijs Paradiſi fuiſti,* &c. *Tu Cherubim extentus, & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei in medio lapidum ignitorum: ambulaſti perfectus in vijs tuis à die conditionis.* Quæ verba licet dicantur in perſona Regis Tyri, interpretantur tamen a PP de Angelo. Ita D. Gregorius *hom. 30. in Euang.* Iſidor. *lib. 1. de ſummo bono cap. 10.* Tertull. 2. *contra Marcil. cap. 20.* Auguſt. 11. *de ciuit. cap. 15.* & alij.

5 Dices. Intelligi de naturali excellentia.

Contra. Quia conſtituit perfectionem in vijs, hoc eſt in operationibus, quæ non dicuntur perfectæ, niſi ſint ordinatæ ad ſupernaturalem finem. Rurſus dicitur ſignaculum ſimilitudinis, quod ſolum ratione gratiæ intelligi poteſt, quia gratia eſt ſignum quoddam amicorum Dei. Tertio dicitur plenus decore, ſi autem non eſſet eleuatus ad decorem ſupernaturalem, non eſſet plenus. Quarto dicitur poſitus in monte ſancto, hoc eſt in numero Sanctorum, ſimiliter in medio lapidum ignitorum, hoc eſt Angelorum ardentium ex charitate.

6 Prob. 2. Ioan. 8. *Ille in veritate non ſtetit.* Stare autem in veritate ſignificat permanere in gratia, iuxta illud ad

Digitized by Google

lud ad Galat. 5. *State*, *& nolite iterum iugo ſeruitutis contineri*, & ita interpretantur PP. Aug. *lib.* 1. *cont. Adamantium cap.* 1. Leo Papa *epiſt.* 63. *cap.* 2. *&* 3.

Confirmatur: Iac. 4. *Ecce qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, ſed in Angelis ſuis reperit prauitatem.*

Ratio eſt. Quia natura intellectualis eſt eleuabilis ad finem ſupernaturalem, & ordinabilis per ſuas operationes, itaut per ipſas ad illum promoueatur. Hoc autem fieri non poteſt, niſi conſtituatur in ſtatu viæ ſupernaturalis.

7 Ob. ex epiſt. Io. Papæ ad Iſaac Syracuſanum, quæ habetur 16. quæſt. 2. can. 1. vbi de Dæmone ait. *Dolet ſatis, & erubeſcit charitatem, quam in cælo nequiuit habere homines conſtantes ex cutea maſſa tenere.*

Reſpondetur: Dolere, quod non potuerit tenere perſeueranter, vt *ibidem* explicat Gloſa. Et eodem modo intelligit D. Greg. lib. 32. c. 18. dum de Angelo ait. *Habuit ergo foramina, ſed per ſuperbiæ vitium charitatis aura non ſunt repleta.* Nam intelligit de charitate conſumata, qua Beati immobiliter adhærent Deo.

An Angelus fuerit creatus in gratia.

SECTIO II.

8 PRima ſententia aſſerit, fuiſſe creatum in pura natura, & poſtea gratiam accepiſſe. Ita Ruper. *lib.* 1. *in Geneſ. cap.* 15. *&* 16. Magiſter *in* 2. *diſt.* 3. *&* 4. Alenſis 2. *p. quæſt.* 29. *memb.* 2. D. Bonau. *in* 2. *diſt.* 40. *art.* 2. *q.* 2. Arg. *art.* 2. Marſil. *quæſt.* 4.

Probatur: ſcriptura non docet, fuiſſe creatos in gratia.

Secundo: ſtatim fuiſſet conuerſi in Deum, vnde non potuiſſent amplius per peccatum auerti, quia voluntas Angelorum difficillimè mutat propoſitum.

Tertio: non fuit conueniens, gratiam dari cum natura, ne videretur naturalis.

9 Secunda ſententia aſſerit fuiſſe creatos in gratia ita D. Thom. 1. *p. q.* 62. *art.* 2. Caiet. & Molin. *ibidem*. Bannes *dub.* 1. Cumel. *quæſt.* 1. Vaſq. *diſp.* 227. *cap.* 2. Ferrar. 3. *cont. gent. cap.* 102. Capreol. *in* 2. *diſt.* 4. *quæſt.* 1. *art.* 3. Arriminenſ. *ibidem*. Baſſol. *quæſt.* 2. Durand. *quæſt.* 1. Suarez 4. *de Angelis cap.* 3.

10 Dico primo. *Angelos fuiſſe creatos in gratia*, hæc concluſio deſumitur ex locis ſcripturæ *ſect. præced.* allatis, & traditur communiter à PP. Greg. *libr.* 28. *moral. cap.* 27. Proſpero *lib.* 1. *de vita contempl. cap.* 3. Nazianzeno *oratione* 22. Nyſſeno *lib.* 1. *de homine cap.* 3. Cyrilo *lib.* 6. *in Ioan. cap.* 6. Baſil. *in Pſalm.* 32. Auguſt. 12. *de Ciuit. cap.* 9. & *lib.* 11. *de geneſi ad litt. c.* 11. & *de correp. & gratia cap.* 2. *&* 10.

Probatur: Quia congruum fuit, vt gratia ſtatim daretur, vt perfecta eſſent opera Dei; tum quia creauit in ordine ad ſupernaturalem beatitudinem: vnde ſtatim debuit conſtituere in ſtatu ſupernaturali, vt poſſent ſe conuertere ad Deum: hoc enim exigebat prouidentia, tum quia homo fuit creatus in gratia, vt docent communiter PP. & habetur ex 1. *Decret.* Anacleti Papæ & inſinuatur à concil. Trident. *ſeſſ.* 2. *cap.* 1. *&* 2. ergo etiam Angelus, quia eſt eadem ratio, cum ambo fuerint creati cum ordine ad finem ſupernaturalem.

11 Dico ſecundò. *Angelos in ſua creatione habuiſſe omnes virtutes infuſas concernentes ſtatum viatoris, vt ſpem, charitatem, dona Spiritus Sancti &c.*

Probatur: Quia cum fuerit productus in ſtatu ſupernaturali, pertinebat ad Dei prouidentiam, bonitatem, & ſapientiam, vt conferret illa auxilia, quæ erant neceſſaria, vt commode perueniret ad finem ſupernaturalem, quia hæc dona, & auxilia de lege ordinaria concurrunt cum gratia.

12 Ad primum negatur aſſumptum. Nam adeſt in ſcriptura ſufficiens fundamentum aſſerendi, quod Angeli ſint creati in gratia, vt patet ex *ſect. præced.* accedente præſertim communi conſenſu PP.

Ad ſecundum negatur antecedens. Nam etiam ſi Angeli in primo inſtanti fuiſſent conuerſi in Deum, potuiſſent auerti ex noua occaſione peccandi, nec obſtat, quod voluntas Angeli difficilè moueatur, quia potuit eſſe ita vehemens propoſitio obiecti peccaminoſi, vt ſuperaret illam difficultatem.

Ad tertium negatur antecedens. Nam optimè Angelus cognouit propriam naturam, & conſeq. quod gratia ſibi non conueniat ex extrinſecis principijs, & vt debita.

An Angeli habuerint gratiam ex propria diſpoſitione.

SECTIO III.

13 NOmine diſpoſitionis intelligitur actus quidam liberè elicitus, qui præparet Angelum ad recipiẽdam gratiã, & ſit de congruo meritoria illius, & quia in primo inſtanti creationis Angeli habuerunt gratiam, non potuit iſta diſpoſitio præcedere tempore, ſed natura: rurſus quia eſt ad formam ſupernaturalem, oportet vt ſit in ordine ſupernaturali, & conſequenter quod eliciatur per aliquod auxilium extrinſecum ſupernaturale.

14 Prima ſententia eſt affirmatiua ita Caiet. 2. 2. *quæſt.* 24. *articul.* 3. Ferrar. 3. *cont. gent. capitul.* 110. Bannes 1. *part. quæſt.* 60. *art.* 3. *dub.* 2. Cumel. *quæſt.* 3. Suarez 5. *de Angelis cap.* 8.

Probatur: Modus habendi gratiam eſt nobilior ex genere ſuo, quando habetur per propriam diſpoſitionem, ergo &c.

Secundò: per gratiam habitualem contrahitur ſpeciale vinculum cum Deo, ad hanc autem amicitiam requiritur conſenſus.

Tertiò Homines quoque iuſtificantur ex præuia diſpoſitione.

15 Secunda ſententia eſt negatiua ita Alenſ. 2. *part. q.* 29. *n.* 7. Capreol. *in* 2. *diſt.* 4. *q.* 1. *ad* 1. *conc.* 1. *concluſ.* Molina 1. *part. quæſt.* 62. *art.* 3. *ad* 1.

16 Dicendum eſt. *Angelum in primo inſtanti non habuiſſe gratiam ex præuia diſpoſitione.*

Probatur. Eo pacto conuenit gratia Angelis ratione diuini decreti in primo inſtanti naturæ, quo conueniunt rebus naturalibus perfectiones naturales ex intrinſeca exigentia naturæ, ergo non conuenit ex præuia diſpoſitione. antecedens patet. Quia decretum Dei facit, vt gratia conueniat in primo inſtanti tamquam quid pertinens ad eſſe in ordine ad operationem ſuper naturalem. Conſ. probatur. Quia perfectiones quæ conueniunt ex intrinſeca indigentia naturæ habent connexionem cum natura ex vi productionis; vnde tribuuntur generant, ergo & gratia habet connexionem cum natura ratione diuini decreti ex vi productionis. Rurſus perfectiones quæ pertinent ad eſſe præſupponuntur ad operari, ergo perfectio ſupernaturalis pertinens ad eſſe debet præſupponi ſecundum connaturalitatem ad operationem ſupernaturalem.

Confirmatur. Operatio, quæ conuenit in primo inſtanti debet fundari in intrinſeca virtute naturæ, iſta autem diſpoſitio non fundatur in aliqua intrinſeca virtute ſupernaturali, quæ ſit in Angelo, ergo non poteſt conuenire connaturaliter in primo inſtanti.

Ad primum reſpondetur. Habere gratiam ex propria diſpoſitione non eſſe quid nobilius, quia adhuc iſta diſpoſitio ponitur ex vi extrinſeci auxilij. Deinde etiam ſi eſſet quid nobilius, non tamen eſſet cor naturali modo, quo Angelus conſtitutus eſt in ordine ſupernaturali.

Ad ſecundum per gratiam contrahi amicitiam ad Deum tantum habitualem, ad quam non requiritur conſenſus, vt patet in paruulis quando iuſtificantur.

Ad

Digitized by Google

Ad 3. Ideò adulti debent iuſtificari ex præuia diſpoſitione, quia cum ſint poſitiuè auerſi à Deo, debet tolli iſta auerſio per oppoſitum actum conuerſionis, vt poſſit natura ordinari ad finem ſupernaturalem.

An Angeli conſequuti ſint gratiam ſecundum quantitatem naturalium.

SECTIO IV.

18 SEnſus quæſtionis eſt, an Deus contulerit gratiam Angelis cum proportione ad perfectionem naturalem ipſorum; ita vt perfectioribus Angelis maiorem gratiam contulerit, non quia perfectio naturalis fuerit diſpoſitio ad maiorem gratiam, ſed quia Deus voluerit ex ſua libera diſpoſitione ſeruare hanc proportionem.

Communiter docent, Deum ſeruaſſe hanc proportionem. Ita D. Tho. 1. *par. qu.*62. *art.* 6. Caiet. Bannes, Molina, Cumel *ibid.* Vaſquez *diſp.* 208. *cap.* 2, Suarez 5. *de Angel. cap.* 10.

19 Notandum 1. Gratiam nil aliud eſſe, quam quamdam participationem Diuinæ naturæ, ſecundum quam eleuatur natura intellectualis ad quemdam ordinem Diuinum, iuxta illud 2. Petr. 1. *Vt per hæc efficiamur conſortes diuinæ naturæ.*

20 Notandum 2. Quando aliqua perfectio, quæ ſit formaliter in Deo eſt participabilis, poteſt diuerſis modis, & ſecundum diuerſam menſuram participari; quia cum ſit in Deo infinito modo, habet infinitam communicabilitatem ſui ipſius, quæ non poteſt reduci ad actum per vnicum tantum modum finitum communicationis.

21 Notandum 3. Duplici modo poſſe contingere diuerſitatem gratiæ, videlicet ſecundum intenſionem, & ſecundum menſuram participationis. Primo modo importat ſolam diuerſitatem accidentalem ſecundum magis & minus intenſiuè. Secundo modo importat diuerſitatem eſſentialem non quidem ſpecificam, ſed ſecundum diuerſam menſuram perfectionis, & modum participationis, ita vt in ratione eſſentiali gratiæ ſit magis, & minus, indiuiſibiliter tamen ſe habens, & conſtituens diuerſas rationes quidditatiuas gratiæ.

22 Dicendum eſt. *Angelos iuxta diuerſitatem perfectionis naturalis habuiſſe etiam diuerſam gratiam quoad menſuram, & modum participationis.*

Deſumitur ex PP. Damaſc. 2. fidei cap. 3. Per verbum Dei creati ſunt Angeli, & per beatificationem Spiritus Sancti perfecti pro ſuæ dignitatis, & ordinis perfectione illuminationem, & gratiam participantes. Baſil. lib. de Spiritu S. cap. 16. *Cœlorum virtutes non ſuaptè natura ſanctæ ſunt, ſed iuxta propotionem, qua ſe inuicem ſuperant à Spiritu Sancto habent ſanctificationis menſurã.*

Prob. Licet gratia non ſit debita naturæ Angelicæ, eſt tamen in hoc proportionata, quod illam perficit ſecundum capacitatem, quam habet ad ordinem ſupernaturalem; & ex intrinſeco ſuo ordinatur gratia ad eleuandam naturam. Ergo Angeli iuxta diuerſitatem perfectionis habuerunt etiam diuerſam gratiam ſecundũ modũ participationis, quia gratia debet ſeruare proportionem ad eleuabilitatem naturę.

23 Obijc. Non videtur veriſimile, quod Deus contulerit Lucifero maiorem gratiam cæteris, quia ſciebat eſſe damnandum, ergo &c.

Reſpondetur negan. antecedens. Quia gratia non fuit collata Angelis ea præſcientia futuri euentus, ſed vt natura Angelica eleuaretur ad ſtatum ſupernaturalem; cum autem Lucifer habuerit ſuperiorem naturam, debuit eleuari per gratiam perfectiorem.

24 Obijc. 2. In hominibus nõ ſeruauit Deus hanc proportionem, nã aliquibus maiorem gratiam contulit, cum tamen omnes ſint æquales in natura, ergo, &c.

Reſpondetur negando conſequentiam. Nam inæqualitas in hominibus non eſt ſecundum participationem, ſed ſecundum intenſionem: proportio autem debet attendi ſecundum modum participetionis.

An Angeli habuerint in via cognitionem Dei ſupernaturalem.

SECTIO V.

25 QVæſtio procedit de cognitione abſtractiua, quia intuitiua non eſt cõueniens ſtatui viatoris; quia autem non poteſt dari cognitio Dei abſtractiua per propriam ſpeciem, hæc cognitio non potuit eſſe aliter quàm per reuelationem. Communiter autem conueniunt, quod Angeli habuerint cognitionem ſupernaturalem in ordine ad finem ſupernaturalem. Difficultas autem eſt, an iſta cognitio fuerit fides.

26 Prima ſent. negat. Ita Durand. *in* 3. *diſt.*23. *q.*9. D. Bonau. *ar.* 2. *q.*3. Scotus *in* 4. *diſt.* 10. *q.*8.

Prob. Myſteria, quæ nos fide cognoſcimus, fuerunt Angelis euidentia, nam euidenter cognoſcebant, Deum non poſſe mentiri, & euidenter cognoſcebant reuelationem, ergo euidenter inferebant veritatem rei reuelatæ.

27 Secunda ſent. aſſerit, fuiſſe fidem, ita D. Tho 2. 2. q. 5. ar. 1. Alber. 2. par. qu. 20. memb. 2. Paludan. in 3. diſt. 23. q. 4. Cumel 1. par. q. 62. ar. 3. q. 2. Suarez 5. de Angelis cap. 5.

28 Dico primo, *Angelos in via habuiſſe cognitionem Dei ſupernaturalem, & eorum, quæ concernebant ſtatum ipſorum.*

Probat. Angeli fuerunt ſufficienter conſtituti in ſtatu viatoris in ordine ad finem ſupernaturalem; ergo pertinet ad Dei prouidentiam, vt ſufficienter prouideat de medijs, ergo habuerunt cognitionem ſupernaturalem. Conſequ. prob. Quia cognitio iſta eſt quidam progreſſus, quo Angelus tendit ad vltimum finem; progreſſus autem debet eſſe ſupernaturalis, cum debeat eſſe in eo ordine, in quo eſt finis.

Confirm. Homo indiget cognitione ſupernaturali, vt definitum eſt in Trid. ſeſs. 6. can. 3. de iuſtificatione, ergo etiam Angeli. Conſequ. prob. Quia talis neceſſitas in homine fundatur in eo, quod actus naturales ſunt improportionati fini ſupernaturali.

Confirmatur ſecundò. Angeli habuerunt operationem ſupernaturalem voluntatis, ergo etiam cognitionem, quia actus voluntatis fundatur in actu intellectus, & illi proportionatur.

29 Dico 2. *Hanc cognitionem fuiſſe fidem ſupernaturalem infuſam.* Deſumitur 1. Corinth. cap. 5. *Dum ſumus in corpore peregrinamur ad Dominum, per fidem verò ambulamus, & non per ſpeciem.* Hoc autem habet locum etiam in Angelis, quia & ipſi quoque dum erant in via, non cognouerunt Deum per ſpeciem, & peregrinabantur ad ipſam.

Prob. talis cognitio erat ſupernaturalis abſtractiua, certa, & infallibilis, quia erat data à Deo, & non erat per medium cognitum, quia nullum tale medium datur, quod ducat in cognitionem Dei, ſicuti eſt, ergo fuit fides, quia non fuit alia cognitio, niſi ex reuelatione.

Confirmatur. Sola fides eſt cognitio proportionata viatori quoad ea, quæ concernunt fidem ſupernaturalẽ. ergo &c. Antecedens probat. Nam cognitio euidens eorum, quæ pertinent ad terminum viatoris, eſt debita ipſi. Rurſus eſt debita aliqua cognitio ipſorum, vt poſſit ea ſperare, & ſe in fine dirigere: ergo debet eſſe fides.

30 Dico tertio. *Hanc cognitionem habitualiter fuiſſe infuſam Angelo in primo inſtanti creationis.*

Probatur. In primo inſtanti fuit Angelus conſtitutus in ſtatu viatoris. Ergo habuit omnia, quæ erant neceſſaria pro illo ſtatu, & conſequenter etiam fidem.

Confirm. Quia fides de lege ordinaria datur ſimul cũ gratia.

Digitized by Google

3 Ad fundamentum oppoſitum negatur antecedens. Ad probationem, vndè tantum ſequi, quod Angelus habeat euidentiam in teſtificante, quæ non facit, vt obiectum in ſe ipſo clarè innoteſcat, quia adhuc innoteſcit in reuelatione teſtificantis, & cognitio illa innititur auctoritati ipſius.

DE MERITO ANGElorum.

DISPVTATIO CXXIII.

An Angeli in primo inſtanti exercuerint actus gratiæ.

SECTIO I.

1 VT videamus, an Angeli in primo inſtanti meruerint, inquirendum eſt, an in primo inſtãti habuerint actus ſupernaturales gratiæ liberè exercitos: meritum enim conſiſtit in aliquo ex his actibus.

Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Caietanus *ſecũda ſecundæ, quæſtion. 24. articul. 3. ad tertium*. Ferrarienſ. 3. *contr. gentes, capit.* 110. Bannes 1. *par. qu.* 62. *articul.* 3. *dub.* 2. Cumel *quæſtion.* 3. Vaſquez *diſp.* 228. *cap.* 1. Suarez 5. *de Angelis cap.* 7.

Probatur. Angeli mali habuerunt aliquem bonum motum erga Deum vt auctorem ſalutis, & gratiæ, iuxta illud Ezechielis 28. *Plenus ſapientia in delicijs Paradiſi fuiſti, & in medio lapidis ignitorum ambulaſti*, ergo &c.

Secundò. Fides debet eſſe voluntaria, & non infunditur abſque conſenſu, quando adeſt capacitas conſentiendi, ergo &c.

3 Moralis vita debet inchoari à perfecta intentione finis, atque adeò ab actu ſupernaturalis, ergo, &cæter.

2 Secunda ſententia eſt negatiua, ita Alenſis 2. *parte quæſtion.* 24. *m.* 1. *articul.* 7. & deſumitur ex Diu. Thoma *quæſt.* 16. *de malo art.* 4. *ad* 3. 14. 15. *&* 22. *&* 1. *par. qu.* 63. *art.* 6.

3 Notandum primò. Alios eſſe actus naturales, alios liberos. Differunt, quia naturales ſunt veluti inſiti naturæ; liberi verò ſunt ſub dominio elicientis, ita vt ex poteſtate ſua illos promat, naturales tribuuntur generati, quia ipſos imprimit naturę: liberi verò non tribuuntur, quia ſunt ex poteſtate elicientis.

4 Notandum ſecundò. Actus, qui conueniunt in primo inſtanti, habere eamdem menſuram durationis, quã habet natura operans; quia in eodem inſtanti incipiunt durare, & quia duratio aut eſt ipſa exiſtentia, aut illam conſequitur, & ideò ſecundum exiſtentiam habent eandem menſuram.

5 Dicendum eſt. *Angelum in primo inſtanti non potuiſſe habere actus ſupernaturales in ordine ad finem ſupernaturalem.*

Probatur. Actus ſupernaturales important progreſſum, quo viator tendit ad terminum: ergo non potuerunt conuenire Angelo in primo inſtanti. Conſequentia probatur. Quia iſte progreſſus debet eſſe voluntarius, & progrediens ex intrinſeca poteſtate operantis; quæ ſe dirigat in finem; ſi autem conuenirent in primo inſtanti, eſſet impreſſus ab ipſo producente.

6 Dices. Adhuc præuenire ab intrinſeca virtute operantis, quia in eodem inſtanti exit in actum.

Contra. Non poteſt cauſa exire in actum ex proprio conatu, niſi ſit relicta ſuæmet virtuti. In primo autem inſtanti non eſt relicta, quia nondum illam poſſidet in ſe, ſed accipit à producente.

Secundò fieri, & factum eſſe non poſſunt ſimul in eodem inſtanti, quia factum eſſe ſupponit primum inſtans productionis; operatio autem ex proprio conatu operantis fundatur in facto eſſe, & ſupponit ipſum fieri.

7 Confirmatur. Angelus in primo inſtanti non potuit liberè operari, ergo &c.

Antecedens probatur. Actus liber dependet quoad exiſtentiam ab alio actu operantis exiſtente; requiritur enim apprehenſio obiecti, & propoſitio ipſius; omnis autem dependentia importat poſterioritatem, & depẽdentia ſecundum exiſtentiam importat poſterioritatem exiſtentiæ: poſterioritas autem ſecundum exiſtentiam eſt ſecundum durationem.

8 Dices. Sufficere prioritatem naturæ.

Contra. Poſterioritas ſecundum exiſtentiam actualem eſt etiam ſecundum durationem; poſita autem dependentia ſecundum exiſtentiam ponitur poſterioritas ſecundum exiſtentiam. Secundo, ideò partes temporis non ſunt ſimul duratione, quia vna ſupponit aliam quo ad exercitium exiſtentiæ. Sed quod dependet ab alio quoad exiſtentiam, ſupponit ipſum quoad exiſtentiam, & durationem, ergo &c.

Tertiò. Dependentia ratione naturæ fundat poſterioritatem naturæ: ergo dependentia ratione naturæ fũdat poſterioritatem exiſtentiæ, atque adeò durationis.

9 Confirmatur ſecundò. In primo inſtanti non exiſteret cognitio neceſſaria ad liberè operandum, ergo, &cæt.

Antecedens probatur. Quia ad talem operationem requiritur cognitio practica, quæ ſit menſura operationis. Hæc autem cognitio formatur ab ipſo operante, & fundatur in cognitione ſpeculatiua; ex eo enim quod Angelus cognoſcit, quid poſſit operari, in ordine ad quem finem, cum quibus circumſtantijs, format ſibi cognitionem practicam, quæ ſit menſura operationis eliciendæ. Hæc autem cognitio exigit eſſe poſterior ſpeculatiua, tum quia prouenit ab ipſa, tum quia ſupponit actum voluntatis applicantis intellectum ad talem cognitionem practicam formandam.

10 Ad primum negatur antecedens. Nam Angelus in primo inſtanti non habuit bonum motum in Deum, vt auctorem gratiæ. Dicitur autem *plenus ſapientia*, habituali, videlicet loquendo de ſupernaturali, dicitur. *In delicijs Paradiſi fuiſti*, quia habuit dona gratiæ tam habitualis, quàm actualis; dicitur *in medio*, &c. quia erat inter Sanctos Angelos, & peccauit, quando illi fuerunt lapides igniti ratione charitatis.

Ad ſecundum. Solum actum fidei debere eſſe voluntarium, non autem habitum. Deinde Angelus in primo inſtanti non erat capax liberi conſenſus.

Ad tertium: moralem vitam in Angelis non fuiſſe inchoatam in primo inſtanti quoad actualem tendentiam in finem, ſed ſolum quoad habitum.

An, & quomodo Angeli meruerint beatitudinem.

SECTIO II.

11 SVpponendum eſt. Angelos obtinuiſſe beatitudinem ex merito, vt docet Diuus Auguſtinus, *de Ciuitate Dei libr.* 12. *capit.* 16. *&* 19. Gregorius, *libr.* 27. *moral. capit.* 25. & communiter alij Patres, inixi Scripturæ aſſerenti, beatitudinem eſſe præmium, & mercedem. Difficultas ergo eſt quomodo meruerint.

12 Prima ſententia aſſerit, meruiſſe per opera ſubſequentia beatitudinem, ita vt fuerit collata ex præuiſione meritorum, quæ erant in ipſa beatitudine operaturi, præſertim cuſtodiendo homines. Ita Magiſter *in 2. d. 5. cap. vlt.* Altiſiodorenſ. *in Summ. lib. 2. cap. 8.*

Probatur. Angeli Beati exercent opera, per quę poſſunt mœreri, vt eſt hominum cuſtodia, ergo &c.

Secundò. Tempus mœrendi extenſum eſt vſque ad diem iudicij.

Tertiò. Meritum vnius, vel duorum inſtantium non poteſt eſſe magnum, quale eſt meritum Angelorum.

13 Secunda ſententia ait, Angelos in eodem inſtanti meruiſſe beatitudinem, & ſimul beatos fuiſſe. Ita D. Tho. *in 2. diſt. 5. q. 2. ar. 2.* D. Bonau. *q. 1. ar. 3.* Aegidius *q. 2. ar. 2.* Richardus *ar. 2. q. 2.* Marſil. *qu. 3. ar. 2.* Albert. *2. par. q. 19.* Caietan. *1. par. qu. 66. ar. 6.* qui tamen differt ab alijs, aſſerens etiam in primo inſtanti meruiſſe.

Fundamentum eſt. Quia non repugnat meritum eſſe ſimul cum præmio, ſicuti in eodem inſtanti, in quo quis meretur augmentum gratiæ, illam recipit.

14 Tertia ſententia aſſerit, Angelos prius tempore meruiſſe beatitudinem, & poſtea recepiſſe. Ita D. Th. *1. par. q. 62. ar. 5.* Molina *ibidem.* Bannes *q. 63. ar. 6. dub. 3.* Vaſquez *diſp. 229. cap. 3.* Capreolus *in 2. diſt. 4. qu. 1. ar. 1.* Ferrarienſ. *3. contr. gent. cap. 100.* Scotus *in 2. diſt. 5. qu. 1.* Suarez *6. de Angelis cap. 1. & 3.*

15 Notandum primò. De potentia Dei abſoluta non repugnare meritum cum viſione beata; patet in Chriſto qui ſimul videbat Deum, & merebatur; vnde meritum, quantum eſt ex intrinſeca ſua ratione, non petit fundari in fide, ſed ſufficit aliqua alia cognitio, quę ſupernaturalis ſit, quia non poſſunt opera bona dirigi in Deum per charitatem, niſi in virtute alicuius cognitionis ſupernaturalis; quia ſicuti voluntas requirit cognitionem vt operetur; ita habitus ſupernaturalis charitatis requirit cognitionem ſupernaturalem.

16 Notandum ſecundò. Angelorum merita fuiſſe ſecundum regularem prouidentiam ſupernaturalem, qua Deus dirigit in finem ſupernaturalem, quia cum omnes Angeli fuerint conſtituti in ſtatu mærendi, debuit Deus conſtituere aliquem ordinem prouidentiæ vniuerſalem, ratione cuius mereremur; atque adeò qui eſſet ſecundũ ordinariam potentiam; potentia enim abſoluta non exercetur vniuerſaliter circa omnes, ſed tantũ circa aliquod ſpeciale indiuiduum.

17 Dico primò. *Angelos non mæruiſſe Beatitudinem per merita ſubſequentia eandem Beatitudinem.*

Probatur. Vel beatitudo datur per merita, vel non. Si primum, ergo in exequutione debent præcedere, quia ſunt medium, & via ad ipſam, & aliquo modo influunt ad illius aſſequutionem. Si ſecundum, ergo iam non ſunt neceſſaria, quia beatitudo non datur per merita.

18 Dices: dari per merita præuiſa.

Contra. Quia licet merita præuiſa poſſint eſſe motiua reſpectu intentionis dandi gloriam, non tam poſſunt eſſe reſpectu exequutionis, quia exequutio dependet à meritis.

2 Merita ſe habent vt medium: de ratione autem medij eſt, quod in exequutione præcedat aſſequutionem finis.

19 Confirmatur. Si beatitudo fuiſſet conferenda Angelis ex meritis ſubſequentibus, omnes Angeli fuiſſent Beati, quia Deus beatificaſſet independenter à libero motu ipſorum, & præuidiſſet quod collata beatitudine omnes habuiſſent merita, quia exercuiſſent eoſdem actus.

20 Dico ſecundò. *Meritum Angelorum non fuiſſe in eodem inſtanti, in quo fuerunt beati, ſed tempore præceſſiſſe.*

Probatur. Præmium non poteſt eſſe principium meriti, ergo Angeli meruerunt ante beatitudinem. Antecedens patet. Quia præmium ſupponit meritum, à quo aliquo modo cauſatur. Conſequentia probatur. Quia viſio beata eſt præmium, & ideò non poteſt eſſe illa cognitio, in qua fundatur meritum. Rurſus ad meritũ requiritur aliqua cognitio ſupernaturalis, quæ verſetur circa finem ſupernaturalem, & non poteſt eſſe per propriam ſpeciem, nec per medium cognitum, vt patet ex dictis: ergo debet eſſe fides: fides autem non manet cũ viſione beata.

21 Dices. Chriſtum meruiſſe abſque fide.

Contra. Quia id fuit ex ſpeciali priuilegio, quia erat ſimul comprehenſor, & viator: hoc autem non poteſt affirmari de Angelis, quia eſt ſine fundamento, & præter rerum naturam. Secundò; meritum Chriſti nõ erat ordinatum ad ſibi ipſi obtinendam beatitudinem, ſed ad alios ſaluandos.

22 Confirmatur. Status viæ, & meriti fundantur in illis actibus, qui important tendentiam ad finem, & terminum: ergo meritum non poteſt eſſe ſimul cum præmio. Conſequentia probatur. Quia ſtatus viæ, & termini ſunt diuerſi.

23 Dices. Sufficere, ſi ſtatus viæ præcedat in priori naturæ.

Contrà. Status viæ, & ſtatus termini inuicem opponuntur, & quilibet exigit aliquam partem temporis, in quo duret, ergo &c. Secundò. Quamdiu aliquis eſt in via, non intelligitur in termino, ergo &c.

Tertiò. Via ad ſupernaturalem finem non importat poſſeſſionem illius, neque ſimultaneè, quia dicit tendentiam in Deum per amorem deſiderij, vt ex natura ſua defectibilem: quando autem poſſidetur vltimus finis, excluditur in illo inſtanti amor deſiderij, & defectibilitas illius.

24 Confirmatur. Status viæ eſt ſtatus ſpei reſpectu vltimi finis, ita vt debeat viator per ſpem tendere in vltimum finem: ergo excludit ſtatum termini, quia ſpes non poteſt eſſe de obiecto præſenti.

25 Ad primum primæ ſententiæ negatur antecedens, quia Angeli per miniſteria, quæ exhibent hominibus, non poſſunt mereri, quia ſunt iam in termino.

Ad ſecundum. Tempus mærendi eſſe extenſum vſq. ad finem mundi reſpectu generis humani, non verò reſpectu Angelorum, & ſingulorum hominum.

Ad tertium. Meritum vnius inſtantis potuiſſe eſſe maximum iuxta quantitatem diuinæ motionis, potuit enim Deus per ſuam gratiam mouere Angelos ad mœrendum totam illam beatitudinem in vno inſtanti, ad quam illos prædeſtinauerat.

26 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ, ſecundum legem ordinariam non poſſe eſſe ſimul meritum, & præmium, quando præmium pertinet ad rationem termini: augmentum autem gratiæ non pertinet ad rationem termini, ſed ad rationem viæ.

27 Obijc. ex Innocentio Papa cap. *Cum Marthæ*, de *celebr. Miſſarum.* Vbi videtur approbare meritum creſcere in beatis vſque ad diem iudicij. Ait enim: *Plerique reputant non indignum Sanctorum gloriam vſque ad iudicium augmentari.*

Reſpondetur. Loqui de gloria accidentali: explicat enim illa verba, quæ in quibuſdam Eccleſiæ precibus continentur, quod oblatio proſit Sanctis ad gloriam, & honorem. Gloria autem accidentalis conſiſtit in extrinſecis, vt in honore, & culto exhibito.

DE

Digitized by Google

DE BEATITVDINE ANGElorum.

DISPVTATIO CXXIV.

An Angeli fuerint beati in primo inſtanti.

SECTIO I.

1 Beatitudo alia naturalis, alia ſupernaturalis, naturalis conſiſtit in naturali cognitione Dei, & amore ipſius cum indefectibilitate, quoad rectitudinem naturalem; hoc enim pacto creatura coniungitur ſuo vltimo fini naturali; ſupernaturalis verò conſiſtit in clara Dei viſione. Rurſus vtraque conſiderari poteſt in ſtatu perfecto, & imperfecto; primo modo dicit ipsā actualem vnionem completam cum vltimo fine: Secundo modo dicit tendentiam ad ipſam, aut aliquam partē ipſius beatitudinis.

2 Dico 1. *Angelos habuiſſe in primo inſtanti aliquā partem beatitudinis naturalis.* Ita Fulgentius *de fide ad Petr. cap.* 3. & D. Aug. 11. *de Ciuit. cap.* 11.

Probatur. In primo inſtanti habuerunt cognitionem Dei, vt auctoris naturæ, & voluntatem rectam, ita vt poſſent poſt primum inſtans exire in actum amoris erga vltimum finem, ergo &c.

3 Dico ſecundò. *Angelos non fuiſſe creatos in completa Beatitudine ſupernaturali.*

Probatur. Quia peccauerunt; beati autem non poſſunt peccare, quia amant Deum, qui cum ſit ſummum bonum, complete ſatiat appetitum ipſorum.

4 Dico tertiò. *Neq; Angelos bonos fuiſſe creatos cum perfecta Beatitudine ſupernaturali.* Ita D. Tho. 1. *par. q.*62. *ar.*2. & communiter.

Probatur. Angeli ita creati ſunt vt poſſent liberè operari mærendo, & peccando; Si autem creati fuiſſent cum beatitudine non potuiſſent peccare, ergo, &c. Maior traditur communiter à PP. Greg. Papa *ho.*7. *in Ezech.* Fulg. *de fid. ad Pet. cap.* 3. Proſper. *de vita contemplatiua lib.* 1. *cap.*3. Anſelm. *de caſu diaboli cap.* 15. *&* 24. Auguſt. *de corrept. & gratia, cap.*10. *&* 11.

Confirmatur. Cum creatura rationalis ſit perducibilis ad finem per merita, exigit prouidentia, vt per merita perducatur.

5 Dico quartò. Angelos habuiſſe in primo inſtanti beatitudinem ſupernaturalem inchoatiuè per dona gratiæ.

Probatur. Quia Angelus fuit perfectiſſimus quoad dona ſupernaturalia, quibus inchoatur beatitudo iuxta illud Ezech. 28. *Plenus ſapientia in delitijs.*

In quo inſtanti Angeli receperint beatitudinem.

SECTIO II.

6 FVit error Origenis, Angelos deputatos ad cuſtodiam non eſſe beatos, ſed adhuc eſſe in via, ita vt poſſint mœreri, & peccare.

Supponendum tamen eſt, omnes eſſe beatos, vt habetur ex illo Matth. 12. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei*, ex quo ſequitur ante Chriſti reſurrectionē fuiſſe beatus, & proinde neq; fuiſſe expectādā Incarnationem, quia licet dependenter ab ipſa fuerint beatificati, ſufficit, quod intuitu meritorum præuiſorum Chriſti fuerit colleſa.

2 Supponendum ſecundò. Angelos fuiſse beatificatos paulo poſt ipſorum productionem, vt docent communiter PP. Cum enim mali fuerint puniti ſtatim poſt vnum actum demeriti, nam iam erant damnati, quando ſerpens decepit primum Parentem, conueniens fuit, vt boni poſt vnum actum meriti beatificarentur. Difficultas ergo eſt, quanta fuerit mora à creatione ad beatificationem, ſeu in quo inſtanti fuerint beatificati.

3 Prima ſententia aſserit, viam Angelorum fuiſse terminatam in primo inſtanti, & proinde durante tantum per vnicum inſtans diuerſimodè autem explicatur, aliqui enim aſserunt in primo inſtanti fuiſse creatos in pura natura, in ſecundo autem fuiſse ſanctificatos ſanctificatione conſumata, per gloriam. Ita D. Thom. *in* 2. *diſtinct. articul.* 3. *quæſt.* 2. Aegidius *quæſt.* 2. *artic.* 2. Alij verò in primo inſtanti meruiſse, in ſecundo vero fuiſse beatificatos. Ita Ferrar. 3. *cont. gent. capit.* 110. Alij verò in primo inſtanti meruiſse, & fuiſse pure viatores; in ſecundo verò bonos continuaſse meritum, & ſimul recepiſse præmium, malos verò peccaſse, & eſse punitos. Ita Caiet. 1. *part. quæſt.*63. *art.*6.

4 Secunda ſententia ponit tria inſtantia, quæ tamen diuerſimodè aſſignantur. Alij aſſerunt in primo inſtanti fuiſse omnes in puris naturalibus, in ſecundo bonos in gratia, & merito, & malos in peccato, in tertio verò fuiſſe præmiatos, vel damnatos. Alij verò aſserunt in primo inſtanti omnes meruiſse', in ſecundo alios perſeueraſse, & alios peccaſse, in tertio omnes fuiſse in termino iuxta meritum, vel demeritum ita Scotus *in* 2. *diſt.*5. *quæſt.*2. Capreol. *diſt.*4. *quæſt.* 1. *concluſ.* 4. *&* 5. differt tamen ab alijs, quod non vult in primo inſtanti meruiſse, Molina 1. part. quæſt. 63. art. 6. Suarez 6. de Angelis cap. 3.

5 Tertia ſententia ponit quatuor inſtātia, ita vt in primo fuerint omnes Angeli in pura natura; in ſecundò omnes receperint gratiam, in tertio boni meruerint, & mali peccauerint, & in quarto boni præmiati ſint, & mali puniti, ita refert Scot. cit.

6 Notandum primò. Cum quærimus, quot inſtantibus conſtauerit via Angelorum, nomine inſtantis intelligi partes breues temporis, non autem inſtantia indiuiſibilia; cum enim importent ſtatum Angeli, in quo fuit in tendentia reſpectu vltimi finis, non poſſunt eſſe inſtantia Matematica, quia non debuit meritum, & demeritum eſſe inſtantaneum.

7 Notandum ſecundò. Hæc inſtantia conſtitui per ordinem ad diuerſas operationes Angelorum ſibi ſuccedentes; quia autem important diuerſum ſtatum, ideò debent fundari in ijs tantum operationibus, quæ ſufficiunt ad fundandum diuerſum ſtatum Angelicum.

8 Notandum tertiò. Angelos bonos habuiſse plures actus meriti circa plura obiecta, quæ ijs fuerant propoſita, & Angelos malos plures actus demeriti. Peccauit enim per ſuperbiam, & alijs ſuadendo malum, atque alijs modis, vt conſtabit ex dicendis: hi tamē omnes actus ſiue meriti, ſiue demeriti conſtituunt vnum tantum integrum actum, quia omnes connexi ſunt cum vno principali conuerſionis ad Deum, vel auerſionis ab ipſo. Hinc autem fit, vt non varientur inſtantia Angelica, quia non variantur ſtatus Angeli, ſed relinquunt in eo, in quo per principalem actum conſtituuntur.

9 Notandum quartò. In via Angelorum conſtituendum eſſe primum inſtans creationis, in quo non fuerint creati cum Beatitudine, non poteſt autem eſſe inſtans puræ naturæ, quia fuerunt creati in gratia vt patet ex dictis.

10 Notandum quintò. Hoc primum inſtans importare ſtatum eleuationis ad ſupernaturalem ordinem; cum enim fuerint creati in gratia, nec potuerunt in illo primo inſtanti exercere actus liberos gratiæ

conſtituendum eſt primum inſtans viæ diuerſum a cœteris, quod importet ſtatum habitualis tendentiæ ad finem.

11 Notandum ſextò. Cum Angeli non fuerint beati in eo inſtanti, in quo meruerunt, vt diximus ſuperius, hinc fit, vt ſit conſtituendum ſecundum inſtans viæ, in quo aliqui meruerint, & aliqui peccauerint, & conſequenter non potuit via Angelorum per primum inſtans terminari.

12 Notandum ſeptimò. Angelum poſt vnicum actũ meriti fuiſſe beatificatum; debet enim cuilibet naturæ intellectuali definiri certus terminus viæ; cum autem hæc præfinitio nõ poſſit eſſe in Angelis cum proportione ad finem vitæ ſubſtantialis, vt contingit in homine, quia Angelus immortalis eſt, debet eſſe cum correſpondentia ad operationẽ, quæ eſt vita accidentalis ipſius; & ideò terminata aliqua operatione meriti, & demeriti, debet conſtitui in termino.

13 Ex hic colligitur, Angelos in tertio inſtanti fuiſſe in termino, ita vt primum inſtans fuerit naturæ eleuatæ per gratiam ſecundum meriti, vel demeriti; tertium præmij, vel pænæ.

14 Obijc. Ex hoc ſequeretur, Angelos malos numquam fuiſſe conuerſos in Deum per actum amoris.

Reſpondetur. Hoc nedum eſſe inconueniens, ſed etiam conueniens, quia cum Angeli ſint beatificati per vnicum actum meriti, fuiſsent omnes beati, quia omnes fuiſſent conuerſi in Deum, & conſumaſſent meritum fundatum in amore erga Deum.

DE PECCATO ANGELORVM.

DISPVTATIO CXXV.

An Angeli peccauerint ex aliqua inconſideratione.

SECTIO I.

1 SVpponendum tamquam certum de fide contra nonnullos hæreticos, quos refert Coccin. *in theſaur. lib.* 4. *art.* 5. dari aliquos Angelos malos, vt colligitur ex tentatione primi parentis, & deſumitur ex Tob. 3. & 6. & ex Iob 1. Matth. 12. Apoc. 20. & experientia docet in arreptitijs, in quibus videmus effectus aliquos, qui ſuperant vires naturales, & ſunt intrinſecè mali, ita vt non poſſint eſſe neque à Deo, neque ab aliqua creatura bona.

2 Supponendum ſecundò contra Manichæos, & Priſcilianiſtas. Nullos Angelos eſſe natura ſua malos, vt definitum eſt in Concilio Lateran. *ſub Innocentio*, & habetur in cap. *Firmiter* de *ſumm. Trinit.* Ratio eſt. Quia cum ſint quædam natura ſubſtantialis intellectualis, habeat ſuam perfectionem, & conſequenter bonitatem in eſsendo.

3 Supponendnm tertiò. Cum natura Angelica libera ſit, ita vt poſſit ſe flectere in vtramque partem, poſſe etiam peccare, & fieri mala, quoad operationem; poteſt enim eligere malum, & deficere à debita rectitudine in operando; & hoc de fide eſt, cum habeamus ex Scriptura, aliquos Angelos de facto peccaſſe.

4 Supponendum quartò. Angelos non peccaſſe ex aliquo errore, vel inconſideratione ſpeculatiua, quia cũ cognouerint res per proprias ſpecies, non potuerunt errare circa ipſas, nec habere aliquam inconſiderationem, quia propria ſpecies facit rẽ innoteſcere perfecto modo. Similiter cognitio ſupernaturalis fidei non poteſt eſſe falſa, quia fuit à Deo; aut in ipſa Angelus habere aliquam inconſiderationem, quia actu cogitabat de obiectis reuelatis.

5 Supponendum quintò. Voluntatem non poſſe peccare, niſi præcedat in intellectu aliquis error practicus, cum enim actus peccaminoſus deficiens ſit, & menſuretur per directionem intellectus, à quo voluntas dirigitur, debet in intellectu præcedere aliquis defectus, qui refundatur in ipſam operationem; alioquin, ſi operatio per rectam cognitionrm dirigeretur, eſſet recta, & non deficiens. Hinc eſt illud axioma, *Omnis pecans ignorans*. Difficultas autem eſt; an Angeli peccauerint ex aliqua inconſideratione practica.

6 prima ſententia eſt negatiua: ita Scot. *in* 3. *diſt.* 36. *q.* 1. Gabriel *art.* 2. Palatius *in* 2. *diſp.* 2. Valent. 3. *par. d.* 4. *q.* 14. *pun.* 3.

Prob. Ezech. 28. *In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti*; negotiatio autem ſignificatur per cogitationem. Rurſus: *Perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo*; vbi autem eſt ſapientia, non eſt inaduertentia. Præterea. Iſa. 14. *Qui dicebas in corde tuo, in Cælum conſcendam*, &c. vnde cognouit, quid ageret, ergo, &c.

2 Non apparet, quænam inconſideratio potuerit eſſe in Angelis, cum habuerint plenam ſcientiam.

3 Angeli boni pugnauerunt cum malis pugna intellectuali, quæ in eo conſiſtebat, quod boni oſtenderent malis prauitatem electionis.

4 Quia cum peccauerint contra obiectum ſupernaturalem, habuerunt per reuelationem actualem conſiderationem de ipſo.

7 Secunda ſententia aſſerit, peccaſse ex inconſideratione, ita communiter Thomiſtę, & ſequitur Suarez 7. *de Angelis c.* 7. cũ D. Tho. 1. *par. q.* 63. *ar.* 1. *ad* 4.

8 Dicendum eſt. *Angelos peccaſſe ex inconſideratione practica.*

Probatur. Angelus peccauit appetens malum ſub ratione boni; ergo non perfectè conſiderauit. Antecedens patet. Quia omnis peccans eligit malum, & voluntas non poteſt aliquid eligere, niſi ſub ratione boni. Conſequentia probatur. Quia ſi perfectè conſideraſſet, cognouiſſet, quod illud non erat ſibi bonum, quod vt bonum proſequebatur.

Confirmatur primò. Ad peccandum requiritur aliquis error, vbi autem eſt error, non eſt plena cognitio vera, quia ipſa excludit omnem errorem; vbi autem non eſt plena cognitio, ibi eſt aliqua inconſideratio, quia non conſiderantur omnia, quæ poſſunt conſiderari.

Confirmatur ſecundò. Angelus peccauit cum libertate indifferentiæ: ergo cum inconſideratione. Conſequentia probatur. Quia habebat cognitionem, quæ impelleretur ad peccandum, & qua retraheretur, & hæc erat verè, & rectè perſcribens operationem. Si autem nulla fuiſſet inconſideratio, potuiſſet cognoſcere præſcriptionem illius, quam ſequebatur non eſſe rectam, atque adeò non peccaſſet.

9 Ad primum reſpondetur, probare tantùm, quod habuerint plenam ſcientiam ſpeculatiuam, & quod non obſtantibus plurimis motiuis ad non peccandum, nihilominus peccauerint; et quod actu cognouerit peccatum & tamen permiſerit ſe decipi, & falſa cognitione, qualis erat illa, quando dixit, *In Cęlum ego conſcendam*, &cæt.

Ad ſecundum negatur antecedens. Nam tunc non habuit plenam ſcientiam practicam; inconſideratio autem fuit in eo, quod appręhendit vt bonum, quod non erat tale.

Ad tertium negatur conſequentia: Quia non obſtante reſiſtentia bonorum Angelorum interuenit inconſideratio, quia Angeli mali plus detulerunt proprio iudicio, quàm alieno: immò etiam fuerunt inconſiderati circa

Digitized by Google

circa ſuaſionem bonorum, quia non attenderunt veritatem ipſius.

Ad quartum, Angelos non habuiſſe inconſideratione̅ circa obiecta propoſita per fidem, ſed contempſiſſe operari ſecundum dictamen illius propoſitionis, contempſerunt autem ex inconſideratione circa obedientiam diuinorum præceptorum, & circa malum, quod ſub ratione boni alliciebat.

An Angeli potuerint peccare in primo inſtanti.

SECTIO II.

10 SVpponendum eſt tamquam certum, Angelos de facto non peccaſſe in primo inſtanti, vt docent communiter Patres, & Theologi præſertim D. Thom. 1. par. qu. 63. art. 5. & ſequitur ex eo, quod fuerint creati in gratia, vt ſupra oſtendimus. Et deſumitur ex Ezech. 28. *In delicijs Paradiſi Dei fuiſti: poſui te in monte ſancto meo*. Et ex epiſt. Canon. Iudæ Apoſtoli: *Angelos verò, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium*; per domicilium autem intelligitur ſanctitas, & colligitur etiam ex Concilio Braccarenſi 1. *can*. 7. vbi habetur; *Si quis dicit Diabolum non fuiſse prius Angelum bonum à Deo factum, &c. anathema ſit*. Hinc Leo Papa *epiſt. ad Turibium*. *Diabolus bonus eſset, ſi in eo, quod factus eſt permaneret*; vnde ſent. Eugubini *l*. 8. *de perenni Philoſophia cap*. 28. aſſerens, Angelos malos in primo inſtanti peccaſſe, ſaltem ærronea eſt, nec habet aliquod fundamentum, nam cum prima Io. 3. dicitur, *Diabolus ab initio peccat*, non intelligitur de primo inſtanti, ſed de principio morali ſuæ productionis. Difficultas eſt, an ſaltem potuerit peccare in primo inſtanti.

11 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Scotus in 2. diſt. 5. q. 2. Baſſol. q. 1. ar. 2. Arim. q. 1. art. 2. Maior qu. 3. Gabr. diſt. 4. q. 1. ar. 3. Marſ. q. 3. ar. 2. Ocham *quodlib*. 2. *q*. 6. Molina 1. *par. q*. 63. *ar*. 5. Vaſqu. *diſp*. 236. *c*. 3. Valent. *tom*. 1. *diſ*. 4. *q*. 14 *punct*. 4. & alij.

Probatur. Potuit Angelus peccare in quocumque inſtanti ſequenti, ergo etiam in primo, quia neque eſt impedimentum, ex parte voluntatis, cum ſit eiuſdem virtutis, nec ex parte intellectus, cum Angeli in primo inſtanti habeant perfectum vſum rationis.

2 Homo in primo inſtanti, in quo peruenit ad vſum rationis poteſt peccare, ergo etiam Angelus in primo inſtanti productionis, cum habeat perfectum vſum rationis.

3 Non ſequeretur, peccatum eſſe opus Dei, ſicut nec in homine, licet cum peccato generetur.

4 Angelus creatus ſine aliquo actu bono, vel malo, poſt primum inſtans poſſet peccare: ergo poteſt habere primum actum peccaminoſum, ergo etiam in primo inſtanti, cum in ipſo habeat eamdem poteſtatem.

13 Secunda ſententia negat, Angelos potuiſſe peccare in primo inſtanti; ita D. Tho. *q*. 63. *ar*. 5. Caietan. *ibidem*. Cum. *q*. 1. Bannes *dub*. 1. Ferrar. 3. *cont. gent. c*. 109. Alenſis 2. *par. qu*. 29. *memb*. 1. *art*. 7. Alber. *in* 2. *diſtinct*. 3. *art*. 14. Richard. *ar*. 2. *q*. 2. D. Bonauent. 2. *par. diſt. ar*. 1. *qu*. 2. Henricus *quodlib*. 8. *q*. 10. & communiter Thomiſtæ. Sequitur etiam Peſantius 1. *par. qu*. 63. *art*. 5. Et Suarez *de Angelis* cap. 2. ſed volunt, id habere locum tantum ſecundum potentiam ordinariam.

13 Dicendum eſt. *Angelos non potuiſſe peccare in primo inſtanti*.

Probatur. In primo inſtanti non potuit intellectus proponere voluntati malum ſub ratione boni; ergo non potuit peccare. Antecedens probatur. Apprehenſio mali ſub ratione boni ſupponit apprehenſionem veri boni, quia malum, cum non habeat in ſe bonitatem, non poteſt mouere intellectum ad apprehendendum, quod non habet, ergò debet intellectus illi applicare rationem boni prius cogniti. Conſequentia probatur. Quia voluntas non peccat, niſi proſequendo malũ ſub ratione boni.

14 Dices. Angelum poſſe appetere verũ bonum, quod tamen non ſit honeſtum, & ſic peccare.

Contra. Nihil poteſt appeti à voluntate, niſi ſub ratione honeſti, quia procedit in appetendo ſecundum regulas rationis, à qua dirigitur, ita vt nihil appetat q̃ non proponatur à ratione, vt appetendum, ergo quando peccat, debet appetere malũ ſub ratione honeſti, quia quod appetit, eſt ſecundum regulas rationis.

2 Operatio mala eſt menſurata per directionem intellectus. Ergo cum ſit falſa in ſua menſura paſſiua, cognitio menſurans erit falſa in ratione menſuræ actiuæ, & conſequenter proponit obiectum aliter, ac eſt.

15 Dices ſecundò. Sufficere, ſi cognitio veri boni præcedat natura.

Contra. Quia cum ſit talis applicatio, intellectus vtitur cognitione veri boni, non prout eſt in fieri, ſed prout eſt in facto eſſe, quia vtitur, prout eſt forma repræſentans, ergo apprehenſio apparentis boni ſupponit in priori temporis cognitionem veri boni.

6 Secundò probatur, Natura rationalis non dicit naturalem inclinationem ad peccatum, ergo non poteſt in primo inſtanti peccare. Antecedens patet. Tum quia peccatum eſt contra perfectionem, & finem ipſius; tum quia eſt quidam defectus talis naturæ, tum quia, cum Deus ſit auctor talis inclinationis poſitiuè inclinaret ad peccatum. Conſequentia probatur. Quia operatio, quæ conuenit in primo inſtanti, debet eſſe ſecundum inclinationem naturæ.

Confirmatur. In primo inſtanti natura nihil aliud recipit niſi proprium eſſe, & proprias perfectiones fundatas in intrinſecis principijs; ergo ſi operatur, debet operari ſecundum virtutem commenſuratam intrinſecis principijs, atque adeò ſecundũ inclinatione̅ naturalem.

Confirmatur ſecundò. In primo inſtanti nihil recipit quo moueatur ad operandum contra intrinſecam inclinationem, quia omnia, quæ recipit ordinantur ad operandum ſecundum eandem inclinationem, ergo &c.

Confirmatur tertiò. Nulla virtus poteſt exire in actũ in primo inſtanti ſuæ productionis, niſi ex impulſu producentis. Voluntas autem non poteſt impelli à Deo ad peccandum. Maior probatur: Quia omnis virtus, ſicut in primo inſtanti eſt in fieri, ita eo pacto ſe habet, quo à producente emittitur. Ergo ſi habet aliquem actum, oportet, vt cum tali actu egrediatur à producente, atq; adeò ſit in actu ſecundo ex eius impulſu.

17 Ad primum negatur conſequentia. Quia non eſt eadem ratio de primo inſtanti, ac de cæteris, quia in primo non habet Angelus omnia requiſita ad peccandũ, neque enim habet cognitionem practicam, nec apprehenſionem apparẽtis boni; nec poteſt ſe mouere ex proprio impulſu.

Ad ſecundum neg. conſ. Nam primum inſtans, in quo homo peruenit ad vſum rationis, eſt illud, in quo exercet aliquem actum liberum, & ſic etiam in Angelo in primo inſtanti, in quo poteſt liberè operari, poteſt peccare; non poteſt autem liberè operari in primo inſtanti ſuę productionis.

Ad tertium neg. ſequ. Ad prob. Hominem nõ generari cum originali peccato ex aliquo impulſu Dei, & ideò ipſe non eſt auctor peccati; ſed ex eo, quod natura fuit infecta in prima radice. Si autem Angelus peccaret in primo inſtanti, peccaret ex ſpeciali motione Dei.

Ad quartum negatur antecedens. Nam ſi Angelus in primo inſtanti nullum haberet actum, neque in ſecundo poſſet peccare, quia peccatum ſupponit cognitionem veri boni, & actum voluntatis neceſſarium, & naturalem, ratione cuius habet voluntas, vt poſſit cum poſſeſſione propriæ virtutis operari.

Digitized by Google

An primum peccatum fuerit ſuperbia.

SECTIO III.

18 SVpponendum eſt. Angelum naturaliter non eſſe capacem illorum peccatorum, qui ſecundum ſuam formalem rationem fundantur in natura corporea, quia cum ſit purè ſpiritualis, nequit committere ea peccata, quę per actus corporales exercentur vt eſt peccatum Gulæ, licet autem non poſſit committere omnia peccata, poteſt tamen ad omnia homines inſtigare, atque adeo ſubijci omnibus peccatis quoad reatum, vt docet D. Thom. 1. *part. quæſt.* 63. *art.* 2.

19 Supponendum ſecundò. Peccatum ſuperbiæ potuiſſe eſſe in Angelis, quia ſuperbia non eſt aliud, quàm inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, vt docet D. Auguſt. 14. *de Trinit. cap.* 13. poteſt enim Angelus appetere propriam excellentiam, & quia poteſt peccare, poteſt etiam inordinatè appetere.

20 Supponendum tertiò. Angelos de facto peccare per ſuperbiam, vt habetur ex Iſa. 14. *Quomodo cecidiſti de cælo*, &c. intelliguntur enim verba illa de peccato ſuperbię communiter à PP. ita Tertull. 5. *cont. Marcionem c.* 11. *&* 17. Aug. 11. *de Geneſ. ad litt. c.* 24. Athan. *q.* 6. *ad Antiochium*. Amb. *in ſymb. Apoſt. c.* 13. Nazianz. *oratione* 42. Chryſoſt. *hom.* 3. *in cap.* 14. Eſaiæ. Iſidoro *lib.* 1. *de ſummo bono cap.* 10. Difficultas autem eſt, an ſuperbia fuerit primum peccatum Luciferi.

21 Prima ſententia eſt negatiua, ait enim, primum peccatum fuiſse amorem inordinatum erga propriam excellentiam, quem vocat luxuriam ſpiritualem, quatenus erat inordinata quædam delectatio, diſtinguit enim duplicem amorem, quo Angelus ſe amat; primum vocat amicitiæ, quo Angelus amat ſe propter ſuam excellentiam; ſecundum autem vocat concupiſcentiæ, quo amat bonum ſibi. Vult ergo primum peccatum conſiſtere in primo amore, quatenus eſt quædam inordinata delectatio. Ita Scotus *in* 2. *diſt.* 6. *quæſt.* 2. Lichet. *ibidem*. Baſſolis *ar.* 3. Gab. *art.* 2. Olkot *quæſt.* 1. Herera *diſp.* 17. *q.* 3.

Prob. quia primum peccatum fuit inordinatus amor ſui ipſius, qui propriè non eſt ſuperbia.

Secundò. Amor amicitię erga alterum inordinatus non eſt ſuperbia.

22 Secunda ſententia ait, fuiſse ſuperbiam. Ita D. Thom. 1. *p. q.* 63. *art.* 2. Caiet. *ibidem*. Cumel *q.* 2. Bañ. *ar.* 3. *dub.* 1. Molina *diſp. vnica mem.* 5. Vaſq. *diſp.* 232. *c.* 13. D. Bonau. *in* 2. *d.* 3. *art.* 1. *q.* 1. Suarez 7. *de Angelis cap.* 9. & communiter.

23 Dicendum eſt. *Primu peccatum Angelorum fuiſſe ſuperbiam.* Ita communiter PP. Aug. 11. *de Geneſ. ad lit. c.* 15. *& li.* 12. *de Ciuit. c.* 6. Fulg. *lib.* 1. *ad Monim. c.* 7. Ambr. *lib.* 4. *epiſt.* 33. Chryſoſt. *hom.* 15. *in Io.* Leo *ſer.* 4. *de collectis*, Proſp. *lib.* 1. *de vita contemplat. cap.* 7. Bernar. *ſerm.* 17. *in cant.* Nazianz. *oratione* 27. & deſumitur ex illo Eccl. 10. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*, & Tob. 4. *In ſuperb. initium ſumpſit omne peccatũ.*

Probatur: Angelus non poterat ſe inordinatè amare, niſi appetendo ſibi bonum, quod non poterat habere cum debito ordine ad vltimum finem, ergo peccauit per appetitum inordinatum propriæ perfectionis, & excellentiæ. Antecedens probatur: Quia ſi ſe amaſſet cum debito ordine ad vltimum finem, non peccaſſet.

Confirmatur. Amor Angeli erga ſe ipſum eſt bonus ex obiecto, nec poteſt eſse malus, niſi ſit inordinatus ratione modi: ſed non poteſt eſſe inordinatus, niſi ſimul tendat in aliquod extrinſecum obiectum deſiderando ſibi aliquam perfectionem, ergo non poteſt eſſe malus niſi ſit inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.

24 Dices. Poſſe amare ſe ipſum nimia complacentia. Contra, quia iſta complacentia eſt de propria excellentia, nec poteſt eſſe mala niſi ſit inordinata.

25 Ad primum reſpondetur non fuiſſe amorem amicitiæ, ſed concupiſcentiæ, quia appetijt bonum ſibi non conueniens, & ideò fuit ſuperbia.

Ad ſecundum inordinatum amorem amicitiæ erga alium non eſse ſuperbiam, quia non eſt circa propriam excellentiam.

An obiectum peccati Angeli fuerit Beatitudo naturalis.

SECTIO IV.

26 PRima ſententia eſt affirmatiua. Ita Ferrar. 3. *cont. gent. cap.* 109. Capreol. *in* 2. *diſt.* 4. *q.* 1. *art.* 3. Heru. *ibidem*, Richard. *art.* 5. *q.* 1. Baſſol. *quæſt.* 1. *art.* 2. Scot. *diſt.* 9. *quæſt.* 2. Gab. *diſt.* 6. *q.* 1. *art.* 2. & eam probabilem putat D. Thom. *quæſt.* 63. *artic.* 3. & Caiet. *ibid.*

Fundamentum eſt, Quia primus actus peccandi non potuit eſſe circa honeſtum, quia honeſtum non ſpecificat peccatum; nec circa vtile, quia propter ſe non deſideratur, ergo circa delectabile, atque adeò circa ſummum delectabile.

27 Oppoſita ſententia eſt aliorum, & traditur à Molina 1. *part. q.* 63. *art.* 3. *diſp.* 1. memb. 5. & Suarez 7. *de Angelis cap.* 10.

28 Dico primò. *Angelum non peccaſſe appetendo Beatitudinem naturalem independenter à Deo.*

Probatur. Angelus euidenter cognouit, hanc Beatitudinem eſſentialiter dependere à Deo, & impoſſibile eſſe, quod non dependeat, ergo non potuit illam appetere, niſi cum tali dependentia.

29 Dico ſecundò. *Neque peccaſſe appetendo naturalem Beatitudinem vt finem vltimum, ita vt in ipſa ſiſtat contemnendo ſupernaturalem.*

Probatur: Angelus cognoſcebat euidenter; Beatitudinem naturalem non eſſe completam; nec appetitus ipſius complete ſatiabatur, ergo non potuit quieſcere in illa.

30 Dices. Appræhendiſſe vt vltimum finem.

Contra: quia experiebatur, non eſſe ſummum bonum, nec ſatiare complete appetitum. Secundò quia comprehenſiuè cognoſcit omnes ſuas perfectiones, & conſequenter nullam ipſarum eſſe vltimum finem, vndè non potuit in hoc errare. Tertiò; quia non potuit apprehẽdere Beatitudinem naturalem, ita ſibi ſufficientem, quia oppoſitum euidenter cognoſcebat.

31 Dico tertiò. *Peccatum Angelorum non fuiſse in eo, quod amauerit ſuper omnia Beatitudinem naturalẽ.*

Probatur: Appetijt aliquid, quod non habebat, nec erat habiturum, iuxta Iſa. 14. *In cælum conſcendam exaltabo ſolium meum*, ergo

Secundò. Quia euidenter cognoſcebat ſe ordinari ad Deum vt vltimum finem, nec ſine hoc ordine poſſe ſubſiſtere.

32 Ad fundamentum in oppoſitum reſpondetur: Angelum peccaſſe quidem circa aliquid delectabile apprehenſum ſub ratione honeſti, non eſſe tamen neceſſe, quod hoc delectabile fuerit beatitudo, quia non eſt de rationę peccati, quod ſit circa primarium delectabile.

An Angelus peccauerit circa beatitudinem ſupernaturalem.

SECTIO V.

33 AFfirmant Doctores *ſect. præced. pro* 1. *ſent. cit.* & præterea Alb. *in* 2. *diſt.* 5. *art.* 3. Durand. *q.* 1. Aegid. *diſt.* 7. *q.* 1. *ar.* 1. *&* 4. Alenſis 2. *part. quæſt.* 98. *mem.* 3. Vaſq. 1. *part. diſp.* 239. *capit.* 3. qui volunt peccaſſe appetendo conſequi beatitudinem ſine meritis, quod tripliciter explicatur primò; quod præciſè voluerit conſequi beatitudinem ſine meritis, ſecundò;

Digitized by Google

dò, quod appetierit beatitudinem, & non cogitauerit de meritis, tertiò, quia appetierit beatitudinem citius, quā conueniebat ſecundum regulas diuinæ prouidentiæ, quatenus dilationem illius iudicauit ſibi diſconuenientem.

34 Dico primò. *Angelum non peccaſſe appetendo beatitudinem ſine gratia, & meritis*. Prob. Cognitione ſpeculatiua cognoſcebat, id eſſe impoſſibile, nam comprehenſiuè cognoſcebat propriam naturam, & conſeq. non poſſe habere beatitudinem proprijs viribus, ſed neceſſe eſſe, vt habeat ſicut ab extrinſeco confertur.

35 Dices: Diſplicuiſſe Angelo, quod non poſſet naturalibus viribus conſequi beatitudinem.

Contra: Omnis diſplicentia fundatur in aliquo amore & in tantum aliquid diſplicet, in quantum placet oppoſitum eius, ergo cum Angelus non potuerit deſiderare beatitudinem, & proprijs viribus naturalibus, conſeq. nec potuit illi diſplicere, quod non poſſet conſequi ex naturalibus viribus.

36 Dices ſecundò. Potuiſſe errare voluntariè circa reuelationem iudicando, beatitudinem non eſſe conſequendam ex gratia.

Contra, quia peccatum Angeli fuiſſet hæreſis, non ſuperbia.

Secundò: Hic error fuiſſet directè oppoſitus euidenti cognitioni, quam habebat, quod propriæ vires non ſufficerent.

37 Dico ſecundò. *Angelum non peccaſſe ex eo, quod voluerit beatitudinem non cogitando de meritis*.

Prob. Dum negatiuè ſe habuit, implicitè voluit beatitudinem per merita; qui enim vult finem, eadem volitione vult implicitè media.

38 Dices. Angelum fuiſſe obligatum ad volendum explicitè merita.

Contra: Non potuit obligari, niſi ex aliquo ſpeciali præcepto; de hoc autem nō conſtat, ſecundò. Sequeretur quòd Angelus peccaſſet peccato omiſſionis, non autem peccato commiſſionis, quale fuit peccatum ſuperbiæ.

39 Dico tertiò. *Neque Angelum peccaſſe appetendo beatitudinem celerius dandam*.

Probatur: Vel cognouit decretum diuinum de dilatione beatitudinis; vel non. Si primum, ergo cognouit, eſſe impoſſibile, quod celerius daretur, quia naturali lumine euidenter cognoſcebat Deum eſſe immutabilem in ſuis decretis; voluntas autem non poteſt appetere impoſſibile. Si ſecundum, ergo non peccauit, quia beatitudo celerius danda non eſt obiectum malum, nec appetitus ipſius poteſt eſſe malus, niſi quatenus contrariatur voluntati Diuinæ, non poteſt autem eſſe contrarius, niſi voluntas Diuina innoteſcat.

40 Dices, Diſplicuiſſe Angelo, quod Deus diſtulerit beatitudinem.

Contra. Talis diſplicentia debuit oriri ex deſiderio beatitudinis, ergo non potuit illam habere. Conſ. Probatur: Quia hic actus fuiſſet oppoſitus actui, quo deſiderabat beatitudinem, & per hoc deſiderium ſaltem implicitè volebat modum, ſecundum quem erat à Deo determinata.

An Angelus peccauerit appetendo æqualitatem cum Deo.

SECTIO VI.

41 PRima ſententia eſt affirmatiua, ita Scotus *in* 2. *diſt*. 6, *q*. 1. *art*. 1. *concluſ*. 4. Vaſq. *diſt*. 434. *c*. 2. Suarez 7. *de Angelis cap*. 12.

Fundamentum eſt illud Iſa. 14. *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*, & Ezech. 28. *Eleuatum eſt cor tuum & dixiſti. Deus ego ſum, et in cathedra Dei ego ſedi in corde maris*.

42 Secunda ſententia negat, potuiſſe hoc pacto peccare. Ita D. Th. 3. *cont. gent. cap*. 109. Alenſis *q*. 98. *memb*. 3. Alb. *in* 2. *diſt*. 5. *ar*. 3. D. Bon. *ar*. 1. *q*. 2. Aegidius *q*. 1. *ar*. 2. Heru. *q*. 1. *art*. 3. Durand. *q*. 1. Capr. *diſt*. 4. *q*. 1. *ar*. 1. & alij.

43 Dicendum eſt. *Non potuiſſe Angelum appetere æqualitatem Dei*.

Probatur: Angelus euidenter cognouit, hanc æqualitatem eſſe ſibi impoſſibilem, quia nec eſt poſſibilis alia natura ſimilis, nec ipſe poteſt ſubſtantialiter vniri cum natura Diuina, voluntas autē nequit ferri in impoſſibile.

44 Dices. Poſſe ferri affectu ſimplicis complacentiæ, & per quamdam velleitatis, ſic odio habens Deum vult ipſum non eſſe.

Contra. Quia licet poſſet indirectè appeti impoſſibile ex eo, quod appetitur aliquid poſſibile, vt in eo, qui odit Deum, non tamen directè.

Secundò etiam affectus ſimplicis complacentiæ debet ferri in bonum, impoſſibile autem non habet rationem vllam boni.

Tertiò, voluntas non amat, niſi vt amplexiua boni, quia amor eſt tendentia in bonum, ergo non amat niſi ſecundum capacitatem boni, quam habet, atque adeo omnis affectus eſt ſecundum menſuram huius capacitatis: non eſt autem Angelus capax æqualitatis Diuinæ.

45 Confirmatur. Non poteſt Angelus appetere deſtructionem proprij eſſe, nec per velleitatem, quia appetitus tendit in bonum proprium, quod non poteſt ſtare ſine proprio eſſe; ſi autē Angelus appeteret æqualitatem Dei, appeteret deſtructionem ſui ipſius, quia appeteret eſſe, quod formali modo proprium eſſe deſtrueret.

46 Reſpondetur, Scot. non eſſe neceſſe, vt aliquid appetatur, quod appetens apprehendat connexionem eius cum ſe ipſo, & iudicet eſſe poſſibilem, ſed ſufficere, ſi apprehendat poſſibilitatem extremorum.

Contra: quod appetitur, vt bonum ſibi, neceſſariò appetitur cum comparatione ad ſe ipſum.

Secundò. Nihil volitum, quia præcognitum, ergo nil volitum vt bonum ſibi, niſi præcognitum vt bonum ſibi, nequit autem voluntas appetere, quod non eſt bonum ſibi.

47 Reſp. ſecundò Suarez. Potuiſſe Angelum hoc appetere conditionatè, ita tamē vt conditio ſe teneret ex parte obiecti, non verò ex parte actus, quia tunc poſita conditione auferretur impoſſibilitas.

Contra: Neque hoc pacto poteſt appeti impoſſibile, niſi poſita conditione euadat bonum appetenti. *Si* autem eſſet poſſibile, Angelum fieri Deum, non euaderet bonū Angelo, quia per hoc deſtrueretur proprium eſſe Angeli. Confirmatur: Appetitus fundatur in eſſe, & tendit in bonum, quod ſtare poteſt cum ipſo eſſe, ergo non poteſt tendere in illud, quod eſt deſtructiuum proprij eſſe.

48 Dicendum ſecundò. *Neque in eo deſideraſſe æqualitatem Dei, vt nulli ſubijceretur, ſicut non ſubijcitur Deus*.

Probatur: Hoc cognouit impoſſibile, cum cognouerit comprehenſiuè ſuam eſſentialē dependentiam, ergo &c.

Confirmatur; quia ſi noluiſſet dependere à Deo, deſideraſſet propriam deſtructionem.

49 Ad fundamentum oppoſitum reſp. Ex illis verbis tantum colligi, Angelum deſideraſſe aliquam excellentiā, ratione cuius eſſet aliquo pacto ſimilis Deo, præſertim quoad poteſtatem ſupra alias creaturas; vnde in textu Hebræo verbum correſpondens huic nomini Deus non eſt Theos, quod eſt nomen ſignificans propriè naturam Diuinam ſed Hel, quod non ſolùm dicitur de Deo, ſed etiam de hominibus, qui habent poteſtatem ſupra alios, & propriè ſignificat iudicem, ſeu præſidem, ex quo fit quod Angelus deſiderauit tantum cæteris præſidere.

Digitized by Google

An Chriſtus fuerit obiectum peccati Angelici.

SECTIO VII.

50 SVpponendum eſt. Myſterium Incarnationis fuiſſe reuelatum Angelis, dum erant in via, vt docent plures PP, & communiter Scholaſtici, quia enim Chriſtus futurus erat caput Angelorum, conueniens fuit vt non producerentur ad beatitudinem, niſi caput ſuum recognoſcerent, cui in tryumphanti Eccleſia erant ſubijciendi. Hoc autem ſuppoſito dupliciter peccare potuerunt; primo quidem appetendo vnionem hypoſtaticam, & illam excellentiam Chriſti quoad rationem capitis, ſecundo nolendo ſe ſubijcere Chriſto.

51 Prima ſententia negat, hoc potuiſſe eſſe obiectum Angelici peccati, refertur à Suarez, & eam tenet Amicus *diſp. 20. de Angelis ſect. 6. num. 134.*

Probatur: quia ſi appeterent, talis appetitus non eſſet malus, quia eſſet appetitus ſanctitatis.

Primò: Chriſtus fuit prædeſtinatus poſt peccatum Luciferi abſolutè præuiſum, ergo tale peccatum non potuit habere Chriſtum pro obiecto. Conſeq. prob. Quia debuit prius à Deo præuideri peccatum, quàm reuelatio Incarnationis Angelis facienda, & conſeq. peccatum non potuiſset habere pro obiecto Incarnationem.

52 Secunda ſententia ait potuiſse quidem peccare circa hoc obiectum, non tamen peccaſſe. Ita Bannes 1. *p. q. 63. art. 3. dub. 3. concluſ. 3.* Cumel *quæſt. 3. concl. 3.* & alij Recentiores.

Prob. Quia ſcriptura indicat, aduentum Chriſti ſupponere malitiam Diaboli iuxta illud 1. Io. 3. *In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli.*

Secundò. Hoc peccatum ſupponeret præceptum de adorando Chriſto, quod tamen non conſtat.

53 Tertia ſententia ait, Angelum peccaſſe appetendo vnionem hypoſtaticam, & nolendo adorare Chriſtum, vt proprium caput. Ita Viguerius. *In inſtit. Theol. c. 3. §. 2. ver. 15.* Valen. *in Pſal. 65.* Catherin. *Opuſc. de gloria bonorum Angelorum* Naclant. *in capit. 3. Epiſt. ad Epheſ.* & hanc opinionem probabilem putat Suarez 7. *de Angelis cap. 17.* Mol. *q. 63. art. 3. diſp. vnic. memb. 5.* Carthuſ. *in 2. diſt. 5. quæſt. 1.*

54 Dicendum eſt. *Licet certum non ſit, probabiliſſimum tamen eſt, Angelos peccaſſe appetendo tamquam ſibi debitam excellentiam Chriſti, quam erat habiturus, vt caput omnium Creaturarum; & ſimul etiam quia noluerunt ſe illi ſubijcere.*

Probatur: Hoc conuenit cum eo, quod de peccato Angelorum tradit ſcriptura; appetijt enim Lucifer quandam æqualitatem cum Deo, vt habetur Iſa. 14. & Ezech. 28. Non potuit autem appetere æqualitatem ſecundum naturam, ergo ęqualitatem ſecundum excellentiā capitis.

Confirmatur. Io. 8. *Vos ex Patre Diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis perficere, ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit;* Loq. autem Chriſtus de intentione, quam habebant Iudæi ipſum occidendi, & hoc ait eſſe perficere deſideria diaboli, quia ab initio deſiderauit deſtructionem Chriſti, dum fuit illi reuelatus, vt caput omnium. Hinc dicitur fuiſſe homicidam ab initio, & ideò in veritate non ſtetiſſe.

55 Secundò Probatur: Quia ſic optimè declaratur, quomodo potuerit decipi, quia facile fuit, quod ſtante ſuperioritate naturæ, putaret eſſe ſibi debitam præminentiam capitis.

56 Tertiò. Quia ſimul explicatur peccatum aliorum Angelorum, & quomodo ſint inducti à Lucifero ad peccandum, quia videlicet perſuaſit illis, ſibi conuenire excellentiam capitis, & iuſtum eſſe, quod ipſi homines ſubijcerentur.

57 Ad primum primæ ſententiæ, reſp. Hunc appetitum Angeli fuiſse malum ex fine, quia appetijt hanc excellētiam, ne ſubijceretur Chriſto, vt Deus ordinauerat.

Ad ſecundum, Chriſtum fuiſse prædeſtinatum independenter à peccato in ratione capitis, & quoad ſubſtantiam, vt ſuo loco explicatur.

58 Ad primum ſecundæ ſententiæ ſcripturam tantum indicare, quod Chriſtus venerit ad tollendum peccatū, & loq. de exequutione Incarnationis: vnde tantum colligitur; Incarnationem fuiſse factam etiam ad hūc finem.

Ad ſecundum. Non opus fuiſse ſpeciali præcepto de adoratione Chriſti, quia ſuppoſito, quod fuerit reuelatus vt caput omniū, ex natura rei ſequebatur eſſe adorandum. Deinde eſt etiam probabile, quod tale præceptum fuerit impoſitum Angelis ad exercendam ipſorum obedientiam.

59 Ob. Id, circa quod Angelus peccauit, erat in poteſtate ipſius, vt indicant verba. *Conſcendam exaltabo, &c.* Vnio autem hypoſtatica non erat, ergo &c.

Reſpondetur: Fuiſſe in poteſtate ipſius præſumptiuè; non autem realiter; præſumebat autem acquirere excellentiam præeminentiæ ſupra omnes creaturas, quam Chriſtus erat habiturus.

DE PAENA ANGELORVM Malorum.

DISPVTATIO CXXVI.

An Ignis torqueat Dæmones.

SECTIO I.

1 SVpponendum tamquam certum de fide Angelos, qui peccauerunt damnatos eſse. Mat. 25. *Ite, maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius;* immo omnes qui peccauerunt damnatos fuiſse, eſt omnium communis conſenſus, & deſumitur ex 2. Pet. c. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit;* cum .n. ſit propoſitio indefinitè prolata, & doctrinalis, æquiualet vniuerſali. Ita Patres Fulgentius *de fide ad Pet. c. 3.* Aug. 12. *de Ciuit. c. 9.* Greg. 2. *moral. capit. 3.* Iſid. *lib. 1. de ſummo bono cap. 10.* & alij.

2. Supponendum ſecundò. Angelos malos duplici pœna affici, eſsentiali, & accidentali. Eſsentialis eſt illa, quæ per ſe immutabiliter durat; accidentalis quæ de nouo aduenit. Pœna eſsentialis diuiditur in pœnam damni, & ſenſus. Pœna damni integraliter conſiſtit in priuatione donorum ſupernaturalium præcipuè ſummi boni, & viſionis beatæ. Pœna autem ſenſus impropriè ſic dicitur, quia in Angelo non eſt natura ſenſitiua, conſiſtit autem in poſitiuo dolore, quo Angelus torquetur. Circa autem pœnam ſenſus dubium eſt, an Dæmones torqueantur à corporeo igne.

3 Plures ex Lutheranis negant, ignem Inferni, vt refert Coccius *l. 10. art. 7.* aſserentes per ignem in ſcriptura nil aliud intelligi, quam vermem conſcientiæ. Similiter Catherinus *opuſc. de præmio bonorum Angelorum,* negat, ignem Inferni eſse corporeum, ſed ait ſignificare pœnam ſpiritualem, quę nomine ignis explicatur, vt acerbitas ipſius declaretur.

4 Dicendum eſt. Dari in *Inferno ignem corporeū, qui cruciet dānatos. Ita cōmuniter Scholaſtici et Patres, qui omnes hāc ſentētiā tamquam catholicā amplectuntur.*

Prob. Deut. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad Inferni nouiſſima.* Iſa. 3. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante, quis habitabit de vobis cum ardoribus ſempiternis.* Matth. 5. 13. & 15. Infernus vocatur Gehennam ignis. Marſil. 9.

In

Digitized by Google

In ignem extinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Matt. 25. *In ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius, &c.* Cum igitur pœna Inferni tam frequenter per ignem explicetur, non eſt dicendum quod ignis metaphoricè ſumatur, præſertim quia ſecundum reperitur vniuerſalem ſcripturæ accipiendæ ſunt in ſenſu proprio, quando non ſequitur aliquod inconueniens. Et hæc eſt communis explicatio Patrum, à qua non licet diſcedere, ut determinatum eſt in Concilio Trident. *ſeſſ.* 4.

Confirmatur: Ignis, qui torquet dæmones, torquebit etiam homines poſt diem iudicij; homines autem cruciabuntur in corpore, atque adeò igne corporeo. Item hic ignis dicitur paratus Diabolo; per hoc autem ſignificatur aliquid extrinſecum ipſi. Rurſus cum Angeli mali, ex eo, quod ſunt auerſi à Deo habeant pœnam damni; ex eo quod ſunt conuerſi ad creaturam, debent habere pœnam ſenſus, qua ab ipſis creaturis afficiantur.

5 Ob. ex illo Lucæ 16. de Diuite: *Eleuans oculos ſuos; vt refrigeret linguam meam*, ſunt verba metaphoricè accipienda, ergo etiam illa, *Crucior in hac flamma*.

Reſpondetur: Debere accipi metaphoricè, quia ſenſus proprius repugnat; vel etiam dici poteſt, *illam non eſſe hiſtoriam, ſed parabolam*.

6 Ob. ſecundò, Iob 24. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium, atque vſque ad inferos peccatum illius*, Ergo ſicut niues accipiuntur metaphoricè, ita etiam ignis.

Reſpondetur Iob non loqui de pœnis Inferni, ſed imprecari tribulationem huius vitæ, quæ conſiſtit in ſterilitate; & imprecatur, quod poſſeſsio ipſius tranſeat ab aquis niuium, hoc eſt ab hyeme ad nimium calorem æſtatis, ait enim, *Maledicta ſit pars eius in terra, nec ambulet per viam vinearum, ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium*. Ex hoc enim conſequitur ſterilitas, quia ſi hyemi ſuccederet immediatè æſtas, terra nullum fructum produceret.

7 Ob. tertiò. Iſa. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, ergo ſicut vermis metaphoricè ſumitur, ita ignis.

Reſpondetur. Ideò vermen metaphoricè ſumi, quia non poteſt ſumi propriè, & quia erat in communi vſu accipere vermen pro conſcientia: non autem ſic de igne.

8 Ob. quartò. Aliqui Patres docent, hunc ignem non eſſe corporeum, ergo &c.

Reſpondetur. Aliquos in hoc eraſſe, vt Tertull. & Orig. Vnde Tertull. retractauit errorem *lib. de anima capit. vltimo*. Alij verò vocauerunt ingnem Inferni incorporeum, vel quia putauerunt eſſe diuerſæ rationis à noſtro; vel quia non eſt in materia mixta, ita vt indigeat continuo pabulo.

Quomodo ignis torqueat Dæmones.

SECTIO II.

9 Difficultas oritur ex eo, quod cum ignis ſit corpus, videtur agere non poſſe in ſpiritum.

Supponendum autem eſt tamquam certum. Dæmones non torqueri ab igne per ſolam apprehenſionem, ſed reali pœna: hoc enim indicat ſcriptura, & eſt communis ſenſus PP. Vnde Gregorius 9. *moral. capit.* 38. habet: *Rectè inferni clauſtra tenebroſa terra nominantur, quia quos puniendos accipiunt nequaquam phantaſtica imaginatione, ſed vltione ſolida cruciantur*. Ratio autem eſt, quia cum Angelus comprehenſiuè cognoſcat ignem, & ſimiliter etiam quidquid habet in ſe, non poteſt decipi apprehendendo aliquod tormentum ab igne, quod re uera ab ipſo non ſit, hic enim error eſſet contrarius euidentiæ quam habet.

10 Primus modus eſt. Dæmones torqueri per alligationem, quatenus inuiti detinentur in igne. Ita D.Th. 1. *part. quæſt.* 64. *artic.* 4. *ad* 1. & 4. *contra Gentes, ca.* 9. Ferr. *ibidem.* Caiet. 1. *part. quæſt.* 64. *artic.* 4. D. Bonau. *in* 4. *diſt.* 44. *par.* 2. *art.* 3. *qu.* 1. Scot. *qu.* 2. Gabr. *quæ.* 3. *artic.* 2. Durand. *quæſt. vltima.* Maior *quæſt*, 8. Palud. *quæſt.* 7. Tatar. *quæſt.* 1. & alij.

Impugnatur. Quia poſita ſola alligatione, eſſet in poteſtate Angeli, non torqueri, ſi videlicet ſtaret libenter in tali loco. Secundò. Quia Deus torqueret detinendo in igne, non autem ignis; quia ignis non cauſaret aliquam afflictionem. Tertiò: Ignis ſe haberet tantum vt locus, qui nihil efficit in locatum: Vnde non ſaluarentur loquutiones PP. & Scripturarum, in quibus denotatur aliqua efficientia ignis, dum dicunt, ignem comburere, affligere, &c. Chriſtus. Lucæ 16. volens ſiue per hiſtoriam, ſiue per parabolam declarare tormentum ignis, introduxit diuitem cupientem refrigerium ex aqua: non autem exire à flamma. Confirmatur: Si ignis non cruciaret non adeò in ſcriptura exaggeraretur pœna ipſius. Quintò: Animæ in Purgatorio non paterentur ab igne, quia cum cognoſcant eſſe voluntatem Dei, quod in ipſo purgent peccata, non haberent voluntatem in contrarium; & ideò non detinerentur inuitæ.

11 Secundus modus ait, ignem ſua naturali virtute torquere Dæmones eo genere afflictionis, quo affligit ſenſum, quatenus videlicet calidus eſt; vult enim, Deum imprimere Dæmoni qualitatem ſupernaturalem, ratione cuius pati poſſit à corpore igne; vel hoc illi ineſſe naturaliter licet nos lateat. Ita Henricus *quodlib.* 8. *q.* 34.

Impugnatur. In tantum ignis naturali virtute poſſet agere in Angelum, in quantum poſſet producere in ipſo ſuos effectus naturalis caloris, & combuſtionis; hoc autem fieri non poteſt, quia ſpiritus non eſt in potentia ad talia accidentia, alioquin poſſet illa naturaliter recipere. Secundò. Vt actio ignis connaturali modo ſe habeat reſpectu ſubiecti, debet ſubiectum naturali modo ſe habere reſpectu ipſius. Tertiò: Quia neque poſſet cauſare illam afflictionem, quam cauſat in corpore, cum talis afflictio ſit eſſentialiter actus vitalis ſenſitiuus. Vnde D. Auguſtinus 12. *de Geneſ. ad litt. c.* 16. docet, quod corpus nullo modo poteſt agere in ſpiritum.

12 Tertium modus docet, ignem torquere Dæmones cauſando in ipſis illum dolorem, quem cauſat in anima, dum torquet corpus, qui conſiſtit in triſtitia voluntatis cauſata ex apprehenſione, quæ eſt in Angelo, eiuſdem rationis cum illa, quæ eſt in anima, dum torquetur corpus. Ita Scotus *in* 4. *diſt.* 50. *quæſt.* 1. *artic.* 2. Bellarminus *libr.* 2. *de Purg. cap.* 12. Cumel 1. *par. quæ.* 64. *artic.* 4. *quæſt.* 3. *concl.* 5. Valen. *tom.* 1. *diſp.* 4. *q.* 15. *punct.* 3. Albertin. *tom. primo, coroll.* 4. *ex* 2. *principio complexo punct.* 2.

Impugnatur. Quia ſi talis apprehenſio, & triſtitia cauſatur à Deo, ipſe eſt, qui cruciat ad præſentiam ignis; ab igne autem cauſari non poteſt, cum non ſit obiectum cauſatiuum talis apprehenſionis. Secundò. Quia Angelus comprehenſiuè cognoſcit ignem, & euidenter cognoſcit, non habere vim cauſandi illã triſtitiam in ſe ipſo, quam habet anima, dum torquetur corpus. Tertiò: Iſta triſtitia in anima non cauſatur ex apprehenſione obiecti doloriferi, ſed ex apprehenſione doloris, qui eſt in ſenſu. Quartò: In nobis adeſt plerumque apprehenſio illa doloris, ex igne; nec tamen per hoc cauſatur aliqua triſtitia, niſi dolor ipſe ſit preſens.

13 Quartus modus ait, ignem torquere, quia à Deo alligatur intellectus Dæmonis, vt ſemper cogitet de ipſo: ideò triſtatur, quia vellet cogitare de aliis obiectis. Ita Scotus *in quarto, diſtinct.* 44. *quæſt. ſecunda.*

Gabr.

Digitized by Google

Gabr. *quæſt.3. art.2.* Richard. *art.2. quæſt.3.* Ocham. *quodlib.1.quæſt.19.*

Impugnatur. Quia Dæmones non impediuntur à cõſideratione aliarum rerum, vt experientia patet ex tentationibus, quas nobis inducunt. Secundò: Quia conſiderare aliquod obiectum eſt perfectio creaturæ intellectualis: vndè non poteſt eſſe pœna. Tertiò: Quia ſaltem, quando voluntariè conſiderarent non torquerentur.

14 Quintus modus docet, ignem vt inſtrumentum Dei eleuari per potentiam obedientialem ad imprimendum qualitatem doloriferam in Angelo, & ideò Angelum triſtari. Refertur à Durando *in 4.diſtinct.4.quæſt.11.* & enim ſequitur Peſantius *prima part. quæſt.64. artic.4. diſput. 5.* Suarez 8. *de Angelis cap. 15.* & communiter Recentiores.

Impugnatur. Quia hæc qualitas non poteſt eſſe in eſſendo contra conſtitutionem naturæ Angelicæ, quia in tantum poſſet eſſe contraria, in quantum immutaret naturalem ſtatum illius. Confirmatur: Quia cum non habeat contrarietatem phyſicam, non poterit lędere pulchritudinem naturalem Angeli. Confirmatur ſecundò: Dolor eſt ſolum ex diſconuenientia obiecti; nihil autem eſt diſconueniens Angelo in eſſendo, cum ſit incorruptibilis. Secundò. Talis qualitas eſſet ſupernaturalis: vnde non eſſet Angelo diſconueniens, quia quod eſt diſconueniens, non eſt ſupra ſed contra natura. Confirmatur. Quia omnis qualitas ſupernaturalis importat ornatum, & perfectionem. Confirmatur ſecundò. Dęmones in naturalibus non ſunt aliquo pacto diminuti; qualitas autem dolorifera ratione diſconuenientiæ diminuit in aliquo naturali. Tertiò in tantum conſurgit afflictio ex qualitate inhærente, in quantum conſurgit aliqua paſſio: Angelus autem non patitur, cum ſit impaſſibilis.

Explicatur modus quo ignis torquet Dæmones.

SECTIO III.

15 NOtandum 1. Dæmones reuera pati ab igne; hoc enim indicant loquutiones PP. & Scripturæ dum ille ignis vocatur vrens, crucians, eſſe in vindictam peccatorum &c. Ex quo colligitur, non ſolum tormentum prouenire ab igne, ſed etiam aliquo modo ſpeciali congruenti naturæ ipſius. Cum autem dolor ex genere ſuo ſit actus vitalis, vnde ſola viuentia dolent ex hoc fit, vt eo modo tantum debeat cauſari, quo cauſatur actus vitalis, videlicet ratione obiecti; obiectum autem ſiuè pertineat ad appetitum, ſiuè ad cognitionẽ, non mouet, niſi intentionali modo, quia non mouet appetitum, niſi mediante cognitione; hinc dolor debet cauſari ex motione intentionali.

16 Notandum ſecundò. Ad cauſandum dolorem requiri obiectum doloriferum, quod debet eſſe proportionatum potentiæ dolenti; vnde ſicut obiectum doloris ſenſitiui debet eſſe ſenſibile, ita obiectum cauſans dolorem in appetitu rationali, debet eſſe diſconueniens inclinationi appetitus directi per regulas rationis. Hinc dolor eſt actus appetitus quia verſatur circa malum præſens: Vndè cum in Angelo non ſit alius appetitus præter rationalem, omnis dolor qui eſt in ipſo, debet eſſe actus talis appetitus.

17 Notandum tertiò. Quietem appetitus rationalis conſiſtere in quadam pace, ratione cuius res ordinatè ſe habeat in ordine ad inclinationem ipſius: vnde in ipſis quieſcit tamquam in obiecto proportionato, ex docet D. Auguſtinus 19. *de Ciuit. cap. 10. & 11.* Pax autem nil aliud eſt; quam ordo, & diſpoſitio rerum, qua diſponuntur ſecundum ſuam naturalem exigentiam. Ita docet D. Auguſtinus 19. *de Ciuit. capit. 13.* vbi habet. *Pax omnium rerum tranquillitas ordinis. Ordo eſt parium, diſpariumque rerum ſua cuique loco tribuens diſpoſitio.*

18 Not. quartò. Ex oppoſito miſeriam conſiſtere in perturbatione huius ordinis, ita vt ille miſer ſit, qui reſpectu eorum, quæ ad ipſum pertinent, non habet hunc ordinem, ſeù pacem, vt docet D. Auguſtinus *cit.* Ex hoc autem ſequitur quod perturbatio huius ordinis ſit obiectum doloriferum reſpectu voluntatis, quia eſt diſconueniens appetitui, nec ſecundum reg. rationis, quibus ſecundum ſuam inclinationem dirigitur. Hinc Auguſtinus, *Miſeriores ſunt ſi pax eis cum ipſa lege non eſt, qua naturalis ordo adminiſtratur, cum autem dolent, ex qua parte dolent, pacis perturbatio facta eſt.*

19 Not. quintò. Ordinem rerum ſecundum ipſam naturalem exigentiam poſtulare, vt Angeli præſideant Creaturę corporeæ, & exerceant dominium ſupra ipſam, quia cum omnia in hoc vniuerſo debeant ordinato modo ſe habere, debent congruenter diſponi ſecũdum propriam naturam, & inclinationem; minus autem perfectæ debent ſubijci perfectioribus, vt ſaluetur debita ſubordinato.

20 Not. ſextò. Angelos ratione peccati meruiſſe, vt Deus auferret hoc dominium Creaturarum corporearũ, ſicut etiam abſtulit reſpectu hominis, cui antè peccatum omnia obediebant. Immò etiã ſubiecit Dæmones Creaturę corporeæ, & præcipuè igni, cui ipſos alligauit; cum enim peccando ad creaturas ſe conuerterint relinquendo Deum, debuerunt creaturis ſubijci in pœnam peccati.

21 Dicendum eſt. *Angelum pati ab igne per actionem intentionalem ipſius tamqnam obiecti doloriferi.* Ratio autem doloriferi in eo conſiſtit, quod ignis, cum ex natura ſua debeat cum ſubiectus Angelo, ſubijciat ſibi ipſum, ex hoc enim conſurgit diſconuenientia ad appetitum & inclinatione Angeli.

Probatur: poſito obiecto diſconuenienti ad appetitum ponitur obiectum doloriferum, quia ponitur, quod diſplicet. Hoc autem ponitur ex eo, quod ignis ſubijciat ſibi Angelum, quia Angelus ſecundum naturalem inclinationem appetit præciſe, & ſibi ſubijcere corpoream creaturam.

Confirmatur. Dolor ſenſitiuus cauſatur ex eo, quod diſſoluitur ordo partium in organo ſenſus, quod eſt contra naturalem appetitum, ergo dolor appetitus rationalis in eo conſiſtet, quod diſſoluatur ordo, quod eſt contra naturalem inclinationem ipſius. Diſſoluitur autem, quoties non ſubijcitur, quod ſecundum naturalem exigentiam debet ipſi ſubijci.

22 Dicendum ſecundò. Hunc dolorem eſſe quandam realem, ſed analogicam combuſtionem intentionali modo exercitam.

Probatur. Combuſtio materialis de ſuo formali importat diſſolutionem corporis combuſti prouenientem ab igne. In hoc autem dolore adeſt diſſolutio, non ſecundum ſubſtantiam dæmonis, quia non eſt capax talis diſſolutionis; ſed ſecundum ordinem, quo Dæmon diſponitur reſpectu ignis, ergo &c.

33 Ob. Actus intentionalis ordinatur ad perficiendam potentiam, ergo ignis non concurrit tantum intentionaliter, cum affligat.

Reſpondetur. Actionem intentionalem ordinari ad perficiendam potentiam in ordine ad actum ſecundum quomodocumque ſe habeat actus ſecundus, hæc autem actio ignis ordinatur ad perficiendum in ordine ad actum doloris eo pacto proportionaliter, quo ordinatur doloriferum ſenſibile.

Digitized by Google

DE OBSTINATIONE Dæmonum.

DISPVTATIO CXXVII.

Quænam ſit cauſa obſtinationis Dęmonum.

SECTIO I.

1 OBſtinatio nihil aliud eſt, quàm quędam obfirmatio voluntatis in malum, ita vt ipſi firmiter adhæreat: vnde obſtinatus non poteſt reſurgere à ſtatu culpæ.

2 Supponendum autem eſt tamquam certum de fide contra Origenem. Angelos damnatos ita eſſe obſtinatos in malo, vt numquam ſint pęnitentiam acturi, vt definitum eſt in VI. *Synodo act. 11. in Epiſt. Sophronij*, & in Cap. *firmiter de Summa Trinitate*. & colligitur: ex Matth. 25. *Ite in ignem ęternum*. Difficultas autem eſt, quænam ſit cauſa huius obſtinationis.

3 Dicendum eſt. *Cauſam obſtinationis eſſe ſubtractionem Diuini auxilij*. Deſumitur ex Fulg. *de fide ad Pet. cap. 3. De Angelis quidem hoc diſpoſuit, & impleuit, vt ſi quis eorum bonitatem voluntatis perdeat numquam eam diuino munere reparet*.

Probatur. Auxilium gratiæ eſt cauſa ſalutiferę pęnitentiæ. Ergo ſubtractio illius erit cauſa, cur voluntas non poſſit pęnitere, quia cum affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis.

4 Ob. Sap. 5. de damnatis habetur *Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes*.

Reſpondetur. Non intelligi de vera pęnitentia, quæ ſit diſplicentia peccati, vt eſt offenſa Dei; ſed de pęnitentia, qua ſolum diſplicet peccatum, vt eſt cauſa pęnæ.

An obſtinatio impediat Dęmonem, ne aliquod bonum efficiat.

SECTIO II.

5 PRima Sententia docet, Dęmonem poſſe efficere aliquod bonum morale. Ita Scot. *in 2. diſt. 7. quæſt. vn.* Tataret. *quæſt. 1. dub. 2.* Baſſolis *quæſt. 1. artic. 3.* Dur. *quæſt. 2.* Valent. *tom. 1. diſp. 4. quæſt. 15. puncto 2.*

Probatur. Voluntas Dæmonis eſt libera in aliquibus actibus, non ſolum quo ad exercitium, ſed etiam quò ad ſpecificationem, quia eſt eiuſdem rationis, ac ſi eſſet in ſtatu puræ naturæ.

Secundò. Homo obſtinatus in via poteſt facere aliquod bonum morale. Ergo etiam Dęmon.

6 Secunda Sententia eſt negatiua, ita D.Thom. *1. part. quæſt. 64. art. 2. ad quintum.* Caiet. *ibidem* Ban. *dub. 2.* Cumel *quæſt. 4.* Mol. *diſput. 2.* Vaſq. *diſput. 241.* Ferrar. *4. cont. Gent. c. 95.* D. Bonau. *in 2. diſt. 7. part. 1. artic. 1. quæſt. 2.* Suarez 8. *de Angelis cap. 8.* & alij communiter.

7 Dicendum eſt. *Dæmones non poſſe operari aliquid moraliter bonum*.

Probatur. Scriptura hoc indicat pluribus in locis. Eccl. 9. *Neque opus, neque gratia, neque ſapientia, neque ſcientia erunt apud inferos*. Iob. X. *Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*; per defectum autem ordinis intelligitur confuſio; quæ eſt in mente damnatorum, vt explicat Gregorius *9. moral. cap. 48.* Io. *9. Venit hora, in qua nemo poteſt operari*. & cap. 11. *Ambulate dum lucem habetis, vt non tenebrę vos comprehendant*, vbi autem ſunt tenebræ, non adeſt lumen practicum præſcribens bonam operationem.

Confirmatur. Quia omnis operatio aut eſt amor, aut eſt odium, aut in vtroque fundatur, ſi ſit odium, aut in eo fundata, patet eſſe malam ſi ſit amor, aut in ipſa fundata, non poteſt eſſe bona ratione finis, non enim poteſt amare Deum, aut proximum, cum odio habeat; & ideò non poteſt operatio ordinari ad Deum, aut ad proximum ex bono fine; nec poteſt eſſe ordinata ad ipſum Dęmonem debito modo, quia amor erga ſe eſt inordinatus.

8 Ad primum Reſpondetur ex eo, quod voluntas dæmonis ſit libera quò ad ſpecificationem, poſſe exercere actus bonos ratione obiecti; non tam ſunt ſimpliciter boni, quia vitiantur ratione circunſtantiarum, & præcipuè finis.

Ad Secundum. Dæmonem cognoſcere ſe non poſſe pænitere; & ideo manet immobilis in illa cognitione, qua iudicat, Deum eſſe odio proſequendum: & omnis operatio regulatur ſecundum hanc prauam diſpoſitionem.

Cur Dęmon non poſſit operari aliquod bonum.

SECTIO III.

9 OMiſſis varijs explicationibus. Dicendum eſt. *Obſtinationem, ratione cuius Dęmon nullum bonum poteſt operari, prouenire ex ſtatu damnationis*.

Probatur. Obſtinatio eſt quid commune Dæmoni, & animæ damnatæ. Ergo debet fundari in aliquo ipſis communi. Ergo in ratione ſtatu, cum non poſſit fundari in ijs, quæ conueniunt naturaliter.

Difficultas autem eſt: vnde habeat talis ſtatus, vt ſit radix huius obſtinationis. Pro quo.

10 Notandum eſt. Damnatos eſſe quidem ordinatos ad vltimum finem, ſed non ea ordinatione, qua primario ſunt ordinabiles; ſed tantum illa, qua ſecundariò poſſunt ordinari. Natura .n. intellectualis primariò eſt ordinatione beatificatiua; ſi autem hoc pacto non ordinetur, debet oppoſita ordinatione ordinari .v. punitiua, per quam ſeparatur à fruitione ſummi boni.

11 Notandum Secundò. Quamlibet naturam habere operationes proportionatas proprio ſtatui. Hinc omnes operationes viatoris ſunt tales, vt perducant ad vltimum finem, aut faciant ab ipſo recedere. Ratio eſt. Quia operatio eſt quidam progreſſus naturę, ſeu motus circa finem; omnis autem motus circa finem eſt commenſuratus naturæ, quæ debet moueri ſecundum habitudinem, quam ſeruat ad ipſum finem.

12 Ex his colligitur. Ideò Damnatum eſſe in malo obſtinatum, quia ſecundum ſuas operationes debet moueri circa finem commenſuratiuè ad habitudinem, quam habet ad finem; cum autem ſit auerſus ab vltimo fine, & ſolum ad ipſum ordinatus per ſupplitium ordinatione ſecundaria, ſequitur vt non poſſit operari commenſuratiuè ad ordinabilitatem primariam. Operatio autem bona commenſuratur ordinabilitati primariæ.

13 Quęres. Vndè determinetur ad operandum commenſuratiuè ad ordinabilitatem ſecundariam. Reſpondetur determinari à cognitione ſui ſtatus, quem continuò præ ſto habet ratione pœnę, quam continuò patitur, vt eſt de fide. Cum autem continuò cognoſcat proprium ſtatum, & videat, eſſe impoſſibile, vt alio pacto ordinetur ad vltimum finem, hinc fit, vt nequeat

velle

Digitized by Google

velle honeſtatem operationis, quia cum non poſſit velle impoſſibile, neque poteſt velle illum ordinem ad vltimum finem, quem nequit habere.

DE CVSTODIA ANGELORVM.

DISPVTATIO CXXVIII.

An Angeli ſint deputati ad cuſtodiam hominum.

SECTIO I.

1 SVpponendum eſt. Totam creaturam corpoream ab Angelis adminiſtrari, ita vt non ſolum ipſi prauideāt, ſed etiam dirigant ſecundum ſuas inclinationes naturales, vt docet Aug. 2. *de Trinit. cap.* 4. & *lib.* 8. *de Geneſ. ad litteram c.* 24. Damaſc. 2. *fidei c.* 3. Gregor. *lib.* 4. *dial. c.* 5. Origen. *hom.* 13. *in Num.* & deſumitur ex diuerſis locis Scripturæ ex Apoc. 7. *Vidi quattuor Angelos ſtantes ſuper quattuor angulos terræ tenentes quattuor ventos terræ, ne flarent* & c. 14. *Alius Angelus exiuit, qui habebat poteſtatem ſuper ignem.*

2 Dico primò. *Aliquos Angelos eſſe deputatas ad hominum cuſtodiam.* eſt de fide.

Probatur. Matth. 13. *Videte, ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis; dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident &c.* Ad Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Pſal. 90. *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Ratio eſt.

Quia cum homo ſit Viator, & pati poſſit tàm in ſpiritualibus, quàm in corporalibus, præſertim à Dæmone, debuit habere aliquos tutores.

3 Dico Secundò. *Singulis hominibus deputari ſingulos Angelos.* eſt cont. Caluinum *lib.* 1. *inſtitut. c.* 44. & licet non habeatur expreſsè in Scriptura, ab omnibus tamen recipitur tamquam catholicum, & traditur communiter à PP. Chriſoſt. *hom.* 16. *in Matth.* Hyer. *Epiſt.* 27. *ad Euſtoch.* Baſil. 3. *cont. Eunomium.* Iſid. *lib.* 1. *de ſummo bono cap.* 20. Anſel. *in Elucidario.* Niſſen. *de vita Moyſis* Athan. *de communi eſſentia.* circa finem.

Probatur. Fieri poteſt, vt homo, qui cuſtoditur, indigeat preſentia Angeli; cum autem idem Angelus non poſſit eſse ſimul in locis diſtinctis, non debet ad plurium cuſtodiam deputari, quia fieri poteſt, quod ſint extra ſpheram ipſius.

4 Dico Tertiò. *Angelos Cuſtodes dari non ſolum prædeſtinatis, ſed etiam alijs ſiue ſint fideles, ſiuè infideles.*

Probatur. Cuſtodia Angelorum pertinet ad beneficia, quæ ſunt ex prouidentia naturali. Ergo cum nemini denegetur prouidentia naturalis, neque etiam debent denegari beneficia, quæ ſunt ſecundum præſcriptionem ipſius. Antecedens patet. Quia prouidentia naturalis exigit, quod Angelus aſsiſtat, & præſideat omni inferiori Creaturæ.

5 Dico Quartò. *Angelos Cuſtodes non dimittere homines, quando peccant.* Ita D. Th. 1. *part. quæſt.* 107. *art.* 6. & communiter.

Probatur. Deus non deſerit peccantes quò ad effectus prouidentiæ naturalis: ergo &c.

6 Ob. Nonnulli PP. docent, Angelos relinquere peccatores.

Reſpondetur: Intelligi in ordine ad aliquos ſpeciales effectus, in ordine ad bonum exequendum.

7 Dico Quintò. Angelorum cuſtodiam incipere à natiuitate. Ita D. Thom. 4. *part.* 4. *quæſt.* 107. *art.* 6.

Probatur. Tunc homo incipit eſse viator, & indiget cuſtodia, ſaltem quo ad corpus.

Hæc autem, quæ hucuſque dicta ſunt, ex ſacris Scripturis, & Sacro noſtro Concilio, atque Sanctorum Patrum teſtimonijs, quantum fieri potuit, deducere conatus ſum. Si in aliquo minus rectè proceſsi, tuam imploro benignitatem humaniſsimè Lector, atque omnia S. R. Eccleſiæ cenſuræ ſubijcio.

FINIS.

Digitized by Google

Si vnquam Impreſſorum incuria ſpectabilis, in hac certè impreſſione admiranda eſt. Nulla fere pagina, in qua aut multum, aut parum non peccauerint. Quare ſequentem correctionem excipe benigne Lector, & cætera minora, præſertim interpunctiones, ortographiam, &c. condona.

Pag.	n.	lin.	Error	Correctio
3	14	10	Ex connexionis	Ex vi connexionis
	16	6	Vel attingeretur	Vel non attingeretur
	17	1	Eſt vna	eſt. Ex vna
		5	tomus	terminus
	19	5	habet	adæquat
	3	1	eete	eſſe
4	9	3	ex	eſt
5	14	4	euidens cōſequentia	euidens ratione conſequentiæ
	29	8	vnam ex vna reuelata, & alteram	ex vna reuelata, & altera
6	8		ſunt	tunc
7	25	7	aliud	aliquid
8	18	2	regulabilis	regulatiui
9		2	effectiuam	affectiuam
		6	effectiua	affectiua
	30	10	ſpeculatiua	ſpecificatiua
	34	3	eſſet	eſt
10	11	1	eorum	erui
11	26	2	ſtante, & tenente	ſtare, & tenere.
12	34	1	præcipit	recipit
	35	5	50.	5.
		vlt.	procedit	procedunt
14		8	obſeruatum	obſcuratum
	22	4	Eſillius	Gillius. ita corrige in ſeq.
16	38	7	vti	toti
	10	3	Octanus	Ochamus
17	33	5	repræſentatiuus	quidditatiuus
	15	9	attingit	pertingit
20	5	8	ergo	&
	7	4	debent	debet
21	11	8	Non	Hinc
	18	6	ſenuam	ſenſum
	16	9	adens	ideis
22	7	4	definitur	reperitur
24	13	5	conſequentiam illam	conſequentia, nam
25	14	19	ſit, vt	vt
26	25	4	neq.	nequeat
	25	5	inconſtare	circumſtare
27	28	9	noſtra	ſua
	29	11	ſuperari	ſeparari
	36	2	quia tum	quantum
		3	Eſſentiam	Eſſentia
28	37	4	profunderet	præſcinderet
29	49	6	Tobi	vbi
30	1	10	Iſareb	Iſrael
		13	ſe	te
31	6	5	ri vt	tuo
		10	& c.	per
	8	1	explicari	applicari
	12	2	diſtinctione	diſtinct. 8.
		3	19.	3 quæſt.
32	22	vlt.	contra	intra
	34	vlt.	componitur	componit
33	2	15	mittere	amittere
		20	admittere	amittere
		21	vberiorem	vlteriorem
38	41	2	Nominatiuo	dominatiuo
39	58	16	ipſa	ipſo
40	6	6	ratio	ratione
41	16	5	poſitiuum	poſitiui.
44	54	2	præſcientiā	præſentiam
45	2	2	reflectione	reflectionem
46	11	6	alium	aliud
48	9	7	alium	aliud
50	4	2	eſſe etiam	etiam
	11	5	ipſa	ab ipſa
51	1	8	aliquid	ad aliquid
	2	4	quæſt.	lib. 9.
	7	6	vllo	nullo
53	19	3	&	ex
55	30	15	attingitur	attingatur
	30	10	quærit	vbi quærit
56	49	2	ſunt	tunc
57	6	5	inneitiuo	intuitio
	13	14	è	eſt
57	27	2	cum	vim
		21	cum	vim
59	4	6	veram	vera
		7	falſam	falſa
60	16	1	vt veras	veras
		7	præſentiam	præſentia
61	24	2	eſt	&
	29	4	Raimundus	Rainaudus
	30	5	quas	quibus
62	42	12	denominationi	determinationi
70	5	19	nam	non
72	8	3	ſumenda	ſumendo
		5	Extra	Eſt
	11	14	tionale	tionalem
		15	innatum	innato
73	3	2	fieri	ferri
75	27	8	exhibitum;	exhibitam
76	17	1	haberent	habere

Pag.	n.	lin.	Error	Correctio
77	1	11	liberi	libera
	4	6	ſed	ad
82	28	1	obiectio	electio
	29	2	acquirendus	acquirendum
		3	vi	vt
83	46	3	& non	& etiam velle, & non
84	poſt nu. 8. in tit.		Ad Diuinam	An diuina
87	11	vlt.	Nauarus	Nauarer
89	18	vlt.	& Deus	& ideo Deus
90	15	3	effectiua	affectiua
91	1	2	peccatoris	peccatorem
95	41	8	debitum cōmunicati	debitam communitati
96	49	9	vbi	ibi
	51	4	partis ſecundæ	1. 2.
		5	144	114
98	13	7	aſſenſu	aſſenſum
	16	11	intercedit	antecedit
	18	10	Tun	Timoth.
100	41	9	ſecundariū	ſecundarum
101	52	6	Quarto. Secundo	ſecundo
	62	9	vſam	vnum
106	21	6	adhuc	ad hunc
	22	10	rationales	naturales
108	19	9	canone	can. 1.
109	28	13	habituum exiſtentium	habiturum exiſtentiam
	40	6	pręcedenti	antecedenti
	47	6	reſpicitur	reſpuitur
110	53	1	cōditionata	proportionata.
	54	1	iuribus	viribus
111	61	4	deeſſe	debet eſſe
113	17	15	ait, ſolus ait	ait
	21	1	media	merita
		6	de	ex
116	19	4	effectus	obiectum
117	22	13	quod	qui
118	57	4	, &	eſt
123	4	9	iuribus	viribus
124	10	3	& per	per
125	25	6	dependente	dependet
127	45	21	reſpiciendū	recipiendum
128	6	3	vitio	viſio
130	28	12	quod	quo
	29	12	tantum	tantum viderentur
	34	5	pro	per
	36	1	Quomodo	Quando
131	18	12	videbunt	videbitur
		16	rideat	videat
	45	19	in ipſo	quo in ipſo
	47	4	deſerit	deeſt
132	54	3	eamdem infinitatem	eadem infinitate
	57	3	ad	ac
		10	intellectum	intellectus
134	73	1	ſecundum	ſecundæ
	75	3	videlicet	licet
		4	tantum	tamen
	76	2	habeat	habet
	77	5	repreſentaretur etiam	repræſentare eſt
	78	15	ergo	qui
	81	2	in Diuinis	indiuiduis
135	95	3	verba expreſſiua	verbo expreſſiuo.
137	110	15	impoſſibiliter	impoſſibilis
139	14	4	eſt	ſect.
		6	eſt	&
		7	fruſtantia	fruſtatoria
	25	13	aliena verba	alieno verbo
140	5	vlt.	potentionali	potentiali
141	8	9	indiuidualis	indiuiſibilis
		10	indiuidualis	indiuiſibilis
	13	5	præciſe cōprehenſum	ſine comprehenſione
	14	13	non	nam
143	23	2	72	73.
148	4	19	tamen	tantum
149	19	pen.	diceretur	deberet
	25	7	76. idem	ibid.
150	26	5	ſeſſ.	ſect.
	31	1	poſſe	Neq. poſſe
	36	10	tamen	tantum
151	32	vlt.	quod	quid
	39	2	rentur	rent
	in tit. ſect.		repugnetur	repugnet
	43	4	habetur	habet
152	53	2	ſupponitur	ſupponit
153	12	4	producere	procedere
154	18	2	Nec	Hæc
156	49	5	ratio	relatio
157	61	4	cum	vim
	64	9	diſcernatur	diſcernatuè
	65	pen.	ſenſit	ſentit

Pag.	n.	lin.	Error	Correctio
158	16	1	Reſpondetur. Rada	Reſpondet Rada
159	22	pen.	autem	eſt
	32	3	ſecundo	ſecundi
160	42	vlt.	extrinſecè	intrinſecè
161	18	3	producit,?	producitur
163	1	pen.	quia	qua
	5	5	conueniunt	conuenit
	12	vlt.	importat	importarunt
164	13	5	concipit	concipitur
		15	intellectum	intellectam
165	12	pen.	refert	refertur
166	23	8	continet	continetur
167	42	11	, & animalitas	eſt animalitas
169	13	10	atrium	Arium
		18	Patres	latria
170	20	13	actualitatem	actualem
171	49	1	ſi.	Dico 1. ſi.
173	7	pen.	harij ſi pro determinandum	harij ſigno determinatū
	9	8	quid	quidam
	13	4	ſubſiſtat	ſubſtat
174	1	14	ponit	ponitur
	9	3	conſtincta	conſtitutam
	18	5	relationes	relatione
176	7	5	indiuidualis	indiuiduali
	10	2	quæ	qua
177	11	14	& quia	quia
	22	12	illis	illas
	24	3	vagid	vagum
178	3	2	n.	numero
182	35	1	modus	modos
		2	modus	modis
183	45	10	vbi	Ibi
	50	13	perſona libris	perſonalitatibus
	54	4	cum	vim
184	5	7	aqua	apta
	11	6	ſpiratio	nam ſpiratio
	12	6	ſententiæ	perſonæ
185	7	5	debet	deberet
186	10	1	Quod	Quia
187	35	7	determinatiuus	determinatiua
188	41	8	efficiens	effectiuè
191	6	2	Patres	Fratres.
	8	11	coniuncta	coniuncto
	10	1	ſimilitudinē	ſimilitudo
	14	7	Nec	Hæc
192	25	1	Reſpondetur	Reſpondet
	26	5	aliquid	aliquod
193	36	3	fundatio	fœcundatio
	38	6	determinatam	determinata
194	19	11	conuertit	conuenit
		pen.	infra	intra
	43	4	illum	illam
195	49	11	in	ex
	50	2	in	ſit
196	21	5	cur	, cur
	22	6	cum	cur
	33	6	diſtinguuntur	diſtinguunt
198	29	4	33.	83
200	55	5	communicatur	non communicatur
	57	4	cap.	contra
201	9	11	Nec	Hæc
202	23	3	in n.	in 2.
	25	9	ſpecie	ſpeciem
	26	3	quod	quid
		10	eſſentiam	eſſentia
203	31	8	fœcundationi	fœcundatiui
	1	6	Catecheſi	Catecheſi 7.
	3	2	habitum	halitum
204	14	3	affectiuis	affectiui
	20	3	delectio	dilectio
	22	3	eſſentiali	eſſentiale
	31	1	Donum	Donum poſſe ſumi
205	42	1	bonum	donum
	1	2	Tetio	Photio
206	15	7	approbauerunt	approbauit
	23	5	fundamentum	formam
207	27	7	ſpirari	ſpirare
		8	ſpirare	ſpirari
	34	3	a	in
208	in tit. ſect. 7.		procedat	procederet
	47	3	quia	quia, ſi
	52	8	quod	quæ
212	19	1	viſibilitas	viſibilis
213	39	2	ea reuelatio	ex reuelatis
	4	1	, ſecundam	ſecundo.
	6	6	corpus	populus
214	15	7	Corinthum	Cerinthum
	16	5	Magi	Moyſi

Digitized by Google

Pag.	n.	lin.	Error	Correctio
		6	Ma:l	Moyſi
215	27	14	poſſit reſeruire	poteſt inſeruire
	28	2	poſſit	poſſe
	40	8	mutaretur	mutatur
	41	vlt.	ipſius	ipſis
216	1	1	operabar	opinabatur
	2	3	Ex oppoſita	Et oppoſitum
	3	1	artificium	artifex
		3	artificium	artificem
	5	1	noritia	infinita
216	5	pen.	diuino indicat	diuinus iudicat
	9	6	dilectioois	directionis
	9	6	dilectio	directio
217	11	7	dilectio	directio
217	11	7	fuiſti	feciſti
	12	7	Iudex	iudex
	13	5	producere	perducere
219	21	9	ad ſubſtantiam	a ſubſtantia
	22	3	ex quo	caput
		11	id	de
		16	vniſſet	veniſſet
		21	Rurſum	Regum
	29	9	vna viſione	ex inaoitione
220	35	3	producere	perducere
	41	2	ſoluerentur	ſaluarentur
	1	5	quia	qua
221	3	5	ar 1.& collect.8.& cantic.	act.1.& collat.8.& can.
		6	artic.	act.
	7	7	ad	ſed
	10	2	Tonitæ	Iooitæ
		3	propugnauit	propagauit
	11	4	cantic.	can.
	ibid.		articol.	act.
		5	paſſion	paſſim
222	20	8	cant.	can.
	30	4	ſuperexcludit	ſuperexcedit
	34	3	Chriſti	Dei
	38	4	vſum	vnum
	40	3	requiritur	repetitur
	42	10	ratio	vnio
		17	eſt	eſſe
	47	3	qua	quæ
		9	verbum	Verbo
		17	perſonalem	per ſolam
224	3	1	Verbo	a Verbo
	18	vlt.	effectum	effuſum
225	25	3	totales	tales
	30	1	Nos	Ros
	33	3	contrariæ	neceſſariæ
	37	3	tum	cum
	42	2	quo	quod
227	65	4	non eſt	eſt
	8	3	Cinafeum	Gnafeum
228	2	4	Phoſio	Phoſinum
230	27	7	exequutio	exequutioni
231	1	7	inferri	in fieri
	2	3	III.	V.
232	12	3	compoſſibilia	componibilia
		7	commenſuratus	commenſuratum
233	23	12	communicatam	communicatæ
234	15	15	prædenatione	prædeſtinatione
		16	ali	aliquid
235	9	2	per	pro
		3	de	ad
	15	4	compoſuit	impoſuit
	16	13	Depoſiti eò	deſpotico
		14	vis	ius
236	20	vlt.	falcæ	fauce
	3	6	&	eſt
237	20	6	aliter	alios
238	27	1	poſſet	poſſit
239	6	vlt.	quomodo	aut quod ſi
	34	5	§.	§.15.
241	7	6	attiogens	attigerit
243	27	2	vritur	oritur
	31	4	dum errorũ	Numer.
	32	2	iuria	in via
244	7	2	vnione	Concione
		2	obiecturus	obiectiuus
	9	6	illuſtratum	illuſtrata
246	10	7	exeos	ex eo
	13	7	Thomiſtius	Themiſtius
247	1	4	quod	quid
	2	2	ſum. Mærat. orat.	Mærat.tom.
248	26	4	maiori	viatori
249	17	4	debuit	debebatur
		11	eo exiſtentiam	coexiſtentiam
	22	2	Mærator	Mærat.
	27	6	euidentiam	euidentem
	31	5	vnionem	viſionem
251	16	2	verbum	velle
253	28	9	quid	Qui
255	24	4	prouenire	præuenire
	26	5	auctoritate	auctore
	27	3	nam	Non
	29	2	bonis	nobis
256	14	6	ſecundum	ſecundum ſe
257	14	10	,ſed habuit	habuit
	17	2	ſi	ſit
	20	5	effectus	affectus
	24	3	reconciliãdi	recruciandi
	ibid.		cõciationem	cruciationem
258	10	6	meruerit	meruit
	17	4	iram	viator
261	26	3	bonis	donis
	34	2	bonis	donis
262	51	3	homines	hominum
263	2	3	iuſtificatione	iuſtitia
	9	6	ſatisfactionis	ſatiſpaſſionis
	11	vlt.	placari irã	placatiuam
264	21	2	Vnigetus	Vnigenitus
266	37	4	non quia	Tum quia
269	37	1	quia	qua
	41	2	obſtare	obſtante
In tit.ſect.7.			indebito	indebitis
270	49	3	Inc	Iuſtit.
271	8	4	diſtinctiuo	deſtructiuo
	14	1	Non	Nos
272	26	6	veniſti	remitti
273	2	5	excelleotiæ	excellentior
	5	4	&	ex
274	14	7	inimicitiæ	iniuſtitiæ
	15	6	vnio	imo
275	8	3	Deo	Deum
276	13	2	perfectio	perfectè
		4	puro	purè
	20	3	defeoſionẽ	definitionem
277	30	5	præuidetẽt	præſiderent
	33	vlt.	non aſpiriendo	reſpiciendo
278	4	7	decretum	Decretor.
279	10	6	ſemper vnos	Semper Enoc
	12	pen.	in formã	informem
	14	10	ſubſiſtentẽ	ſubſiſtens
280	22	1	duplicatus	dupliciter
	27	7	voluit	volunt
281	35	4	&	vt
	37	1	at	,vt
282	6	13	alterius	vlterius
	10	11	ſect.	tex.
283	15	5	natum	naturam
	17	12	ne	eſſe
	2	3	illum	intellectu
	7	7	animam	anima
	2	6	dabat	debet
	2	4	&	ex
	6	vlt.	ſententiæ cum phantaſmato	ſenſitiua cum phantaſmate
	7	3	admittendũ	admittenda
284	5	7	ſpem	ſpeciem
	6	2	tam	tamen
285	18	2	,&	ex
	25	6	ea	ex
	27	1	. Prima ſententia	primæ ſententiæ
		3	alteras	alienas
	36	8	deueniri	præueniri
287	4	8	non	vt non
		pen.	præueniẽtes à	præuenientes
	8	8	vel ad	ad
288	17	12	nota,	conatu
	20	11	,&	tot
		pen.	,vt	tot
	22	7	erit	exit
	26	3	quidditata	quidditatiua.
289		pen.	autem	. An autem
	33	16	ratione eſt	ratione
290	7	4	etiam	tantum
		5	omnibus	obiecti
		vlt.	determinatum	determinetur
	8	4	art.	art.6.
		7	ſi ſcientia	. Scientia
		8	ſpecies	niſi ſpecies
	12	1	ſtantem	ſtatim
		5	Primo.	ergo
	13	6	a productione	ad productionem
		12	naturalitate	natura
		pen.	ipſam	ipſum
	14	18	Conficitur	Confit.
		22	Tum	Tu
		25	Diuinum	diuinus
		2	creaturatum	creaturarum
	17	2	iuncta	iuxta
	24	9	non	rem
	25	6	rationẽ aũt	ratione autem huius
	27	8	incommutabile	incorruptibile
		pen.	depẽdeat	dependet
	28	vlt.	ſpirituali	in ſpirituale
293	3	pen.	naturalẽ effectum	naturam effectuum
294	9	5	cognoſcere	cognoſci
	13	1	ſecundo	tertio
	16	6	non	tum
	19	4	quia	qua
296		8	efficaciter	efficienter
296	42	6	manifeſtatiua	manifeſtans
297	49	pen	quæ	Quia
	50	11	haberet	habet
		20	obcitent	eliciat etiam
	54	1	actus	actus intellectus
298	12	5	manifeſtantur	manifeſtant
	13	1	quam	qua
300	14	vlt.	obiectum	obiecto
	17	pen.	ad contingentia	contingentia
	18	vlt.	quod	quid
	22	7	quæ	quia
		8	quæ	quia
		vlt.	reſponſum	reſpectu
	23	4	accidentia	accidens
		vlt.	collectione	collectionem
301	2	pen	Alliacus	Alliacenſis
	5	7	&	ens
302	2	12	poteſt	poſſet
303	21	3	11.	111.
304	11	5	eſſe	eſt
	12	1	dirupere	dirigere
305	11	2	poſſe	poteſt
	16	4	conſequitur	conſequenter
306	19	14	perentia	pœnitentia
	4	6	inceſſanter	inceſſando
		vlt.	obiectus	oblitus
	9	4	cum	vt
307	17	6	proportione	propoſitione
	23	2	ergo	primo
	24	3	tradītus	trahitur
308	1	3	Quad	Quidam
		8	motum	tantum
	3	1	carrem	Certum
		9	præſtans	præſens
	5	4	intellecto	concluſio
		14	Moral.	lib.2.Moral.
	9	9	quæſt.	quæſt.1.
309	19	vlt.	voluntate	complexione
	20	11	Actus	motus
310	27	2	&	vt
	31	4	conſtituat	conſiſtat
		4	quæ	quod
312	5	3	eſſentiale	eſſe
313	6	2	quando	quantum
314	18	16	ſit	vt ſit
	25	3	poteſt	patet
315	30	5	cum	Vnde cum
	33	2	Prima ratione	Prob.Ratione
316	31	10	. Cauſa	,nempe cauſa
317	13	4	Ayronius	Mayronius
	14	1	appoſitum	appetitum
	16	3	,vel naturalem	ad ſuam naturam
	17	6	conueniat	conuincat
		23	ſi	ſic
317	19	5	indigentia	de indigentia
		7	aliquem	aliquem alium
318	30	1	motionem	mutationem
		5	ſufficit	afficit
	36	9	Primo	ſecundò
320	8	2	mali	formali
	9	10	modus	motus
	14	3	Angelum	Ariſtotel.
	16	9	lumines	luminoſi
	18	5	ſubiectum	ſubiectam
	19	5	Angeli	Angelus
	20	1	poſſet	poteſt
321	24	vlt.	induci	adduci
322	4	pen.	Marcil.	Marcion
323	7	4	cutea	lutea
324	29	14	fidem	finem
		vlt.	fine	finem
	31	2	Vnde	Inde
325	6	7	poſſunt	poſſunt eſſe
	8	pen.	naturæ	exiſtentiæ
327	6	vlt.	colleſa	collata
	2	1		corrige numerum & pone 7 & ſic deinceps
	3	2	durante	duraſſe
328	1	2	Coccin.	Coccius
	9	5	,&	ex
330	20	1	peccare	peccaſſe
331	44	2	velleitatis	velleitatem
	49	6	Theoa	Iehoua
332	50	5	producerentur	perducerentur
	51	5	primo Marſil.	ſecundò Marci
		9	In ignẽ extinguibilem	In gehennam ignis inextinguibilis
		14	repetitur	regulam
	11	5	corpore	corporeo
		9	naturalis	naturales
334	14	5	enim	eum
	17	4	ex	vt
	21	4	cum	eſſe
		6	inclinatione	inclinationem
335	10	4	eſt	eſt ordinabilis
336	2	3	prænideant	præſideant
	7	6	ſacro noſtro Concilio	Sacroſanctis Concilijs

Digitized by Google

INDEX RERVM

Ad Sacram Speculatiuam Doctrinam

DE DEO,

CAETERISQVE DIVINITVS REVELATIS;

Primus numerus eſt Diſputationis; Secundus Marginalis.

Numerus 50. in duas diſputationes irrepſit; ideò vt diſcernantur, poſteriori loco poſita hoc aſteriſmo * notatur.

A

Abſtractum.

ABSTRACTA eſſentialia prædicantur in recto de perſonalibus, & è contra. diſp. 55. num.42

Acceptio perſonarum.

Acceptio perſonarum vbi habeat locum. diſput. 42. num.60.

Accidens.

Accidens intrinſecè neque materiale, neque ſpirituale. diſp.109.num.31.
Accidentis ſupernaturalis proprium ſubiectum. diſp. 47. num.42.
Accidens omne excluditur à Deo. diſp.9. num.28.
Accidentia an poſſint aſſumi ſecundum ſuppoſitum. diſp.78. num.37.

Actio.

Actio duo importat, & quæ. diſp.53. num.37.
Actio cur emanet à producente. diſp.83. num. 46.

Actus.

In actu conſiderandus modus tendendi, & ſubſtantia. diſp.29.num.24.
Actus qui conueniunt in primo inſtanti eadem duratione durant cum natura. diſp.123. num.4.
Actus liberi, in quo differant à naturalibus. diſp.123. num.3.
Conſequutio infallibilis an ſe extendat ad omnes actiones liberas. diſp.40. num.12.
Deus cur cauſa actus boni. diſp.35.num.18.
Actus immanens quando requirat potentiam paſſiuam. diſp.9. num.24.
Actus intentionalis quomodo perficiat potentiam. diſp. 126. num.33.
Actus malus difformis actui virtutis. diſp.23.num.51.
In carentia rectitudinis in actu malo, quæ conſideranda. diſp.23. num.50.
Actus moralis poteſt habere plures moralitates ex diuerſis obiectis. diſp.100. num.43.
Actus moralis poteſt exhiberi Deo ex diuerſis titulis. diſp.100. num.44.
Actus primus quid requirat. diſp.19. num. 12.

Actus liber Dei.

Vide Voluntas Dei.
Actus liber Dei quotupliciter conſideretur. diſput.40. num.7.
Actus liber an dicat intrinſecam perfectionem Dei. diſp.32.num.9. & ſeq. An ſecundum rationem libertatis ſit formali modo in Deo. num. 11. an dicat perfectionem, quæ potuerit non eſſe in Deo.num.12. & ſeq. an aliquid virtualiter diſtinctum, quod inadæquatè potuerit non eſſe in Deo. num. 14.
Actus liber Dei an ſit actus neceſſarius cum ſola extrinſeca terminatione. diſp.32. num. 20. & ſequ. an ſit ſola complacentia de poſſibilibus. num.25. & ſeq.
Actus liber Dei dicit perfectionem intrinſecam. diſp. 32. num.37. Quam. num. 38. Quam indifferentiam habeat. num. 39. & 40. Quomodo determinetur. num.41.
Actus liber Dei an conſtituatur per relationem rationis. diſp.32.num.1. & ſeq.
An compleatur per aliquid extrinſecum. numer. 4. an per obiectum diſtinctiuè acceptum. num.7. & ſequ.
Actus liber an ſit ſub diſtinctione in Deo. diſp. 32. nu. 17. & ſeq.
Actus liber Dei non dicit aliquid ſuperadditum. diſp. 48. num.16.
Actus liber Dei an requirat mutationem extrinſecam phyſicam. diſp.32. num.42. & ſeq.
Actus diuinus poteſt ſuſpendere ſuam extrinſecam efficaciam. diſp.32. num.16.

Actus notionalis.

Actus notionalis quotupliciter conſideretur. diſp. 67. num.10.
Actus notionales quinam ſint. diſp.64. num.1.
Actus notionales an voluntarij. diſp.64. num. 42. & ſeq. An, & quomodo neceſſarij. num.44. Quomodo naturales. num.46.
Actus notionales paſſiui habeat principium. diſp.64. num.4. an etiam potentiam, à qua proueniant. numer.2. & ſeq.
Terminus totalis actuum rationalium. diſp. 64.n. 65. Terminus formalis quinam ſit. num.66. & ſequ. an eſſentia præcisè accepta. num. 68. Sub qua ratione. num.70.
Actus notionalis an ſint de aliquo. diſputat.64. numer. 34. Quid dicat eſſe de aliquo. num.35. & ſeq.
Actus notionalis an denominet principium. diſput. 69. num.24.

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Actus purus.

Actus purus quomodo explicet quantitatem diuinæ eſſentiæ. diſ. 9. num. 27.

Adoptio.

Adoptio quid requirat. diſ. 82. num. 3.
Deus mediante gratia adoptat in filios. diſ. 825. num. 2.

Adoratio.

Adoratio eſt inferioris ad ſuperiorem. diſ. 102. num. 1. Quotuplex ſit. num. 2.

Adductio.

Adductio reſpicit ordinem partium loci. diſ. 121. n. 31.

Admiratio.

Admiratio vnde, & quomodo naſcatur. diſ. 96. num. 21. quomodo ſupponat ignorantiam. num. 22.

Æqualitas.

Aequalitas, & inæqualitas quando requirant diſtinctionem. diſ. 51. num. 46. & ſeq.

Æternitas.

Aeternitas an poſſit demonſtrari de Deo. diſ. 18. n. 41. Eſt propria Dei. num. 44.
Aeternitas quid ſit. diſ. 18. num. 2. An ſit formaliter duratio. num. 3. & ſeq. Quid præſtet. num. 8. Dupliciter accipitur. num. 20.
Aeternitas per quid formaliter compleatur. diſ. 18. n. 33 & ſeq. quid de vltimo formali dicat. num. 37.
Aeternitas attingit ſimul omnes differentias temporis. diſ. 18. num. 59.
Aeternitas excludit à Deo præteritum, & futurum. diſ. 18. num. 16.
Aeternitas opponitur coexiſtentiæ ad tempus. diſ. 18. num. 29. quomodo contineat ſecula. num. 32. quomodo ſe habeat ad detractionem. ibidem.
Præſentia æternitatis eſt vniformis. diſ. 18. num. 38. Infinita. ibid.
Aeternitatis præſentia ad res creatas an tota ſimul. diſ. 18. num. 52. & ſeq. An adæquata. num. 60.
Aeternitas an ſupra diuinam vitam dicat aliquid poſitiuum. diſ. 18. num. 12. & ſeq.
Aeternitas dicit conſequutiuè negationes. diſ. 18. n. 40.
Aeternitas an ſit menſura diuini eſſe. diſ. 18. num. 18. & ſeq.
Aeternitas quatenus menſura. diſ. 18. num. 26.
Aeternitas an ſit menſura durationis creatæ. diſ. 18. num. 27. & ſeq.
Aeternitas infert immutabilitatem diuinæ voluntatis. diſ. 15. num. 11.
Quid ſufficiat, vt res ab æterno coexiſtat æternitati. diſp. 18. num. 16.
An, ſi aliquid eſſet ab æterno, participaret æternitatem. diſ. 18. num. 10.

Agens.

Inter agens, & paſſum, quæ proportio requiratur. diſ. 109. num. 32.
Vbi eſt influxus agentis egrediens ab ipſo vbi eſt agens. diſ. 17. num. 12.
Agens creatum cur poſſit immediatè agere in totam ſuam ſpheram. diſ. 17. num. 13.

Amicitia, Amicus.

Amicitia in qua communicatione conſiſtat. diſ. 36. numer. 20.
Amicorum idem velle, & quomodo. diſ. 36. num. 21.

Amor.

Amor quomodo principium gaudij. diſ. 36. num. 13.
Amor alius practicus, alius ſpeculatiuus. diſ. 36. n. 6.
Quæ amantur propter aliud, an habeant aliquam rationem motiuam. diſ. 30. num. 5.
Amor Dei vnde ſuper omnia. diſ. 102. num. 8.
Amor Chriſti quomodo terminatur ad verbum, & quomodo ad humanitatem. diſ. 102. num. 5. & 8.
Amor notionalis quid dicat. diſ. 69. num. 14.

Amor Diuinus.

Amor in diuinis dicitur eſſentialiter. diſ. 69. num. 5.
Amor diuinus non poteſt eſſe contingens. diſ. 29. n. 19. Neceſſarius quoad ſpecificationem. ibid.
Amor in diuinis an dicatur notionaliter. diſ. 69. nu. 6. & ſeq.
Amor Dei an habeat rationem deſiderij. diſ. 36. nu. 23. & ſeq.
Amare Dei eſt velle bonum. diſ. 30. num. 18.
Amor Dei an habeat rationem charitatis. diſ. 36. n. 16. & ſeq. An rationem amicitiæ. num. 18. & ſeq. An habeat erga creaturas. num. 22.
Amor Dei erga creaturas qualis. diſ. 30. num. 12.
Amor Dei erga creaturas an ſit charitas. diſ. 30. n. 4.

Angeli exiſtentia.

Angelorum exiſtentia. diſ. 103. num. 2.
An poſſit demonſtrari. num. 3. & ſeq.
An poſſit demonſtrari poſſibilitas. num. 9.
An negatiuo modo. num. 10.
An aliquæ operationes arguant exiſtentiam Angelorum. diſ. 103. num. 11. & ſeq.
An ratione perfectionis vniuerſi colligantur exiſtentia Angelorum. diſ. 103. num. 12. & ſeq.
Angeli à Deo creati. diſ. 103. num. 15. In tempore. num. 16. An ante mundum corporeum. num. 18. & ſequen.
An poſt mundum corporeum. num. 22.
Angeli vbi creati ſint. diſ. 103. num. 24. & ſeq.

Angelorum numerus.

Angelorum magnus numerus. diſ. 103. num. 28. Sed valde incertus. num. 29. Excedit numerum ſpecierum materialium. num. 30. ſpecies Angelorum excedunt ſpecies rerum materialium. num. 31.
An excedat numerum hominum. num. 33. & ſeq.

Angeli natura.

Angelus an corporeus. diſ. 104. num. 3. & ſeq.
Angeli an conſtent ex materia, & forma corporea. diſ. 108. num. 2. & ſeq.
Angelus natura ſubſtantialis completa. diſ. 104. n. 2.
Quid ſufficiat, vt Angelus ſit natura completa intellectualis. diſ. 109. num. 13.
Angeli quomodo habeant vitam indeficientem. diſ. 15. num. 14.
Angeli immortales, & incorruptibiles. d. 104. n. 13. An etiam

Digitized by Google

etiam quò ad Deum. num.24. & 25. An per naturam, an verò per gratiam. num. 25. & ſeq.
Angelorum immortalitas participata à Deo. diſp.104. num.27.
Angelus quale indiuiſibile. diſ. 119. num.48.
Angeli habent ordinem ſubordinationis ad inuicem. diſ. 119. num.22.

Angelorum diſtinctio.

Angeli an differant ſpecie. diſ.105. num. 1. & ſeq. Et quomodo. num.8.
Angeli intra eandem ſpeciem an ſolo numero differant. diſ. 105. num.10. & ſequent.

Angelus quòad intellectum.

Intellectus Angeli non diſtinguitur ab eius ſubſtantia. diſp. 106. num.1.
Intellectus Angelicus an medius inter diuinum, & humanum. diſp.109. num.27.
Intellectus Angelici ſemper eodem modo differunt. diſp.110. num.4.
Intellectus Angeli vt indifferens debet intrinſecè determinari ad hoc potius intelligendum. diſput. 109. num.1. & 6.
Angeli intellectus quomodo determinatus in ordine ad cognitionem. diſp. 107. num.37.

Angeli intellectus quò ad ſpecies impreſſas.

Vide Species intentionalis.
Angelus an indigeat ſpeciebus impreſſis. diſp.109. n.1. & ſequen.
Angelus an indigeat ſpecie ad cognoſcenda accidentia propria. diſp.111. num. 11. an ad cognoſcendas ſpecies ipſas impreſſas, num.12.
Species impreſſæ an emanent à ſubſtantia Angeli. diſp. 109. num.8. & ſeq. Si fluerent, omnes omnium poſſibilium deberent fluere. num. 10. & ſeq.
Angelus an habeat ſpecies congenitas impreſſas. diſp. 109. num.14. & ſeq.
Angelus ab initio creationis quam ſpeciem habuerit. diſp. 109. num.25.
Species Angelorum an ſint repreſentatiuè plurium. diſput.109. num.42. an poſſint dari. num. 44.
Angelus non habet ſpecies diuerſas pro vniuerſalibus, & pro ſingularibus. diſp. 109. num.30.
Angeli an ſumant ſpecies ab obiectis. diſp.109. nu. 28. & ſequen.
Angelus quomodo producat ſpeciem ſui ipſius. diſ.112. num.10.

Angeli intellectus quò ad obiectum.

Obiectum adæquatum intellectus Angelici. diſp. 110. num.1. Obiectum formale adæquatum an idem quò ad omnes Angelos. num. 2. & ſeq.
Angelus ſe ipſum cognoſcit. diſp.111. num.1. An indigeat ſpecie ad ſui cognitionem. num. 2. Eſt indeterminatus ad ſui cognitionem. num. 5. & ſeq. Vnde habeat ſpeciem, qua ſe ipſum cognoſcit. num. 8. An poſſit ſe ipſum cognoſcere abſtractiuè. num.9.
Angelus an cognoſcat Deum naturaliter abſtractiuè per propriam ſpeciem. diſp.113. num.2. & ſeq.
Angelus cognoſcit Deum per propriam ſubſtantiam. diſp.113. nom.7. Quomodo. num. 8. & ſeq.
Angelus ex creaturis perfectius cognoſcit Deum, quam homo. diſp.113. num.6.
Angeli ſe inuicem cognoſcunt. diſp. 112. num.1. Sed nō cognoſcunt alios per propriam ſubſtantiam. nu.2. An indigeant ſpecie ad alios cognoſcendos. nu. 3. & ſeq. Vnde illam habeant. num. 9.
Angeli cognoſcunt ſingularia. diſp.112. num. 11. Indigent ſpecie ad illa cognoſcenda. num. 12. Qualis ſit iſta ſpecies. num. 13.
Angelus cognoſcit in cauſis futura naturalia. diſp.112. num.18. Non autem contingentia libera. num. 19. an contingentia naturalia. num.20. & ſeq.
Angelus quomodo cognoſcat præterita. diſputat. 112. num. 35.
Cogitationes cordis an ab Angelo naturaliter cognoſcibiles. diſp. 110. num. 33. & ſequ. an ſint obiectum proportionatum. num.37.
Cogitationes cordis cur non cognoſcibiles ab Angelo. diſp.110. num.43.
Angelus nō poteſt cognoſcere naturaliter diuinam ſubſiſtentiam poſſe ſupplere pro creata. diſputat. 74. num. 27.
Angelus naturaliter cognoſcit ſupernaturalia, quò ad modum. diſp.110. num.9. an etiam quò ad ipſum modum, per quem ſunt ſupernaturalia. numer.11. & ſequenti.
Angelus non poteſt naturaliter cognoſcere totum ordinem gratiæ. diſp. 110. num. 23. Nec myſterium Incarnationis, num.24. an cognoſcat creata ſupernaturalia quò ad ſubſtantiam. num.20. & ſeq.

Angelus quò ad cognitionem.

Sola cognitio intellectiua in Angelo. diſp.108. n.1.
Cognitio Angelica diſtinguitur ab eius ſubſtantia. diſp. 107. num. 4. Etiam qua cognoſcit ſe ipſum. num.7.
Angeli habuerunt plenam ſcientiam, ſed ſolum ſpeculatiuam. diſ. 125. num. 6. & 9.
Scientia quomodo naturalis Angelo. diſp.109. n. 13.
Angelus in primo inſtanti quomodo plenus ſapientia. diſp.123. num.10.
Cognitio Angelorum matutina, & veſpertina quid. diſp. 107. num. 38.
Angelus vtens pluribus ſpeciebus impreſſis exprimit plura verba. diſp.108. num.14.
Angelus an poſſit ſimul plura cognoſcere. diſput. 108. num.6. & ſeq.
Angelus intelligit per proprias ſpecies. diſputat. 107. numer.12.
Angelus an poſſit ceſſari ab omni actu cognitionis. diſput.108. num. 1. & ſeq.
Angelus an poſſit ceſſare à cognitione ſui ipſius. diſp. 111. num.13. & ſeq. Non poteſt diſtrahi à ſui cognitione. num. 17.
Quid ſufficiat, vt Angelus poſſit ceſſare à cognitione vnius, & non alterius. diſp.108. num. 18.
An cognoſcat ſe ipſum, & Deum eodem actu. numer. 12. & ſeq.
Angelus quomodo cognoſcat coniecturaliter. diſp.107. num.28.
Cognitio Angeli an compoſitiua. diſp.107. num.9. & ſequ. an ex libertate Angeli. num. 18.
Cognitio Angeli an diſcurſiua. diſp. 107. num. 21. & ſeq. an ex libertate Angeli; & ſeq. num. 26.
Angelus an eodem actu apprehendat principia, & concluſiones. diſp.116. num.13. & 19.
Angelus an poſſit falli. diſp.18. num. 30. & ſequ. An circa coniecturalia. num. 34. an poſſit habere cognitionem practicam falſam. num.36.
Angelus non poteſt omnia intelligere per ſuam ſubſtantiam. diſp. 109. num.3.
Angelus an ſemper cogitet de omnibus, de quibus poteſt. diſp.108. num.19. & ſeq.

Digitized by Google

Angelus an cognoſcat comprehenſiuè. diſp. 108. num. 26. An etiam Angelos ſuperiores. num. 27. & ſeq.

Angelus quò ad loquutionem.

Vide Loquutio.
Angeli inter ſe loquuntur. diſ. 104. num. 1.
Loquutio inter Angelos fit modo purè intellectuali. diſ. 114. num. 10.
Loquutio Angelorum an conſiſtat in verbo reflexo. diſp. 114. num. 2. An in directione conceptus. num. 3. An in impreſſione cognitionis, num. 5. An in conceptu obiectiuo modo cauſante cognitionem. num. 6. An in infuſione ſpecierum, & nu. 7. An in eo, quod conceptus loquentis mittat ſpecies &c. nu. 9. In quonam conſiſtat, num. 13.
Loquutio Angelica quomodo manifeſtatiua. diſp. 114. num. 22.
Angeli vt loquentes quomodo ſe diſcernant. diſp. 114. num. 13.
Loquutio exerceri poteſt inter omnes Angelos, diſput. 114. num. 15.
Angeli poſſunt ſecretè loqui. diſp. 114. num. 18. Poſſunt loqui in qualibet diſtantia. num. 20. Idem poteſt alloqui plures ſimul. num. 21.
Angelus quomodo mentiatur. diſp. 114. num. 24.

Angelus quoad voluntatem.

Voluntas proportionaliter in Angelis, ac in nobis. diſ. 116. num. 1. 2. Poteſt habere actus concupiſcibiles, & iraſcibiles. num. 3. Quomodo ſe habeat circa bonum. num. 5.
Voluntas Angeli an ſemper neceſſariò in aliquo actu. diſp. 117. num. 1. & ſeq.
In Angelis liberum arbitrium. diſp. 116. num. 4.
Angelus non poteſt proponi ſibi ipſi ſub ratione mali. diſp. 117. num. 10.
Volitio Angeli diſtinguitur ab eius ſubſtantia. diſ. 104. numer. 5.

Angelus quò ad amorem.

Angelus an amet Deum neceſſariò, diſp. 117. num. 12. Quo amore. num. 13. & ſeq. An etiam quò ad exercitium. num. 17.
Angelus non amat neceſſariò Deum amore amicitiæ. diſp. 116. num. 11.
Angelus an inclinet magis ad amandum Deum, quàm ſe ipſum. diſp. 117. num. 20. & ſeq.
Amor Angeli erga ſeipſum eſt primus actus. diſ. 117. num. 7.
Angelus non eſt indifferens ad amandum ſeipſum, & non amandum. diſp. 117. num. 9. & ſeq.
Angelus an diligat ſeipſum amore neceſſario. diſ. 117. num. 3. & ſequ.
Angelus nec liberè, nec naturaliter poteſt ceſſare ab amore ſui ipſius. diſp. 117. num. 8.
Amor Angeli erga ſe ipſum quomodo poſſit eſſe inordinatus. diſp. 117. num. 11.
Amor Angeli erga ſeipſum quomodo malus. diſp. 125. num. 23. & 24.

Angelus quò ad electionem.

Voluntas Angeli an immutabilis in electione. diſ. 116. num. 13. & ſequ.
Angeli de facto mutauerunt electionem. diſp. 116. nu. 15. & ſeq.
Angelus an adhæreat vltimo fini immobiliter quò ad exercitium. diſp. 116. num. 19.

Angelus quò ad potentiam peccandi.

Vide Angelus quò ad peccatum.
Angelus peccare poteſt. diſ. 125. num. 3.
Sed non ex errore ſpeculatiuo. num. 4.
Angelus an poſſit peccare contra honeſtatem naturalem. diſt. 116. num 6. & ſeq.
Angelus quorum peccatorum non ſit capax. diſp. 125. num. 18.

Angelus quò ad operationes.

Angelus non habet operationes dependentes à materia. diſp. 104. num. 7. & 14.
Angelus poteſt operari in diſtinctis partibus loci adæquati. d. 119. num. 22.
Angelus in primo inſtanti an potuerit liberè operari. diſp. 123. num. 7. & ſeq.

Angelus quò ad locum.

Vide Extenſio virtualis.
Angeli an ſint in loco. diſp. 118. num. 1. & ſeq. An per vbi intrinſecum. num. 9. & ſeqn. An per operationem. num. 23. & ſeq. an per actionem tranſeuntem completiuè. num. 32. an per aliquid æquiualens operationi. num. 33. & ſeq. an per applicationem virtutis. num. 35. an per potentiam operatiuam. n. 37. & ſeq. Quænam ſit ratio formalis, per quod Angelus eſt in loco. num. 39. & ſeq. Cauſa effectiua per quam fit in loco. ibidem.
Angelus ex natura ſua venit in completionem cum loco. diſp. 118. num. 14.
Angelus quomodo determinetur, vt ſit potius in hoc loco quam in illo. diſp. 118. num. 18. & 19.
Angelus an poſſit eſſe in loco mathematicè indiuiſibili. diſp. 119. num. 13. & ſeq. Cur eſſe in puncto repugnet Angelo. diſp. 119. num. 16. & ſeq.
Angelus non poteſt eſſe in loco ſine extenſione virtuali. diſp. 119. num. 15. & 18.
Angelus an poſſit abſolui ab omni loco. diſp. 118. n. 22.
Loca inadæquata Angeli quomodo accipienda. diſputation. 119. num. 21.
Angelus non poteſt eſſe naturaliter in pluribus locis adequatis. diſ. 119. num. 20.
Angelus neq; tranſeunter poteſt eſſe in loco maiori adequato. diſ. 121. num. 13.
Angelus poteſt eſſe in minori loco adequato. diſ. 119. num. 1. an poſſit eſſe in minori, & minori. num. 2. & ſequenti.
Angelus an poſſit eſſe ſimul in pluribus locis diſcretis. diſp. 119. num. 23. & ſeq.
Angelus habet peculiarem præſentiam ad locum. diſp. 118. num. 41.
Angelus indiuiſibiliter coextenditur loco. diſ. 118. n. 45.
Plures Angeli an poſſint eſſe ſimul naturaliter in eodē loco. diſp. 119. nu. 28. & ſeq. Non repugnat ex parte ſubſtantiæ Angeli. num. 30. an ſecundum exigentiam ordinis vniuerſi. num. 33. & ſeq. Quid ſi Angeli ſint inuicem ſubordinati. num. 36.
Angeli in Empireo non poſſunt habere aliquam operationem. diſ. 118. num. 26. & ſequ.

Angelus quò ad motum.

Angelus mouetur. diſ. 120. n. 2. an propriè num. 2. & ſeq. Sed diuerſo modo à corporibus. num. 8.
Angelus an à ſe ipſo moueatur. diſp. 120. num. 12. & ſequenti.

Motus

Digitized by Google

Motus Angeli an poſſit eſſe continuus. diſ.121.num.1. & ſequenti.
Modus motus Angelici non impedit continuitatem. diſp.121. num.4.
Angelus an poſſit moueri motu diſcreto. diſ. 121. n.25.
Motus Angeli abſque medio an poſſit eſſe in inſtanti. diſ. 121. n.16. & ſeq.
Angelus tranſiens à ſphera adæquata ad inadæquatam, aut è contra, non mouetur, num.39. & ſeq.
Angelus an poſſit moueri de extremo ad extremum non tranſeundo per medius. diſ.121. num.27. & ſequ. Non poteſt, quando medium non eſt participans. num.30. Quid ſi ſit participans, num.35.
Angelus an poſſit moueri de extremo ad extremum per medium in inſtanti. diſp.121. num.10. & ſeq.
Motus Angeli an determinatus quò ad velocitatem. diſ. 121. num.34. & ſeq.
Inter Angelum, & corpus aliqua proportio in ordine ad motum. diſ. 121. num.8.

Angelus quò ad præſentiam.

Vide Præſentia.
Præſentia Angeli non habet conditiones rei quantæ. diſp. 119. num.5. Non eſt menſurabilis. num. 7.
Præſentia Angeli, quam figuram habeat ex parte ſpacij. diſ. 119. num.7.
Præſentia Angeli quantum decreſcit ſecundum vnam dimenſionem, non creſcit tantum ſecundum aliam. diſp. 119. num.6.

Angelus quò ad præſidentiam ſupra creaturas.

Angelo conuenit præſidentia ſupra corpoream creaturam. diſ. 118. num.42.
Ordo rerum exigit, vt Angeli preſideant corporali creaturæ. diſp. 126. num.19.

Angelus quò ad illuminationem.

Vide Illuminatio.
Angelus alium illuminat. diſ.115. num.1. & ſeq.

Angelus quò ad durationem.

Angelus non poteſt tranſire ab vna ad aliam partem temporis, niſi per intermedias. diſ.121. num. 30.

Angelus quò ad deſitionem.

Angeli an habeant potentiam poſitiuam ad annihilari. diſp.104. num.32. & ſeq. Quid dicat in ipſis annihilabilitas. nu.35. Quodnam ſit fundamentum, n. 36.
Angelus vnde annihilabilis. diſp.104. num. 30.

Angelus quò ad ſtatum ſupernaturalem.

Angelus eleuatus ad ſtatum ſupernaturalem. diſput. 122. num.1.
Angeli an creati in gratia. diſp. 122. num. 8. & ſequ.
An in ſua creatione habuerint virtutes infuſas. nu.11.
Angeli an habuerint gratiam ex propria diſpoſitione. diſ. 122. num.14. & ſeq.
Angeli an conſequuti gratiam ſecundum quantitatem ſuorum naturalium. diſp.122. num.18. & ſeq.

Angelorum via.

Angeli prius in ſtatu gratiæ, ſeu in via, quam in termino. diſp. 127. num.4.
Angeli an in via habuerint cognitionem Dei ſupernaturalem. diſp. 122. num.25. & ſeq. Qualis cognitio fuerit. num.29. Quomodo ipſis tributa. num. 30.
Angelus quomodo aſſentiatur per fidem. diſp.107. n.20.
In Angelorum via quot inſtantia ponenda. diſp. 124. num.9. & ſeq.

Angelus quò ad meritum.

Angelus an in primo inſtanti exercuerint, vel potuerint libero modo exercere actus gratiæ. diſput.123. num.1. & ſeq.
Angeli boni an habuerint plures actus meriti. diſ.124. num.8.
Meritum Angelorum quomodo ordinatum. diſp. 123. num.16.
Angeli meruerunt beatitudinem. diſp.123. n.11. Quomodo, & per quos actus meruerint. num.12. & ſeq.

Angelus quò ad beatitudinem.

Angeli in primo inſtanti habuerunt beatitudinem naturalem. diſp.124. num.2. Sed non ſupernaturalem. num.3. & 4. Niſi incohatiuè. num.5.
Angeli beatificati ante Chriſtum. diſp.124. n.6. Paulò poſt ipſorum productionem. num.2. Quanta mora interfuerit à creatione ad beatificationem. numer. 3. & ſequent.
Angeli prædeſtinati ad gloriam ex preuiſis meritis. diſp.43. num.32.

Angeli quò ad cuſtodiam.

Angelorum aliqui deputati ad cuſtodiam. diſput.128. num.2. Singulis hominibus ſunt deputati ſinguli Angeli. num.3. Non ſolum prædeſtinatis, ſed omnibus alijs. num.4. Angelorum cuſtodia quando incipiat. numer.7.
Angeli cuſtodes non dimittunt homines, quando peccant. diſ. 128. num.5. & 6.

Angeli mali.

Angelorum aliqui mali. diſp.125. num.1. Sed non natura. num.2.
Angeli mali, quam inconſiderationem habuerint. diſp. 125. num.9.
Angeli mali an aliquando conuerſi in Deum per amorem. diſp.124. num.14.

Angelorum peccatum.

Angeli peccarunt peccato ſuperbiæ. diſp. 125. nu.20.
An ſuperbia fuerit primum peccatum. nu. 21. & ſeq.
Angeli non peccauerunt in primo inſtanti. diſ.125. nu. 10. an potuerint peccare. num.11. & ſeq.
Angeli an peccauerint ex inconſideratione practica. diſp.125. num.6. & ſeq. Peccati Angelorum obiectum an beatitudo naturalis. diſp.125. num. 26. & ſeq. Quam non appetijt independenter a Deo. nu.28. Neque vt finem vltimum. num.29. Neque ſuper omnia. num.31.
Peccati Angelorum obiectum an beatitudo ſupernaturalis. diſp.125. num.33. an illam appetierit independenter à gratia, & meritis. num.34. an illam voluerit non cogitando de meritis. diſ.37. an celeriùs dandam.

dam. numer. 39. & ſequen.
Angelus an peccauerit appetendo æqualitatem cum Deo. diſp. 125. num. 41. & ſequ. An in eo, vt nulli ſubijceretur. num. 48.
Chriſtus an obiectum peccati Angelici. diſp. 125. num. 51. & ſeq. Appetitus talis excellentiæ quomodo malus. num. 57.
Obiectum peccati Luciferi quomodo in poteſtate ipſius. diſp. 125. num. 59.
Angeli ratione peccati quid meruerint. diſputat. 126. num. 20.

Angeli quò ad damnationem.

Vide Dæmones.
Angeli qui peccauerunt damnati ſunt. diſp. 126. n. 1. Puniuntur pœna eſſentiali, & accidentali. num. 2.

Angelus quò ad cognoſci.

Angeli an quidditatiuè cognoſcibiles. diſp. 107. nu. 1.
Angeli cur poſſint dipingi. diſp. 104. num. 11.

Anima.

Anima cur vniatur corpori. diſp. 109. num. 37.
Anima ſenſitiua aliquo pacto abſtrahit à materia. diſ. 19. num. 4.

Annihilatio.

Annihilatio in quo differat à corruptione. diſput. 104. numer. 31.

Appetitus.

Appetitus neceſſariò ſequitur ex cognitione. diſp. 28. numer. 2.
Appetitus innatus per quem terminum ſatietur. diſ. 47. numer. 19.
Appetitus applicatur ad operandum à cognitione. diſ. 33. num. 8.

Appropriatio.

Appropriatio in diuinis quid ſit, & quomodo fiat. diſp. 70. num. 57.

Argumentum.

Argumenta contra reuelata; an, & quomodo ſolubilia. diſp. 5. num. 34. & ſeq.
Vnde vitia in argumentis circa Trinitatem oriantur. diſp. 51. num. 51.
An valeat conſequentia à prædeſtinatione ad factionem. diſput. 83. num. 15.

Aſſenſus.

Aſſenſus Theologicus vnde obſcurus. diſp. 4. num. 15.

Aſſumptio.

Aſſumptionis terminus formalis. diſp. 81. num. 5. & 6.
Aſſumptio an habeat terminum à quo poſitiuum. diſp. 8. num. 7.

D. Athanaſius.

D. Athanaſ. in quo ſenſu neget Chriſtum meruiſſe. diſput. 98. num. 5.

Attributa.

Vide Eſſentia diuina.
Attributum quid. diſp. 13. num. 1. an importet prædicatum methaphoricum. num. 2. in quibus prædicatis fundetur. num. 3. & 4. Quæ prædicata ſupponat. n. 5.
Attributa quotupliciter conſiderentur. diſp. 13. nu. 16.
Attributa quotupliciter repræſententur. diſp. 13. n. 18.
Attributum quodlibet infinitum in ratione eſſendi. diſ. 13. num. 52.
Exiſtere per eſſentiam intrinſecum vnicuique attributo. diſp. 13. num. 61.
Attributa diuina an infinita. diſp. 13. num. 6. & ſequ. Non diſtinguuntur realiter inter ſe, neque ab eſſentia. num. 12. an diſtinguatur ex natura rei. num. 14. & ſeq. an ſeparentur ex natura rei formaliter. num. 14. & 29.
Attributa diuina an de quidditate eſſentiæ. diſput. 13. num. 30. & ſeq. an conſequantur eſſentiam. num. 32. Quæ prioritas in eſſentia quò ad attributa. num. 34.
Attributa ſunt eſſentia. diſp. 13. num. 19. Etiam in abſtracto. num. 21. Sunt id, quo Deus eſt. num. 22. Ratione infinitatis includuntur formaliter in eſſentia. num. 23. & ſeq.
Attributa an ſe inuicem eſſentialiter includant. diſp. 13. num. 50. & ſeq.
Attributa an diſtinguantur ratione. num. 57. & ſequ.
Attributa ex quonam fundamento ratione diſtinguantur. diſp. 13. num. 64. & ſeq.
Attributa quomodo diſtinguantur, vt ſunt ſub repreſentatione noſtrorum conceptuum. diſp. 13. num. 28.
Attributorum nomina cur non ſynonima. diſp. 13. n. 55.
Attributa quomodo comparanda ad eſſentiam. diſp. 13. num. 40.
Attributa quomodo poſſint demonſtrari de eſſentia. diſ. 13. num. 41.
Attributa quomodo habeant prioritatem, & poſterioritatem. diſp. 13. num. 55.

Auctoritas.

Auctoritas diuina quotuplex. diſp. 6. num. 3.
Eccleſiæ auctoritas infallibili. diſp. 6. num. 29. Quid vt importat caput. num. 30. Vt importat vniuerſalem Congregationem. numer. 31. Vt importat Concilia. num. 32.

D. Auguſtinus.

D. Auguſtini mens circa prædeſtinationem. diſput. 43. num. 38. & ſeq.
D. Auguſtinus explicatus circa prædeſtinationem, ſi non fuiſſet originale. diſp. 42. num. 7.
D. Auguſt. ſcripſit in Epiſtolam ad Romanos, quando erat in errore ſemipelag. diſ. 42. num. 43.
Quomodo dicat gratiam venire de occultiſſimis meritis. num. 44.

B

Beatitudo.

Beatitudo naturalis in quo conſiſtat. diſp. 124. num. 1.
Appetitus ad Beatitudinem an abſolutus, & efficax. diſp. 47. num. 21.
Beatitudo tendit etiam in obiectum ſecundarium. diſp. 90. num. 6.
Quem actum circa beatitudinem hominum habuerit Deus ante præuiſionem originalis. diſp. 42. num. 4.

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Beatus.

In beatis creſcit gloria accidentalis. diſp. 123. num. 7.

Beati extrahunt creaturas à Deo ſecundum eſſe obiectiuum. diſp. 48. num. 36. Quomodo extrahant. n. 37.

Beati an poſſint in Deo cognoſcere infinitum. diſput. 48. numer. 78.

Præterita, & futura an cognoſcantur a beatis per propriam ſpeciem. diſp. 48. num. 110. & ſeq.

Quomodo intelligendi Patres tribuentes beatis cognitionem omnium præexiſtentium, & futurorum. diſ. 48. num. 109.

Beati vident præterita, & futura, vt talia. diſp. 48. num. 99.

Beati quænam videant de exiſtentibus. diſp. 48. n. 100. & ſeq. Vident in ſingulari. num. 101. Quomodo videant. num. 107.

Bonitas.

Bonitas Dei eſt attributum. diſp. 16. num. 9.

Bonitas diuina quomodo ratio amandi proximum. diſ. 4. num. 27.

Bonum.

Quomodo naturaliter cognoſcibile bonum eſſe communicatiuum ſui ipſius. diſp. 51. num. 8.

Bona, quæ ſupponunt permiſſionem peccati, qualia. diſp. 40. num. 92.

C

Cauſa.

Cauſarum ſubordinatio eſt euidens. diſp. 7. num. 39.

In cauſis ſubordinatis non poteſt progredi in infinitum. diſp. 7. num. 37.

Cooperatio cauſæ ſecundæ, quomodo ſit à diuina voluntate. diſp. 40. num. 60.

Quæ cauſa immediatè influant. diſp. 33. num. 6.

Exiſtentia conuenit immediatè primæ cauſæ. diſput. 7. numer. 13.

Certitudo.

Certitudo multiplex. diſ. 3. num. 9.

Quid ſit. num. 13.

Charitas.

Charitas plura importat. diſp. 36. num. 15.

Chriſtus.

Vide Incarnatio.

Chriſtus an veniſſet, ſi fuiſſet originale ſine actuali, aut è contra. diſput. 76. num. 23.

Chriſti anima non præceſſit tempore incarnationem. diſput. 80. num. 1.

Chriſtus verus homo, & verus Deus. diſput. 74. num. 14. & ſeq.

Chriſtus ſimul Viator, & Comprehenſor. diſp. 97. n. 1.

Chriſtus quando fuerit beatus. diſp. 90. num. 2. & ſeq.

Vnio naturarum in Chriſto an poſſit dici naturalis. diſp. 77. num. 23. an eſſentialis num. 24.

Vnio naturarum in Chriſto ſubſtantialis. diſp. 77. n. 20.

In Chriſto eſt compoſitio. diſp. 81. num. 6.

Perſona Chriſti an compoſita. diſp. 81. num. 9. & ſeq. an impropriè. num. 16.

Chriſtus an poſſit dici perſona humana. diſp. 77. n. 19.

In Chriſto an tres ſubſtantiæ. diſp. 78. num. 15.

Humanitas Chriſti cur ſubſiſtat ſubſiſtentia verbi. diſp. 62. num. 10.

In Chriſto cur vnum ſuppoſitum. diſp. 62. num. 10.

Chriſtus dupliciter ordinatus in finem. diſp. 76. num. 12.

Chriſtus in quantum homo an ſit hypoſtaſis. diſput. 55. num. 35.

Chriſtus inquantum homo an ſit Deus. diſp. 85. num. 34.

Chriſtus incæpit eſſe, an valeat. diſp. 85. num. 29. an Chriſtus hic homo incæpit eſſe. num. 32.

Chriſtus an poſſit dici creatura. diſp. 85. nu. 33. & ſeq. an creatura in quantum homo. num. 28.

Chriſtus an homo Dominicus. diſput. 85. num. 14. an Deificus, ſeu Deifer. num. 15. an homo diuinus. num. 16. an Deus Carnifer. num. 17.

Chriſtus quò ad prædeſtinationem.

Chriſtus an prædeſtinatus. diſput. 83. num. 1. & ſeq. an vt fieret in tempore. numer. 6. an ad gratiam, & gloriam. num. 8.

Chriſtus prædeſtinatus ſecundum ſubſtantiam ante præuiſionem peccati. diſput. 76. num. 21. & ſeq.

Prædeſtinationis Chriſti obiectum. diſp. 41. n. 21.

Chriſtus diuerſo modo à cæteris prædeſtinatus. diſp. 43. num. 30.

Chriſti humanitas an prædeſtinata. diſp. 83. num. 11.

Chriſtus vt hic homo, an prædeſtinatus, vt ſit filius Dei. diſp. 83. num. 12. & ſeq. Et quomodo. num. 15.

Chriſtus fuit prædeſtinatus caput totius Eccleſiæ. diſp. 76. num. 13.

Chriſtus prædeſtinatus in gloriam noſtram. diſputat. 76. num. 4.

Prædeſtinatio Chriſti an exemplar noſtræ. diſput. 83. num. 16.

Chriſtus quò ad filiationem.

Chriſtus filius Dei naturalis non adoptiuus. diſp. 82. n. 1. & ſequ.

Chriſtus ſecundum humanitatem an filius adoptiuus. diſput. 82. num. 7. & ſequ.

An, & qua relatione Chriſtus referatur ad matrem. diſp. 82. n. 14. & ſeq.

Chriſtus quomodo Primogenitus omnis creaturæ. diſp. 76. num. 30.

Chriſtus vt homo Primogenitus. diſp. 76. num. 16.

Chriſtus quò ad intellectum.

Chriſtus habuit humanum intellectum. diſp. 89. num. 1.

In Chriſto admiratio. diſp. 96. num. 19.

Quodnam eius motiuum. num. 21.

Chriſtus quò ad ſcientiam.

Vide Scientia.

Scientia creata in Chriſto. diſp. 89. num. 2. & ſequ. an de potentia abſoluta potuerit cognoſcere ſcientia increata. num. 4.

Cognitio creata Chriſti habitualis. diſt. 89. num. 6. Euidens num. 7. an potuerit eſſe opinatiua. num. 11. An fides humana ibidem.

Scientia infuſa Chriſti quem actum, & quando habuerit. diſp. 92. num. 35. & ſeq.

Chriſtus per ſcientiam infuſam non cognoſcit omnia poſſibilia. diſp. 92. num. 1. An aliqua pertineant ad ipſam. num. 2. & ſequ. an naturalia obiectum huius ſcientiæ. num. 5. an in ſingulari. num. 6. Sub qua ratione. num. 7. & ſeq.

Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus per ſcientiam infuſam an cognouerit ſupernaturalia creata. diſp.92. num.25.& ſeq.
Chriſtus an cognouerit in verbo omnia futura. diſp.90. num.11.
Chriſtus habuit ſcientiam experimentalem. diſput. 93. num. 1. An fuerit illi infuſa.num.2.& ſeq. Quomodo habuerit ſpecies, quæ tali ſcientiæ inſeruiebant. n. 5. Modus tendendi huius ſcientiæ duplex.num.6.
Scientia acquiſita Chriſti an fuerit circa omnia exiſtentia.diſp.93. num.8. An circa poſſibilia.num.9. An circa ſecreta cordis.num.10.
Scientia acquiſita Chriſti an fuerit diſcurſiua. diſp.93. num. 15. An cum errore practico.num.16. An cum ſpeculatiuo.num.19.
Chriſtus ſcientia acquiſita proficiebat.diſp.93.num.12. Non tamen didicit ab hominibus.num.13. Neque ab Angelis.num.14.
Humanitas Chriſti an Deum comprahendat. diſp.50. num.70.
Chriſtus quam cognitionem de Trinitate habuerit.diſp. 92.num.32.
Chriſtus quomodo cognouerit myſteria, quæ dicunt aliquid increatum.diſp.92.num.26.& ſeq.
Chriſtus vtebatur cognitione beata tradendo myſteria. diſp.51.num.37.
Chriſtus cognoſcit actus liberos, & omnia futura contingentia. diſp.92. num.10. An per ſcientiam infuſam.num.11.& ſeq. An intuitiuè. num. 19.
Diem Iudicij cur negauerit Chriſtus, ſe ſcire. diſput.90. num.14.& ſeq.

Chriſti voluntas.

In Chriſto duplex voluntas, & duplex operatio. diſp. 94.num.2.
Voluntas Chriſti non habuit actus imperfectos. diſput. 94.num.6. An inefficaces.nu.7.
Chriſti humana voluntas, quam libertatem habuerit. diſp.94.num.17.& ſeq.
Chriſti libertas quomodo eſſet cum viſione beata. diſp. 94.num.30.
Chriſtus quomodo habuerit libertatem cum impotentia ad peccandum.diſp.94. num.26. eius libertas abſque defectibilitate.num.27.
Chriſtus videns in verbo ſuos actus futuros, quomodo adhuc liber in operando.diſp.90.num.17.
Voluntas Chriſti an fuerit contraria diuinæ. diſput.90. n.8. an habuerit actus inter ſe cõtrarios.diſ.94.n.50.
Voluntas humana Chriſti an ſemper fuerit impleta. diſ. 94.num.53.& ſeq.

Chriſtus quò ad actus voluntatis.

Chriſtus an habuerit duos amores adæquatos fundatos vnum in ſcientia beata, & alterum in infuſa. diſp. 97. num.21.
Amor Dei in Chriſto non reddebat alios actus neceſſarios. diſp.97.num.11.
In Chriſto fuit ira. diſp.96.num.33. Quodnam eius motiuum. num.24.
In Chriſto quomodo ſumma triſtitia cum ſummo gaudio. diſp.90. num.9.

Chriſtus quò ad appetitum.

Actus appetitus ſenſitiui in Chriſto fuerunt cum conſenſu rationis. diſp.95. num.25.
In Chriſto an fuerint paſſiones. diſp.96. num. 2. & ſeq. Sed abſque pugna interiori. num.4. Fuit amor ſenſitiuus. num.6. actus ſpei.num.7. an audacia. num.8. dolor. num.9.

Chriſtus quò ad fomitem.

In Chriſto non fomes. diſput. 95. num. 23. Quo modò extinctus. num. 24. an potuerit eſſe, licet ligatus. num.27. an potuerit aſſumere naturam, in qua eſſent actus fomitis. num.26.

Chriſtus quò ad peccatum.

Chriſtus ſine peccato originali. diſp.95. num.1. Omninò impeccabilis. num. 2. an phyſicè impeccabilis. num.4. & ſeq.
Chriſtus an impeccabilis ſecundum principium Quo. diſp.95. num.13. & ſeq.
Chriſtus an potuerit peccare ita vt diſſolueretur vnio. diſp.95. num.18. & ſeq.

Chriſtus quò ad ſubiectionem, & ſeruitutem.

Chriſtus quomodo ſubiectus Patri. diſp.83. num.1. Subiectus legibus. num.4. & ſeq. Quibus legibus.n.6. & ſeq. Quomodo ratione humanitatis.num.26.
Chriſtus an ſeruus propriè. diſ.84. num.16.& ſeq. Qua ſeruitute. num.18. & ſeq. Quomodo dicatur ſeruus in veteri teſtamento. num.26. an vt homo. n.27.

Chriſtus quò ad gratiam, & ſanctitatem.

Chriſti humanitas an ſancta per vnionem hypoſtaticã. diſp.86. num.1. & ſeq. Quali ſanctitate. num. 40. an quò ad omnes effectus gratiæ. num.6.
In Chriſto an gratia habitualis. diſp. 86. nu.21. & ſeq. an fuerit neceſſaria, & cur. num.2. & ſe qu. Quando fuerit infuſa. num.26. an fuerit neceſſaria, vt condignè mereretur. num.29. & ſeq.
Gratia Chriſti an fuerit infinita. diſp. 86.num. 34. & ſeq. Quam infinitatem habeat. num.39. an potuerit augeri. num.41. & ſeq. Quid de potentia abſoluta. num.44.
Chriſtus an, & quomodo plenus gratia. diſp.86. n. 46.
Chriſtus quomodo infinitè Sanctus. diſp.86. num.20.

Chriſtus quò ad virtutes, & dona.

Chriſtus an habuerit virtutes morales acquiſitas. diſp. 86. num.16. & ſeqn. an per infuſionem. n. 20. Quid ſi conſiſterent in cognitione practica.diſp.5.num.22.
Chriſtus an habuerit virtutes morales ſupernaturales. diſp.87.num.12.& ſeq.
Quam ſpem Chriſtus habuerit circa Gloriam ſui corporis.diſ.87.num.5.& ſeq.
Chriſtus habuit dona Spiritus Sancti.diſp.87. num.23. An donum timoris.num.29.

Chriſtus quò ad Gratiam capitis.

Chriſtus caput Eccleſiæ.diſp.88. num.1. Quatenus homo.nu.2. Caput omnium hominum.nu.3. An damnatorum.num.9.
Chriſtus caput Angelorum. diſp.88. nu.4. An quatenus homo.num.5.& ſequen.

Chriſtus quò ad adorationem.

Chriſtus adoratur latria.diſp.102.num.1. An etiam vt homo. num.5. & ſeq.

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Chriſtus quoad meritum.

Chriſtus meruit.diſp.97.num.2.Quando incapit mereri.n.2 An ſemper meritum continuauerit,n.4. Quando ceſſauerit mereri.nu.5.An meruerit per obſeruantiam precepto rum.num.10.

Chriſtus an meruerit per actus charitatis,diſputatio 97.nu. 12.& ſeq. per amorem beatificum. num.20. An potuerit mereri per ipſum vt terminatum ad creaturas. num. 22. Quem actum charitatis habuerit,per quem meruerit. num.23.& 24.

Chriſtus habuit actus meritorios independenter a carne paſſibili.diſp.98.num.39.

Chriſtus meruit ſibi Gloriam corporis,diſputatio 98. num.1. Etiam, quę habuit ante paſſionem. numero 3. An ſibi meruerit gratiam,& gloriam.num.6.& ſeq.An de potentia abſoluta potuerit mereri.n.11.& ſeq.

An ſi Chriſtus obtinuiſſet aliam vnionem hypoſtaticam,potuiſſet alia mereri.diſp.99.n.60.

Christus non potuit plus mereri, quam potuit Deus facere. diſp.99.num.52.

Chriſtus meruit conſtitui Redemptorem.diſp 98.n.45.

Chriſtus meruit omnibus remiſſionem omnium peccatorum. diſputatio 98. numero 16. meruit gratiam iuſtificantem numero 17.& ſequent. meruit dona gratię, quę antecedunt iuſtificationem, & applicationem Sacramentorum. num.24.

Chriſtus an meruerit noſtram prędeſtinationem. diſputatio 98. num.36.& ſeq. An primum actum dilectionis, qua dilecti ſumus num.45. An primam electionem comparatiuè.num.49.

Chriſtus meruit iuſtificatis omnia auxilia gratię diſputatio 98. num.26.& ſequent. Augmentum gratię, & glorię. num.29. Perſeuerantiam.num.28. Omnes actus meritorios. num.30. Remiſſionem pœnę temporalis. numero 31. ſuffragia num.32 meruit vim noſtrorum meritorum. nu. 33.& ſeq.

Chriſtus an meruerit Angelis gratiam, & gloriam. diſput. 98.num.52.& ſeq.

Chriſtus quoad ſatisfactionem.

Vide ſatisfactio: Operum valor.

Opera Chriſti quem valorem habeant ex re oblata. diſp.99. num.33.Quantus ſit.num.38.An coaleſcat in vnum cum valore ex perſona offerente.n.38.

Chriſtus obtulit ſeipſum.diſp.99.n.32.

Chriſtus materia oblationis. quandiu ſe obtulit. diſp.99. numero 39.

Chriſtus an ſatisfecerit pro peccatis totius generis humani. diſp.99.n.10.& ſeq.An ſufficienter n.12. An ſuperabundanter.nu.13. Quomodo eius ſatisfactio nobis applicetur. num.13.

Chriſti ſatisfactio an condigna precisa acceptatione.diſput. 99.num.15.& ſequent.Vnde habuerit condignitatem.numero 23.

Chriſti ſatisfactio quomodo ad alterum.diſput.100.num.2. & ſeq.quomodo ab eo, qui Deum lęſit. num.9.& ſequent. An fuerit neceſſaria, vt extingueret ius ad puniendum. numero 23. An fuerit neceſſaria Dei acceptatio. numero 18.& 22.

Chriſtus quomodo ſatisfecerit ex indebitis. diſputatio 100. numero 46.

Satisfactio Chriſti quomodo ex propriis.diſp.100.n.40. Quomodo ſecundum iuſtitiam, licet valor ſit a verbo. nu.42. Gratia non tollit quin Chriſti ſatisfactio ſit ſecundum Iuſtitiam.diſp.100.n.33.& ſeq.

In Chriſti ſatisfactione interfuit aliqua iuſtitia. diſputatio 100.numero 47.Quęnam Iuſtitia interfuerit.numero 48. & ſequent.

Deus an fuerit obligatus acceptare ſatisfactionem Chriſti. diſputatio 100. numero 25.& ſeq. An etiam vt Iudex. numero 28.

Chriſtus quoad redemptionem.

Poſt pręuiſionem peccati Chriſtus tanquam caput fuit ordinatus ad influendam in membra reparationem. numero 28.

Chriſtus venit principalius in remedium originalis.diſp.76. num 31.& ſeq.

Chriſtus non veniſſet exiſtentibus ſolis venialibus. diſput.76. numero 40.

Chriſtus quoad mortem.

Chriſtus an habuerit pręceptum de morte.diſput.84.nu.13. & ſeq.

Chriſtus quomodo fugerit mortem,ſine contrarietate ad voluntatem diuinam.diſp.94 n.11.& ſeq.

Chriſtus quomodo deſiderauerit propriam vitam conſeruare.diſp.117.num.24.

Circuminſeſſio.

Circuminſeſſio quid ſit.diſp.72. nu.1. facit perſonas diuinas eſſe in ſe inuicem ſecundum hypoſtates.n.2.

Circuminſeſſio in quo fundetur.diſputat.72. numer.6.& ſeq. Quid dicat formaliter.num.11.& ſequen. circuminſeſſio an aliundè habeatur, quam ex vnitate naturę. num.13. & ſequent.

Coexiſtentia.

Coexiſtentia ad tempus duplex.diſp.18.n.46.

Quę vnitertio coexiſtunt,quando coexiſtant inter ſe.diſp.18. num.61.

Cogitatio.

Actualis cogitatio quid importet.diſp.53.n.9.

Cogitationis nomine quid intelligatur. diſput.110. num.53. & ſequent.

Cogitatio cordis eſt loquutio interna.diſp.110.n.44.

Non eſt cognoſcibilis in ſe ipſa.ibid & n.45.

Cogitatio cordis cur a Deo cognoſcibilis.diſputatio 110.numero 27.

Cogitationes cordis non ſunt intuitiuè cognoſcibiles. diſput. 110.n.48.& ſeq.

Cogitationes cordis cur ſecretę.diſp.100.nu.39.ſe habent vt quo.num.40.ſolum cognoſcibiles vt quo.n.41.ſunt manifeſtabiles per loquutionem.n.92.

Cognitio cognoſcens.

In cognitione quę interueniant.diſp.45.n.57.

Cognitio triplex.diſp.108.n.26.

Cognitio debet cauſari ab obiecto.diſp 109.n.5.

Cognitio,& volitio non poſſunt reflectere ſupra ſe ipſas.diſp. 22. num.5.

Quę proportio in cognitione,& quę in cognoſcente cum obiecto requiratur.diſp.47.n.37.

Cur cognoſcens debeat eſſe ſimilis obiecto in modo eſſendi. diſp.47.n.33 & 40.& ſeq.

An eadem cognitio poſſit eſſe per multiplex verbum.diſp.48. num.58.

Cognitio practica quomodo ſe habeat ad obiectum.d.5.n.18.

Finis cognitionis practicę.diſp.24.n.22.

Cognitio diuina quomodo ſimul practica,et ſpeculatiua.diſp. 5.num.30.

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Cognitio intuitiua,& abſtractiua diſp.47.n.1.
Cognitio abſtractiua quando poſſit ſeparari ab intuitiua.diſput.51.num 33.
Eadem cognitio an poſſit eſſe intuitiua,& abſtractiua reſpectu diuerſorum.diſp.107.n.29.
Cognitio intuitiua an poſſit conſeruari in abſentia obiecti. diſp.51.n.32.
Cognoſci in alio quando obſtet cognitioni intuitiuæ.diſp.24. num.10.
Cognitio viatorum de Deo an quidditatiua. diſputatio 50. numero 30.
Medium cognitionis quotuplex.diſp.25.n.18.
Quodlibet medium cognoſcendi ſubſternit ſibi obiectum ſecundum ſpecialem rationem,diſp.23.n.14.
Aliquid in alio cognoſci dupliciter contingit. diſputatio 48. numero 27.

Cognoſcibilitas.

Quæ cognoſcibilitas proportionetur naturæ. diſputatio 110. numero 22.
Modus cognoſcibilitatis vnde conſurgat.diſp.4.n.14.

Communicabilitas.

Communicabilitas,& incommunicabilitas in Deo pertinet ad modum eſſendi,diſp.51.n.68.

Communicatio.

Actualis communicatio in diuinis quid dicat. diſputat.55. num.20.
Communicari,& non communicari in Deo non ſunt contradictoria.diſp.55.n.15.
Communicari,& non communicari in diuinis cur non contradictoria diſp.51.nu.69.
Cur communicata eſſentia non communicetur paternitas. diſp.55.num.16.

Communicatio idiomatum.

Communicatio idiomatum in quo conſiſtat.diſput.85.num. 3. In quo fundetur.nu.2. In communicatione idiomatum propoſitiones ſunt propria.num.3. Se extendit ad proprietates naturales. num.6. Non fit ſecundum abſtracta. nu. 7. Nec ſecundum abſtracta ex vna parte, & concreta ex alia. num.8. Fit in ſenſu ſpecificatiuo. num.9. Secundum quæ prædicata. num.10. Non fit ſecundum proprietates relatiuas.num.11.
Communicatio idiomatum ſecundum quæ fiat. diſputat.78. num.26.
Ratione communicationis idiomatum an valeat, Homo factus eſt Deus- diſput.85. num.18. An Deus factus eſt homo.num.19.
Deus an poſſit dici ratione communicationis idiomatum humanatus,ſeu humanus.diſp.85.n 17.

Commutatio proportionis.

Commutatio proportionis quando valeat. diſputatio 70. numero 35.

Complexio.

Complexio aliquorum ex eorumdem natura. diſputat. 118. numer.11. Quando fiat.numer.12. Quid conſurgat ex hac complexione.num.13.

Compoſitio.

Compoſitio duplex.diſp.14.num.10.
Compoſitio, & diuiſio obiectiua in quo conſiſtit. diſputatio 107.num.17. Triplex actus in compoſitione,& diuiſione. numero 18. Quid requiratur ad compoſitionem. numero 19.

Comprehenſio.

Comprehenſio quotuplex.diſp.23.num.8.
Quid requirat.29.
Comprehenſio quomodo ſumatur.diſp.50.n.1. Quid ſit de ratione comprehenſionis.n.2.
Comprehenſio quid importet.diſp.50.n.15.& 16.
In quo formaliter conſiſtat.n.19.
Quid requiratur ad comprehenſionem Dei. diſputatio 50. num.19.
Comprehenſio quam adæquationem cognitionis cum obiecto requirat.diſp.108.n.30.& 33.
Comprehenſibilitas non eſt ratio in Deo cognoſcendi poſſibilia.diſp.28.n.89.& ſeq.
Comprehenſio Dei quomodo inferatur ex cognitione omniũ poſſibilium.diſp.48.n.76.
Natura inferior poteſt comprehendere ſuperiorem. diſput. 50.num.21.

Conceptus.

Conceptus quotupliciter quidditatiuus.diſp.8.n.13.
Modus concipiendi quotuplex.diſp.55.n.10.

Concluſio.

Concluſio Theologica an poſſit eſſe ex purè euidentibus. diſp. 2. num.15.
Concluſio Theologica an poſſit eſſe ex vna probabili. diſp.2. num.17.& 18.
An pertineat ad eumdem habitum Theologiæ n.19.
Negata concluſione Theologica quomodo ſequatur aliquid contra fidem.diſp.3.n.18.
Concluſio ſequitur debiliorem partem.diſp.3.n.7.
Quomodo ex præmiſſis euidentibus ſequatur concluſio euidẽs. diſp.51.num.37.

Concurſus.

Concurſus Dei non præcedit cauſalitate operationem liberam.diſp.40.num.69.

Connexio.

Connexio alia neceſſaria,alia infallibilis.diſp.25.n.34.
Connexio effectus liberi cum cauſa libera.diſputatio 26. numero 14.
Connexio infallibilis in quo fundetur.diſp.26.n.38.
Conſtitutiuum quid requirat.diſp.12.n.5.

Contactus.

Contactus virtutis qualis.diſp.118.n.31.

Contingentia.

Naturalia contingentia quomodo contingentia. diſp.112. numero 23.
Contingentia quomodo in diuina potentia contineatur. diſp. 32.num.33.
Contingentiæ determinatio alia formalis, alia cauſatiua. diſp.25.num.33.
Decretum cum ſcientia media an ſufficiat, vt in ipſo cognoſcantur contingentia.diſp.25.num.40.

Con-

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Contradictio Contradictoria.

Ad contradictionem quid requiratur.diſp.13.nu.29.
Contradictio quid requirat.diſp.51.n.65.
Contradictoria ſignificant finito modo etiam circa infinita. diſp.55.nu.66.
Ante decretum abſolutum de futuritione an ex contradictorijs Vnum Verum,& alterum falſum.diſput.26.numer.49.

Contritio.

Contritio quomodo per offenſa ſatisfaciat,& quomodo pro pœna.diſp.101.n.33.

Corpus.

Corpus poni in loco quid dicat.diſp.118.nu.3.

Corruptibile.

Acceptio duplex corruptibilis.& incorruptibilis.diſput. 104.num.21.
Corruptibilia non ſunt talia per poſitiuam potentiam.diſp. 104.num.37.

Creatura.

Creaturæ quomodo in Deo.diſp.48.nu.29.& 38.
Creaturę quomodo contineantur in diuina eſſentia, & quomodo in Verbo.diſp.27.n.10.
Creaturæ an formaliter viſibiles in Deo.diſp. 48. num.29. & ſeq.
Creaturæ vt Viſibiles in Deo ſub quo modo ſtent.d.48.n.35
Creaturæ quomodo ſecundum proprium eſſe cognoſcibiles a Deo.diſp.23.nu.9.
Creaturę quomodo cognoſcantur a Deo. diſp.31.nu.6.
Creaturæ impropriæ terminus diuinæ cognitionis. diſp.23. num.28.
Creaturæ exiſtentes habent neceſſariam connexionem cum Deo.diſp.7.nu.35.
Creatura tota corporea ab Angelis adminiſtratur.diſput. 128.num.1.

D

D.Damnaſcenus.

D.Dàmnaſcenus cur dicat perſonas diuinas diſtingui ratione.diſ.61.nu.6.

Damnatus.

Deus Voluntate antecedenti non Vult aliquem damnare. diſp.34.num.9.
Damnati quomodo ordinati ad vltimum finem.d.27.n.10.
Damnatus Vnde determinetur ad operandum iuxta ſtatum damnationis.diſp.127.num.13.

Debitum.

Debitum triplex.diſp.38.nu.1.
Debitum ſubijcit debitorem creditori.diſp.38.num.10.& ſequent.

Dęmones.

Dęmones dolent, quod non perſeuerauerint.diſput.122.numero 7.
Dęmones re vera patiuntur ab igne.diſp.126.nu.15.
Dęmones torquentur ab igne corporeo.diſp.126.n.4.& ſeq. Non per apprehenſionem,ſed realiter.n.9. an torqueantur per alligationem.nu.10.An naturali virtute ignis eos torqueat. nu.11.An cauſando dolorem, quem cauſaret in anima dum torquet corpus. num.12.An quia intellectus dæmonis alligetur, vt ſemper cogitet de igne num.13. An per potentiam obedientialem.nu. 14.Quomodo torqueat.nu.21.
Angeli damnati obſtinati.diſp.127.nu.2.cauſa eorumdē obſtinationis.n.3.
Dęmones an poſſint efficere aliquod bonum morale.diſp. 127.nu.5.& ſeq.
Vnde proueniat quod non poſſint. nu.9. et ſeq.
Demones an præuideant creaturę,cui alligantur. diſput. 118.num.44.

Demonſtratio.

Demonſtratio an poſſit eſſe de omnibus neceſſarijs.diſputát. 51.num.14.

Denominatio.

Forma exiſtens in alieno ſuppoſito an poſſit denominare.diſput.120.num.21.& ſeq.& 34.

Deus.

Nomen Deus apud Hebræos diuerſitáte ſignificatur, et diuerſo nomine exprimitur.diſp.125.nu.49.
Deus vnicus.diſp.14. nu.1. An naturaliter demonſtrabile eſſe Vnū.n.2.et ſeq.Quomodo demonſtretur,n.4. et ſeq.
Deus eſt verus Deus.diſp.16.nu.1.
Deus non eſt materia prima.d.9.n.33. nec forma ſpiritualis.nu.34.nec eſsentia rerum creatarum. nu.38.
Deus non habet Corpus.d.9.n.32.
Deus an proprie ſubſtantia.d.9.nu.31.
Quomodo quedam prædicamenta dicantur de Deo propriè diſp.14.n.36.
Deus quomodo a ſe.diſp.9.nu.2.et ſeq.
Deus eſsentialiter ſuper omnem gradum.diſp.11.nu.8.
Deus actus puriſſimus.d.9.nu.22.Et quid dicatur,nu.23.
Totum eſse Dei vna ſumma res infinita.diſput.55. numero 38.
Deus viuens vita cognoſcitiua perfectiſſima.diſput.9. numer.39.
Quomodo Deus ratione ſuæ eſſentiæ Viuat.diſputat. 12. num.21.
Quæ perfectiones in Deo incompoſſibiles.diſp.10.nu.10.
Perfectiones quomodo in Deo.diſp.10.nu.5.et ſeqq.In ipſo ſecundum rationes cauſales.n.7. Quomodo nobis repræſententur.nu.8.
In Deo plenitudo omnis perfectionis.diſp.10.n.1.
Deus omnino ſimplex.d.14.n.22.et ſeq.
In Deo quomodo veritas in eſsendo.diſp.16.numer.23. Eſt veritas prima. numero 4. Veritas Dei quid dicat. numer.5.
Deus ſummum bonum.diſp.16.nu.7. Quid ſit eſſe ſummū bonum per eſsentiam. nu.8.

Digitized by Google

Deus mutabilis.diſp.15.nu.2.
Deus non mutatur neque terminatiue quòad actus liberos. diſp.15.num.7.
Deus an contineatur ſub genere.d.14.nu.27.& ſeq.
Deus an ſit ſub genere analogo.diſ.14.nu.37.& ſeq.
Quod eſt tale in Deo entitatiue,eſt etiam tale quidditatiuè. diſp.55.nu.43.
Idem eſſe formale ex natura rei poteſt fundare in Deo vnitatem,& diſtinctionem.diſp.55.nu.17.
Deus an bonus aliis rebus.diſput.16.nu.11.
Deus & parentibus quomodo non poſſit reddi æquiualens. diſp.99.n.15.& 26.
Quomodo per Iudicium Deus erit omnia in omnibus.diſp. 10.num.2.
In Deo quomodo Patres ponant multiplicitatem. diſput. 13.num.29.
Deus,& creatura non conueniunt in modo habendi exiſtẽtiam.diſp.9.n.16.
In Deo non eſt priuatio.diſp.9.n.86.nec impropriè. n.37.
An Deus,& mundus ſimul ſit quid perfectius,quam ſolus Deus.diſp.10.n.19.

Dei exiſtentia.

An Deus ſit,& quid ſit,an alia queſtio.d.9.nu.14.
Deum eſſe cur aliqui negauerint.diſp.7.nu.17.
Deum eſſe an per ſe notum.diſp.7.nu 9.& ſeq.
Deus ens ſummè neceſſarium.diſp.9.n.9.12.& 13.
Deus exiſtit per eſſentiam.diſp.62.n.13.
Exiſtentiam eſſe de eſſentia quidditatis Dei facit ipſam primo differre.diſp.9.n.16.
Exiſtere in Deo vnde habeatur.diſp.7.num.24.
Dei exiſtentia an poſſit demonſtrari a poſteriori.diſp.7. n. 29.& ſeq.quomodo demonſtretur.nu.37.& ſeq.
Exiſtentia an ratione diſtinguatur ab eſſentia Dei. diſput. 9.num.15.
Exiſtentia quomodo colligatur ex infinitate.diſput.9.numer.16.
Deum eſſe an poſſit a priori demonſtrari. diſp.7. num.21. & ſeq.
In Deo plurificata exiſtentia plurificatur eſſe per eſſentiã diſp.62.n.6.& ſeq.

Dei eſſentia.

Vide Attributa.

Eſſentia Dei quomodo abſoluta.diſp.55.nu.34.
Conſtitutiuum diuinę eſſentiæ diuerſo modo ſe habet,ac cõſtitutiuum creaturarum.diſp.11.n.6.
Intelligere an formale diuinæ eſſentiæ Conſtitutiuum. diſp. 11.nu.7.
Eſſentia diuina per quid vltimo conſtituatur a parte rei. diſp.12.nu.2.& ſeq.
Plenitudo eſſendi quomodo Conſtitutiuum diuinæ eſſentiæ. diſp.12.n.12.
Eſſentiæ diuinæ quod nam formale Conſtitutiuum.diſp.12. num.14.& ſeq.
Eſſentia diuina eſt formaliter plenitudo eſſendi.diſp.9.n.18
Exiſtentia an de quidditate eſſentię Dei.diſp.9.num.10.& ſequent.
Eſſentia diuina an in potẽtia ad attributa.d.9.n.26
Eſſentia,& attributa an ſe habeant vt includent,& incluſum.diſp. 13.nu.49.
Eſſentia diuina an de conceptu attributorum.diſp.13.nu. 43.& ſeq.
Diuina eſſentia dicit quidditatiue quicquid pertinet ad actuale intelligere.d.55.nu.32.
Communicabilitas quomodo conueniat diuinæ eſſentiæ.diſ. 55.num.35.
Eſſentia ſub ratione communicati quid dicat.diſ.64.n.71
Eſſentia diuina cur non ſit fecunda in ſpiritu ſancto.diſ.64. nu.26.& ſeq.
Eſſentia diuina habet latitudinem ſuppoſitionis. diſp. 51. num.52.
Eſſentia diuina quomodo non identificatur adæquate in perſona.d.51.n.43.& ſeq.
Eſſentia diuina menſura idealis rerum omnium.diſpu.18. num.32.
Eſſentia diuina quomodo a creaturis imitabilis.diſputat. 27.n.9.
Eſſentia diuina continet omnem repreſentabilem. diſ.21. num.4.
Eſſentia diuina non poteſt habere rationem ſpeciei impreſſæ.diſp.49.nu.16.& ſeq.

Dei Æternitas.

Deus an prius æternus,quam immutabilis.d.18.n.42.
Quod in Deo correſpondet durationi creatę an ſit formaliter duratis.d.18.n.5. 6.& quid ſit n.7.
Deus eſt æternus.diſp.18.n.1.
Deus an ratione æternitatis conſiſtat tempori.diſp.18. nu. 47.& quomodo.n.48.An præſentia formali.n.49. quomodo hæc coexiſtentia determinatur.nu.50.
Inter Deum,& tempus an aliqua latitudo.diſp.18.n.45.
Deus eſt ſimul præſens præterito,& futuro.d.18.nu.58.

Deus quòad infinitatem.

Deus infinitus in eſſendo.d.11.num.3. An poſſit id demonſtrari.nu.4.& ſeq.Quomodo demonſtretur.n.6.
Deus cur infinitus licet ſint alia extra ipſum. diſp.11.nu. 8.& 9.

Deus quòad immenſitatem & peccatum.

Immenſitas Dei ex infinitate demonſtratur.d.17.nu.16. Ex immutabilitate.n.18.
Deus eſt præſens omnibus rebus.d.17.quomodo ipſi tribuatur determinatus locus.nu.4.Immenſitas an,& quomodo demonſtretur de Deo.n.5.& ſeq.
Deus pluribus modis in creaturis.d.17.n.38. quot ſint ibidem,& ſeq.Quomodo plures.nu.46.
Deus diuerſo modo præſens rebus creatis, ac ſint ipſę inter ſe.d.17.nu.22.
Ex Dei operatione colligitur præſentia.d.17.nu.8. & ſeq.
Deo propriè non conuenit propinquitas.diſp.17.nu.24.
Deus an ſit in ſpatiis imaginariis.diſp.17.n.49.et ſeq.Deus quomodo extra mundum.n.55.

Deus quòad intellectum,& intelligere.

Vide Scientia Dei.

Deus eſt intelligens.d.19.n.1.Ex immaterialitate id probatur.num.2.

Intel-

Digitized by Google

Intelligere radicale an Conueniat Deo. diſp. 19. num. 13.
Intellectus an ſecundum propriam rationem conueniat Deo. diſp. 19. num. 14. Quomodo conueniat. nu. 17.
Deo non conuenit intellectus per modum actus primi. d. 19. nu. 8. An ſaltem ſecundum noſtrum modum concipiendi nu. 9. & ſeq.
Intelligere & velle quomodo in Deo. d. 10. nu. 17.
In Deo an duplex intelligere, & duplex velle. diſp. 53. nu. 1. & ſeqq.
Deus cognoſci ſeipſum. diſp. 21. nu. 1.
Eſſe diuinum adæquatum obiectum diuinæ cognitionis. diſ. 21. nu. 5. Solum obiectum formale nu. 7.
Deus primarium obiectum ſuæ cognitionis. d. 21. n. 2. Ratione ſui eſſe omnia cognoſcit. n. 3.
Deus comprehendit ſeipſum. diſ. 22. n. 10. cognitio comprehenſiua incommunicabilis. n. 11.
Deus quomodo cognoſcat ſine reflexione ſuam cognitionem diſ. 20. nu. 23.
Deus an cognoſcat poſſibilia in ſe ipſis. d. 23. nu. 26. & ſeq. Quomodo terminent diuinam cognitionem. numero 33.
Cognitio poſſibilium in Deo non diſtinguitur a cognitione ſui ipſius. diſp. 24. num. 1.
Deus cognoſcens creaturas an producat in eſſe cognito. diſ. 23. n. 22. & ſeq.
Cognitio Dei quò ad poſſibilia an practica, an vero ſpeculatiua. d. 24. nu. 11. & ſeq.
Deus habet ſcientiam, quæ ſit cauſa rerum. diſputat. 24. num. 23.
Cognitio Dei de rebus eſt practica. diſp. 24. nu. 53.
Deum poſſe cognoſcere, & non cognoſcere contingentia, an dicat actum primum. diſp. 19. n. 18.
Deus cognoſcit futura contingentia abſoluta. diſ. 25. nu. 2. Certa ipſorum cognitio propria Dei. nu. 3.
Deus an cognoſcat futura contingentia ratione ſuæ efficacis cognitionis. d. 25. n. 48. & ſeq. An ratione infinitatis cognitionis. nu. 51.
Deus an in Ideis cognoſcat futura contingentia. d. 25. nu. 19. & ſeq. An in ſuo decreto. n. 26.
Deus cognoſcit futura conditionata, quæ habent connexionem illatiuam. diſp. 26. nu. 2. Etiam diſparata. nu. 3. Hæc cognitio eſt formali modo in Deo. n. 5.
Decretum permiſſiuum an ratio cognoſcendi peccatum. diſput. 25. nu. 37.
Deus an cognoſcat ſuum decretum liberum prius vt futurum, quam vt actu exiſtens. d. ſp. 25. nu. 41.
Deus cognoſcit omnia creata. d. 23. nu. 1. Quomodo cognoſcat. nu. 2. & ſeq. cognoſcit in ſe ipſo. n. 4. diſtincte. n. 5. Quomodo cognitio diuina ad creaturas terminetur. n. 6. & ſeq. quomodo ad ipſas ſe extendat. n. 8.
Deus cognoſcit mala per e. d. ſp. 23. num. 45. etiam malum culpæ. nu. 2. Quomodo cognoſcat. nu. 46. & ſeq. An ſub ratione priuationis cognoſcat. n. 52. Quomodo cognoſcat cum ordine ad ſeipſum. n. 55. Quomodo in ordine ad bonum. nu. 56.
Intelligere non poteſt in Deo eſſe radix omnium attributorum. diſp. 12. nu. 8.
Deus an ratione cognitionis ſit in obiecto. diſputation. 17. num. 43.
Cur Deus non intelligat paternitate. diſp. 55. nu. 48.

Dei voluntas.

Deo conuenit Voluntas. diſp. 28. nu. 1. An per modum potentiæ nu. 3. An quo ad obiecta ad extra. nu. 4. An poſſit concipi per modum poſſibilitatis. n. 5. Potentia volendi in Deo quid ſignificet. n. 6. Amiratione cauſæ ad extra ſe habeat voluntas diuina per modum potentiæ. num. 7.
Deus an in potentia ad actus liberos. diſp. 9. nu. 25.
Deus non eſt in potentia ad actus liberos. diſputation. 15. num. 5.
Deus an ſit liber reſpectu creaturarum in communi. diſp. 31. num. 21.
Quomodo liber ad ſe determinandum. diſ. 31. n. 12.
Eſſentia diuina an poſſit eſſe ratio nolendi. diſput. 31. num. 17. & 18.
Creaturæ an habeant rationem motiui, quo ad diuinam voluntatem. diſp. 30. nu. 3.

Deus quò ad actus voluntatis.

Vide Actus liber Dei.

Deus amat ſe ipſum. diſp. 29. n. 15. An amare neceſſario, an vero libero. n. 16. & ſeq.
Deus non amat ſeipſum amore concupiſcentiæ. diſput. 36. num. 2.
Deus amat ſuum amorem. diſp. 29. nu. 11. Quomodo amat directè, an reflexè. n. 12. & ſeq.
Deus quam inclinationem habeat circa bonum. d. 28. n. 15.
Deus an habeat ſimplicem complacentiam inefficacem circa exiſtentiam creaturarum. diſp. 31. n. 22.
Deus vult creaturas. d. 30. nu. 2.
Quomodo amat creaturas. diſp. 29. nu. 10.
Deus amat creaturas propter ſe ipſum. diſp. 30. nu. 6. An amet vt ſibi vtiles, n. 7. quomodo amet propter ſeipſum. num. 9.
Deus amat omnia. diſp. 36. nu. 27. quomodo. n. 28. & ſeqq.
Deus vult vnum propter aliud. diſp. 33. num. 18. ſecundum quem ordinem. nu. 19. Vnde voluntas diuina ad hoc determinetur. nu. 20.
Deus an poſſit magis, vel minus diligere ſine communicatione maioris boni. diſp. 36. nu. 32.
Deus an poſſit nolle ſuum bonorem. diſ. 31. nu. 2.
Decreta diuina cauſant, quod voluntas vult. diſ. 43. n. 14. Ordo diuinorum decretorum. diſp. 43. nu. 13.
Deus an ſpiritu ſancto diligat creaturas. diſp. 69. n. 23.
Deus præter peccatum nihil poteſt odire. diſp. 37. n. 1. quomodo odio habeat. n. 2. & ſeq.
Quinam actus ſolus in voluntate diuina poſſibilis. diſput. 32. nu. 30.
In Deo eſt amor. diſp. 36. nu. 1. An diſtinctus a gaudio. nu. 5. 8. 9. & ſeq.
In Deo gaudium, & delectatio. diſp. 36. n. 3.
Delectatio in Deo an diſtinguatur a gaudio. diſp. 36. n. 14.
Deo an conueniant poſitiua diſplicentia. diſp. 37. num. 11.
In Deo an fuga reſpectu mali. diſp. 37. nu. 14.
Deſperatio an in Deo. diſp. 37. n. 17.
Deus promiſſit. d. 38. nu. 3.
Deus non poteſt velle ali quid diſtans a ſeipſo. diſp. 17. numer. 15.
Appetitus elicitus non conuenit Deo. diſp. 28. nu. 10. An conueniat innatus. nu. 11. & ſeq. An conueniat innatus reſpectu creaturarum. num. 14.

Deus quòad cognoſci.

Deus quomodo ſumme intelligibilis. diſp. 49. nu. 28.

INDEX RERVM.

An naturaliter cognoſcibile Deum eſſe intra obiectum adæquatum intellectus. diſp. 47. nu. 27.

Deus cur in ratione obiecti excedat intellectum creatum. diſp. 45. nu. 33.

Dei cognitio inſitu a natura. d. 7. n. 1.

Deus cognoſcibilis per viam negationis. d. 8. nu. 5. Per viã cauſalitatis. nu. 6. Per viam ſupereminentiæ. num. 7.

Deus per affirmationem quotupliciter cognoſcibilis. diſp. 8. num. 4.

Deus naturaliter cognoſcibilis ex creaturis. diſp. 1. nu. 32. Cognitione moraliter certa, & infallibili. n. 33.

Quonam modo Deus per fectus cognoſcatur. diſp. 8. n. 8.

Conceptus de Deo vnde formetur. diſ. 13. n. 17.

Conceptus quos de Deo formamus an ſint quid ditatiui. d. 8. nu. 10. & ſeq.

Conceptus proprius de Deo. diſp. 8. nu. 11. quidditatiuus. num. 14. Sed non quidditatiuo modo. nu. 15.

Dei omnia finito modo intelligimus. d. 51. nu. 63.

Deus cur non poſſit a nobis perfecto modo cognoſci. d. 8. n. 2

Deus incomprehenſibilis. diſ. 50. n. 3. In quo conſiſtat incomprehenſibilitas. n. 8. & ſeq. Variæ opiniones. ibid.

Deus cur incomprehenſibilis. diſ. 50. n. 20.

Deus quò ad viſibilitatem.

Deus quomodo intra obiectum intellectus. diſp. 47. num. 5. Cur non ſpecificet viſionem infinitam. n. 6.

Deus viſibilis ab intellectu creato ſecundum ſuam eſſentiã diſp. 47. nu. 2. Quomodo dicatur inuiſibilis. n. 3.

Creatura an habeat naturalem appetitum videndi Deum. diſp. 47. n. 13. & ſeq. Habet naturalem capacitatem. n. 15. ſed non appetitum innatũ. n. 16. An appetitum elicitum. nu. 17. Quid ſuppoſita reuelatione de poſſibilitate. num. 18.

Deus non poteſt naturaliter videri. diſ. 42. n. 9. Quid ſi quis videret viſionem beatam alterius. nu. 10.

An poſſibilis creatura, a qua connaturaliter Deus videri poſſit. diſp. 47. nu. 31. & ſeq. Tali creaturæ deberet eſſe connaturalis gratia, & amicitia Dei n. 33.

Deum eſſe viſibilem an poſſit naturaliter attendi. diſp. 47. nu. 22. & ſeq. Viſo Deo non videntur neceſſario decreta libera ipſius. diſp. 48. n. 19. Videntur ex vi viſionis Dei. nu. 20. quæ determinatio obiectiua neceſſaria. num. 22. quomodo fiat. nu. 24.

De potentia abſoluta an poſſit videri eſſentia non viſis perſonis, vnum attributum ſine alio. etc. diſp. 48. n. 9. & ſeq. An per viſionem confuſam, quæ non ſit beatificans. n. 13

Ad videndum decretum liberum Dei an ſufficiat videre effectum, ad extra. diſp. 48. nu. 26.

Decreta libera Dei quomodo ſint viſibilia. d ſp. 48. nu. 17. & ſequ.

Deus viſibilis a viatoribus de potentia abſoluta, non de ordinaria. diſp. 48. nu. 112. & ſeq.

Deus an intuitiue viſibilis ab oculo corporeo. diſp. 47. nu. 43. & ſeq.

Deus quò ad creaturam manifeſtationem.

Deus quomodo naturaliter repræſentet creaturas. diſp. 48. num. 72.

Eſſe diuinum quomodo ratio cognoſcendi creaturas. diſp. 23. num. 10. Vnde habeat, quod ſit ratio cognoſcẽdi creaturas. nu. 11. & ſeq. An per aliquam rationem ſpeciei, nu. 15. An per rationem cauſæ. nu. 17. An per rationem Ideæ. nu. 19.

Deus quomodo medium ad videndas creaturas, diſp. 48. n. 39. & ſeq. An ratione ordinis ad ipſas. ibid. An quia ens per Eſſentiam. nu. 41. An quia ſit cauſa num. 45. & ſeq. An quia ſpecies eminentialis, num. 46. An quia ſuppleat concurſum obiectum, nu. 48.

Eſſentia diuina in viſione Creaturarum eſt obiectum etiam terminatiuum. diſp. 48. nu. 48.

Deus quò ad nominari.

De Deo quæ dici poſſint. diſp. 1. nu. 10.

Deus an poſſit per aliquod nomen comprehenſiue ſignificari. diſp. 50. n 22. & ſeq.

Viatores an poſſint Deum nominare quidditatiuo modo. diſp. 50. nu. 26. & ſeq. An beati. nu. 31. & ſeq. An reſpectu viatorum. n. 35.

Deus cur ineffabilis. diſp. 50. n. 39.

Deus quò ad oporationem.

Deus libere producit Creaturas. diſp. 31. nu. 1.

Deus quomodo ab æterno producat. diſp. 18. nu. 61.

Deus cauſat per cognitionem, & Voluntatem. diſp. 33. n. 1. An cauſet immediatius per intellectum, an per voluntatem. diſp. 33. n. 2. & ſeq.

Deus communicãs bonum quomodo laudabiliter operatur. diſp. 75. nu. 6.

Deus an neceſſitatur ex ſua bonitate ad faciendum optimũ. diſp. 77. nu. 5.

Deus quomodo ſemper faciat quod melius eſt. diſ. 75. n. 10.

Deus an neceſſitur ad volendum ſuam gloriam. diſput. 75. num. 16.

Operatio Dei Vnde rationabilis. d. 43. n. 37.

Quomodo Deus ex intentione finis eligat media. diſp. 40 num. 111.

Deus intendit finem in medijs. diſp. 40. n. 109.

Deus an præintendat finem eſſequendum ex permiſſione peccati. diſp. 40. nu. 80. & ſeq.

Deus an præintendat finem, quando ad ipſum ordinat media. diſp. 40. n. 101. & ſeq.

Deus quomodo Vtatur creaturis. diſp. 30. nu. 12.

Deus quò ad debitum.

Vide Iuſtitiã.

Debitum non eſt in Deo abſolute. d. 38. nu. 2. An ex ſuppoſitione illi propriè conueniat. diſp. 38. nu. 4. & ſeq.

Deus quomodo nobis debeat. deſp. 38. n. 15.

Quale debitum inter Deum, & creaturas. d. 38. nu. 13. an ſit rigoroſe tale. n. 14.

Deus quo ad malum.

Vide Peccatum.

Deus non poteſt peccare. d. 35. nu. 4. Nec per ſe, neque per accidens velle peccatum. n. 5. Non vult mala fieri, aut eſſe. nu. 6. ſed permittit. n. 7.

Dicere.

Dicere an conueniat Deo eſſentialiter. d. 67. nu. 57.

Dicere ponendum in quolibet intellectu. d. 53. n. 7.

Diffe-

Differentia.

Aliud differre ſpecie, aliud ſecundum modum menſura. diſp. 105. nu. 5.
Differentia quid debeat importare. dſp. 105. num. 6.
Differentia qualis debeat eſſe. dſp. 0. nu. 7.
Quæ differentia ſecundum formam ſit ſpecifica. diſ. 105. num. 10. & 17.

Diſcurſus.

Aliud cognoſcere ſucceſſiuè, & aliud per diſcurſum. diſp. 107. num. 27.
Quando connexa ſint cognoſcibilia per diſcurſum. diſp. 107. num. 27.
Diſcurſus quid requirat. diſp. 17. nu. 24.

Diſtinctio.

Diſtinctio realis quando inferatur ex extremis realiter reparabilibus. diſp. 77. nu. 47.
An creatis cur diſtinctio realis ſit etiam ſecundum exiſtentiam. diſp. 62 nu 9.
Diſtinctio ex natura Rei ſtat cum identitate. diſp. 13. n. 11. quid requiratur ad diſtinctionem formalem ex natura rei. diſp 55. nu. 1.
Diſtinctio virtualis. diſp. 13. num. 63. quid requirat. nu. 6.
Diſtinctio rationis multiplex. diſp 13. nu. 55.
Aliqua poſſint ſe ipſis immediate diſtingui. d. 52. nu. 37.
In diuinis nulla diſtinctio abſque oppoſitione. diſ. 70. num. 50. & ſeq.
Diſtinctio perſonalis in diuinis quomodo extrinſecus intellecta. diſp. 54. n. 13.

Diſtinctio Diſtributiuum

Diſtributio cadit ſuper ijs, pro quibus ſupponit terminus communis. diſp. 55. n. 53.
Quando non liceat arguere a diſtributiuo ad collectiuum. diſp. 108. num. 5.

Dolor.

Ad cauſandum dolorem quale obiectum requiritur. diſp. 126. nu. 16.
Dolor ſenſitiuus vnde cauſetur. diſp. 126. nu. 21.
Dolor, quo torquentur Dæmones, eſt quædam vnalogica combuſtio. d. 126. nu. 22.

Dominium.

Ordo Dominij rerum. d. 41. n. 27.

Donum.

Vide. Spiritus Sanctus.

Donum aliud reale, & aliud intentionale. diſp. 69. nu. 32.
Donum quid ſit. diſput. 69. num. 25. Quid dicat formaliter. num. 31.
Modus operandi donorum Spiritus Sancti an dicat imperfectionem. diſp. 87. nu. 24.
Diuina eſſentia, & perſonæ donum materiale. d. 69. nu. 33.

Dulia.

Dulia quid. diſp. 102. num. 2.

Duratio.

In creatis aliud duratio inſtrinſeca, & aliud coexiſtentia ad tempus. diſp. 18. num. 14.
Duratio facit conſiſtere tempori cum præterito, & futuro. diſp. 18. nu. 11.
Duratio rei per quam ſpeciem repræſentetur intellectui. diſp. 112. nu. 15. & 16.

E

Effectus.

Effectu cognito quomodo cognoſcatur cauſa. diſ 7. nu. 36.
Viſo effectu quomodo adſit naturale deſiderium videndi cauſam. diſp. 47. nu. 30.
Omnis effectus naturalis contingens reſoluitur in cauſam naturalem. diſp. 112. n. 21.

Elipandus.

Elipandi error. dſp. 82. n. 11.

Ens. Eſſe.

Omne ens quomodo cognoſcibile. 110. nu. 52.
Eſſe a ſe dupliciter contingit. d. 9. n. 1.
Eſſe a ſe ne dum conuenit eſſentiæ diuinæ, ſed etiam attributis. diſp. 9. nu. 5.
Eſſe a ſe differentia diuini eſſe. d. 9. nu. 6.
Ens per eſſentiam quid dicat. diſp. 13. nu. 36. & 37.
Ens per eſſentiam eſt intrinſece ſingulare. diſp. 14. n. 5.
Ens per eſſentiam conſiſtit in indiuiſibili. diſp. 13. nu. 46.
Non ens an habeat aliquam cognoſcibilitatem. diſp. 23. n. 39. An cognoſcibile ratione alterius nu. 40.

Eſſentia.

Eſſentiæ rerum quomodo lonç. d. 16. nu. 10.

Eſau.

Eſau reprobatus ex præuiſione originalis. diſ. 45. num. 30.

Euchariſtia.

Corpus Chriſti ſub Euchariſtia an habeat humores. d 78. nu. 29. An capillos. n. 36.
Modus eſſendi Corporis Chriſti in Euchariſtia quomodo ſupernaturalis. diſp. 110. n. 16.
Accidentia Euchariſtica naturaliter ab Angelo cognoſcibilia, quod ſint ſine ſubiecto. d. 110. n. 18.

Euidentia.

Euidentia conſequentiæ diuerſa ab euidentia conſequentis. diſp. 3. nu. 24.

Euthyches.

Euthyches quomodo poſuerit vnam naturam in Chriſto. diſp. 77. nu. 2.

Exiſtentia.

exiſtentia cognoſcuntur formaliter in verbo. d 48. nu. 93. & ſeq. Quomodo cognoſcantur. nu. 95. cur quilibet beatus non videat omnia. nu. 96.

Digitized by Google

Exiſtentia an poſſit cognoſci in decreto libero. d.48.n.98.

Explicatio.

Res duplici modo explicabilis quando non poteſt per propriam ſpeciem cognoſci.diſp.8.nu.3.

Extenſio.

Extenſio virtualis conſequitur ſubſtantiam Angeli, & illi proportionatur.d.118.nu.46.limitat locum Angeli adæquatum,n.47.quomodo diſtinguatur a ſubſtantia Angeli.n.41.An ſit diuiſibilis.n.49. Quomodo poſſit eſſe maior & minor in eodem Angelo n.10 Quomodo applicet Angelum loco.n.51.An poſſit acquiri ſucceſſiuè.nu.52.
Virtualis extenſio eſt in poteſtate Angeli. diſp.121. nu. 18. Poteſt illam acquirere,& amittere in inſtanti. nu. 19.An in hoc interueniat motus localis.ibidem.

F

Facultas.

Facultates an deducant ſua principia ut concluſiones. diſput.2.& 5.

Fallaciæ.

Fallaciæ circa myſterium Trinitatis ad quæ capita reducantur.diſp.51.num.54.Vnde oriantur.n.55.

Felicitas.

Humana felicitas in qua contemplatione Dei conſiſtat.d. 47.num.12.

Fidelitas.

Debitum fidelitatis quando naſcatur ex promiſſione. diſ. 38.nu.15.
Fidelitas an in Deo formali modo.diſp.38.num.6. An eminenter,nu.9.An debitum fidelitatis.nu.13.

Fides.

Regula fidei vnde confirmari poſſit,diſput. 6. num.5. 22. & ſeq.
Quilibet actus fidei quomodo ex diuino teſtimonio. diſp. 7.num.5.
Quale dubium poſſit ſtare cum fide diſp.3.nu.19.
Cognitio fidei quomodo ſe habeat ad concluſiones Theologicas.diſp.2.num.10.
Fides non fuit in Chriſto.diſp.87.n.1.

Filius.

Filius in diuinis eſt conſubſtantialis patri. diſp.50. num. 8. & ſeq.
Filius in diuinis non poteſt dici homouſios. diſp.50. nu. 18. Quid ſignificent Patres,dum filium dicunt, vt ſapientiam genitã.Spiritum ſanctũ ut amorẽ, &c. d. 53. num.78.
Filius quomodo eo ſit filius, quo eſt verbum,& e contra. diſp.65.nu.48.
Filius ex eo,quod eſt filius eſt etiam imago Patris.diſp.65. nu.15.Quam rationem Imaginis dicat,n.17.
Filius cur ſit Imago.diſp.67.n.42.& ſeq.
Filius cur non ſit imago intentionalis. diſp.65.n.49.
Filius an genitus quia imago.Patris.diſp.65.n.17. & ſeq. An quia eius proceſſio tendat aſſimilatiuo modo. nu.22. & ſeq.An quia per proceſſionem formaliter communicetur intelligere.n.25.& ſeqq.an quia procedat ſimilis principio,quo totali.nu.28.& ſeq.
An quia ipſi communicetur natura ſub ratione naturæ. nu.30.& ſeq. cur genitus.n.39.an etiam quia procedit, vt notionaliter viuet n.42.an etiam quia ſit ex principio vitæ coniũcto.n.45.An etiam quia habet ſimilitudinem propriam filiorum.n.46.
Filius in diuinis eſt proprie verbum,d.69.n.1.ſubſtantiale viuens,æternum,n.2.ſed diuerſo modo ratione perfectionis,ac in creatis.n.3.
Filius quomodo dicatur natus ex voluntate.diſp.64.n.48.
Filius Dei cur dicatur primogenitus.d.65.n.7.
Filius non eſſet idem filius ſi non produceret Spiritum Sanctum.diſp.70.n.55.
Filius an poſſit dici habere principium.d.66. num.27.An principiatus.nu.28.
Filius quomodo minor patre.diſ.50.nu.12.

Finis.

Finis quando ſit primus in intentione.d.53.nu.30.
Finis cur quomodo vltimus in exequutione.d.41.nu.20.
Finis facit media volibilia.d.43.n.6.
Intentio finis quando prior electione.d.40.nu.110.
Intentio finis dupliciter eſt cauſa mediorum. diſput.40. num.104.
Præintendens finem ſupponentem eſſentialiter peccatum præintendit etiam peccatum.d.40.n.97.& ſeq.

Fœcunditas.

In quo conſiſtit fœcunditas,ex qua proueniunt proceſſiones diuinæ.diſp.52.nu.57.& ſeq.

Fomes.

Fomes quid importet.diſp.95.nu.22. & 28.

Forma.

Forma omnis abſoluta an poſſit habere propriam operationem.diſp.108.nu.8.
Forma ſpiritualis non poteſt indigere materia ſpirituali. diſp.104.nu.20.
Forma ſpiritualis diceret,quod diceret materia ſpiritualis ſi daretur. diſput.104.nu.19.

Futura.

Futura quomodo neceſſario futura.diſp.25.nu.65.
Futura a Deo præciſi an neceſſarium,diſp.25.n.61.
Futura exprimuntur verbo diuino d.68.n.9.
Cognitio futurorum in ſe ipſis eſt propria Dei. d.112.n.25.
Futura cognoſcuntur ab Angelo coniecturaliter.d.112.n. 26.cur non cognoſcat in ſe ipſis.n.27.& ſeq.poſſunt cognoſci per ſpecies infuſas nu.34.

Futurã

Digitized by Google

Futura contingentia.

Futura contingentia habēt duplicem ſtatum d.25.n.6.quā determinationem habeant.nu.7. In quo ſtatu habent determinatam veritatem.nu.11.& ſeq. An in cognitione diuina.nu.14.
Futura contingentia an determinatè vera.diſp.25.nu.4.& ſeq. Quomodo contingentia.nu.17.
Propoſitiones de futuris contingentib. quomodo determinatè vere.diſp.25.nu.15.& 16.
Futura contingentia non ſunt cognoſcibilia ſecundum aliquam futuritionem independenter a decreto Dei.diſ.26.nu.16. Sed ſunt independenter a decreto prædeterminatiuo.nu.18. et ſeq. Neque ſunt cognoſcibilia ſecundum aliquam rationem futuritionis, niſi dependenter a decreto abſoluto.nu.26.& ſeq.
Futura contingentia an cognoſcantur in ſuis cauſis. diſput.25.num.42.& ſeqq. An in ſe ipſis. nu.53.& ſeq. Quid requiratur, vt futura contingētia cognoſcātur in ſe ipſis diſp.25.nu.57.

Futura conditionata.

Futura conditionata diſparata cur non falſa.diſp.26.nu.4. Quomodo habeant concomitantiam ibid.
Futura conditionata diſparata quodnam decretum requirant.diſp.26.nu.10.
Futura contingenti a conditionata.diſp.26.num.1. Quotuplicia ſint.ibid.
In futuris conditionatis tria conſiderantur. diſputat.26.num.8.
Tota veritas futuri conditionati contingentis eſt in connexione.diſp.26.nu.36.& ſeq.
In futuris conditionatis connexio infallibilis quomodo ſe habeat.diſp.26.& nu.48.
In futuris contingentib. eſſe conditionatum determinatum implicat.diſp.26.nu.41.
In futuris conditionatis conditio futuritionis nihil ponit in ipſis.diſp.26.nu.42.& ſeq.
Futura conditionata illatiua an cognoſcantur ante decretum.diſp.26.nu.11.& ſeq.
Futura conditionata independenter à decreto abſoluto non habent aliquam foturitionem. diſp.26.num.26.& ſeq.
Decretum de antecedenti in conditionatis neceſſarijs infert totum futurum.diſp.26.nu.9.
In conditionatis prius decernitur futuritio antecedentis, quam præxiatur conſequens conditionate futurum. diſp.26.nu.34.& ſeq.
Futura conditionata non cognoſcuntur a Deo ante decretum niſi vt poſſibilia.diſp.26.nu.40.

G

Gaudium.

Poſſeſſio boni an obiectum gaudii.diſp.36.num.7.

Generatio.

Generatio quid ſit.diſ.65.nu.8.
Quid requiratur ad formalem rationem generationis.diſp.65.nu.8.& ſeq.
Generatio vt ſic non tendit aſſimilatiuo modo.diſ.65.n.23.
Generatio in cognoſcitiuis dicit ſpecialem determinationem. diſp.65.nu.34. Requirit mutuum amorem. nu.35.
Diſcrimen generationis a ſpiratione non poteſt ſumi a natura.diſp.65.nu.37.
Generare actuale importat relationem. diſput.59.numer.40.
Ad rationem geniti in diuinis debet concurrere natura. diſp.65.
In Deo voluntas generandi a prior generatione diſp.64.nu.49.& ſeq.

Gentiles.

Gentiles an habuerint aliquam notitiam de Trinitate. diſp.5.nu.1. Vnde habuerint nu.2.

Genus.

Genus quomodo ſumatur a materia, & differentia a forma diſ.104.nu.15.
Genus, & differentia inſeunt potentialitatem.diſ.14.n.29
Genus non continet infinitatem eſſendi.diſp.14.nu.32. Nec ipſis poteſt aduenire infinitas.nu.34.
Genus non poteſt abſtrahere ab eſſe finito.diſput.14. numero 35.
Genus analogum dicit quid potentiale. diſputat.14. numero 38.

Gloria.

Electio ad gloriam eſt tanquam ad hæreditatem, & mercedem.diſp.43.nu.19.
Gloria, quomodo a Deo decreta ante præuiſa merita. diſp.43.nu.29.
An de potentia abſoluta poſſit Deus ante præuiſa merita intendere gloriam dandam ex meritis. diſput.43.num.25.

Gratia.

Gratia participatio diuinæ naturę.dis.122.nu.19.
Gratia diuerſitas duplex.diſp.122.nu.21.
Quando gratia ſit adoptio.diſ.82.nu.6.
Gratia ſanctificans huius vitæ ordinatur ad gratiam conſumatam.diſp.43.nu.10.
Gratia conſumata determinat volibilitatem mediorum prædeſtinationis.diſp.43.nu.12.
Opus bonum morale non eſt conditio ad obtinendam primā gratiam.diſp.42.num.54. Nullo pacto diſponit ad gratiam.nu.56.& ſeq.
Gratia habere ex propria diſpoſitione nobilius. diſp.122.num.17.
Gratia excitans antecedit cauſalitate actus bonos.diſp.40.nu.63.
Gratia, vt de ſe ſit efficax non expectandus conſenſus voluntatis conditionatus.diſp.26.nu.38.
Gratia non eſt neceſſaria Angelo quoad operationes naturales.diſp.122.nu.2. Sed ad aſſequendum finem ſupernaturalem.nu.7.
Gratiæ gratis datæ an in Chriſto. diſp.87. n.30. An etiam prophetia.nu.31.
Gratia capitis Chriſti in quo conſiſtat.88.num.10.& ſeq. An propria Chriſti.nu.15.

Habi.

Digitized by Google

INDEX RERVM.

H

Habitus.

Habitus quam vnitatem requirat in principiis. diſput. 3. numero 30.
Idem habitus in ordine ad idem obiectum formale, an ſimul practicus, & ſpeculatiuus. diſp. 5. num. 24.
Habitus vitioſi ſunt diſſoni rationi. diſp. 95. n. 38.
Habitus an poſſit conuenire Deo. diſp. 59. n. 20.
Habitus vitioſi an potuerint eſſe in Chriſto. diſp. 95. n. 30. & ſeq.

Hebræi.

Cur Hebræi non poſſint conuinci de exiſtentia Trinitatis. diſput. 50. num. 34.

Hiſtoria.

Hiſtoria quam auctoritatem habeat. diſput. 6. n. 3. & ſeq.

Homo.

Homo quomodo inclinatus ad malum. diſp. 117. num. 24.
Qualis eſſet homo, ſi natura ſumeretur a Spiritu Sancto. diſp. 82. num. 13.
Quot homines ſaluandi. diſp. 103. n. 33. & 36.

Homouſios.

Nomen Homouſios non poteſt reiici. diſp. 50. nu. 15.

Honeſtas.

Honeſtas creaturarum qualis diſp. 30. n. 12.

Humanitas Chriſti.

Vide Chriſtus.

Humanitas Chriſti an meruerit incarnationem. diſp. 80. n. 2. An per opera ſubſequentia. n. 3. An de potentia abſoluta potuerit mæreri. n. 7. & ſeq. An exequutionem. n. 14. An continuationem. n. 17. An vnionem hypoſtaticam cum partibus de nouo acquiſitis, ex nutritione. n. 20. An, & quas circumſtantias meruerit. n. 21.
Humanitatem eſſe vnitam verbo quid dicat. diſputat. 77. numero 47.
Humanitas vt vnita refertur ad verbum. diſp. 77. nu. 48.
Humanitas Chriſti quomodo ſanctificetur per vnionem hypoſtaticam. diſp. 86. n. 10. & ſeq.
Sanctitas humanitatis Chriſti ex vnione hypoſtatica quãta ſit. diſp. 86. n. 1. & ſeq.
Humanitas Chriſti an poſſit adorari præciſo a Verbo. diſp. 102. n. 9. & ſeq. An phyſicè. n. 15.
Humanitas Chriſti particeps eiuſdem adorationis cum Verbo. diſp. 102. n. 14.
Humanitas Chriſti ſeorſim cur non poſſit exorari. diſp. 102. num. 16.
Angelus an poſſit naturaliter cognoſcere humanitatem Chriſti eſſe ſine propria ſubſiſtentia. diſp. 110. n. 19.

Humores.

Humores quomodo aſſumpti a Verbo. diſp. 78. nu. 27. Ros & cambium quomodo. n. 30. Quomodo ſpiritus. n. 31. Quomodo dentes. n. 32. Quomodo vngues. n. 33. Quomodo capilli. num. 34.

Hyperdulia.

Hyperdulia quid. diſp. 102. n. 2.

Hypoſtaſis.

Hypoſtaſis quid. d. 58. n. 13. Pro quo vſurpata fuerit. n. 14. & 15. Quid in diuinis ſignificet. n. 16.
Præciſis relationibus an remaneat hypoſtaſis in Deo. diſp. 59. num. 41.

I

Incarnatio.

Incarnationis poſſibilitas an naturaliter cognoſcibilis. diſp. 74. n. 22. & ſeq.
Incarnationem eſſe factam conuincitur ex veteri teſtamento. diſp. 74. n. 2.
Suppoſita exiſtentia an poſſit naturaliter cognoſci incarnatio. diſp. 74. n. 17. & ſeq.
Incarnatio an neceſſaria. diſp. 75. n. 1. & ſeq.
Incarnatio an conueniens. diſp. 74. n. 36. & ſeq.
Incarnatio an neceſſaria pro reparatione generis humani. diſp. 75. n. 12. An pro reparatione ex iuſtitia. n. 13.
Incarnatio conueniens pro redimendo genere humano. diſput. 74. n. 54.
In incarnatione vnio eſt facta in natura. diſp. 77. nu. 3. & ſequent.
Vnio in incarnatione facta in perſona. diſp. 77. n. 11. & ſeq. Etiam in ſuppoſito. n. 17.
Incarnationis terminus adæquatus. diſp. 81. n. 2.
Terminus formalis quinam ſit. n. 3. & 4.
Principalis, & vltimus finis incarnationis. diſp. 76. nu. 2. finis adæquatus. n. 3.
Verbum an fuiſſet incarnatum, ſi non fuiſſet redimendum genus humanum. diſp. 76. n. 4. & ſeq.
Cauſa materialis Incarnationis. diſp. 77. n. 1. An in ipſa neceſſaria aliqua diſpoſitio. ibidem.
Incarnatio quænam actio ſit. diſp. 77. n. 47.
Deus, ſeu Verbum cur per Incarnationem non mutetur. d. 74. num. 40.
Perſona filii an ſola incarnata. diſp. 79. n. 1.
Myſterium Incarnationis Angelis reuelatum. diſp. 125. n. 50. An fuerit neceſſarium ſpeciale præceptum, vt adorarent Chriſtum reuelatum. n. 58.

Incarnatio quoad aſſumptionem.

Verbum aſſumpſit verum corpus humanum. diſp. 78. n. 1. Terrenum formatum ex Virgine. n. 3.
Aſſumpſit veram animam rationalem. num. 5. Prout cum corpore conſtituebat vnam naturam. n. 7. An poſſit dici, quod aſſumpſerit hominem. n. 14.
Natura humana aſſumpta a Verbo fuit ſingularis. diſput. 78. n. 8. Ex ſtirpe Adæ. n. 10.

An, &

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Añ,& qualis ordo in aſſumptione partium humanę naturæ.diſp.78.nu.38. & ſeq. An qualis ordo naturę.n.42. & ſeq.

Natura humana an potuerit aſſumi cum propria perſonalitate.diſp.78.nu.51.& ſeq.

Verbum an in hypoſtaſi aſſumpſerit ſanguinem.diſp.78.nu.18.& ſeqq.

Verbum non aſſumpſit perſonam.diſp.78.n.12.

Hic Deus communis tribus perſonis an poſſit hypoſtaticè aſſumere naturam.diſp.79.nu.12.& ſeq.

Plures perſonæ an poſſint ſimul aſſumere eādē naturā. d.79. 16.& ſeq.

Vna perſona poteſt ſimul aſſumere plures naturas.diſput. 78.n.55 Etiam ſimul humanam, & Angelicam.num.56. An fieret communicatio Idiomatum inter naturas aſſumptas.nu.58. An eſſet vnus homo.nu.59.

Idea.

In mente Artificis Idea quid ſit.d ſputat.27. nu.2.& 5.

Idea menſura actiua complementum cauſæ.diſp.27. nu.4. Debeo formali modo repræſentare. num.11. ſe habet vt quo.*nu.14.*

ideę ſunt in Deo.diſp.27.nu.1. An conſiſtant in eſſe obiectiuo creaturarum.nu.1.& ſeq. An in eſſentia diuina.nu. 6. & ſeqq. An in eſſentia diuina determinata per Verbum.nu.12.

Deus non habet Ideas negationum.diſp 27.num.15. Nec mali.nu.16. Nec ſui ipſius.nu.17. Nec diuinarum perſonarum.nu.18. Habet omnium poſſibilium.num.19. In indiuiduo.nu.20. Etiam accidentium.n.21. Sed non propriam ideam inſeparabilium.nu.22. Nec generum, aut ſpecierum.numer.33. Nec materiæ primæ.nu.24.

Ideæ diuinæ an plures.d.ſp.27.nu.5.

Ideę diuinę an poſſint repræſentare contingentia.diſput.25. num.21.

Identificatio,

Quando Identificatio aliquorum inferat Identitatem eorum, quæ ſunt idem cum ipſis.diſp.51.nu.48.

Indiuiduatio.

Indiuiduatio non eſſentialis naturę creatæ.d ſ.105.nu.13.

Ignis.

Ignis corporeus in inferno cruciat damnatos. diſp.126. nu. 4. Quomodo accipiendi patres, dum dicunt eſſe incorporeum.nu.8.

Illuminatio.

Illuminatio cur fiat tota ſimul intra ſpheram. diſput.121. nu.24.

Illuminatio quędam loqutio.diſp.115. nu.4. quas conditoines requirat.nu.5.& ſeq.

Illuminatio an aliquid cauſet in Illuminato.diſ.115. n.13.

Imago.

Imago quotuplex.diſp.67.nu.31. Quid requirat.ibid. Quid requirat Imago naturalis.nu.32. In quibus reperiatur. numer.3.

Imago quid.diſp.11.nu.19.

Immateriale,immaterialitas.

Immaterialitas cauſa virtualis intellectualieatis.diſp.19. num.5.

Opus materiale an intelligens.diſp.19. nu.3.

Immenſitas.

Immenſitas quomodo accipiatur.diſp.17.n.1.

Immenſitas an dicat quid poſitiuum.diſp.17.num.25. An ſpeciale attributum.num.30. & ſeqq. Diſtinguitur ab eſſentia.nu.32. A potentia.nu.33. Ab immutabilitate. nu.34. Ab infinitate.nu.35. An ſit ſola quantitas perfectionis.nu.37.

Immutabilitas.

Immutabilitatis,& ęternitatis an idem conceptus.diſ.18. nu.43.

Immutabilitas abſoluta propria Dei.diſp.15. nu.13.

Imperfectio.

Imperfectio intrinſeca perfectioni.diſp.10.nu.16.

Impius,

Impius,quomodo propter Deum.diſp.45.nu.33.

Inæqualitas

Inæqualitas proportionis obiectum materiale iuſtitia diſtributiuæ.diſp.38.nu.62.

Indiſtantia.

Indiſtantia an quid negatiuum.diſp.17.nu.37.

Indiuiſibile.

Indiuiſibile non poteſt ſpacium diuiſibile occupare. diſput. 121.nu.1.

Indiuiſibile an poſſit moueri.diſp.20.nu.10.

Indiuiſibile cum latitudine virtuali poteſt ſimul eſſe præſens diuiſibilis.diſp.18.nu.55.

Ineffabilitas.

Ineffabilitas,quid.diſp.50.nu.22.

Infideles.

Infideles quomodo pertineant ad Chriſtum. diſp.98.nu.25.

Infinitas,Infinitum.

Infinitas quotuplex.diſp.11.nu.1.

Infinitas coadunat omnes perfectiones.diſp.13. numer.38. & 39.

Infinitas an præſtare poſſit in cauſis infinitis, quod præſtat cauſa prima infinitis.diſp.7.nu.41.

Infinitas quomodo ſe habeat ad Deum,diſput.11. nu.10. & ſeq. Quomodo de ipſo demonſtretur. nu.11.

Infini-

Infini-

Infinitas eſt de quidditate eſſentiæ Diuinę . diſputat. 13. *num.* 27.
Infinitum in eſſendo quodnam ſit. diſp. 11. *nu.* 2.

Ingenitum.

Ingeniti nomen quid ſignificet. diſp. 66. *nu.* 9. *Eſt in diuinis proprium Patris. nu.* 10. *Non dicit poſitiuam relationem ſupra paternitatem. nu.* 12. *Neque auctoritatem, &c. num.* 13. *ſignificat negatiuo modo, nu.* 14. *Sed dicit quid poſitiuum, numer.* 15. *Quodnam rationale ſit. nu.* 18.

Innaſcibilitas.

Innaſcibilitas quid relatiuum. diſp. 63. *nu.* 20. *Continetur in adęquata proprietate perſonali . nu.* 21.
Innaſcibilitas an propriè notio. diſp. 63. *nu.* 10.

Inſtans.

Inſtantis nomine, quando agitur de Via Angelorum, quid intelligatur. diſput. 124. *num.* 6. *Quomodo conſtituatur. nu.* 7.

Iniuria.

Iniuria, quę fit Deo, non priuat ipſum aliquo dominio. diſp. 100. *nu.* 39. *In quo conſiſtat. ibid.*
Actus amoris, aut contritionis an poſſit compenſare iniuriam factam Deo. diſp. 101. *nu.* 8.

Inſpirabilitas.

Inſpirabilitas cur non ſit notio. diſp. 63. *nu.* 17.

Intellectus. intelligens.

Intellectus, & voluntas eodem modo ſe habent proportionabiliter. diſp. 69. *nu.* 12.
In intellectu quænam interueniant. diſp. 106. *nu.* 4.
Intellectus exigit habere vim ad ſibi acquirendas ſpecies. diſp. 109. *nu.* 16. *& ſeq.*
Fœcunditas intellectus ex qua procedit verbum. diſp. 52. *num.* 66.
Intellectus poteſt Uti ſimul pluribus ſpeciebus impreſſis ad plura cognoſcenda. diſp. 108. *nu.* 11.
Modus operandi intellectus, & voluntatis in quo differant. diſp. 65. *nu.* 36.
Primus actus intellectus eſt prior quocunque actu voluntatis. diſp. 64. *nu.* 52.
Intellectus quomodo reflectit ſe ſupra ſuos actus. diſp. 110. *num.* 51.
Intellectus, Ut potentia loquutiua producit ſpecialem actum. diſ. 114. *nu.* 14.
Intellectus an poſſit exprimere plura Verba in infinitum. diſp. 48. *nu.* 68. *& ſeq.*
Intellectus cur poſſit eleuari ad Videndum Deum, & non oculus ad videndum ſpiritum. diſp. 47. *nu.* 7.
Quomodo intellectus creatus determinetur in viſione Dei ad exprimendum actum purum. diſp. 47. *nu.* 35.
Effectus determinatos quomodo correſpondeat intellectui diſp. 105. *nu.* 25.
Obiectum noſtri intellectus quodnam Verum. diſ. 47. *n.* 29.
Intellectus cur attingat totum obiectum. diſputat. 48. *num.* 15.
Obiectum quomodo ſe habere poſſit in intellectu. diſp. 108. *nu.* 29.
Quid requiratur, vt aliqua intelligantur per modum Vnius diſp. 48. *nu.* 8. *&* 9.
Inter intelligens, & obiectum ſit communicatio, & quomodo. diſp. 19. *nu.* 2.
Intelligens quomodo ſubſiſtat in tribus ſuppoſitis. diſp. 51. *nu.* 24.
Intellectus agens an dicat perfectionem diſp. 106. *nu.* 7.
Intellectus agens an conueniat Angelo. diſp. 106. *nu.* 2. *& ſeq. Quomodo admittendus. n.* 5.
Intelligere quid importet. diſp. 53. *nu.* 10.
Intelligere ex genere ſuo poteſt eſſe infinitarum ſpecierum. diſp. 107.
Intelligere formale an poſſit ſimul plurificari. diſput. 108. *num.* 16.
Perceptio obiecti intellectiua quid dicat. diſputat. 108. *num.* 24.
Ordo inter actus intellectus, & voluntatis. diſp. 52. *nu.* 34.

Intellectus Diuinus.

Vide Deus quò ad Intellectum.

Intellectus diuinus an habeat aliquid per modū actus primi diſp. 19. *num.* 23. *et & ſeq.*
Intellectus diuinus qua fœcunditate fęcundus. diſputat. 68. *num.* 5.
Intelligere diuinum quæ requirat. diſp. 53. *nu.* 11.

Intelligibilitas.

Extra diuinam eſſentiam niſi intelligibilitas participata. diſp. 68. *nu.* 6.

Intermirabilitas.

Intermirabilitas an aliquid negatiuum. diſ. 18. *n.* 17.

Ira.

Ira quid dicat. diſp. 37. *nu.* 20.
Ira an propriè in Deo. diſp. 37. *nu.* 18. *& ſeq.*

D. Io. Chryſoſtomus.

D. Io. Chryſoſt. explicatus circa pręd eſtinationem. diſp. 42. *nu.* 42.
D. Io. Chriſt. Explicatus circa viſibilitatem Dei. diſputat. 47. *nu.* 4.

Iudas.

Iudas, quomodo electus ad effundendum ſanguinem Chriſti diſp. 35. *nu.* 9.

Iudæi.

Vide Hebręi.

Iudęi cur reprehendantur in comparatione ad Tyrios. diſp. 26. *nu.* 46.

INDEX RERVM.

Ius.

Creatura non habet verum ens ad Deum.diſputat.38. nu-54.

Iuſtificatio.

Adulti cur iuſtificentur ex premiſſa diſpoſitione.diſ.122. nu.17.
Nullum opus naturale ex diſpoſitione ad iuſtificationem.d. 42.nu.52.& ſeq.

Iuſtitia.

Iuſtitia duplex.diſp.38.nu.17.
iuſtitia obiectum formale.diſp.38 .nu.52.
iuſtitia vniuerſaliſſima.duplex.diſp.38.num.20.Quid importet.nu.21.
iuſtitia legalis dupliciter conſideratur. diſputat.38.numero 22.
iuſtitia ſpecialis alia commutatiua, alia diſtributiua.diſ. 38.nu.47.
iuſtitia commutatiua reſpicit equalitatem ſecundum cõmutationem iurium.diſp.100.nu.47.& 60.
iuſtitia commutatiua an dicat imperfectionem ex obiecto formali.diſp.38.nu.48.& 61.
Aliud exercere actum iuſtitiæ, & aliud facere exercere. diſp.38.n.53.
iuſtitia vniuerſalis in Deo , & quomodo. diſputat.38. nu.23.
iuſtitia legalis an in Deo.diſp.38.nu.18.& ſeq.
iuſtitia punitiua an in Deo.diſp.38.nu.28.& ſeq.
iuſtitia commutatiua,& diſtributiua an in Deo.diſ.38.n.48. & ſeqq.
Homo an habeat ad Deum iuſtitiam propriè dictam. diſputat.96.numero 2. & ſeqq. Quam iuſtitiam habeat. nu.7.

L

Latria.

Latria quid. diſputat.102. numer.2. An propria Dei.numero 8.

Liber vitæ,& mortis.

Liber vitę conuenit Deo.diſp.41.num.1. Metaphoricè tamen.num.2.Differt formaliter a prędeſtinatione. nu.3. cuius vitę ſit.nu.4. An de libro vitę poſſit quis deberi. nu.7. Quomodo.nu. 8.& ſeq.
Liber mortis an ponendus in Deo.diſ.46.nu.5.Cur congruẽtius ponatur liber vitæ.nu.6.

Liberalitas.

Liberalitatis obiectum.diſp.39.nu.7.
Liberalitas an proprie in Deo.diſp.39.num.7.

Libertas.

Vide. Voluntas.

Libertas quotupliciter poſſit conſiderari.diſp.29. num.21. An conſiſtat in contingentia.num.22.Quomodo Patres & conſilia cum ponant in indifferentia.nu.23. Quid dicat modus tendendi libertatis.nu.25.
Libertas,quot modis conſideranda.diſp.64.num.57.& 65. ſoluatur ſine indifferentia.nu.58.In quo conſiſtat.nu.59. Stat cum determinatione ad vnum.num.60.
Indifferentia an conueniat libertati diuinę.diſp.31.nu.4. & ſeq.Quomodo conueniat.nu.69.& 10.
Contingentia in libertate creata vnde proueniat.diſp.29. num.20.
libertas qua neceſſitate lędatur.diſp.25.nu.71.
Libertas Dei eſt Libertas per eſſentiam. diſp.32 . num.31. excludit contingentiam. ibid.Quam indifferentiam habeat.nu.32.
Si Deus reuelaret alicui peccaturum , an haberet libertatẽ ad non peccandum.diſp.25.nu.74.

Libertas quò ad actum.

Vide Actus.

Actus liber diuerſo modo comparatur ad voluntatem creatam,& ad cauſam primam.diſp.35.n.14. Aliam menſuram habet in ordine ad voluntatem creatam ibid.Deficere poteſt ſecundum vnam , & non ſecundum aliam menſuram.nu.15.

Locus.

Locus adęquatus terminus mortis localis. diſputat.120. num.31.
Potentia ad locum pœnam ſit.diſp.120. nu.26.
In partibus loci duplex diuiſibilitas.diſp. 118.nu.4.
Eſſe in loco , & eſſe præſens loco ſunt diuerſa. diſp.118. nu.4.
Eſſe in loco dicit connexionem ordinis.diſp.118. nu.40.
Præſentia ad locum ſaluatur abſq. vbi intrinſeco.diſ.118. nu.16.& 17.
Quid ſufficiat vt præſentia ad locum ſit ſeparabilis ab Angelo.diſp.118.nu.8.
Aliter ſe habere localiter , quid dicat.diſp.120.nu.32.
Duo corpora cur poſſint eſſe ſimul in eodem loco. diſp.79. nu.19.

Locus Theologicus.

Locus Theologicus quid. diſput.6. numer.1. Quotuplex. num.2.

Locus,

Loquutio quid requirat.diſp.114.numer.11. manifeſtatio, quæ fit per loquutionem,quomodo ſe habeat. numer.12.
Ad loquutionem,concurrit etiam voluntas.diſputat.114. num.16.
Loquutio quomodo fiat inter nos, & Angelos.diſput.114. num.23.

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Lumen Gloriæ.

Lumen gloriæ eſt virtus actus puri.diſp.43.nu.42.
lumen gloriæ æqualiter reſpicit omnia cognoſcibilia in Verbo.diſp.48.nu.84.
lumen gloriæ non concurrit ad actus ſcientiæ infuſæ Chriſti. diſp.91.nu.22.

M

Malum.

Deus cauſa mali naturalis,& pœnæ.diſp.35. nu.1.quomodo,nu.2.
Quomodo bonum ſit,mala eſſe.diſp.35. nu.9.
Deus an aliquando præcipiat mala.diſputat.. 35.numer.3. & ſeqq.
Malum culpæ fundatur in poſitiuo.diſput.23.nu 49.
Malum cur non tollatur per infinitam Dei bonitatem, diſp.11.nu.7.

Maria.

Deus an habuerit intentionem antecedentem efficiendi Beatam Virginem Matrem Chriſti.diſp.40.nu.72.
B.Virgo aliquo modo meruit eſſe mater Dei.diſp.80.num. 32.An de condigno,an de congruo.num.33.& ſeq.Fuit digna mater Dei.nu.39.
Prædeſtinatio B.V.an ſupponat præuiſionem peccati originalis. diſp.42.nu.12.
B. Virgo non habet ius proprie ad Latriam.diſputat.102. nu.16.

Materia.Materialia.

Materia quomodo habeat propriam entitatē.diſp.27. n.25.
Materialia æquè intelligibilia, ac ſpiritualia. diſput. 106. num.7.

Medium.

Aliud ordinari vt medium in finem aliud eſt efficiens ad operationem.diſp.76.nu.10.
Media volita in ordine ad finem, & volita ex intentione finis non ſunt idem,diſp.43.nu.7.Quid ſufficiat, vt ſint volita propter finem.nu.8.
Medium ex quo,& medium in quo cognitionis.diſput.25. num.36.
Medium neceſſarium ad finem ſupernaturalem. diſput.97. num.11.

Memoria.

Memoria quid ſit.diſput.52.nu.59.Reſpicit Etiam præſens nu.60.quomodo fecundetur.nu.61.
memoria an proprie conueniat Deo.diſp.19.nu.21.
Quomodo conueniat.nu.22.

Menſura.

Menſura duplex.diſp.18.n.21.Quid importet.n.22.& ſe. Debet proportionari cum menſurato.nu.29.

Meritum.

Meritum proprium & improprium.diſp.80. nu.36.
Ad meritum an requiratur etiam in differentia ad malum diſp.94.nu.28.& ſeq.
Dignitas meriti an quid reale.diſp.99.nu.46.
Meritum non repugnat de potentia abſoluta cum viſione beata.diſput.123.nu.15.
Meritum vnius inſtantis poteſt eſſe maximum. diſp.123. num.25.
Tempus merendi ſolum quò ad homines extenſum vſque ad diem Iudicij.diſp.123.n.15.

Meſſias.

Vide Chriſtus.

Meſſias quomodo dominus vniuerſi.diſp.74.nu.10.

Miſeria.

Miſeria in quo conſiſtat.diſp.126.nu.18.

Miſericordia.

Miſericordia tripliciter accipitur.diſp.39.nu.1.
miſericordia an proprie in Deo.diſp.39.nu.2.& ſeq.

Miſſio.

Miſſio quid dicat.diſp.73.nu.1.Proceſſio æterna de conceptu miſſionis.diſp.73.nu.2. Miſſio ſub qua ratione dicat poſſeſſionem.n.3. Operatio ad extra de conceptu miſſionis.nu.4.
miſſio de formali, et in recto quid dicat,et quid in obliquo diſp.73.nu.5.& ſeq.Dicit quid notionale.n.13. Partim æterna,partim temporalis,nu.14.
miſſio viſibilis & inuiſibilis.diſp.73. num.18. Viſibilis an ſupponat inuiſibilem.nu.19.An inuiſibilis conſtituat viſibilem.nu.20.Inuiſibilis quomodo fiat.nu.22.An abſq. gratia ſanctificante fieri poſſit.nu.23.An ſufficiat ſolum argumentum gratiæ.nu.24.

Mobile.

Mobile manens in eadem diſtantia non mutat locum.diſp. 120.nu.39.
Omne quod mouetur,quomodo debeat ab alio moueri. diſp. 120.nu.11.16.& ſeq.
Egreſſus mobilis a termino a quo eſt ingreſſus in terminum ad quem.diſp.121.nu.31.

Modus.

Modus eſſendi rei quomodo poſſit eſſe in cognitione. diſ.50 nu.18.
Modus cognoſcibilitatis quotuplex.diſp.3.nu.31.

Mors.

Cur Deus acceleret mortem alicuius.diſp.42.n.29.
Moriens pro Deo cur experiatur difficultatem.diſput.117. nu.24.

Motus

Digitized by Google

Motus.

Motus tripliciter contingit.diſp.120.nu.35.
Motus quomodo actus entis in potentia.diſp.120.num.25.
Omnis motus an ſit ad formam intrinſecã.diſp.118.n.20.
Quid dicat motum eſſe intrinſecum mobili, & quid per ſe moueri. diſp.120.nu.24.
Ratio formalis motus, & ipſum moueri quomodo ſe habeat.diſp.120.nu.27.
Motus non poteſt percipi in ſe ipſo.diſput.110.nu.46.
Moueri a ſe & per ſe ſunt diuerſa.diſp.20.nu.11.
Motus ad finem ſupernaturalem quomodo debeat prouenire ab operante.diſp.123.nu.5.& ſeq.
Cur Deus non moueatur quando fit de nouo preſens naturę de nouo productę.diſp.120.nu.33.

Motus localis.

Motus localis ſubſtantia,& modus.diſp.120.nu.4. Modus motus ſequitur naturam mobilis.n.5.
Modus non variat proprietatem motus.n.6.
Motus localis quid requirat.diſp.120.nu.38.
Motus localis ſaluatur ſine aliquo intrinſeco mobili.diſp.120.nu.28.& ſeq.Eſt ſola acquiſitio termini.nu.30.
Motus localis proprius ad locum propriè dictum.diſp.20.num.9.
motus localis eſt ſecundum exigentiam loci.diſp.121.nu.32.
Succeſſio motus ex qua reſiſtentia medij proueniat. diſp.121.nu.14.
Continuitas motus vnde proueniat.diſp.121.nu.1.
Motus quod ſit in inſtanti,vel in tempore vnde proueniat. diſp.121.nu.5.
motus an quid intrinſecũ Angelo. diſp.120.n.20.& ſeq.

Mouens.

Mouens,& motum an debeat diſtingui ſuppoſito.diſp.120.nu.18.
mouens ſe ipſum quomodo diuidi debeat in partem mouentem,& partem motam.diſp.120. nu.16.

Mutabilitas.

Mutabilitas quotuplex.diſp.15.nu.1.

Myſterium.

Myſteria gratię quotuplicia.diſp.92.nu.20.

N

Natura.

Natura intellectualis conſtans ex materia ſpirituali, & forma,an poſſibilis.diſp.104.nu.16.
Natura rationalis non dicit inclinationem ad peccatum.diſp.125.nu.16.
Natura humana in Chriſto habet modum eſſendi diuinum, & dignitatem diuinam.diſp.99. nu.20.
Natura aſſumpta a Verbo an potuerit contrahere debitum originalis.diſp.95.nu.17.
Natura Angelica an potuerit aſſumi à verbo.diſp.78.nu.62.& ſeq. An natura irrationalis.nu.66.

Natura diuina.

Vide Deus,Dei eſsentiâ.

Natura diuina quam vnitatem dicat.diſ.60.n.3.4.& ſeq.
Natura diuina cur terminabilis pluribus perſonalitatibus. diſp.78.nu.54.
Natura diuina exigit tria ſuppoſita.diſp.55.nu.19.
Diuina natura eſt eſſentialiter actu cõmunicata.d.55.n.18.
Natura diuina an poſſit incarnata.diſp.77.n.62.

Neceſſitas.

Neceſſitas ex ſuppoſitione duplex.diſp.25. nu. 62.
Neceſſitas conſequens quomodo poſſit eſſe etiam antecedens. diſp.25.nu.70.

Negatio.

Specialis negatio habet ſpeciale fundamentũ.diſp.18.n.37.

Nomen.

Nomen non poteſt plus ſignificare,quam loquens percipiat diſp.50.nu.28.
Nomen per accidens excitat maiorem cognitionem in audiente,quam ſit in loquente.diſp.50.n.20. Quomodo ſymbolum ſignificatiuum.ibid.
Nomen vt cognitũ faciat aliud cognoſcere. diſp.50.n.36.
Non cauſat,ſed excitat cognitionem intellectiuam. n.37. Quando res nominari poſſit ſicut cognoſcitur.diſput.50. nu.38.
Nomen quidditatiuo modo ſignificans Deum an poſſibile. diſp.50.nu.36.
Nomina quomodo ſignificent perfectionem diuinam. diſp. 10.nu.17.

Notio.

Notionis duplex acceptio.diſp.93.n.1.Quid ſit.ibid.
Notiones in diuinis.diſp.63.n.2.Significantur etiam in abſtracto.n.3.Pręдicata,quæ dicũtur de perſonis,cur nõ poſſint dici de notionibus.nu.4.Notio & proprietas an poſſint ſeipſas denominare.nu.6.Notiones quot ſint.n.1. et ſeq. An omnis notio ſit proprietas.nu. 19.
Negans notiones quali cenſura dignus.diſp.63.nu.24.

Notitia.

Vide Scientia.

Notitia alia in actu primo,alia in actu ſecundo.d.52.n.63.
Notitia comprehenſiua quam cognitionem poſſibilium dicat.diſp.66.nu.19.

Numerus.

O

In diuinis an proprie numerus.diſp.61.nu.1. & ſeq.Quid per numerum explicetur.nu.11.

Obiectum,

Omnis ratio obiecti dicit quid reale.diſp.4.nu.13.

Diuerſus ordo infert diuerſa obiecta proportionaliter. diſp. 32. nu. 46.
Quid requiratur vt obiectum attingatur ſecundum ſpecialem modum cognoſcibilitatis. diſp. 4. n. 1.
obiectum primarium quotuplex. diſp. 21. nu. 14.
obiectum matariale poteſt producere ſpecies in intellectu Angelico. diſp. 109. nu. 33. & ſeq.
obiectum formale, vt quod, ex quibus conſtituatur. diſp. 4. num. 2.
obiectum formale quomodo poſſit determinare potentiam. diſp. 25. nu. 24.
obiecti ratio formalis eſt intrinſeca obiecto. diſp. 4. nu. 22. 25. & 26.
Quod reſpicit obiectum formale, reſpicit omnia materialia, & ſecundaria. diſp. 48. nu. 84. & ſeq.
Idem quomodo obiectum formale diuerſorum habituum. diſp. 4. nu. 31.
obiecta formalia diuerſa ſpecificant potentias diuerſas ſpecie propriè dicta. diſp. 110. nu. 5.
obiectum idem an poſſit amari, vt bonum ſibi, et odio haberi vt malum ſibi. diſp. 117. nu. 19.
Eſſe determinatum obiectiuum ſupponit eſſe determinatũ obiecti in ſe ipſo. diſp. 25. nu. 58.
obiectum quomodo in cognoſcente. diſp. 17. nu. 44.
obiectũ, & finis reſpectu voluntatis conincidũt. diſ. 29. n. 1.
Actus quando poſſit terminari ad obiectum primarium, & non ad ſecundarium. diſp. 48. nu. 14.
obiectum ſcientiæ, & principiorum quomodo idem. diſp. 4. nu. 18.
obiectum ſcientiæ practicę an debeat poſſe aliter ſe habere. diſp. 24. nu. 11. & 22.

Obſtinatio.

Obſtinatio quid. diſp. 127. nu. 1.

Oculus.

Oculus an videat omnia identificata cum albedine. diſ. 48. nu. 15.

Odium.

Quid dicat odiũ, & odi, & diſplicentia in Deo. diſ. 37. n. 13.
obiectum odii quid requirat. diſp. 37. n. 8. & ſeq. Deo repugnat odium inimicitię. diſp. 37. nu. 6. An etiam odium abominationis. n. 7.

Omnipotentia.

Omnipotentia an in Deo, ſi omnia implicaret. diſ. 23. n. 20.
Quid ſufficiat, vt videatur tota omnipotentia. diſ. 48. n. 15.
Viſa omnipotentia quomodo videantur omnia poſſibilia. diſput. 48. nu. 72.
Quomodo ex omnipotentia arguatur, quod Pater producat Filium ſibi ęqualem. diſp. 64. nu. 33.

Operatio. operari.

Vide Actus.

Operatio an prior præſentia. diſp. 17. nu. 14.
operatio habet ſpecialem formam, & modum ab operante. diſp. 99. nu. 18.
operatio ſumit immediatè dignitatem à ſuppoſito. diſp. 99. num. 25.
In primo inſtanti an exiſtat cognitio ſufficiens ad liberè operandum. diſput. 123. num. 9.
Quando perfectius operari cum deliberatione. diſ. 64. n. 47.
In diuinis operari non ſupponit eſſe. diſp. 59. nu. 37.
Quid ſit de ratione operationis vitalis. diſp. 53. num. 59.
Bona opera quomodo mereantur remiſſione peccatorum. diſp. 42. num. 39.
operatio bona eſt etiam propria hominis. diſp. 100. nu. 32.

Origo.

Origines diuinæ duo important. diſp. 13. nu. 38. Dicunt aliquem quaſi influxum. n. 39. Diuerſo modo ſe habent ac in creatis. nu. 49.
origines dicunt rationem operationis. diſp. 53. nu. 47. An ſe habeant per modum relationis prędicamentalis. nu. 50. & ſeq. An per modum actionis nu. 53. ſunt immanentes. nu. 54. Vitales. nu. 55.
origines actiuæ an dicant aliquid de eſſentia. diſp. 53. num. 61. & ſeq.
origines actiuæ in quonam ſint. diſp. 53. n. 45. & ſeq.
origines actiuæ vt ſunt in producente diſtinguũtur realiter a paſſiuis. diſ. 53. n. 66. Quomodo ſe habeant ad paſſiuas correſpõdentes. n. 67. Quomodo ſe habeant inter ſe in eadem perſona. n. 66. Quomodo cum paſſiua eiuſdem perſonæ nu. 64.
origines realiter conſtituunt perſonas. diſp. 59. nu. 21. An conſtituant per modum originis. nu. 23. & ſeq.
originis paſſiuæ an ſe habeãt, p modũ paſſionis. d. 53. n. 60.

P

Pars.

Pars cur inclinet magis ad amorem totius. diſp. 117. n. 24.

Pater.

Nomina Patris, & filii nomina amoris. diſp. 65. num. 35.

Pater Diuinus.

Nomen Patris in diuinis dicitur notionaliter. diſp. 66. n. 1. Dicitur proprie de prima perſona. n. 2. Non explicat adæquatè non eſſe notionale ipſis; n. 3. Dicitur excellentiori modo, n. 4. Cum maiori veritate. n. 5. Prius conuenit, quam paternitas in ordine ad Creaturas. nu. 6.
Pater quomodo ſolus verus Deus. diſp. 50. num. 11.
Patrem eſſe perfectum vt patrem quid dicat. diſ. 56. n. 31.
Pater quomodo non ſit Deus paternitate. diſp. 55. num. 15.
An idem eſſe formale conſtituat patrem & eſſentiam. diſ. 55. nu. 17.
Pater an plus dicat, quam Paternitas. diſp. 55. nu. 49.
Eſſe patrem quomodo infinita entitas. diſp. 59. nu. 8.
Pater an ſapiens ſapientia genita. diſp. 67. nu. 29. & ſeqq.
Pater ſi non generaret, an careret aliqua perfectione. diſp. 56. nu. 32.
Pater eſt principium. diſp. 66. n. 20. ſpeciali modo. n. 21. Et quomodo. nu. 22. & ſeq.
Pater an cauſa filii in diuinis. diſp. 66. nu. 33.
Pater non cognoſcit prius in aliquo ſigno ſuam eſſentiam, in quo non cognoſcat perſonas. diſp. 48. nu. 14.
Pater quid intendit in productione verbi. diſp. 53. nu. 79.
Pater diuinus an auctor filii. diſp. 66. nu. 34.
Pater an poſſit dici initium. diſp. 66. nu. 26.

Quomo-

Digitized by Google

Quomodo non communicetur eſſe Patrem licet communicetur eſſentia,&c.diſp.55.n.34.
Eſt hereticum dicere Patrem communicare filio eſſe Patrem,non autem paternitatem.diſp.19.n.7.
Pater quomodo prior origine filio diſp.59.n.39.
Pater loquitur per Verbum.d.67.n.46.Sibi loquitur filio.n.40.Etiam Spiritui Sancto.n.51. Non autem loquitur verbo creaturis.n.52.
Pater diuinus quomodo loquatur ad filium.diſp.67.n.10.
Pater dicit ſe ipſum Verbo.diſp.67.nu.53.An dicat Verbum.nu.54.An dicat Spiritum Sanctum.num.55.Dicit creaturas.num.58.
Pater quomodo loquatur ad filium de contingentibus.diſp.68.num.9.
Paternitas eſt Deitas,qualis propoſitio.diſp.55.n.49.
Eadem perfectio eſt paternitas in Patre,& filiatio in filio.&c.diſp.56.n.33.
Paternitas eſt Deitas qualis propoſitio.diſp.55.n.49.

Patres.

Auctoritas Sanctorum Patrum qualis.d.6.nu.33.
Doctrina approbata a Sanctis Patribus an infallibilis.diſp.6.num.34.
Communis conſenſus Sanctorum Patrum an faciat aliquid infallibile.diſp.6.n.35.& ſeq.
Quomodo accipiendi Patres,quando dicunt,Deum non eſſe cauſam mali.d.40.n.75.
Patres antiqui non meruerunt de condigno incarnationem.d.80.n.22.Neque aperitionem Regni Cœlorum.n.23. Neque de congruo prædeſtinationem Incarnationis. numero 24.
An de congruo meruerint, vel potuerint mereri ſubſtantiam incarnationis.n.25.& ſeq.
An accelerationem,ſeu determinationem temporis.n.28.
An,& quas circumſtantias.n.29.& 30.

Pax.

Pax quid ſit.diſp.126.num.17.

Peccatum.

Vide Malum.
Actus peccati quotupliciter conſideretur. diſput.40. numero 79.
Peccatum cum inuincibili ignorantia offenſę Dei an detur.diſp.101.n.22.& ſeq.
Peccatum cum inuincibili ignorantia offenſę Dei an mortale.diſp.101.n.18.
Peccatum ſupponit neceſſario errorem practicum.diſput.125.num.5.
Peccatum in ratione offenſę creſcit ex dignitate perſonę.diſp.101.n.4.
Si peccatum eſſet offenſa infinita, an exigeret ſatisfactionē infinitam.diſp.99.n.57.
Ad remiſſionem peccati ſequitur Dei reconciliatio. diſput.100.num.19.
Cur peccata tollantur ſemper per Dei miſericordiam.diſp.101.num.33.
Peccatum remiſſum qua pœna non puniatur. diſp.45. nu.48.Quomodo eodem modo ſe habeat,ac ſi non eſſet contractum.num.49.
peccatum occaſionaliter prodeſt prædeſtinatis.d.44.n.50.
Remiſſio peccati dupliciter conſideratur. diſp.40.n.91.
Remiſſio in quo formaliter conſiſtat.diſp.40.n.93.
Peccatum quomodo a Deo permittatur.diſp.40. nu.100.
Deus quomodo velit permiſſionem peccati.d.40.n.100.
Remiſſio peccati non poteſt intendi a Deo ſub ratione permiſſionis.diſp.44.n.44.
Deus cur non ſit cauſa peccati.diſp.35.n.16.
potentia ad peccandum non conſiſtit in indifferentia. diſp.94.n.22.Nec pertinet ad libertatem.n.23.& 29.
Qualiter peccaret, qui vellet occidere,ſi homicidium non eſſet prohibitum a Deo.d.101.n.16.& 24.
peccatores quomodo ſint debiti Dæmoni.d.38.n.47.

Peccatum originale.

Peccatum originale cur non tribuatur Deo licet contrahatur in primo inſtanti.d.125.n.17.
Homines ratione peccati originalis merentur carere omni beneficio gratię.diſp.45.n.38.
peccatum originale connectitur cum denegatione gratię, quę fit in pœnam ipſius.diſp.45.n.45.
Deus in pœnam originalis, licet remiſſi, negat aliqua beneficia gratię.diſp.45.n.44.
peccatum originale ſufficiens cauſa punitionis ęternę. diſ.45.n.34.Quid quando remittitur.n.35.& ſeq.

Perfectio.

Perfectio in duplici genere.diſp.10.n.4.
perfectio ex ſuo genere quid abſolutum.d.56.n.18.
perfectiones in ratione generica an præſcindant ab eſſe participato,& in participato.d.10.n.13.
perfectiones aliæ compoſſibiles aliæ incompoſſibiles. diſput.10.n.9.Et quomodo.n.11.
Quando eadem perfectio accidentalis poſſit fieri ſubſtantialis.diſp.9.n.30.
Quę conſideranda in perfectionibus, quę ſunt in Deo, & communicantur creaturis.d.10.n.3.
perfectio communicabilis exiſtens formaliter in Deo eſt pluribus modis participabilis.d.122.n.20.
perfectiones creaturarum quomodo repugnent cum eſſe Dei.diſp.10.num.12.
perfectiones relatiuæ nec ſunt infinitę nec finitę. diſput.56. numero 28.

Perfectio diuina.

perfectiones diuinę formaliter quid ſubſtantiale. diſput.9. numero 29.
perfectiones non poſſunt eſſe in Deo,niſi ſecundum rationem actualitatis.diſp.10.n.14.
perfectio ſimpliciter ſimplex non poteſt in Deo plurificari. diſp.10.n.18.

Perſeuerantia.

Donum perſeuerantię an ex voluntate dandi gloriam. diſ.43.num.43.

Perſona.

Perſona quid ſignificet. d.55. nu.1.& ſeq.Quid ſit.nu.6. Quid de formali importet.n.8.& ſeq.
Ratio perſonę facit naturam incommunicabilem. diſp.17. numero 7.

Perſonę diffinitio quomodo accipienda. diſp.57. nu.11.
Perſona quomodo ſe habeat ad indiuiduum. diſputat.57. nu.13.

Perſona diuina.

Nomen perſonæ conuenit Deo.diſp.58.n.1. Etiã ratio perſonæ.nu.2. Quomodo tribuat in communicabilitatẽ.n.3.
In Deo ſunt tres perſonæ.diſp.50. n.2. An ex nouo teſtamento conuincantur. nu.4.
Perſonæ diuinæ an in Veteri teſtamento reuelatæ.diſp.50. nu.31. An euidenter manifeſtatæ.nu.32.
Vnitas diuinarum perſonarum in natura an ſit ſingularis. diſp.60.nu.2.
Perſona diuina quid includat in conceptu adæquato. diſp.58.nu.5. An dicat de formali quid poſitiuum.n.6. ſubſiſtit peculiari charactere.n.7. Importat perſonalem proprietatem.n.8. Significat abſoluto modo.nu.9. Refertur ad aliud.nu.10.
perſonę diuinæ habent ſuas proprietates, quib. conſtituuntur,& diſtinguuntur.diſp.59.nu.2. ſunt reales.n.3. Non ſunt aliquæ entitates,etc.nu.4. Quid importent n.5. Debent ſignificari in abſtracto.nu.6.
Tota diſtinctio perſonarum ratione originis. diſp.59.nu.20.
Conſtitutio diuinarum perſonarum per proprietates,an realis.diſp.59.nu.9.
conſtitutio perſonæ ex eſſentia,& relatione qualis.dip.64. nu.40.
perſonæ diuinæ an dicant propriam veritatem.diſ.21.n.12. Quomodo intelligibiles.nu.13.
perſona diuina producta eſt ens a ſe.diſp.52.n.9. Aeterna. nu.10.
perſona diuina producta cur non dependens. diſp.52. nu.8.
perſona diuina eſt producens per eſſentiam.diſp.53.nu.41. & ſeq.
Quomodo vna perſona habeat relationes alterius. diſp.55. nu.74.
Perſonæ diuinæ omnino æquales.diſp.31.n.1. Qualem relatione dicat æqualitas.n.2.& ſeq. ſecundũ quid ſit.n.10.
In diuinis tantum eſt vna perſona,quantũ omnes ſimul. diſp.56.nu.23.
Communis ratio perſonæ an detur in perſonis diuinis.diſp. 60.nu.23.& ſeq.
perſona quomodo dicatur vagè de qualibet perſona diuina. diſp.60.nu.33.
perſona diuina producta cur non præſupponat non eſſe ſui. diſp.9.nu.3.
perſonæ diuinæ an ſpecificæ diſtinguantur. diſp.61. nu.1. Qualis ſit diſtinctio.n.2.& ſeq. Quomodo explicanda. nu.5.
perſona Vna eſt in alia primo per ſe ratione relationis. diſ. 72.nu.17.
perſonæ diuinæ an obiectum primarium diuinæ cognitionis. diſp.21.nu.10.& ſeq. ſunt primarium vt quod.nu.16.
perſonæ omnes diuinæ dicunt creaturas ad extra. diſp.67. nu.59.
Quæ perſonæ mittantur,& a quibus diſp.73. n.15.& ſeq. An Vna ſine alia.nu.25.& 26.
Perſonæ diuinæ an ſpeciali modo in Chriſto. diſp.79. nu.4.

Perſonæ diuinæ quò ad purificationem prædicatorum.

In diuinis perſonis an plurificentur attributa negatiua increabilitatis,immutabilitatis,etc.diſp.62.n.12. & ſeq.
In perſonis diuinis an plurificetur æternitas diſ.62.n.26. An immenſitas.n.27. An duratio.n.28. An vbiquitas. num.29.
perſonæ diuinæ an tres veritates.diſp.62.nu.50. & ſeq.
perſonę diuinæ an tria entia,ſeu entitates. diſp.62.n.30.et & ſeq. An tres res.n.41. & ſeq.
perſona quælibet diuina eſt res.diſp.62.nu.39.
perſonæ diuinæ an dicant tres exiſtentias relatiuas.diſp.62. nu.2.& ſeq. An tres modos exiſtendi.nu.8.
perſonæ diuinæ an tres eſſentię.diſp.62.nu.11.
Perſonę diuinæ an tres eſſentię,naturæ.&c.62.nu.10. An tres quidditates relatiuæ.nu.11.
perſonæ diuinæ an dicant tres ſubſiſtentias relatiuas.diſp. 62.nu.1.& ſeq.
perſonæ diuinæ plurificantur ſecundum aliquam rationem ſubſiſtendi.diſput.62.nu.7. Quid importet hæc ratio.nu.8. & ſeq.

Perſonalitas.

Perſonalitates diuinæ ſe totis diſtinguunt.diſp.60.n.29. & & ſeq.
perſonalitates pertinent ad integritatem diuinæ naturę.diſput. 55.nu.26.
Perſonalitates diuinæ quomodo complementum diuinæ bonitatis.diſp.29.nu.6.
perſonalitates diuinæ an ſint de quidditate eſſentiæ.diſ. 55. nu.21.& ſeq.
Perſonalitates diuinæ quomodo obiectũ diuinæ voluntatis. diſp.29.nu.4.& 9.
An Deus ſibi diſpliceret, ſi non haberet perſonalitates. diſp.29.nu.8.
præciſis perſonalitatib. an remaneat habens deitatem.diſp. 60.nu.22.

Plenitudo eſſendi.

Vide Dei Eſſentiã.

plenitudo eſſendi.diſp.9.n.17.
plenitudo eſſendi quomodo dicat omnes modos eſſendi.diſp. 9.nu.19.

Pluralitas Plurificatio.

Plurificatio in diuidendis quomodo a materia. diſp.105. nu.10.& 17.
Quod eſt ſingulare, & non quidditatiuè, eſt plurificabile numero.diſp.105.nu.14.

Pœna.

Deus non deſinat ad pœnas ante præuiſionem peccati.diſp 45.nu.25.& ſeq. Alioquin Vellet peccatum.ibid.

Pœnitentia.

Pœnitentia non poteſt intendi niſi intendatur peccatũ.diſp. 44.n.48. Virtus pœnitẽtię nõ fuit in Chriſto.diſ.87.n.14.

Poſſibile.

Poſſibilia quomodo cognoſcibilia in ſe ipſis.d.48. num.28.
Poſſibilia cognoſcuntur,vt poſſint habere eſſe.diſ.23.n.31.
Cur non confuſo modo in Dei potentia.nu.35.

Poſſibi-

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Poſſibilia in Deo duplici modo viſibilia. diſp.48. num.54. Quid requiratur vt omnia videantur.n.55.
Poſſibilia an poſſint omnia in Deo videri per extenſionem viſionis beatæ.diſp.48.n.62. An per diuerſos actus. nu. 65. An diuiſim.num.67.
Ex diuerſa differentia indiuiduali luminis an proueniat, vt hæc potius poſſibilia, quam illa videantur. diſp.48. nu. 80.& 81. An ex diuerſa intentione.n.82. An ex diuerſa determinatione obiectiua.n.87. Vnde proueniat.n.91.
Voluntas quomodo poſſit applicare intellectum beati ad hæc potius, quam ad illa poſſibilia cognoſcenda. diſput. 48.num.92.
Eadem viſio inuariata an poſſit repræſentare modo hæc, modò illa poſſibilia.diſp.48.n.77.
Poſſibilia non extrahuntur ab eſſe potentiali per hoc quod videatur a Deo.diſp.48.n.56.
Poſſibilia an poſſint omnia poni in actu ſecundum eſſe obiectiuum.diſp.48.n.63.
Cognitio poſſibilium extra Deum eſſet infinita. diſput.48. num.74.
Ad videnda omnia poſſibilia ſimul requiritur verbum infinitum.diſp.48.n.62.& 66.
Poſſibilia an habeant in ſe bonitatem. diſput. 30. num.16. & ſeq.
Poſſibilia amantur a Deo.diſp.30.n.13. An amentur prout ſunt in ſe ipſis.n.14.& ſeq. An ſimplici complacentia neceſſaria.n.16.
Potentia poſſibilis ad eſſendum quid ſit.diſp.104.n.37.

Potentia.

Potentia actiua & paſſiua.diſp.9.n.20. Quotuplex paſſiua. ibidem.
Potentia actiua non repugnat cum actu puro. diſp.9.n.21.
Potentia non poteſt ferri extra ſuam ſpecificationem.diſp. 47.n.44.& ſeq.
Potentia poteſt ſimul habere actum adæquatum ſuæ virtuti.diſp.108.n.22.& ſeq.
Potentia non poteſt in primo inſtanti exire in actum, niſi ex impulſu producentis.diſp.125.n.16.
Potentia non impedita quando operetur in inſtanti.diſput. 121.nu.1.& 8.
Idem poteſt eſſe in potentia formali, & actu virtuali reſponſum eiuſdem.diſp.120.num.19.
Potentia ad actus rimanentes repugnat in Deo. diſp.64.n. 7.& ſeq. An detur quoad terminos productos.nu.9.
Potentia ſenſitiua attingens Deum cognoſcitiuo modo an poſſibilis.diſp.47.n.47.

Potentia notionalis.

Potentia notionalis non pertinet ad omni potentiam. diſp. 64.num.32.
Vis productiua diuinarum perſonarum quid formaliter dicat.diſp.64.n.14.& ſeq.
Potentia generatiua in Deo quid dicat. diſputatio 53. numero 65.
Vis productiua quomodo in omnibus perſonis diuinis. diſp. 64.num.31.

Potentia obedientialis.

Potentia obedientialis proportionata ſubiecto. diſput.79. num.18.
Quid requiratur, vt cognoſcatur potentia obedientialis. diſp.48.num.15.
Cognita potentia obedientiali non cognoſcitur diſtinctè nominus.diſp.74.num.25.

Prædefinitio.

Prędefinitio quid.diſp.40.n.51.
Prædefinitio prouidentiæ an, & quomodo antecedat cauſalitate.diſp.40.nu.49.& ſeq.
Effectus naturales quomodo a Deo prędefiniantur. diſput. 40.num.59.
Prędefinitio per modum intentionis antecedens cauſalitate an admittenda.diſp.40.n.55.
Quid requiratur, vt actus prædefiniatur in ſuis mediis.diſput.40.n.80.
Deus an prędefiniat actus bonos ante cooperationem liberi arbitrii.diſp.40.n.65.& ſeq.
Deus prędefinit ſaltem concomitanter actus bonos. diſput. 40.num.62.
Deus an prędefiniat actum malum.diſp.40.nu.76.& ſeq. Et quomodo.n.81.& 82.
Deus non prędefinit actum malum ſecundum rationem malitię.diſp.40.n.14.
Deus licet ponat in actu media, non tamen in iſtis prędefinit actum malum.diſp.40.n.83.84.& 85.

Prædeſtinatio.

Errores circa prædeſtinationem ad gratiam.diſp.42. n.15. & ſeq.
Prędeſtinatio quid.diſp.41.n.1.& 14. Conuenit Deo ab æterno.n.2. conuenit liberè, abſolutè, & comparatiuè. nu. 3. Quomodo ponat aliquid in prædeſtinato.n.4. Eſt prouidentia ſupernaturalis.nu.5. Reſpicit finem ſupernaturalem.nu.6.
Prędeſtinatio an ſupponat decretum de productione.d.41. n.25.& ſeq.
Prędeſtinatio an ſupponat prouidentiam naturalem. diſp. 41.n.220.& ſeq.
Prędeſtinatio an ſupponat prouidentiam naturalem. diſp. 41.n.26.& ſeq.
Prędeſtinatio pars obiectiua prouidentię ſupernaturalis. diſp.41.num.10. Non eſt pars ſubiectiua.nu.11.
Prędeſtinatio verſatur circa creaturam rationalem.diſp. 41.n.7. Quo ad ea, quæ conducunt ad finem ſupernaturalem.num.8.
Prędeſtinatio an facta ante preuiſionem originalis.diſput. 42.n.1.& ſeq.
In prędeſtinatione duo decreta.diſp.42.n.13. Poteſt accipi vt dicens vnum adęquatum decretum.n.2.
Prędeſtinationis media ad quem finem primario ordinentur.diſp.43.n.11.
Prędeſtinationis finis.diſp.43.n.9.
Prędeſtinatio adęquata non ſupponit merita. diſp.43. nu. 34.& ſeq.
Prędeſtinatio ad gratiam an ſupponat opus morale vt diſpoſitionem.diſp.42.n.48.& ſeq.
Prędeſtinatio ad gratiam non eſt ex operibus factis antequam anima infunderetur corpori.diſp.42.n.17.& ſeq. Nullum ſupponit meritum.n.19.& ſeq. An de poſſibili poſſit eſſe ex operibus ex viribus naturę.nu.26.& ſeq.
Prędeſtinatio ad gratiam an ſit ex diſpoſitione negatiua. diſp.42.num.62.
Prędeſtinatio ad gratiam an ex bono vſu gratię preuiſo. diſp.42.n.31. An ex preuiſo conditionatè futuro.n.32. & ſeq.

Digitized by Google

& ſeq. An ex bono vſu liberi arbitrij fund. to in gratia nu.35.
Prædeſtinatio paruulorum non eſt intuitu meritorum conditionatorum. diſp.42.nu.27. Nec de potentia abſoluta potuit eſſe.nu.38.
Prædeſtinatio ad gloriam non eſt ſimul cum cooperatione liberi arbitrii.diſp.43.nu.1. An ſit ex præuiſis meritis. nu.2.& ſeqq.
Deus quomodo gratuito prædeſtinauerit ſtante merito.diſp. 98.nu.51.
Scriptura ponens prædeſtinationem gratuitam quomodo accipienda.diſp.43.n.30.
Omnes homines eodem modo prædeſtinati. diſp.43.n.31.
Si Adam non peccaſſet,an iidem,qui nunc, prædeſtinati. diſp.42.n.10.
Numerus prædeſtinatorum an determinatus ante præuiſionem originali.diſp.42.nu.6.
Omnia cooperari in bonum prædeſtinatis quomodo accipiendum.diſp.41.nu.27.
An ſit in poteſtate hominis, vt prædeſtinetur.diſput.41. nu.41.

Prædeſtinatio quò ad effectus.

Natura,& creatio an effectus prædeſtinationis. diſp.44. nu.1.& ſeq.
Bona naturalia an effectus prædeſtinationis.diſp.44.nu.7.& ſeq.Quomodo concernant ad prædeſtinationem.n.12. Quid ſi ſupernaturali modo fiant.nu.17.& 18.Vocatio aliqua effectus prædeſtinationis diſp.44.nu.21.An vocatio externa. nu.22. Quæ vocatio ſit effectus.nu.24. Actus moraliter honeſti an effectus prædeſtinationis. diſp.44.nu.19.
Gratia iuſtificans eſt effectus prædeſtinationis.diſput.44. nu.28.
Gratia per peccatum amiſſa an effectus prædeſtinationis. diſp.44.nu.31. & ſeq.Quid requiratur, vt ſit effectus. n.36.Habitus ſupernaturales effectus prædeſtinationis. diſp.44.nu.30.
Opera ſupernaturalia, vt ſunt a libero arbitrio ſunt effectus prædeſtinationis.diſp.44.nu.38.& ſeq.
Perſeuerentia effectus prædeſtinationis.diſp.44. nu.29.
Peccatum non eſt effectus prædeſtinationis. diſputat.44. nu.41.
Permiſſio peccati an effectus prædeſtinationis.diſp.44.nu. 42.& ſeq.
Permiſſio peccati de ſe nec vtilis nec bona prædeſtinatis. diſp.44.nu.46.

Prædicatum.

Prædicatum ſumptum a parte quando prædicatur tantum adiectiue.diſp.45.nu.5.
Prædicatum eſſentiales conueniens omnibus diſtributiue, conuenit etiam omnibus collectiue.diſp.7.nu.38.

Præmiſſæ.

Præmiſſa quomodo influant in concluſionem. diſputat.2. nu.9.

Præmium.

Præmium quomodo diſtribuatur a Deo.diſp.38. nu.60.

Præſcientia.

Præſcientia Dei quomodo neceſſaria.diſp.25.nu.63.
Præſcientia non eſt in Deo niſi circa abſolute futura. diſp. 26.nu.22.& ſeq.
Præſcientia Dei ſtat cum libertate.diſp.25.n.69. Quomodo.nu.72.

Præſens.

Præſens,& futurum quando ſe inuicem deſtruatur.diſ.18. num.61.

Præſentia.

Vide. Immenſitas.
Præſentia quotuplex.diſp.17.nu.23.
Præſentia quid ſit formaliter.diſp.118.nu.6. In quo conſiſtat.nu.8.
Præſentia non poteſt eſſe ſine termino.diſp.17.nu.51.
Præſentia infinita quomodo conueniat Deo.diſp.17. nu.58. Quomodo poſſit conuenire Deo reſpectu pleni, et non reſpectu vacui intermedij, ſi daretur. ibid.
In quo conſiſtat præſentia Dei.diſp.17. nu.20.& ſeq. An importet ſimulantem extremorum.nu.27. In quo differat a præſentia creaturarum.nu.28.
Præſentia Dei per eſſentiam quid ſignificet.diſp.17.nu.40. Quid præſentia per potentiam.n.41. Quid eſſe præſens per præſentiam.nu.42.

Praxis.

Ratio practici unde deſumatur.diſp.5.nu.19.

Princeps.

Princeps cur poſſit ſedere in inferiori loco ratione inferioris tituli.diſp.102.nu.16.

Principium.

In eo ordine,in quo eſt poſſibile aliquod Principium, eſt poſſibile etiam principium totale.diſp.49.nu.9.
Principium productiuum ex natura ſua quando ſemper tale. diſp.51.n.16.
Principium producens in Deo quid dicat.diſp.64.n.11. An in ipſo diſtinguenda vis productiua,& productio.n.13. Principium eſſentiale, & notionale in Deo quomodo ſe habeant.diſp.66.nu.29.& ſeq.
Primo principio quomodo repugnet produci.diſ.52.n.11.
Principium quo *Verbi,et Spiritus Sancti.diſp.53. nu.28.*
Principia extrinſeca non cauſant euidentiam.diſp.3.n.23.
Principia reuelata ſecundum quam certitudinem concurrunt ad concluſionem Theologicam.diſp.3.nu.14.

Proceſſio.

Proceſſio quid.diſp.52.nu.1. In diuinis ſunt proceſſiones, per quas vna perſona ab alia procedit.diſp.52.n.3. Sunt duplicis generis actiuę,& paſſiuę.nu.5. Habent ordinem inter ſe.nu.6.
Proceſſiones diuinæ quot ſint.diſp.52.nu.20.et ſeq. Cur ponantur ſolum ſecundum intellectum, & voluntatem. nu.22.

Digitized by Google

nu.22. Cur non plures ſecundum intellectus n.23.
Proceſſiones diuinæ an realiter diſtinguantur.diſp.52. nu. 25.& ſ qq.
Proceſſiones diuinæ quam prioritatem, & poſterioritatem inducant.diſp.52.nu.12.
Vnica proceſſio quomodo dicat totam perfectionem.diſp.52. nu.29.& 30.
Proceſſiones diuinæ an ſint a na ura,an per intellectum,& voluntatem.diſp.52.nu.13.& ſeq.
Proceſſiones quomodo a natura diuina.diſp.52.n.35.
Intelligere, & Velle eſſentialia nonſunt principia proceſſionum.d.53.nu.25.Neque productiones.nu.26.
Quomodo intellectus,& Voluntas ſint principium diſtinctarum proceſſio num.diſp.52.n.31.& ſeq.
Principia,& productiones proceſſionum paſſiuarum.d.53. nu.22.& ſeq.
Proceſſio per intellectum, et voluntatem an requirat diſtinctionem ex natura rei.diſp.13.nu.14.& 29.
Diuinæ proceſsiones quid communicent.diſp.53. nu.71. et ſeq.ſub qua ratione natura communicetur.n.77.
Proceſsiones paſsiuæ non poſſunt aſsignari ex parte eſſentiæ.diſp.52.nu.27.
Proceſsiones paſsiuæ vnde habeant diſtinctionem. diſp.52. n.38.et 39.Per quid formaliter diſtinguantur.nu.44.et ſeqq.
An inter vnam,et aliam proceſsionem paſsiua ſit ordo originis.d.52.nu.50.
Proceſsiones paſsiuæ quomodo intra ſe differant. d.52. nu. 51.et ſeq.Diſtinguuntur plusquam numer.53.Diſtinctio an propriè eſſentialis.n.55.
Aliud procedere ex notitia còmprehenſiua,et aliud ex notitia eorum,quæ attinguntur cognitione comprehenſiua. diſp.68.nu.24.
Proceſsio Verbi eſt generatio.diſp.65.n.1.et ſola. num.2. Abſque methaphora.nu.3.eſt eminentior,quam creata nu.4.Explicatur per conceptum creatę n.5.

Productio.

Vide Proceſſio.

Diſcrimen inter productiones creatas,et diuinas. diſputat. 64.nu.6.
Productiones diuinæ dicunt dicere, et ſpirare. diſp.53.numer.31

Promiſſio.

Diuina promiſsio quid dicat.d.38.nu.16.

Prophetia.

Prophetia an in Chriſto. diſp.81.n.31.

Propoſitio.

Propoſitio immediata,et mediata.d.7.nu.6.
Propoſitio per ſe nota quanam ſit.diſp.7.nu.7.et 12.Quotuplex.nu.8.Per ſe nota ſecundum ſe,et nobis n.15.
Quid requiratur vt propoſitio ſit per ſe nota.diſp.7.n.19.
Veritas propoſitionis conditionatę in quo conſiſtat.diſput. 26.num.13.
Propoſitiones reuelatæ quomodo cognoſcibiles.diſp.2. n.8.
Propoſitiones reuelatæ an principia Theologiæ. diſp.2. nu. 3.et ſeq.
Propoſitio de fide an vt deducta ex præmiſſis ſit de fide. diſp.1.nu.8.
Propoſitiones reuelatę quomodo concurrant ad aſſenſum Theologicum.diſp.2. nu.6.et ſeq.
Propoſitio euidens an poſsit eſſe principium theologicum. diſp.22.nu.14.
Propoſitio deducta ex reuelatis an poſsit attingi per habitum fidei.diſp.2.nu.16.
Negans propoſitionem deductam ex reuelatis an hæreticus.diſp.1. n.11.et 12.
Iſtæ propoſitiones Deus eſt homo, et homo eſt Deus,quales ſint.diſp.85.num.20.Quales Chriſtus eſt homo, Chriſtus eſt Deus.nu.22.

Proprietas.

proprietates conſtituentes perſonas an abſolutæ.diſput.59. nu.10.et ſeq.An purè relatiuæ.n.17.
Proprietates abſolutę redderent perſonas limitatas. diſp. 59.nu.16.

Prouidentia.

Prouidentia quid.d.40.nu 1.
Deus habet prouidentiam immediatè de rebus omnibus. d. 40.nu.33.Immediatè etiam exequitur. n.34.Habet æqualem prouidentiam de omnibus.nu.35.Qua æqualitate.nu.38.
Deus quomodo habeat æqualem curam de omnib. diſp. 36. num.34.
Deus habet prouid ntiam de rebus omnibus in particulari. diſp.40.nu.2.
Prouidentia in quo actu conſiſtat.diſp.40.n.16.et ſeqq.
Prouidentia quomodo habeat ſpecies.diſp.41.nu. 2.
Prouidentia proportionata Deo et cauſis ſecundis. diſp.40. num.46.
Prouidentia eſt efficax circa media quæ diſponit.diſp.40. num.40.
Prouidentia an ſemper aſſequatur ſuum finem.diſp.40.nu. 41.et ſeq.
Prouidentia an requirat ſcientiam mediam.diſp.40.num. 10.et ſeq.
Prouidentia prærequirit ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. d.40.nu.15.
Prouidentia quomodo ſtet cum libertate.diſ.40. num.8.et ſeq.
Prouidentiæ obiectum.diſp.49.nu.26. et ſeq. An finis cui ſit obiectum.nu.29.An finis vltimus.n.30.An finis nō vltimus.nu.31.
prouidentia quomodo verſetur circa actiones liberas. diſ. 40.nu.6.
prouidentia omnia ab æterno prædefinita.diſp.40.n.48.
In prouidentia diuina an aliqua voluntas conditiona. diſp. 40.nu.44.
Non omnis prouidentia ſupernaturalis eſt prædeſtinatio. diſp.41.nu.9.
prouidentia naturalis eſt propter ſe volita a Deo. diſp.41. num.24.

Prudentia.

prudentia dictat de fine in particulari. diſp.40.n.32.

Digitized by Google

Punitio.

Punitio prouenit à Iuſtitia legali Dei.diſp.38.n.37. Eſt aliquod iuſtum.num.40. Eſt debita communitati. nu.41. Quoddam obiectum importet.n.42.
Deus tenetur punire malos.diſp.38.n.35.
Deus non intendit punitionem ſub ratione mali.diſput.38. num.34.
Velle punire non cognita culpa eſt actus crudelitatis.diſp. 45. num.29.
Pœna debet commenſurari culpæ.diſp.38.n.36.
Cur Deus iniuſtus, ſi ſupra condignum puniret. diſput.38. numero 46.

Q

Quies appetitus rationalis in quo conſiſtat.diſputat.126. numero 17.

R

Rarefactio.

Corpus, quod rareſit, non mouetur localiter.diſputatio 120. numero 39.

Ratio.

Ratio formalis Quæ, *& ſub* qua *quomodo diſtinguantur. diſp.4.num.3.*
Ratio naturalis quomodo inſeruiat Theologiæ.diſp.6.num. 46.& ſeq.
Primum inſtans Vſus rationis quinam ſit. diſputatio 125. numero 17.

Reatus.

Reatus pœnæ æternæ an potuerit manere in natura aſſumpta à Verbo, quæ ante peccaret. diſputatio 95. numero 16.

Redemptio.

Redemptio generis humani conueniens. diſputatio 74. numero 42. Magis conueniens cum æquiualenti ſatisfactione. num.43.
Reparatio generis humani non fuit neceſſaria. diſputat.71. numero 11.
Redemptio ab actuali virtualiter volita in redemptione ab originali.diſp.76.n.36.
Redemptio quomodo ordinata etiam in remedium actualis peccati.diſp.26.n.41.
Deus cur potius redemerit homines, quam Angelos.diſput. 74.num.47.

Relatio.

Relatio quomodo ſe habeat in fieri.diſp.53.n.20.
Relatio eadem quando poſſit eſſe ad plures terminos. diſp. 56.num.11.
Relatio quando ſupponat extrema diſtincta. diſputatio 54. num.6.
Quid requiratur vt plurificetur relatio.diſput. 56.num.8. & 9.
Eſſe ad *nihil ponit in ſubiecto.diſp.56.n.16.*
Extrema relationis fundatæ in Vnitate quomodo connectantur.diſp.75.num.5.
Relatio tranſcendentalis requirit terminum actu diſtinctũ. diſp.22.nu.4.
Eſſe ad *relationis rationis an ſit* eſſe ad *relationis realis. diſp.54.nu.13.*
Vnum relatiuum quando poſſit videri ſine alio. diſp.48. nu.14.
Tranſcendentia relatiua vera relatiua diſp.59.n.38.

Relatio diuina.

Relationes importantur à diuinis perſonis.d.54.nu.1. Sunt neceſſariæ vt perſonæ ſint tales. numero 4. Conueniunt Deo ſecundum ſubſtantiam nu.5. An ſint reales ſecundum Eſſe ad*.numer.8. & ſequent. ſunt reales eo modo, quo ſunt in creatis.num.10. Quid ſit realitas diuinarum relationum. nu.11.& 13.*
Relationes diuinæ non diſtinguuntur realiter ab eſſentia. diſp.55.nu.2. An diſtinguantur ante opus intellectus numero 7. & ſequent. An ex natura rei numero 8. & ſequent.
Relationes ſunt reales ex vi entis per eſſentiam.diſp.55.n. 44.& ſeq.
Relationes reales realitate eſſentiæ.d.56.n.31.
Relationes diuinæ an habeant fundamentum. d.56.nu.34. & ſeq. Quodnam ſit.nu.38.& ſeq.
Relationes quomodo plurificent.d.55.nu.34.
Quomodo relatio non dicuntur ſubſtantialiter de Deo.diſp. 55.num.49.
Quinam ſit terminus diuinarum relationum diſp.56.num. 44.& ſeq.
Relationes diuinæ reales quot ſint.diſp.56. num.1. & ſeq.
Relationes an dicant formaliter eſſentiam.diſp.55.numer. 36.& ſeq.
Relationes diuinæ an dicant perfectionem propriam. diſp. 56.nu.13.& ſeq.
Relationes diuinæ an dicant perfectionem vt termini naturæ diuinæ diſp.56. num.20. An vt modi.nu.21. An dicant tres perfectiones.n.22.
Relatio ſub qua ratione conſtituat perſonam.diſp.59.num. 29.& ſeq.
Relatio in diuinis pertinet ad formalem rationem principiis.diſp.64.nu.22.
Relatio quomodo incommunicabilis diſp.59.n.13.

Relatio ſpirationis.

Relatio ſpirationis actiuæ eſt realis.diſp.56.n.3. Explicata à Patribus, & Concil.n.5. An importet quartam relationem.n.6.& ſeq.
Relatio ſpirationis actiuæ. Quomodo diſtinguatur à Paternitate, & filiatione.diſp.70.nu.27. & ſeq. Eſt eadem in Patre, & filio.num.34.

Repræſentatio.

An poſſibilis repræſentatio repræſentans Deum vt quod. diſp.49.num.3.

Reprobatio.

Reprobatio quid ſignificet.diſp.45.n.1.

Digitized by Google

Reprobatio in Deo ab æterno.d.45.nu.2.Non conuenit metaphoricè.nu.3.Eſt quædam prouidentia.n.4.
Reprobatio in confuſo non poteſt conuenire Deo.diſput.45.num.22.
Reprobatio an facta poſt præuiſionem originalis.diſp.45.n.19.& ſeq.
Reprobatio in quonam actu conſiſtat. diſp.45. num.5. & ſeq.
Reprobatio poſitiua,& negatiua.d.45.num.11. Negatiua per actum poſitiuum ad admittenda.nu.12.& ſeqq. An negatiua per non actum.n.17.& ſeq.
Reprobatio quomodo certa.d.45.nu.53.
Reprobatio a gratia eſt per modum pœnę intuitu originalis.diſp.45.num.40.
Reprobatio comparatiua non habet cauſam. diſputat. 45. num.42.
Reprobatio adæquata an habeant cauſam.diſp.45.nu.41. & ſeqq.
Quomodo Deus reprobet ex intentione oſtendendi ſuam iuſtitiam.d.45.nu.31.
Reprobi non adæquate liberantur ab effectibus originalis. diſp.45.nu.43.
Præſciti reprobantur a gratia connexa cum ultimo fine. diſp.45.nu.39.
Deus circa reprobos exercent exercet potentiam,& iuſtitiam.diſp.35.nu.9.
Salus reproborum quale obiectum complacentiæ diuinæ.diſput.34.nu.19.

Reprobatio quòad effectus.

Mors neque etiam in tali tempore aut circumſtantijs eſt effectus reprobationis.diſp.45.nu.51.
Permiſſio originalis an effectus reprobationis. diſput. 45. num.53.
Negatio gratiæ quatenus effectus reprobationis. diſp.45. num.54.
Permiſſio peccati an effectus reprobationis. diſp.45. n.55.
Pœna intrinſecè annexa peccato an effectus reprobationis. diſp.45.num.59.Quę pœna ſit effectus illius. diſp. 45. num.62.
Creatio,& natura non ſunt effectus reprobationis.diſp.45. numer. 50. Neque etiam cum talibus circumſtantijs; num.51.

Res

Res quomodo ſignificet.diſp.62.num.40.Et quid tranſcendens.nu.49.
In re qualibet eſſentia,& modus eſſendi. diſp.50. nu.17.

Reuelatio

Reuelatio quomodo ſe habeat ad obiectum theologiæ. diſp. 4.nu.11.& ſeq.
Deus quomodo reuelet negatiua.d.3.23.n.43.

Reſurrectio

Reſurrectionis terminus formalis. diſputat. 64. numero 72.

S

Salus.

Deus vult omnium ſalutem.diſp.34.nu.7.Quo modo.nu. 8.obiectum huius voluntatis.n.10.
Deum velle omnes ſaluos fieri quomodo explicetur.diſp. 34.num.13.
Deus quomodo velit omnes ſaluari.diſp.42.n.40.
Deus quomodo velit media pro omnium ſalute. diſput.34. num.11.
Quid petat Eccleſia,dum orat pro omnium ſalute.diſput. 34.num.12.

Sanctitas

Sanctitas cur communicetur humanitate, & non alia attributa.diſp.86.nu.8.& 9.

Sanguis.

Sanguis pars humanæ naturæ.diſp.78.nu.22.
Sanguis Chriſti an remanſerit in triduo vnitus verbo.diſp. 78.nu.23.

Sapientia

Sapientia,& iuſtitia ſecũdum præciſas importat quid participatum.diſp.13.nu.29.

Satisfactio

Vide Chriſtus quò ad ſatisfactionem.

Satiſfactio quid ſit.diſp.99.nu.9.
In ſatisfactione quid requiratur ex vi iuſtitiæ.
In ſatisfactione quid reddendum.d.100.n.31.
Satisfactio debet eſſe ad alterum.diſp.100.n.1. An debeat eſſe ab eo,qui læſit,n.6.& ſeq. An requirat acceptationem,ſi alias ſit condigna.n.17.
Satisfactio non debet fundari in gratia creditoris.d.100.n. 30.Nec debet eſſe ex bonis creditoris.n.36. Et quæ non ſint debita ex alio titulo.nu.42.
Satisfactionis valor vnde creſcat.d.99.n.17.
Quid requiratur,vt operatio noſtra ſit ſatisfactiua Deo. diſp.100.n.45.
Creatura diuerſo modo tenetur ſatisfacere Deo, ac fiat inter homines.diſp.100.n.37.
An, ſi quis offerat ſatisfactionem pro impotente, requiratur acceptatio perſonæ læſæ.diſp.100.n.21.
Satisfactio eadem cum pretio redemptionis. diſputat. 99. num.35.
Purus homo an poſſit condignè ſatisfacere pro alienis peccatis,ſi conſtitueretur caput generis humani. diſput 100.nu.34.& ſeq.
Purus homo an poſſit ſatisfacere pro ſuo peccato.diſp.101 nu.1.& ſeq.
Purus homo an poſſit pro peccato proprio imperfectè ſatisfacere.diſp.101.nu.11.& ſeq.
Homo an ut membrum Chriſti poſſit condigne ſatisfacere pro peccato proprio.diſp.101.num.15.An pro peccato commiſſo ſine aduertentia ad offenſam Dei. num.16.& ſeqq

Digitized by Google

purus homo an poſſit condigne ſatisfacere pro peccato veniali.d.101.n.25.& ſeq. An ad hanc ſatisfactionem requiratur acceptatio.diſput.101. num.31. An pro alieno.nu.38.

Scholaſtici.

Scholaſticorum auctoritas.diſp.6.n.38.& ſeqq.communis conſenſus ipſorum quam certitudinem faciat.nu.40.& ſeq. An poſſit quis ab ipſo recedere.n.41.

Scientia.

Scientia cur dicatur relatiue.d.22.n.7.
ſcientia per quam certitudinem diſtinguetur ab opinione. diſp.5.nu.5.
Obiectum ſcientiæ quomodo debeat eſſe notum. diſput. 4. num.30.
Scientia comprehenſiua non exigit terminari ad futura.diſput.68.nu.9.
ſcientia ſub alterna diuerſa a ſubalternante. diſputat. 5. num.9.
ſcientiæ ſub alternæ cur euidentes.diſp.3.nu.27.
ſcientia per ſe infuſa quænam ſit.diſp.91.nu.1.
ſcientia practica quomodo determinet operanda.diſp.24. num.22.

Scientia Chriſti.

Vide Chriſtus.

ſcientia per ſe infuſa an in Chriſto.diſp.91.nu.2.& ſeq. an ſupernaturalis quo ad ſubſtantiam.nu.7. Qualis circa obiecta naturalia.nu.8.
ſcientia Chriſti infuſa quomodo differat ab acquiſita. diſp. 92.num.8.
ſcientia Chriſti infuſa an habitus diſtinctus a ſpeciebus.diſput.91.nu.17.& ſeq.
ſcientia Chriſti infuſa an deponentes a phantaſmatibus. diſput.91.num.11. An potuerit eſſe cum conuerſione ad phantaſmata n.12. An diſcurſiua.n.17.

Scientia Dei.

Vide Deus quoad intellectum.

Eſſentia diuina quomodo determinet cognitionem diuinã diſp.11.n.17.ſcientia Dei an dicat ordinem ad obiectũ. An ad ſecundarium.n.6.
Scientia an antecedat omnipotentiam.d.23.n.20.
ſcientia Dei immutabilis.d.15.nu.9.
ſcientia Dei infinita.diſp.20.nu.1.Non ſe habet per modũ actus primi n.2.eſt ipſa veritas.n.3.omnino in variabilis n.4.ſimul attingit omnia.nu.6.ex certiſſima, et euidentiſſima.n.20.
cientia Dei ſimpliciſſima. diſp.20. num.8.quomodò a nobis in plures actus diſtinguatur. n.9. Actus quo cognoſcit creaturas an poſſit præſcindi ab ea quo cognoſcit ſeipſum.n.10.Cur non obſtante prior itate non poſſit concipi ſine alio.nu.12.
ſola eſſentia diuina obiectum primarium vt quo. diſp.21. num.15.
ſcientia Dei non ſe habet per modũ enunciationis diſpu.20. nu.13.& ſeqq.Nec per modum ſimplicis apprehenſionis.n.15.Nec eſt diſcurſiua.n.16.Nec etiam virtualiter.nu.17.An propriè ſcientia.n.19. An vniuerſalis aut particularis. numero 20. Quomodo æquiualeat vniuerſali,& particulari. numero 21.An ſit reflectiua. num.22.
Creaturæ quomodo obiectum ſecundarium diuinæ cognitionis.diſp.23.nu.18.
Non ens an obiectum diuinæ cognitionis.d.23.nu.36.& ſeq.Quomodo cognoſcatur n.37.& 38.An poſſit eſſe obiectum ſecundarium.nu.41.
Sola ſcientia non eſt cauſa adæquata rerum. diſputat.24. num.24.
ſcientia practica Dei quomodo reſpiciat cauſabile. d.24. n. 33.& 34.
Scientia practica Dei,eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ.d. 24.num.20.
ſcientia Dei practica per modum artis.d.24.num.15. Per modum prudentiæ.n.16.Ratione ſui obiecti formalis.n. 12.Reſpectu omnium creaturarum purè practica.n.18.
Scientia media in Deo non datur.d 26.n.44.& ſeqq.
ſcientia ſimplicis intelligentiæ quomodo diſtinguatur a cognitione diuini eſſe.d.24.n.2.circa quæ verſetur.n.3.an ſit abſtractiua,an intuitiua.num.4.et ſeq.An poſſit concipi abſtractiuo modo ſe habere.n.9.
ſcientia ſimplicis intelligentiæ dicit vim cauſatiuam.diſp. 24.n.27.An reſpectu omnium poſſibilium.n.28.
Deus ſcientia ſimplicis intelligentiæ cognoſcit actus liberos ſecundum quaſcumque latitudines.d.40.n.5.
ſcientia ſimplicis intelligentiæ,dum aut cauſat,ſit ſcientia viſionis.diſp.24.nu.29.
Quænam ſcientia Dei cauſa rerum diſput.24. num.25. & ſeqq.
ſciẽtia viſionis quomodo attingat ſuum obiectum.diſp.24. num.31.
Scientia viſionis Dei an practica.d.24.num.21.

Scriptura Sacra.

Senſus Sacræ ſcripturæ quotuplex.diſp.6.nu.12.litteralis quando habeat locum.nu.13.Quotuplex ſit.nu.14.ſenſus parabolicus.nu.15.Senſus ſpiritualis quotuplex. n. 16.Intentus a Spiritu Sancto.nu.18.
Idem locus ſacræ ſcripturæ poteſt habere plures ſenſus diſp.6.n.12.& 17.etiam litterales.n.19.& ſeq.
Sacræ ſcripturæ ſenſus quando certus.diſput.6. nu.6. & ſequent.

Senſatio.

Senſationes brutorum cur cognoſcibiles in ſe ipſis. diſput. 100.num.50.

Senſus.

ſenſus compoſitus,& ſenſus diuiſus.diſp.28.nu.69.

Seruus.

Quid ſit de ratione ſerui.d.84.nu.23.& ſeq.

Simiuſios.

Nomen Simiuſios non poteſt tribui perſonis diuinis. diſp. 50.num.18.

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Simplicitas.

Simplicitas quid.diſp.14.num.9.Quotuplex ibid.An quid negatiuum.n.11.& ſeq.
Simplicitas alia abſoluta,alia ſecundum quid. diſput.14. num.19.
Simplicitas an ſemper melior.diſp.14.nu.21.
Simplicitas an perfectio ſimpliciter ſimplex.diſp.14.n.16. & ſeqq.

Singulare.

Singularia per quas ſpecies repreſententur. diſputat.112. num.14.

Spatium.

Spatium intermedium duplex.diſp.121.n.26.

Species.

ſpecies non poteſt ſe promouere ad eſſe quò ad ſua indiuidua d.7.num.40.

Species intentionales.

Species impreſſè neque materiales neque ſpirituales. diſp. 109.nu.31.
Species an eiuſdem rationis cum obiecto.diſp.49 nu.11.
Species cur neceſſaria.diſp.49.nu.12.Quid præſtet intellectui.num.19.
Species quando non debeat excedi ab obiecto. diſp.30. nu. 11.Quando creſcat ſecundum proportionem obiecti.ibidem.Non eſt complementum obiecti.nu 12.
Species per ſe primo repræſentat.d.23.nu.15.
Species impreſſa continet virtuali modo expreſſam. diſpu. 19.nu.26.
Species impreſſa determinata ad certam ſpeciem virtualis repreſentationis. diſp.109.nu.44.
ſpecies Uniuerſales quid requirant ex parte obiecti.diſput. 109.nu.38.Quid requirant in Angelis.num.39.& 40.
Species infuſæ facerent cognoſcere omnia futura. diſp.109. nu.18. & ſeq.
Cur pro cognitione intuitiua ſpecies debeant produci ab obiectis.diſp.109.nu.30.
Ratio ſpeciei impreſſæ an ſaluetur in Deo.diſp.19. nu.24. & 27.
Species quomodo recipiantur in medio.d.19.nu.7.
An poſſibilis ſpecies impreſſa,qua Videatur Deus. diſp.49. nu.1.& ſeq.
Species Dei non emanat naturaliter ab ipſo.diſputat.49. num.12,
ſpecies intentionalis Dei quomodo ſupernaturalis.diſp.49. num.20.
Deus de facto an videatur per ſpeciem impreſſam.diſp. 49. num.14.& ſeq.
Species propria Dei abſtractiua an poſſibilis.diſp.113. n.4. & ſeq.
Species expreſſa quid ſit.d.49.nu.23.An in Viſione Dei ſit neceſſaria ſpecies expreſſa. diſput. 49. numer.21. & ſequent.

Spes.

Bona temporalia quomodo obiectum ſpei Theologicæ.diſ. 44.num.19.
Spes Theologicæ an in Chriſto. diſputat. 87. numer.1. & ſequent.

Spiratio.

Vide Relatio Spirationis.

Spiratio ſpiritus ſancti quomodo neceſſaria. diſputat. 64. num.64.
ſpiratio actiua an pertineat ad proprietatem perſonalem. diſp.63.nu.22.& ſeq.
ſpiratio actiua qualis notio.diſp.63.num.13.& 14.
In Patre,& filio eadem Vis ſpirans.diſp.70.n.18.
Virtus ſpiratiua in Patre an in ſtatu proximo ſpirandi.diſput.52.nu.36.

Spiritualitas.

ſpiritualitas eſt eſſentialiter actus diſp.104.

Spiritus Sanctus.

ſpiritus ſanctus conſubſtantialis patri.diſp.50.num.21.& ſequent.
Spiritus ſanctus ex Vi proceſſionis procedit vt idem in natura.diſp.65.nu.24.
Spiritus ſanctus an ſit Imago.diſp.62.nu.40.Cur non ſit Imago.num.41.& ſeq.
ſpiritus ſanctus amor,quo pater,& filius ſe mutuo diligũt. diſp.69.n.16.quomodo.nu.18.& ſeq.
ſpiritus ſanctus procedit Ut nexus.diſp.70.nu.39.
Tertia perſona quomodo dicatur amor.diſp.69.nu.8. & ſequent.
Nomen ſpiritus quomodo conueniat tertiæ perſonæ. d.69. num.1.& ſeq.An ſignificet proprium eius eſſe notionale.num.4.
ſpiritus ſanctus quo amore amet.diſp.65.nu.47.
ſpiritus ſanctus quomodo amet.diſp.69.nu.15.
ſpiritus ſanctus an donum propriè dictum.diſp.69.nu.26. & ſeq.Quomodo habeat rationem doni.num.29.& ſeq. Quomodo donum ad intra.n.36.
ſpiritus ſanctus quid dicat Ut donum.d.69.nu.40. An illi conueniat ratio doni ratione relationis.n.41.An ſit donum noſtrum.n.42.
ſpiritus ſanctus procedit etiam a fidei.d.70.nu.2. & ſeq. Cur talis proceſſio non expreſſa ab aliquibus Patribus. diſ. 70.nu.9.Cur neque in ſymbolo Niceno.nu.10. cur tacuerit Concilium Epheſinum,dum talis proceſſio impugnaretur.num.11.
ſpiritus ſancti proceſſio an libera.diſp.64.num.55.& ſeq.
pater,& filius vnum principium ſpiritus ſancti.diſp.70.n. 13.Vnus ſpirator.n.14. Quid ſignificet ratio principij. num.17.
pater et filius vt vnum principium ſpiritus ſancti an ſint Unum ſubſiſtens.diſp.70.nu.20.et ſeq.Hoc principium exprimit in recto duas perſonas. nu.23. quomodo dicat pluralitatem ſuppoſitorum n.24.Non dicit quantũ ſubſiſtens.nu.25.
ſpiritus ſanctus æqualiter procedit a patre,et filio. diſ.70. num.43.An poſſit dici procedere principalius à Patre. num.44.

Digitized by Google

num.44. An a patre per filium.num.45. An mediate a patre nu. 45.
ſpiritus ſanctus an requirat per ſe duas perſonas, a quibus procedat.d.70.nu.36.et ſeq. An ex neceſſitate. nu.40. et ſeq.
An ſi ſpiritus ſanctus non procederet a filio diſtingueretur ab ipſo.diſp.70.nu.48.et ſeq.
Fœcunditas,ex qua procedit ſpiritus ſanctus. diſput. 52. num.66.

Subiectum.

Quando,quod dicitur de predicato,dicatur etiam de ſubiecto.diſp.55.nu.34.

Subſiſtentia.

ſubſiſtẽtia quid importet.diſp.60.numer.8. pro quo ſumatur.num.21.
ſubſiſtentia ut determinatiua exiſtentię quid dicat.diſput. 60.num.12.
ſubſiſtentia eſt perfectio perficiens exiſtentiam.diſput.60. numero 14. Eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. numero 16.
Quando ſubſiſtentia dicat negationem habitudinis ad eſſendum in alio.d.60.nu.22.
ſubſiſtentia abſoluta an detur in diuinis.diſp.60. num.9. et ſeqq.
ſubſiſtentia abſoluta quomodo infinita.diſputat. 60. numero 22.
Tres ſubſiſtentię relatiuæ in qua ſignificatione ponendæ in diuinis.diſp.62.nu.3.
In diuinis tres ſubſiſtentiæ quatenus abſolucta ſuppoſitorũ diſp.62.nu.6.
ſubſiſtentię abſtractum duplex.diſp. 62.n.4.

Succeſſio.

ſucceſſio unde in motu.diſp.121.nu.1.et 7.

Superbia.

ſuperbia quid.diſp.125.num. 19.

Supernaturale,

ſupernaturale abſolutum,et ſuper naturale reſpectiuum.d. 100.n.25. ſupernaturalia alia quò ad modum,alia quò ad ſubſtantiam.diſp.100.n.8.et 10.
ſupernaturalia ſunt in eodem modo eſſendi, in quo eſt Angelus.diſp.110.n.27.
ſupernaturalia quò ad ſubſtantiam an naturaliter cognoſcibilia ab Angelo diſp.110.nu.20.et ſeq.
ſupernaturalia unde proportionata intellectui Angelico. diſp.110.nu.29.et ſeq.
Cognitio ſupernaturalium non eſt debita Angelo.diſ.110. num.31.

Supernaturalitas.

ſupernaturalitas in accidentibus quid dicat.diſputat.110. num.26.

Superius.

Quę ſunt ſuperioris ordinis an poſſint compenſari per ea, quæ ſunt inferioris ordinis ſi multiplicetur. diſp. 101. num.6.
Quod conuenit inferiori,quomodo conueniat etiam ſuperiori.diſp.47.nu.30.

Syllogiſmus.

Forma ſyllogiſtica infert concluſionem neceſſariam. diſp. 51.nu.50.
Quomodo ſoluendi ſyllogiſmi in materia Trinitatis.diſp. 51.nu.56.et ſeq.

T

Talentum.

Talenta Euangelii quid ſignificent.diſp.42.n.38.

Terminus.

Terminus formalis,Quo quinam ſit.diſp.64.n.72.
Cur ſola forma in creatis terminus formalis.diſputat.64. num.72.

Theologia,

Theologiæ exiſtentia.diſp.1.nu.1.et 2.
Theologia an habitus diſtinctus a fide.diſp.3.numero 1. et ſequent.
An habitus ſupernaturalis.diſp.3.n.6.et ſeq.
An unus habitus ſpecie.nu.28.et ſeq.
Theologię diſcurſus adhæſiuus.diſp.1.nu.7.
Theologia deducit concluſiones, quibus aſſentimur ex vi diſcurſus.diſp.1.nu.6.
Theologia an ſit ſcientia.d.5.nu.1.et ſeq.
Theologia an ſit ſapientia.d.5.n.6.
Theologia ſpecialis habitus.d.5.nu.4.
Theologia an ſit euidens.diſp.3.nu,20.et ſeq.
Theologię quanta certitudo.diſp.3.nu. 10.et ſeq.
Theologia an practica.diſp.5.nu.20.et ſeq.
Theologia non procedit neceſſario ex immediatè reuelatis. diſp.2.nu.4.
Theologia an habeat demonſtrationes.diſp.5.nu.7.
Theologia an ſit ſubalterna.d.5.nu.11.et ſeq.
An ſubalternet ſibi alias ſcientias.d.5.nu.17.
Principia Theologiæ an probari poſſint. diſputat. 5. numer.31.
Theologia fidem nutrit, defendit, roborat,etc. diſputat.1. num.4.
Theologia quomodo defendat ſua principia.diſp.5.num.32. et ſeqq.
Theologia quomodo indigeat alijs ſcientijs. diſp.6. nu.49. et ſeqq.
Theologia quibus neceſſaria.diſp.1.n,4.et 5.
Theologia beatorum quomodo certior.d.3.n.19.
Theologia hæretici an eiuſdem rationis cum Theologia Catholici.d.2.nu. 12.et ſeq.

Theologiæ obiectum.

Theologia quomodo ſupponat,Deum eſſe. diſp.5. num.20. et ſeq.

Obie-

Digitized by Google

Obiectum materiale Theologiæ adæquatum. diſp.4. nu.4. & ſeq.
Obiectum Theologiæ formale.diſput.4.num.19.an vnum. num.25.
Obiectum Theologiæ habet diuerſos modos cognoſcibilitatis.diſp.3.nu.34.
Obiectum Theologię an ſit vnum.diſp.4.n.6.& ſeq.

Timor.

Timor alius ſeruilis,alius formalis,alius filialis,ſeu reuerentialis.diſp.87.nu.28.timoris reuerentialis obiectum.n.29.Timor quando habeat locum.diſp.96.nu.18.
Timor an in Deo.diſp.37.n.15.
Timor fuit in Chriſto.d.96.nu.11.Etiam quoad voluntatem.nu.16.

Tranſitus.

Tranſitus ab extremo ad extremum abſque medio quando non ſit poſſibilis.diſp.109.nu.37.

Traditio.

Traditiones Eccleſiæ.d.6.nu.26.Neceſſariæ ad fidem conſeruandam.num.27.Infallibilis auctoritatis nu.27.Vnde cognoſcantur.n.28.

Tranſubſtantiatio.

An Angelus an naturaliter cognoſcat tranſubſtantiationē. diſp.110.nu.13.& ſeq.

Trinitas.

Trinitas quid ſignificet.d.50.* n.1.
Trinitatis reuelatio captui accommodata. diſputat. 51. num.64.
Trinitatis Myſterium dupliciter conſideratur.diſp.55. nu.39.Quomodo de ipſo loquendum.n.40.
Trinitas an repugnet principio, Quæ ſunt eadem vni tertio,etc.d.51.nu.40.
Trinitas numerabilis ſecundum ſubſiſtentias.diſp.62.num.1.& 10.
Trinitas an poſſit oſtendi ex veteri teſtamento. diſput.50. nu.30.& ſeq.
Trinitas an poſſit naturaliter cognoſci.diſp.51.n.3.& ſeq. An ab Angelis.nu.5.
An ſuppoſita reuelatione poſſit Trinitas demonſtrari.diſp. 51.n.9.& ſeq.An ſaltem intellectus manuduci ad aſſenſum.nu.12.
Trinitas an euidenter colligatur ex reuelatione, & veracitate Dei.diſp.51.nu.15.
Trinitas an demonſtrabilis per cauſam Virtualem. diſput. 51.nu.6.
An in Creatura ſit Veſtigium Trinitatis. diſp.51.nu.17. An ex ipſo cognoſcatur Trinitas n.18.
Trinitatis Imago an in creatura intellectuali. diſp.51. nu.21. Quomodo aſſignetur.nu.22.An ducat in cognitionē Trinitatis.nu.23.
An ex memoria poſſit haberi euidens notitia de exiſtentia Trinitatis.diſp.51.n.38.An ex tribus Vnionibus hypoſtaticis trium perſonarum diuinarum.n.39.
Trinitatem exiſtere,an poſſit euidenter cognoſci.diſput.51. num.33.& ſeqq.An ex euidenti reuelatione. num.35.
An ex aliquo effectu.nu.36.
Viſa alicuius viſione beata an poſſit ex ea argui Trinitas. diſp.51.nu.28.& ſeq.
Trinitas an poſſit cognoſci cognitione abſtractiua quidditatiua.diſp.51.n.25.& ſeq.An per alienas ſpecies.nu.27. An per propriam.n.31.
Trinitas quomodo pulcherimum obiectum. diſputat. 29. num.7.
Multiplicitas,triplicitur,&c.An poſſint dici de Trinitate. diſp.61.nu.12.
Argumenta contra Myſterium Trinitatis poſſunt ſolui. di. 51.num.13.

Triſtitia.

Triſtitia,& dolor quomodo differant.diſp.96.n.11.
Triſtitia poteſt eſſe obiectum gaudij.diſp.90.num.7. quando ipſum deſtruat.n.8.
Triſtitia an in Deo. diſp.37.nu.16.
Triſtitia an fuerit in Chriſto.diſ.96.n.12.An in volūtate. nu.13.In parte quoque ſuperiori.nu.14.

V

Valor.

Vide Chriſtus Satisfactio.

Valor operum Chriſti in quo conſiſtat.diſp.99.num.40.& & ſeq.An infinitus nu.47.& ſeq.fuit ſummus poſſibilis n.53.Infinitus ſyncathegorimaticè nu.54. Cur Deus nō poſſit facere perfectiorem valorem. nu.56.
Valor operum Chriſti an fuerit Vnus.diſp.99.nu.27. Vnde deſumatur.nu.28.& ſeq.
Vulnus Lateris Chriſti quomodo meritorium.diſputat.97. num.8.

Vbiquitus.

Vbiquitus quid.diſp.17.nu.60.Eius terminus n.61.Attingit omnem locum.nu.62.conuenit Deo,et quomodo. nu. 62.& 63.

Verbum.

Verbum mentis proportionatur cum Verbo vocali.diſ.49. num.24.
Verbum an actus intelligendi.diſp.67.num.10.
Verbum non eſt medium in quo.diſp.49.nu.28. Quomodo contineat objectum.ibidem
Verbum diſtinguitur ab habituali notitia, et exprimitur diſp.52.nu.62.
Verbum repræſentat adæquatè obiectum.diſputation. 27. num.8.
Verbum de quo obiecto ex primatur.diſp.23.nu.7.
Verbi creati imperfectio in quo conſiſtat.diſp.67.n.17.
Verbum dicit proportionaliter quod dicit fœcunditas. diſp. 68.num.4.
Verbum imago eorum ex quorum notitia procedit.diſput. 68.num.9.
Quid requiratur, Vt Verbum procedat ex notitia alicuius obiecti.diſp.68.nu.25.

Ver-

Digitized by Google

Verbum Diuinum.

Quod nam Verbum bonus pendeat intelligere eſſentiali. diſp.67.nu.12.
Verbum in Diuinis an dicatur eſſentialiter, an notionaliter. diſp 67.nu.4. & ſeqq. Non poteſt dici eſſentialiter. num.9.
Verbum diuinum quid de formali dicat. diſp.67. num.14. & ſeq. Relatiue dicitur. nu.23. Ad Patrem n.24. An etiam ad ſpiritum ſanctum. nu.25. Dicit proportionaliter quod dicit creatum. nu.16.
Quomodo accipiendum, quando verbum dicitur produci per intellectionem. diſp.53.nu.21.
Verbum quomodo ſapientia. diſp.67.nu.28.
Verbum diuinum exemplariter omnia repræſentat. diſput. 27.num.12.
Verbum, & filius quomodo ſe habeant. diſputat. 67. num.26.
Verbum an ſit propriè Imago. diſp.68.num.94. & ſequen. Cuius Imago. nu.37. An natura includatur in Imagine. nu.38. Vnde ſit ſimilitudo. nu.39.
Verbum procedere ex notitia alicuius obiecti, quid dicat. diſp.68.nu.3.
Verbum an procedat ex omnium notitia, quæ in ipſo dicitur. diſp.68.nu.9.
Verbum an procedat ex notitia contingentium. diſp.68. n. 1. & ſeq. An ex notitia poſſibilium. nu. 10. & ſeq.
An ex notitia diuinarum perſonarum n.21. & ſeq. Ex cuius notitia procedat. nu.20.
verbum eſſet Pater, & Spiritus ſanctus, ſi ex illorum notitia procederet. diſp.68.num.29.
Verbum quomodo procedat ex notitia comprehenſiua. diſ. 68.num.30. quomodo illi adæquetur. nu.31.
Verbum quomodo ſe habeat in loquutione Dei ad extra. diſp.67.nu.60.
Verbum quomodo habeat actus liberos communicatos à Patre. diſp. 68.n.9.
Verbum diuinum an practicum. diſp.24.nu.22.
Deus dicit omnia in verbo ipſum producendo. diſput.27. num.12.
verbum per quid terminauerit naturam humanam. diſput. 79.nu.5. & ſeq.
verbum an componat cum natura humana. diſputat. 14. num.26.
Verbum quomodo auctor peccati, ſi Chriſtus peccaret. diſp. 95.nu.1. & ſeqq.

Veritas, Verum.

Quomodo omnia vera veritate diuina. diſputat. 16. numer.6.

Viator.

Operationes omnes Viatoris quales. diſputat. 127. numero 11.
An quis viator viderit Deum. diſputat.48.num.114. & ſequent.

Viſio Beata.

Vide Deus quo ad viſibilitatem poſſibilia.
viſio beatorum quomodo correſpondeat meritis. diſp.48.nu. 29. & 38.
Viſio beata an variabilis. diſp.48.nu.70. & 71.
Viſio beata quomodo potentialis. diſp.47.n.39.
Diuinum verbum, ſeu eſſentia non poteſt in viſione Dei ſtare loco ſpeciei expreſſæ. diſp.49.nu.25.
An per viſionem beatam videantur omnia, quæ ſunt in Deo, diſp.48.num.1. & ſeq. An vnico conceptu. num.6. Ex vi viſionis Dei an videantur omnia poſſibilia. diſp. 48.num.50. & ſeq. Quomodo non poſſit videri. nu.61.
viſio beata nullum attingens poſſibile, an poſſibilis. diſpu. 48.num.75.
Cognita viſione beata quidditatiuè non per hoc cognoſcitur Deus quidditatiuè. diſp.42.nu.25.

Virtus.

Quæ virtutes rectificantes actiones conueniant Deo. diſp. 38.num.61.

Vita.

vita intellectualis pluribus modis communicabilis. diſput. 105.num.4.
Diuerſitas ſola operationum arguit diuerſam vitam. diſp. 105.num.7.
vita diuina dicit etiam velle. diſp.65.nu.27.
viuere quando dicat ſe mouere ab intrinſeco. diſputat. 9. num.40.

Viuens.

viuens appetitiuum poteſt ſe ipſum mouere. diſp.120.nu. 14. & 15.

Vnigenitus.

vnigenitus de quo dicatur. d.61.nu.6.

Vnio.

Extrema vnionis habent intrinſecam vnibilitatem. diſput. 77.num.39.
Adueniens enti in actu completo quando non poſſit vniri ſubſtantialiter. d.77.n.21. & 22.

Vnio hypoſtatica.

Vnio, & aſſumptio quomodo differant. diſputation.81. num.1.
Vnio hypoſtatica quid dicat. diſputat.77. numero 36. & ſequent.
Vnio hypoſtatica an omnium maxima. diſp.77. nu.25. & ſequent. An omnium maxima in ratione beneficij, & boni. numero 35.
Vnio hypoſtatica non fundatur in proprietate naturali extremorum. diſp.74.nu.31.
Perſona terminus vnionis hypoſtaticæ. diſp.77.nu.48.

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Vnio hypoſtatica quomodo terminetur ad eſſentiam. diſp. 48.nu.14.
vnio hypoſtatica quomodo excludat peccatum habituale, & quomodo actuale. diſputation.51. numero decimoquinto.
vnio hypoſtatica in primo ſigno ordinis gratię fuit determinata.diſp.76.nu.16.

Vnitas.

In diuinis omnia ſunt vnum vbi non obſtatur relationis oppoſitio.diſp.59.nu.14.& ſeq.

Vocatio.

Deus quomodo vocet eo modo quo ſit congruere. diſputat. 40.num.13.

Volitum.

Aliquid prius eſt volitum dupliciter. diſputat. 43. num.5.

Voluntarium.

voluntarium quotuplex.diſp.64.nu.41.

Voluntas.

voluntas quomodo diſtinguatur ab intellectu. diſput. 52. num.64.
voluntatis fœcunditas in quo conſiſtat. diſputat. 52. numero 65.
voluntatis terminus quid dicat.d.69.nu.13.
voluntas non poteſt ſuſpendere omnem actum intellectus. diſp.108.nu.3.& ſeq.
voluntatis defectibilitas vnde proueniat. diſputatio. 94. numero 24. An,& quomodo poſſit tolli.n.25.
voluntas nihil poteſt appetere niſi ſub ratione honeſti.diſp. 125.nu.14.
voluntas habet menſuram ſuarum operationum. diſput. 35 num.13.
voluntas quam ſuaſionem ſequatur. diſputatio.26.numero decimoquinto.
Deus concurrit cum voluntatem ſecundum determinationem, quam vult facere. diſputatio. 35. num.12.
Deus quomodo ſinat, voluntatem ſe determinare. diſput. 26.num.46.
voluntas habet paratum concurſum ad vtramque partem. diſp.35.num.11.
voluntatem poſſe attingere quę poſſumus facere an perfectio.diſp.30.nu.22.
voluntas creata quomodo reſiſtat diuinæ. diſputat. 34. num.6.
voluntas an ſimplici effectu poſſit ferri in impoſſibile.diſp. 125.num.24. et ſeq. An conditionate, ſi non euadat bonum appetenti.num.47.
Mutatio voluntatis non eſt poſſibilis ſine noua cognitione, aut inconſtantia.diſp.15.nu.8.
Mutatio voluntatis ſemper imperfectio. diſputatio. 15. num.10.
Quicumque actus voluntatis poteſt inferi ex aliquo actu intellectus.diſp.40.nu.4.
velle an dicat viuere. diſputatio. 12. numero 16. & ſequentib.

Voluntas diuina.

voluntas diuina in quo differat a Creata. diſputatio. 40. num.105.
Diuerſo modo ſe habet ad obiectum contingens. diſputat. 25.num.32.
voluntas diuina quid dicat vt infinita. diſputatio. 25. numer.30.
voluntas diuina an habeat potentiam contradictionis.diſp. 31.num.14.
voluntas diuina an poſſit ſe habere negatiue. diſputat. 31. num.15.et ſeq. An habeat actum poſitiuum nolitionis. num.16.et ſeq.
voluntas diuina non habet cauſam finalem realem. diſput.33.numer.9. Neque etiam ipſam bonitatem diuinam.num.10. An habeat rationem volendi.numero 11. et ſequent. Quænam ſit.numero 14. Collectio creaturarum an ſit ratio volendi voluntati diuinæ.numer. 14.et ſequent. An reſpectu terminationis diuinę voluntatis. num.17.
voluntas Dei antecedens libera an poſſit eſſe inefficax.diſp. 34.nu.14.et ſeq.
voluntas ſigni diſp.34.nu. 2.quotuplex.ibid. An diſcordet a ſe ſignificata nu.3. An ſemper habeat adiunctam voluntatem beneplaciti.nu.4.
voluntas beneplaciti. diſputat.34. numer.5. Quotuplex. ibidem.
Diuinæ voluntatis obiectum primarium. diſp.29. num. 2. Sola diuina eſſentia obiectum formale vt quo.diſp.29. nu.3. An ſola adæquatum.nu.5.
voluntas diuina quomodo verſetur circa diuinam generationem.diſp.64.num.53.
voluntas diuina quomodo ſe habeat circa poſsibilia. diſp. 30.num.21.
volũtas diuina quomodo comparetur ad effectus ad extra. diſp.31.num.7.
voluntas diuina quomodo attingat contingentia. diſputat. 32.num.34.
An ſola voluntas exequutiua Dei ſit communicatiua.diſp. 40.num.57.
voluntas diuina efficax cauſat, quod vult.diſp.40.n.106. et ſeqq.
voluntas diuina non mutatur ex mutatione facta in obiecto.diſp.15.nu.6.
Dei voluntas circa præcepta implenda qualis.diſput. 34. num.19.

Voluntas diuina quoad actus.

Vide Actus liber Dei.

velle diuinum quomodo contingentia ſe habeat.diſput.32. n.35.ſe habeat dominatiuo modo ſupra externam cauſationem,et quomodo.nu.36.
Inter actus diuinæ voluntatis non eſt ordo realis.diſput. 33.numero 23. An ſit ordo rationis. numer.24. Fundamen-

Digitized by Google

damentum huius. ordinis. num.26. Quomodo ſe habeat iſte ordo. nu.27. Quomodo vnus actus prærequiratur ad alium. num.28. An ordo actuum diſcrepet ab ordine obiectorum. ibid.

Omnis actus voluntatis diuinæ determinatur à bonitate diuina. diſp.31. nu.16.

Actus diuinæ voluntatis an poſſit eſſe uolitio obiecti primarij, et nolitio ſecundarij. d.31. nu.19.

volitio actualis Dei indifferens circa contingentia. diſput. 25. num.31.

Volitio Dei an dicat ordinem ad creaturas. diſputat.30. num.10.

Actus diuinæ voluntatis circa plura obiecta quando vnicus. diſp.26. nu.8.

volitio diuina quomodo comparetur ad intellectionem diuinam. diſp.28. nu.8. et ſeq.

An volitio producendi alium mundum nunc ſit in Deo. diſput.32. nu.16.

Votum.

votum an poſſit relaxari à Deo ſine mutatione phyſica. diſput.32. num.45.

FINIS.

Digitized by Google